Guill. Camden a fait pour l'angleterre, l'écosse et l'irlande ce que Pausanias a fait pour la Grèce. la partie de l'angleterre est la plus exacte. il fonda une chaire d'histoire dans l'université d'Oxford et mourut en 1623. voir sa vie par Smith à la tête des lettres de Cambden publiées à Londres en 1691. in 4° - j'ai ce volume et son histoire d'Elisabeth (traduction).

cette édition est la meilleure

Sa traduction anglaise avec les notes de Gough publiée à Londres en 1789. in fol. 3. vol. - en 1807. il en a paru une autre édition anglaise en 4. vol in folio.

- acheté à Paris relié à Paris collationné par moi.

[illegible]


BRITANNIA
OCEANUS DEVCALIDONIUS
OCEANUS GERMANICUS
HIBERNIA
OCEANUS HIBERNICUS
OCEANUS BRITANNICUS
CALEDONII
Brigantes
Eboracum
Londinum
Monana
Mona
Eblana
Trinobantes
Iceni
Cantium
Vectis



SERENISSIMO, POTENTISSIMOQVE PRINCIPI IACOBO, BRITANNIAE MAGNAE, FRANCIAE, ET HIBERNIAE REGI, FIDEI PROPVGNATORI, AD AETERNITATEM BRITANNICI NOMINIS IMPERIIQVE NATO,

PERPETVAE PACIS FVNDATORI,

PVBLICAE SECVRITATIS AVTHORI

GVILIELMVS CAMDENVS MAIESTATI EIVS DEVOTISSIMVS D.D. CONSECRATQVE.



SIVE

FLORENTISSIMORVM REGNORVM ANGLIÆ, SCOTIÆ, HIBERNIÆ, ET

Insularum adiacentium ex intima antiquitate
Chorographica descriptio:

Nunc postremò recognita, plurimis locis magna accessione
adaucta, & Chartis Chorographicis
illustrata.

GVILIELMO CAMDENO Authore.



LONDINI,
Impensis GEORGII BISHOP & IOANNIS NORTON.
M. DC. VII.



LECTORI.



Væ in prima huius Libri editione ante annos viginti præfatus eram, eadem & iisdem verbis, pauculis adiunctis, in hac postrema editione beneuolo Lectori nunc denuo præfari haudquaquam dispudet. Eximius veteris Geographiæ restaurator Abrahamus Ortelius *ante annum tricesimum mecum pluribus egit vt* BRITANNIAM *nostram, antiquam illam illustrarem: hoc est, vt Britanniæ antiquitatem, & suæ antiquitati Britanniam restituerem, vt vetustis nouitatem, obscuris lucem, dubiis fidem adderem; & vt veritatem in rebus nostris, quam vel scriptorum securitas, vel vulgi credulitas proscripserant, quoad fieri posset, postliminiò reuocarem. Opus sane arduum, & plusquam difficile, in quo quantoperè sit sudandum vt nemo ferè sentit; sic nemo planè credit, nisi qui ipse aliquando periculum fecit. A proposito tamen, quantum rei difficultas me deterruit, tantum ad id ipsum aggrediendum charissimæ patriæ gloria excitauit. Ita dum simul onus subire metui, & patriæ gloriæ, quantum in me sit, deesse nolui, res diuersissimas, timiditatem & audaciam, quæ nunquam in eundem hominem cadere posse putaui, nescio quo pacto, in me coniuncta animaduerti. Verumenimuerò* DEO *auspice, comite* INDVSTRIA *rem aggressus omni animo, cogitatione, opera, & assidua meditatione in eandem succisiuis horis totus incubui. In Britanniæ* ETYMON *& primos incolas timidè inquisiui, nec in re dubia quicquam asseueranter affirmaui. Gentium enim origines vetustate nimiâ, velut quæ magno loci interuallo vix cernuntur, esse obscuras, imò incertas certò noui; perinde ac magnorum fluminum noti sunt decursus, nota diuerticula, noti confluentes, nota ostia, fontes autem ipsi plerunque latent ignoti. Britanniæ diuisiones antiquas peruestigaui, florentissimorum Regnorum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Ordines & Tribunalia compendiò memoraui. In singulis horum regionibus qui sunt limites, (non tamen exiliter ad decempedam) quæ terræ dotes, quæ antiquioris memoriæ loca, qui Duces, qui Comites, qui Barones, & quæ familiæ vetustiores & splendidiores (nec sane singulas, quis enim poterit?) paucis percensui. Quid præstiterim dicant qui rectè iudicare nôrunt, nec illi quidem facilè diiudicent. Tempus autem testis incorruptus edocebit, cùm inuidia quæ viuos sectatur, conticescat. Hoc tamen dicam, quæ ad latentem antiquitatis veritatem eruendam inprimis faciant, à me neutiquam fuisse neglecta; subsidio mihi antiquissimæ linguæ Britannicæ, & Anglo-Saxonicæ notitiam qualemcunque comparaui; Angliam ferè omnem peragraui; versatissimum & peritissimum quemque in sua regione consului. Scriptores patrios, Græcos, Latinos qui vel semel Britanniæ meminerunt, studiosè euolui. Publica regni Commentaria, sacra scrinia, & archiua, Bibliothecas plures, vrbium & Ecclesiarum Tabularia, monumenta, & veteres schedas excussi; eaque quasi testimonia de cœlo omni exceptione maiora aduocaui, & certè ipsissimis quibus loquuntur verbis licèt barbarie infuscatis, vt* Veritati *suus integer constet honos, in medium, cùm res postulare videretur, produxi.*

Næ tamen ego parùm prudens, & minùs modestus videar, qui ex infimo Antiquariorum subsellio, cùm bene latêre potuerim, in eruditissimi huius seculi theatrum, inter varios ingeniorum,

niorum, & iudiciorum gustus scriptor prodierim. Sed vt quod res est, liberè ac ingenuè dicam, patriæ charitas quæ omnes omnium charitates complectitur, Britannici nominis gloria, amicorum consilium modestiam meam expugnârunt, & velim nolim etiam aduersus iudicium meum me hoc onus cui impar sum, subire impulerunt, & in publicum protruserunt. Iudicia enim, præiudicia, censuras, obtrectationes, reprehensiones confertim quasi sub signis in procinctu vndiq; me circumsidere prospicio. Alij sunt qui totum hoc rei antiquariæ studium vt curiosam in præteritum diligentiam omninò aspernantur, & reijciunt. Quorum authoritatem vt non penitùs totam contemno, ita sanè prudentiam non valde admiror. Nec mihi rationes desunt, quibus bonis & cordatis hominibus, qui patriam illustratam cupiunt, hoc institutum facilè probare, & in his studijs suauissimam animorum oblectationem, & libero homine non indignam docere possim. Si qui verò sint, qui in vrbe sua hospites, in patria sua peregrini, & cognitione semper pueri esse velint, sibi per me placeant, sibi dormiant, non ego illis hæc conscripsi, non illis vigilaui. Sunt alij qui mihi tenue dicendi filum, & horridulam, ac incomptam orationem obijcient. Agnosco sanè, nec enim aurificis statêra (quod iubet Varro) verbum vnumquodque appendi, nec orationis omnes vndiq; flosculos carpere decreui. At quid hæc obijcient, cùm ipse eloquentiæ parens Cicero hoc argumenti genus ἈΝΘΗΡΟΓΡΑΦΕΙ͂ΣΘΑΙ *posse neget, &, vt inquit Pomponius,* Facundiæ minimè sit capax?

Complures etiam vel eo nomine forsitan insultabunt, quòd coniecturis subinde antiquorum nominum origines venari, & indagare ausim. Qui si coniecturas omnino pergent porrò excludere, vereor ne magna politioris literaturæ, atq; adeò humanæ cognitionis pars pulsa tandem exulet. Mentis enim nostræ acies ita plerumq; est hebes, vt multa in omnibus artibus coniecturis persequi & explicare cogamur. In re medica ΣΗΜΕΙ͂Α, ΤΕΚΜΗΡΙΑ, ΕἸΚΟΤΑ, *quæ nihil ferè aliud sunt quàm coniecturæ, locum obtinent. In Rhetorica, Iure ciuili, & alijs artibus coniecturæ suam sedem habent, eamq; tuentur. Cùm auten coniecturæ rei latentis sint indicia, & (vt inquit Fabius) rationis ad veritatem directiones, inter antlias quibus* TEMPVS VERITATEM *in Democriti puteo demersam haurire, & subducere solet, ego semper numerandas existimaui. Quòd si animum inducant aliquem coniecturis locum tribuere, vt mihi etiam veniam tribuant non dubito quin modestia & moderatio mea in his tractandis facilè impetrauerit. Plato in Cratylo iubet vt nominum origines ad Barbaricas linguas, vtique antiquiores reuocemus: ego ad Britannicam siue* Wallicam *(vt iam vocant) linguam, qua primæui & antiquissimi huius regionis incolæ vsi sunt, in Etymis, & coniecturis semper recurro. Iubet ille vt rei nomen, nomini res consonet: si dissonet, ego minimè admitto. In rebus, inquit ille, est* ΦΩ͂ΝΗ, ΣΧΗ͂ΜΑ, ΧΡΩ͂ΜΑ: *si hæc nomine non exprimantur cum contemptu vbique reijcio. Etymologias obscuriores, duriusculas, ægrè detortas, & quæ in varias partes duci possint, hisce nostris commentariolis intexere non sum dignatus. Denique in coniecturis adeo parcus, & proinde cautus fui, vt (nisi me fallam) æquo Lectori si non* ΕΥ̓ΤΟΛΜΟΣ *certè* ΤΟΛΜΗΡΟΣ *videri non potuero. Licèt verò semel atque iterum in hac suaui ingeniorum prolusione, vnam & alteram coniecturam in vna eademque re attulerim;* VNITATEM *tamen* VERITATI *consecratam esse interim non obliuiscor.*

Erunt fortasse qui fastidiosè & ambitiosè succenseant quòd hanc vel illam familiam tacitus præterierim, cùm instituti minime fuerit mei familias nisi illustriores meminisse, neque eas quidem omnes (volumina enim complerent) sed quæ mihi pro suscepti operis methodo se obtulerunt, & alius Deo fauente de Nobilitate Britannica bene merendi dabitur locus. Verùm qui hoc nomine maximè succensent, ex eorum fortasse numero sunt quorum in patriam merita sunt minima, & nobilitas nupera.

Iidem illi fortasse quòd nonnullos superstites laudibus aspersi me reum postulabunt; at hoc breuiter modicéque factum, idque ex veritatis fiducia, ex consentiente bene iudicantium de virtute suffragio, & mente nullius adulationis conscia. Ex modicis tamen quas aspersi laudibus, ipsi laudati admoneantur, vt se ijsdem non indignos præstent, vt partam gloriam tueantur, indiesq; adaugeant. Suum enim cuiq; decus quicquid scriptores chartis illinunt, sera rependet posteritas; in quam ego intentus, & non in hoc præsens æuum. Interim meminerint, Laudare bonos est posteris velut e specula lumen quod sequantur ostendere. Verum etenim illud est Symmachi: Ornamentis bonorum incitatur imitatio, & virtus æmula alitur exemplo

emplo honoris alieni: *Si quis vnius & alterius mentioni & laudi me dicet locum quæsijsse, confitentem habet reum. Neque iustus sine mendacio candor apud bonos crimini vertendus, & amicorum virtuti aliquid tribuendum. Quemodocunque* Virtus *&* Gloria *semper aliquos infensos habet, & homines præsentia inuidiâ, præterita veneratione prosequantur: absit vt adeò iniqui simus rerum & hominum æstimatores vt nostra tempora sub laudatißimis Principibus, viris laude dignis effœta esse censeamus. Sed qui bonorum laudibus inuident, metuo ne illi ipsi male conscij etiam malorum vituperationes ob morum similitudinem sibi obiectari conquerantur.*

Non deerunt qui me hoc vel illud Opidulum aut Castrum omisisse subaccusent; quasi ego alia quàm celeberrima, & ab antiquis memorata vel nominare instituerim; nec operæ-pretium quidem nominâsse, cùm nihil præter nuda nomina memoriâ dignum occurrat. Hoc enim mihi inprimis propositum susceptumque fuit consilium, vt loca illa quorum Cæsar, Tacitus, Ptolemæus, Antoninus Aug. Prouinciarum Notitia, alijq́ vetusti scriptores meminerunt, & TEMPVS *cæca quadam caligine nominibus extinctis, mutatis, aut corruptis iam circumfudit, indagarem & e tenebris eruerem. In his indagandis, vt minùs comperta asseueratione non affirmo, ita quæ probabilia haudquaquam subticeo. Quòd verò singula non eruerim, etsi operoso & impendioso labore inuestigauerim, non mihi sit fraudi; vt nec Metallico qui dum grandiores metalli venas inuenerit, minutißimas & latentes fibras non vidit: vel vt illud e Columella vsurpem:* Sicut in magna sylua boni venatoris est feras quamplurimas indaganter capere, nec cuiquam culpæ fuit non omnes cepisse; *ita & mihi: Aliqua aliorum diligentiæ sunt relinquenda: Nec bene docet, inquit vir magnus, qui omnia docet, & nihil alijs inueniendum relinquit. Alia ætas, alij homines alia in lucem indies proferent. Mihi satis superq́ incepisse, & in lucro ponam me alios in hanc arenam prouocasse, siue denuo scribant, siue mea emendent.*

Sunt vt audio qui Monasteria & eorum fundatores a me memorari indignantur; dolenter audio, sed cum bona illorum gratia dixerim: Iidem indignentur, imò fortasse obliuisci velint, & maiores nostros Christianos fuisse, & nos esse. Cùm non alia Christianæ eorum pietatis, & in Deum deuotionis certiora & illustriora vspiam extiterint monumenta; nec alia fuere plantaria, vnde Christiana religio & bonæ literæ apud nos propagata; vtcunque seculo corrupto auerruncanda filix in illis plus nimio succreuerit.

At insimulabunt iam Mathematici, & in crimen vocabunt quasi in Geographicis Longitudinis, & Latitudinis dimensionibus toto cælo aberrauerim. Audi quæso, Tabulas Astronomicas, nouas, antiquas, manuscriptas, Oxonienses, Cantabrigenses, Regis Henrici Quinti diligenter contuli. In Latitudine a Ptolemæo plurimum discrepant, inter se fere conspirant: nec tamen terram e suo centro dimotam esse cum Stadio existimo. His igitur vsus sum. In Longitudine autem nullus consensus; concentus nullus. Quid igitur facerem? cùm recentiores perpendiculum in nauigatoria pixide magnete illitum inter Asores *insulas rectà Polum Borealem respicere deprehenderint, inde Longitudinis principium tanquam à primo Meridiano cum illis duxi, quam nec vbique* λεπτομερῶς *permensus sum.*

Obscuritatis, fabularum, aut vagæ narrationis culpam, non est, vt spero, cur deprecer. Ab obscuritate nullum est periculum, nisi illis, qui literas antiquas, & historias nostras primoribus labris non gustârunt. Fabulis ne tantillum quidem tribui, & ne digreßionibus hinc inde vagarer, titulum (quod monet Plinius) sæpius legi, & identidem me interrogaui quid scribere inceperim. Tabulas Chorographicas, quæ lenocinante picturâ oculis esse iucundiores, & in his Geographicis studijs plurimum interesse fateor, maximè cùm mutis tabulis literarum etiam lumen accedat, multi in hoc opere diù desiderârunt. Hoc tamen præstare facultatis non erat nostræ; nunc tamen Georgio Bishop *& Ioanne* Norton *curantibus, illa addita ex Christophori Saxtoni & Ioannis Nordeni Chorographorum peritißimorum descriptionibus.*

Sed ne nimis in proœmio excurrat oratio: Ad hoc opus elimandum omne industriæ meæ curriculum hos aliquot annos pertinaci veritatis studio, & fide syncerè antiquâ ad patriam illustrandam elaboratum est. Gentem nullam in calumniam rapui, nullius famam læsi, nullius in nomen lusi; nullius fidem imminui, ne Galfredi quidem Monumethensis, cuius historia (quam maximoperè confirmare velim) inter eruditos habetur sane suspectior; nec aliquam scientiæ persuasionem mihi indui, nisi quod scire velim. Nescire igitur, & in plurimis me errare

rare posse libens lubensq́ fateor, nec erroribus indulgebo. Quis totam diem iaculans semper collineet? multa sunt in his studijs, vt inquit ille, cineri suppostа doloso. *Errata possint esse multa à memoria. Quis enim in memoria thesauro omnia simul sic complectitur, vt pro arbitratu suo possit expromere? Errata possint esse plura ab imperitia: Quis enim tam peritus, vt cæco hoc Antiquitatis mari cum* TEMPORE *colluctatus scopulis non allidatur? Fieri etiam potest vt ex scriptorum authoritate & aliorum quos fide dignissimos existimaui, errauerim. Nec quidem, vt habet Plinius,* alius pronior fidei lapsus quàm vbi rei falsæ grauis author extitit. *Locorum peculiaria alij qui incolunt accuratiùs obseruēt, si monuerint in quo errauerim, cum gratia corrigam; quod imprudens omiserim, adijciam; quod minùs explicauerim, edoctus pleniùs edocebo; modò sine liuore & contentionis studio quæ candidis & veritatis studiosis sunt indignissima, hoc fiat. Hæc tamen interea à te, humanissime Lector, tua humanitas, mea industria, patriæ communis charitas, & Britannici nominis dignitas mihi exorent, vt quid mei sit iudicij, sine aliorum præiudicio liberè proferam, vt eadem via qua alij in his studijs solent, insistam, & vt erratis, si ego agnoscam, tu ignoscas. Quæ vt ab æquis, & bonis magis speranda, quàm petenda sentio: ita iniquos, & malos, qui omnes in conuiuijs rodunt, in circulis vellicant, inuidēt, calumniantur, obtrectant, nihil moror. Obtrectationem enim stultorum esse thesaurum, quem in linguis gerunt, e Comico didici; &* Inuidiam *(dicam* Inuidia *adstante) non in alio, quàm degeneri, minuto, & ieiuno animo domicilium sibi collocare exploratè cognoui. Candida & proba ingenia vt inuidiam facilè contemnunt, ita ne norunt quidem inuidere. Me autem & mea scripta omnia piorum & doctorum iudicio in singulis, ea qua par est reuerentia, demississimè submitto & subijcio: quibus professione pietatis in patriam hic labor, si non approbetur, certè, vt spero, excusetur. Vale, faue, & fruere.*

TERENTIANVS MAVRVS.

VERITATEM

DVMOS INTER, ET ASPERA,
SCRVPOSIS SEQVIMVR VADIS.
FRONTE EXILE NEGOTIVM,
ET DIGNVM PVERIS PVTES;
AGGRESSIS LABOR ARDVVS,
NEC TRACTABILE PONDVS.

Pro captu Lectoris habent sua fata libelli.

AD

Ad Lectorem.

MAgna per immensum celebrata Britannia mundum
Imperio, populo, rege beata suo,
Nunc prodit, renouata nouis, ornata figuris:
Auctior illa tibi, notior illa tibi.
Camdeni liber est, satis est dixisse, scienti:
Camdenum nescis? perlege, notus erit.

Gvilielmvs Sydleivs *Eques auratus.*

Ad amicum suum *Guil. Camdenum Georgij Buc* Equitis aurati Reg. Sp. C. Heptastichon.

SI quàm describis terram Camdene Britannam,
Tam graphicè, tanta curâ, grauitate, fideq;
Herôum velles Britonum res scribere gestas
(Hac etenim sola neglecti in parte iacemus)
Historiæ poterat conferri nulla Britannæ.
Hoc tibi restat opus, vel non hoc fiet in æuo,
Secula quòd binos phœnices nulla tulere.

Ad Guil. Camdenum, *Edw. Grant* Sacræ Theologiæ *Doctor.*

ERgóne priscorum lustras monumenta virorum,
Vt possis facili contexere singula filo,
Quæ latuere diu cæcis immersa tenebris,
Antiquata vsu, priscum sumptura nitorem?
Vnde Britannorum nomen? quo cœperit ortu?
Incola quis primus celebres habitauerit oras?
In quauis regione doces, quæcunque vetustæ
Sunt vrbes, quæ vera simul Comitúmq; Ducúmq;
Stemmata: quæ terræ dotes: quis limes agrorum,
Ordine perspicuo perstringis singula plenè.
Egregium moliris opus, vel iudice Momo,
Quod semper præsens, quod postera prædicet ætas;
Te patriæ stimulauit amor, te docta vetustas
Excitat, vt cunctis patriæ spatiêris in agris:
Multi multa canunt, tu multum scribere tentas,
Hoc multo multos superas, qui multa tulerunt.
Tu Camdenus eris seros celebrandus in annos:
Ergo age, quo tendis gressu, patriámq; venusta,
Ne labor iste tuus desit cupientibus ista.

In antiquam *Guilielmi Camdeni* Britanniam.

DE te deque tuo libro dum scribere carmen
Mens congesta velit, meritasq; intexere laudes,
Insonuit mea Musa mihi, quid carmina quæris?
Sit scripsisse satis, quod scripsit Horatius olim:
Hic meret æra liber Sosijs, hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat æuum.

I.W.Gen.

In postremam *Guilielmi Camdeni* Antiquitatum *editionem, Epigramma.*

G. Ga.

SEmentem sterili quoties tellure recondit,
 Luditur optatâ fruge colonus iners.
Ventifugæ nunquam dominus ditescit arenæ;
 Pinguis at irriguo flumine terra beat.
Fœcundum facunde solum *Camdene* secasti,
 Illud & ingenij nobile flumen aquat.
Atq; vt opima solet iacto cum semine gleba
 Parturit innumeris granula adaucta modis:
Sic toties cusus tibi qui fuit antè libellus,
 Cultior antiquo prodijt ecce liber.
Heu! nusquam tanto respondent arua colono,
 Cuius ab ingenio promouet his genius?
Sume animum. Cum te hinc discedere iusserit (ætas
 Vt quæras tritâ pascua læta viâ;
Semper *Camdenus* simul & *Britannia* viuent:
 Longæuus nequit hic, dum manet illa, mori.

In *Guilielmi Camdeni* Britanniam.

NEscia penè sui, generisq; oblita prioris,
 Anglia cùm iacuit semisepulta situ,
O quis, ait, tantum aut animus, aut arte valebit,
 Vindice qui tractet vulnera nostra manu?
Camdenus patriæ lugentis imagine motus
 Ingenium, artem, animas versat: opemq; tulit:
Mortua restituit veteris cognomina gentis,
 Mortis & eripuit se patriamq; metu,
Æternùm per te, Camdene, Britannia viuit,
 Cumq; tua æternùm, tu quoque gente manes.

G. Carleton.

Ad eundem.

QVæ vix nota sibi fuit antè Britannia, vtriq;
 Nunc *Camdene*, orbi munere nota tuo est,
Ignotæq; velut fuerat non vlla cupido,
 Sic modò sic notam mundus vterque cupit.
Sed tamen incassum: nimiam nam dote superba
 Indignum nullum non sui amoris habet.

Ianus Gruterus I. C.

Camdeno *suo* Britannia.

CLarus vt Eoos sol quando aduerberat arces
 Et procul inuisis ferit astra linentia flammis
Nox petit Oceanum, vultusq; enascitur orbi;
Sic Camdêne *tuum iubar vt fulgere per* Anglos
Seu Phœbi cœpit, nox fugit, & hispida dudum,
Multumq; heu squallens radiare Britannia *cœpi,*
Non mea nunc Thetis cùm deserit alba profundum
Gratior exurgit, pallentes murice vino
Instaurata genas, pigro nec sydus ab Orco,
Nec dux astrorum de vertice vesper Olympi,
Illa ego quàm limâ repolita Britannia *mirâ*
Mi Camdêne *tuâ,* [illegible] Insula *ponto*:
Frontispicij explicatio.
„ Illa ego rupe super scuto horrida, & horrida gæso,
„ Hinc pelagi numen, dea spicea visitur illinc,
„ Piscosus vallo Nereus, *& classibus armat,*
„ Atq; Ceres *flauos spargit sua serta per agros,*
„ Saxea deinde strues, & quæ depicta videmus
„ Fronte libri, veluti feruens a fontibus vnda,
„ Et surgens pyramis, nostra miracula monstrant
„ Telluris, liber ipse nequit (fas) omnia vester:
Exero nunc vultus exhaustos antè ruinis,
Et nunc flore meo marcores pello vietos:
Verùm erit illa dies cùm qua iacas Anglia, *forsan*
Nebula quæretur, cinere occultata, situque,
Atque alios lychnos dabit: Id Camdêne *negato*
Historicum vincendo Chaos, qui noris abunde:
Hæc tibi prisca, redux, imaq; vsq; Britannia *canto.*

Edmundus Bolton.

In Britanniam denuò illustratam

Ioh. Stradlingus.

INsula in Oceano quondam notissima, cæcis
 Delituit tenebris vix benè nota sibi.
Ingenij (Camdene) tui radiante tenebras
 Lumine (seu fugiunt nubila sole) fugas.
Sic rediuiua viget, nec quà patet illa latere
 Tu potes: Illam tu, te celebrem illa facit.

Εἰς Βρεττανικὴν ἀρχαιολογίαν Ἰλέρμου Καμδήνου,

Ἑξάστιχον Β. Δοδδιγκτῶνος.

ΠΡωϊμαθὴς, φιλαληθὴς, πολυμαθὴς τε παρελθὼν,
 Καμδῆνος πάτρῃ φωσφόρος ἐξεφάνη.
Πύργοι κ' ἀμφίβολον λαμπάδιον ἥτε ποθεινῷ,
 Τηλυγέτῳ μῦθον κὴ φάτο Βρεττανίη.
Χαῖρε γεραιὰν ὅς δῖος αἰπεινὴν ἀπέδειξας,
 Κοινοὺς τιμὰς ἔσσεαι ἀθανάτας.

Εἰς τὴν Βρεττανίαν Ἰλέρμου τοῦ

Καμδήνου.

ΘΕῖε Σόλων, ὡς ἀγλα' δίδαξας λαὸν Ἀθηνᾶς,
 Ἀντιπελαργῆσαι παισὶ, ἠδὲ φίλοις:
Πειθόμενος θεσμοῖσι τεοῖς θρεπτήρια ταῦτα
 Ἤγαγε Καμδῆνος πατρίδ' ἄγαλμα φίλῃ.
Εἰπὲ Σόλων, τῷ πλεῖον ὀφείλει πατρὶς γαῖα,
 Ἤ ἄρα Καμδήνῳ πλεῖον ὄφειλε πάτρις.

H. Cuffius.

Ad *Guilielmum Camdenum, Britanniam* Historica veritate denuo *illustrantem.*

CAMDENE, laus est inuidenda, præclarum
Audire ciuem, patriæque seruire.
Autoritati, & gloriæ perennanti.
 CAMDENE, dum decus Britanniæ campum
In æuiternæ prouehis sagax Famæ,
Nitore regio stiloque præclaro:
Præclarus inde ciuis audis, & iure.
Quid? non decore modò Britanniam mactus,
Honore mactus ipse & gloriæ punctis:
Sed hunc & illum luce tua reples mundum:
Vt, quæ sibi vix nota erat prius terra,
Vtramque nunc domum pulsauerit Solis.
CAMDENE, laudis hoc tuæ est. Et extensum
Quò latiùs volat Britanniæ nomen:

CAM-

CAMDENE, augustior tantò tibi sacro
Adorea in Memoriæ exstabit altari.
Tam nominis cati est, litasse regnorum
Famæ, inclutasque protulisse virtutes.

Caspar Dornauius. D.

In Britanniam *rediuiuam* Ri. Parker Caio-Gonuil. carmen congratulatorium.

Salue, grata redis (memoranda Britannia*) terris*
Quam iuuat e tenebris exiluisse tuis!
Fallor? an antiquo mutatus sistor in orbe?
Aut te dum relego, secla priora lego?
Fallor? an Arthuros, Egbertos, Cassibellinos
Cerno rediuiuos ducere castra sua?
Fallor? an hic acies sæuæ certare solebant?
Hic Offa, hic rigidus tendere Penda solet?
Festino nimium. Quæ qualia, quantaq; cerno
Surgere sacra Deo, mœnia, templa, domus?
Queis hæc Normannis donari prædia legi?
Vnde sequens soboles nomen & omen habet.
Sed quot cerno domus orbatas stirpe vetusta?
Heu quas dilapidant alea, vina, Venus?
Vt vidi, vt dolui, nouus vt nunc sedibus hospes
Diceret: hæc mea sunt, ito colone vetus.
Quis Genius talem (veneranda Britannia*) nobis*
Esse velit reducem? quo duce tanta refers?
Scilicet hoc debes Camdeno: agnosce parentem,
Et Genium, cuius te tibi reddit amor.
Fœlix ipse suo libro: fœlicior ipsa
Præconem talem laudis habere tua.
Plus loquar, an sileam? video tantum instar in ipso.
Quas Musas vocitem? sed (mea Musa) sile.
Parcus amor loquitur: maior stupefactus adegit
Mirari hoc tacitè, nec scio solus, opus.

In Britanniam à *Guil. Camdeno* illustratam *F. Aderb. Carmen.*

Pictus atrox Hebridas, glacialē Scotus Hiberuem
Mouerat, Attacotus Vararim, Saxoq; Visurgim
Coniunctas armis, animisq; excindere gentes,
Subruere eximias cumulatis cladibus vrbes,
Atque Britannorum nomen demergere bellis.
Vt tamen emergant quæ sunt immersa ruinis,
Et decus antiquum rediuiua Britannia cernat,
Ecce vetustatem Camdenius eruit omnem,
Magnarum rerum scrutatus magna sepulchra,
Submouit cineres, nigrantes dispulit vmbras:
Inque prius retrò studijs se contulit annum;
Contulit atque decus patriæque, sibique labore.

In antiquam Camdeni Britanniam H. N. L. ἐχδίασμα.

PRisca Britannorum deleuit nomina Tempus,
Antiquas vrbes exitióque dedit.
Cuncta triumphato Camdenus tempore reddit,
Ingenio priscum restituitque decus.
Ingenio cedat Tempus, cedatque vetustas:
Ingenium maius Tempore robur habet.

Ad eundem.

Errabat quærens Antiqua Britannia *lumen,*
At, Camdene, tuam venit vt illa domum:
Inuenit lumen, mansit, cupiensque potiri;
Hospes ait mihi sis, qui mihi lumen eris.

I. W.





SI iactare licet magnorum munera diuûm,
Sibique veris fas placere dotibus;
Cur mihi non videar fortunatissima tellus?
Digna est malis, bona quæ pariùm nouit sua.
Vltima lanigeris animosa est India lucis,
Suis superbus est Arabs odoribus.
Thuriferis gaudet Panchaia diues arenis;
Ibera flumen terra iactat aureum.
Ægypto faciunt animos septem ostia Nili,
Laudata Rheni vina tollunt accolas.
Læta nec vberibus sibi displicet Africa glebis;
Hæc portubus superbit, illa mercibus:
At mihi nec fontes, nec ditia flumina desunt,
Sulcíue pingues, prata nec ridentia.
Fœta viris, fœcunda feris, fœcunda metallis;
Ne glorier, quòd ambiens largas opes
Porrigit Oceanus, neu quòd nec amicius vllâ
Cœlum, nec aura dulciùs spirat plagâ.
Serus in occiduas mihi Phœbus conditur vndas,
Sororque noctes blanda ducit lucidas.
Possem ego laudati contemnere vellera Bætis.
Vbi villus albis mollior bidentibus?
Et tua non nequeam miracula temnere Memphi.
Verùm illa maior, iustiorque gloria,
Quòd Latijs, quòd sum celebrata BRITANNIA Graijs,
Orbem vetustas quòd vocârit alterum.

Alphabetum Anglo-Saxonicum,
hic apponendum curauimus, vt Saxonica
nomina quæ passim in libro occurrunt
facilius legantur.


A	*a*	Ꞃ	*r*
b	*b*	Ꞅ	*S*
c	*c*	ꞅ	*ſ*
ꝺ	*d*	ꞇ	*t*
Є	*E*	u	*u*
e	*e*	ƿ	*w*
ꝼ	*f*	X	*X*
ᵹ	*g*	x	*x*
h	*h*	ẏ	*y*
i	*i*	Æ	*Æ*
l	*l*	æ	*æ*
M	*m*	Ð	*Th*
n	*n*	ð	*th*
o	*o*	þ	*th*
p	*p*	⁊	*and*
q	*q*	ꝥ	*that*

PVBLIVS OVIDIVS NASO.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.



BRITANNIA.



RITANNIA, quæ & ALBION, Græcis ΒΡΕΤΑΝΙΑ, ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΗ, ΠΡΕΤΑΝΙΣ, ΑΛΒΙΩΝ, ΑΛΟΥΙΩΝ, Insula totius orbis longè celebertima, interfuso Oceano ab Europæ continente discreta, Germaniæ & Galliæ figura triquetra obiacet, tribus nimirum in diuersa procurrentibus promontorijs: BELERIO, quod solem occidentem, CANTIO, quod orientem, TARVISIO, siue ORCADE, quod Septentriones prospectat. Ab Occasu, quà Hibernia sita est, Vergiuius Oceanus irrumpit, à Septentrione, vastissimo & apertissimo Hyperboreo mari pulsatur, ab Ortu, quà Germaniæ prætenditur, Germanico, à Meridie, quà Galliæ opponitur, Britannico vrgetur. A circumuicinis illis regionibus commodo vndique interuallo disiuncta, patentibus gremijs vniuersi orbis commercio opportuna, & tanquam ad iuuandos mortales auidè in mare omni ex parte se proijciens. Inter Cantium enim, & Caletum Galliæ, ita in altum se euehit, & adeò in arctum mare agitur, vt perfossas ibi terras anteà exclusa admisisse maria opinentur nonnulli, opinionisque suæ assertores adferunt Virgilium in illo versu, Vide in Cantio. pag. 241. &c.

Et penitus toto diuisos orbe Britannos:

Quia, inquit Seruius Honoratus, *olim iuncta erat continenti Britannia*; & Claudianum, qui illum imitatus cecinit:

Nostro diducta Britannia mundo.

Orbis sanè terrarum faciem diluuij vndis & alijs de causis fuisse immutatam, montes nonnullos fuisse exaggeratos, plura loca celsiora in plana, & conualles subsedisse, aquosa exaruisse, arida stagnasse, insulásq; aliquas à continenti fuisse abruptas verisimile est. An tamen omninò verum, & fuerintne insulæ ante Diluuium, non est in animo hîc disputare, nec de diuinis operibus sententiam supinè ferre libet. Diuinam prouidentiam diuersas res ad vnum finem disposuisse nôrunt omnes, & sanè sparsas in æquore terras, non minùs ad Vniuersi ornatum facere, quàm lacus in terra diffusos, & montes sublimè extructos & Theologi & Philologi semper existimauerunt.

Liuius & Fabius Rusticus oblongæ scutulæ, siue bipenni huius formam assimulauerunt, & ea certè facies est ad Austrum (vt habet Tacitus) vnde in vniuersam fama transgressa est. Sed ad Arctum enorme spatium proiectarum extremo littore terrarum veluti in cuneum tenuatur. Tantam támque immensam circuitu crediderunt veteres, vt Cæsar ille, qui primus Romanorum aperuit, *Alium se orbem terrarum scripserit reperisse, tantæ magnitudinis arbitratus, vt non circumfusa Oceano, sed complexa Oceanum videretur.* Iuliùsque Solinus Polyhistor sua amplitudine pene alterius orbis nomen mereri prodiderit. Nostra autem ætas ex multis multorum itineribus certam quodammodo totius insulæ iam tandem deprehendit dimensionem. A Taruisio enim circumactis curuatísque littoribus per Occasum ad Belerium plus minús DCCCXII. mill. pass. numerantur, inde conuersa in Austrum littoris fronte ad Cantium CCCXX. mill. pass.

Panegyricus Constantio dictus & falsò Maximiano inscriptus.

paſſ. Hinc ſecundùm Germanicum mare angulosis receſſibus per DCCIIII. mill. paſſ. ad Taruiſium protenditur, vt hac ratione totius inſulæ ambitus M.DCCCXXXVI. mill. colligat. Quæ menſura, vt Plinij multò, ſic etiam Cæſaris aliquantò minor. Schitinium autem Chium non eſt cur memorem, qui cùm apud Apollonium in Mirabilibus fabulatus fuerit, fructus ſine nucleis, vuáſque ſine acino in Britannia naſci; eius circuitum CCCC. tantùm ſtadijs definierit. Multò verò meliùs Dionyſius Afer in ſua orbis deſcriptione de Britannicis inſulis, i. Britannia & Hibernia.

*Harum ſane magnitudo præcipua: neque vlla alia inſulas inter omnes Britannicis æquipollet.

*Τάων τοι μέγεθος ἀπείσιον· οὐδέ τις ἄλλη
Νήσοις ἐν πάσῃσι Βρετανίσιν ἰσοφαρίζει.

Et vnà cum illo Ariſtides & alij Græci qui Britanniam καθ' ἐξοχὴν ob magnitudinem *Μεγάλην νῆσον, .i. *Inſulam Magnam* verè dixerunt.

Qui verò cœli ſpacia terræ tractibus accuratiùs compararunt, Britanniam octauo Climati ſubiecerunt, Parallelis decimo octauo, & viceſimo ſexto incluſérunt. Diem maximum horarum Æquinoctialium XVIII. cum ſemiſſe putant. At Belerium in conuexo terræ ſitu ab vltimo Occidente XVI. temporibus L. ſcrupulis. Cantium XXI. temporibus ſecundùm longitudinem deſcribunt. Latitudinem in auſtrali ora L. grad. X. ſcrupulis. Taruiſium LIX. grad. XL. ſcrup. metiuntur: vſqueadeò vt hic ſitus Britanniam definiat cœlo, & ſolo iuxtà fœliciſſimo, & mitiſſimo. Cœlum ita mite, & temperatum eſt, vt æſtates minùs feruidæ ſint, calores enim mitigant perennes auræ, quæ cùm terræ naſcentia recreant, tùm homini pecoríque ſaluberrimè, & iucundiſſimè adblandiuntur: & hyemes ſint clementiſſimæ, frigoris etenim vim (vt taceam aërem craſſiuſculum) frequentes & ſedatæ pluuiæ ſic diſſoluunt, maréque circum fuſum ita moderato tepore terram fouet, vt multò remiſſius ſit apud nos frigus quàm in nonnullis Galliæ, & Italiæ regionibus. Vnde Minutius Fœlix, cùm docet diuinum numen ſua prouidentia non ſolùm Vniuerſitati, ſed & partibus conſulere: *Britannia*, inquit, *ſole deficitur, ſed circumfluentis maris tepore recreatur.* Nec mireris quòd de maris tepore loquitur. *Maria*, inquit Cicero, *agitata ventis ita tepeſcunt, vt intelligi facile poſſit in tantis illis humoribus incluſum eſſe calorem.* Ad temperiem etiam huius inſulæ ſpectaſſe videtur Celcenius Getulicus Poeta inprimis vetuſtus, cùm de Britannia cecinerit.

De nat. Deor. lib. 2.

Probus in Virgilij Georg.

Non illic Aries verno ferit aëra cornu,
Gnoſia nec Gemini præcedunt cornua Tauri,
Sicca Lycaonius reſupinat plauſtra Boetes.

Cæſar etiam, *Loca ſunt in Britannia temperatiora, quam in Gallia remiſſioribus frigoribus*, Corn. item Tacitus, *Aſperitas frigorum abeſt.* Addit etiam, *Solum præter oleam vitémq; & cætera calidioribus terris oriri ſueta, patiens frugum, fœcundum, tardè miteſcunt, citò proueniunt, eadem vtriuſque rei cauſſa, multus humor terrarum, cœlique.* *Aer enim* (vt habet Strabo) *imbribus mágis eſt quàm niuibus obnoxius.* Ab omni tamen frugum genere ita beatum, vt Cereris ſedem fuiſſe dixerit Orpheus. Nam de hac noſtra inſula intelligendum illud eſt:

Cereris regalia ſunt hic ampla Dea.

*—— ἰδ' εὐρέα δώματ' ἀνάσσης
Δήμητρος

Et Occidentalis imperij quaſi horreum, & cella penuaria fuerit, vnde DCCC. nauibus, quæ lembis maiores erant, magnum frumenti numerum in Germaniam ad limitaneos exercitus alendos quotannis exportauerint Romani. Sed ne in patriæ laudes effuſior laſciuire videar, audi pro me veterem oratorem eius laudes pleno ore celebrantem. *O fortunata & omnibus beatior terris Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti: meritò te omnibus cœli, ac ſoli bonis natura donauit, in quâ nec rigor eſt nimius hyemis, nec ardor æſtatis, in qua ſegetum tanta fœcunditas, vt muneribus vtriſque ſufficiat, & Cereris & Liberi: in qua nemora ſine immanibus beſtijs, terra ſine ſerpentibus noxijs. Contrà pecorum mitium innumerabilis multitudo lacte diſtenta & onuſta velleribus: certè, quod propter vitam diligitur, longiſſimi dies, & nullæ ſine aliqua luce noctes, dum illa littorum extrema planities non attollit vmbras, noctíſque metam cœli, & ſyderum tranſit aſpectus, vt Sol ipſe qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.*

Zoſimus.
Eumenius ἐν πανηγυρικῷ.
Panegyricus Conſtantio dictus.

Alium item ſi placet, Conſtantium Conſtantini Magni patrem ſic alloquentem audi. *Et ſanè non ſicut Britannia nomen vnum, ita mediocris iactura erat Reipub. terra, tanto*

Panegyricus Conſtantio dictus.

tanto frugum vbere, tanto læta numero pascuorum, tot metallorum fluens riuis, tot vectigalibus quæstuosa, tot accincta portubus, tanto immensa circuitu.

Singularem etiam & maternam Naturæ beneuolentiam in hanc insulam sic expressit Poëta satis antiquus Britanniam hoc Epigrammate affatus, quod luce non indignum quidam iudicarunt:

Tu nimio nec stricta gelu, nec sydere feruens,
Clementi cælo, temperieque places.
Cum pareret Natura parens, varióq; fauore
Diuideret dotes omnibus vna locis,
Seposuit potiora tibi, matremq; professa,
Insula sis fælix, plenaq; pacis, ait.
Quicquid amat luxus, quicquid desiderat vsus,
Ex te proueniet, vel aliunde tibi.

Opulenta hæc Britanniæ vbertas, & beata amœnitas fidem fecit nonnullis Fortunatas illas, siue Beatorum insulas, in quibus omnia perpetuo vere ridere scribunt Poëtæ, apud nos fuisse. Hoc enim Isacius *Tzetzes* non minimi inter Græcos nominis affirmat, maioresque nostri ad veritatem credidisse videntur. Cùm enim, vt est apud Robertum Auesburiensem, Clemens VI. Pontifex Romanus Lodouicum de *Hispania* Fortunatarum Insularum Principem designasset, & in eius subsidium delectus in Gallia & Italia haberet, persuasissimum nostris erat illum Britanniæ Principem designatum fuisse, & in Britanniam, quasi vnam de Fortunatis, vt inquit ille, omnem istum apparatum fieri. Ipsique viri prudentissimi, nostri apud Pontificem legati, ita hanc opinionem imbiberunt, vt statim se Roma subduxerint, & in Angliam, vt suos certiores facerent, aduolârint. Nec aliud nunc iudicarit, qui fortunatas & beatas Britanniæ dotes penitiùs nouerit: est enim naturæ gaudentis opus, quam quasi alterum orbem, extra orbem ad delicias humani generis constituisse, & tanquam formam quandam ad eximiam pulchritudinem, & vniuersi ornatum egregiè depinxisse videatur. Ea varietate gemmea, & descriptione amœna oculi quocunque inciderint, reficiuntur. Vt incolas taceam, optima corporis habitudine, commodissimis moribus, mitissimis ingenijs, & maximis animis, quorum virtus rebus domique bellique gestis est vniuerso terrarum orbi testatissima.

Insulæ Fortunatæ.
In comment. ad Lycophronem.
1344.

Qui verò vetustissimi, adeóque primæui insulæ huius incolæ fuerint, quæ item Britanniæ nominis originatio, variæ subinde enatæ sunt opiniones, & multos (vt inquit ille) incertos certare hanc rem vidimus. Nec quicquam certi nos hac in re magis sperare possumus, quàm reliquæ gentes quæ (præter eas quibus suas origines asserunt sacræ literæ) perinde ac nos, quod ad originem spectat, in magnis tenebris, erroribus, & inscitia versantur. Nec aliter sane fieri potest, cùm veritas tot labentium seculorum reuolutionibus non poterat non profundè occultari. Primos etenim regionum incolas aliæ curæ cogitationesque anxerunt quàm suas origines ad posteros transmittendi. Quod etiamsi maximè voluissent, minimè poterant cùm eorum vita esset inculta, horrida, bellorum plena, & ideò sine literarum præsidio quæ vitæ ciuilis, pacis, otijque comites, solummodò rerum memoriam conseruare & seræ posteritati transmittere possunt. Præterea, Druidæ qui olim Britannorum & Gallorum Sacerdotes, præterita tenuisse credebantur, Bardique rerum strenuè gestarum decantatores non fas existimarunt quicquam literis librisque mandare. Sin autem quid mandassent, tanto tempore, tot tantisque rerum conuersionibus & euersionibus proculdubio intercidisset, cùm saxa, pyramides, obelisci aliaque monumenta quæ ad memoriam conseruandam ære perenniora videbantur, diuturni temporis iniquitati iam olim cesserint. Subsequentibus tamen seculis apud plures nationes non defuerunt, qui hæc supplere gestierunt, cúmq; verum docere non potuissent, saltem vt delectarent, narrationes iucunda quadam varietate ad voluptatem comparatas, & opiniones pro suo quisque captu de gentium originibus nominibusq; parturierunt. Quibus multi neglecta veri inquisitione statim conniuerunt, pleriq; fingentis dulcedine deliniti pronè crediderunt.

Primi Incolæ. & nominis ratio.

Verum cæteris omissis, inter nos (quem huius suspicionis affinem non dixerim)

Galfredus Ap. Arthur.

Galfredus quidam Arturius Monumethensis, regnante Henrico Secundo Historiam Britannicam, è lingua Britannica, vt ipse ait, ædidit: in qua prodit Brutum quendam origine Troianum filium Siluij, nepotem Ascanij, pronepotem Æneæ illius Magni, cui genus a Ioue summo (Dea enim Venus fuit genetrix) qui matrem partu, patrem forte fortuna inter venandum interemit (quod Magi prædixerant) patriâ profugum Græciam petijsse, ibi progeniem Heleni filij Priami è seruitute vindicasse, Pandrasum Regem debellasse, eius filiam duxisse, cum reliquijs Troianorum se mari commisisse, in Insulam Leogetiam delatum Dianæ oraculo admonitum vt hanc occiduam Insulam adiret; Inde per Herculis columnas vbi Sirenas euasit, & posteà per Tyrrhenum mare, in Aquitaniam peruenisse, Golfarium Pictum Aquitaniæ Regem cum duodecim Galliæ Principibus collatis signis profligasse, vrbeque Turonum, Homero teste, constructa, & Gallia deprædata in hanc insulam à Gigantibus habitatam transmisisse, quibus cum Gogmagog eorum vastissimo deuictis, a suo nomine Britanniæ nomen indidisse anno mundi 2855. ante Olympiadem primam 334. ante Christum natum 1108. Hæc Galfredus. Alij tamen aliunde Britanniæ nomen accersunt. Thomas Eliotta vir equestris dignitatis & singularis eruditionis à Græco fonte Πρυτανεία scilicet, qua dictione suos redditus publicos vocarunt Athenienses repetit. Humfredus Lhuyddus qui in antiquitatis cognitione familiam quodammodo inter nostros ducit, ad Britannicam dictionem Prid-cain, id est, *Forma candida*, confidentiùs refert. Pomponius Lætus Gallo-Britones ex Armorica nomen dedisse prodit: Goropius Becanus Danos hîc sedes quæsiuisse & Bridanium, id est *liberam Daniam*, denominasse contendit. Alij à Prutenia Germaniæ regione. Bodinus à Bretta Hispanorum dictione, quæ terram significaret, nominatam arbitratur: Forcatulus à Brithin, quo, vt est apud Athenæum, pro potu vsi sunt Græci. Alij à Brutiis Italiæ, quos Βρεττίους Græci dixerunt, deducunt. Facessant autem Grammaticastri qui à brutis moribus Britanniam dictam blaterant.

Brutus Anno mundi 2855. ante Christum natum. 1108.

Hæ sunt omnes (quod sciam) quæ de Britanniæ nomine inualuere opinationes. Sed vt in hac re exterorum commenta non possumus non risu excipere, ita nostratium non omnes comprobant. Et faciliùs sane est in hisce & huiusmodi falsa arguere, quàm verum adstruere. Nam præterquam quòd absurdum sit huius nominis rationem ex aliena lingua petere; Lætum conspirans omnium meliorum historicorum consensus refellit, qui docent illos Galliæ Britones hinc demigrâsse & nomen secum detulisse. Britannia item hoc nomine multis seculis floruit, ante Daniæ & Pruteniæ nomina enata. Quid autem Britanniæ cum Hispanorum *Bretta*? quod dubito an sit Hispanicum, & cur magis hæc insula sic dicatur, quàm quæuis alia terra? *Brithin* in vsu nostris fuisse vix doceri possit, & genti nostræ à Græcorum potu nomen facere ridiculum. Brutios verò Italiæ, qui Βρέττιοι dicti erant à Lucanis, teste Strabone, quasi transfugæ, in Britanniam transfugisse nunquam probari poterit. Quod ad nostratium verò coniecturas attinet: Eliottæ Πρυτανεία haud probabile videtur, cùm illud fuerit peculiare Atheniensium vocabulum, & Græci hanc insulam Βρεττανίαν non Πρυτανείαν dixerint. Lhuiddi *Prid-Cain* pro Britannia, tùm altiùs repetita, tùm duriusculè deducta videtur, vt taceam *Cain* illud ex Latinorum *Candido* in prouincialem Britannorum linguam subrepsisse.

Illa autem de Bruto si vera, certa, & explorata essent, non est cur quis vlteriùs studium & operam in Britannorum origine indaganda insumeret. Res confecta est & antiquitatis studiosi labore molesto & operoso liberantur. Quod ad me, historiolam illam ad quam (veritatem testor) suffulciendam omnes ingenij neruulos subinde intendi, conuellere certè consilij non est mei. Illud enim esset Χελώνῃ πολεμεῖν & opinioni iam diu vulgò receptæ obluctari. Egone tantillus de re tanta cognoscere & statuere ausim? Rem integram ad Antiquitatis Senatum refero. Suum cuique liberum esto per me iudicium, quicquid existimârit lector haud equidem in magno ponam discrimine.

Video tamen (quod mihi veritatis indagatori præmonere liceat) homines summo iudicio & præstanti eruditione conari narrationis huius fidem variè eleuare, & in me quoties defendo, huiusmodi argumentis irruere. Primùm ex tempore, Fabulosa esse clamitant

clamitant quæcunque (sacra historia excepta) scribuntur facta fuisse ante Olympiadem primam, annum scilicet ante Christum natum DCCLXX. vti hæc quæ de Bruto traduntur sunt trecentis & ampliùs annis priora. Idque ex Varronis Romanorum doctissimi authoritate qui vti tempus primum ab homine condito ad diluuium ἄδηλον, id est, incertum propter ignorantiam, ita secundum a diluuio ad Olympiadem primam μυθικὸν, id est, fabulosum, nominauit, quia in eo pleraque fabulosa referuntur, etiam apud Græcos & Latinos gentes eruditas; multò magis apud barbaras, & literarum luce destitutas, quales tunc temporis in hoc tractu fuerunt singulæ. Deinde quòd authoritas scriptorum idoneorum quæ ad rerum præteritarum scientiam instar omnium, ad hoc confirmandum omninò deficiat. Idoneos scriptores vocant, quorum vt vetustas & eruditio maior, ita fides potior; quibus omnibus vti ipsis priscis Britannis Bruti nomen planè ignotum fuisse contendunt. Cæsar, inquiunt, ante annos mille sexcentos, ipso testante, *nihil percontationibus reperit, quàm interiorem Britanniæ partem ab ipsis incolis quos natos in insula dixerunt, maritimas partes, ab ijs qui ex Belgio transierunt.* Tacitus ante annos mille quadringentos qui in hæc inquisiuit, scripsit. *Qui mortales Britanniam initio coluerunt, indigenæ an aduecti, vt inter barbaros parum compertum.* Gildas sapiens & ipse Britannus qui ante mille annos vixit de Bruto isto ne verbum quidem, dubitatque an veteres Britanni aliqua monumenta, vel scripta habuerint, quibus ipsorum originem & historiam ad posteros transmitterent, cùm profiteatur se scribere *ex transmarina relatione, non ex scriptis patriæ, scriptorumuè monumentis, quæ vel si qua fuerint, aut ignibus hostium exusta, aut ciuium exulum classe longiùs deportata non compareant.* Ninius etiam Eluodugi discipulus ante octingentos annos Chronicon scripturus conqueritur quòd *Britanniæ doctores nullam peritiam habuerunt, neque vllam commemorationem posuerunt, & fatetur quòd ipse excerpsit quæ scripsit ex Annalibus & ex Chronicis Sanctorum patrum.* His etiam adiungunt Bedam: Guil. Malmesburiensem, & quotquot ante annum M.C.LX. scripserunt, qui Bruti nomen ne nefando audiuisse videantur, adeò altum de eo in ipsorum scriptis silentium.

Censorinus.

Tempus fabulosum.

Hinc adnotârunt Bruti illius nomen non priùs mundo auditum, quàm barbaro seculo, inter densissimas ignorantiæ nubes, Hunibaldus ineptus scriptor Francionem Troianum Priami regis filium Franciæ gentis fuisse conditorem fabulatus esset. Hinc colligunt cùm nostri Francos vicinos à Troianis genus ducere accepissent, deforme existimârunt ab ijs origine superari, quos virtute æquarent. Galfredus itaque ille Arturius Monumethensis Brutum istum dijs genitum, origine etiam Troianum quasi Britannicæ gentis authorem, ante annos quadringentos, Britannis nostris primus, vt isti sentiunt, progenuit. Anteà verò homo planè nemo de Bruto illo, vt aiunt, meminerit.

Addunt prætereà sub id quoque tempus Scoticos Scriptores, Scotam Pharonis Ægyptij filiam suæ nationis conditricem ementitos fuisse. Tunc etiam quosdam ingenio & otio abutentes, vimque veritati afferentes Hibernis suum Hiberum, Danis suum Danum, Brabantijs suum Brabonem, Gothis suum Gothum, Saxonibus suum Saxonem, quasi gentium authores affinxisse. Cùm autem nostra ætate quæ a fatalibus illis ignorantiæ tenebris emersit, Franci suo Francioni tanquam ementito patri renunciauerint; *Quod Franci*, inquit literatissimus Turnebus; *se stirpe Troianorum satos prædicant, id æmulatione Romanorum faciunt, quos cum eo stemmate, & ea nobilitate insolescere viderint, idem decus sibi voluerunt arrogare*; Cumque Scoti sanioris iudicij suam Scotam reiecerint, Hiberum etiam, Danum, Brabonem, & eius farinæ cæteros vmbratiles heroas veritas ipsa fugauerit: cur Britanni suo Bruto vt insulæ denominatori, & Troianæ origini tantoperè adhærescant, demirantur, quasi ante Troianum excidium quod anno à Diluuio plus minùs millesimo accidit, Britanni hîc non fuissent, & ante Agamemnona multi fortes non vixissent.

Adhæc asserunt plurimos è Senatu literatorum, videlicet Boccatium, Viuem, Hadr. Iunium, Polydorum, Buchananum, Vignierum, Genebrardum, Molinæum, Bodinum, & alios magno iudicio viros coniunctis sententijs hunc Brutum in rerum natura extitisse negare, ex nostratibus etiam quamplurimos eruditos, vt suppositicium non agnoscere. Inter quos primùm producunt Ioannem de *Wheathamsted*, Abbatem S. Albani Floruit 1440.

virum

virum summo iudicio, qui olim hac de re in suo Granario sic scripsit. *Iuxta historias alias quibus quorundam iudicio, maior adhibenda est fides, totus processus de Bruto isto poeticus est, potiùs quam historicus, opinatiuusque magis propter causas varias, quàm realis, tum primo quia nec de interfectione patris, nec de generatione, aut de abdicatione prolis fit alicubi mentio in historijs apud Romanos: tùm secundò, quia Ascanius iuxta varios, nullum talem filium genuit, qui Siluius proprio nomine dictus erat. Solum enim secundum illos filium genuit vnicum, videlicet Iulum, à quo posteriùs familia Iulia sumpsit suum ortum, &c. Tertiòque Siluius Posthumus de quo forsan intelligit Galfredus, Aeneæ ex vxore Lauinia filius fuerat, filiúmque Aeneam generans in anno sui regiminis* 38. *morte naturali vitæ stadium consummabat. Non igitur vt volunt varij, ex Bruto filio Siluij regnum quod iam vocatur Anglia, dudum dicta erat Britannia. Est igitur secundum illos, opus vanitatis, & satis plenum ridiculi vendicare dignitatem sanguinis, & carere vendicationis probabili fundamento. Sola enim virtus facit gentem nobilem, solúsque est animus, & ratio perfecta quæ reddunt hominem generosum. Quare è Platone scribit Seneca in suis Epistolis: Neminem regem non ex seruis oriundum, neminem non seruum ex regibus. Sufficiat igitur Britannis pro nobilitatis suæ origine, quod sint fortes, & potentes in prælijs, quódque vndique debellent aduersarios, nullumque penitus patiantur iugum seruitutis.* Secundo loco collocant Guilielmum Newbrigensem multò antiquiorem qui Galfredum Britannicæ historiæ scriptorem simul atque prodierit, asperiùs hisce verbis falsitatis coarguit. *Quidam nostris temporibus scriptor emersit ridicula de Britannis figmenta contexens, eosque longe suprà virtutem Macedonum & Romanorum impudenti vanitate attollens. Galfredus hic dictus est agnomen habens Arturij: pro eo quòd fabulas de Arturo ex priscis Britonum figmentis sumptas, & ex proprio auctas per superductum Latini sermonis colorem honesto historiæ nomine palliauit. Qui etiam maiori ausu cuiusdam Merlini diuinationes fallacissimas, quibus vtique de proprio plurimum adiecit dum eas in Latinum transfunderet, tanquam autenticas, & immobili veritate subnixas prophetias vulgauit.* Et paulò pòst, *Præterea in libro suo quem Britonum historiam vocat, quam petulanter & impudenter fere omnia mentiatur, nemo nisi veterum historiarum ignarus cum in librum illum incidit ambigere sinitur. Nam qui rerum veritatem non didicit, fabularum vanitatem indiscretè admittit. Omitto quanta de gestis Britonum ante Iulij Cæsaris imperium & aduentum homo ille confinxerit, vel ab alijs conficta tanquam autentica scripserit.* Vsque adeò vt Giraldus Cambrensis qui eadem ætate vixit & scripsit, *Fabulosam Galfredi historiam* vocare non dubitauerit. Alij Galfredi huius ineptam Topographiam in hac narratione & Homerum falsò testem adhibitum rident, totamque ex absonis & absurdis consarcinatam persuadere volunt. Notant insuper illius scripta ab Ecclesia Romana, vnà cum ipsius Merlino inter prohibitos libros interdici. Alij obseruant quomodo isti qui Brutum maximè admirantur, de suo Bruto æstuant, & fluctuant. Ille, inquiunt, qui Gildæ nomen, & personam induit, & glossulas Ninio assuit primùm Brutum hunc fuisse Consulem Romanum, inde Siluij, & demum Hessicionis cuiusdam filium comminiscitur. Nec deest (vt audiui) Comes quidam Palatinus qui hunc nostrum Brutum Brotum appellandum contendit, quia scilicet matri partu mortifer erat, quasi βροτὸς idem Græcè sonet. Aliorum iudicio magis probabilem, & minùs humilem Britannorum originem reliquissent, si vel à Britone Centauro, cuius meminit Higinus, genus ementiti fuissent; vel a Bretano illo, ex cuius filia Celtice, Parthenius Nicæus author in primis antiquus Herculem Celtum Celtarum patrem suscepisse prodit, & à quo Britanniam deducit Hesichius.

Epistola 44.

Descript. Cambriæ c. 7.

Bretanus.

Ex his aliorum obseruationibus & sententijs quas retuli, nemo mihi ingenuo veritatis cultori litem intendat, quòd ego illam de Bruto historiam impugnauerim, quandoquidem cuique, vt spero, & sentire quæ velit, & referre quæ alij senserint, in huiusmodi rebus semper licuerit. Quod ad me, habeatur Brutus gentis Britannicæ pater & fundator, mihi contrà non videbitur, stet Britannis sua a Troianis origo (in quam se verè inserere possunt, vt posteà docebo) non contrà ibo. Haud me latet vetustioribus seculis gentes originem suam ad Herculem, posterioribus ad Troianos retulisse. Detur hæc venia Antiquitati vt miscendo vera falsis, humana diuinis primordia gentium & vrbium splendidiora & augustiora faciat, cùm vt habet Plinius, *vel mentiri clarorum imagines sit aliquis virtutum amor*. Ego cum Varrone Romanorum doctissimo huiusmodi a Dijs repetitas

Liuius.

petitas origines *vtiles eſſe lubens agnoſco, vt viri fortes, etiamſi falſum ſit, ſe ex Dijs genitos eſſe credant, vt eo modo animus humanus veluti diuinæ ſtirpis fiduciam gerens res magnas aggrediendas præſumat audaciùs, agat vehementiùs, & ob hæc impleat ipſa ſecuritate fœliciùs.* Ex quibus tamen verbis colligit B. Auguſtinus doctiſſimum illum Varronem hæc falſa eſſe quamuis nec audenter, nec fidentèr, penè tamen confiteri.

Auguſtinus de Ciuitate Dei. lib. 3. cap 4.

Quandoquidem igitur de nominis Britanniæ notione & primis incolis non ſit vna eademque omnium ſententia, & malè metuo haud quiſquam veritatem tot ſeculorum anfractibus tam profundè demerſam eruat: ignoſcat etiam mihi inter alios candida lectoris humanitas, ſi ego modeſtè ſine cuiuſpiam præiudicio coniecturam etiam interponam meam, non altercandi animo (procul abſit) ſed veritatis indagandæ ſtudio quod me totum occupauit; eoque perduxit, vt malim hac in re culpam (ſi qua ſit) deprecari, quam omninò culpa vacare. Vt tamen facilius & fœliciùs nominis ratio, ſi fieri poſſit, elucеſcat, primùm qui fuerint primi inſulæ incolæ quoad potero inueſtigare conabor. Quanquam illi in vltimo Antiquitatis receſſu tanquam in ſylua pluſquam denſiſſima vbi nullæ ſemitæ, ita deliteſcunt, vt ſpes ſit nulla vel perquàm exigua, noſtram ſedulitatem poſſe retrahere, quæ a maioribus tanto tempore ſubduxit obliuio.

Vt verò altiùs rem repetamus, & Cæſarem cum Diodoro & alijs omittamus, qui Britannos Αὐτόχθονας, & Aborigines, id eſt, non aliundè aduectos fuiſſe voluerunt, hominéſque blittarum, & fungorum inſtar è terra in principio germinaſſe ſuſpicati ſunt; Ex ſacra Moſis hiſtoria docemur, à diluuio tres Noè filios, Sem, Cham, & Iaphet numeroſiore prole adauctos, ab Armeniæ montibus, vbi arcâ hæſerat, in diuerſos terræ cardines ſeceſſiſſe, & per orbis vaſtitatem gentes propagaſſe. Ad noſtram etiam inſulam, diſſeminatis paulatim familijs, ex eorum poſteris quoſdam perueniſſe cùm ipſa ratio, tùm Theophili Antiocheni autoritas comprobat. *Cùm*, inquit ille, *priſcis temporibus pauci forent homines in Arabia & Chaldæa, poſt linguarum diuiſionem aucti & multiplicati paulatim ſunt: hinc quidam abierunt verſus Orientem, quidam conceſſere ad partes maioris continentis, alij porro profecti ſunt ad Septentrionem ſedes quæſituri, nec priùs deſierant terram vbique occupare, quam etiam ad Britannias in Arctois climatibus acceſſerint.* Nec minùs disertè hoc docet ipſe Moſes, cùm ſcribat à Iapheti poſteris inſulas gentium in regionibus ſuis diuiſas fuiſſe. Inſulæ gentium Theologis vocantur, quæ ſunt remotiſſimæ, & Wolphgangus Muſculus non infimi ordinis Theologus exiſtimat gentes & familias, quæ à Iapheto profluxerunt, primùm occupâſſe inſulas Europæ, quales ſunt, inquit ille, Anglia, Sicilia, &c. Iapheto autem huic & eius proli Europam ceſſiſſe præter Theologos, etiam Ioſephus alijque meminerunt. Iſidorus enim ex antiquo ſcriptore, *Gentes de ſtirpe Iaphet, quæ a Tauro monte ad aquilonem mediam partem Aſiæ, & omnem Europam vſque ad Oceanum Britannicum poſſident, nomina & locis, & gentibus relinquentes, de quibus poſteà immutata ſunt plurima, cætera permanent vt fuerunt.* In Europæis etiam illam Noe benedictionem *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſeruus eius*, adimpletam vidimus. Europa enim victoris omnium gentium populi, vt inquit Plinius, altrix, de reliquis orbis partibus, quæ Semo & Chamo obtigerunt, non ſemel triumphauit, & Iapheti proſapia in hac parte longè latéque ſe diffudit. Eius etenim filij *Magog* Maſſagetas, *Iauan* Iones, *Thubal* Hiſpanos, *Meſech* Moſchos procreauit. *Gomerus* verò filius natu maximus *Gomeris*, qui poſteà *Cimbri* & *Cimerij* dicti, in his vltimis Europæ finibus & originem dedit, & nomen impoſuit. *Cimbrorum* enim ſiue *Cimeriorum* nomen hanc orbis partem quodammodo oppleuit, nec ſolùm in Germaniâ, ſed etiam in Galliâ latiſſimè patuit. *Qui nunc ſunt Galli*, vt habet Ioſephus, & Zonaras, *Gomari, Gomeræi, & Gomeritæ à Gomero vocabantur.* Ab his Galliæ *Gomaris*, ſiue *Gomeris* Britannos noſtros originem deduxiſſe, & nomen in originis argumentum detuliſſe ſemper exiſtimaui; ipſúmque proprium, & peculiare Britannorum nomen idem perſuaſit. Ipſi enim ſe *Kumero*, *Cymro*, & *Kumeri*, mulierem Britannicam *Kumeraes*, & linguam *Kumeraeg* appellitant. Nec alia agnoſcunt illi nomina, licèt ex his ſcioli quidam *Cambros*, & *Cambriam* ſuperiori ſeculo procuderint. Immò Grammaticus ille quem in ſuis Catalectis Virgilius perſtringit & Thucididem Britannum vocat, Quintilianus Cimbrum fuiſſe dicit. Et vnde quæſo hæc nomina profluxiſſe

Orig. li. 9. c. 2.

Geneſ. 9.

Gomeri, Cimerij, Cumeri, &c.

Lib. 8. cap 5.

fluxisse existimemus, quàm à Gomero illo, & *Gomeris* in proxima Gallia? quæ priscorum Gomerorum sedes. Germanos ab Aschenaz, Turcas à Togorma Gomeri filijs prognatos credunt eruditi, quòd hi *Togormath*, illi *Aschenas* hodie Iudæis vocentur. *Thraces, Iones, Riphæos, Moschos, &c.* à Thirax, Iauan, Riphat, & Moschi oriundos nemo inficiatur, propterea quòd nomina non discrepent: *AEthiopas* item à Chus, *AEgyptios* à Misraim Chami filijs proseminatos fuisse, quòd ijsdem nominibus, sua ipsorum linguâ dicantur, nemo non fatetur. Cur ergo non fateamur Britannos, siue Cumeros nostros ipsissimos esse Gomeri posteros, & a Gomero nominatos? Nomen enim optimè consonat, & in confesso est illos extremos Europæ fines insedisse. Quod etiam ipsum Gomeri nomen non temerè, sed diuinitùs datum innuit. *Gomer* etenim lingua sancta *Finiens* interpretatur. Nec quis detrahendi studio nostris Cumeris, siue Cimbris obijciat quòd Cimbros linguâ Gallicâ latrones dici Sextus Pompeius scripserit. Licèt enim Cimbri, inter quos, etiam nostros Cumeros fuisse probabile est, in illa ἡρωικῇ mundi ætate, qua fortitudo bellica excelluit, ab his Europæ finibus errabundi, vt author est Possidonius, ad Paludem vsque Mœotidem latrocinando militiam agitârint: non tamen *Cimber*, magis latronem significat, quàm Ægyptius superstitiosum, Chaldæus Astrologum, & Sibarita delicatulum. Sed quia tales fuerunt illæ nationes, de earum nomine, qui tales sunt vocantur: & in hoc iuxta mecum sentit eruditionis lumen Iosephus Scaliger. Nec quis miretur quòd Berosum hîc in partem non vocem, vnde tantum instrumenti scriptores hodie habent. Certè (vt semel dicam) acies authoritatis Berosi illius qui circumfertur, ita apud me hebescit, vt nihil aliud, quàm tenebrionis, & impostoris alicuius ridiculum commentum, cum eruditissimis nostri seculi hominibus Volaterrano, Viue, Anthonio Augustino, Melchiore Cano, & in primis cum Gaspare Varrerio existimem. Qui in sua de Beroso Censura Romæ impressa, insitum illum de hoc scriptore errorem facilè ex lectorum animis euellere potest.

Phil. Melanct.

Ad Sextum Pompeium.
Berosus.
Censura de Boroso.

Hæc mea est de Britannorum ortu opinio, siue potiùs coniectura: in rebus enim tam antiquis coniecturis facilius est persequi, quàm certa ratione in alteram partem pronuntiare. Atque hic ortus à Gomero, & è Gallia, quàm à Bruto, & Troia grauior, antiquior, & verior videtur. Imò ad veritatem propendere, nostrósque Britannos veram esse Gallorum propaginem, è nomine, situ, religione, moribus, & lingua comprobare posse videor, quibus omnibus antiquissimi Galli, & Britanni quasi communione quadam coniuncti fuerunt. Hoc vt faciam, liceat mihi quæso, cum bona lectoris gratia liberiùs paulisper exspatiari.

Nomen.

De nomine verò, cùm superiùs dictum sit, hoc solummodò repetam, quòd, vt prisci Galli *Gomeræ*, *Gomeritæ*, & contractè *Cimbri*, sic etiam Britanni nostri *Cumeri*, & *Kimbri* dicuntur. Gallos autem Gomeros dictos fuisse Iosephus & Zonaras, vt dixi, comprobant, Cimbros etiam appellatos fuisse è Cicerone & Appiano colligi possit; Barbaros quos Marius oppressit, Cicero planè Gallos vocat; *C. Marius*, inquit, *influentes in Italiam Gallorum copias repressit*. At historici omnes Cimbros fuisse contestantur, loricáque BELEI regis illorum ad Aquas Sextias, vbi Marius illos fudit, effossa hoc docuit, peregrinis enim literis inscripta erat BELEOS CIMBROS. Qui Delphos item Græciæ, duce Brenno diripuerunt, Gallos fuisse vna voce & mente scriptores consentiunt omnes; hos tamen Cimbros vocatos fuisse testatur in Illyricis Appianus. *Celtæ, siue Galli*, inquit, *quos Cimbros vocant*. Neque hîc in partem vocabo Lucanum, qui percussorem ad Marij cædem immissum *Cimbrum* vocat, quem Liuius & alij *Gallum* fuisse asserunt, nec Plutarchum qui Cimbros *Galloscythas* appellat, nec Reinerum Reineccium historicum eximium adducam, qui ex Plutarchi Sertorio Gallos & Cimbros eadem lingua vsos fuisse constanter affirmat. Nec vnicum illud quod superest apud authores Cimbrorum vocabulum vrgebo & e Philemone protulit Plinius. *Morimarusa*, id est, *Mare mortuum*, licèt merè sit Britannicum. *Mor* enim Britannis *Mare*, & *Marw* mortuum significat.

De Proconsul.

Forcatulus ex Gal. annal. 1235.

Morimarusa.

Situs.

Cùm igitur antiquissimo nomine hæ gentes conuenerint, vnde hoc nomen in hanc insulam enauigauit, nisi cum primis incolis è vicinâ Galliâ exiguo diuortio separatâ? Non enim simul, & semel orbis cultus, sed regiones, quæ Armeniæ montibus (vbi arca post diluuium requieuit, & vnde genus humanum propagatum) propiores sunt, priùs habita-

tas

tas fuisse fatendum est; vtpote Asiam minorem, & Græciam priùs quàm Italiam, Italiam quàm Galliam, & Galliam quàm Britanniam. Quâ in re suauissima est consideratio summum conditorem ita regiones coniunxisse, & insulas sparsisse, vt inter nullas tantum interiectum sit interuallum, quin, quæ maximè dista t è vicina aliqua conspici possit, & quasi oculis signari. Nec alio consilio hoc factum, nisi vt gentes cùm exundarent, cernerent, quò se exonerent; donec orbis terrarum vniuersitas incolis vbiq; ad conditoris gloriam compleretur. Par igitur est vt credamus *Gomeros* antiquos, vel ab alijs insequentibus protrusos, vel multitudinis minuendæ causa eiectos, vel vlteriora visendi innato mortalibus studio incensos in hanc insulam sibi proximam quam è continente despicere poterant, primùm transmisisse. Ratio etiam dictat vnamquamque regionem primos incolas potiùs è vicinis, quàm disiunctissimis locis accepisse. Quis non existimet Cyprum è proxima Asia, Cretam & Siciliam ex vicina Græcia, Corsicam, ex vicina Italia, & ne longiùs abeam Zelandiam è proxima Germania, Islandiam è Norwegia primos incolas potiùs habuisse, quàm à remotis Tartariæ vel Mauritaniæ tractibus? Itidem cur non existimemus Britanniam nostram potiùs à vicinis Gallis, quàm vel à Troianis, Italis, Albanis, & Brutijs tanto interuallo semotis, primò fuisse occupatam? Nec aliunde quàm è vicina Gallia Britannorum incunabula accersunt scriptores. *Britanniæ pars interior*, inquit Cæsar, *ab ijs incolitur, quos natos in insula ipsi memoriæ proditum dicunt, maritima pars ab ijs qui belli inferendi causa ex Belgio Galliæ transierant, qui omnes ferè ex nominibus ciuitatum appellantur, quibus orti ex ciuitatibus eò peruenerunt, & bello illato ibi remanserunt.*. Fuerunt enim in Britannia sicut & in Gallia Belgæ, Atrebatij, Parisi, Cenomanni, &c. Tacitus item, *In vniuersum* (inquit) *æstimanti Gallos vicinum Britanniæ solum occupasse credibile est*. Beda etiam inter omnes nostros scriptores veritatis amicus, *Inprimis*, inquit, *hæc insula Britones solùm, à quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de tractu Armoricano, vt fertur, Britanniam aduecti, australes sibi partes illius vendicârunt.* Armoricanum tractum vocat ille maritimas Galliæ regiones insulæ nostræ oppositas. In rem etiam præsentem facere videtur, quòd Cæsar memorat suo tempore Diuitiacum Gallum, cùm magnam partem Galliæ, tùm etiam Britanniæ imperium obtinuisse; & quòd maximum est inter maritimos Galliæ populos ex opposito Britanniæ iuxta Bononiensem Comitatum * *Britannos* numerauit Plinius, quique illo antiquior Dionysius Afer his versibus,

Erasmus Michaelus de re nautica.

Britanni in Galli.

* Britanni tamen in nonnullis Plinij exemplaribus.

Τῆς ἤτοι πυμάτην μὲν ὑπὸ γλωχῖνα νέμονται
Ἀγχοῦ στηλάων μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων,
Μῆκος ἐπ' ἠπείροιο τετραμμένον, ἧχι βορείου
Ὠκεανοῦ ψυχρὸς κέχυται ῥόος, ἔνθα Βρεταννοὶ
Λευκά τε φῦλα νέμονται ἀρειμανίων Γερμανῶν.

Ad verbum.

** Huius videlicet extremum quidem sub angulum degunt*
Prope columnas magnanimorum gens Iberûm,
Secundum longitudinem ad continentem versa, vbi Septentrionalis
Oceani frigidus fusus est fluxus: vbi Britanni
Candidæq; gentes habitant Martiorum Germanorum.

* Europæ.

Illud enim ἔνθα Βρεταννοὶ respicere videtur μῆκος ἐπ' ἠπείροιο, & de Britannis in Gallia intelligit qui in hunc Commentarios ædidit Eustathius, Τῶν δὲ Βρετάννων τούτων παρώνυμοι αἱ ἀντιπέραν Βρεττανίδες νῆσοι inquit. Contrà tamen sentiunt Auienus, & in suis vrbibus Stephanus.

Eadem etiam religio vtrique genti colebatur. *Apud Britannos*, inquit Tacitus, *Gallorum sacra deprehendas superstitionum persuasione. Galli detestabili sacrorum ritu*, inquit Solinus, *non ad honorem, sed potius iniuriam religionis, humanis litabant sacris.* Idem Britannos fecisse præter alios, author est in Nerone Dio Cassius. Vtramque etiam gentem suos Druidas habuisse Cæsar & Tacitus authores sunt locupletissimi. De quibus integrum è Cęsare locum percurrere ne pigeat: Druidę *rebus diuinis intersunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit, magnoq; ij sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisq; constituunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est, ijdem discernunt, præmia pœnasq; constituunt. Si quis aut priuatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificijs interdicunt. Hæc pœna apud eos est grauissima.*

Religio.

Druidæ.

nissima. Quibus ita est interdictum ij numero impiorum & sceleratorum habentur, ab ijs omnes decedunt, aditum eorum sermonemque diffugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: Neque ijs petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. His autem omnibus Druidibus praeest vnus qui summam inter eos habet authoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit: at si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur. Nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes vndique qui controuersias habent, conueniunt, eorumque iudicijs decretisque parent.

Druidum disciplina in Britannia reperta

Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur: & nunc qui diligentiùs eam rem cognoscere volunt, plerumque illò discendi causa proficiscuntur. Druides à bello abesse consueuerunt, neque tributa vnà cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis exciti præmijs, & sua sponte multi in disciplinam conueniunt, & à propinquis, parentibusque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque nonnullos annos in disciplina permanent, neque fas esse existimant, ea literis mandare, cùm in rebus ferè reliquis publicis priuatisque rationibus Græcis literis vtantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quòd neq; in vulgus disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt, literis confisos, minùs memoriæ studere: quod ferè plerisque accidit vt præsidio literarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Inprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab alijs post mortem transire ad alios, atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa prætereà de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, & iuuentuti tradunt.

Vnde eos sic affatur Lucanus.

Et vos barbaricos ritus, moremque siuistrum
Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.
Solis nosse deos, & cœli sydera vobis,
Aut solis nescire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis, vobis autoribus, vmbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt, regit idem spiritus artus,
Orbe alio longæ, canitis si cognita, vitæ
Mors media est. certè populi, quos despicit Arctos
Fælices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud vrget lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis: & ignauum est reditura parcere vitæ.

Quocunque nomine hi suis Celtis, & Britannis innotuerint, hoc Druidum nomen à Græco fonte scilicet δρῦς, i. *Robur, siue Quercus*, profluxisse videtur, non solùm quòd visco è robore nihil illis fuerit sacratius, vnde Ouidus,

Robur etiam Britannicè Derw.

At viscum Druidæ, Druidæ clamare solebant,

vtique qui roborum lucos incolerent, nec vlla sacra sine ea fronde conficerent. Sed hoc Plinius suis verbis fusiùs explicabit. *Nihil habent Druidæ, ita Galli suos appellant magos, visco, & arbore qua gignatur (si modò sit robur) sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos, nec vlla sacra sine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri. Enimuerò quicquid adnascatur illis è cælo missum putant, signumq; esse electæ ab ipso Deo arboris: Est autem id rarum admodum inuentu, & repertum magna religione petitur, & ante omnia sexta luna, quæ principia mensium annorumque his facit, & seculi post tricesimum annum, quia iam virium abundè habeat, nec sit sui dimidia, omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificio epulisque ritè sub arbore præparatis duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tum primùm vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit. Candido id excipitur sago. Tunc demum victimas immolant, precantes vt suum donum deus prosperum faciat his quibus dederint. Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animali sterili arbitrantur, contraque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerumque religio est.*

Lib. 16. Cap. 44.

Huc etiam accedit, quòd Diodorus Siculus hos Gallorum sacerdotes eodem sensu

Σαρωνίδας

Σαρωνίδας vocârit, quod vocabulum quercus, siue robora sonare sciunt omnes, qui Græcè sciunt. Maximusque Tyrius prodat *Celtas, i. Gallos, Iouem colere, cuius signum altissima quercus*. Cæterùm ab his Druidibus videatur, quòd Saxones nostri, vt apud Alfricum legimus, Magum Drý sua lingua vocarint. De his si plura velis, Melam, Lactantium, Eusebium de Præparatione Euangelica, & Pseudo-Plauti Aulularium accedas. *Saronida.* *Dry.*

Bardos item inter suos religiosos habuerunt Galli, qui fortia virorum illustrium facta versibus composita lyræ modulis cantitârunt. Vnde ad eos idem ipse Lucanus. *Bardi.*

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas,
Laudibus in longum vates dimittitis æuum,
Plurima securi fudistis Carmina Bardi.

Eosdem etiam eodem nomine, etiamnum Britanni nostri habent, *Bard* enim indigitant, qui præterquam quòd eo munere funguntur, etiam pertexendis Genealogijs operam inprimis studiosè nauant. An verò Britanni, vt Galli, se à Dite patre prognatos crediderint proditum non est. Quòd eam ob causam, spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finierint Galli, vt noctem dies subsequatur: idem planè obseruârint nost ri Britanni. Quod enim Latini septimanam, & duas septimanas, dicunt; illi *Withnos*, id est, octo noctes, & *Pymthec-nos*, i. quindecim noctes appellant.

Reipub. formam etiam eandem vtraque gens sibi descripsisse videtur. Non enim vnius imperio regebantur, sed vt Gallia, sic quoque Britannia plures reges habuit. Vtque Galli in rebus difficilioribus publicum gentis concilium egerunt, & vnum imperatorem designârunt: idem Britannos præstitisse ex his Cæsaris verbis elici possit, *Summa imperij belliq; administrandi commum consilio permissa est* * *Cassiuellauno*. *Respublica.* * *Cassibelinus.*

Nec dissimiles moribus, & institutis hæ gentes fuerant, nam, vt taceam vtranque gentem bellicosissimam fuisse, cædis auidissimam, ad conserenda prælia, deposcendáque pericula eadem audacia, vti ex Strabone, Tacito, Dione, Herodiano, & alijs constat. *Moribus*, inquit Strabo, *partim Gallis similes sunt Britanni*; & statim subiungit, *instar Gallorum quorundam in bellis gerendis sunt vt plurimùm immanes*. Tacitúsque cum eo, *Britanni, qui à Romanis non deuicti manent quales Galli fuerunt*. Et alio loco, *Proximi Gallis, & similes sunt Britanni*. *Mores.*

Britannos dimicâsse Gallicè armatos prodit Mela.

Ad bella essedorum multitudine vtuntur Britanni, *vt quidam Gallorum*, scribit Strabo.

In more fuit vtrique genti, in bello ita aciem per nationes struere, vt discreta virtus clariùs elucesceret. Hoc Gallos fecisse his verbis testatur Cæsar, *Galli distributi in ciuitates vada obtinebant*. Quod de Britannis sic confirmat Tacitus in prælio Caratаci, *Catervа nationum pro munimentis constiterant*.

Galli, inquit Strabo, *ingenio docili, & ad doctrinam prompto fuere*, nec minùs Britanni, quorum ingenia studijs Gallorum anteferebat apud Tacitum Agricola, *vt qui modò linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent*.

Mente candida & simplici fuisse Gallos tradit Strabo, quod Tacitus de Britannis innuere videtur, cùm scribat illos delectum, tributa, & iniuncta imperij munera impigrè obire, si iniuriæ absint.

Mobilitate & animi leuitate nouis imperijs studuisse Gallos refert Cæsar; Britanni similiter factionibus, & studijs trahebantur, inquit Tacitus.

Ex hac Gallorum mobilitate, quam infirmitatem honestiùs Cæsar vocat, credulitas tanta in eorum animos irrepsit, vt Gallica credulitas in prouerbium cesserit, & Poëta cecinerit:

Et tumidus Galla credulitate fruar.

Necdum in ea Britanni nostri degenerârunt, qui vel Milesijs fabulis auidam aurem admouent, & ineptissimis vaticinijs superstitiosa vel spe, vel sollicitudine statim credunt.

Gallos propinquis, quos violatos viderint maximè indoluisse legitur apud Strabonem. Eandem sympathiam nostris Britannis præ cæteris gentibus inesse, notius est quàm dici possit, & vulgò cantitatum.

Galli, vt est apud Cæsarem, *vti quisque genere, copijsque amplissimis, ita plurimos circum se Ambactos, i. seruos & clientes habuerunt: hanc vnam gratiam, potentiámque nouerunt*. Nec aliam hodiè nobiles nostri Britanni gratiam nouerunt, à quibus, vt existimatur, *Ambacti.*

matur, Angli tanta affectantium famulorum agmina secum trahere didicerunt; qua in re Europæis omnibus longè nuper antecelluerunt.

Britannorum ædificia Gallicis fuisse consimilia, & syluis circundata docet cum Cæsare Strabo.

Galli, vt testis est Strabo, aureos torques collo gesserunt, & Bunduica Britanna (inquit Xiphilinus) *aureum torquem tulit, induta tunicâ varijs coloribus distincta.* Nec alibi hodiè illud ornamentum magis est in vsu, quàm in hac insula, & apud nostros Britannos.

Britannos & Gallos in medio digito vsos fuisse annulo author est Plinius.

Gallos comas aluisse, memorat idem Strabo, & Britannos promisso fuisse capillo testatur Cæsar.

Bracha. Apud plures extat authores Gallos vestimentis quibusdam vsos fuisse, quæ Brachas patrio sermone dixerunt: hæc & nostris Britannis communia fuisse docet Martialis versiculus, *Quàm veteres Bracha Britonis pauperis.*

Omitto quod de Gallis scribit Silius Italicus,

Quin etiam ingenio fluxi, sed prima feroces,
Vaniloquum Celta genus, ac mutabile mentis.

Quia hæc plurimis gentibus sunt communia. Alia attexerem quibus hæ gentes inter se conuenerunt, sed malè metuo ne in calumniam à maleuolis raperentur. Illúdque mihi perplacet, *Omnia modicè & intra modum*; & infirmius forsitan videatur, quod hinc ducitur argumentum.

Lingua. Nunc ad linguam ventum est, in qua maximum est huius disputationis firmamentum, & certissimum originis gentium argumentum. Qui enim linguæ societate coniuncti sunt, originis etiam communione fuisse coniunctos homo opinor nemo inficiabitur. Quòd si omnes omnium historiæ intercidissent, & nemo literis prodidisset nos Anglos è Germanis, genuinos Scotos ex Hibernis, Britones Armoricanos à nostris Britannis prognatos fuisse: ipsarum linguarum communitas hoc facilè euinceret, imò faciliùs, quàm vel grauissimorum historicorum authoritas. Si igitur priscos Gallos, & nostros Britannos eadem vsos fuisse linguâ docuero, eiusdem etiam originis fuisse, vt fateamur, ipsa vis veritatis extorquebit. Nec moror quòd ipsos Gallos lingua discretos scripserit Cæsar, Dialecto tantúm discrepasse docet Strabo. *Eadem*, inquit, *non vsquequaque lingua omnes, sed paululùm variata.* Cæterùm veterum Gallorum linguam eandem cum Britannica fuisse (nisi fortè Dialecti varietate) docet ipse Cæsar, qui scribit moris fuisse, vt Galli qui Druidum disciplinam diligentiùs cognoscere vellent, in Britanniam ad nostros Druidas proficiscerentur. Cùm autem illi libris nullis vterentur, consentaneum est eos eodem, quo Galli, vsos fuisse in docendo sermone. Quod Cornelius Tacitus disertiùs affirmat. *Britannorum*, inquit ille, *& Gallorum sermo haud multùm diuersus.* Vnde in hanc opinionem concesserunt Beatus Rhenanus, Gesnerus, Hottomannus, Petrus Daniel, Picardus, & omnes qui venerandæ antiquitati litârunt, præter pauculos qui Gallos Germanicè loquutos volunt, & contendunt. Sed ne quis hac in re nobis puluerem ob oculos spargat, ex authoribus quæ possumus, veterum Gallorum verba, tanquam tabulas è naufragio (cùm ea lingua obliuionis fluctibus iam submergatur) colligamus, & conferamus. Plurima enim non ægrè, & violenter, sed facillimè, & nullâ ferè conuersione, cum nostris Britannicis & sono & sensu consonare videbimus.

Vsi sumus in his dictionibus Britannico Glossario Guil. Salisburij, & alio veteri M.S.

Dinona. *Dinona* Deorum fontem Gallica lingua significâsse author est Ausonius in illo versu, de fonte apud Burdigalam;

Diuona Celtarum lingua fons addite Diuis.

Deum verò *Dyw* & fontem *Vonan* vocant Britanni nostri, ex quibus coalescit *Diuonan*, & Latinâ analogiâ metri gratia *Diuona.*

Taranis. Iouem, qui à tonitru Græcis Βρονταῖος, & Latinis Tonans, sub *Taranis* nomine Gallis cultum fuisse non pauci scriptores memorârunt. *Taran* autem Britannis tonitru denotat, qua etiam significatione Germani Iouem *Thonder* dixisse videntur. Diem enim Iouis *Thonderdach*, i. Tonantis diem vocant.

Hesus. Deum alium habuerunt Galli *Hesum* Lucano, *Heum* Lactantio dictum, Anubim latrantem author Queroli vocauit, quòd caninâ formâ pingeretur, & *Huad* canem Britannis nostris significat.

Mercurium

Mercurium sub *Teutatis* nomine Gallos vt artium inuentorem, & itinerum ducem coluisse certissimum est, & *Diw Taith*, itineris Deum Britannicè sonat. Quodq; Mercurius Platoni in Phædro & Philebo *Theut* appellatur, non me latet. Scio tamen esse qui Teutatem eundem esse qui Tacito Germanorum Tuisco, Martemq; volunt, & nos Germanorum sobolem diem Martis inde *Tuesday* nominare. De his tribus Gallorum Dijs, tres habe, si placet, Lucani versiculos. *Teutates.* *Tewsday.* *Lib. 1.*

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensq; feris altaribus Hesus,
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Dæmonas incubos à Gallis *Dusios* nuncupatos fuisse quia assiduè immunditiam illam peragant, authores sunt Diuus Augustinus, & Isidorus: quod verò assiduum & diurnum *Dyth* Britannis etiamnum dicitur. *Dusij.*

Scribit Pomponius Mela. Antistites cuiusdam Gallici numinis perpetua virginitate sanctas Galli *Senas* vocant. *Lenas*, ego si ausim, legere malim. Virgines enim sacras, quas Moniales, & sanctimoniales nunc dicunt, Britanni (vt est in antiqno Glossario) *Leanes* vocârunt, vnde vetustissimum inter Britannos Monialium monasterium *Lean-minister*, nunc *Lemster* dictum nomen traxit. *Lenæ.*

Galli, inquit Polybius, milites conductitios *Gassatas* sua linguâ nominârunt: seruos verò conductitios *Guessin* Britanni nunc appellant. *Gassatæ.*

Viri fortes, scribit Seruius, Gallis *Gessi* nominabantur, & *Guassdewr* idem Britannis sonat, quod Latinis *vir fortis & strenuus.* *Gessi.*

Huc etiam referri potest *Gesum* quod proprium fuit telum Gallorum, vt pilum Romanorum, & framea Germanorum. Sed de hoc statim. *Gessum.*

Vt Phalanx Macedonum, sic *Caterua* propriè Gallorum legio erat, vti videre est apud Vegetium. Nec hoc Britannis exoleuit, qui turmam *Caturfa*, & bellum *Kad*, & belli robur quod in legione positum *Kaderne* vocitant, & *Caterna* in nonnullis Vegetij exemplaribus concipitur. *Caterua.*

Ad hoc *Kad* etiam Cateia quod teli bellici apud Gallos genus erat, vt habet Isidorus, non incommodè referri potest. *Cateia.*

Gessa telum Gallicum, hastam virilem interpretatur Seruius, cui affine Britannum *Cethilou* videtur, quod sudes præustas, & semen bellicosum interpretatur Ninnius. *Gessa.*

Galli, quos Brennus in Græcam duxit, equestris pugnæ institutionem quæ ex tribus equis constabit, *Patriâ voce*, inquit Pausannias, Trimarciam *nominârunt*, *equum enim* Marcam *appellârunt*: quod purum putum Britannicum est eadem significatione. *Tri* enim tres & *March* equum significat. *Trimarcia.*

Eodem libro prodit Pausanias, Gallos scuta patria *Thireos* vocâsse, quæ hodie etiam *Tarian* Britanni nominant. *Thireos.*

Cæsar in Ephemeridibus suis scripsit, vt est apud Seruium, Cùm ab hoste in Gallia raptus equo eius portaretur armatus, occurrit quidam de hostibus qui eum nôsset, & insultans ait, *Cetos Cæsar*, quod Gallorum lingua dimitte significat, & *Geduch* idem Britannicè denotat. *Cetos.*

Rheda Gallorum vocabulum, inquit Quintilianus, eiusdem est significationis, cuius apud Latinos Caruca, id est, *Currus.* Hoc Britannica lingua nunc non agnoscit, in vsu tamen Britannis fuisse *Rhediad* pro cursu, *Rhedec* currere, & *Rhedecfa* curriculum demonstrant, quæ ex eadem esse traduce, non est cur quispiam dubitet. Nec absurdum erit *Eporediam* Salassorum ciuitatem hinc deducere, quam sic dictam ab equorum domitoribus scribit Plinius. *Rheda.* *Rheda.* *Eporedia.*

Aliud vehiculi genus vtrique genti in vsu fuit, quod vno vocabulo *Couinum*, eiúsque aurigam *Couinarium* dixerunt. Licèt verò hoc nomen cum ipso vehiculo euanuerit, eius tamen primitiuum, vt ita loquar, apud Britannos remanet, quibus *Kowain*, in vehiculo vehere significat. *Couinus.*

Essedum item Gallicum erat vehiculum vel potiùs currus bello accomodatus, quem Propertius etiam cum Cæsare Britannis tribuit. *Essedum.*

Esseda cælatis siste Britanna iugis.

Circius, ventus est nomine notissimus, cui Diuus Augustus templum in Gallia & *Circius.*

uouit, & fecit. Vocem autem esse Gallicam Phauorinus natione Gallus apud Agellium ostendit. *Nostri*, inquit, *Galli ventum ex sua terra flantem, quàm sæuissimum patiuntur, Circium appellant à turbine, opinor, eius & vertigine.* Hunc omnium ventorum impetuosissimum & violentissimum esse constat: *Cyrch* autem impetum & violentiam Britannis significat, vt ex eorum Litania videre est.

Penninum. *Alpibus Penninis*, quæ Cæsari summæ sunt Alpes, nomen inditum scribit Liuius, non ab Annibale Pœno, sed ab eo quem summo sacratum vertice *Penninum* montani Galli nominârunt; *Pen* verò summitates montium etiamnum Britannis vocantur, vnde *Appenninus.* *Pen-mon maur*, *Pendle*, *Pen*, *Pencoh-cloud*, & *Pennigent* montes apud nos editissimi nomen inuenerunt, nec aliunde nomen est Appennino Italiæ.

Armorica. Ciuitates Galliæ quæ Oceanum attingunt, *Aremoricas* Gallorum consuetudine appellari scribit Cæsar, quibuscum Britanni eâdem voce eadem in re conspirant; *Ar-mor* enim ad mare, vel supra mare illis significat, & eodem planè sensu Græcè 'Απωκεανίτας vocat Strabo.

Bacaudæ. Dioclesiano imperante, tumultum rusticani in Gallia concitârunt, factioníque suæ *Bancadarum* nomen imposuerunt, & *Beichiad* Britannis subulci, rusticique nominantur.

Vargi. *L.4. Epist. 6.* Indigenas latrunculos *Vargarum* nomine Galli inquit Sidonius nuncupârunt, & latrones Britannicè *Veriad* olim dictos fuisse in Glossario Ecclesiæ Landauensis inueni.

Allobroges. Ideò *dicti sunt Allobroga*, inquit vetus ille & egregius Iuuenalis Scholiastes, *quoniam Broga Galli agrum dicunt, Alla autem aliud, Dicti igitur quia ex alio loco translati.* At *Bro* regio, & *Allan* extra, vel externum est Britannis, vt Etymologia in vtraq; linguâ optimè constet.

Glastum. *Woad.* *Isatis.* *Vitrum herba Luteum Cæsari.* *Pomp. Mela emendatus.* *Simile Plantagini Glastum in Gallia vocatur*, inquit Plinius, quo Britannos se infecisse testantur scriptores. Hæc herba est quam *Woad* dicimus, & cæruleum efficit colorem, qui color hodiè Britannis *Glas* appellatur, *Isatis* hæc fuit Græcis, vt Plinius, & infectoribus *Vitrum*, vt author est Oribasius. Vnde Pomponius Mela facilè emendetur si *Vitro* reponas pro *Vltro*, vbi ille *Britanni incertum ob decorem, an ob quid aliud Vltro corpora infecti.*

Coccus. Gallathæ quibus eadem lingua cum Gallis veteribus (teste Beato Hieronymo) fruticem paruum habuerunt *Coccum*, ex quo coccineus ille rubens color efficiebatur, & hunc ipsum colorem *Coch* vocitant Britanni.

Bracha. Brachas communes fuisse Gallorum & Britannorum vestes antè docuimus, vestes intonsas varijque coloris Diodorus Siculus vocat: vestes autem squallidas & laceras *Brati* nunc Britanni appellant.

Laina. Si *Laina* vox fuit Gallica, quod indicare videtur Strabo cùm scribit, *Ex Lana densâ saga texunt Galli, quas Lainas vocant:* non longè ab ea abierunt Britanni, qui Lanam sua lingua *Glawn* appellant.

Bardus. *Bardum* Gallicè Cantorem significare author est Festus Pompeius, & hoc purum est Britannicum.

Bardocucullus. *Bardocucullum* Bardorum Gallicorum fuisse ex Martiale, & alijs docemur: vt verò *Bard*, sic etiam altera verbi pars integra Britannis manet, quibus pallium *Cucul* dicitur.

Brance. Galliæ, inquit Plinius, *suum genus farris dedere, quod illi Brance vocant, apud nos sandalum nitidissimi generis.* Apud Britannos item candidissimi grani far, *Guineth vranc* nominatur, & in Norfolcia apud nos *Brank.*

Pempedula. Quæ Græcis *Pentaphyllon* à quinque folijs, *Pempedulam* Gallis dictam docet Apuleius. *Pymp* autem Britannis, quinque, & *Deilen* folium denotat.

Petoritum. Vt *Pymp*, quinque, sic *Petor* quatuor, Gallis designâsse è Festo dicimus, qui *Petoritum* Gallicum fuisse vehiculum à quatuor rotis sic dictum tradit, & vox *Pedwar* Britannis quatuor significat.

Guuia. Inter instrumenta lignaria Canterium quod Anglis *A Leauer*, *Guuiam* Gallicè dictum scribit Isidorus, & nunc *Gwif* Britannicè dicitur.

Betulla. *Betullam* quam nos *Birch* vocamus, Gallicam arborem vocat Plinius. Britannicam etiam iam vocaret: in Britannia enim lætissimè prouenit, & *Bedw* Britannicè nominatur.

Merum

Merum cui aqua affusum, vt est apud Athenæum, *Dercoma* nuncupárunt Galli, & *Dwr* Britannis aquam denotat. *Dercoma.*

Sic, ne omnia consecter, apud Dioscoridem, quæ Latinis Filix, Gallis priscis *Ratis*, Britannis *Redin*. Quæ Latinis Sambucus, Gallis *Scouies*, Britannis *Iscaw*. Quæ Italis *Serratula*, Gallis *Vetonica*, Britannis & nobis *Betany*. Quæ apud Plinium Latinis terræ adeps, Gallis *Marga*, Britannis *Marle*. Quæ Latinis candida Marga, Gallis *Glisomarga*, Britannis *Gluysmarl* dici potuit. *Gluys* enim illis splendidum sonat. Quæ Latinis Sellula tripes, Gallis *Tripetia* apud Sulpitium Seuerum, Britannis *Tribet*. Quod Latinis centum pedes, Gallis *Candetum* apud Columellam, Britannis *Cantroed*. Quod Latinis auis rostrum, Gallis apud Suetonium *Becco*, Britannis *Pic*. *Ratis. Scouies. Vetonica. Marga. Glisomarga. Tripetia. Candetum. Becco.*

Nec Goropij insaniam insanirem, si reuocarem *Galbam* Suetonij pro præpingui, ad *Gallwus* Britannicum, quod prægrandem significat. *Bulgam* Verrij Flacci pro sacco scorteo, ad *Butsiet* Britannicum, *Soldurios* Cæsaris pro deuotis hominibus ad *Sowdiwr*. *Planarat* Plinij, pro aratro ad *Arat*, quod aratrum significat. *Taxeam* Isidori pro lardo ad *Tew*. *Zithum* Diodori Siculi ad *Sider*. *Ceruisiam* ad *Keirch*, .i. auenam, è qua potum illum Britanni multis in locis conficiunt, vel potiùs ad *Cwrwf*, .i. quam *Alam* dicimus. *Galba. Bulga. Soldurij. Planarat. Taxea. Zithum. Ceruisia. Ala potus.*

Hæc omnia Gallorum veterum fuisse verba, ex authoribus illis constat, & vides quam appositè & sono, & sensu cum nostris Britannicis conueniant, & quasi concinant.

Huc accedit, quòd cùm locorum nomina antiqua apud vtramq; gentem eadem terminatione clauderentur, scilicet in *Duno*, *Briua*, *Rito*, *Duro*, *Mago*, *&c.* has gentes minimè diuersas fuisse colligi possit. Equidem vel hinc argumentum non leue arripi potest nos Anglos à Germanis ortos esse, quòd recentiora opidorum nomina desinant in *Burrow*, *Berry*, *Ham*, *Sted*, *Ford*, *Thorp*, & *Wich*, quæ Germanorum terminationibus *Burg*, *Berg*, *Heim*, *Stadt*, *Furdt*, *Dorpe*, *Wic*, pariter æqualitérq; respondent. *Nominum locorum terminationes.*

Viciſſim nominum quorundam Gallicorum ratio ita commodè possit ex Britannica nostra lingua reddi, consentiente rei natura, vt vel à Britannis imposita, vel Britannos Gallicè loquutos fuisse necessariò fateamur. Sed sufficiat vnum & alterum in medium adferre.

Tertiam Galliæ partem incolunt, inquit Cæsar, *qui ipsorum linguâ Celtæ, nostrâ Galli appellantur*, à Græcis verò Gallathæ. Vnde autem Celtæ & Gallathæ dicti fuerint eruditiſſimi Galli nondum dixerint, sed viderint an non à Britannica dictione *Gualt* quæ Britannis etiam-num comam denotat, & *Gualtoc* Comata, vnde *Celtica* & Gallathæ & Galli varia elatione emollita videatur. Celtas verò Comatos dictos fuisse à promissis comis quas studiosè aluerunt, in confesso est apud omnes eruditos; & C. K. Q. G. à vi & soni indole quomodò discrimines? *Celtæ. Lipsius, p.66. de pronunciatione.*

Nobiliſſimum Galliæ flumen *Garumnam* torrentiùs, & quasi exasperatis vndis ferri notiſſimum est, vnde Poëtis *Validus* Garumna, *Aequoreus*, *Rapidus*; & hoc *Garrw* Britannicè designat. *Garumna.*

Flumen *Arar* incredibili lenitate fluit, ita vt oculis in vtram partem fluat, indicari non possit; hinc apud Poëtas Araris *tardior*, & *lentus* Arar; *Ara* verò Britannis lentum, & tardum significat. *Arar.*

Rhodanus, cui Arar se insert, prærapida celeritate decurrit, vnde *incitus*, *celer* & *præceps* dicitur, quod à *Rhedec*, quæ celeriter currendi significationem habet, non multùm absonat. *Rhodanus.*

Gebennas montes perpetuo dorso longè in Gallia procurrere memorat Strabo cum alijs: *Keuen* verò montis dorsum Britannis nostris sonare ex Lexico Britannico constat, & productum montis dorsum iuxta *Otteley* in Eboracensi Comitatu vidi, quod accolis *The Keuin* appellatur. *Gebenna.*

Cùm lapides, ad viarum interualla singulis 1500. paſſibus in Gallia olim erigerentur, atque *Leuca Gallica* (vt habet Iornandes) tot passus contineat, & *Leach* lapidem Britannicè significat, dixerint eruditi Galli si *Leuca* non indę nomen inuenerit. *Leuca.*

Ad littus Galliæ Narbonensis, vbi Herculem, & Albionem concertâsse fabulantur, lapides adeo multi paſſim, & latè iacent, vt lapides pluisse credas; vnde *Littus lapideum*, *Campi lapidei.*

pideum, & *Campus lapideus* ab authoribus nuncupatur, Gallis hodie *le Craux* dicitur. Nominis tamen rationem nesciunt, at lapides *Craig* Britannica lingua nominantur.

Morini. Qui maritimam Galliæ regionem nobis proximam olim insederunt, *Morini* sua lingua dicebantur: & mare *Mor* Britannicè vocatur, vnde illud profluxisse videtur. Maritimos enim *Morinwyr* appellant, vt *Aremorica* olim Gallicè, & nunc Britannicè ad mare denotat.

Arelate. Sic Arelate celeberrima Galliæ vrbs quæ solo vliginoso & humido posita, ab ipso situ nomen sumsisse videatur, *Ar* enim Britannis super, & *Laith* humida significat.

Vxellodunum. Dunum. Vxellodunum, inquit Cæsar, opidum erat vndique præruptum & in monte eminenti situm, *Vchell* verò Britannis excelsum significat, & *Dunum* veteribus Gallis eminentem locum vel collem denotare nos docuit ex Clitiphone Plutarchus in libello de Fluminibus, & idem in vsu fuit priscis Britannis.

Cytharistes. Cytharisten promontorium in Gallia propè Massiliam vbi nunc *Tolon* opidum cernitur ponit Plinius; si verò Britannos nostros interroges, quid sit in illorum lingua Cythara, statim *Telen* audies.

Rursus, vt nullus in hac re scrupulus relinquatur, cùm constet recentem linguam Gallicam Latinæ & Germanicæ ita esse propaginem, vt in ea tamen plurima è veteri Gallica supersint: accepi ab illis qui vtriusque linguæ periti sunt, plurima ex illis Gallicis dictionibus, quæ nec ad Latinam nec Germanicam originem referri possint, & proinde ex antiqua Gallica videantur arctissima affinitate Britannica attingere, exempli gratia. Galli hodie *Guerir*, Britanni *Guerif*, pro sanare, Galli *Guaine*, Britanni *Gwain*, pro vagina, Galli *Derechef*, Britanni *Derchefu*, pro denuo, Galli *Camur*, Britanni *Cam*, pro incuruo, Galli *Bateau*, Britanni *Bad* pro cimba, Galli *Gourmond* pro nimium edace, Britanni *Gormod*, pro nimis, vel supra modum, Galli *Baston*, Britanni *Pastwn*, pro baculo, Galli *Accabler*, Britanni *Cablu*, pro opprimere, Galli *Haure*, Britanni Aber pro portu vsurpant: & *Comb* vtrique genti adhuc in vsu pro conualle. Sunt & id genus plurima alia, quæ lectori fortasse minus sapiant, licèt ad hanc rem inprimis faciant.

Quòd verò Tacitus scribit Æstiorum gentibus in Germania, *ritus habitúsque esse Sueuorum, linguam autem Britannicæ propiorem*: assertioni nostræ non aduersatur. Linguæ enim remotissimæ in nonnullis conueniunt. Et nuper Augerius Busbequius Cæsaris ad Imperatorem Turcicum legatus plurima Germanica & Anglica in Taurica Chersonesso obseruauit. *Epist. 4.*

Hinc concludi possit Gallos veteres & Britannos eâdem vsos fuisse lingua, & ex necessaria consecutione Britannorum originem ad Gallos referendam. Fatendum enim est Galliam, vt iam diximus, priùs habitatam, vtpote Armeniæ propiorem, vtque frugum feracem, sic teste Strabone, hominum feraciorem, Cùmque in Italiam, Hispaniam, Germaniam, Thraciam, & Asiam Galli colonias diffuderint, multò magis in Britanniam tam vicinam, nec minùs fœcundam, par est vt existimemus. Nec honori non summo Britannis esse possit, à priscis illis Gallis originem duxisse, qui bellica fortitudine inprimis excelluerunt, quibuscum Romani non de gloria, sed de salute plurimos annos decertarunt, quique, vt Poetæ potiùs, quàm meis verbis vtar,

Per omnem
Inuecti Europam, quasi grando Aquilone, vel Austro
Importata, graui passim sonuere tumultu.
Scit Romanus adhuc, & quam Tarpeia videtis
Arx attollentem caput illo in monte superbum,
Pannones, Aemathij nòrunt, scit Delphica rupes.

Et paulò post:

Intrauere Asiæ fines: prope littora Ponti
In gentem creuere nouam, quæ tenditur vsque
Ad iuga Pamphilûm, Garamantica sydera contra,
Inter Cappadoces posita, & Bythinica regna.


Nec silentio hic prætermittenda quæ alij ad probandam Britannorum originem à Gallis adduxerunt. Georgius Buc non minùs maioribus quàm bonis studijs clarus

notat

notat ex Mekerco *Wallon* Gallum dici Germanis. Cúmq; Germani Saxones huc venissent, & Britannos Gallicè loqui audirent, eos *Wallos*, .i. Gallos appellasse. Buchananus adijcit *Walch* non simpliciter Germanis peregrinum, sed potiore intellectu Gallum significare: simúlque innuit Gallos hodie regionem illam quam nos *Walles*, *Galles* appellare, & veteres Scotos diuisisse omnes Britannicas nationes in *Gaol*, & *Galle*, .i. (vt ipse interpretatur) in Gallæcos, & Gallos.

Sin autem Britanni nostri, velit nolit veritas, origine Troiani esse velint, me sanè repugnantem non habebunt, per Gallos tamen se commodissimè, vt mihi videtur, Troianis imputabunt. *Aiunt enim quidam*, vt est apud Ammianum, *paucos post excidium Troiæ fugitantes Galliam tunc vacuam occupâsse*. In hac verò linguarum consi- *Lingua Britannica.* deratione non possumus non maximè admirari, & prædicare diuinam summi Creatoris benignitatem in nostros Britannos antiqui Gomeri posteros, qui quamuis à Romanis, Saxonibus, & Normannis deuicti & triumphati fuerint, auitum tamen nomen, & primigeniam linguam sartam tectam hactenus conseruârunt; quanquam etiam latis legibus abolere studuerunt Normanni. Vt non ab re respondisse videatur nobilis senex Britannus, qui ab Henrico secundo Anglorum rege interrogatus, quid sibi videretur de viribus Britannorum, & regio eius in eos apparatu, *Grauari*, inquit, *plurimaque ex parte destrui, vel debilitari vestris, Rex, aliorumque viribus, nunc vt olim, & pluries gens ista valebit. Ad plenum autem propter hominis iram, nisi & ira Dei concurrerit, non delebitur. Nec alia, vt arbitror, gens quàm Cambrica, s. Britannica, nec alia lingua pro parte maiori in die districti examinis coram supremo Iudice, quicquid de ampliori contingat, pro hoc terrarum angulo respondebit.* *Giraldus in Topographia Wallia.*

BRITANNIÆ NOMEN.



AT inquies, si *Cumero* sit primæuum incolarum nomen, vnde *Albion*, vnde *Britannia?* quæ ita inualuit, vt illi quodammodo tenebras offuderit. Audi quæso, quod mihi persuasissimum quia verissimum. Et res eædem varijs possunt circumstantijs considerari, varijsque adeò nominibus designari, vt docet in Cratylo Plato; & si recentia, & antiqua percurras singula, obseruabis singulas gentes, diuersis ac ipsi vsi sint nominibus, ab alijs denominari. Sic, qui patria lingua Israëlitæ vocabantur, Græcis *Hebræi*, & *Iudæi*, atque Ægyptijs *Huesi* (teste Manethone) nominabantur, quòd reges pastores habuerunt: sic Græci eos *Syros*, qui se (vt author est Iosephus) *Aramæos* dixerunt; Qui se *Chusios*, Græci ab atro vultu *Aethiopes* vocârunt. Qui sibi sua lingua *Celtæ*, Græcis *Gallatæ* dicti, à lacteo candore, vt aliqui volunt, vel a comis promissis, vt modò dixi. Sic qui seipsos sua lingua *Teutsch*, *Numidas*, & *Hellenas* nuncuparunt, à Romanis *Germani*, *Mauri*, *Græci* appellantur. Sic hodie, ne plura persequar, qui suo ipsorum idiomate *Muselmanni*, *Magier*, *Czechi*, *Besermanni* dicuntur, ab Europæis omnibus *Turcæ*, *Hungari*, *Bohæmi*, & *Tartari* nuncupantur. Et nos ipsi Angli, qui nobis nostra lingua *Englishmen* vocamur, Britannis, Hibernicis, & syluestribus Scotis *Sasson* .i. Saxones appellamur. Eadem ratione iudicandum est, maiores nostros, qui se *Cumero* dixerunt, alia de causa, vel à se, vel ab alijs *Britones* dictos fuisse, vnde Græci Βρεττανίας confinxerunt, & quasi per manus Romanis tradiderunt. Hoc posito, in insulæ nostræ nomina nunc inquiramus.

De nomine *Albion* non multùm laboro, quod huic insulæ imposuerunt Græci ad *Albion.* differentiam, cùm circumuicinæ insulæ omnes Britannicæ & Britanniæ vocarentur. *Britannia insula*, inquit Plinius, *clara Græcis nostrisque monumentis, inter Septentrionem & occidentem iacet Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ multò maximis Europæ partibus magno interuallo aduersa. Albion ipsi nomen, cùm Britanniæ vocarentur omnes.* Vnde in Cæsarem Catullus, *Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ.* Qui in eodem etiam car- *Britannia.* mine vocat hanc *vltimam occidentis insulam.* A Græcorum vanitate, fabulositate & desultoria illa in fingendis nominibus leuitate, quam ipsi ζῆλον εὑρεσιλογίας dixerunt, hoc nomen *Albion* enatum videatur. Cùm enim illi Italiam àb Hespero Atlantis filio Hesperiam, Galliam a Polyphemi filio Gallatiam, &c. fabulose dixerint: non possum

non credere, quin hanc inſulam ab Albione Neptuni filio Albionem etiam fabuloſè denominarint, quod Perottus & Lilius Giraldus prodiderunt. Niſi quis malit ab Ἄλφον deducere, quod teſte Feſto, album Græcis ſonat, vnde & Alpes appellatæ. Albicantibus enim rupibus, quas *mirificas moles* Cicero vocat, coronatur, vnde in Antonini Pij, & Seueri nummis Britannia muliebri habitu rupibus inſidens figuratur, & ipſis Britannis Poëtis *Inis Wen*, id eſt, *Inſula alba* indigitatur: vt taceam Orpheum in Argonauticis (ſi modò ſint Orphei) inſulam proximè Hiberniam ſiue Iernin, quæ neceſſariò ſit hæc noſtra, λευκαῖον χέρσον, id eſt, albicantem terram dixiſſe, quam ante paucos verſus Νῆσον πευκήεσσαν pro λευκήεσσαν vocâſſe videatur. Fracaſtorius etiam dum peſtilentem illam Ephemeram Britannicam (quam Sudorem Britannicum vulgò dicimus) ſoli ratione quaſi gypſeum eſſet, contingere ſcribit, à gypſeo ſolo inſulam hanc *Albion* appellatam fuiſſe ſuſpicatur. Fabellam illam, quòd ALBION ſit dicta ab Albina vna è triginta filiabus Diocleſiani Regis Syriæ, quæ in ipſis nuptijs maritos occiderunt, & naue ſine remige huc delatæ, inſulam primùm occuparunt, dæmonúmq; compreſſu prolem Giganteam propagarunt, vt improbi hominis impudentiſſimum mendacium ſine ſtomacho quis audiat? Nec eſt cur anxiè inquiram qua de cauſa Britannia *Inſula Cærulei* in Parodia illa antiqua contra Ventidium Baſſum dicatur, cùm circumfuſa ſit Oceano, qui *Cærulus*, & *Cærulum* Poëtis vocatur; vnde de Britannia Claudianus:

— cuius veſtigia verrit
Cærulus —

Omitto quòd Ariſtidi *Magna & vltima Inſula* appellata fuerit. Quòd ROMANIA etiam dicta, innuit quodammodo Gildas, qui ſcribit a Romanis ita ſubactam fuiſſe, vt *ſolo nomen Romanæ ſeruitutis hæreret*; ſtatimq;, *Ita vt non Britannia ſed Romania cenſeretur*; & poſt vnam & alteram paginam de eadem, *Inſula Romanum nomen, non tamen morem & legem tenens.* Proſpérq; Aquitanus expreſsè Inſulam Romanam dixit. Huc etiam referri poſſit quòd cùm ſtatuæ Imperatorum Taciti & Floriani fulmine eſſent deiectæ, reſponderint aruſpices, ex eorum familia Imperatorem futurum qui inter cætera *Taprobanæ præſides imponeret, & ad Romanam inſulam Proconſulem mitteret.* Quod de noſtra Britannia intelligunt eruditi, quæ Præſidialis, nunquam Proconſularis fuit Prouincia, vt poſteà dicemus. SAMOTHEAM verò aliquando nominatam fuiſſe à Samothe ſexto Iapheti filio per me credat qui velit. E cuius officina hoc prodit, non me latet; ex Annij ſcilicet Viterbienſis, qui ſpecioſo titulo more ſubdolorum militorum ſua commenta ſub Beroſi nomine in lucem credulis obtruſit.

Sed de Britanniæ nomine & originatione valdè dubia pro hominum ingenijs fluctuat veritas. Qua in re, vt mihi meam interponere liceat ſententiam, Britannis noſtris præfabor, vt linguis animiſque faueant, vt dum cognoſcere cupiant, ignoſcere velint, & non mihi intercludant eam viam qua Eliotta, Lelandus, Lhuiddus, & alij inſtiterunt. Si enim Humfredo Lhuiddo eruditiſſimo Britanno, ſine præiudicio Bruti fas fuerit, imò laudi vertitur aliunde quàm a Bruto Britanniæ nomen deducere, non ſit mihi piaculo qui Bruti hiſtoriam oppugnare nolo, aliunde ſi potero, paucis repetere. Nimirum ex ipſa Britannica lingua, quæ vt minimè permiſta, & longè vetuſtiſſima, ita huic negotio multum inſtrumenti allatura videtur. Linguæ enim antiquæ ad origines perſcrutandas inprimis neceſſariæ cenſentur, & prima nomina longo temporis ſitu obſoleta, in Barbaris linguis vt antiquioribus, conſeruari docet Plato. Quanquam verò his rebus à memoria propter vetuſtatem remotis tanta offuſa ſit caligo, vt vota potius facienda, quàm veritas ſperanda videatur; elaborabo tamen veritatem limare, & quod mei iudicij ſit, quàm poſſum breuiſſimè, proferam, nemini quicquam præiudicati allaturus, ſed ſi quis probabilius attulerit, libentiſſimo animo exoſculaturus. Non enim in meipſo, magis quàm alio veritatem amo, complectárque in quocunque videro.

Primùm, hoc mihi pro conceſſo & probato cum bona lectoris venia ſumam, vetuſtos populos principio ſua nomina habuiſſe, & ex illis poſteà in analogiam deflexis Græcos, & Latinos nomina regionibus indidiſſe .i. vt planiùs dicam, populos ante regiones & loca nominibus ſuis fuiſſe notos, & à populis regiones denominatas. Quis neget


Margin notes: *Britannia figurata.* — *Inis Wen.* — *Lib. 1. de morbis contagioſis.* — *Inſula Cærulei.* — ROMANIA. — *Vopiſcus in Floriano.* — *Samothea.* — *In Cratylo.*

neget *Iudæorum*, *Medorum*, *Persarum*, *Scytharum*, *Alamanorum*, *Gallorum*, *Getulorum*, *Saxonum*, *Anglorum*, *Scotorum*, *&c.* appellationes priùs extitisse, quàm *Iudæa*, *Media*, *Persia*, *Scythia*, *Alamannia*, *Gallia*, *Getulia*, *Saxonia*, *Anglia*, *Scotia*, *&c.* Et hæc vocabula ex illis superioribus enata quis non videt? A Samnitibus, Insubribus, & Belgis, Liuium & Cæsarem ipsas regiones *Samnitium*, *Insubrium*, & *Belgium* primum nominasse legimus. A Francis, Constantini Maximi temporibus, vt in eius nummis videre est, eorum sedes FRANCIA primùm dicta est, & à Burgundis *Burgundiam* primus efformauit Sidonius Apollinaris. Eadem ratione necessariò credamus hanc nostram insulam Britanniam ab incolis vel vicinis Gallis denominatam esse, quos *Brit*, vel *Brith* barbarè dictos fuisse persuadent nonnulla; Inprimis ille qui Sibyllæ nomine circumfertur versiculus. *Brit.*

* Ἔσσεται ἐν Βρύτεσσι καὶ ἐν Γάλλαις πολυχρύσοις
Ὠκεανὸς κελαδῶν, πληρούμενος αἵματι πολλῷ.

* *In Gallis auro locupletibus, atq; Britannis, Oceanus multo resonabit sanguine plenus.*

Præterea Martialis, Iuuenalis, Ausoniiq; authoritas. Procopius etiam cui insula hæc BRITTIA appellatur; Inscriptiones item veteres ab ipsis Britannis positæ, in quibus leguntur *Brito*, *Brittones*, *Brittus*. COH. BRITON. ORDINIS BRITTON, & Romæ ad S. Mariam Rotundam, NATIONE BRITTO. & in hac quæ cernitur Amerbachij in Germania, quam subiungam cùm meminerit Triputij ignoti in Britannia loci.



* *Centurionis*

Ipsi etiam Saxones, Britones Bꝛitꝛ sua lingua dixerunt, & Witichindus Saxo pro Britannis vbiq; *Britas* concipit, vt proculdubio BRIT sit συνώνυμον, vnde *Brito* deducitur, & vnde lumen huic nomini Britanniæ exoriatur. BRIT.

Quum verò gentes nomina ex eo inuenerint, quo reliquis vel præstarent, vel à reliquis internoscerentur; siue pro primi conditoris dignitate, vt *Iones* à Iauan, *Israelitæ* ab Israele, *Chananæi* à Chanan filio Chami; siue pro naturæ, morum, & studiorum ratione, vt *Iberi* Hebraica origine, quòd fossores, *Heneti* quòd vagabundi, *Nomades* quòd rei pecuariæ studerent, *Germani* quòd viri strenui censerentur, *Franci* quòd liberi, *Pannones*, quòd manicatis è panno, vt placet Dioni, vterentur tunicis, *Aethiopes* quòd atri essent, *Albani* quòd albo crine nascerentur; Vnde, quod animaduertas, inquit Solinus, *Capillorum color genti nomen dedit*; Cùmq; nostrates, qui communi cum vicinis nomine, *Cimbri* & *Cumeri* dicerentur, nullam notam habuerint, qua internosci & secerni à finitimis meliùs poterant, quàm ritu illo corpora sua pingendi: Britannos enim se glasto (*Glas* cæruleum etiamnum illis significat) depinxisse grauissimi quique authores Cæsar, Mela, Plinius, &c. doceant: quid si à depictis corporibus Britones dictos fuisse coniectarim? Quicquid enim depictum & coloratum, *Brith* patria & antiqua lingua appellant. Nec est cur quis hanc duriusculam aut absurdam esse Britonum etymologiam existimet, cùm quæ in etymis maximè requiruntur, & voces consonent, & nomen, tanquam rei imago, rem ipsam exprimat. *Brith* etenim & *Brit* optimè consonant, & *Brith* illud Britonibus denotat, quod Britones re ipsa erant, .i. *picti*, *depicti*, *infecti*, *colorati*, vt Latinis Poëtis dicuntur, & Αἰολόνωτοι, .i. *variegatum tergum habentes*, vt Oppiano nominantur.

Glas.
Britones vnde dicti.
Brith quid.
Li. 1. Cinegetic.

Nec alienum erit, quantulumcunque sit, hîc adnotare quod obseruaui, in vetustissimorum

Veterum Britannorum nomina à coloribus facta.

morum Britannorum ferè omnium nominibus aliquam coloris significationem apparere, quæ ab hac pingendi ratione proculdubio sit enata: Ruber color Britannis *Coch* & *Goch* dicitur, quod in his nominibus meo iudicio subest, *Cogidunus*, *Argentocoxus*, *Segonax*. Iisdem ater color *Dû* vocatur, quod se quodammodo ostendit in *Mandubratius*, *Cartimandua*, *Togodumnus*, *Bunduica*, *Cogidunus*. Albus color *Gwyn* appellatur, cuius nominis expressa quasi vestigia videre videor in *Venutius* & *Immanuentius*. *Gwellw* illis est quod Latinis color aqueus, & hoc in nominibus *Vellocati* & *Caruillij* & *Suellæ* se ostendit. *Glas* cæruleus Britannicè nominatur, quod *Cuniglasi* regis nomine cernitur; Gildas enim *fuluum*, vel vt alia exemplaria habent, *furuum lanionem* interpretatur. *Aure* quod aureum colorem sonat in *Cungetorix*, *Aruiragus* sese prodit. Color floridus illis *Teg* appellatur, quod in *Prasutagus* & *Carattacus* se subindicat. Si verò mistorum colorum nomina cum ipsis coloribus Britannos desumpsisse à Romanis credamus; certum enim est illos *Werith* pro viridi, & *Melin* pro melino colore à Romanis hausisse; Prasini coloris in *Prasutago*, Minij coloris in *Adminio* regis Cunobelini filio notationem latere, si puto, nemo vt spero, aduersabitur. Rufina etiam Britanna eruditissima à rufo colore nomen retulit, vti Albanus primus Britanniæ Martyr ab albo. Si reliqua Britannorum nomina, quæ sunt tantùm quatuor vel quinque apud veteres, quispiam eius linguæ veteris peritus excutiat, suspicari licet illum in pauculis illis nominibus aliquam coloris significationem inuenturum. Nec omittendum vulgatissima hodiè Britannorum nomina, *Gwyn*, *Du*, *Goch*, *Lluid*, ab albedine, nigredine, rubedine, & rauo colore esse imposita. Vt minùs mirum videatur gentem ipsam a pingendi ratione nomen traxisse, vtique quæ se pinxerit, & incolæ ipsi, cùm olim tum nostro tempore, à coloribus sibi nomina imposuerint. Sed ad rem, si hæc præter rem.

In serm. Pentecost.

Certum etiam est Britonem *Brithon* Britannicè in historijs dici. Aspirationis notam nihil moror, cùm Britanni, quibus, vt inquit Chrysostomus, *lingua erat sibila*, aspirationibus gaudeant, quas Latini studiosè vitârunt. Iam vt à *Brith* Brito, sic etiam Britannia, vt mihi videtur promanauit. *Britannia*, inquit Isidorus, *à vocabulo suæ gentis cognominata est*. Cùm enim Græci vetustissimi (hi namque primi huius insulæ nomen sic conceperunt) vel piraticam, vel mercaturam exercentes, disiunctissimas regiones, littora legendo, vt ait Eratosthenes, adierint, & hanc gentem vel ab ipsis incolis, vel à Gallis quibus vna eadémq; lingua, *Brith* & *Brithon* appellari accepissent, illi ad

Tania. Sic hodie Germani Landt, regionem nominibus adiungunt.

BRITH, TANIA addiderunt. Quod vt est in Glossarijs, regionem Græcè significat; vnde Βριττανία, id est, *Britonum regio*, conflârunt, pro qua Βρεττανία perperam scripserunt, sed rectiùs Lucretius & Cæsar *Britannia*, qui primi Latinorum eius meminerunt. Hanc rem ita se habere firmiùs credo, quòd in spatiosissimo orbis terrarum theatro tria tantùm præter nostram Britanniam, maiorum regionum nomina reperias, quæ in TANIA terminantur, & illæ quidem in Occidua hac orbis plaga, MAVRITANIA videlicet, LVSITANIA, & AQVITANIA, quæ nomina Græcos fecisse, & Latinis tradidisse minimè dubito, vtpote qui has terras primi perlustrauerunt. A Mauris enim *Mauritaniam* quasi Maurorum regionem fecerunt, quam indigenæ, teste Strabone, Numidiam vocarunt, à Luso Liberi filio *Lusitaniam* quasi Lusi regionem, & *Aquitaniam* forsitan, vt Iuoni Carnotensi videtur, ab aquis, quasi ad aquas regionem, quo sensu, vt habet Plinius, priùs *Armorica*, id est, *ad mare* dicebatur. Turditania verò & Bastitania minorum regionum nomina huc possunt reuocari, quæ in hoc etiam tractu occidentali fuerunt, scilicet in Hispania, & Turdorum Bastorúmque regiones significare videantur. Nec nouum est, vocabulum aliquod ex peregrino & Græco

Lib. 1.

componi: *Componuntur*, inquit Quintilianus, *nomina aut ex nostro & peregrino, vt Biclinium, contrà Epitogium, Anticato; aut ex duobus peregrinis, vt Epirrhedium.* Et receptissima est hæc compositionis ratio in regionum nominibus, Nonne *Ireland* ex Hibernica *Erin*, & Anglica *Land*, nonne *Angleterre* ex Anglica dictione, & Gallica, nonne *Franclond* (sic enim Saxones nostri Franciam vocârunt) è Francia, & Saxonica, nonne *Poleland*, è Polonica quæ planitiem illis denotat, & Germanica, nonne *Danmarch*, è Danica & Germanica *March*, quæ limitem significat, compositione coaluit? Sed in re tam perspicua non pluribus vtar. Nec est cur Græcam hanc adiectionem TANIA miremur, cùm per omnia Europæ littora, & insulas vsque ad hanc nostram

stram

ſtram Græcos fuiſſe accolas ex antiquiſſimis authoribus doceat Beatus Hieronymus in Quæſtionibus ad Geneſim. *Legamus*, inquit, *Varronis de antiquitatibus libros, & Siſinnij Capitonis, & Græcum Phlegonta, cateróſque eruditiſſimos viros, & videbimus penè omnes inſulas, & totius orbis littora, terráſq; mari vicinas, Græcis accolis occupatas: qui vt ſuprà diximus, ab Amano & Tauro montibus omnia maritima loca vſque ad Oceanum poſſedêre Britannicum.*

Græcos ſanè ad noſtram hanc regionem appuliſſe, & ſitum eius naturámq; exploráſſe, extra dubium ponetur; ſi obſeruemus quæ Athenæus ſcripſit de Philea Tauromi- *Græcos Britanniam adiiſſe.* nite (de quo ſtatim) qui fuit in Britannia centeſimo ſexageſimo ante Cæſaris aduentum anno; ſi aram Græcis literis Vlyſſi inſcriptam in memoriam reuocemus, ſi quæ Pytheas ante Romanorum tempora, de diſtantia Thules à Britannia tradidit notemus. Quis enim Græcis Britanniam, Thulen, Belgicas regiones, earúmque inprimis littora aperuiſſet, niſi Græcorum naues Oceanum Britannicum & Germanicum intraſſent, & eius deſcriptionem ad ſuos Geographos retuliſſent? An verò Pytheas nauigationem ſex dierum vltra Britanniam nouiſſet, niſi Græcorum quiſquam eam indicaſſet? Quis eos docuit, Scandiam, Bergos & Nerigon ex qua in Thulen nauigetur? quæ nomina Græcis vetuſtiſſimis notiora videntur fuiſſe, quàm vel Plinio vel vili Romanorum. Vnde Mela *Graijs carminibus Thulen celebratam* fuiſſe teſtatur, & Plinius *Britannia inſula, clara Græcis noſtriſq; monumentis.* Hac ergo ratione, tam multa Græcorum vocabula in linguam Britannicam & Gallicam irrepſerunt, ſimul & Belgicam. Quòd ſi Lazarus Bayſius, & Budæus glorientur ſuos Gallos ab antiquo φιλέλληνας fuiſſe, argumento paucarum vocum eius idiomatis, quæ Græcæ linguæ veſtigia conſeruent, nec minùs gaudio geſtit Hadrianus Iunius quòd in Belgicis vocabulis Græca σπέρμα lateant: etiam Britannis gloriari licet, in quorum lingua plurima ſunt nomina à Græcis deriuata. Hoc *Græca verba in lingua Britannica.* tamen Thomas Smythus Eques auratus Elizabethæ Reginæ à Secretis, vir vndiquaque doctiſſimus inde eueniſſe credit, quòd reliquâ Europâ bello exagitatâ, Græcorum pluri- *Libro Orthographiæ Anglica.* mi huc tanquam in aſylum confluxerunt.

Hæc mea eſt de Britannorum originatione, & Britanniæ nomine, ſiue error, ſiue coniectura, cui, ſi à vero aliena ſit, vtinam veritas ipſa intercedat. In tortuoſo hoc & cæco antiquitatis ſtudio laudi ducitur nonnihil errare, & meminerimus intereà quòd quæ parùm cogitantibus falſa, diu multúmque contemplantibus vera ſæpe videantur. Si quis me pro veritatis tribunali ſiſteret, non aliud eſt quod reſpondeam. Britannos autem noſtros doctiores, vel precibus omnibus oro, & obteſtor, omnem operam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in hac diſquiſitione tantiſper figant: vt veritas tandem aliquando inuenta omnes coniecturarum nebulas ſua luce diſcutiat.

BRITANNORVM MORES.



Vid verò Britanni primis temporibus geſſerint, quam Reipublicæ formam habuerint, quibus inſtitutis vixerint, vir optimus & eruditione ornatiſſimus D. Daniel Rogerſius optimè de me meritus ſuis ſcriptis nos docere promiſit, ſed cùm morte immatura præreptus nihil præſtiterit, de antiquis ipſorum moribus hæc paucula *Britannorum mores.* ipſis antiquorum verbis habeto.

Cæſar. *Vtuntur Britanni nummo æreo, aut * annulis ferreis ad* ** Alij legunt Laminis.* *certum pondus examinatis pro nummo: leporem, & gallinam & anſerem guſtare fas non putant: hæc tamen alunt, animi, voluptatiſq; cauſa. Ex his omnibus longè ſunt humaniſſimi qui Cantium incolunt, quæ regio eſt maritima omnis, neque multùm à Gallica differunt conſuetudine: interiores plerique frumenta non ſerunt; ſed lacte & carne viuunt: pellibúſq; ſunt veſtiti: omnes verò ſe Britanni luteo inficiunt: quod cærule-* *Luteum.* *um efficit colorem, atque hoc horribiliore in pugna aſpectu, capilloq; ſunt promiſſo, atque omni parte corporis raſa, præter caput, & labrum ſuperius: vxores habent deni, duodeniq; inter ſe communes, & maximè fratres cum fratribus, & parentes cum liberis: ſed ſi qui ſunt ex his nati, eorum habentur liberi, à quibus primùm virgines quæque ductæ ſunt. In prælijs plerumque vti conſuêrunt eſſedarijs. Primo per omnes partes perequitant, & tela con-* *Eſſedarij.*

ijciunt

ijciunt, atque ipso terrore equorum & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant: & cùm se inter equitum turmas insinuauere, ex essedis dissiliunt & pedites præliantur. Aurigæ interim paulum è prælio excedunt, atque ita se collocant, vt si illi à multitudine hostium premantur, expeditum receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prælijs præstant, ac tantum vsu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in decliui ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & breui moderari, ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere consueuerint. Illi etiam consulto plerumque cedunt, & cùm paulum à legionibus nostros remouissent, ex essedis desiliunt, & pedibus dispari prælio contendunt. Equestris autem prælij ratio & cedentibus, & insequentibus par atque idem periculum inferebat. Accedebant huc vt nunquam conferti, sed rari, magnisq; interuallis præliarentur: stationésq; dispositas haberent, atque alij alios deinceps exciperent, & recentes defatigatis succederent.

Pugna Essedaria.

Strabo. *Britanni Gallos proceritate superant, minúsque flauos habent crines: laxioribus autem sunt corporibus. Magnitudinis argumentum esto, quòd nos ipsi adolescentes Romæ vidimus, qui etiam semisse pedis superarent altissimos homines: erant autem pedibus malè suffulti, & reliqua corporis lineamenta constitutionem non elegantem referebant. Ingenio Gallorum partim similes sunt, partim simpliciores, & magis barbari, adeo vt quidam eorum ob imperitiam caseos nullos conficiant, cùm tamen lacte abundent: alij hortos colendi, & aliarum partium agriculturæ ignari sunt. Complures apud eos sunt dominationes. Ad bella essedorum vtuntur multitudine, vt & quidam Gallorum. Vrbium loco ipsis sunt nemora. Arboribus enim deiectis vbi amplum circulum sepserunt, ipsi casas ibidem sibi ponunt, & pecori stabula condunt, ad vsum quidem non longi temporis.*

Cæsar item. *Opidum Britanni vocant cùm syluas impeditas fossa, valloq; munierint, quò incursionis hominum vitandæ caussa conuenire consueuerunt.*

Diodorus Siculus. *Britanni priscorum more vitam degunt, vtuntur in pugna curribus velut antiquos Græcorum heroas vsos in bello Troiano ferunt. Domos ex calamis vel lignis, vt plurimùm, habent compactas, frumenta cum aristis sub tecta reponunt, inde quod satis in diem sit vsui terentes. Moribus simplices integríque sunt, longè à nostrorum hominum astutia & versutia remoti, cibo simplici victúque vitam degunt, atque a diuitum delitijs alieno. Multitudinis hominum insula plena est.*

Pomponius Mela. *Fert Britannia populos regésque populorum, sed sunt inculti omnes, atque vt longius à continenti absunt, ita aliarum opum ignari magis, tantùm pecore ac finibus dites, incertum ob decorem, an quid aliud, * vitro corpora infecti. Causas autem bellorum ex libidine contrahunt, ac se frequenter inuicem infestant, maximè imperitandi cupidine, studióque ea prolatandi quæ possident. Dimicant non equitatu modò, aut pedite, verùm & bigis, & curribus, Gallicè armatis, Couinos vocant, quorum falcatis axibus vtuntur.*

* Glasto vel vitro. vide pag. 14. & 19.

Cornelius Tacitus. *Proximi Gallis, & similes sunt Britanni, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diuersa terris, positio cæli corporibus habitum dedit. In vniuersum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupâsse credibile est. Gallorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione. Sermo haud multùm diuersus, in deposcendis periculis eadem audacia; & vbi aduenere, in detractandis eadem formido, plus tamen ferociæ Britanni præferunt, vt quos nondum longa pax emollierit: nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus, mox segnitia cum otio intrauit, amissa virtute pariter ac libertate: quod Britannorum olim euictis euenit, cæteri manent quales Galli fuerunt. In pedite robur, quædam nationes & curru præliantur: honestior auriga, clientes propugnant: olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & studijs trahuntur: nec aliud aduersus validissimas gentes pro Romanis vtilius, quàm quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribúsque ciuitatibus ad propulsandum commune periculum conuentus: ita dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur.*

Alibi. *Solitum Britannis fibris Deos consulere, fœminarum ductu bellare. Neque sexum in imperijs discernunt.* Vnde viri docti existimant Aristotelem de Britannis loqui, vbi bellicosas gentes vltra Celtas muliebri imperio subesse scribit.

Polit. 2. c. 7.

Dio Nicæus ex Xiphilini epitome de Britannis in Septentrionali insulæ parte. *Agros nullos colunt: de præda & venatione, fructibúsque arborum viuunt: nam pisces, quorum*

ibi

ibi maxima est & innumerabilis copia, non gustant. Degunt in tentorijs nudi & sine calceis: vtuntur communibus vxoribus, liberosq; omnes alunt. Apud hos populus magna ex parte principatum tenet, latrocinantur libentissimè: militant de curribus: equos habent paruos & celeres: pedites currunt celerrimè: dum stant, firmissimi sunt. Horum arma sunt scutum, & hasta breuis, in cuius inferiore parte pomum ex ære, vt, dum concutitur, hostes sonitu perterrefaciant. Pugiones quoque habent: sed inprimis famem, frigusque, ac labores omnes perferunt. Nam mersi in paludibus capite tenus, per multos dies inediam sustinent: in syluis autem, corticibus atque radicibus arborum aluntur. Certum sibi genus parant ad omnia, quem si ceperint, quanta est vnius fabæ magnitudo, minimè esurire aut sitire solent.

Herodianus. *Vestis vsum non cognoscunt, sed ventrem atque ceruicem ferro incingunt; ornamentum id esse, ac diuitiarum argumentum existimantes, perinde vt aurum cæteri barbari. Quin ipsa notant corpora pictura varia, & omnifariam formis animalium, quocirca ne induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiant. Sunt autem bellicosissima gens, atque auidissima cædis, tantùm scuto angusto, lanceáque contenti, præterea gladio nudis corporibus dependente, loricæ ac galeæ penitus ignorant vsum, impedimentum id esse transgrediendis paludibus arbitrantes, quarum vaporibus, æstúque cœlum ibi semper caliginosum.*

Reliqua, quæ paucula sunt hinc inde carpam & delibabo. Plinius de Magia. *Sed quid ego hæc commemorem in arte Oceanum quoque transgressa, & ad naturæ inane prouecta? Britannia hodiéque eam attonitè celebrat tantis ceremonijs, vt dedisse Persis videri possit.* Magia Britannorum.

Idem. *Simile plantagini glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges nurúsq; toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris & nudæ incedunt Æthiopicum colorem imitantes. Lautiores epulas non nouit Britannis quàm Chenerotes fero ansere minores. Annulos in medio digito gestârunt Britanni, Margaterras Britanni stercorârunt.* Glastum. Chenerotes.

Certis notis se inurere, quas *Britonum stigmata vocat* Tertullianus, docet Solinus. *Regionem*, inquit, *partim tenent Barbari: quibus per artifices plagarum figuras, iam inde à pueris variæ animalium effigies incorporantur, inscriptísque visceribus, hominis incremento pigmenti notæ crescunt: nec quicquam magis patientiæ loco nationes feræ ducunt, quàm vt per memores cicatrices, plurimum fuci artus bibant.* Pingendi ratio.

Dio. *Andatem* .i. Victoriam, & Adrasten Deas colebant.

Cæsar, & Lucanus. *Naues habebant quarum carinæ ac statumina ex leui fiebant materia: reliquum contextum corijs integebatur.* Solinus. *Quantocunque tempore cursus tenebat, nauigantes esu abstinebant. Potu ex hordeo vtebantur*, & nos hodiè vtimur, vt habet Dioscorides, qui *Curmi* perperàm vocat pro *Kwrw*, sic enim Britannis quod nobis *Ale* dicitur. *Plurimi vnam tantùm vxorem habuere*, vt author est Eusebius Præparat. 6. *Centenos & vicenos vixisse annos, quòd obrigefacta loca calorem introrsus arceant*, prodit Plutarchus. Andates. Nauigatio Britannorum. Curmi.

Qui fuerint illi *vetusti immanium tyrannorum anni*, de quibus Gildas, me latet, nisi illos innuat, qui in hac regione imperium sibi contra Romanos arripuerunt, eóque tempore Tyranni vocabantur. Subiungit enim ille ex Hieronymo. *Porphyrius rabidus orientalis aduersus ecclesiam canis dementiæ suæ, ac vanitatis stylo hoc etiam adnexuit. Britannia, inquiens, fertilis prouincia tyrannorum.* Nec de prisca eorum religione verba faciam, quæ ne religio quidem, sed tristissimum superstitionum chaos. Cùm enim Diabolus cumulata caligine veram doctrinam demersisset, Britanniæ *portenta erant*, inquit ille Gildas, *ipsa Diabolica, penè numero Aegyptiaca vincentia, quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus, intra vel extra deserta mœnia, solito more rigentia toruis vultibus intuemur.* Tyranni Britannia. Religio Britannorum.

Quòd verò Britannos vnà cum Hercule in Hesiones raptu adfuisse colligatur ex his Cornelij, vt existimant, Nepotis versibus, dum nuptias Telamonis & Hesiones describit,

— & in aurea pocula fusi
Inuitant sese pateris plebs mixta, Britanni, &c.

Planè Poeticum est, & illius authorem non fuisse Cornelium Nepotem, vt Germani volunt, sed Iosephum Iscanum, siue Exoniensem dilucidè & quasi obsignatis tabulis probare possum. Vtique qui Henrici nostri Secundi & Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi meminerit.

An

Brodæus lib. 3. cap. 4. Miscel. Vlysses nunquam in Britannia.

An Vlysses huc penetrârit, quem in Caledonia appulsum ara Græcis literis inscripta, vt habet Solinus, manifestauit, dubitat Brodæus: & potiùs in Vlyssis honorem, quàm ab Vlysse positam iudicârim: etiamsi Vlyssem illum Elizzam Iapheti nepotem fuisse contendant. Ex historijs enim liquet, & iam diximus, Græcos antiquissimos peregrinationes longinquas terrâ marique suscepisse: vnde mirum videri non debet, si nomina quædam & monumenta eorum varijs locis reperiantur: Sæpè autem ea nomina, non tam de suis deriuârunt, quàm de heroum nomenclaturis, quorum apud eos vel par, vel maior erat reuerentia, quàm apud Christianos aut Confessorum aut Martyrum. Sicut igitur à S. Iohanne, à S. Dominico, à S. Francisco, & alijs inumeris Diuis nomina regionibus recèns inuentis imponuntur; ita quoque olim apud Græcos contigisse, quis volet negare? At quis inter omnes heroas pelagi erroribus, aut pluribus, aut diuturnioribus fuit exercitus quàm Vlisses? Non igitur mirum frequentissimum nauigantes illi votum nuncupâsse, & locis quibus appellabant nomina votiua ab illo accepta consecrasse; Hinc Vlyssipo super Tagi fl. ostijs. Hinc alibi, alia Vlyssis, Laertæ, & sociorum monumenta, quæ non ad Vlyssem, vt conditorem sunt referenda, sed existimandum à Græcis peregrinas oras explorantibus, honori Herois, qui plurima inter omnes perlustrâsset, dedicata fuisse.

Quòd Ioannes Tzetzes in varijs historijs scripserit Reges nostros Britannicos Catonem illum maiorem, qui cum Populi Romani moribus bellum gessit, muneribus virtutis ergò affecisse, longè antequam Britanniæ nomen Romanis innotuerit: fidem ipse suam liberet, quàm fabulosus sit scriptor, nôrunt eruditi.

Alexander Magnus nunquam in Britannia.

Nec credas Alexandrum Magnum ex India Orientali ad Gades & Britanniam peruenisse, quamuis scribat Cedrenus refragantibus Historicis. Ἐκεῖθεν δὲ φθὰς Ἀφανον καὶ Γάδειρα, καὶ τὰ Βρεττανικὰ ἔθνη ... , χιλίας ὁλκάδας κατασκευάσας ... . Eiusdem est farinæ quod ex Hunnibaldo Trithemius refert Bassanum regem filiam Orcadum regis repudiasse anno ante Christum natum 284. eumq; regis Britannorum auxilijs bellum Bassano intulisse.

Hannibal nunquam in Britannia.

Nec quis putet Hannibalem in Britannia militasse, quòd apud Polybium vndecimi libri eclogis legatur, τοῦτο δὲ ἦν ἐν ὀλίγῳ συγκλειόμενον τῆς Βρεττανίας εἰς πάντα βροχαῖς ... . Mendosus etenim est locus, & pro Βρεττανίας, Βρεττιανῆς legendum, vt etiam apud Dionem lib. 42. Agitur enim vtrobique de Brutijs in Italia: Græcos tamen circa hæc tempora

Nauis Hieronis.

insulam nostram adijsse non diffitear. Dum enim Athenæus nauem illam Hieronis, cuius magnitudo & artificium cunctis miraculo fuit, è Moschione vetustissimo authore describit, præcipuum eius nauis malum difficulter in Britanniæ montibus à subulco inuentum, & à Philea Tauromenite mechanico in Siciliam deductum prodit. Sed vereor ne Critici etiam Βρεττιανῆς hic pro Βρεττανίας legendum censeant & ad montes Brutiorum in Italia iidem referant.

Britones in expeditionibus cum Cimbris. Triadum liber.

Britannos autem cum Cimbris & Gallis permistos fuisse in expeditionibus illis in Italiam & Græciam videtur. Nam præter nomen commune, in Britannico Triadum libro vetustissimo, vbi tres maximi exercitus, qui è Britannis conscripti erant, memorantur, proditum est, exterum quendam ducem longè maximum exercitum hinc contraxisse, qui, populata magna Europæ parte, tandem ad Græcum mare (forsitan Gallatiam innuit) consederit. Brennúmque illum Græcis & Latinis scriptoribus Regem celeberrimum Britannum fuisse facilè sunt qui credunt se, posse comprobare. Ego hoc tantùm scio quòd nomen illud necdum apud Britannos exoleuit qui sua lingua regem *Brennin* appellitant.

Brennus.

Britomarus Brito.

Britomarum certè, ducem inter illos militarem, cuius meminit Florus & Appianus, Britonem fuisse nomen euincit, quod *Britonem Magnum* significat. Nec torquebo illud Strabonis, qui Brennum natione Prausum fuisse scribit, vt natione Britonem faciam.

Lib. 2. cap. 13.

Nec quod Ottho Frisingensis tradit ad Draui scaturiginem Cimbrorum prolem *Briones* sedisse, in Britones conuertere ausim, etsi quid non audeant temporis nostri Critici?

Britannia serius Græcis & Romanis cognita.

Verumenimuerò, vt semel dicam, quod sentio. Vt Romani qui in eam potentiam emicuerunt, nec Herodoto nec Græcis antiquioribus innotuerunt, Gallique & Iberi diu priscis Historicis planè fuerint ignotissimi: sic Britannorum nomen seriùs Græcis & Romanis auditum fuisse semper existimaui. Libellus enim ille de Mundo qui Aristotelis nomine circumfertur, meminitq; Britanniarum, Albionis, & Hiernæ, non est ab æuo Aristotelis,

Aristotelis, sed multò recentior, vt eruditissimi iudicârunt. Polybio certè historico illi maximo qui magni Scipionis socius magnam Europæ partem circa annum ante Christum natum 370. perlustrauit, hæc orbis terrarum plaga minimè innotuit. *Quod*, inquit ille, *inter Tanaim atq; Narbonem ad Septentrionem vergit vsq; in præsentem diem ignoratur, somniantq; si qui de eo vel loquuntur aliquid, vel scribunt.* Vt illi hodiè somniare videantur qui Himilconem à Carthaginensibus iussum occidua Europæ littora explorare, hanc insulam pluribus antè annis aperuisse fide prodiga crediderunt, cùm nihil de hac nauigatione in literas relatum præter vnum & alterum apud Festum Auienum versiculum. Quòd verò Britannia seriùs innotuerit, in caussa videatur cùm disiunctior insulæ situs, tùm quòd veteres illi Britanni tunc barbari, vt reliquæ in hoc tractu gentes, sibique viuentes non magna commercia cum alijs gentibus habuerint. Et hac quidem in re Dio iuxtà sentit. *Primis Græcorum*, inquit, *Romanorúmque ne esse quidem Britanniam compertum fuit, posteriores in controuersiam adduxerunt, Continens ne ea terra, an verò insula esset, multáque de vtraque opinione conscripta sunt ab ijs qui certi quidem nihil nouerant, (quippe qui nec vidissent, nec ab indigenis qualis esset, accepissent) sed coniecturis tantum, quantum vel ocij vel studij singulis aderat, niterentur.* Latinorum autem primus quòd sciam, Britanniæ meminit Lucretius his versiculis de aëris differentijs.

Nam quid Britannum cœlum differre putamus,
Et quod in Aegypto est, quà mundi claudicat axis.

Lucretium autem Cæsare paulò antiquiorem fuisse in confesso est, quo tempore Diuitiacum Suessionum Regem totius Galliæ potentissimum Britanniæ imperium obtinuisse ab ipso Cæsare edocemur. Sed hoc de ora maritima intelligendum. Cæsar enim ipse attestatur nihil Britanniæ præter oram maritimam, atque eas regiones quæ sunt contra Galliam, Gallis notum fuisse. Diodorus tamen Siculus scribit, *Britanniam nullius aduenæ imperium expertam, neque enim Dionysium, neque Herculem, neque heroa aut Deum quempiam accepimus eos bello tentâsse. Nunc C. Cæsar qui propter res gestas Diuus est appellatus, primus omnium Britannis subactis certum eos dare tributum coëgit.*

Hinc nostro historico futuro principia ducenda, & non altiùs repetenda, si cum iudicio perpenderit quod Varro ille doctissimus olim tradidit & iam anteà innui. Tria nimirum esse temporum discrimina, primum ab hominum principio ad Cataclysmum siue diluuium, quod propter ignorantiam vocatur ΑΔΗΛΟΝ: secundum a diluuio ad Olympiadem primam, annum scilicet mundi 3189. quod quia multa in eo fabulosa referuntur, ΜΥΘΙΚΟΝ nominatur; tertium à prima Olympiade ad nos, quod dicitur ΙΣΤΟΡΙΚΟΝ, quia res in eo gestæ veris historijs continentur. Me tamen minimè latet, quamuis eruditæ gentes præter Hebræos nihil altiùs compertum habeant, historiam Britannicam Galfredi tercentum triginta annis ante primam Olympiadem sæculo illo in his partibus rudi & ignaro quod fabulosum ille vocauit exordiri. Hinc, ne malè ponam initia, & sic cætera sequerentur, quia & locus exigere videtur, & sequenti narrationi lux maxima inde exoriatur, liceat mihi Romanorum in Britannia historiam non è fabellis quas vani esset scribere, & imperiti credere; sed ex incorruptis priscæ antiquitatis monumentis summatim, & carptim perstringere; nec ego gloriæ segetem illis præcidam, qui hoc argumentum pleniùs molientur.

Censorinus de Die natali. Tria tempora. Ignotum. Fabulosum. Historicum.

ROMANI IN BRITANNIA.



CUm Virtus & Fortuna ita conuenissent, aut potiùs diuinum statuisset consilium, vt Roma iugum omnibus terris imponeret; Caius Iulius Cæsar Gallias iam victorijs emensus, vt quas natura diremerat, victorijs committeret, terra mariq; captis, Oceanum respexit, quasi orbis Romanus non sufficeret: annoq; ante Christum natum quinquagesimo quarto in Britanniam proficisci contendit. Vel quòd in omnibus Gallicis bellis inde auxilia subministrata fuissent, vel quòd Bellouacos profugos suscepissent Britanni, vel vt Suetonius scribit, Margaritarum Britannicarum spe illectus, quarum magnitudinem & pondus manu exigere solebat, vel potiùs gloriæ cupiditate flagrans, quod facillimè credamus,

Iul. Cæsar. Pomponius Sabinus ex Seneca.

cùm reieceerit legatos Britannorum qui cognito eius consilio eum adierunt, obsidésque dare & populi Romani imperio obtemperare promiserunt.

Sed ipsius ingressum suis ipsius verbis compendio proponam, Cùm Britanniæ loca, portus, aditus Cæsari minùs essent cognita, C. Volusenum cum naui longa præmittit, qui exploratis omnibus quæ quinque diebus poterat, reuertitur. Britanni perlato per mercatores Cæsaris consilio, plures ciuitates ad eum legatos in Galliam mittunt qui polliciti & se obsides daturos, & imperio. P. R. obtemperaturos. Hos hortatus vt in sententia permanerent, domum remittit vnà cum Comio Atrebatensi, cuius authoritas his regionibus magna erat, (Atrebates enim iam anteà è Gallis profecti hîc sedes posuerant) vt ciuitatibus fidem populi Romani sequi persuaderet. Verùm illum è naui egressum in vincula coniecerunt Britanni. Contractis interim nauibus circiter LXXX onerarijs ad duas legiones transportandas, alijsq; XVIII quas equitibus distribuit, è Morinis tertia vigilia soluit, & hora circiter diei quarta Britanniam attigit, loco ad egrediendum minùs idoneo: montibus enim angustis ita mare continebatur vt è superioribus locis telum in littus adigi posset. Ventum itaque & æstum vno tempore nactus, sublatis anchoris circiter mill. pass. VIII progressus, aperto ac plano littore naues constituit. At Britanni consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu & essedarijs eos nauibus egredi prohibebant. Hîc summa erat Romanis difficultas, nam magnitudo nauium mari minùs alto constitui non poterat, & milites ignotis locis onere pressi de altis illis nauibus necessariò desilirent, simulq; in fluctibus consisterent, & cum hostibus pugnarent. Contrà Britanni notissimis locis, omnibus membris expediti ex arido aut paululùm in aquam progressi pugnârent. Hinc Romani perterriti non eadem qua anteà vtebantur alacritate. Verùm cùm Cæsar longas naues ab onerarijs remoueri, remis incitari, & ad apertum Britannorum latus constitui iussisset; & inde fundis, tormentis, sagittis emissis; Britanni & nauium figura, & remorum motu & inusitato tormentorum genere permoti pedem retulerunt. Tunc decimæ legionis Aquilifer contestatus Deos vt ea res fœliciter Legioni eueniret. Desilite, inquit, commilitones nisi vultis Aquilam hostibus prodere, ego certè, meum Reipublicæ atque Imperatori officium præstitero, & protinùs se ex naui proiecit & in hostes Aquilam ferre cœpit, illumq; vniuersi sunt subsecuti (sed si Iuliano credimus, ipse Cæsar primus è naui descendit) Pugnatum ab vtrisq; acriter, sed Romani armis impediti, vndis iactati, parùm firmiter consistentes, & confusi magnoperè perturbabantur, donec Cæsar speculatoria nauigia scaphásq; militibus compleßet & laborantibus subsidia submisisset. Simul atque in arido constiterunt Romani, in Britannos impetum fecerunt, in fugam dederunt; prosequi autem non potuerunt, quòd equites nondum ad insulam appulissent. Britanni prælio victi statim legatos de pace, & cum illis Comium Atrebatensem quem in vinculis detinuerant, mittunt, culpam in multitudinem & imprudentiam conijciunt. Cæsar facilè ignouit, obsidesq; imperauit, quorum partem dederunt, partem se daturos dixerunt. Hæc pax post diem quartam quàm in Britanniam ventum est, firmata erat.

In Cæsaribus.

Eodem tempore naues illæ XVIII quæ equites ferebant, cùm iam in conspectu essent, tempestate in occasum abreptæ ægrè continentem Galliæ recuperârunt. Eademque nocte Luna iam plena longas naues in aridum subductas æstus complebat, & onerarias ad anchoras tempestas ita afflictabat, vt ad nauigandum omninò inutiles essent. Hinc Britanniæ principes cùm iam equites, naues, frumentum Romanis deesse intelligerent, rebellione facta eos frumento prohibere statuunt. Cæsar suspicatus id quod accidit, frumentum ex agris in castra quotidie conferebat, & naues ex materia duodecim illarum quæ grauissimè afflictæ, reficiebat. Dum hæc geruntur, Legionem Septimam frumentatum missam, in metendo occupatam Britanni subitò adorti equitatu & essedis simul circumdederant. Genus hoc ex essedis pugnæ; vti paulò supra dictum, primò per omnes partes perequitant, & tela conijciunt: atque ipso terrore equorum, & strepitu rotarum ordines plerunq; perturbant, & cùm se inter equitum turmas insinuauerint, ex essedis desiliunt & pedites præliantur. Aurigæ interim paulatim è prælio excedunt, atque ita currus collocant, vt si illi multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prælijs præstant: ac tantùm vsu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in decliui ac præcipiti loco incitatos equos sustinere,

Essedarij.

nere, & breui moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere consueuerint. Sed Cæsare peropportunè adueniente Romani ex timore se receperunt, Britanniq; constiterunt, qui se liberandi in perpetuum spe concepta ex paucitate militum Rom. & frumenti inter eos inopia, magnam multitudinem coegerunt, & ad castra venerunt, sed pro castris prælio Cæsar excepit, in fugam coniecit, complures occidit, atque ædificia longè latéq; incendit. Eodem die legati Britannorum ad Cæsarem de pace veniunt & impetrant, obsidum numero duplicato, quos in Galliam adduci iubet. Statimque proxima iam æquinoctij die ex Britannia naues soluit, quæ incolumes in continentem peruenerunt. Quò duæ omninò ciuitates ex Britannia obsides miserunt, reliquæ neglexerunt. His gestis ex literis Cæsaris dierum xx. supplicatio a Senatu decreta est. Quanquam nihil sibi neque Romæ, præter gloriam susceptæ expeditionis adeptus fuerit. Dio lib. 39.

Anno insequente comparata magna classe, cum annotinis enim priuatisq; quas quisq; sui commodi causa fecerat, ampliùs octingentæ erant naues, & in illis quinque legiones & equitum millia duo ex Itio portu soluit, exercitúmque ea insulæ parte, qua superiore æstate, exposuit. Neque hostis eo loci visus, quamuis enim magnæ Britannorum manus eò antè conuenerant, multitudine nauium perterritæ se in superiora loca subduxerant. Castra hîc loco idoneo posuit, inque ijs cohortes decem & equites trecentos nauibus præsidio reliquit. Ipse noctu millia XII profectus Britannos conspexit, qui ad flumen progressi prælium committere cœperunt, sed repulsi ab equitatu in syluas se abdiderunt, locum nacti natura & opere munitum. At Romani testudine facta, & aggere ad munitiones adiecto locum ceperunt, & eos ex syluis expulerunt, nec longiùs prosequuti sunt quòd ibidem castra erant munienda.

Postridiè suos ad Britannos persequendos tripartitò misit Cæsar, statimque reuocauit quòd ex nuntijs cognouerat naues nocte superiori tempestate afflictas, collisas, & in littus eiectas esse: Ipse ad naues reuersus decem dierum labore omnes naues subduxit, & cum castris vna munitione coniunxit, atque vnde redierat, proficiscitur. Quò etiam maiores Britannorum copiæ conuenerant sub Cassiuellauno seu Cassibelino cui summa imperij belliq; administrandi communi Brittannorum consilio permissa, quorum equites & essedarij cum Romanis in itinere conflixerunt, compluribus vtrinq; interfectis. At Britanni intermisso spatio, Romanis castrorum munitione occupatis, in eos qui erant prò castris in statione acriter impetum faciunt, quibus cùm duas cohortes cum primis duarum legionum subsidio misisset Cæsar, per medios audacissimè perruperunt, seq; inde incolumes receperunt. Postero die rari se ex collibus ostenderunt Britanni, meridie autem in tres legiones, omnémq; equitatum ad pabulandum missos aduolauerunt. Sed repulsi sunt magno eorum numero interfecto. Iam quæ conuenerant auxilia discesserunt, nec summis posteà copijs cum Romanis contenderunt. Cæsar ad fl. Tamisim in fines Cassiuellauni exercitum ducit, cuius altera ripa, & sub aquis acutas sudes defixerant Britanni, & magnas copias instruxerant. Sed eo impetu Romani cùm capite solo ex aqua extarent, transuadarunt, vt illi ripas dimitterent, & sibi fuga consulerent, non terrore turrigeri Elephantis, vt habet Poliænus. Cassibelinus. Tamisis fl.

Cassiuellaunus iam spe contentionis deposita quatuor millibus essedariorum retentis itinera Romanorum seruabat, & quoties eorum equitatus se liberiùs prædandi caussa in agros effunderet, essedarios emittebat, latiúsq; vagari prohibebat. Interim Trinobantes sese Cæsari dedunt, petúntq; vt Mandubratium (Androgorium ex amissis Suetonij, Eutropius & Beda; Androgeum Britanni nostri vocant) ab iniuria Cassiuellauni defendat, & ad eos, vt præsit, mittat. His Cæsar imperat obsides quadraginta, frumentum exercitui Mandubratiumq; mittit. Trinobantum exemplo Cenimagni, Segontiaci, Ancalites, Bibroci, Cassij se Cæsari dedunt, a quibus cognoscit Cassiuellauni opidum non longè abesse syluis paludibusq; munitum, quod cùm duabus ex partibus oppugnaret, Britanni ex alia parte se eiecerunt, multiq; in fuga comprehensi atq; interfecti. Trinobantes. Mandubratius qui & Androgeus dictus.

Intereà ex Cassiuellauni mandato quatuor reguli qui Cantio præerant, Cingetorix, Caruilius, Taximagulus, Segonax castra naualia Romanorum adorti, eruptione facta repelluntur, Cingentorige regulo capto. Cassiuellaunus tot detrimentis acceptis, maximè permotus defectione ciuitatum, legatos per Comium Atrebatem de deditione ad

Cæſarem mittit. Ille cùm in continente hyemare ſtatuiſſet, obſides imperat, quid in annos ſingulos vectigalis Populo Romano Britannia penderet, conſtituit, Caſſiuellauno imperat ne Mandubratio, neu Trinobantibus noceat, & cum magno captiuorum numero duobus commeatibus exercitum reportat. Hæc Cæſar de ſuo in Britannia bello. Addit ex amiſſis Suetonij monumentis Eutropius.

Scæua miles Cæſaris cum quatuor commilitionibus nauicula antè tranſuectus eſt ad ſcopulum inſulæ propinquum, atq; intereà receſſu Oceani deſtitutus eſt. Complures Britanni in paucos Romanos impetum faciunt: cæteri tamen qui perrari comites ipſius fuerant, nauigio redeunt: Scæua imperterritus manet, vndiq; telis obrutus: ac primò pilo reſtitit, poſtremò gladio rem gerit ſolus in plures. Cumq; feſſus, vulneratusq; eſſet, & galeam ac ſcutum ictibus perdidiſſet, cum duabus loricis natauit ad caſtra Cæſaris, & popoſcit ab imperatore veniam pro temeritate, quem Cæſar Centurionatus honore ſubuexit.

Cùm hanc inſulam adiret Cæſar, vt Cotas qui tunc ſecundum in caſtris obtinebat locum in Commentario ſuo Græco de Rom. Repub. prodidit, ea fuit temperantia, & à noſtri ſeculi pompa adeò alienus, vt tres ſolummodo domeſticos in famulatu haberet. *Athenæus.* *Cùm Britanniam peragraret,* inquit Seneca, *nec Oceano fælicitatem ſuam continere poſſet, audiuit deceſſiſſe filiam publica ſecum facta ducentem: ſed tam citò dolorem vicit, quàm omnia ſolebat.* E Britannia victor reuerſus, thoracem ex Britannicis margaritis factum, Veneri Genetrici in eius templo dicauit. *Plinius.* Captiuoſque nonnullos Britannicos ad officia Theatralia, Aulæaq; etiam in quibus ſuas victorias Britannicas depinxerat, deſtinauit. *Seruius. Honoratus.* Quæ cùm Britanni, qui in ipſis picti erant, tollere ſolebant, cecinit Virgilius.

Purpureaq; intexti tollant aulæa Britanni.

Nec ad theatralia tantùm officia deſtinati Britanni, ſed etiam (obiter adnoto) ad Lecticam Imperatoris, vt conſtat ex Inſcriptione antiqua huius æui, in qua Decurio Lecticariorum Britannicorum memoratur. *In hortis Cardinalis Carpensis.* De hac Cæſaris victoria antiquus cecinit Poeta:

Vis inuicta viri reparata claſſe Britannos
Vicit, & hoſtiles Rheni compeſcuit vndas.

Huc etiam referri poteſt illud Claudiani de virtute Romana:

Nec ſtetit Oceano, remiſq; ingreſſa profundum,
Vincendos alio quæſiuit in orbe Britannos.

Cicero prætereà in poemate amiſſo quod Quadrigas inſcripſit, Cæſarem ob res Britannicas per medias laudes Poëticis quadrigis vexit, vt nobis perſuadet Ferretius Pedemontanus: ſcribit enim ipſe. *Pingam Britanniam coloribus tuis, penecillo antem meo.* Veruntamen aliorum iudicio Britannos tantùm proſpera pugna terruit ille, vel vt Lucanus cecinit, qui Cæſarum familiæ iniquior,

Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.

Grauiſſimuſq; ſcriptor Tacitus ſcribit illum Britanniam tantùm oſtendiſſe, non tradidiſſe Romanis: Horatius haud tetigiſſe innuit cùm Auguſto adblandiens Britannum dicit *intactum.*

Intactus aut Britannus vt deſcenderet
Sacra catenatus via.

Et Propertius.

Te manet inuictus Romano Marte Britannus.

Tantùm abeſt vt verum ſit illud quod Aulicus ille Hiſtoricus Velleius Paterculus ſcripſerit. *Bis penetrata Britannia à Cæſare*, cùm vix ab illo intrata fuerit. Annos enim plures ab hoc Cæſaris ingreſſu hæc inſula, *ſuis regibus conceſſa, & ſuis legibus eſt vſa.* *Dio.*

Auguſtus. Auguſtus conſultò Britanniam neglexiſſe videtur, cùm *concilium* id vocaret, vt inquit Tacitus, fortaſſe quia conſultiſſimum videbatur *imperium Romanum intra terminos coerceri,* Oceanum ſcilicet, Iſtrum, & Euphratem limites à Natura datos, vt adamantinum eſſet imperium (ſic enim ipſe Auguſtus apud Iulianum loquitur,) ne vt nauigium quod modum excedit, regi non poſſet, ſed mole laborans ſua ſtatim ſubſideret & corrueret, quod magnis accidere ſolet: vel, vt Straboni placet, ſpreuit cùm videret neq; vllum metum à Britannis eſſe, neq; multum vtilitatis, nec parum incommodi videbatur ab alijs inſulam circumiacentibus oblatum iri. *In Cæſaribus.* Quæcunq; verò cauſa fuit, certè poſt Iulium, & verſa in ipſam Rempublicam Romanorum arma, longa erat Britanniæ obliuio,

uio, etiam in pace. Tandem tamen ab vrbe profectus est Augustus vt in Britanniam bellum transferret. Quo tempore ad Fortunam Antianam Horatius.

Serues iturum Cæsarem in vltimos
Orbis Britannos.

Verùm postquàm in Galliam venit, Britanni ad eum pacem petitum miserunt, & reguli quidem Britannici legationibus & officijs amicitiam eius consecuti donaria in Capitolio dedicarunt, *Familiaremq́; Romanis totam penè insulam redegerunt vt vectigalia tolerent iam non difficilia è rebus quæ è Gallia & Britãnia vltro citroq́; vehuntur: sunt autē eburnea, frana, & torques, & electrina atq́; vitrea vasa, aliaq́; id genus viles ac promiscuæ merces. Itaq́; nullo ad eam insulam opus est præsidio. Requireretur enim ad minimum vna Legio & aliquid equitatus, si tributa inde essent auferenda, atqui tributum æquarent sumptus in præsidium faciendi; necessariò enim vectigalia imposito tributo minuerentur, & vi facta, aliquid impenderet periculorum.* Strabo. Anno itidem sequente alteram in hanc insulam expeditionem animo agitauit Augustus, quia de pacto non conuenit, sed Cantabri, alijq; in Hispania noua molientes impedierunt. Nec est cur quispiam Landino, aut Seruio, aut Philargyro credat, qui Augustum de Britannis triumphasse ex his Maronis carminibus prodiderunt.

Et duo rapta manu diuerso ex hoste trophæa,
Bisq́; triumphatas vtroq́; à littore gentes.

Ob deditionem sanè illam cecinit Horatius,

Cœlo tonantem credidimus Iouem
Regnare: præsens diuus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, grauibusq́; Persis.

Tiberius immoderata dominandi cupiditate minimè abreptus Augusti consilio acquieuisse videtur, librum enim protulit ipsius Augusti manu perscriptum, in quo *opes publicæ continebantur, quantum ciuium sociorumq́; in armis, quot classes, regna, prouinciæ, tributa, aut vectigalia, additumq́; consilium coercendi intra terminos imperij,* Quod ipsi præcipuè (vt habet Tacitus) adeò placuit vt nihil in Britannia tentauerit, nec aliquid præsidij habuerit. Vbi enim Tacitus percenset numerum legionum, & quas oras hoc tempore tutarentur, Britanniæ nullam omnino facit mentionem. Romanorum tamen amicitiam Britanni coluisse videntur, cùm enim hoc tempore Germanicus, Oceanum nauigasset, quidam in hanc insulam vi tempestatis rapti, a Regulis fuerunt remissi. Tiberius.

Agitasse Caium Cæsarem de hac insula intranda satis constat, ni velox ingenio, & mobilis pœnitentia, & ingentes aduersus Germaniam conatus frustra fuissent. Vt enim Britanniam & Germaniam quibus imminebat alicuius immensi operis fama territaret, Baiarum medium interuallum, & Puteolanas moles trium millium & sexcentorum passuum ponte coniunxit. *Nihil autem amplius præstitit quam Adminio Cinobellini Britannorum Regis filio, qui pulsus à patre, cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto, quasi vniuersa tradita insula, magnificas Romam literas misit, monitis sæpe latoribus, vt vehiculo ad forum vsq́;, & curiam pertenderent, nec nisi in æde Martis, ac frequente Senatu, Consulibus traderent. Postea ad Oceanum profectus, tanquam in Britanniam bellum translaturus, in acie omnes milites suos propter littus collocauit, ipse triremi conscensa, paululum à terra auectus redijt, ac deinde alto in suggesto considens, signum pugnæ militibus dedit, classicumq́; canère iussit, ac subito mandauit, vt conchylia legerent. His partis spolijs (nimirum exuuijs hostium ad trophæum indigens) animum sustulit, quasi ipsum Oceanum subegisset, donatisq́; militibus, conchylia hæc Romam attulit, vt ibi quoq́; prædam suam ostentaret. Et in indicium victoriæ altissimam turrem excitauit, ex qua, vt ex Pharo, noctibus ad regendos nauium cursus, ignes emicarent.* Cuius ruinæ conspiciuntur aliquando recedente æstu in Hollandiæ littore, & *Britenhuis* accolis nominatur, qui inscriptos lapides sæpe reperiunt, ex quibus vnus habuit has literas C. C. P. F. quas interpretantur nescio quam verè, *Caius Caligula Pharum Fecit.* Sed nos de hac fusiùs in insulis Britannicis. C. Caligula. Sueton. in vita Caligulæ. Adminius. Dio. Pharus.

Iam inde interior Britannia magis ciuilibus bellis, & partium studijs, quàm Romanorum viribus attrita, post varias clades vltrò citróque illatas, in Romanorum potestatem Claudius.

paulatim concessit. Dum enim singuli pugnabant, vniuersi sunt victi, sic in mutuam perniciem ruentes, vt non nisi oppressi senserint omnibus perire, quod singuli amiserint. Eo vsque etiam plures falsos fieri subegit ambitio vt nonnulli transfugerint, Romanorum fidem sequuti, & omnibus modis Romanis securibus patriam subijcere machinati. Inter hos præcipuus Bericus, qui author fuit Claudio vt Britanniam nulli post I. Cæsarem tentatam & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas aggrederetur. Ille autem Aulum Plautium *tunc Prætorem exercitum in Britanniam ducere iussit, qui difficulter exercitum è Gallia abduxit, indignè ferentem, quòd extra orbem terrarum bellum esset gerendum, multumq; temporis cunctando extrahentem. Assi vbi Narcissus a Claudio missus tribunal Plautij ascendere, & exercitum alloqui instituit, tum maiori indignatione milites accensi, conclamauere confestim tritum illud, Io. Saturnalia, (mos enim est Saturnalibus, vt id festum habitu dominorum serui celebrent) statimq; volentes Plautium secuti sunt. Copijs in tres partes distractis, ne vno loco appellentes prohiberi littore possent, retrò acti a vento in transmissione nonnihil molestiæ senserunt: animo tamen recepto, quia fax ab ortu solis ad occidentem, quà nauigabant, discurrisset, insulam aduecti sunt, nemine prohibente. Britanni enim cùm ob ea quæ narraui, eos non aduenturos credidissent, non conuenerant: ideoq; non congressi, in paludes se ac syluas abdiderunt, spe Romanos mora extrahendi vt re infecta discedere cogerentur, sicut Iulio Cæsari acciderat. Proinde Plautius ijs indagandis multum laboris exhausit, Postquam inuenit, (erant autem non liberi, sed regibus diuersis subiecti) primò Cataratacum, post Togodumnum Cynobellini filios vicit, patre autem mortuo. Fugientibus his, partem Bodunnorum in fidem accepit, qui Catuellanis parebant: præsidioq; ibi relicto, ad fluuium quendam progressus est: quem quia sine ponte non posse a Romanis transiri Barbari credebant, socordiùs in altera eius parte castra habebant. Igitur Plautius Germanos misit, solitos etiam rapidissima flumina facilè in armis tranare. Hi hostem inopinatum inuadentes, neminem virum sauciarunt, equis tantùm qui currus traherent, vulneratis, quibus turbatis ne sessores quidem constare valebant. Tum Flauium Vespasianum (qui summo pòst Imperio potitus est) huiusq; fratrem Sabinum legatum misit, qui ipsi etiam traiecto amne, permultos Barbaros improuiso interfecerunt. Neque verò reliqui fugæ se dederunt, sed postero die prælium incerta victoria conseruerunt, donec C. Sidius Geta cum propè in hostium potestatem venisset, ita eos vicit, vt ei propterea honores triumphales, quanquam Consul non fuisset, dati sint. Inde se barbari ad fluuium Tamisin, quà is in Oceanum se exonerat, eoq; affluente stagnat, receperunt, eumq; facilè transierunt, locorum quæ firma & perua essent gnari: eos Romani insequentes periclitati sunt, mox cùm Germani iterum tranauissent, ac superiori loco per pontem quidam transgressi essent, vndiq; Barbaris circumfusi magnam stragem ediderunt, reliquos vero inconsultius consectantes, in paludes inuias inciderunt, multosq; suorum amiserunt. His de causis, & quia Togodumni interitu non modo nihil remiserant Britanni, sed acriùs ad vindicandam eius cladem bellum parabant, veritus Plautius vltrà non processit, sed custodia eorum quæ tenuisset posita, Claudium accersit: iussus id facere, si quid violentius eueniret: ad quam expeditionem cum multa parata erant, tum elephanti contracti. Claudius accepto nuncio res vrbanas, ac milites etiam Vitellio collegæ suo, (cui Consulatum itidem vti sibi, ad sex menses dederat) mandauit, ipse ab Vrbe Ostiam deuectus nauigio inde Massiliam, reliquoq; itinere partim terra, partim mari facto, ad Oceanum venit transmisitq; in Britanniam, & ad copias ad Tamisin se expectantes perrexit. Quibus ad se receptis, transgressus fluuium, cum Barbaris, qui ad eius aduentum conuenerant, signis collatis dimicauit, victoriaq; potitus est, & Camalodunum Cunobellini regiam capit, multósq; inde vi, alios deditione in suam potestatem accepit. Ob hæc aliquoties Imperator dictus est, contra institutum Romanorum: neque enim sæpius quàm semel licet vno de bello id nomen adsumere. Porrò Britannis Claudius arma ademit, Plautioq; eos regendos, subigendosq; reliquos mandauit, ipse Romam contendit, generis suis Pompeio & Silano cum nuntio victoriæ præmissis.* Sic Dio. Veruntamen Suetonius sine vllo prælio, aut sanguine partem insulæ in deditionem accepisse tradit. Sedecim plùs minùs diebus ipse in Britannia mansit. Quo tempore bonorum publicationem primoribus Britannorum remisit, pro quo beneficio eius templum coluerunt, & vt Deum orârunt. Sextóq; quàm profectus erat mense, Romam redijt.

Bericus. *A. Plautius.* *Dio.* *Elephanti.*

Tantum erat vel tantillam Britanniæ partem debellâsse, vt hinc Claudio annuos ludos, arcus triumphales & in Vrbe, & Gessoriaci Galliæ, splendidissimúmq; triumphum decreuerit

uerit Senatus, ad cuius spectaculum etiam prouinciarum præsidibus, & quibusdam exulibus in vrbem commeare permissum, Naualis corona fastigio Palatinæ Domus, quasi Britannici maris domiti insigne, fixa, Coronas aureas contulerint prouinciæ, Gallia Comata vnam IX. pondo, Hispania citerior alteram VII. pondo. Per gradus in Capitolium genibus adscendit, leuantibus eum vtrinque generis. Mare Adriaticum prægrandi domo veriùs quàm naue triumphans intrauit. Messalinæ vxori primus in consessu locus, & vt carpento veheretur decreta fuerint à Senatu. Deinde ludos triumphales edidit, accepta ad id Consulis potestate. Hi ludi in duobus simul theatris exhibiti sunt, ac sæpiùs ipso à spectaculis digresso, alij ea curàrunt. Equorum certamina tot promisit, quot dies illi admitterent, plura tamen quàm decem non fuere, nam inter equorum cursum vrsæ cædebantur, athletæ certabant, pueri ex Asia euocati pyrrhicam saltabant. Valerio etiam Asiatico, Iulio Silano, Sidio Getæ & alijs ob hanc victoriam ornamenta triumphalia congessit. Licinio Crasso Frugi equo phalerato, & veste palmata ipsum triumphantem sequi permisit, Posidio, Spadoni hastam puram, C. Gauio torques, armillas, phaleras, coronámq; auream, vt in antiquo marmore Taurini videre est, donauit. Plinius.

Interim belli reliquias tam secundis prælijs prosequutus est Aulus Plautius vt illi ouationem decreuerit Claudius, ingressóque vrbem obuiam progressus, & in Capitolium eunti, & inde rursus reuertenti latus texerit, .i. læuus incesserit. Monstratus etiam iam fatis Vespasianus qui in partem huius Britannici belli a Claudio assumptus, partim ipsius Claudij, partim Plautij ductu tricies cum hoste conflixit, duas validissimas gentes, supérque XX. opida, & insulam Vectem in deditionem redegit. Quare triumphalia ornamenta, & in spatio breui duplex sacerdotium, præterea Consulatum, quem gessit per duos nouissimos anni menses accepit. Titus etiam hic Tribunus sub patre meruit, summæ industriæ & fortitudinis (patrem enim obsessum fortiter liberauit) nec minore modestiæ fama, vt ex imaginum eius multitudine, ac titulis per Germaniam & Britanniam apparuit. Cætera quæ in Britannia deinceps acciderunt vsque ad suprema Domitiani tempora suis verbis qui optimè poterit ennarrabit Tacitus. *In Britannia P. Ostorium Proprætorem turbida res excepere effusis in agrum sociorum hostibus, eò violentiùs quòd nouum ducem ignoto exercitu & capta hieme iturum obuiam non rebantur. Ille gnarus primis euentibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit: & cæsis qui restiterunt, disiectos consectatus ne rursus conglobarentur, infensaq; & infida pax non duci, non militi requiem permitteret, detrahere arma suspectis, cinctósq; castris Antonam & Sabrinam cohibere parat. Quod primi Iceni abnuere, valida gens, nec prælijs contusa quia societatem nostram volentes accesserant. Hisq; auctoribus circumiectæ nationes locum pugnæ deligere septum agresti aggere & aditu angusto, ne peruius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quanquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere aggreditur, & distributis cohortibus, turmas quoque equitum ad munia accingit. Tunc dato signo perfringunt aggerem, suisq; claustris impeditos turbant. Atq; illi conscientia rebellionis & obseptis effugijs, multa & clara facinora fecere. Qua pugna filius legati, M. Ostorius seruati ciuis decus meruit.* Vespasianus. Suet. in Vespas. c. 4. Suet. Tito c. 4. P. Ostorius Proprætor. Iceni.

Cæterùm clade Icenorum compositi qui bellum inter & pacem dubitabant, & ductus in Cangos exercitus. Vastati agri, prædæ passim actæ, non ausis aciem hostibus, vel si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Iam ventum haud procul mari, quod Hiberniam insulam aspectat, cùm ortæ apud Brigantes discordiæ retraxere ducem, destinationis certum, ne noua moliretur, nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem paucis qui arma cœptabant interfectis, in reliquos data venia resedere. Silurum gens non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret, castrisq; legionis premenda foret. Id quo promtius veniret, colonia Camalodunum valida veteranorum manu deducitur in agros captiuos, subsidium aduersus rebelles, & imbuendis socijs ad officia legum. Quædam ciuitates Cogiduno Regi donatæ veteri populi Romani consuetudine vt haberent instrumenta seruitutis & Reges. Cangi. Brigantes. Camalodunum Colonia.

Itum inde in Siluras super propriam ferociam Caractaci viribus confisos, quem multa ambigua, multa prospera extulerant, vt cæteros Britannorum imperatores præmineret. Sed astu, tum locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordonicas, additisq; qui pacem nostram metuebant, nouissimum casum experitur, sumto ad prælium loco, vt aditus, abscessus, cuncta nobis importuna, & suis in melius essent. Tunc montibus arduis, & Caratacus. Ordouices.

si

si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa præstruit: & præfluebat amnis vado incerto, catervæq́; * *maiorum pro munimentis constiterant. Adhoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda spe, aliisq́; belli incitamentis. Enimvero Caractacus huc illuc volitans, illum diem, illam aciem testabatur, aut recuperandæ libertatis, aut servitutis æternæ initium fore: vocabatq́; nomina maiorum, qui dictatorem Cæsarem pepulissent: quorum virtute vacui à securibus & tributis, intemerata coniugum & liberorum corpora retinerent. Hæc atq́; talia dicenti adstrepere vulgus, gentili quisq́; religione obstringi, non telis, non vulneribus cessuros. Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum, simul obiectus amnis, additum vallum, imminentia iuga, nihil nisi atrox & propugnatoribus frequens terrebat. Sed miles prælium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare, præfectiq́; ac tribuni paria disserentes, ardorem exercitus intendebant. Tum Ostorius circumspectis quæ impenetrabilia, quæq́; pervia, ducit infensos, amnemq́; haud difficulter evadit. Vbi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in nos, & pleraq́; cædes oriebantur. Posteaquam facta testudine, rudes & informes saxorum compages distractæ, parq́; cominus acies, decedere Barbari in iuga montium. Sed eò quoq́; irrupere ferentarius gravisq́; miles, illi telis assultantes, hi conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearúmve tegmina: & si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum, si huc verterent, spatis & hastis auxiliarium sternebantur. clara ea victoria fuit, captaq́; uxore & filia Caractaci, fratres quoq́; in deditionem accepti. Ipse, vt fermè intuta sunt adversa, cùm fidem Cartismanduæ reginæ Brigantum petiuisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno quàm bellum in Britannia cœptum. Vnde fama eius euecta insulas, & proximas provincias pervagata, per Italiam quoq́; celebrabatur, avebantq́; visere, quis ille tot per annos opes nostras spreuisset. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat. Et Cæsar dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe vt ad insigne spectaculum populus. Stetere in armis prætoriæ cohortes campo qui castra præiacet. Tunc incedentibus regiis clientulis, phaleræ torquesq́;, quæq; externis bellis quæsierat, traducta, mox fratres & coniux & filia: postremo ipse ostentatus. Cæterorum preces degeneres fuere ex metu. At non Caractacus aut vultu demisso, aut verbis misericordiam requirens, vbi tribunali astitit, in hunc modum locutus est.*

* nationum.

Si quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc vrbem, quàm captus venissem: neque dedignatus esses claris maioribus ortum, pluribus gentibus imperantem fœdere pacis accipere. Præsens sors mea vt mihi informis, sic tibi magnifica est: habui equos, viros, arma, opes; quid mirum si hæc invitus amisi? Nam si vos omnibus imperitare vultis, sequitur vt omnes servitutem accipiant. Si statim deditus traderer, neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset, & supplicium mei oblivio sequeretur. At si incolumem servaveris, æternum exemplar clementiæ ero.

Ad ea Cæsar veniam ipsiq́;, & coniugi, & fratribus tribuit. Atq; illi vinclis exsoluti, Agrippinam quoq; haud procul alio suggestu conspicuam, iisdem quibus principem laudibus gradibusq́; venerati sunt. Novum sanè, & moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis præsidere. Ipsa semet parti à maioribus suis imperii sociam ferebat. Vocati posthac patres multa & magnifica super captivitate Caractaci disseruere. Neque minùs id clarum quàm cùm Siphacem P. Scipio: Persem L. Paulus, & si qui alii victos reges populo Ro. ostendere. Censentur Ostorio triumphi insignia.

Has de Britannis victorias inter præclarissima monumenta, & testimonia Romanæ virtutis habuerunt scriptores. Vnde Seneca, *Primus Claudius devicisse Britannos gloriari potuit, Iulius enim Cæsar ostendit eos Romanis tantùm.* Et alibi de eodem.

Ille Britannos
Vltra noti
Littora ponti,
Et cæruleos
Scuta Brigantes
Dare Romuleis
Colla Cathenis
Iussit, & ipsum

Nova

Noua Romana
Iura securis
Tremere Oceanum.

Et in Octauia cecinit Seneca Tragicus de Claudio:

Cuiq; Britanni
Terga dedere, ducibus nostris
Ante ignoti, iurisq; sui.

Et ibidem quòd Tamisin transmiserat.

En qui oræ Tamisis primus posuit iugum.
Ignota tantis classibus texit freta
Interq; gentes barbaras tutus fuit,
Et saua maria, coniugis scelere-Occidit

Ægisippus item de Claudio, *Testis est Britannia extra orbem posita, Romanorum virtute in orbem redacta, quos ætas superior ignorauit, didicit Romanorum victoria, seruiunt & ipsi, qui, quid esset seruitus ignorabant, soli sibi nati, & semper sibi liberi, qui a superiorum potentia interfuso Oceano secreti metuere non poterant, quos nesciebant. Plus itaq; transisse ad Britannos, quàm triumphâsse de Britannis.* Et alibi. *Britanniam quoq; inter vndas adhuc latentem Romano imperio armis acquisiuerat, cuius triumpho opibus Roma ditior, Claudius consultior, Nero fortunatior & æstimabantur.* Alioq; loco, qui dignissimus apponi. *In Romanorum nomen elementa etiam transierunt, in quos etiam transiuit orbis terrarum, qui Romano imperio clauditur & definitur: deniq; à plerisq; Orbis Romanus appellatur. Nam si verum quæramus, terra ipsa infra Romanorum imperium est, super quam progressa Romana virtus vltra Oceanum, alterum sibi orbem quæsiuit, & in Britannia remota à confinio terrarum nouam sibi inuenit possessionem. Deniq; quibus ius non solùm ciuitatis Romanæ, sed etiam ipsius propè humanæ conuersationis negatur, illò diriguntur, vt illic habitent, quasi mundi exules. Cessit Oceanus finibus suis, nouit Romanus interiora eius petere secreta.* Iosephus etiam in persona Titi ad Iudæos. *Quis maior Oceano murus, atque obstaculum? quo septi Britanni Romanorum tamen arma adorant.*

Doctissimi prætereà sed incerti Poëtæ hac de re carmina nobilissimus Iosephus Scaliger in suis Catalectis è situ vindicauit, quæ cùm non passim occurrant, subtexere non pigebit, sunt enim quantiuis pretij. Diuersa autem esse Epigrammata, & ideò distinguenda eruditissimus adolescens I. Obsopæus Germanus ex antiquis membranis me nupertimè docuit.

Ausonijs nunquam tellus violata triumphis, — *Antonius Delvio, aliàs legit alicubi, igitur varias lectiones apposui.*
Icta tuo, Cæsar, fulmine procubuit.
*Oceanusq; tuas vltra se * respicit aras,* — ** Prospicit.*
*Qui finis mundo est, * non erit imperio.* — ** Nunc erit.*

Victa prius nulli, iamiam spectata triumpho,
Illibata tuos gens iacet in titulos.
Fabula visa diu, medioq; recondita ponto
Libera victori iam modò collo dedit.
*Euphrates Ortus, Rhenus * incluserit arctos,* — ** Recluserat.*
Oceanus medium venit in imperium.

Libera non hostem, non passa Britannia Regem,
Aeternùm nostro quæ procul orbe iacet.
Fœlix aduersis, & sorte oppressa secunda,
Communis nobis, & tibi, Cæsar, erit.

Vltima cingebat Tibris tua, Romule, regna:
Hic tibi finis erat, religiose Numa.

Et

Et tua, Diue, tuum sacrata potentia cælo
Extremum citra constitit Oceanum.
At nunc Oceanus geminos interluit orbes.
Pars est imperij, terminus antè fuit.

Mars pater, & nostræ gentis tutela Quirine,
Et magno positus Cæsar vterq; Polo.
Cernitis ignotos Latiâ sub lege Britannos,
Sol citra nostrum flectitur imperium.
Vltima cesserunt adoperto claustra Profundo.
*Et iam Romano * cingimur Oceano.*

* cingitur.

Opponis frustra rapidum Germania Rhenum,
Euphrates prodest nil tibi, Parthe fugax.
Oceanus iam terga dedit, nec peruius vlli,
Cæsareos fasces, imperiumq; tulit.

Illa procul nostro semota, exclusáq; cælo,
Alluitur nostra victa Britannis aqua,
* *Semota, & vasto disiuncta Britannia ponto,*
Cinctáq; inaccessis horrida littoribus:
Quam pater inuictis Nereus vallauerit vndis,
Quam fallax æstu circuit Oceanus.
*Brumalem sortita * plagam: quà frigida semper*
Præfulget stellis Arctos inocciduis.
Conspectúq; tuo deuicta Britannia, Cæsar,
Subdidit insueto colla premenda iugo.
Aspice, confundit populos impermia tellus,
Coniunctum est, quod adhuc orbis, & orbis erat.

* Semota.

* polum.

Iam pergat Tacitus. *Ad hoc tempus prosperis Ostorij rebus mox ambiguis, siue quòd amoto Caractaco, quasi debellatum foret minùs intenta apud Romanos militia fuit, siue hostes miseratione tanti Regis acriùs ad vltionem exarsere, Præfectum castrorum, & legionarias cohortes extruendis apud Siluras præsidijs relictas, circumfundunt. Ac ni citò vicis & castellis proximis subuentum foret, copiæ tum occidione occubuissent. Præfectus tamen & octo centuriones, ac promtissimus quisq; manipulus cecidere. nec multò post pabulantes nostros, ipsasq; missas ad subsidium turmas profligant. Tum Ostorius cohortes expeditas exposuit, nec ideo fugam sistebat, ni legiones prælium excepissent. Earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugere hostes tenui damno, quia inclinabat dies. Crebra hinc prælia, & sæpius in modum latrocinij: per saltus, per paludes, vt cuiq; sors, aut virtus, temerè prouisa; ob iram ob prædam; iussu & aliquando ignaris ducibus, ac præcipua Silurum peruicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Ro. vox. vt quondam Sugambri excisi, & in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes auaritia præfectorum incautiùs populantes intercepere. Spoliaq; & captiuos largiendo, ceteras quoq; nationes ad defectionem trahebant, cùm tedio curarum fessus Ostorius concessit vita, lætis hostibus, tanquam ducem haud spernendum; & si non prælium, aut certe bellum absumsisset.*

At Cæsar cognita morte legati, ne prouincia sine rectore foret, A. Didium suffecit. Is properè vectus, non tamen integras res inuenit, aduersa interim legionis pugna, cui Manlius Valens præerat. Auctaq; & apud hostes eius rei fama, quo venientem ducem exterrerent: atq; illo augente audita, vt maior laus compositi, vel si durauissent, venia iustior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, latéque persultabant, donec accursu Didij pellerentur.

Didius Auitus Gallus Proprætor.

Circa hæc tempora Claudius diem obijt, Neroq; successit qui nihil omnino in re militari ausus est, exercitumq; è Britannia deducere cogitauit, nec nisi verecundia ne obtrectare Claudij gloria

Nero.
Venutius.

gloriæ videretur, destitit. Post captum Caractacum, præcipuus scientia rei militaris Venutius è Iugantum ciuitate, fidusq; diu, & Romanis armis defensus, cùm Cartismanduam reginam matrimonio teneret, mox orto dissidio, & statim bello, etiam aduersus nos hostilia induerat. Sed primò tantum inter ipsos certabatur, callidisq; Cartismandua artibus, fratrem ac propinquos Venutij intercepit. Inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne fœminæ imperio subderentur, valida & lecta armis iuuentus regnum eius inuadunt: quod nobis præuisum, & missæ auxilio cohortes acre prælium fecere, cuius initio ambiguo finis lætior fuit. Neq; dispari euentu pugnatum à legione cui Cæsius Nasica præerat. Nam Didius senectute grauis, & multa copia honorum, per ministros agere & arcere hostem satis habebat. Parta enim à prioribus continuit, paucis admodum castellis in vlteriora promotis per quæ fama aucti officij quæreretur. Hæc, quanquam à duobus Ostorio, Didioq; Proprætoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne diuisa haud perinde ad memoriam sui valerent.* * Brigantium forte.

Didium Auitum Verannius excepit qui modicis excursibus Siluras populatus, quin vltra bellum proferret, morte prohibitus est, magna dum vixit seueritatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus. Quippe multa in Neronem adulatione addidit, subiecturum ei prouincias fuisse, si biennio proximo vixisset. Verannius Proprætor.

Sed tum Paullinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia militiæ & rumore populi, qui neminem sine æmulo sinit, Corbulonis concertator, receptæq; Armeniæ decus æquare domitis perduellibus cupiens. Igitur Monam insulam incolis validam, & receptaculum perfugarum aggredi parat, nauesq; fabricatur plano alueo aduersus breue & incertũ littus. Sic pedites; equites vado secuti, aut altiores inter vndas adnantes equos transmisere. Stabat pro littore diuersa acies, densa armis virisq; intercursantibus fœminis: quæ in modũ Furiarũ, veste ferali, crinibus deiectis, faces præferebant. Druidæq; circum, preces diras sublatis ad cœlum manibus fundentes, nouitate aspectus perculere militem, vt quasi hærentibus membris immobile corpus vulneribus præberent. Dein cohortationibus ducis & se ipsi stimulantes ne muliebre & fanaticum agmen pauescerent, inferunt signa, sternuntq; obuios, & igni suo inuoluunt. Præsidium posthac impositum vicis, excisiq; luci, sæuis superstitionibus sacri. Nam cruore captiuo adolere aras, & hominum fibris consulere deos fas habebant.* Paullinus Suetonius Proprætor. Mona insula. Druidæ. * victis.

*Hæc agenti Suetonio, repentina defectio prouinciæ nuntiatur. Rex Icenorum Prasutagus, longè opulentia clarus, Cæsarem hæredem duasq; filias scripserat, tali obsequio ratus, regnum & domum suam procul iniuria fore. Quod contra vertit, adeò vt regnum per Centuriones, domus per seruos, velut capta vastarentur. Iam primùm vxor * Boodicia verberibus affecta, & filiæ stupro violatæ sunt. Præcipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, auitis bonis exuuntur, & propinqui regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia & metu grauiorum, quando in formam prouinciæ cesserant, Britanni agitare inter se mala seruitutis, conferre iniurias, & interpretando accendere. Nihil profici patientia nisi vt grauiora tanquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, è quibus Legatus in sanguinem, Procurator in bona sæuiret, æquè discordiam præpositorum, æque concordiam subiectis exitiosam; alterum manus, centuriones, alterum vim & contumelias miscere: nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. In prælio fortiorem esse qui spoliet, nunc ab ignauis plerunque & imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi dilectus, tanquam mori tantum pro patria nescientibus. Quantum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse iugum, & flumine non Oceano defendi: sibi patriam, coniuges, parentes: illis auaritiam & luxuriam caussas belli esse, recessuros vt Diuus Iulius recessisset, modò virtutes maiorum suorum æmularentur: neue prælij vnius aut alterius euentu pauescerent; plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. Iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui Legatum in aliâ insulâ exercitum detinerent: iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare, porrò in eiusmodi consilijs periculosius esse deprehendi, quàm audere.* Prasutagus. * Boodicia quæ Bondicea & Voadica.

His atque talibus inuicem instincti, Boodicia generis regij fœmina duce (neque enim sexum in imperijs discernunt) rapiunt arma, cõmotis ad rebellionem Trinobantibus, & qui alij nondũ seruitio assuefacti, resumere libertatẽ occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. Quippe in coloniam Camalodunum recens deducti, pellebant domibus, exturbabant agris, captiuos, seruos appellando, fouentibus impotentiã veteranorũ militibus, similitudine vitæ, & spe eiusdem licentiæ. Ad hæc templum Diuo Claudio constitutum, quasi ara æternæ dominationis Camalodunum Colonia.

minationis aspiciebatur : dilectiq; sacerdotes specie religionis, omnes fortunas effundebant. Nec arduum videbatur exscindere coloniam nullis munimentis septam ; quod ducibus nostris parum prouisum erat, dum amœnitati prius quàm vsui consulitur. Inter quæ nulla palam caussa Vide Xiphilinum in Nerone. *delapsum Camaloduni simulacrum Victoriæ, ac retro conuersum, quasi cederet hostibus. Et fœminæ in furore turbatæ, adesse exitium canebant. Externósque fremitus in curia eorum auditos,* Tamesa forsitan. *consonuisse vlulatibus theatrum, visámque speciem in æstuario * notam esse subuersa coloniæ. Iam Oceanum cruento aspectu, dilabente æstu, humanorū corporum effigies relictas, vt Britannis ad spem, ita veteranis ad metum trahebant. Sed quia procul Suetonius aberat, petiuere à Cato Deciano procuratore auxilium. Ille haud amplius quàm ducentos sine iustis armis misit : & inerat modica militum manus, tutela templi freti. Et impedientibus qui occultæ rebellionis conscij consilia turbabant, neque fossam aut vallum praduxerunt, neque motis senibus & fœminis, iuuentus sola restitit : quasi media pace incauti, multitudine barbarorum circumueniuntur. Et cætera quidem impetu direpta aut incensa sunt. Templum in quo se miles conglo-* Petilius Cerealis. *bauerat, biduo obsessum expugnatumq;. Et victor Britannus Petilio Ceriali legato legionis nonæ in subsidium aduentanti obuius, fudit legionem, & quod peditum interfecit. Cerialis cum equitibus euasit in castra, & munimentis defensus est. Qua clade & odijs prouinciæ, quam auaritia in bellum egerat, trepidus procurator Catus in Galliam transijt.*

* Commeatuum. *At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniæ non insigne, sed copia negotiatorum & * commeatu maximè celebre : ibi ambiguus an illam sedem bello diligeret, circumspecta infrequentia militis, satisq; magnis documentis temeritatem Petilij coërcitam, vnius oppidi damno seruare vniuersa statuit. Neque fletu & lacrymis auxilium eius orantium flexus est, quin daret profectionis signum, & comitantes in partem agminis acciperet. Si quos imbellis sexus, aut fessa ætas, vel loci dulcedo attinuerat, ab hoste* Verulamium. *oppressi sunt. Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis præsidijsq;* * Militaribus. ** militarium, quod vberrimum spoliant, * & deferentes in tutum, læti præda & aliorum * in-* * Et differentibus in tutum. *signes petebant. Ad septuaginta millia ciuium & sociorum ijs quæ memoraui locis occidisse constitit. Neque enim capere aut venundare, aliudve quod belli commercium ; sed cædes, patibula, ignes, cruces, tanquam redditùri supplicium, ac præcepta interim vltione festinabant.*

Iam Suetonio quartadecima legio cum vexillarijs vicesimarijs, & è proximis auxiliares, decem fermè millia armatorum erant, cùm omittere cuntationem, & congredi acie parat, deligitq; locum artis faucibus, & à tergo silua clausum, satis cognito, nihil hostium nisi in fronte, & apertam planiciem esse sine metu insidiarum. Igitur legionarius frequens ordinibus, leui circum armatura conglobatus, pro cornibus eques astitit. At Britannorum copiæ passim per cateruas & turmas exsultabant, quanta non aliàs multitudo, & animo adeo fero, vt coniuges quoque testes victoriæ secum traherent, plaustrisq; imponerent, quæ super extremum ambitum campi posuerant. Boodicia curru filias præ se vehens, vt quamque nationem accesserat, (solitum quidem Britannis fœminarum ductu bellare) testabatur se tunc non vt tantis maioribus ortam regnum & opes, verùm vt vnam è vulgo, libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam vlcisci. Eò prouectas Romanorum cupidines, vt non corpora, nec senectam quidem, aut virginitatem impollutam relinquant. Adesse tamen deos iustæ vindictæ. Cecidisse legionem, quæ prælium ausa sit : cæteros castris occultari, aut fugam circumspicere. Ne strepitum quidem & clamorem tot millium, nedum impetus & manus perlaturos. Si copias armatorum, si caussas belli secum expenderent, vincendum illa acie, vel cadendum esse. Id mulieri destinatum ; viuerent viri, & seruirent.

Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat, qui quanquam confideret virtuti, tamen exhortationes & preces miscebat. Vt spernerent sonoras Barbarorum & inanes minas. * Sonores. *plus illic fœminarum quàm iuuentutis aspici. imbelles, inermes cessuros statim, vbi ferrum virtutemq; vincentium, toties fusi agnouissent. etiam in multis legionibus paucos esse qui prælia profligarent. gloriæq; eorum accessurum, quòd modica manu vniuersi exercitus famam adipiscerentur. Conferti tantum, & pilis emissis, post vmbonibus & gladijs stragem cædemq; continuarent, prædæ immemores. parta victoria cuncta ipsis cessura. Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles & multa præliorum experientia, vt certus euentus Suetonius, daret pugnæ signum. Ac primùm legio gradu immota, & angustias loci pro munimento retinens, pòstquam propiùs suggressus hostis certo iactu tela exhauserat, velut cuneis erupit. Idem auxiliarium impetus, & eques protentis hastis*

hastis, perfringit quod obuium & validum erat. Cæteri terga præbuere difficili effugio, quia circumiecta vehicula sepserant abitus. Et miles ne mulierum quidem neci temperabat. confixáque telis etiam iumenta, corporum cumulum auxerant. Clara & antiquis victorijs par ea die laus parta. quippe sunt qui paulo minus quàm octoginta millia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis fermè interfectis, nec multo amplius vulneratis. Boudicea vitam veneno finiuit. Et Pœnius Posthumus præfectus castrorum secundæ legionis, cognitis quartadecimanorum vicesimanorúmque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam fraudauerat, abnuerátque contra ritum militiæ iussa ducis, seipsum gladio transegit.

Contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est, ad reliqua belli perpetranda. Auxitque copias Cæsar, missis è Germania duobus legionariorum millibus, octo auxiliariorum cohortibus, ac mille equitibus: quorum aduentu, nonani legionario milite suppleti sunt. Cohortes alæq; nouis hibernaculis locatæ, quódque nationum ambiguum aut aduersum fuerat, igni atque ferro vastatur. Sed nihil æquè quàm fames affligebat serendis frugibus incuriosos, & omni ætate ad bellum versandum nostros commeatus sibi destinant, gentesq; præferoces tardius ad pacem inclinant, quia Iulius Classicianus successor Cato missus, & Suetonio discors, bonum publicum priuatis simultatibus impediebat, disperserátque, nouum legatum opperiendum esse, sine hostili ira & superbia victoris clementer deditis consulturum. Simul in vrbem mandabat, nullum prælio finem exspectarent, nisi succederetur Suetonio: cuius aduersa prauitati ipsius, prospera ad fortunam Reip. referebat. I. Classicianus.

Igitur ad spectandum Britanniæ statum missus est ex libertis Polycletus, magna Neronis spe, posse auctoritate eius, non modo inter legatum procuratorémque concordiam gigni, sed & rebelles Barbarorum animos pace componi. Nec defuit Polycletus, quo minus ingenti agmine Italiæ Galliæq; grauis postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet. Sed hostibus irrisui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat, mirabanturque quòd dux & exercitus tanti belli confector seruitijs obedirent. Cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata. Detentúsque rebus gerundis Suetonius, quòd post naues in litore, remigiúmque in ijs amiserat, tanquam durante bello tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui iam consulatu abierat, iubetur, tanquam exorabiliori, & delictis hostium nouo eoq; pœnitentiæ mitiori. Qui non irritato hoste neq; lacessitus honestum pacis nomen segni otio imponens, compositis prioribus nihil vltrà ausus Trebellio Maximo prouinciam tradidit. Petronius Turpilianus Propretor. Trebellius Maximus Propraet.

Ille autem segnior & nullis castrorum experimentis comitate quadam curandi prouinciam tenuit. Didicere iam Barbari quoque ignoscere vitijs blandientibus & interuentus ciuilium armorum præbuit iustam segnitiæ excusationem; sed discordia laboratum: cùm assuetus expeditionibus miles otio lasciuiret. Et ille per auaritiam ac sordes contemtus exercitui, inuisúsque. Accendebat odium eius Roscius Cælius legatus vicesimæ legionis olim discors, sed occasiones ciuilium armorum atrociùs proruperant. Trebellius seditionem & confusum ordinem disciplinæ Cælio, spoliatas & inopes legiones Cælius Trebellio obiectabat, cùm interim fœdis legatorum certaminibus, modestia exercitus corrupta. Eoq; discordiæ ventum, vt auxiliarum quoq; militum conuicijs proturbantibus & aggregantibus se Cælio cohortibus, alisq; desertus Trebellius ad Vitellium profugerit. Quies prouinciæ, quanquam remoto consulari, mansit. Rexere legati legionum, pares iure, Cælius audendo potentior.

Flagrante ciuili inter Galbam, Othonem, & Vitellium bello, missus est a Vitellio in locum eius Vectius Bolanus. Nec ille agitauit Britanniam disciplina, eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum: nisi quod innocens Bolanus & nullis delictis inuisus, charitatem parauerat loco authoritatis & quanquam Vitellius auxilia è Britãnia accersiuit, contabatur tamen Bolanus, nunquam satis quieta Britanniâ. Verùm statim Britanniam in Vespasiani partes inclitus erga eum prouinciæ fauor traxit, eò quod illic secundæ legioni à Claudio præpositus, & bello clarus egerat, non sine motu adiunxit cæterarum, in quibus pleriq; Centuriones ac milites a Vitellio prouecti expertum iam principem anxij mutabant. Et quartadecimani, Britanniæ domitores dicti, hinc a Nerone exciti ad bella Caspia, & pro Othone stantes victi, a Vitellio in Britanniam remissi, a Mutiano per literas denuo sunt reuocati. Vectius Bolanus Propraetor.

Hoc ciuili motu in Britannico exercitu nihil trarum. Non sane aliæ legiones per omnes ciuilium bellorum motus innocentiùs egerunt, seu quia procul & Oceano diuisæ, seu crebris expeditionibus doctæ potius hostem odisse. Ex illis tamen discordijs, & crebris belli ciuilis

 rumoribus,

rumoribus, Britanni sustulere animos auctore Venusio, qui super insitam ferociam, & Romani nominis odium proprijs in vxorem Carthismanduam reginam stimulis accendebatur. Carthismandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate, & auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Caractaco instruxisse triumphū Claudij Cæsaris (insigne sc. illud spectaculum instar triumphi in quo Caractacus ostentatus) videbatur. Inde opes & rerum secundarum luxus spreto Venusio marito, eiusq; cognatis interceptis, mariti armigerum Vellocatum in matrimonium regnumque accepit; concussa statim flagitio domus, pro marito studia ciuitatis, pro adultero libido reginæ & sæuitiæ. Igitur Venusius, accitis auxilijs, simul ipsorum Brigantum defectione in extremum discrimen Carthismanduam adduxit. Tum petita a Romanis præsidia, & cohortes alæque nostræ varijs prælijs exemêre periculo reginam, Regnum, tamen Venusio, bellum nobis relictum.

Cartismandua.

Cùm iam Mutianus pro Vespasiano vrbem regeret, Iulium Agricolam in Vespasiani partes transgressum integreq; ac strenuè versatum vicesimæ legioni in Britannia tardè ad sacramentum transgressæ præposuit, vbi decessor seditiosè agere narrabatur. Quippe legatis quoq; consularibus nimia ac formidolosa erat. Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio, ita successor simul & vltor electus rarissima moderatione maluit videri inuenisse bonos quàm fecisse. Et quanquam Vectius Bolanus Britanniæ tunc præfuit, placidiùs quàm feroci prouincia dignum est, temperauit Agricola vim suam, ardoremq; compescuit, ne incresceret, peritus obsequi, eruditusq; vtilia honestis miscere.

Vespasianus Imp.
Iulius Agricola Leg. xx Legion.

Sed vbi cum cætero orbe Vespasianus & Britanniam reciperauit, magni duces, egregij exercitus, minuta hostium spes: & terrorem statim intulit Petilius Cerialis Brigantum ciuitatem, quæ numerosissima prouinciæ totius perhibetur, aggressus, multa prælia, & aliquando non incruenta: magnamq; Brigantum partem aut victoriâ amplexus, aut bello. Et cùm Cerialis quidem alterius successoris curam famamq; obruisset, sustinuit quoq; molem Iulius Frontinus vir magnus quantùm licebat, validamq; & pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus. Hunc Britanniæ statum, has bellorum vices media iam æstate transgressus Agricola inuenit: cum & milites velut omissâ expeditione ad securitatem, & hostes ad occasionem verterentur. Ordouicum ciuitas haud multo ante aduentum eius, alam in finibus suis agentem, propè vniuersam obtriuerat: eoq; initio erecta prouincia, vt quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, aut recentis legati animum opperiri.

Petilius Cerealis Proprætor.
Iulius Frontinus Propr.
Iulius Agricola Proprætor.

Tum Agricola, quanquam transacta æstas, sparsi per prouinciam numeri, præsumta apud militem illius anni quies tarda & contraria bellum inchoaturo, & plerisq; custodiri suspecta potius videbatur, ire obuiam discrimini statuit: contractisq; legionum vexillis & modica auxiliorum manu, quia in æquum degredi Ordouices non audebant, ipse ante agmen, quo cæteris par animus simili periculo esset, erexit aciem: Cæsaq; propè vniuersa gente non ignarus instandum famæ, ac prout prima cessissent fore vniuersa, Monam insulam, cuius possessione reuocatum Paullinum rebellione totius Britanniæ suprà memoraui, redigere in potestatem animo intendit. Sed vt in dubijs consilijs, naues deerant, ratio & constantia ducis transuexit: depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi vsus quo simul seq; & arma & equos regunt, ita repentè immisit, vt obstupefacti hostes, qui classem, qui naues, qui mare expectabant, nihil arduum, aut inuictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti prouinciam, quod tempus alij per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor & periculum placuisset.

Mona insula.

Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem vsus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est, sed ipsa dissimulatione famæ famam auxit, æstimantibus quanta futuri spe tam magna tacuisset. Cæterùm animorum prouinciæ prudens, simulq; doctus per aliena experimenta parum profici armis, si iniuriæ sequerentur, caussas bellorum statuit exscindere, à se suisq; orsus primam domùm suam coercuit, quod plerisq; haud minus arduum est, quàm prouinciam regere: nihil per libertos seruosq; publicæ rei, non studijs priuatis, nec ex commendatione aut precibus Centurionum milites ascire, sed optimum quenq; fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exsequi: paruis peccatis veniam, magnis seueritatem cōmodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse: officijs & administrationibus potiùs non peccaturos, quàm dānare cùm peccassent præficere. Frumēti*

&

& tributorum auctionem aqualitate munerum mollire, circumcisis qua in quaestum reperta, ipso tributo grauiùs tolerabantur. Namque per ludibrium assidere clausis horreis, & emere vltrò frumenta, ac vendere pretio cogebantur. Diuortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates à proximis hibernis in remota & auia deferrent, donec quod omnibus in promtu erat, paucis lucrosum fieret. Hac primo statim anno comprimendo egregiam famam paci circundedit, quæ vel incuria vel tolerantia priorum haud minùs quàm bellum timebatur.

Hoc tempore obijt Vespasianus, quem ob has ducum victorias, & suam ipsius sub Claudio virtutem sic præfatur Valerius Flaccus.

Tuq; o pelagi qui maior aperti
Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos.

Cum vero Titus ille Orbis amor *patri succederet, Agricola vbi æstas aduenit contracto exercitu, militum in agmine laudare modestiam, disiectos coercere: loca castris ipse capere, æstuaria ac siluas ipse prætentare: & nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur: atq; vbi satis terruerat, parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multæ ciuitates quæ in illum diem ex æquo egerant, datis obsidibus iram posuere, & præsidijs castellisq; circundatæ, tanta ratione curaq;, vt nulla ante Britanniæ noua pars illacessita transierit.* Titus Imp.

Sequens hiems saluberrimis consilijs absumta. Namq; vt homines dispersi ac rudes, eoq; bello faciles, quieti & otio per voluptates assuescerent, hortari priuatim, adiuuare publicè, vt templa, fora, domus exstruerent, laudando promtos, & castigando segnes. Ita honoris æmulatio pro necessitate erat. Iam verò principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum studijs Gallorum anteferre, vt qui modò linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. inde etiam habitus nostri honor, & frequens toga. paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conuiuiorum elegantiam. idque apud imperitos humanitas vocabatur, cùm pars seruitutis esset.

Tertius expeditionum annus nouas gentes aperuit, vastatis vsque ad Taum, *æstuario nomen est, nationibus. qua formidine territi hostes quanquam conflictatum sæuis tempestatibus exercitum, lacessere non ausi. ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientiùs legisse, nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum. crebræ eruptiones. nam aduersus moras obsidionis annuis copijs firmabantur. ita intrepida ibi hiems, & sibi quisque præsidio, irritis hostibus, eòque desperantibus, quia soliti plerunque damna æstatis hibernis euentibus pensare, tum æstate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola vnquam per alios gesta auidus intercepit, seu centurio, seu præfectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conuicijs narrabatur, vt bonis comis, ita aduersus malos iniucundus. cæterum ex iracundia nihil super erat. secretum & silentium eius non timeres. honestius putabat offendere, quàm odisse.* Taus æstuarium.

Quarta æstas obtinendis quæ percurrerat insumta, ac si virtus exercituum & Romani nominis gloria pateretur, inuentus in ipsa Britannia terminus. Nam Clota & Bodotria diuersi maris æstus per immensum reuecti, angusto terrarum spatio dirimuntur, quod tum præsidijs firmabatur: atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus. Quinto expeditionum anno naue prima transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis prælijs domuit: eámque partem Britanniæ quæ Hiberniam aspicit, copijs instruxit, in spem magis quàm ob formidinem. siquidem Hibernia medio inter Britanniam atq; Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperij partem magnis inuicem vsibus miscuerit. Spatium eius si Britanniæ comparetur angustius, nostri maris insulas superat. Solum, cælumq; & ingenia, cultusq; hominum haud multùm à Britannia differunt. Meliùs aditus portusq; per commercia & negatiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica vnum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiæ in occasionem retinebat. Sæpe ex eo audiui, legione vna & modicis auxilijs debellari, obtinerìq; Hiberniam posse. Idq; etiam aduersus Britanniam profuturum, si Romana vbiq; arma, & velut è conspectu libertas tolleretur. Hibernia.

Sub hoc tempus moritur Titus, qui ob has res fortiter ab Agricola gestas Imperator

xv appellatus quod Xiphilinus scribit & nummus antiquus contestatur. *Sub Domitiano Agricola æstate qua sextum officij annum inchoabat, *ampla ciuitate trans Bodotriam sita, quia motus vniuersarum vltra gentium, & infesta hostili exercitu itinera timebantur, portus classe explorauit: quæ ab Agricola primùm assumta in partem virium, sequebatur egregia specie, cùm simul terra simul mari bellum impelleretur: ac sæpe ijsdem castris pedes equesq́; & nauticus miles mixti copijs & lætitia sua quisq; facta, suos casus attollerent: ac modò syluarum & montium profunda, modò tempestatum ac fluctuum aduersa, hinc terra & hostis, hinc auctus Oceanus militari iactantiâ compararentur. Britannos quoq;, vt ex captiuis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tanquam aperto maris sui secreto vltimum victis perfugium clauderetur. Ad manus & arma conuersi Caledoniam incolentes populi paratu magno, maiore fama, vti mos est de ignotis, oppugnasse vltrò * castella adorti, metum vt prouocantes addiderant: regrediendumq; citra Bodotriam, & excedendum potius quàm pellerentur, specie prudentium ignaui admonebant; cùm interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos. Ac ne superante numero, & peritia locorum circumirentur, diuiso & ipse in tres partes exercitu incessit. Quod vbi cognitum hosti, mutato repentè consilio vniuersi nonam legionem vt maximè inualidam, nocte aggressi inter somnum ac trepidationem cæsis vigilibus irrupere. Iamque in ipsis castris pugnabant, cùm Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus, & vestigijs insecutus, velocissimos equitum peditumq; assultare tergis pugnantium iubet, mox ab vniuersis adijci clamorem & propinqua luce fulsere signa. Ita ancipiti malo territi Britanni: & Romanis redit animus, ac securi pro salute, de gloria certabant. Vltrò quinetiam irrupere. Et fuit atrox in ipsis portarum angustijs prælium, donec pulsi hostes, vtroque exercitu certante, his vt tulisse opem, illis ne eguisse auxilio viderentur. Quod nisi paludes & syluæ fugientes texissent, debellatum illa victoriâ foret. Cuius constantia ac fama ferox exercitus: nihil virtuti suæ inuium, penetrandum Caledoniam, inueniendumq́; tandem Britanniæ terminum continuo præliorum cursu fremebant: atq; illi modò cauti ac sapientes, promti post euentum ac magniloqui erant. Iniquissima hæc bellorum conditio est; prospera omnes sibi vindicant, aduersa vni imputantur. At Britanni non virtute sed occasione & arte ducis * rati, nihil ex arrogantia remittere, quo minus iuuentutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, cœtibus ac sacrificijs conspirationem ciuitatum sancirent. Atque ita irritatis vtrinq; animis discessum.*

*amplas ciuitates.

Eadem æstate cohors Vsiptorum per Germanias conscripta, in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso Centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum & rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere: & vno remigante, suspectis duobus eoq; interfectis, nondum vulgato rumore vt miraculum prouehebantur: mox hac atque illâ rapti, & cum plerisque Britannorum sua defensantium prælio congressi, ac sæpe victores, aliquando pulsi, eò ad extremum inopiæ venère, vt infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. Atque ita circumuecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi nauibus, pro prædonibus habiti, primum à Sueuis, mox à Frisijs intercepti sunt. Ac fuere quos per commercia venundatos, & in nostram vsque ripam, mutatione ementium adductos, indicium tanti casus illustrauit.

Britannia circumnauigata.

Initio æstatis Agricola domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit. Quem casum neq; vt plerique fortium virorum ambitiosè, neque per lamenta rursus ac mærorem muliebriter tulit. Et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur præmissa classe quæ pluribus locis prædata, magnum & incertum terrorem faceret, expedito exercitu cui ex Britannis fortissimos & longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium peruenit, quem iam hostes insederant. Nam Britanni nihil fracti pugnæ prioris euentu, & vltionem aut seruitium exspectantes, tandémque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus & fœderibus omnium ciuitatum vires exciuerant. Iamque super triginta millia armatorum aspiciebantur, & adhuc affluebat omnis iuuentus, & quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac sua quisque decora gestantes, cùm inter plures duces virtute & genere præstans nomine Galgacus, apud contractam multitudinem prælium poscentem, in hunc modum locutus fertur.

Galgacus.

Quotiens caussas belli & necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumq́; vestrum, initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam & vniuersi

seruitutis expertes: & nulla vltrà terra, ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. Ita prælium atque arma quæ fortibus honesta, eadem etiam ignauis tutissima sunt: Priores pugnæ quibus aduersus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniæ, eoq; in ipsis penetralibus siti, nec seruientium litora aspicientes, oculos quoq; à contactu dominationis inuiolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniæ patet. Atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla iam vltra gens, nihil nisi fluctus & saxa; & * interiores Romani. Quorum superbiam frustra per obsequium & modestiam effugeris, raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur: si locuples hostis est, auari: si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens, satiauerit: soli omnium opes atq; inopiam pari affectu concupiscunt: auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium; atq; vbi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuiq; ac propinquos suos natura carissimos esse voluit; hi per dilectus alibi seruituri auferuntur. Coniuges sororesq; & si hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atq; hospitum polluuntur. Bona fortunasq; in tributum egerunt, in annonam frumentum; corpora ipsa ac manus, siluis ac paludibus emuniẽdis verbera inter ac contumelias conterũt. Nata seruituti mancipia semel veneunt, atq; vltro a dominis aluntur. Britannia seruitutem suam cotidie emit, cotidie pascit. At sicut in familia recentissimus quisq; seruorum & conseruis ludibrio est; sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu, noui nos & viles in excidium petimur. Neq; enim arua nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reseruemur. Virtus porrò ac ferocia subiectorũ ingrata imperantibus. Et longinquitas ac secretum ipsum, quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniæ, tandem sumite animum, tam quibus salus, quàm quibus gloria carissima est. Trinobantes, fœmina duce, exurere coloniam, expugnare castra; ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere; nos integri & indomiti & libertatem non in præsentiâ laturi, primo statim congressu * vnde ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit. An eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciuiam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordijs clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem contractum ex diuersissimis gentibus vt secundæ res tenent, ita aduersa dissoluent: nisi si Gallos, & Germanos, & pudet dictu, Britannorum plerosq; dominationi alienæ sanguinem commodantes, diutius tamen hostes quam seruos, fide & affectu teneri putatis: metus & terror est, infirma vincula caritatis: quæ vbi remoueris, qui timere desierint odisse incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt: nullæ Romanos coniuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla plerisq; patria, aut alia est. Paucos numero circum trepidos ignorantia, cœlum ipsum ac mare & syluas ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac victos alij nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus, & auri fulgor atq; argenti, quod neq; tegit neq; vulnerat. In ipsa hostium acie inueniemus nostras manus. Agnoscent Britanni suam caussam. Recordabuntur Galli priorem libertatem, deserent illos cæteri Germani, tanquam nuper Vsipij reliquerunt. Nec quidquam vltra formidinis, vacua castella, senum * coloniæ; inter male parentes & iniustè imperantes ægra municipia & discordantia. Hic dux, hic exercitus. Ibi tributa & metalla & cæteræ seruientium pœnæ, quas in æternum proferre, aut statim vlcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem & maioreis vestros & posteros cogitate.

* infestiores vel inter ea.

Trinobantes.

* abunde.

* colonia.

Excepère orationem alacres, & barbari moris cantu & fremitu clamoribusq; dissonis. Iamq; agmina, & armorum fulgores audentissimi cuiusq; procursu, simul instruebantur acies, cùm Agricola quanquam lætum & vix monitis coërcitum militem * adhuc ratus, ita disseruit.

Octauus annus est, commilitones, ex quo virtute & auspicijs imperij Rom. fide atq; opera vestra Britanniam vicistis, tot expeditionibus, tot prælijs seu fortitudine aduersus hostes, seu patientia ac labore pene aduersus ipsam rerum naturam opus fuit. Neq; me militum, neq; vos ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniæ non fama nec rumore, sed castris & armis tenemus. Inuenta Britannia & subacta. Equidem in agmine cùm vos paludes montesue & flumina fatigarent, fortissimi cuiusq; vocem audiebam, quando dabitur hostis, quando acies? Veniunt à latebris suis extrusi: & vota virtusq; in aperto, omniáq; prona victoribus, atq; eadem victis aduersa. Nam vt superasse tantum itineris, syluas euasisse, transisse æstuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculosissima quæ hodie prosperrima sunt. Neq; enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus, & arma, & in his omnia. Quod ad

ad me attinet, iampridem mihi decretum est, neq; exercitus neque ducis terga tuta esse; Proinde & honesta mors turpi vita potior, & incolumitas, ac decus eodem loco sita sunt. Nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ fine cecidisse. Si nouæ gentes atq; ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt quos proximo anno vnam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis: ij cæterorum Britannorum fugacissimi, ideoq; tamdiu superstites. Quomodo siluas saltusq; penetrantibus fortissimum quodq; animal robore, pauida & inertia ipso agminis sono pelluntur; sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt; reliquus est numerus ignauorum & metuentium. Quos quod tandem inuenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt nouissimi, & extremo metu corpora defixere in his vestigijs, in quibus pulchram & spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem; approbate Reip. nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli, aut caussas debellandi.

Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, & finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimq; ad arma discursum; instinctos ruentesq; ita disposuit, vt peditum auxilia quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent; equitum tria millia, cornibus affunderentur. Legiones pro vallo stetere, ingens victoriæ decus citra Romanum sanguinem bellanti, & auxilium si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterant. Ita vt primum agmen æquo, cæteri per accliue iugum connexi velut insurgerent; media campi couinarius & eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne simul in frontem, simul & latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quanquam porrectior acies futura erat, & arcessendas pleriq; legiones admonebant, promtior in spem, & firmus aduersis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit.

Ac primo congressu eminus certabatur. simul constantia, simul arte Britanni ingentibus gladijs & breuibus cetris missilia nostrorum vitare, vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere: donec Agricola tres Batauorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, vt rem ad mucrones ac manus adducerent. Quod & ipsis vetustate militiæ exercitatum, & hostibus inhabile parua scuta & enormes gladios gerentibus. nam Britannorũ gladij sine mucrone complexum armorum, & in aperto pugnam non tolerabant. Igitur vt Batavi miscere ictus, ferire vmbonibus, ora fœdare, & tractis qui in æquo obstiterant, erigere in colles aciem cœpere, cæteræ cohortes æmulatione & impetu commistæ proximos quosque cædere: ac pleriq; semineces aut integri festinatione victoriæ relinquebantur. Interim equitum turmæ fugere, couinarij peditum se prælio miscuere: & quanquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus & inæqualibus locis hærebant: minimeq; equestris ea pugnæ facies erat, cum in gradu stantes simul equorum corporibus impellerentur. ac sæpe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, vt quemq; formido tulerat, transuersos, aut obuios incursabant. Et Britanni qui adhuc pugnæ expertes summa collium insederant, & paucitatem nostrorum vacui spernebant, digredi paullatim & circumire terga vincentium cœperant: ni idipsum veritus Agricola quatuor equitum alas ad subita belli retentas, venientibus opposuisset; quantoq; ferocius accurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum. transuectæq; præcepto ducis à fronte pugnantium alæ, auersam hostium aciem inuasere. Tum verò patentibus locis grande & atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere, atque eosdem oblatis alijs trucidare. Iam hostiũ, prout cuiq; ingenium erat, cateruæ armatorum paucioribus terga præstare, quidam inermes vltrò ruere, ac se morti offerre. Passim arma, & corpora, & laceri artus, & cruenta humus. & aliquando etiam victis ira virtusq;: postquam siluis appropinquarunt, collecti, primos sequentium incautos & locorum ignaros circumueniebant. Quod ni frequens vbique Agricola validas & expeditas cohortes indaginis modo, & sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores siluas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Cæterùm vbi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus vt prius nec alius alium respectantes, rari, & vitabundi inuicem, longinqua atque auia petiere. finis sequendi nox & satietas fuit. cæsa hostium ad decem millia. nostrorum trecenti quadraginta cecidere, in queis Aulus Atticus præfectus cohortis, iuuenili ardore & ferocia equi hostibus illatus. Et nox quidem gaudio prædaque læta victoribus: Britanni

tanni palantes mixtóque virorum mulierúmque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos, ac per iram vltrò incendere: eligere latebras, & statim relinquere: miscere inuicem consilia aliqua, dein sperare: aliquando frangi aspectu pignorum suorum, sæpius concitari. satisque constabat sæuisse quosdam in coniuges ac liberos, tanquam misererentur. Proximus dies faciē victoriæ latius aperuit. vastum vbique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obuius. quibus in omnem partem dimissis, vbi incerta fugæ vestigia, neque vsquam conglobari hostes compertum, & exacta iam æstate spargi bellum nequibat, in fines Horestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, præfecto classis circumuehi Britanniam præcepit. datæ ad id vires, & præcesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo nouarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locauit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem *portum tenuit, vnde proximo latere Britanniæ lecto omni redierat. ac oram nouissimi maris tunc primum circumuecta insulam esse Britanniam affirmauit, ac simul nomine tantùm cognitas ad id tempus insulas Orcadas inuenit & domuit.* Quod falsò Claudio adscribit Orosius & qui illum secuti.

Britanniam insulam esse certò affirmatur.
Orcades insulæ.

Hanc rerum cursum, quanquam nulla verborum iactantia, epistolis Agricolæ actum, vt Domitiano moris erat, fronte lætus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum è Germania triumphum, emtis per commercia, quorum habitus & crines in captiuorum speciem formarentur: at nunc veram magnamq́ue victoriam, tot millibus hostium cæsis, ingenti fama celebrari. Id sibi maximè formidolosum, priuati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori, & ciuilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet: & cætera vtcunque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodq́ue sæuæ cogitationis indicium erat, secretò suo satiatus, optimum in præsentia statuit reponere odium, donec impetus famæ & fauor exercitus languesceret. nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet: addiq́ue insuper opinionem, Seriam prouinciam Agricolæ destinari, vacuam tum morte Atilij Rufi consularis, & maioribus reseruatam. Credidere pleriq; libertum ex secretioribus ministerijs missum ad Agricolam, codicillos quibus ei Syria dabatur tulisse, cum præcepto, vt si in Britannia foret, traderentur: eumq́ue libertum in ipso freto Oceani obuium Agricolæ, ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse; siue verum istud, siue ex ingenio principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo prouinciam quietam tutamq́ue. Ac ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in vrbem, noctu in palatium, ita vt præceptum erat, venit: exceptusq́ue breui osculo & nullo sermone, turbæ seruientium immixtus est.

Rhutupensem legit B. Rhenanus.
* Littore.

Agricola successorem habuit, vt alijs placet, Cn. Trebellium, vt mihi videtur, Salustium Lucullum, quem Domitianus statim quòd lanceas noua forma Luculleas appellari passus sit, occidit. Qua etiam tempestate Aruiragus in hac insula floruit, non Claudij tempore, vt fabulatur Galfridus Monumethensis. De Domitiano enim Iuuenalis ille versus intelligendus:

Salustius Lucullus Legatus Britanniæ.
Aruiragus Britannus.

Omen habes, inquit, *magni, clarique triumphi,*
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Aruiragus.*

* Arbiladkitus Scholiastа antiquo Iuuenalis.

Floruit etiam Romæ Claudia Rufina fœmina Britanna, eruditissima iuxtà ac formosissima, quam Martialis his versibus laudat:

Rufina Britanna.

Claudia cæruleis cùm sit Rufina Britannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet?
Quale decus formæ? Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.

Hanc illam fuisse cuius meminit Diuus Paulus in posteriori ad Timotheum epistola produnt I. Balæus, & Matth. Parkerus Archiepiscopus Cantuariensis, nec omnino refragatur temporis ratio, quamuis alij contrà sentiunt.

Ita imperante Domitiano, vlteriori illa parte, vt aspera & infrugifera, Barbaris relicta, hæc citerior planè & plenè in prouinciam fuit redacta. Quæ nec *Consularis*, nec *Proconsularis*

Britannia Prouincia.

sularis

Britannia Præsidialis prouincia. sularis, sed *Præsidialis*, & Cæsarum censebatur. Vtpote quæ Romano imperio post diuisionem Prouinciarum ab Augusto factam, accessit, & suos Proprætores habuit. Posteà cùm nouam Reipub. formam descripsisset Constantinus Maximus, sub Præfecto Prætorio Galliarum, Vicarius præficiebatur, & cum illo in rebus bellicis Comes Britanniarum, Comes littoris Saxonici per Britanniam, & Dux Britanniarum, præter Præsides, *Quæ legiones in Britannia. Dio. 55.* Rationales, &c. Tribus etiam legionibus è XXIX. quas Romani per imperium constituerant, coercebatur: Legione Secunda Augusta, Legione Sexta Victrice, & Vicesima Victrice. Sed hoc de Seueri tempore capiendum, anteà enim & aliàs, & plures fuisse ex authoribus discimus. Quamuis enim scribat Strabo ad Britanniam continendam non plus vno ordine militum opus fuisse: sub Claudio tamen locatæ hîc fuerunt Legio II Augusta, Legio IX. Hispaniensis, & Legio XIIII. Gemina Martia Victrix, imò sub ipsa Vespasiani tempora, quatuor Legiones in hac insula militasse docet Iosephus: *Britannia*, inquit, *circundatur Oceano, & penè non minor quàm noster orbis est, habitantes Romani redegerunt in ditionem suam, quatuorq́; legiones tantæ multitudinis insulam tuentur.* Et *Vrbium origo. Romanorum iugum.* proculdubiò stationes, & prætenturæ Legionum & Romanorum militum fuerunt sæpenumerò quasi genituræ vrbium & oppidorum cùm in alijs prouincijs, tùm in hac nostra Britannia. Sic Britannis iugum impositum primùm præsidio militum qui semper cùm terrore impenderant incolis, inde tributo & vectigali, eoque nomine Publicanos habere cogebantur, id est, Harpyiæ & hirudines qui eorum sanguinem exugerunt, bona publicarunt, & mortuorum nomine tributa exegerunt: nec legibus suis patrijs vti permissi sunt, sed magistratus à populo Romano, cum imperio & securibus missi, qui ius dicerent. *Romanorum in Pro tribunalibus.* Habebant enim prouinciæ Proprætores, Legatos, Præsides, Prætores, & Proconsules, singulæ etiam ciuitates habebant municipales magistratus. Prætor conuentum singulis annis indicebat, & maiores lites dirimebat: excelso in suggestu superba iura reddebat stipatus lictoribus, virgæ populi tergo, securis ceruicibus intentabantur, & quotannis alium atque alium dominum sortiri cogebantur. Nec hoc satis, discordias inter eos alebant, & quosdam indulgentius fouebant, vt ipsos suæ seruitutis instrumenta haberent.

Hoc Romanorum iugum quamuis graue, tamen salutare fuit. Salutare enim IHESV CHRISTI lumen Britannis vnà affulsit, de quo postea, & clarissimi illius imperij lux barbariem a Britannorum perinde ac reliquorum quos deuicerat, animis fugauit. ROMA enim vt inquit Rutilius,

—— legiferis mundum complexa triumphis
Fœdere communi viuere cuncta facit.

Et alibi ad eandem Roman elegantissimè & verissimè:

Fecisti patriam diuersis gentibus vnam.
Profuit iniustis te dominante capi.
Dumq́; offers victis proprij consortia iuris
Vrbem fecisti quod prius orbis erat.

Vt reliquas enim prouincias taceam, Romani traductis huc colonijs & conuocatis in ciuilis vitæ societatem indigenis, artes liberales edocendo & ad iura Romanorum ediscenda in Galliam mittendo, (vnde Iuuenalis, *Gallia causidicos docuit facunda Britannos,*) ita legibus temperàrunt, & moribus excoluerunt, vt victu, cultúque cæteris prouincijs non *Romanorum in Britannia opera.* concederet: ita ædificijs & magnificis operibus instruxerunt, vt eorum reliquiæ & rudera maximam iam intuentibus admirationem commoueant, & vulgus nostrum opera Romanorum, Gigantum fuisse dicant, quos sua lingua in Septentrionali plaga *Eatons*, pro *Heathens* quasi *Ethnicos* (ni fallor) vocitant. Summæ certè sunt admirationis & magni- *Vallum siue Murus Pictus. Viæ militares Romanorum.* ficentiæ, inprimis verò *Murus Picticus*, de quo suo loco, & viæ illæ admirando opere per omnem regionem, alicubi desiccatis paludibus, alibi aggeratis vallibus munitæ & constratæ, ea latitudine, vt occurrentia sibi inuicem vehicula liberè exciperent. Cuiusmodi *Galenus lib. 9. cap. 8 Methodi.* hæ fuerunt, te doceat Galenus: *Vias Traianus refecit, quæ quidem earum humidæ ac lutosæ erant partes lapidibus sternens, aut editis egestionibus exaltans; quæ senticosæ & asperæ erant, eas expurgans, ac flumina quæ transiri non poterant pontibus iungens; vbi longior quàm opus via videbatur aliam breuiorem excindens: sicubi verò propter arduum collem difficilis erat per mitiora loca deflectens: iam si obsessa feris, vel deserta erat, ab illa transferens, ac per habitata ducens, tùm aspera complanans.* Verùm hæ nostræ nunc alicubi interscissæ,

ſciſſæ, ruſticis inde glaream effodientibus, vix apparent, alibi per auia & paſcua ducentes alto aggere ſunt conſpicuæ.

His illi *Vias Conſulares*, *Regias Prætorias*, *Militares*, *Publicas*, *Curſus publicos*, & *Actus* vocarunt, vt videre eſt apud Vlpianum, & Iulium Frontinum. Ammianus Marcellinus *Aggeres itinerarios & publicos*, Sidonius Apollinaris, *Aggeres*, *Tellures inaggeratas*, Beda & recentiores *Stratas* dixerunt. Hiſtorici noſtri, in hoc proculdubio falſi, quatuor tantùm huiuſmodi vias fuiſſe volunt, quarum prima *Watlingſtreat* a Vitelliano neſcio quo qui illas curauit. (Vitellianum *Guetalin* ſua lingua nominarunt Britanni:) & *Werlamſtreat*, quòd per Verolamium duxerit, quæ etiam alibi *High dike*, *High ridge*, *Fortie foote way*, & *Ridge way* ab accolis nominatur. Alteram *Ikenildſtreat*, quòd ab Icenis initium habuerit, tertiam *Foſſe*, quòd foſſa, vt putant, vtrinq; munita fuerit, & quartam *Erminſtreat* Germanico vocabulo appellitant, à Mercurio (vt author eſt mihi vir eruditiſſimus I. Obſopæus) quem ſub nomen *Irmunſul*, id eſt, *Mercurij columna*, Germani maiores noſtri coluerunt. Illum autem vijs præfuiſſe Ἐνόδιος nomen apud Græcos ſatis innuat, eiuſq; ſtatuæ quadratæ, Hermæ dictæ olim, vbique per vias diſpoſitæ fuerunt. Creditum eſt Mulmutium, neſcio quem, multis ante Chriſtum natum ſæculis, has feciſſe; ſed tantùm abeſt, vt ego fidem adhibeam, vt confidenter dixerim Romanos paulatim ſubſtruxiſſe. Dum Britanniæ præeſſet Agricola, inquit Tacitus: *Diuortia itinerum, & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates à proximis hibernis, in remota & auia deferrent*, & conqueſti ſunt Britanni, vt habet idem, quòd Romani ipſorum *corpora & manus ſyluis ac paludibus emuniendis verbera inter & contumelias contriuerint*. In Schidis etiam antiquis legimus: *Diebus Honorij & Arcadij facti ſunt in Britannia aliqui calles à mari ad mare*. Romanorúmque opus fuiſſe docet ipſe Beda. *Habitabant*, inquit, *Romani intra vallum, (quod Seuerum trans inſulam feciſſe commemorauimus) ad plagam meridianam, quod ciuitates, fana, pontes, & ſtratæ ibidem factæ vſque hodie teſtantur*. Huiuſmodi vijs
ſtruendis Romani ſoliti ſunt milites, & multitudinem exercere, ne otioſi nouis rebus ſtu- *Lib. cap. 11.*
derent. *Stratas*, ſcribit Iſodorus, *Romani per omnem penè orbem diſpoſuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs eſſet otioſa*, & ad huiuſmodi viarum munitiones rei ſæpe damnati fuerunt vt ex Suetonio in Caio colligere licet. Videnturque in Hiſpania via Sa- *Cap. 27.*
lamantica, ſiue Argentea, & in Gallia viæ quædam militares à Rom. conſtratæ, vt taceam viam Appiam, Pompeiam, Valeriam & alias in Italia.

Per has Auguſtus primò iuuenes modicis interuallis, poſtea vehicula diſpoſuit, vt ce- *Suetonius in Octauio.*
leriùs, ac ſubmanum annuntiaretur quid vbiq; gereretur. Ad has locatæ fuerunt Ciuitates, item *Manſiones* quæ manendi & quieſcendi cauſsâ hoſpitia neceſſarijs ad vitæ vſum *Manſio.*
inſtructa habuerunt, & *Mutationes*. Sic enim vocauit illa ætas, vbi veredos, iumenta, aut *Mutatio.*
vehicula mutarunt peregrinantes. Qui ad has igitur vias loca in Antonini Itinerario memorata non quærit, a vero & a via proculdubio aberrabit.

Nec pigeat hic notare, ad vnum quodq; milliare per has vias columellas ab Imperatoribus fuiſſe erectas cùm notis numerorum inciſis ad milliaria denotanda. vnde Sidonius Apollinaris.

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cuius per ſpatium ſatis vetuſtis,
Nomen Cæſareum viret columnis.

Iuxta has etiam ſepulcra vtrinq; poſita & clarorum virorum memoriæ inſcripta, vt præ- *Varro Lib. de Lingua Latina*
tereuntes admonerentur & ſe eſſe, & illos fuiſſe mortales. Ad harum etiam reparationem leges (vt videre eſt in Codice Theodoſiano De itinere muniendo) *certatim ſtudia cunctorum feſtinare conducibili deuotione voluerunt*. Et cuſtodes aggerum publicorum conſtituti fuerunt. In legibus etiam noſtris antiquis de pace quatuor *Cheminorum. i. vi-* *Leges S. Edwardi.*
arum ſub maiori indicio mentio habetur.

Sub Nerua, Britanniæ mentionem intermiſerunt ſcriptores. Sub Traiano, defeciſſe *Nerua.*
videantur Britanni, & ſubactos fuiſſe ex Spartiano conſtat. Imperante autem Adriano, *Traianus.*
Iulius Seuerus Inſulæ præerat, qui cùm contra Iudæos tunc tumultuantes euocatus eſſet, *Adrianus Imp. I. Seuerus Proprætor.*
Britanni ſub Romana ditione teneri non poterant, niſi ipſe Adrianus adijſſet, qui cùm tertiùm Conſul eſſet anno Chriſti 124. virtute exercitus hoſtes fudiſſe videtur. Vidimus enim in nummo eius Imperatorem cum tribus militibus quos tres Britanniæ Legiones

repræſentare

repræſentare iudico cum inſcriptione Exer. Britannicvs, & alium inſcriptum Restitvtor Britanniae. Hic per inſulam multa correxit, murúmque per lxxx. paſſ. primus inter Barbaros Romanóſque duxit. *Stipitibus magnis in modum muralis ſepis funditus iactis atque connexis.* Ob quam expeditionem Florus Poeta in illum ſic luſit:

Spartianus

Ego nolo Cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Cui Adrianus reſcripſit

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Cl. Priſcus Licinius Proprætor Brit.

Hoc tempore M. f. cl. Priscvs Licinivs Proprætor fuit Britanniæ, qui fuit in expeditione Judaica cum Hadriano, vt apparet ex hac Inſcriptione antiqua in mutilo marmore.

M. F. CL. PRISCO.
ICINIO. ITALICO. LEGATO. AVGVSTORVM
PR. PR. PROV. CAPPADOCIÆ
PR. PR. PROV. BRITANNIÆ LEG. AVG.

- - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - -

LEG. IIII GALLICIÆ. PRÆF. COH. IIII. LINGONVM. VEXILLO. MIL.
O NATO. A. DIVO. HADRIANO. IN EXPEDITIONE IVDAIC.

Q. CASSIVS. DOMITIVS. PALVMBVS.

Antonius Pius. Imp. Lollius Vrbicus Proprætor. Capitolinus. Pauſanias in Arcadicis. Digeſt. ... 6. Archigubernus.

Sub Antonio Pio (cuius conſtitutione qui in orbe erant Romano ciues Romani fuerunt effecti) hoc bellum denuò exarſit, quod per Lollium Vrbicum legatum barbaris ſubmotis, alioq; muro ceſpititio ducto ita reſtinxit, vt britannicvs diceretur, laudemq; meruit ſingularem quod Brigantes qui Genouniam prouinciam vicinam ſub fide Romanorum infeſtaſſent, agri parte mulctauerat. Et hoc tempore vt ex Iaboleno colligimus, Seius Saturnius Archigubernus erat ex claſſe Britannica. An verò fuerit claſſis Præfectus, vel primarius gubernator, aut Nauarcha dixerint Iuris-periti.

Antoninus Philoſophus Imp. Calpurnius Agricola Proprætor. Eumenius. Capitolinus.

Britanni bellum ex bello ſerentes; res ſub Antonino Philoſopho mouere cœperunt. ad quas componendas miſſus eſt Calphurnius Agricola, & fœlici exitu confeciſſe videtur: *Quam Fronto Romanæ eloquentiæ non ſecundum, ſed alterum decus, belli huius confecti laudem Antonino principi dederit. quamuis ille in ipſo Vrbis palatio reſidens gerendi eius mandâſſet auſpicium, attamen veluti longæ nauis gubernaculis præſidentem totius velificationis & curſus gloriam meruiſſe teſtatus eſt. Militauitq; tunc in Britannia Heluius Pertinax huc ex bello Parthico tranſlatus & retentus.*

Commodus Imp.

Commodo imperante omnia bellorum, ſeditionúmq; per Britanniam pleniſſima erant, Barbari enim Britanni murum tranſgreſſi multa vaſtârunt, Ramanum ducem, & milites obtruncarunt, ad quos reprimendos miſſus eſt Vlpius Marcellus, qui eorum audaciam adeò fœliciter contudit, vt eius virtutem iam inuidia laceraret, & reuocatus eſſet. Hic Dux *omnium vigilantiſſimus: cúmque vellet cæteros qui cum ipſo erant vigilantes eſſe, duodecim tabulas, quales ex tilia fieri ſolent, quotidie perſcribebat veſperi, mandabatque vni ex ſuis, vt alias alijs atque alijs horis perferret ad diuerſos milites, quo Imperatorem ſuum vigilare ſemper rati, ipſi minùs dormirent.* De cuius etiam temperantia hoc adiungitur, *Et quanquam ſomno alioqui reſiſteret natura, tamen quo magis id facere poſſet, inedia perfecerat. Nam vt ne pane repleretur, eum Romà ad ſe iubebat exportari, ne paulò plus quàm eſſet neceſſe, propter vetuſtatem comedere poſſet.* Verùm illo reuocato, petulantia in caſtra

Vlpius Marcellus Proprætor. Xiphilinus è Dione.

castra irrupit, & laxatâ militari disciplinâ, Commodi imperium Britannici exercitus recusarunt, quamuis BRITANNICVS ab adulatoribus sit appellatus. Miserunt etiam qui in Britannia militabant, mille quingentos sui ordinis in Italiam contra Perennem, qui non solùm speciem, sed etiam vim maximam in Principis amicitia habuit, accusantes illum militibus equestris loci viros præfecisse amotis senatoribus, simúlque Imperatoris vitæ insidiatum esse. Credidit Commodus, virúmque illis tradidit, qui indignè cæsus verberibus, obtruncatus, & hostis patriæ declaratus. Has tamen seditiones Heluius Pertinax compescuit, nec sine ingenti periculo, ipse penè occisus, certè inter occisos relictus.

Heluius Pertinax Proprætor.
Clodius Albinus Proprætor.

Pacatam iam Britanniam accepit à Commodo Clodius Albinus, Cæsareumque nomen posteà ob res in Britannia præclarè gestas: verùm statim, quòd Cæsarum imperium liberiùs concione exagitasset, Iunius Seuerus datus est successor.

Capitolinus.
Iun. Seuerus Propr.

Hoc tempore densa superstitionum caligine discussa ([illegible] sub M: Aurelio & L: Vero Imperatoribus, vt Beda scripsit, sed sub Commodo cùm Eleutherus Romæ sederet) diuinus Christianæ lucis fulgor huic insulæ Lucij Regis opera illuxit. Qui, vt in antiquis Martyrologijs in ecclesia legi solitis habetur, Christianorum integritatem & sanctitatem admiratus petijt ab Eleuthero PP. per Eluanum & Meduanū Britannos, vt ipse & subditi Christiana religione imbuerentur. Statimq; ille huc misit viros sanctos Fugatium & Donatianum cum literis quæ adhuc extant fide quàm plurimis minimè suspecta, datis L: Aurelio Commodo II, & Vespronio Coss: qui Regem & alios Christianis mysterijs instituerunt. Vnde de hoc Rege Ninnius. *Lucius Rex agnomine Leuer Maur, dicitur, id est, magni splendoris, propter fidem quæ in eius tempore venit.* Qui hæc de Lucio Rege in quæstionem vocant (vt hodie plures) quasi nullus tunc temporis Rex in Britannia, quam opinantur iam anteà plenè in prouinciam cessisse, in memoriam reuocent velim, Romanos in prouincijs reges vt seruitutis instrumenta veteri instituto habuisse, Britannos tunc temporis recusasse parere Commodo, ipsósq; insulæ partes vltra murum liberè tenuisse, ibidem suos reges habuisse, et ante paucos annos Antoninum Pium, *confecto bello regna Regibus, prouincias Comitibus suis regendas permisisse.* Vt nihil prohibeat quin Lucius hac in parte quà Romana arma nunquam pertigerant, Rex esse potuisset. Illa certè Tertulliani, qui sub hoc tempus scripsit, ad hanc Britannorum ad Christum conuersionem, appositè, si verba et tempus perpendamus, referantur. *Britannorum inaccessa Romanis loca Christo sunt subdita.* Et inferiùs. *Britanniæ intra Oceani ambitum conclusæ sunt, Maurorum gens & Getulorum barbaries a Rom: obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam qui legionum suarum præsidijs imperium muniunt? nec trans ipsas gentes porrigere regni sui vires possunt. Christi autem regnum & nomen porrigitur, vbiq; creditur, ab omnibus gentibus supra memoratis colitur, &c.*

Religio Christiana in Britannia.
Lucius Rex.
Capitolinus.
Aduersus Iudæos c. 7.

Sed ante hæc tempora Britanniam in ipso primo Ecclesiæ diluculo Christianam religionem imbibisse, ex antiquæ fidei authoribus Ecclesiastici nostri scriptores, qui ad hanc rem considerandam et tempus et diligentiam adhibuerunt, docere satagunt: scilicet Iosephum ab Arimathæa nobilem Decurionem è Gallia in Britanniam nauigâsse, & Claudiam Rufinam Auli Pudentis vxorem, quam, vt creditur, D. Paulus in posteriori ad Timotheum memorat, & Martialis Poeta tantoperè laudat, fuisse natione Britannam. Dorotheum, qui Episcopi Tyri nomine circumfertur, testem etiam producunt, qui in sua Synopsi Simonem Zelotem Mauritania peragrata, in Britannia tandem occisum & sepultum: nec non Aristobulum, cuius meminit Paulus in Epistola ad Romanos, Britanniæ Episcopum factum fuisse prodidit: (cui Nicephorus adstipulatur) cùm tamen ille de *Britiana non de Britannia loquitur. Ex fide etiam Symeonis Metaphrastæ, & Græcorum Menologio referunt quòd Petrus huc penetrauerit, & diuini verbi lumen diffuderit, necnon è Sophronio & Theodoreto, quòd Paulus post secundam Romæ incarcerationem hanc nostram regionem adierit. Vnde de illo fide Poetica, nisi de doctrina loquatur, Venantius Fortunatus.

Baleus.
M. Parkerus.
I. Foxus.
**Brutij in Italia.*

Transijt Oceanum, & quà facit Insula portum,
Quasq; Britannus habet terras, quasq; vltima Thule.

Sed huc inprimis facit quod è Tertulliano modò protuli, quodq; prodit Origines, Britannos in fidem consensisse, & ad Deum per Druidas viam sibi muniuisse, qui vnum esse

4 ad Ezechielem.

Deum

Sub Nerone.

Deum semper inculcarunt. Magniq; sane apud me momenti est quod Gildas, cùm de Boudiceæ rebellione innuisset, & de eadem vindicata egisset. *Interea*, inquit, *glaciali frigore rigenti insulæ, & velut longiore terrarum secessu Soli visib. li non proximæ verus ille non de firmamento Sol temporali, sed de summa etiam cælorum arce tempora cuncta excedente, vniuerso orbi præfulgidum sui coruscum ostendens tempore, (vt scimus) summo Tiberij Cæsaris, radios primùm indulget, id est, sua præcepta Christus.* Chrysostomus item de Christiana in hac insula religione, vt obiter adnotem. *Britannicæ Insulæ extra hoc mare sitæ, & quæ in ipso Oceano sunt, virtutem verbi senserunt (sunt enim etiam illic fundatæ ecclesiæ & erecta altaria) illius inquam verbi, quod & in omnium animabus, nunc omnium labys plantatur.* Idemq;.

In Serm. de pente coste.

Quoties in Britannia humanis vescebatur carnibus? nunc ieiunijs reficiunt animam. Beatus etiam Hieronymus.

Epitaph. Marcellæ Viduæ.

Diuisus ab orbe nostro Britannus si in religione processerit, occiduo Sole demisso quærit Hierosolymas, fama sibi tantum & relatione scripturarum notas. Sed iam ab Ecclesia ad Imperium.

Pertinax Imp.

Seuerus Imp.

Albinus Imp.

Commodo interfecto, Pertinax in imperium assumitur, qui protinus in Britanniam Albinum remisit. Sed Pertinace post diem octingentesimũ secundum sublato, Didius Iulianus qui mox itidem occisus, Romæ, Pescennius Niger in Syria, Clodius Albinus in Britannia, & Septimius Seuerus in Pannonia imperium simul semélque arripiunt. Seuerus qui Italiæ proximus Romam primus aduolat consensúq; militũ & Senatus Imperator appellatus, statim ne post tergum hostem relinqueret, Albinum qui Britanniæ & Galliæ exercitibus præerat, Cæsarem subdolè creat, pecuniáque eius imagine percussa, statuis erectis, Consulariq; honore collato hominem prouidè demulcet. Deinde in Orientem contra Nigrum mouet, quem conserta pugna vicit & interfecit, Byzantium triennali obsidione expugnauit, Adiabenos, Arabas, & alios in potestatem redegit. Rebus iam secundis elatus consortis impatiens in Albinum percussores submisit, verùm cùm insidiæ non procederent, hostem publicè declarat, & quanta poterat celeritate in Galliam contra eum contendit, vbi Albinus propè Lugdunum cum delecto Britannici exercitus robore se obiecit. Pugnatum est ab Albinianis acerrimè, adeò vt ipse Seuerus proiecta purpura, cum suis fugam capesseret. At cum Britannici in fugatos hostes laxatis ordinibus, quasi iam victoria in manibus, irruerent, Letus ex Seueri ducibus qui cum suis turmis recentibus & integris hactenus exitum belli præstolatus (audito Seuerum cecidisse) de imperio iam sibi capessendo animo agitans, eos adortus in fugam vertit. Seuerúsque iam suis reuocatis resumpta purpura pertinaciùs eos insequutus, occiso cum plurimis Albino prælium fecit secundissimum. Summum hinc orbis terrarum fastigium Seuerus solus consequutus ad Britanniam obtinendam primùm Heraclianum, deinde Virium Lupum Proprætorem & Legatum (Britanniæ Præses ab Vlpiano Iurisconsulto nominatur) misit, qui plura castra, vt suo loco dicemus, restaurauit: coactus tamen tandem fuit a Mæatis magna vi pecuniarum pacem redimere, pauculis receptis captiuis, cùm Caledonij promissis non starent, qui Mæatas cohibere polliciti erant. Cúmq; ille repentinos hostium insultus post plurimas illatas calamitates reprimere minimè potuisset, necessariò ipsum Seuerum accersit. Qui arrepta gratanter occasione vt filios luxu diffluentes ab vrbis delicijs abstraheret, ac BRITANNICI agnomine suos titulos adaugeret, Britanniam licet sexagenario maior & podagricus cum filijs Bassiano quem Antoninum & Augustum appellarat, Geta Cæsare, & legionibus cogitat. Legatos Britanni statim de pace mittunt, quos consultò satis diu detentos, dumque bello vsui essent parasset, re infecta demisit: filióq; Geta quem Augustum cùm in Britannia appulisset creauit, in citeriori insulæ parte quæ Romanis parebat, relicto, vt iuri-dicundo, rebúsq; administrandis præesset: ipse cum Antonino in vlteriores partes profectus syluis cædendis, & pontibus faciendis, paludibus exsiccandis occupatus nullum prælium gessit, nihilominùs quinquaginta millia ex insidijs & vi morbi amisit. Sic Dio. Herodianus tamen leuioribus quibusdam velitationibus ipsum victorem prodidit, cùm barbari palustria, & densissimas siluas in quas se receperunt, haberent, & ex quibus tutiùs Romanos lacesserent. Eos tamen ad fœdus faciendum ea conditione tandem adegit vt non parua regionis parte cederent. Quodq; maximum eius imperij decus est, muro per transuersam insulam ducto vtrinq; ad Oceanum communiuit. Ob has victorias nummos cum VICTORIA BRITANNICA signauit, BRITANNICI MAXIMI agnomen assumpsit: filiúsq; Geta BRITANNICVS dictus tulit, vt

Heraclianus Propræt.

D lib 28 Tit. 6.

Virius Lupus Proprætor.

ex

ex eius nummis apparet. Nouas tamen posteà res Britanni violato fœdere moliri cœperunt, in quos ita erupit stomachus vt pro concione militibus omnes ad vnum occidere his Homericis versibus mandaret.

Nemo manus fugiat vestras cædemq́; cruentam,
Non fœtus grauida mater quem gestat in aluo
Horrendam effugiat cædem.

Hos rebelles cùm vtcunq; per suos compescuisset, non tam corporis morbo, quàm animi mœrore ex perditis Antonini filij moribus, qui sua manu semel atq; iterum eum occidere tentauit, Eboraci expirauit in hæc verba; *Turbatam Rempublicam vbiq; accepi, pacatam etiam Britannis relinquo.* Corpus eius hic militari more à militibus elatum, impositumq; in rogum honestatum militum & filiorum ipsius decursione. Vanitatis fortasse arguar si prodigia quæ mortem eius præcesserunt, hic memorem scilicet: de furuis hostijs, de corona è funesta cupresso quam scurra dicax illi cum his verbis obtulit. *Omnia fuisti, nunc Deus esto.* Quomodo tamen Deus sit factus non pigebit adscribere, cùm & lectorem iuuet cognoscere.

Mos est, Romanis consecrare Imperatores, qui superstitibus filijs, vel successoribus moriuntur. Quiq́; eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter Diuos. Est autem tota vrbe quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus. Quippe functum vita corpus, ritu hominum, sumptuoso funere sepeliunt. Sed certam imaginem defuncto quàm simillimam fingunt, eamque in regio vestibulo proponunt supra eburneum lectum maximum atq; sublimem, vestibus instratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit. Circa lectum verò vtrinq; magnam partē diei sedent, à læua quidem Senatus omnis vestibus atris amictus; à dextera verò matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestat. Harumq́; nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspicitur, sed vestibus albis exilibus indutæ mœrentium speciem præbent. Hæc ita per septem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectumq́; velut ægrum deterius se habere subinde pronunciantibus. Dein vbi iam visus obijsse diem, lectum humeris attollunt Equestris Senatorijq́; ordinis nobilissimi ac lectissimi iuuenes, perq́; viam Sacram in vetus Forum deferunt, vbi magistratus Romani deponere imperium consueuerant. Vtrinq́; autem gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem exstructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus est è nobilissimis atq; patricijs; altera fœminarum illustrium, hymnos in defunctum, pæanasq́; canentium verendo ac lamentabile carmine emodulatos. Quibus peractis, tollunt iterum lectum, atq; extra vrbem perferunt in Campum Martium: vbi quà latissimè campus patet, suggestus quidam specie quadrangula lateribus æquis assurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totum est aridis fomitibus oppletum: extra autem intextis auro stragulis atq; eboreis signis, varijsq́; picturis exornatum. Infra verò alterum minusculum quidem positum est, sed forma & ornatu persimile, portis ianuisq́; patentibus. Tertiumq́; item & quartum semper superiore contractius ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium breuissimum, perueniatur: Possis eius ædificij formam comparare turribus his, quæ portibus imminentes, noctu igne prælato, naues in tutas stationes dirigunt, Pharos vulgo appellant. Igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata & suffimenta omnis generis, fructus, herbas, succosq́; omnes odoratos conquirunt, atq; aceruatim effundunt. Quippe neque gens est, neq; ciuitas, neq́; qui honore vllo aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisq; suprema illa munera Principis honori deferat. Vbi verò ingens aromatum aceruus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant, vniuersis equestris ordinis certa quadam lege ac recursu, motu Pyrrhichio, numeroq́; in orbem decurrentibus. Currus item circumaguntur insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferant ducum omnium Romanorum, principumq́; illustrium. Quæ vbi celebrata sunt, facem capit Imperij successor, eamq́; tabernaculo admouit: tum cæteri omnes vndiq́; ignem subijciunt, cunctaq́; illicò fomitibus illis aridis odoramentisq́; referta igni valido corripiuntur: Mox ab extremo minimoq́; tabernaculo, tanquam è fastigio quodam, simul cum subiecto igni aquila dimittitur, quæ in cælum creditur ipsam Principis animam deferre. Ac iam ex illo vnà cum cæteris numinibus Imperator colitur. Hæc extra callem: nunc redeamus.

Apotheosis Imperatoris.

Herodianus.

Seueri filius Antoninus Caracalla belli reliquias per duces aliquantisper in Britannia est persequutus, sed statim pacem fecit, agris castellisq; hosti cessit. BRITANNICI tamen

Antoninus Caracalla.

men, imò BRITANNICI MAXIMI nomen sibi ambitiosus arrogauit, fraterq; eius Geta BRITANNICI etiam titulo vsus est: Vidimus enim eius nummos inscriptos IMP. CAES. P. SEPT. GETA PIVS. AVG. BRIT. PONTIF. TRI. P. III. COS. II. PP.

Iam inde res Britannicas longo silentio prętervecti sunt scriptores, nec enim Alexander Seuerus in Sicilia Britanniæ vico, vt aliqui volunt, sed in Gallia erat occisus. Tantùm ex antiquo saxo constat Nonium Philippum sub Gordiano Iuniore hic fuisse Proprętorem.

Nonnius Philippus Propretor.

Gallienus Imp.

Gallieno in omnem luxum diffluente, siue incuria rerum, siue inclinatione quadam fatorum, omnibus ferè membris truncata iacuit res Romana. *tristeq; fuit huius prouinciæ a Romano duce discidium.* Triginta enim Tyranni imperium sibi diuersis in locis arripuerunt, è quibus Lollianus, Victorinus, Posthumus, Tetrici, Mariusq; in hac insula, rerum (vt opinor) potiti sunt, eorum enim nummi quotidiè hîc magna copia eruuntur. Sub Aureliano, Bonosus ille bibacissimus, origine Britannus, imperium cum Proculo inuasit, omnesq; Britannias, Hispaniam, & Braccatam Galliam (quibus Florianus duos menses præfuerat) sibi vindicauit, sed longo grauiq; certamine a Probo superatus laqueo vitam finiuit, iocusq; extitit, *Amphoram, non hominem pendère.*

Panegyricus Constantio dictus.
Triginta Tyranni.
Bonosus.

Probum tamen nouæ in Britannia turbæ exceperunt. Quidam enim defectionem meditatus erat, quem ipse Probus Victorini Mauri familiaris sui commendatione adductus ad magistratum euexerat, vnde cum Victorino expostulauit; qui impetrata ad illum abeundi potestate, se Imperatorem fugere simulans, amanter à Tyranno susceptus noctu illum occidit, ad Probum rediit, simulq; prouincia ex hac turba emersit. Quis hic Tyrannus fuit nemo dixit, videatur autem ille Cl. Corn. Lælianus, cuius nummi in hac insula, & non alibi reperiuntur. Probus etiam Burgundos Vandalosq; quos in potestatem redegerat huc misit, & sedes concessit, quotiesq; deinde seditionem aliquis moliretur, vtiles Romanis fuerunt. Qùod verò Vopiscus scribit Probum permisisse Britannis vt vites haberent, veretur vir doctissimus, ne incogitanter hoc scripserit, quasi hæc terra ad vineta parùm sit apta, cùm tamen vites habeat, & plurimas habuisse constet. Ob emergentes hoc tempore in hac prouincia tot Tyrannos exclamauit Porphyrius qui hoc sæculo vixit, *Britannia fertilis prouincia Tyrannorum.*

Probus Imp.
Zosimus.
Lælianus Imp.
Burgundi & Vandali in Britannia.
Hieronymus.

Carus Augustus deinde Carino filio hanc regionem cum Gallijs, Hispanijs, & Illyrico decreuit. Illum bella hîc gessisse quidam ex his Nemesiani versibus, exiliter sanè, nescio quam verè colligunt.

Carus & Carinus Impp.

Nec taceam quæ nuper bella sub Arcto,
Fœlici Carine manu confeceris, ipso
Pene prior genitore Deo.

Sub Dioclesiano Carausius è Menapia ciuitate, genere infimus, consilio & manu promptus, ob virtutem in naualibus bellis famā egregiam consequutus propulsandis Saxonibus & Francis mare infestantibus apud Bononiā Galliç prçfectus erat. Qui cùm primùm multos Barbaros subinde cœpisset, nec prædam omnē in Imperatorum ærarium referret, nec prouincialibus restitueret: postea cùm parùm multos opprimeret, suspitio vehemens exorta est consultò ab eo admitti Barbaros, vt transeuntes cum præda exciperet, seq; hac occasione ditaret; vnde iussit Maximianus Augustus vt occideretur. Quod cū certò comperrerat, Britanniā assumptis Imperatorijs insignibus occupauit, classem quæ Gallias tuebatur abduxit, naues plurimas in Romanum modum ędificauit, Legionē Romanam sibi adiunxit, peregrinorū militum cuneos interclusit, mercatores Gallicanos ad delectum contraxit, Bononiam præsidio firmauit, Britanniç & Batauiç redditus interuertit; non mediocres Barbarorum copias per spolia prouinciarum in societatem illexit, Francos præcipuè, quos ad munia nautica erudiuit, & omnia circūquaq; littora infesta habuit. Ad hunc debellandum cum numeroso exercitu è quibus *nonnulli in ipsa expeditione gloriosam pro Christo mortem subierunt, mouit Maximianus, sed cùm ad oram maritimā peruenisset, classiariorum inopia, & Oceani Britannici inclementia deterritus substitit, paceq; simulata cum Carausio inita, ipsi insulæ imperium remisit cùm iussu & munimēto incolarum contra gentes bellicosas opportunior sit habitus. Hinc est quod in Carausij nummis argenteis vidimus duos Imperatores manus iungentes cum circumscriptione CONCORDIA *AVGG. Maximianus verò copias conuertit in Francos qui tum Batauiam insederunt, opemq; Carausio subministrauerant, quos aduentu inopino eò adegit, vt se submitterent.

Dioclesianus & Maximianus Impp.
Carausius Imp.
** Legio Thebæa.*
** Augustorum.*

Interim

Interim integra authoritate & summa pace Britanniam administrauit Carausius, contra Barbaros *murum inter Cluda & Caruni ostia readificauit*, vt scribit Nennius Eluodugi discipulus, *& septem castellis muniuit: domumq; rotundam politis lapidibus super ripam fluminis Carun, qui a suo nomine nomen accepit, fornicem triumphalem in victoria memoriam erigens construxit.* Quem tamen Termini fuisse templum credit Buchananus, vt in Scotia dicemus.

Cùm Dioclesianus & Maximianus tum ad parta tuenda, tum ad amissa recuperanda, Constantium Chlorum, & Maximianum Galerium Cæsares sibi adsciuissent: Constantius conscripto exercitu omnium opinione citiùs Bononiam in Gallia (quæ & Gessoriacum dicta) quam firmo præsidio munierat Carausius, aduolat, obsidione incingit; defixis in aditu trabibus ingestisque saxis mare excludendo portum adimit quasi vallo, quod impetus Oceani sua mole multis diebus insurgens non conuulsit, verùm deditione facta, primus qui insiluit æstus ita irrupit, vt prorsus fuerit solutum, & abruptum. Dumq; ad Britanniam recuperandam classem hic & alibi apparat, Batauiam a Francis occupatam omni hoste purgauit, eorumque plurimos ad desertos agros colendos in Romanas transtulit nationes. *Eumenij Panegyricus.*

Interea temporis Carausium familiaris eius Allectus qui sub eo summæ rei præfuit, dolo interemit & purpuram ipse induit. Quo audito, Constantius armatis diuersis classibus Allectum ita incertum, consilijque inopem reddidit, vt tunc demùm senserit quòd non munitus esset Oceano, sed inclusus. Velaque faciens coelo & mari turbidis, per nebulam quæ mari incubuit, hostilem classem in speculis atque insidijs ad insulam Vectam collocatam ignorantibus omnino hostibus præterijt, & statim atque Britanniæ littus attigit exercitus, vniuersis nauibus iniecit ignes, vt nullum fugæ superesset præsidium. Allectus autem vt vela Constantij imminentia conspexit, a littore quod tenebat abscessit, fugiensque incidit in Asclepiodotum Præfectum Prætorio, adeoq; trepidus & in modum amentis properauit ad mortem, vt nec aciem explicârit, nec turmas quas trahebat, instruxerit, sed cum barbaris mercenarijs irruerit, purpura ne agnosceretur abiecta, ceciditque tumultuaria pugna, vix vnius indicio repertus inter cadauera barbarorũ quæ passim campos & colles intexerunt. Franci verò & alij barbari qui prælio superfuerunt, Londinum diripere, & fugam capescere cogitauerunt, cùm ex improuiso milites Constantij qui nebuloso coelo abiuncti fuerunt, commodùm Londinum peruenerunt, eosque passim tota vrbe confecerunt, & non solùm ciuibus in cæde hostium dederunt salutem, sed etiam in spectaculo voluptatem. Hac victoria postquam prouincia septem plus minus annos sub Carausio, & tres sub Allecto occupata fuisset, recuperata est. Vnde Eumenius ad Constantium. *O victoria, multiiuga & multiplicium triumphorum, qua Britannia restituta, qua gentes Francorum penitùs excisa, qua multis praterea gentibus in coniuratione illius sceleris deprehensis imposita est necessitas obsequendi. Deniq; ad perpetuam quietem maria sunt purgata. Gloriare verò tu Cæsar inuicte alium te orbem terrarum reperisse, & Romanæ potentiæ gloriam restituendo naualem, addidisse imperio terris omnibus maius elementum.* Et paulò post ad eundem. *Ita Britannia recuperata est, vt illæ quoq; nationes terminis eiusdem insulæ cohærentes vestris nutibus obsequantur.* *C. Allectus Imp.*

Postremis Dioclesiani & Maximiani annis cùm Orientalis ecclesia Martyrũ sanguine iam plures annos cruentata fuisset, huc etiam in Occidentem furentis illius persecutionis impetus peruasit, multiq; qui Christo nomina dederant, martyrio sunt affecti: inter quos præcipui Albanus Verolamiensis, Iulius, & Aaron ex Isca vrbe Legionum &c. De quibus suo loco. *Tunc enim, triumpho longè maximo & fœlicissimo, vicit ecclesia, cùm decem annorum stragibus vinci non poterat.* *Persecutio in Britannia.* *S. Albanus.*

Cùm Dioclesianus & Maximianus se imperio abdicarent, Constantium illum Chlorum qui hactenus Cæsaris titulo Rempub: administrauerat, Augustum designârunt, illiq; obtigerunt Italia, Africa, Hispania, Gallia, & Britannia: verùm Italia & Africa Galerio cessit, cæteris contentus. Hic cùm sub Aureliano in Britannia stipendia faceret, Helenam Coeli vel Coelij Britannici Reguli filiam in vxorem duxit, ex qua Constantinum illum Maximum in Britannia genuit. Ita enim cum magno illo Baronio communis & conspirans omnium scriptorum testatur sententia, præter vnum & alterum nuperum Græculum inter se dissidentes, & virum longè eruditissimum ex deprauato I. Firmici lo- *Constantius Chlorus Imp.* *Baronius in Hist. Eccles.*

co. A.Maximiano tamen illam repudiare coactus est vt Theodoram eius filiam acciperet. Hæc illa Helena est quæ in antiquis Inscriptionibus VENERABILIS, & PIISSIMA AVGVSTA dicta, & ob Christianam pietatem, Hierosolymam idolis purgatam, Basilicam in loco Dominicæ passionis extructam, & salutarem Christi crucem inuentam tantoperè ab ecclesiasticis scriptoribus celebrata. Quam tamen Iudæi & Gentiles stabulariam ignominiosè appellàrunt, quòd pientissima princeps præsepe in quo Christus natus quæsiuit, & vbi stabulum fuit, Ecclesiam fundauit. Hinc Sanctus Ambrosius: *Stabulariam hanc primò fuisse asserunt &c. Bona stabularia Helena Hierosolymam festinauit & scrutata est locum Dominicæ passionis, tamq; diligenter præsepe Domini requisiuit, Bona stabularia, quæ stabularium non ignorauit illum, qui vulnera curauit hominis à latronibus vulnerati. Bona stabularia quæ maluit existimari stercoraria, vt Christum lucrifaceret.* Nec minori sane laude maritus eius Constantius ob pietatem, & moderationem effertur. *Vir, qui repudiata penitùs impiorum in varijs dijs colendis superstitione, Deum vnum omnium rerum moderatorem vltrò agnouit.* Vnde vt Aulicorum suorum in Deum fidem experiretur optionem illis dedit liberam, vel vt dijs sacrificantes apud se manerent, vel recusantes abirent: Verùm qui abire potius quàm fidem in Deum deserere maluerunt, apud se retinuit, abiectis alijs quos sibi futuros infidos putauit, qui fidem in verum Deum abiecerant. Obijt hic optimus Imperator suprema in Britannia contra Caledonios, aliosq; Pictos expeditione, Eboraci, filio Constantino Imperatore successore & Cæsare designato.

Helena.

De obitu Theodosii.

Eusebius.

Paucis ante Constantij mortem diebus Constantinus eius filius per dispositos equos Roma Eboracum aduolauit: cæteros quos alebat Respublica toto itinere ne quis persequeretur, mutilauit: ibiq; patris spiritum excepit. Vnde ad eum antiquus Orator. *Sacrum istud Palatium non candidatus imperij sed designatus intrâsti: confestimq; te illi paterni Lares successorem vidère legitimum. Neq; enim erat dubium quin ei competeret hæreditas quem primum Imperatori filium Fata tribuissent.* Nihil-ominus à militibus quasi coactus sed præcipuè Eroci Alamanorum regis opera, qui illum auxilij gratiâ comitabatur, in Imperatorem euectus est. *Purpuram milites, vtilitati publicæ, potiùs quam affectibus seruientes, illi iniecerunt lachrimanti, equumq; calcaribus incitanti vt deposcentis exercitus fugeret conatum, &c. sed modestiam eius vicit Reip. fælicitas.* Vnde Panegyristes exclamat, *O fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidit.* Iam oriens Cæsar belli reliquias quod pater in Caledonios aliosq; Pictos susceperat primùm persequutus, Britannos illos remotiores, & Insularum quæ illuc sunt incolas, occasus, vt inquit ille, Solis testes aggressus, alios vi & armis subegit, alios (Romam enim & altiora ille spirabat,) in societatem stipendijs oblatis pellexit, nonnullos ex hostibus amicos, ex veteribus inimicis familiares reddidit. Inde Francis in Batauia deuictis tanta gloria, vt nummos cuderit aureos (quorum & vnum vidi) cum effigie muliebri sub trophæo sedente altera manu balistæ innixa: subscripta FRANCIA; & GAVDIVM ROMANORVM circumscripto: alijsq; Barbaris in Germania profligatis, Germanicis & Gallicis nationibus sibi conciliatis, coactis è Britãnia, Gallia, & Germania militibus qui omnes erant ad 90000. peditum & 80000. equitum in Italiam mouit, Maxcentiumq; qui Romæ sibi imperium vindicàrat, vicit, Italiaq; potitus securæ libertatis munera deuicto tyranno orbi reddidit. Vtq; in antiqua habetur inscriptione, INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE, VNO TEMPORE IVSTIS REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS.

Vide Suidam quare dictus Pauper.

Constantinus Maximus Imp.

Panegyricus Constantino M. dictus.

Gelasius Cizicenus L. 1. Act. Conc. Nicen. c. 3.

Redijsse tamen in Britanniam innuit Eusebius. *Constantinus*, inquit, *tandem traiecit ad Britannos Oceani littoribus vndiq; conclusos, quos cùm vicisset alias mundi partes animo complecti cœpit, vt his qui ope indigerent subsidio maturè veniret.* Et alibi. *Cum mansuetis & modestis pietatis præceptis exercitum muniuisset in Britanniam, vt eos qui fluctibus Oceani Solis occasum suis quasi oris terminantis vndiq; circumdati habitant, inuasit.* Et de Britannia intelligendi sunt hi versus Optatiani Porphyrij ad Constantinum.

Omnis ab Arctois plaga finibus horrida Cauro
Pacis amat cana & comperta perennia iura,
Et tibi fida tuis semper bene militat armis,
Resq; gerit virtute tuas, populosq; feroces

Propellit,

Propellit, ceditq; lubens tibi debita rata,
Et tua victores fors accipit hinc tibi fortes,
Teq; duce inuictæ attollant signa cohortes.

Sub hoc tempore, vt ex Codice Theodosiano constat, Pacatianus fuit Britanniæ Vicarius, nam Proprætorem & Legatum Britannia iam desijt habere, & eius loco Vicarius substitutus.

Pacatianus Vicarius Britanniæ anno 13. Constantini M.

A plurimis laudibus fœlicissimus hic fuit Imperator, & sanè meritissimè; etenim non solùm Romanum imperium in libertatem asseruit, verumetiam spissa superstitionum nube dissipata, veram Christi lucem intulit, cùm templa Deo vero aperuerit, & Dijs falsis occluserit. *Iam enim vbi turbo persecutionis quieuit, progressi in publicum fideles Christi qui se tempore discriminis syluis ac desertis abditisq; speluncis occultauerant, renouant ecclesias ad solum vsq; destructas, basilicas sanctorum Martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac veluti victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde atq; ore conficiunt.* Vnde hisce titulis celebratur. IMPERATOR FORTISSIMVS AC BEATISSIMVS, PIISSIMVS, FOELIX. VRBIS LIBERATOR. QVIETIS FVNDATOR. REIPVBLICAE INSTAVRATOR. PVBLICAE LIBERTATIS AVCTOR. RESTITVTOR VRBIS ROMAE ATQVE ORBIS. MAGNVS. MAXIMVS. INVICTVS. INVICTISSIMVS. PERPETVVS. SEMPER AVGVSTVS. RERVM HVMANARVM OPTIMVS PRINCEPS. VIRTVTE FORTISSIMVS, ET PIETATE CLEMENTISSIMVS. Et in legibus, QVI VENERANDA CHRISTIANORVM FIDE ROMANVM MVNIVIT IMPERIVM. DIVVS. DIVAE MEMORIAE. DIVINAE MEMORIAE, &c. primusque Imperatorum qui in numismatibus & publicis operibus inscriptus DOMINVS NOSTER, quantum ego hactenus obseruauerim. Etsi me non lateat Dioclesianum primum omnium post Caligulam Dominum se dici palam passum.

Gildas.

Cæterùm in hoc tanto Imperatore desideratur eius prudentia, quòd barbaris viam in Britanniam, Germaniam, & Galliam aperuit. Cùm enim gentes boreales ita contudisset, vt iam nihil ab illis timeret, atque ad Persarum opes, qui Romano imperio in oriente imminebant, frangendas nouam vrbem Constantinopolim condidisset: legiones quæ limites tuebantur partim in orientem transtulit, & eorum loco castella, & munitiones condidit, partim in vrbes remotiores à limitibus deduxit, adeò vt statim post eius obitum, barbari opida & castella expugnantes in prouincias irruerint: Atque hoc nomine pessimè apud Zozimum audit, vt Imperij florentissimi maximus, & primus subuersor.

Cùm verò Constantinus formulam Romani imperij immutârit, non alienum erit hîc summatim adnotare quomodò sub eo & succedentibus annis Britannia fuerit administrata. Quatuor constituit præfectos Prætorio, scilicet Orientis, Illyrici, Italiæ, & Galliarum, & duos militum magistros, alterum peditum, alterum equitum Occidentis, quos *Præsentales* dixerunt.

Politia Romana in Britannia sub posterioribus imperatoribus.

Quoad ciuilem administrationem præfuit Britanniæ Præfectus Prætorio Galliarum, & sub eo Vicarius Britanniæ qui eius vices agebat, *Spectabilis* titulo honoratus. Cui parebant pro numero Prouinciarum duo consulares, & tres præsides, qui caussas ciuiles & criminales audiebant.

Vicarius Britanniæ.

Quoad rem militarem imperauit Magister peditum Occidentis, sub cuius dispositione erant Comes Britanniarum, Comes Littoris Saxonici per Britanniam, Dux Britanniarum: Singuli Spectabiles.

Comes Britanniarum interioribus insulæ partibus præfuisse videtur, qui secum habuit septem Numeros peditum, & nouem vexillationes Equitum.

Comes Britanniarum.

Comes littoris Saxonici qui littora contra Saxones tuebatur, & Comes tractus maritimi ab Ammiano dicitur, ad tuendam oram maritimam habuit septem Numeros peditum, duas vexillationes Equitum, Legionem secundam, & cohortem vnam.

Comes littoris Saxonici.

Dux Britanniarum qui limites contra barbaros tuebatur, imperauit XXXVIII. præsidijs in quibus stationes egerunt 14000 Pedites, & 900. Equites. Ita vt eo seculo, si Pancirolus rectè rationes subduxerit, aluerit Britannia 19200. pedites, & 1700. Equites plus minus ordinarios.

Dux Britanniarum.

Præter hæc Comes sacrarum largitionum, qui donorum & liberalitatis Imperatoris curam gerebat habuit sub se in Britannia *Rationalem summarum Britanniæ*, *Præpositum*

Comes sacrarum largitionum.

 Thesaurorum

Thesaurorum Augustensium in Britannia & Procuratorem Gynegij in Britannia, in quo Principis, militumq; vestes texebantur. Comes etiam rerum priuatarum suum etiam habuit rei priuatæ Rationalem in Britannia, vt taceam Procuratorem Ludi gladiatorij per Britanniam, cuius meminit vetus Inscriptio, & alios subsellij inferioris.

Constantinus Imp. *Constans. Imp.*

Constantino defuncto obtigit Britannia filio eius Constantino, qui cùm dominandi libidine percitus in aliena irrueret, à fratre Constante interfectus. Qua victoria ille tumidior Britanniam & reliquas prouincias occupauit, & huc accessit cum fratre Constantio. Vnde Iulius Firmicus, non ille paganus Astrologus, sed Christianus sic eos affatur. *Hieme (quòd nec factum est aliquando, nec fiet) tumentes, & sauientes vndas calcastis Oceani Britannici, sub remis vestris. Incogniti iam nobis penè maris vnda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expauit. Quid amplius vultis? virtutibus vestris victa elementa cesserunt.* Constans autem hic Sardicam contra Arrianos indixit concilium quò conuenerunt Episcopi trecenti & inter eos Britanniarum Episcopi qui hæreticis damnatis, Nicænaq; fide confirmata, Athanasij innocentiam suis calculis comprobârunt. Sed iuuenis hic Princeps imperij cura abiecta voluptatibus delibutus; & inde prouincialibus grauis, & militibus parùm gratus, a Magnentio Comite Iouiorum & Herculiorum inter venandum in vico Helenæ circumuentus, & obtruncatus, vaticinio adimpleto in auiæ gremio fata completurus, a cuius nomine vicus ille nomen sumpserat. Hic Magnentius patre Britanno apud Lætos in Gallia natus, occiso iam Constante, imperatorium habitum in Gallia induit, Britanniamque in suas partes pellexit, atq; per triennium acrioribus prælijs à Constantio exagitatus sibi manus intulit, Fortunatus, si quis alius princeps, cœli temperie, fructuum prouentu, & nulla à barbaris formidine, quæ apud vulgus Principum gloriæ inprimis ducuntur. Cur verò Magnentius iste Taporus dicatur in antiquo lapide Romæ iampridem effosso, inquirant alij. Sic enim legitur de Obelisco, in Circo erecto loquens.

Athanasius in Apolog. 2. *Magnentius, qui & Taporus dictus.*

Angelus Rocha.

Interea Tappro Romam vastante tyranno
Augusti iacuit, donum studiumq; locandi.

Gratianus Funarius. *A. Marcellinus.*

Hoc tempore præfuit rei castrensi per Britanniam Gratianus cognomine *Funarius*, qui pater Valentiniani Augusti. *Funarius* autem ille dictus, *quòd non adultus venalem circumferens funem, quinq; militibus eum rapere studio magno conatis nequaquam cepit: hic cum ad larem reuertisset sacramento solutus, bonorum mulctatione à Constantio affictus est, quòd Magnentium hospitio suscepisse dicebatur.*

Constantius *Paulus Catena.*

Magnentio sublato Britannia se Constantio submisit, & protenùs *huc missus est Paulus notarius ortus in Hispania, glabro quidem sub vultu latens odorandi vias periculorum occultas perquàm sagax. Vt militares quosdam perduceret ausos conspirasse Magnentio, cum resisti non possent, his licentiùs supergressus fluminis modo fortunis complurium sese repentinus infudit. Et ferebatur per strages multiplices ac ruinas, vinculis membra ingenuorum affligens & quosdam obterens manicis, crimina scilicet multa consarcinando a veritate longè discreta. Vnde admissum est facinus impium, quod Constantij temporibus notam inusserat sempiternam. Martinus regens illas prouincias pro præfecto, ærumnas innocentium grauiter gemens, sæpeq; obsecrans vt ab omni culpa immunibus parceretur, cùm non impetraret, minabatur se discessurum: vt saltem id metuens perquisitor maleuolus, tandem desineret quietis coalitos homines in aperta pericula prolectare. Per hoc minui studium suum existimans Paulus, vt erat in complicandis negotijs artifex dirus, vnde & Catena inditum est cognomentum, Vicarium ipsum eos quibus parserat adhuc defensantem, ad sortem periculorum communium traxit. Et instabat vt eum quoque cum tribunis & alijs pluribus ad comitatum imperatoris vinctum perduceret. Quo percitus ille exitio vrgente, abrepto ferro eundem adoritur Paulum. Et quia languente dextra letaliter ferire non potuit, iam districtum mucronem in proprium latus impegit: Hocq; deformi genere mortis excessit è vita iustissimus, remora ausus miserabiles casus leuare multorum. Quibus ita sceleste patratis, Paulus cruore perfusus, reuersus est ad principis castra, multos coopertos pene catenis adducens, in squalorem deiectos atq; mæstitiam: quorum aduentu intendebantur aculei, vncosq; parabat carnifex & tormenta; & ex ijs proscripti sunt plures, actiq; in exilium alij, nonnullos gladij consumpsere pœnales.* Ipseque tandem sub Iuliano viuus exustus Deo vltore efferatæ crudelitatis pœnas persoluit meritissimas.

Ammian. Marcellinus lib. 14.

Martinus Vicarius Britanniæ.

Deinde

Deinde (Ammianum Marcellinum legis) *In Britannijs cùm Scotorum Pictorumque gentium ferarum excursu, rupta quiete, condicta loca limitibus vicina vastarentur, & implicaret formido prouincias præteritarum cladium congerie fessas, hyemem agens apud Parisios Iulianus (quem Cæsarem & collegam in imperio renunciârat Constantius) distractusq; in sollicitudines varias, verebatur ire subsidio transmarinis, vt retulimus ante fecisse Constantium, ne rectore vacuas relinqueret Gallias, Alamannis ad sæuitiam etiam tum incitatis & bella. Mittere igitur ad hæc loca ad rationes componendas Lupicinum placuit, ea tempestate magistrum armorum, bellicosum sanè, & castrensis rei peritum, sed supercilia erigentem vt cornua, & de tragico, quod aiunt, cothurno strepentem, super quo diu ambigebatur, auarus esset potius, an crudelis. Moto ergo velitari auxilio, Herulis scilicet & Batauis, numerisque Mæsicorum pluribus, adulta hyeme dux antedictus Bononiam venit: quæsitisq; nauigijs, & omni imposito milite, obseruato flatu secundo ventorum, ad Rutupias sitas ex aduerso defertur, petitque Londinum: vt exinde suscepto pro rei qualitate consilio, festinaret ocius ad procinctum.*

Lupicinus. *Rhutupia.* *Londinum.*

Sub hoc Constantio qui Arianis impensè fauebat, eorum hæresis in Britanniam proserpsit, in qua a primis Constantini Max. annis *Christi capitis & mēbrorū consonantia suauis manserat, donec Ariana illa perfidia atrox, seu anguis transmarina nobis euomens venena fratres in vnum habitantes exitiabiliter faceret seiungi, ac sic quasi via facta trans Oceanum omnes omnino bestiæ feræ mortiferum cuiuslibet hæresis virus horrido ore vibrantes letalia dentium vulnera patriæ noui semper aliquid audire volenti, & nihil certe stabiliter obtinenti infigebant.* In horum Arianorum gratiam acciuit Constantius episcopos quadringentos Occidentales Ariminum, *quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat. Sed id Aquitanis, Gallis, ac Britannis indecens visum, repudiatis fiscalibus, proprijs sumptibus viuere maluerunt. Tres tantum ex Britannia, inopiâ proprij publico vsi sunt, cùm oblatam a cæteris collationem respuissent: sanctius putantes fiscum grauare, *quam singulos.*

Ariana hæresis. *Gildas.* *Sulpitius Seuerus.* ** Prouinciarum Britanniarum Episcopos hos vocat Hilarius in Epistola ad Episcopos.*

Constantio posteà defuncto, Iulianus ille Apostata qui Augusti nomen contra Constantium assumpserat, Palladium primum ex magistro officiorum in Britanniam exterminauit, Alipiumque qui Britanniam pro Præfecto curauerat, ad Hierosolymas instaurandas misit, sed metuendi flammarum globi propè fundamenta erumpentes ab incepto deterruerunt, multaque millia Iudæorum ruinis sunt oppressa qui frustra contra Dei decretum reluctati sunt. Discinctus hic Augustus, & barbam tenus philosophus, veritus est (vt modò dictum) Britannis afflictis auxilio venire, cùm tamen ad Germanicos exercitus alendos magnam frumenti vim hinc quotannis ille exportauerit.

Iulianus Imp. *Am. Marcell.*

Cùm Valentinianus Augustus ad Romani imperij gubernacula sederet, bellicum per vniuersum orbem canentibus buccinis, Picti, Saxones, Scoti, & Attacotti Britannos ærumnis vexauere continuis. Fraomarius Rex Alamannorum huc translatus, Tribuniq; potestate præfectus Alamannorum numero qui multitudine, viribusque ea tempestate inprimis floruit, ad barbarorum istorum incursiones cohibendas.

Valentinianus Imp.

*Nihilominùs Britannia barbarica conspiratione ad vltimam vexata inopiam, Nectaridus Comes maritimi tractus occisus, Bulchobaudes Dux hostilibus insidijs circumuentus. Quibus magno cum horrore compertis, Imperator Seuerum etiam tum domesticorum Comitem misit si sors casum dedisset optatum, correcturum seciùs gesta: quo paulò posteà reuocato, Iouinus eadem in loca profectus, * Prouentusidem celeri gradu remisit, adminicula petiturus exercitus validi. Id enim instantes necessitates flagitare firmabant. Postremò ob multa & metuenda, quæ super eadem insula rumores assidui perferebant, electus Theodosius illuc properare disponitur, officijs Martijs felicissime cognitus, ascitaq; animosa legionum & cohortium pube, tendebat præeunte fiducia speciosa. Eo tempore Picti in duas gentes diuisi Dicalidonas & Vecturiones, itidemq; Attacotti bellicosa hominum natio, & Scoti, per diuersa vagantes multa populabantur. Gallicanos verò tractus Franci & Saxones ijsdem confines, quo quisq; erumpere potuit terra vel mari, prædis acerbis incendijsq; & captiuorum funeribus hominum violabant. Ad hæc prohibenda si copiam dedisset fortuna prosperior, orbis extrema dux efficacissimus petens, cùm venisset ad Bononiæ littus, quod à spatio controuerso terrarum angustijs reciproci distinguitur maris, attolli horrendis æstibus adsueti, rursusq; sine vlla nauigantium noxa in speciem complanari camporum. Exinde transmeato lentiùs freto defertur.*

Am. Marcellinus lib. 27. & 28. ** Locus fortè corruptus.* *Theodosius.* *Picti, Scoti.* *Attacotti.*

Rutupias

Rutupias stationem ex aduerso tranquillam, vnde cùm consecuti Batavi venissent, & Heruli, Iouijq; & Victores fidentes viribus numeri egressus, tendensq; ad Lundinum vetus oppidum quod Augustam posteritas appellauit, diuisis plurifariam globis, adortus est vagantes hostium vastatorias manus, graues onere sarcinarum. Et propere fusis qui vinctos homines agebant & pecora prædam excussit, quam tributarij perdidere miserrimi. Deniq; restituta omni præter partem exiguam impensam militibus fessis, mersam difficultatibus suis ante hac ciuitatem, sed subito qua salus sperari potuit, recreatam in ouantis speciem lætissimus introijt, vbi ad audenda maiora prospero successu elatus, tutáque scrutando consilia, futuri morabatur ambiguus, diffusam variarum gentium plebem & ferocientem immaniter non nisi per dolos occultiores & improuisos excursus superari posse, captiuorum confessionibus & transfugarum indicijs doctus. Denique edictis propositis impunitateque promissa, desertores ad procinctum vocabat, & multos per diuersa libero commeatu dispersos. Quo monitu vt rediere plerique, incentiuo percitus, retentúsque anxijs curis, Ciuilem nomine recturum Britannias pro præfectis ad se poposcerat mitti, virum acrioris ingenij sed iusti tenacem & recti: itidémque Dulcitium, ducem scientia rei militaris insignem. Postea animi vigore collecto ab Augusta profectus quam veteres appellauere Lundinum, cum milite industria comparato solerti, versis turbatisq; Britannorū fortunis opem maximam tulit: opportuna vbique ad insidiandum barbaris præueniens loca, nihilque gregarijs imperans cuius non ipse primitias alacri capesceret mente. Hocque genere cùm strenui militis munia & præclari ducis curas expleret fusis varijs gentibus & fugatis quas insolentia nutrienti securitate adgredi Romanas res inflāmabat, in integrum restituit ciuitates & castra multiplicibus quidem damnis affectas, quiete temporis longi fundata. Euenerat autem eodem hæc agente facinus dirum, erupturum in periculum graue, ni inter ipsa conatus principia fuisset extinctum. Valentinus quidam è Valeria Pannonia, superbi spiritus homo, Maximini illius exitialis vicarij postea præfecti coniugis frater, ob graue crimen actus in Britannias exul, quietis impatiens malefica bestia ad res perniciosas consurgebat, & nouas in Theodosium tumore quodam, quem solum resistere posse nefandis cogitationibus aduertebat. Multa tamen clàm palàm circumspiciens crescente flatu cupiditatis immensæ exules sollicitabat & milites, pro temporis captu ausorum illecebras pollicendo mercedem. Iamque propinquante tentatorum effectu, doctus hæc dux alacrior ad audendum, & corde celso ad vindictam compertorum: erectus, Valentinum quidem cum paucis arcta societate iunctissimis letali pœnæ plectendos Dulcitio dediderat duci: militari verò scientia qua superabat præsentes futura conijciens, de coniuratis quæstiones agitari prohibuit, ne formidine sparsa per multos, reuiuiscerent prouinciarum turbines compositi. Hinc ad corrigenda plura conuersus & necessaria, periculo penitus dempto, cum apertè constaret nulla eius cœpta propitiam deseruisse fortunam, instaurabat vrbes & præsidiaria, vt diximus, castra, limitesq; vigilijs tuebatur & prætenturis: recuperatamq; prouinciam quæ in ditionem concesserat hostium, ita reddiderat statui pristino: vt eodem referente & rectorem haberet legitimum, & VALENTIA *deinde vocaretur arbitrio principis. Areanos genus hominum a veteribus institutum, super quibus aliqua paulatim prolapsos in vitia à stationibus suis remouit: apertè conuictos acceptorum promissorumque magnitudine præmiorum allectos, quæ apud nos agebantur aliquotiens barbaris prodidisse. Id enim illis erat officiū, vt vltro citroque per longa spatia discurrentes vicinarum gentium strepitus nostris ducibus intimarent. Ita spectatissimè antedictis rebus, alijsque administratis similibus ad comitatum accitus, tripudiantesque relinquens prouincias, vt Furius Camillus, vel Cursor Papyrius victorijs crebris & salutaribus erat insignis. Et fauore omnium adusque fretum deductus, leni vento transgressus venit ad commilitium principis, cumque gaudio susceptus & laudibus.* Ob has res tam præclarè gestas Equestris statuæ honore decoratus, vt docet nos Symachus ad eius filium Theodosium Augustum, *Familiæ,* inquit *vestræ & stirpis authorem, Africanum quondam & Britannicum ducem, statuis equestribus inter prisca nomina consecrauit ordo amplissimus.* Et Claudianus in eius laudem poeticè effusus.

Lundinum Augusta.

Ciuilis.

Dulcitius.

Valentinus seditionē agitat in Britannia.

Valentia.

Areani.

Ille Caledonijs posuit qui castra pruinis,
Qui medio Libyæ sub casside pertulit æstus,
Terribilis Mauro, debellatorque Britanni
Littoris, ac pariter Boreæ vastator, & Austri.
Quid rigor æternus? cœli quid sydera prosunt?

Ignotámque

Ignotumque fretum? maduerunt Saxone fuso
Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule,
Scotorum cumulos flevit glacialis Hiberne.

Alibi etiam de eodem.

——————Quem littus adusta
Horrescit Lybia, ratibusq́; impervia Thule,
Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit, Scotumq́; vago mucrone sequutus
Fregit Hyperboreas remis audacibus vndas;
Et geminis fulgens vtroq́; sub axe trophæis,
Tethyos alternas refluas calcauit arenas.

Et de eo Pacatus Drepanus. *Quid redactum ad paludes suas Scotum loquar, Saxo consumptus bellis naualibus &c.* Gratianus deinde imperium suscepit, qui etiam Theodosium, Theodosij de quo dixi filium, Augustum declarauit: Quod ita ægrè tulit Maximus eius æmulus ex Hispania oriundus & Constantini Maximi stirpe prognatus, qui Britannico exercitui iam præerat, vt purpuram sibi arripuerit, vel vt Orosius tradit, inuitus a militibus Imperator salutatus, vir strenuus, probus, atque Augusto dignus nisi contra fidem per tyrannidem emersisset. Qui primùm *incursantes Pictos, & Scotos strenuè superauit,* inde ad ostia Rheni cum omni ferè Britanniæ iuuentute & robore appulit, omnesq; Germanicos exercitus sibi conciliauit, Treueris imperij sedem statuit (vnde *Treuericus Imperator* dictus) alamq;, vt inquit Gildas, alteram ad Hispaniam, alteram ad Italiam extendens ab immanissimis Germanorum gentibus tributa ac stipendia solo terrore nominis exegit. In quem cùm Gratianus exercitum duxisset, post quinque dierum velitationes a suis desertus & in fugam coniectus, Beatum Ambrosium legatum de pace misit, quam consequutus est, sed insidiarum plenissimam. Andragathium enim lectica operta vectum submisit Maximus, rumore sparso Gratiani vxorem ex Britannia in ea aduehi; ad quam cùm Gratianus vxoris amore accessisset & aperuisset, exiluit Andragathius cum suis, illumq; protinus occidit. Cuius ad corpus repetendum iterum missus Ambrosius, qui tamen non admissus, quòd cùm Episcopis qui a Maximo stabant communicare recusauerit. His rebus ad vota fluentibus Maximus elatus filium suum Victorem Cæsarem designauit, in Gratiani duces sæuijt resq; Gallicas composuit. Theodosius Augustus qui Orienti præfuit, ex postulatis, siue potius mandatis legatorum eius, ipsum Imperatorem agnouit, & imaginem eius Alexandrinis conspiciendam exhibuit. Iam per omnium fortunas grassatus publica paupertate cupiditatem satiauit. Tyrannidi defensionem religionis catholicæ prætēdit, Priscillianum & quosdam ex eius sectatoribus hæreticæ prauitatis Synodo Burdigalensi conuictos, & ad ipsum prouocantes capitis damnauit. Licet Martinus sanctissimus ille Turonensis Episcopus submississimè oraret, vt infelicium sanguine abstineret, satis superq; sufficere vt Episcopali sententia hæretici iudicati ecclesijs pellerentur: nouum & inauditum esset nefas, vt caussam ecclesiæ iudex seculi iudicaret. Et hi primi qui pessimo exemplo ob hæresim ciuili gladio percussi. Tanto deinde terrore Italiam ingreditur, vt Valentinianus cum matre ad Theodosium confugerit, Italiæ vrbes illum admiserint, omnique honore sint prosecutæ, interq; alios, Bononienses apud quos extat adhuc Inscriptio.

Gratianus. Imp. *Maximus. Tyrannus.* *Zosimus* *Orosius.* *Prosper Tyro.* *Gregorius Turonensis.* *Cedrenus.* *Zosimus.* *Priscillianistæ.* *Sulpitius Seuerus.*

DD. NN MAG. C. MAXIMO, ET FL.
VICTORI, PIIS, FELICIBVS, SEMPER
AVGVSTIS * B. R. NATIS.

* *Bono Reipub.*

Interim Francos incursionibus Gallias vexantes Nannius & Quintinus militares magistri quibus filij infantiam, & Galliarum custodiam commiserat Maximus, magna strage repellunt, ad obsides dandos & authores belli tradendos adigunt. Theodosium Valentinianus obnixè orat vt sibi imperio per tyrannum spoliato subueniret, a quo nihil aliud responsi aliquandiu tulit, quàm, *Minimè mirum esse si seruus seditiosus sit eo domino superior, qui verum Dominum repudiat.* Arianismo erat enim deprauatus Valentinianus. Precibus tamen tandem fatigatus signa in Maximum promouet qui Apuleiæ tunc securus agebat, præmunierat enim montium angustias præsidijs, portus nauigijs, alacerque & fiduciæ plenus Theodosium primum prælio apud Sisciam in Pannonia, deinde altero sub

Sulpitius Alexander. *Zonaras.* *Zosimus.*

ductu

ductu Marcelli fratris fortissimè excepit, sed vtroque adeò aduerso, vt se in Aquileiam fuga subduxerit, vbi a militibus suis dum pecuniam distribuit, captus, & Imperatorijs insignibus nudatus ad Theodosium perducitur, qui carnifici statim tradidit, cùm quinq; iam annos purpuram gessisset. Vnde in Aquileiæ laudem Ausonius.

Non erat iste locus: meritò tamen aucta recenti,
Nona inter claras Aquileia cieberis vrbes
Itala ad Illyricos obiecta colonia montes,
Mœnibus & portu celeberrima: sed magis illud
Eminet, extremo quòd te sub tempore legit,
Soluerat exacto cui iusta piacula lustro
Maximus, armigeri quondam sub nomine lixa:
Fœlix qui tanti spectatrix læta triumphi,
Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.

Andragathius cùm iam eius spes esset deploratissima è naui se in mare præcipitauit. Victor Maximi filius in Gallia superatus, captus & occisus. Britanni verò qui Maximi partes sequebantur (vt aliqui tradunt) in Armorica Gallia sibi sedes viribus acquisiuerunt. Theodosius statim a victoria, Romam cum filio Honorio triumphans ingressus, sic edixit, *Nullus sibi honorem audeat vendicare, quem tyrannica concessit audacia, sed ad pristinum statum damnata præsumptio reuocetur.* Et Valentinianus. *Omne iudicium, quod Maximus infandissimus Tyrannorum credidit promulgandum, damnamus.* Ambrosius verò in funere Theodosij exclamat, *Maximum & Eugenium miserabili exemplo apud inferos testari quàm durum sit principibus suis arma irrogare.* Vt semel dicam, hæc victoria adeò magna & memorabilis visa, vt Romani deinceps illum diem quotannis festum agitárint.

Procopius.
Honorius Imp.

Theodosio successit in Occidentali imperio filius Honorius decennis, cui tutor datus Flauius Stilicho vir diu illustrissimus qui Theodosio in omnibus bellis & victorijs Comes, & per gradus militiæ ad summam authoritatem & regiam affinitatem euectus, tandem rebus secundis fatigatus & ambitione abreptus miserè perijt. Hic prouidè sane per aliquot annos rebus imperij prospexit, Britanniamque contra Pictos, Scotos & Saxones communiuit. Vnde Britannia de se apud Claudianum.

Me quoq; vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Muniuit Stilico, totam quum Scotus Hybernem
Mouit, & infesto spumauit remige Thetis.
Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, nec Pictum tremerem, ne littore toto
Prospicerem dubijs venientem Saxona ventis.

Satisque tuta ab hostibus Britannia tunc videbatur. Alibi enim canit ille.

———— domito quod Saxona Thetis
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.

Cumq; Alaricus Gothorum rex Romæ immineret legio quæ ad limitem contra barbaros stationem habuit, hinc euocata, vt innuit Claudianus, cùm auxilia vndique accersita memorat.

Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Picto dat frena truci, ferroq; notatas
Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

Fastidius.
Genadius.
Chrysanthus.
Niceph.

His temporibus Fastidius Britanniarum Episcopus floruit, librosq;, doctrina deo sane digna, scripsit. Chrysanthus quoq; Episcopi Martiani filius, qui cúm consularis Italiæ sub Theodosio fuisset, Vicarius Britanniæ factus, in Reipublicæ administratione eam admirationem & laudem meritus, vt inuitus factus fuerit Episcopus Nouatianorum Constantinopoli, qui schismate in illa Ecclesia facto, se * Catharos vocantes, suos seorsim Episcopos, & sectatores habuerunt, perstrenuè sed impiè negantes post baptismum acceptum relapsos in peccatum ad salutem redire posse. Hic ille est Episcopus qui, vt legitur, ex redditibus ecclesiasticis nihil nisi die Dominico duos panes sibi capere solitus.

** i. Puri.*

Historia tripartita.

Re iam Romana in occasum diuergente, & barbaris gẽtibus vndiq; prouincias in continente dilacerantibus, Britannici exercitus veriti ne vicini incendij flãma eos etiam inuolueret, & existimantes strenuo aliquo Imperatore opus esse ad barbaros expellendos, se

ad

ad Imperatores eligendos conuerterunt. Primùm Marcum in Regio solio collocárunt, *Marcus Imp.* eiq; tanquam rerum in his locis potienti paruerunt. Eo deinde necato, veluti moribus il- *Gratianus Imp.* lorum non respondente; Gratianum municipem in medium producunt, purpuràq; & *Constantinus Imp.* corona cinctum, vt principem obseruantes comitantur. verùm & huic neglecto post quatuor menses imperium abrogant, vitam eripiunt, & Constantino cuidam ex infima militia auspicati nominis omine rerum summam tradiderunt. Spem enim certam conceperunt illum ex fausto Constantini nomine constanter & fœliciter imperium administraturum & barbaros profligaturum, vt Constantinus ille Maximus qui in Britannia ad imperium assumptus. Hic Constantinus è Britannia soluens, Bononiam Galliæ appulit, omnesq; Romanorum exercitus ad Alpes vsq; in belli societatem facilè allexit. Valentiam Gallia strenuè contra Honorij Augusti copias propugnauit, Rhenum iampridem neglectum præsidio muniuit. Ad Alpes Cottias, Pæninas, & maritimas, quà via patuit, munimenta construxit. In Hispania auspicijs filij Constantis quem ex Monacho Augustum declarauerat, res fœliciter gessit, literisq; posteà ad Honorium datis, culpam deprecatus, quòd sibi purpuram vi à militibus inijci passus fuerit, ab eo Imperatoriam vestem dono accepit. Vnde elatior, Alpibus superatis Romam cogitat, sed accepta Alarici Gothi morte, qui suis partibus studuerat, Arelatem recessit, vbi imperij sedem fixit, *Constantinamq́; vrbem* vocari, & in ea septem Prouinciarum conuentus agi iussit. Constantem filium ex Hispania accersit quò de summa rerum consultarent præsentes. Ille instrumento aulæ & coniuge sua Cæsaraugustæ dimissis, Gerontio intra Hispanias omnibus demandatis, ad patrem continuato itinere decurrit. Qui vbi conuenerint, interiectis diebus plurimis, nullo ex Italia metu, Constantinus gulæ & ventri deditus, redire ad Hispanias filium monet. Qui præmissis agminibus, dum cùm patre resideret, ab Hispania nuncij veniunt à Gerontio Maximum, vnum è clientibus suis, ad imperium fuisse euectum, atq; comitatu gentium Barbararum accinctum in ipsos parare. Quo exterriti, Edobecco ad Germanas gentes præmisso, Constans, & Præfectus iam Decimius Rusticus ex officiorum magistro, petunt Gallias cum Francis & Alamannis, omniq; militum manu, ad Constantinum iamiamq; redituri. Sed Constantem Viennæ Galliæ intercepit & peremit Gerontius: Constantinum ipsum Arelati obsidione incinxit; ad quem oppugnandum, cùm Constantius quidam ab Honorio missus infesto agmine properaret, Gerontius timidè terga dedit, vnde milites eius ira perciti domum eius circumuallant, ipsumq; eò adigunt, vt primùm Alano fidissimo amico caput amputauerit, deinde Nunnichiæ vxori cum marito perire flagitanti, & postremò sibi manus intulerit. Constantinus grauissima *Nicephor. Callistus.* obsidione pressus & infœlici Edobecci pugna animum despondens, post quartum obsidionis mensem, & quartum itidem imperij annum, deposita purpura, & fortunæ suæ mole, Ecclesiam ingressus Presbyteri suscepit ordinem, statimq; Arelate dedita in Italiam ductus, capite plectitur vnà cum Iuliano filio, quem *Nobilissimum* dixerat, & fratre Sebastiano. Ex eo tempore Britannia ad Honorij imperium reuersa, & recreata parumper prudentia & fortitudine Victorini qui prouinciam tunc rexit, & Pictorum Scotorumq; ex- *Victorinus Rector Britanniæ.* cursus repressit. In cuius laudem, apud Rutilium Claudium hi extant digni authore versiculi.

Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule
Et quæcunq́; ferox arua Britannus arat.
Quà præfectorum vicibus frenata potestas
Perpetuum magni fœnus amoris habet.
Extremum pars illa quidem discessit in orbem,
Sed tanquam medio rector in orbe fuit.
Plus palma est illos inter voluisse placere,
Inter quos minor est displicuisse pudor.

Romà ab Alarico captà Victorinum cum exercitu reuocat Honorius, statimq; Britanni sumptis armis, & pro salute sua periclitati ciuitates suas à barbaris imminentibus liberárunt. Itidem totus ille tractus Armoricus, cæteræq; Gallorum prouinciæ Britannos imitatæ consimili se modo liberárunt, eiectis Romanis præsidibus & propria quadam re- *Zosimus.* publica ex arbitratu suo constituta. Hæc Britanniæ Celticarumq; gentium rebellio, quo tempore Constantinus iste regnum vsurpabat, accidit, quum ipsius in imperando socor-

dia

dia moti barbari liberè prouincias persultârint. Paulò tamen post auxilium ab Honorio eflagitarunt Britanniæ ciuitates, quas ille nullo auxilio submisso, vt sibi cauerent & consulerent, literis admonuit. Britanni acceptis Honorij Augusti literis excitati arma sumpserunt, vt vrbes suas tuerentur, verùm cùm barbaris vndiq; superinfusis pares non essent, obnixè ab Honorio petunt, & impetrant, vt legio in subsidium mittatur, quæ huc prouecta magnam hostium multitudinem prostrauit, cæteros è prouinciæ finibus depulit, murumq; cespititium, inter Fretum Edenburgense, & Cluidam ducendum curauit, qui nulli ferè fuit vsui. Nam reuocata ad Galliam tutandam legione, illi reuersi terminos facilè rumpunt, & immani crudelitate omnia vndiq; ferunt, rapiunt, lacerant. Iterum mittuntur queruli legati scissis vestibus opertisq; sablone capitibus (notate morem) opem a Romanis petituri, quibus iussu Valentiani III. militares destinantur manus sub Gallione Rauennate quæ fortissimè barbaros profligârunt, afflictam perditamq; prouinciam quodāmodò erexerunt. *Murumq; è saxis non vt alterum sumptu publico priuatoq; adiunctis secū miserabilibus indigenis solito structuræ more, tramite a mari vsque ad mare inter vrbes quæ ibidem fortè ob metum hostium collocatæ fuerunt, directò librârunt, fortia formidoloso populo monita tradiderunt, exemplaria instituendorum armorum reliquerunt. In littore quoque Oceani ad meridianam plagam, qua naues eorum habebantur (quia & inde barbaricæ feræ bestiæ timebantur) turres per interualla ad prospectum maris collocârunt, & sic Romani valedicunt vltra non reuersuri.*

Historia Miscella.

Gallio Rauennas.

Gildas.

Inter Ostia Tynæ & Edenu.

Miserrima iam & luctuosissima erat vbiq; rerum facies, Imperium quasi ætate extrema planè mancum & omnibus membris captum iacuit, & Ecclesia ab hæreticis (qui inter bellorum incendia sua venena latissimè diffundunt,) grauissimè oppugnata. E quibus Pelagius hinc oriundus, in gratiam Dei iniquior solidam iustitiam operibus nostris parari in hac insula docuit. Et Timotheus quidam contra diuinam & humanam in Christo naturam impiè inter Britannos disputauit.

Sigeb. Gembl. Anno 428.

Confecta nunc erat in Britannia Romanorum imperij periodus, quadringentesimus septuagesimus sextus, nimirùm a Cęsaris ingressu annus, cùm Valentiniano III. imperante, Romani transuectis a Gallione illo ad Galliam defendendam copijs, & defossis thesauris, Britanniam sua iuuentute crebris delectibus exhaustam, omnique præsidio nudatam Pictorum & Scotorum immanitati reliquerunt. Vnde Prosper Aquitanus verè scripsit. *Hac tempestate præ inualetudine Romanorum vires funditùs attenuatæ Britanniæ.* Et noster Malmesburiensis historicus. *Cùm Tyranni nullum in agris præter semibarbaros, nullum in vrbibus præter ventri deditos reliquissent: Britannia omni patrocinio iuuenilis vigoris viduata, omni exercitio artium exinanita, conterminarum gentium inhiationi diu obnoxia fuit. Siquidem è vestigio Scotorum & Pictorum incursione multi mortales cæsi, villæ incensæ, vrbes subrutæ, prorsus omnia ferro incendioque vastata. Turbati insulani qui omnia tutiora putârunt, quàm prælio decernere: partim pedibus salutem quærentes fuga in montana contendunt, partim sepultis thesauris, quorum plerique in hac ætate defodiuntur, Romam ad petendas suppetias ire intendunt.* Sed vt Nicephorus verè scripsit, *Valentinianus III. non solùm Britanniam, Hispaniam, & Gallias quæ eius imperio auulsæ fuerant, recuperare non potuit, sed Africam etiam perdidit.* Non sine causa igitur hoc seculo exclamauit Gildas. *Britannia omni armato militaribus copijs, rectoribus licet immanibus, ingenti iuuentute spoliata.* Nam præter eos quos Maximus ille, & vltimus Constantinus abduxerunt, ex Inscriptionibus antiquis, & Notitia Prouinciarum constat quòd hi subscripti militabant Romanis dispersi per prouincias, qui continuò ex Britannia supplebantur.

Chronicon Anglo-Saxonicum.

Ala Britannica Milliaria.
Ala IIII *Britonum in Aegypto.*
Cohors Prima Aelia Britonum.
Cohors III. *Britonum.*
Cohors VII. *Britonum.*
Cohors XXVI. *Britonum in Armenia.*
Britanniciani sub Magistro peditum.
Inuicti iuniores Britanniciani } inter auxilia
Exculcatores iun. Britan. } Palatina.
Britones cum Magistro Equitum Galliarum,

Inuicti

Inuicti Iuniores Britones intra Hispanias.

Britones Seniores in Illyrico.

Hinc minimè mirum si Britannia delectibus tot & tantis indies exhausta, barbaris fuerit exposita; & verum illud Taciti probatur. *Nihil validum in Romanis exercitibus nisi externum.*

Hæc dum ego commenter de Romanorum in Britannia imperio quod ad quadringentisimum septuagesimum sextum plus minùs annum, vt modò dixi, pertigit, commentor, & subinde mecum repeto, quot tanto tempore Romanorum coloniæ huc deductæ, quot milites huc Romà in præsidia continùo transmissi, quot ad res suas vel imperij agendas huc submissi, qui cum Britannis connubijs coniuncti hîc & sedes fixerunt, & sobolem susceperunt: *vbicunq;*, inquit Seneca, *vicit Romanus, habitat.* Sæpenumerò animum subijt quòd Britanni per hos Romanos qui à Troianis proculdubio prognati, se in stirpem Troianam veriùs inserant, quàm vel Aruerni qui *sanguine ab Iliaco* Romanorum se fratres dixère, vel Mamertinj, Hedui, & cæteri qui fabulosa origine se Troianis imputauère. Communis illa mater enim, vt inquit ille, ROMA, ciues vocauit, *Britanni quomodo ex Troiana origine.*

Quos domuit, nexuq; pio longinqua reuinxit.

Et par est credamus Britannos & Romanos tot seculis in vnam gentem quasi læta insitione coaluisse, cùm Vbij in Germania anno vicesimo octauo post Coloniam deductam de Romanis colonis responderint. *Deductis olim & nobiscum per connubium sociatis, quiq; mox prouenère, hæc patria est. Nec vos adeò iniquos existimemus, vt interfici à nobis parentes, fratres, liberos nostros velitis.* Si Vbij, & Romani tantillo tempore inter se parentes, fratres, & liberi fuerunt, quid censeamus de Britannis & Romanis tot annis inter se consociatis? Quid etiam de Burgundis dicamus, qui quòd sanguinem cum Romanis miscuissent dum Romanorum prouincias paulisper insedissent, se sobolem Romanam appellàrunt, vt non denuò repetam quod supra dixi, insulam hanc *Romaniam*, & *Insulam Romanam* fuisse appellatam. *Tacitus lib. 4. histor.* *Amm. Marcell. lib. 28.*

Hæc ego carptim & compendiò, explosis figmentis, ex antiquorum monumentis de Romanorum in Britannia imperio, eorum Legatis, Proprętoribus, Pęrsidibus, Vicarijs, & Rectoribus. Accuratiùs autem & pleniùs, si Ausonius quod promiserat præstitisset, & ad nos peruenisset. Qui dixit se memoraturum illos qui,

Aut Italûm populos, Aquilonigenasq; Britannos
Præfecturarum titulo tenuere secundo.

Cùm verò inter omnes doctos in confesso sit plurimum lucis ad historias antiquas illustrandas ex antiquis nummis exoriri, placuit numismata quædam cùm Britannorum qui primùm Romanum iugum subiere, tùm etiam Romanorum Imperatorum, præcipuè quæ ad Britanniam faciant, lectori hic exhibere ex thesauro clarissimi Roberti Cottoni de *Conn ngton* Equitis aurati, qui hæc studiose vndiq; conquisiuit, & nobis pro sua humanitate libens lubensq; communicauit.


Nummi Britannici antiqui.
62
IOVIR
CVNO BELIN
CA MV
I
AE
II
AE
III
AV
TASCIO
CVNO
VER
BONA CVNO
IIII
AR
V
AR
VI
AR
TAS


DIAS
XIII
AR
XIIII
AR
XV
AR
TASCIA
XVI
AR
XVII
AR
XVIII
AR
TASCE


64
VII
VIII
IX
AV
AV
BODVO
TAS
CIE
REX
CALLE
REX
ARATI
XI
XII
AV
AR
AR
COM





Nummi antiqui Romanorū qui ad historiā Britannicam præcipue spectant
66
VII
AE
VIII
AE
IX
AE
COS
S C
VICT. BRIT.
S C
S C
X
AE
XI
AE
XII
AE
VICTORIAE BRITANNICAE
S C
VICTORIAE BRITANNICAE
S C
VICTORIA BRIT.


Nummi antiqui Romanorum qui ad hiſtoriam Britannicam præcipue ſpectant.
67
VICTORIAE BRITANNICAE
VICTORIA AVG
IMP C CARAVSIVS P F AVG
IMP C ALLECTVS P F AVG
DIVO CONSTANTIO PIO
VIRTVS AVG
QL
PLN


XVII AL
XVIII AL
XIX AL
PLON
XXI AR
XXI AR
XXII AV
PAR
ANTI


Nummi antiqui Romanorum qui ad historiam Britannicam præcipue spectant
69
XXIIII
AR
XXV
AR
VOTIS
X
MVLTIS
XX
TRPS
VIRTVS EXERCITVS
TRPS
VIRTVS ROMANORVM
MDPS
XXVI
XXVIII
VIRTVS EXERCITVS
Will. Hole sculpsit

AD BRITANNORVM
Numiſmata ſuſpiciones.


D Britannorum numiſmata, quorum ectypa hic exhibui, vt notulas etiam apponam forſan expectas. At quid apponam in rebus quibus tot iam tranſacta ſecula tenebras omninò obduxerunt, plane profiteor me minimè videre, & tu cùm has tenues ſuſpiciones legeris, me multa & caliginoſa nocte verſari affirmabis.

Priſcos Britannos nummo æreo, aut annulis, ſiue laminis ferreis ad certum pondus examinatis vſos fuiſſe iam antè ex Cæſare dixi, & ſunt qui ex his ſe aliquot in vrnulis repertos vidiſſe aſſerunt. Præter hos reperiuntur in hac inſula ſubinde numiſmata aurea, argentea, & ærea, varia forma, varioque pondere, pleraque omnia ex altera parte concaua, alia ſine literis, alia literis graphicè inſcripta, cuiuſmodi non alibi effoſſa fuiſſe hactenus audiui, priuſquam nuperrimè nobiliſsimus è Prouincia Galliæ iuuenis, & in re nummorum antiquaria longè doctiſsimus & perſpicaciſsimus Nicholaus Faber Petraſcius eiuſmodi in Gallia reperta mihi oſtenderat. Sed de noſtris quæ hic propoſui.

Primum eſt Cunobelini qui ſub Auguſto & Tiberio floruit, in quo niſi me fallo, Iani bifrontis capita inſculpuntur, fortaſsè quòd tunc temporis Britannia barbariem exuere incepit. Ianum enim barbaros mores in ciuiles mutâſſe primùm traditur, ideoque bifrontem depictum tanquam alteram ex altera forma reddiderit.

Secundum etiam Cunobelini cum eius facie & inſcriptione, monetario *Tascia.* in altera parte, addito verbo TASCIA. quod Tributi denarium ſignificare apud Britannos author mihi D. Dauid Powel Britannicæ linguæ calentiſsimus, fortè a Latinorum *Taxatione*, nam literam X. Britanni non agnoſcunt. Similique ratione MONETA in Rom. nummis ſæpe inſcribitur.

Eiuſdem Cunobelini eſt itidem tertium cum equo & CVNO, cumq; Spica & CAMV. vt videtur, pro Camaloduno, quæ fuit Cunobelini vrbs regia.

Quartum cum VER. Verulamienſium videatur.

Quintum rurſus eſt Cunobelini.

Sextum cùm ſine literarum luce mihi omninò ignotum.

Septimum Cunobelini inſcriptum TASC NOVANEI, cum capite muliebri, an innuit fuiſſe Tributum Trinouantum quibus ille præfuit, non dixero. Apollo cum lyra in altera parte, & CVNOBELIN, in mentem *Belinus Deus.* reuocant, quod alibi de Belino Deo obſeruarim; ſcilicet, Gallos priſcos Apollinem ſub Belini nomine coluiſſe: idq; Dioſcoridem comprobare, cùm Herbam Apollinarem qua Galli ſagittas inungere ſoliti, Gallica lingua *Belinuntiam* appellari diſertè ſcribat. Vt quodammodo hinc auſim

coniectare

coniectare nomen Cunobelini, vti & Cafsibilini ex Apollinis cultu deductum, perinde ac Phœbitij & Delphidij. Si non potius, vt Apollo ob capillos flauos Græcis ξανθὸς, Latinis *Flauus* dictus, sic & *Belin* Britannis & Gallis. Qui enim flauus Britannicè in orationis contextu *Melin, Belin & Felin* dicitur, & eadem de caussa Belinus ille Priscus, Cunobelinus, & Cafsibelinus, qui & etiam Cafsiuelaunus; quasi principes flaui videantur appellati. *Cuno* enim nomen esse dignitatis fatentur Britanni, quodque præcipuum, & principale *Cynoc* hodiè dicunt. Certè nomen fuisse honorarium, *Cingetorix, Cunobelinus, Cuneglasus, Cuneda, & Cunedagius*, principum nomina apud Britannos, vti *Cyngetorix Conuictolitanus*, *Conetodunus*, apud priscos Gallos quodammodo comprobant. Nec me latet Gildam Cuneglasum, *Lanionem fuluum*, vel *furuum* Latinè conuertisse, quem alij *Principem cæruleum*, siue *vitrei coloris*, vt *Cuneda* Principem Bonum sunt interpretati. Germanorum *Koning*, & nostrum *Kinge* pro Rege a *Cuno* profluxisse nondum ausim suspicari. Sit satis hæc variè coniectando lusisse ne aliorum irrisione etiam ipse ludar. *Cuno.*

Octauum cum equo Essedario rota subiecta, & BODVO. in altera parte, gentis Bodunorum videatur, vel Bodiciæ Reginæ, quæ Voadicia, & Bunduica variè vocatur.

Nonum in quo Equestris figura cum hasta & clypeo, & dispersis literis CAERATIC. bellicosi illius Carataci, cuius laudes prædicat Tacitus, iudicarim.

Decimum, cuius altera parte sub Equite inscribitur REX, in altera COM. Comij fuisse Atrebatensis cuius meminit Cæsar, cum nonnullis lubet opinari.

Vndecimum quod præ se fert semilunulam cum REX CALLE, a CALLENAE celeberrimæ vrbis nomine non abludit.

Duodecimum Caput habet alatum cum dictione ATEVLA, in parte auersa Leonem, & inscriptionem VLATOS. Quid sibi velint hæ dictiones frustrà quæro. Hac eadem autem effigie Romanorum nummis Deam Victoriam expressam vidi. Victoriam tamen ATEVLA Britannicè dici nondum comperi, ANDATEM verò illos victoriam vocâsse ex Dione iam dixi, quæ an fuerit ANDARTA a Vocontijs in Gallia culta, alius dixerit. *Victoria.* *Andate.*

Spectes hîc etiam XIII cum dictione DIAS in pentagono & Equo in aduerso. XIIII cum porco inscriptum VANOC & Deæ capite, fortè Veneris vel Venutij, de quo Tacitus. XV cum capite geleato, & DVRNACO; qui nescio an fuerit Dumnacus Andium Princeps cuius Cæsar meminit. XVI cum equo & ORCETI. XVII cum effigie Augusti, & TASCIA, tauro cornupeta, in auersa; XVIII cum CVNO intra coronam laureatam, & in auersa parte Equum cum TASCE.

Vidimus præterea alium cum Pegaso & CAMV. In cuius auersa figura galeata cum clypeo inter segetes & CVNO, alium cum equo malè efformato & EISV, forte ISVRII, & in auersa, spica: alium cum milite hasta-

to,

to, & in auerſa inter torquem SOLIDV. Solidum nummum fuiſſe non credo, cùm ille ſemper eo æuo aureus, & hic argenteus. Probabiliùs ad Solidurios referatur. Sic enim Galli priſci vocârunt viros deuotos, quorum hæc erat conditio, vt omnibus in vita commodis vnà cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dederint. Si quid ijs per vim accidat, aut eundem caſum vnà ferant, aut ſibi mortem conciſcant; nec ex his repertus erat quiſquam, qui eo interfecto cuius ſe amicitiæ deuouiſſet, mori recuſârit. An ex his nomen obuenit militibus qui Principi vel Reipub. alicui deuoti, ſtipendia faciunt, & apud plures Europæ nationes eodem fere nomine, ſc. *Soldiers*, *Soldats*, *Soldados*, &c. appellantur, malim alios cogitare, quàm me dicere; licèt ego in eam potiùs irem ſententiam Solidarios recentiori æuo eos fuiſſe dictos, ad differentiam eorum qui ratione feudorum ſine ſolidis militârunt.

Solidurij. *Cæsar. Com.* *Soldiers.*

An hoc genus nummorum in promiſcuo fuerint monetæ, & commerciorum vſu, an alicui ſeorſim vſui principio ſignatum, inter eruditos controuertitur. Coniecturam verò (ſi modò interponere liceat) paucis habe meam. Cùm Cæſar quid in annos ſingulos vectigalis Britanni penſitarent conſtituiſſet, & ſub Auguſto vectigalia Portoria illa in euehendo aut inuehendo tolerarent, ſenſim etiam Tributa alia fuerunt impoſita, ſcilicet pro ſtatiuis, plantarijs, arboretis, paſtionibus minorum, & maiorum animalium, cùm iam domiti eſſent vt parerent, non vt ſeruirent. In eum vſum hos nummos primùm cuſos opinatus ſum, pro maioribus animalibus cum equo, pro minoribus cum porco, pro ſyluis cum arbore, pro ſtatiuis cum ſpica, vt in illo Verulamienſium qui inſcribitur VERV. Illi autem cum capite humano, ſignati videantur pro tributo *Capitationis* quod perſonale erat, & capiti cuiuſque ſiue perſonæ imponebatur, fœminis ab anno ætatis duodecimo, maſculis a decimo quarto. Quod Bunduica ſiue Bodicia Britannorum Regina conqueritur hiſce verbis apud ſuos, *Et paſcitis & aratis Romanis, corporum etiam annuum tributum reddentes.* Ad hoc olim percuſſum certum genus nummi putaui, cùm in ſacris literis *Nomiſma cenſus* diſertè appellatur, & Heſichius Κῆνσος, εἶδος νομίσματος ἐπικεφάλαιον interpretetur. Firmiùſq; hoc credo quòd in nonnullis Monetarius pecuniam ſignans exprimitur cum TASCIA, quod apud Britannos Denarium tributi ſignificat: in promiſcuo tamen vſu hæc poſteà fuiſſe non diffiteor. Nec ea adhuc ſum ſententia, qua illi qui volunt Porcum, Equum, Spicam, Ianum &c. inſignia fuiſſe gentium, aut principum pecularia, cùm vnum eundemque principem & gentem varia vſurpaſſe inſignia in his videre licet, vt Cunobilinum, porcum, equum & ſpicam &c. & alia ſuis nummis inſculpſit.

Strabo. *Appianus.* *Numiſma cenſus.*

An verò hæc numiſmata cenſus cuſa fuerint a Romanis, an a prouincialibus, vel eorum Regibus, cùm orbis terrarum ab Auguſto cenſeretur, non facilè dixero. A Britannicis Regibus ſignata fuiſſe ſuſpicari lubet cùm Britannia à Iulij Cæſaris tempore vſq; ad Claudij ſuis legibus ſit vſa, & ſuis Regibus (vt author eſt Dio) permiſſa cumq; effigies & titulos Britannicorum Principum præ ſe ferant. Habuerunt enim Romani recepta conſue-

tudine Reges in prouincijs vt seruitutis instrumenta ; qui iam quasi socij Romanorum in illorum mores paulatim (quod victis vsuuenit) abiêre, &, vt videtur, Romano more & pondere pecuniam signare, nomenq; nummis inscribere cœperunt. At contra in Iudæa, vt ex Christi responso colligatur, Cæsaris facie & inscriptione signabantur, & vt probabile est, ab ipsis Romanis. Quod Cæsar Baronius Cardinalis historicus Ecclesiæ præstantissimus hisce verbis docet: *Moris fuit apud Romanos vt numismata pro ratione tributi, vel census ab Imperatoribus cuderentur, nec vno semper modo eadem permanerent; sed secundum incrementa & decrementa tributorum à cæteris vsualis pecuniæ nummis in eo differrent, quòd istorum pretium semper idem est, numismata verò census vel tributi, cùm mutaretur tributi qualitas, eadem ad rationem tributi formarentur.* Sed eruditi nonnulli hac in re Baronio minimè suffragantur.

NOTÆ AD ROMANORVM *Numismata.*



Rimus Romanorum post Cæsarem Claudius seriò Britanniam cogitauit, transmissoq; exercitu australem partem in prouinciæ formam redegit: Quo tempore signatus hic primus nummus videatur qui compendiò inscribitur, TI. CLAVD. CAES. AVG. P. M. TR. P. VIIII. IMP. XVI. id est, *Tiberius Claudius Cæsar Augustus, Pontifex Maximus, Tribunitia potestate ix. Imperator xvi.* Vt hos titulos semel explicem. Post Iulium Cæsarem qui Romanæ Monarchiæ fundamenta iecit, omnes successores in eius honorem dici voluerunt Cæsares & Augusti, quasi hominum naturam excederent, quæ enim sacrosancta Augusta dicuntur ; Pontifices Maximi, quòd omnibus sacerdotijs essent consecrati, sacrisq; præessent; Tribunitiamq; potestatem vsurpârunt (Tribuni enim dici noluerunt) vt essent inuiolabiles. Hac enim authoritate si quis eis malediceret, aut vim afferret, indemnatus vt sacrilegus occideretur, potestatemq; Tribunitiam quotannis renouârunt, vnde summa annorum imperij concipi solebat. Postremò *Imperatores* sunt dicti, quòd amplissimum esset eorum imperium, eoq; nomine Regum & Dictatorum potestas contineretur. Totiesq; Imperatores sunt dicti quoties aliquid præclarè per se aut duces in prælio gessissent. Cùm verò in auersa huius nummi parte arcus sit triumphalis cum equestri figura inter duo trophæa cum titulo DE BRITAN. duplicem victoriam nono Claudij anno ex numero Tribunitiæ potestatis, reportatam fuisse iudicârim. I. Dio Cassius.

In secundo numismate quod etiam Claudij Augusti, ex hac inscriptione, TI. CLAVD. CAES AVG. GER. TR. P. XII. IMP. XIIX. docemur illum duodecimo imperij anno, re bene in Britannia gesta decimo-octauò Imperatorem fuisse acclamatum, & Coloniam Camalodunum eo tempore deductá, quod innuit expressus colonus cum vacca & tauro. *Romani*, inquit Seruius, *condituri ciuitates, taurum in dextra, vaccam intrinsecus* II.

 iungebant

iungebant cincti ritu Gabino, id est togæ parte caput velati, parte succincti, tenebant stiuam incuruam, vt glebæ omnes intrinsecus caderent. Et ita sulco ducto, loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum.

III. Claudij filius cuius est tertius nummus charactere Græco ob res à patre fœliciter gestas BRITANNICI cognomine quo quasi proprio vteretur Senatus-consulto ornatus erat. Cui precatus est Seneca, *vt Germaniam pacet, Britanniam aperiat, & patris triumphos ducat, & nouos.* Quid verò velit dimidiata in illo nauis cum inscriptione Metropolis Etiminij Regis? Sane mihi non liquet quis ille Etiminius, nisi lubeat suspicari illum ipsum fuisse Adminium Regis Cunobilini filium, quem ad C. Caligulam transfugisse memorat Suetonius.

IIII. Qui ordine quartus est Hadriani nummus cum scriptura HADRIANVS AVG: CONSVL III, PATER PATRIAE. Et in altera parte EXERCITVS BRITANNICVS per tres milites repræsentatus, iudicârim denotare tres legiones anno Christi 120. (tunc ille III. Consul) in Britannia egisse, scilicet Secundam Augustam, Sextam Victricem, & Vicesimam Victricem.

V.VI. Quintus & sextus qui sunt Antonini pij, inscripti *Antoninus Augustus Pius, Pater patriæ, Tribunitia potestate, Consul tertiùm,* & in auersis partibus alter Britanniam rupibus insidentem cum signo militari, hasta, & scuto, alter eandem globo insidentem habet; signati videntur in Antonini Pij honorem à Prouincia Britannia cùm ille imperium auspicaretur anno Christi 140. Ille militaris prouinciæ Britanniæ habitus denotat Britanniam tunc temporis militari gloria floruisse; vt quem Italia in eius honorem eo tempore percussit, habet figuram insidentem globo cum Cornucopiæ, ad omnium rerum copiam; quem Sicilia, habet figuram cum spicis ad fœcunditatem; quem Mauritania figuram hastilia tenentem cum equo, ad equestrem eius prouinciæ gloriam denotandam. Huc etiam re-

IX. ferendus est nonus qui eiusdem est Antonini, sed non suo loco positus.

VII. Septimus nummus qui Commodi, tantùm docet illum ob victoriam contra Britannos BRITANNICI nomen sibi assumpsisse: in altera enim parte victoria cum palma scutum tenens, & deuictorum Britannorum scutis insidens cum VICTORIA BRITANNICA cernitur.

VIII. Octauus qui est Caracallę & non suo loco hic ponitur, signatiùs ostendit ex numeris illum deuicisse hostes in Britannia anno salutis 214. & ex trophæo, quod melius quàm sculptor, depinxit his versibus Virgilius:

Ingentem quercum decisis vndique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat roranteis sanguine cristas,
Telaque trunca viri.

XII. Idem sentiendum est de duodecimo, qui est eiusdem Caracallæ.

X.XI. In illis verò Seueri, & Getæ nihil est obscuritatis.

XIII. Aelianus quis hic fuerit nodum constat. A Pomponium Aelianum in-ter

ter XXX. tyrannos aliqui enumerant. Cl. Aelianum; alij inter ſex tyrannos ſub Diocletiano ſtatuunt. Sunt etiam qui opinantur hunc illum ipſum fuiſſe tyrannum in Britãnia ſub Probo Imperatore, cuius ſuppreſſo nomine meminit Zoſimus, & de quo ſuprà. Certè quocunque fuerit tempore, in Britannia Auguſtum appellatum exiſtimamus, cum eius nummi ſolummodo in hac inſula reperiantur qui inſcribuntur IMPERATOR CL. ÆLIANVS PIVS FOELIX AVGVSTVS. In altera parte VICTORIA AVGVSTI, quod innuit illum barbaros aliquos deuiciſſe. *Alij Lælianus leguar.*

Carauſij nummus cum inſcriptione *Imperator Caius Carauſius Pius Fælix Auguſtus*, & in altera parte PAX AVGVSTI, eo tempore percuſſus videtur, cùm mare Britannicum piraticis infeſtum pacâſſet. XIIII.

Cùm Allectus qui Carauſium è medio ſuſtulit, purpuram induiſſet, & viriliter ſe contra barbaros geſsiſſet, hunc nummum cum VIRTVS AVGVSTI percuſsit, literæ Q. L. alij Quartarium Londini cuſum, alij Quæſtorem Londinenſem denotare volunt. XV.

Cùm Conſtantius Chlorus diem Eboraci obijſſet, & iam in diuos ſolenni conſecratione relatus eſſet, in eius honorem & memoriam hic nummus ſignatus, quod ex inſcriptione conſtat, & templo inter duas Aquilas. Notæ ſubiectæ P. LON. Pecuniam Londini ſignatam euincunt. XVI.

Vxor eius Flauia Helena natione Britanna, vt tradunt hiſtoriæ noſtræ, & confirmat maximus ille hiſtoricus Baronius, cùm filius Conſtantinus Maximus Tyrannum Maxentium fudiſſet, & titulum *Fundatoris Quietis*, & *Liberatoris orbis* accepiſſet, parta Reipublicæ ſecuritate, hunc in eius honorem ſignatum habuit pecuniam Treueris, vt ex literis S. TR. conſtat, i. Signata Treueris. XVII.

Fl. Conſtantinus Maximus Auguſtus magnum Britanniæ ornamentum, hunc cum GLORIA EXERCITVS ad milites deliniendos, penes quos, non imperatorem, eo ſeculo fuit imperium, percuſsit Conſtantinopoli, vt ex literis ſubiectis CONS. docemur. XVIII.

Conſtantinus Iunior filius Conſtantini Maximi, cui cum alijs regionibus obtigit Britannia, hunc nummum ſignauit patre ſuperſtite, Nobilis enim Cæſar tantùm dicitur, quod nomen deſignatis imperij ſucceſſoribus tribui ſolitum. Ex ædificio & PROVIDENTIAE CAES. illum cum fratre aliquid opus publicum extruxiſſe, vti ex P. LON. percuſſum fuiſſe Londini hunc nummum intelligimus. XIX.

A Magnentio qui patre Britanno natus, hoc percuſſum videatur numiſma, quod inſcriptum, *Dominus noſter Magnentius Pius Fælix Auguſtus*, & ad ineundam gratiam cum Conſtantio videatur poſtquam publicum aliquem hoſtem profligâſſet. Notæ enim DD. NN. AVGG. i. Domini noſtri Auguſti, duos tunc innuit fuiſſe Auguſtos. Illud VOTIS. V. MVLTIS X. denotat quòd populus vota tunc nuncupabat, vt V. annos floreret Imperator, & numero multiplicato multa decennia fauſtis acclamationibus comprecabantur. Huc facit illud in Nazari Panegyrico. *Quinquennalia beatiſſimorum Cæſarum occupatos in gaudijs habent, ſed in deſtinatis decennijs iam vota* XX.

properantia & spes volucres constiterunt. Literæ P. A R. Arelati hunc denarium signatum denotant.

XXI. Constantius Magnentio fuso, & Britannia recuperata, in honorem Exercitus hunc signandum curauit, R in basi forsitan notat esse ex officina monetaria quæ erat Romæ.

XXII. In Valentiniani honorem cùm Britanniam collabentem restituerit, & recuperatam partem de suo nomine VALENTIAM dixerit, hic Antiochiæ percussus vt ex literulis subiectis colligatur.

XXIII. Ad Gratiani nummum nihil occurrit quod adijciam, nisi quod ad Magnentij modò dixi.

XXIIII. XXV. XXVI. Cùm Magnus Maximus ab exercitu Britannico creatus esset Augustus, eiusque itidem filius Flauius Victor: in militum gratiam & gloriam hi nummi fuerunt cusi, Theodosiusque cum illos sustulisset, eadem de caussa illum cum VIRTVTE EXERCITVS signauit.

XXVII. In illo aureo Honorij nihil est quod adnotem, nisi ex illo AVGGG. tres fuisse ea tempestate Augustos, scilicet post annum salutis 420, cùm Honorius in Occidente, Theodosius Iunior in Oriente, & cum illis Constantius qui Constantinum nostrum spe nominis electum vicerat, ab Honorio Augustus nominatus, imperarent. CONOB verò illud denotat Obrizum esse aurum Constantinopoli signatum. Nusquam enim nisi in aureis legitur illud CONOB. quantum hactenus obseruaui.

Nummos Romanorum longè plures adijcere poteram, vis enim eorum infinita passim apud nos reperitur in vrbium subuersarum ruinis, in thesauris siue flauissis illo æuo reconditis, vrnisque funeralibus. Vnde autem tanta illorum superesset copia valde demirabar, donec Principum constitutionibus legissem nummos antiquos conflare fuisse interdictum.

L. 1. c. de auri pub. prosecut. L. 12. 13. C. Th. de suscept. præpos.

Antiquos hos tùm Britannorum, tùm Romanorum nummos, cùm iam suis typis dederimus, Lectoris etiam interesse putamus Chorographicam Britanniæ tabellam (cùm fuerat Romanorum prouincia) priscis nominibus hoc in loco interserere, non quidem illam accuratam. Quis enim præstabit? sed è qua si nihil aliud hoc tamen ediscas, quotidie aliquid in hoc orbe mutari, noua vrbium fundamenta iaci, noua gentium nomina extinctis nominibus prioribus exoriri; & quod ait ille,

Non indignemur mortalia corpora solui,
Cernimus exemplis oppida posse mori.

BRITANNIÆ

BRITANNIÆ EXCIDIVM.



Um iam derelicta esset a Romanis præsidijs Britannia, confusissima erant omnia, & calamitatibus miserrima, hinc barbaris incursantibus, illinc ciuibus tumultuantibus, dum quisq; imperij summam sibi arripit, *Sub metu*, vt habet Ninnius, *quadraginta plùs minùs annos fuerunt. Vortigernus enim qui regnauit vrgebatur a metu Pictorum & Scotorum, a Romanorum*, qui hic manserunt, *impetu, nec non a timore Ambrosij Aurelij, vel Aureliani qui tanta tempestatis collisione occisis in eadem parentibus purpura indutis superfuerat.* Hinc Saxones a Vortigerno in auxilium è Germania euocati exitiabile bellum in hospites conflárunt, misellosq; Britannos post ancipites bellorum euentus vberiori Insulæ parte, & auitis sedibus exuerunt.

Gildas.

Saxones in Britanniam euocati.

Verùm luctuosissimum hoc Britanniç excidium tibi Gildas Britannus totus lachrymis oppletus, qui pauló pòst vixit, lamentabili suo stylo depinget, vel potiús deplanget. *Romanis ad sua remeantibus emergunt certatim de* carucis quibus sunt trans Scoticam valliem euecti, quasi in alto Titane, incalescenteq; caumate, de arctissimis foraminum cauerniculis fusci vermiculorum cunei, tetri Scotorum, Pictorumq; greges, moribus ex parte dissidentes: & vna eademq; sanguinis fundendi auiditate concordes: Cognitaq; condebitorum reuersione & reditus denegatione solito confidentiores omnem Aquilonalem, extremamq; terræ partem pro indigenis muro tenus capessunt. Statuitur ad hæc in edito arcis acies segnis ad pugnam, inhabilis ad pugnam, trementibus præcordijs inepta, quæ diebus ac noctibus stupido sedili marcebat. Intereà non cessant vncinata nudorum tela quibus miserrimi ciues de muris tracti solo allidebantur. Hoc scilicet eis proficiebat immaturæ mortis supplicium qui tali funere rapiebantur, quo fratrum pignorumq; suorum miserandas imminentes pœnas cito exitu deuitabant. Quid plura? Relictis ciuitatibus, muroq; celso, iterùm illis fuga, iterum dispersiones solito desperabiliores. Item ab hoste insectationes: item strages accelerantur crudeliores, & sicut agni a lanionibus, ita deflendi ciues ab inimicis discerpuntur, vt commoratio eorum ferarum assimilaretur agrestium. Nam & ipsis mutuo nec pro exigui victus breui sustentaculo miserrimi ciues latrocinando temperabant, & augebantur externæ clades domesticis motibus, quòd huiuscemodi tam crebris direptionibus vacuaretur omnis regio totius cibi baculo, excepto venatoriæ artis solatio. Igitur rursum miseræ mittentes epistolas reliquiæ ad AEtium Romanæ potestatis virum hoc modo loquentes;*

*Carroghes.

Scitua vallis.

Gildas hæc in MS exemplaribus Galliæ Querulus dicitur, vt mihi retulit V.C. Barnab. Brisonius.

ÆTIO III COS
GEMITVS BRITANNORVM.

Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hæc duo genera funerum aut iugulamur aut mergimur.

In alijs exempl. Agitio, in alijs Equitio Cos. sine vllo numero

*Nec pro ijs quicquam adiutorij habent. Intereà fames dira ac famosissima vagis ac nutabundis hæret, quæ multos eorum cruentis compulsi prædonibus sine dilatione victas dare manus, vt pauxillum ad refocillandam animam cibi caperent, alios verò nunquam, quin potiùs de ipsis montibus, speluncis, ac saltibus dumis consertis continuè rebellabant. Et tùm primùm inimicis per multos annos prædas in terra agentibus strages dabant, non fidentes in homine, sed in Deo secundum illud Philonis. Necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium. Quieuit parumper inimicorum audacia, nec tamen nostrorum malitia. Recesserant hostes à ciuibus, nec ciues à suis sceleribus. Moris namq; continuus erat genti (sicut & nunc est) vt infirma esset ad retundenda hostium tela, & fortis esset ad ciuilia bella, & peccatorum onera sustinenda &c. Reuertuntur ergo impudentes grassatores Hyberni domum, post non longum temporis reuersuri, Picti in extrema parte * insulæ tunc primùm & deinceps requieuerunt prædas & contritiones nonnunquam facientes. In talibus itaq; inducijs desolato populo sæua cicatrix obducitur famis, alia virulentiore tacitè pullulante. Quiescente autem vastitate, tantis abundantiarum copijs insula affluebat, vt nulla habere tales retro ætas meminisset, cum quibus omnimodis & luxuria crescit. Creuit etenim germine præpollenti ita vt competenter*

*prouincia.

ter

ter eodem tempore diceretur: Omninò talis auditur fornicatio, qualis nec inter gentes. Non solùm verò hoc vitium, sed & omnia quæ humanæ naturæ accidere solent, & præcipuè (quod & nunc quoq; in ea totius boni euertit statum) odium veritatis cum assertoribus, amorq; mendacij cum suis fabricatoribus, susceptio mali pro bono, veneratio nequitiæ pro benignitate, cupido tenebrarum pro sole, acceptio Satanæ pro Angelo lucis. Vngebantur reges non per Deum, sed qui cæteris crudeliores extarent: & paulo post ab vnctoribus non pro veri examinatione trucidabantur, alijs electis trucioribus. Si quis verò eorum mitior, & veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quasi Britanniæ subuersorem omnium odia telaq; sine respectu contorquebantur, & omnia quæ displicuerint æquali saltem lance pendebantur, si non gratiora fuissent displicentia: ita vt meritò patriæ illud propheticum, quod veteri illi populo denunciatum est, potuerit aptari. Filij (inquiens) sine lege dereliquistis Deum, & ad iracundiam prouocâstis Sanctum Israel. Quid adhuc percutiemini apponentes iniquitatem? omne caput languidum, & omne cor mærens, à planta vsq; ad verticem non est in eo sanitas. Sic agebant cuncta, quæ saluti contraria fuerint, acsi nihil mundo medicinæ a vero omnium medico largiretur. Et non solùm hæc seculares viri, sed & ipse grex Domini eiusq; pastores, qui exemplo esse omni plebi debuerint: Ebrietate quamplurimi quasi vino madidi torpebant resoluti, & animositatum tumore, iurgiorum contentione, inuidiæ capacibus vngulis, indiscreto boni maliq; iudicio carpebantur: ita vt perspicuè sicut & nunc est, effundi videretur contemptio super principes, seduci vanis eorum, & errore in inuio & non in via. Intereà volente Deo purgare familiam suam, & tanta malorum labe infectam auditu tantum tribulationis emendare, non ignoti rumoris penniger ceu volatus arrectas omnium penetrat aures: iamiamq; aduentus veterum hostium volentium penitus delere, & inhabitare solito more a fine vsq; ad terminum regionem. Nequaquam tamen ob hoc proficiunt, sed comparati iumentis insipientibus, strictis (vt dicitur) morsibus rationis frænum obfirmantes per latam diuersorum vitiorum ad mortem procliuè ducentem (relicto salutari licèt arcto itinere) discurrebant viam. Dum ergo (vt Solomon ait) seruus durus non emendatur verbis, flagellatur stultus, & non sentit. Pestifera namq; lues feraliter insipienti populo incumbit, quæ in breui tantam eius multitudinem remoto mucrone sternit, quantam ne possent viui humare. Sed ne hac quidem emendatur, vt illud Esaiæ Prophetæ in eo quoq; impleretur, dicentis: Et vocauit Deus ad planctum & ad caluitium & ad cingulum sacci: ecce vitulos occidere & iugulare arietes, ecce manducare & bibere & dicere: Manducemus & bibamus; cras enim moriemur. Appropinquabat siquidem tempus, quo eius iniquitates, vt olim Amorræorum, complerentur. Initur namq; consilium quid optimum, quidue saluberrimum ad refellendas tam ferales & tam crebras supradictarũ gentium irruptiones, prædasq; decerni deberet. Tum omnes consiliarij vnà cum superbo tyranno cæcantur, adinuenientes tale præsidium, imò excidium patriæ, vt ferocissimi illi nefandi nominis Saxones Deo hominibusq; inuisi, quasi in caulas lupi, in insulã ad retundendas Aquilonales gentes intromitterentur. Quo vtiq; nihil ei vsquam perniciosiùs, nihilq; amariùs factum est. O altissimam sensus caliginem, ô desperabilem crudamq; mentis hebetudinem! Quos propensiùs morte cùm abessent tremebant, sponte (vt ita dicam) sub vnius tecti culmine inuitabant stulti Principes (vt dictum est) Taneos, dantes Pharaoni consilium insipiens.

Reges uncti.

Pestis.

Saxones in Britanniam admissi.

*Tum erumpens grex catulorum de * cubili leænæ barbariæ tribus (vt lingua eius exprimitur) Cyulis, nostra longis nauibus, secundis velis, omine, augurijsq; quibus vaticinabatur certo apud eum præsagio, quòd ter centum annis patriam cui proras librabat, insideret. Centum verò quinquaginta, hoc est dimidio temporis, sæpiùs vastaret. Euectus primùm in Orientali parte insulæ iubente infausto tyranno, terribiles infixit vngues; quasi pro patria pugnaturus, sed eam certiùs impugnaturus: cui supradicta genitrix (comperiens primo agmini fuisse prosperatum) item mittit satellitum canumq; prolixiorem catastam, quæ ratibus aduecta adunatur cum manipularibus spurijs. Inde germen iniquitatis, radix amaritudinis, virulenta plantatio nostris condigna meritis in nostro cespite ferocibus palmitibus pampinisq; pullulat. Igitur intromissi in insulam barbari, veluti militibus, & magna (vt mentiebantur) discrimina pro bonis hospitibus subituris, impetrant sibi annonas dari. Quæ multo tempore impertitæ clauserunt (vt dicitur) canis faucem. Item queruntur non affluentèr sibi * epimenia contribui, occasiones de industria colorantes, & ni profusior eis munificentia cumularetur, testantur se cuncta insulæ rupto fœdere depopulaturos. Nec mora, minas effectibus prosequuntur*

*Germania Cinla.

* Stipendia menstrua.

quuntur (confouebatur namq; vltionis iustæ præcedentium scelerum causa) De mari vsq; ad mare ignis Orientalis sacrilegorum manu exaggeratus, & finitimas quasque ciuitates agrosq; populans non quieuit accensus, donec cunctam penè exurens insulæ superficiem rubra occidentalem truciq; Oceanum lingua delamberet. In hoc ergo impetu, Assyrio olim in Iudam comparando, completur quoq; in nobis secundum historiam, quod Propheta deplorans ait. Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Et iterum. Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam: coinquinauerunt templum sanctum tuum &c. Ita vt cunctæ coloniæ crebris arietibus, omnesq; coloni cum præpositis Ecclesiæ, cum Sacerdotibus ac populo mucronibus vndiq; micantibus, ac flammis crepitantibus simul solo sternerentur, & miserabili visum medio platearum vnà turrium edito cardine auulsarum, murorumq; celsorum saxa, sacra altaria, cadauerum frusta, crustis, ac sigillantibus purpurei cruoris tecta velut in quodam horrendo torculari mixta viderentur, & nulla esset omnimodis præter domorum ruinas, bestiarum volucrumq; ventres in medio sepultura.

Hæc cùm legerimus non bono Gildę succenseamus, quòd in suorum Britannorum vitia, in immanem Pictorum, & Scotorum feritatem, & nostrorum Saxonum insatiabilem crudelitatem tam asperè inuehatur. Sed cùm insitione vel commixtione quadam per tot sæcula, iam cuncti gens vna simus, religione bonisq; artibus emolliti, cogitemus, quales & illi fuerint, & quales nos esse debeamus: ne pro nostris itidem vitijs summus rerum moderator alias huc gentes, vel nobis excisis transferat, vel deuictis inserat.

BRITANNI ARMORICI.



Ac funestissima & deploratissima tempestate nonnulli *miserarum reliquiarum Britannorum in montibus deprehensi aceruatim iugulabantur, alij fame confecti accidentes manus hostibus dabant in æuum seruituri, si tamen non continuò trucidarentur, quod altissima gratiæ stabat loco: alij transmarinas petebant regiones, cum vlulatu magno ceu celeusmatis vice hoc modo sub velorum sinubus cantantes: Dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos: alij montanis collibus, minacibus præruptis, vallatis, & densissimis saltibus, marinisq; rupibus vitam suspecta semper mente credentes in patria licèt trepidi perstabant.* Ex his qui transmarinas petierunt regiones illi proculdubio fuere qui saluti suæ consulentes magno numero in Armoricam Galliæ se contulerunt, & ab Armoricanis gratanter admissi fuerunt. Quod præter linguæ communitatem quæ eadem ferè cum nostris Britannis siue Wallis, comprobat, vt alios taceam qui in hoc consentiunt, author proximus ab illo æuo, & in ipsa Armorica oriundus, qui scripsit vitam S. Wingualosi Confessoris. *Britannorum soboles*, inquit, *ratibus ad istam deuecta est citra mare Britannicum terram, tempore quo gens barbara dudum aspera in armis, moribus indiscreta Saxonum maternum possedit cespitem. Tunc se chara soboles in istum conclusit sinum: quo loco, magnis laboribus fessa ad horam consedit sine bello quieta.* Produnt tamen nostri multò ante Britannos nostros in hac ora consedisse. Malmesburiensis enim, *Constantinus Max. ab exercitu Imperator consalutatus, expeditione in superiores terras indicta, magnam manum militum Britannorum abduxit, per quorum industriam, triumphis ad vota fluentibus breui rerum potitus, emeritos & laboribus functos, in quadam parte Galliæ ad occidentem super littus Oceani collocauit; vbi hodie posteri eorum manentes immane quantum coaluere, moribus linguaq; non-nihil à nostris Britonibus degeneres.* Præcepit sanè Constantinus. *Veterani iuxta nostrum præceptum vacantes terras accipiant, easq; perpetuò habeant immunes.* Ninnius item. *Maximus Imperator qui occidit Gratianum, noluit demittere domum milites qui perrexerant cum eo ex Britannia, sed dedit illis multas regiones a Stagno quod est super Montem Iouis vsque ad ciuitatem qua vocatur Cantguic, & vsque ad cumulum occidentalem .i. Cruc-occhidient.* Adiungit fabulosè, qui notulas Ninnio addidit. *Britones Armorici qui vltra mare sunt, cum maximo Tyranno hinc in expeditionem exeuntes, quum redire nequierunt, occidentales partes Galliæ solo tenus vastauerunt, acceptisque eorum vxoribus & filiabus in coniugium, omnes earum linguas amputauerunt, ne eorum successio maternam linguam disceret, vnde & nos illos vocamus in nostra lingua Lhet Vydion, id est, semitacentes, quoniam confusè loquuntur.*

Gildas.

Cod. Theod. lib. 7. Tit. 20.

Horum

Horum authoritati refragari minimè possum, imò opinor veteranorum illorum liberos, hos è patria profugos Britannos posteà libenter suscepisse. Britannorum tamen nomen in hoc tractu apud eius æui scriptores non occurrit, antequam Saxones in nostram Britanniam aduenerint, nisi illorum quos in Picardia Plinius locare videtur, & Brinani in nonnullis exemplaribus vocantur. Nam si quis ex 4 Strabonis existimet cum Volaterrano Britanniam vrbem fuisse Galliæ, codicem Græcum vel inspiciat, & se facilè docebit illum de Britannia insula, non de vrbe loquutum fuisse. Illum autem Dionysij Afri versiculum quem supra attuli malunt nonnulli cum Stephano de nostris, quàm cum Eustathio de Armoricanis intelligere, maximè cùm Festus Auienus vetustus sanè scriptor ita reddiderit.

*i. Britannia.

*Cauris nimium vicina *Britannis:*
Flauaq; cæsariem Germania porrigit ora.

Britanniciani.

Nec quis existimet *Britannicianos* in notitia memoratos hinc fuisse, qui tantùm fuere militum cohortes è Britannia nostra conscripti.

Armorica.

Leronij Plinio. forte.

Zonaras.

Arborici Procopio dicti, & alteri ipsa vetis Cornu Galliæ

Ante Britannorum nostrorum aduentum, hæc regio primùm Armorica dicta erat .i. *Ad mare sita*, deinde eodem sensu Britannicè *Llydaw* .i. *Littoralis*, Latinè *Letania* apud nostros mediæ ætatis scriptores. Vnde Letos fuisse suspicor quos in Gallia nominat Zosimus, cùm innuit Magnentium Tyrannum apud Lætos natum in Gallia, patre Britanno. Hi Armorici cùm Constantinus ille nominis fauore electus rerum potiretur, & Barbari Gallias vndiq; persultarent, eiectis Romanorum præsidijs, rempublicam inter se constituerunt: sed Valentinianus Iunior opera AEtij, & intercessione S. Germani in ordinem redegit. Quo tempore Exuperantius eos rexisse videatur. De quo Claudius Rutilius.

Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc post liminium pacis amore docet.
Leges restituit, libertatemq; reducit,
Et seruos famulis non sinit esse suis.

Ex quibus versibus nescio an Ægidius Maserius collegerit, cùm scripserit Britannos fuisse seruulos Armoricanis, & libertatem in eos erexisse. Prima mentio Britannorum in Armorica, quod scio, fuit anno salutis 461 circa annum tricesimum ab Anglo-Saxonibus in Britanniam nostram euocatis. Tunc enim Mansuetus Britannorum Episcopus inter Galliæ & Aremoricæ Episcopos Consilio Turonensi primo subscripsit. Nono post anno hi noui Galliæ incolæ cùm viderent Visigothos sibi fœcundissimos Andium & Pictonum agros occupare, in eos irruerunt, & obstaculo fuerant quò minùs Gothi Galliam totam occuparent. Ab Anthemij enim Romani Imperatoris partibus steterunt contra Gothos, vsq; adeò vt Aruandus maiestatis damnatus fuerit, quòd literis ad Gothorum regem datis, Britannos supra Ligerim oppugnandos, & Gallias inter Gothos & Burgundos diuidendas suasisset. Britanni hi *genus erat hominum argutum, armatum, tumultuosum, virtute, numero, & contubernio contumax.* vt Sidonius Appollinaris de illis conqueritur ad Riothimum suum, vt ipse appellat, (Britannorum Regem vocat Iornandes) qui posteà ab Anthemio accersitus venit cum XII millibus hominum subsidio Romanis, sed antequam illis iungerentur, aperto Marte a Gothis cum suis superatus ad Burgundiones Romanis confederatos confugit. Iam inde Armoricis paulatim deuictis Britannorum nomen his nouis sedibus ita inualuit vt vniuersi incolæ in Britannorum nomen paulatim coalescerent, & hic tractus *Britannia Armorica* & Francis *Britannia Cismarina* diceretur. Vnde I. Scaliger.

Sid. Apollinar.

Anno 470.

Vicit Aremoricas animosa Britannia gentes,
Et dedit imposito nomina prisca iugo.

Gregor. Turon. Lib. 10. c. 9.

Arma enim in hospites qui eos admiserunt, conuerterunt, vt constat cùm aliàs, tum ex his Regalis Episcopi Venetensis verbis de se & suis. *Nos in captiuitate Britannorum positi graui iugo subditi sumus.* Temporibus autem subsequentibus seq; suaq; animosè primò sub Regulis, posteà sub Comitibus, & Ducibus contra Francos propugnabant, licèt vt habet Glaber Rodolphus, *solæ illis diuitiæ fuere libertas fisci publici, & lactis copia:* & hinc ante quingentos annos de illis scripsit Gulielmus Malmesburiensis. *Est genus hominum egens in patria, aliàsq; externo ære laboriosæ vitæ mercatur stipendia. Si dederis, nec ciuilia sine respectu iuris & cognationis detrectans prælia, sed pro quantitate nummorum ad quascunq; voles partes obnoxium.*

BRITANNI

BRITANNI WALLENSES, ET CORNWALLENSES.



Reliqui Britannorum qui patriam in patria miserrimi quæsiuerunt, tantis conflictati sunt calamitatibus, quantas pro rerum atrocitate nemo satis explicare queat: Non solùm a Saxonibus, Pictis, & Scotis bello tetro longè lateq; disperso exagitati, sed impotenti nefariorum tyrannorum dominatu vbiq; oppressi. Qui & quales autem illi fuerint tyranni circa annum salutis quingentesimum, habe paucis ex Gilda qui tum vixit & vidit. *Constantinus inter Damnonios licet conceptis verbis coram deo & sanctorum choris se boni principis officium præstiturum iurâsset, in duabus ecclesijs duos regios pueros, eorumq; nutritores duos viros fortissimos sub Abbatis amphibalo* .i. * sacra veste vtrinq; villosa, *obtruncauit, multisq; antè annis vxore legitima depulsa, crebris adulteriorum fœtoribus fœdatus.* Constantinus. * Glossarium vetus.

Aurelius Conanus in parricidiorum & adulteriorum cœno volutatus, pacem patriæ exosus, solus relictus acsi arbor in campo arescens, cuius patrem, fratresq; superuacua phantasia abripuit, & mors immatura oppressit. Aurelius Conanus, qui & Caninus v.c.

Vortiporius Dimetarum tyrannus, boni patris nequam filius, pardo similis moribus, & nequitijs discolor, canescente iam capite, sedens in throno dolis pleno, parricidijs & adulterijs constuprato, coniugem amouit, eiusdemq; filiam imprudentem stuprauit & e medio sustulit. Vortiporius.

Cuneglasus, Romana lingua lanio fuluus, vrsus multorum sessor, auriga currus receptaculi vrsi, Dei contemptor, Cleri depressor, in Deum sceleribus, in hominem armis belligerans, vxorem repulit, sanctos crebris iniurijs instigauit, superbè sapiens, & in incerto diuitiarum sperans. Cuneglasus.

Maglocunus insularis Draco, multorum tyrannorum depulsor tam regno quàm vita, primus in malo, multis potentia simulq; malitia maior, largior dando, profusior peccatis, fortior armis, cunctis Britanniæ Ducibus tam regno, quàm status lineamento editior, Adolescens auunculum Regem cum fortissimis militibus ense & igni oppressit, Postquam ex voto violenti regni phantasia cessit, remordente peccatorum conscientia se Monachum vouit, Sed statim ad vomitum reuersus, monachi voto irrito primas nuptias spreuit, vxorem filij fratris sui viuentis adamauit, filium illum fratris, vxoremq; aliquandiu a se habitam occidit, adamatam illam filij fratris vxorem connubio adsciuit. Verùm hæc historicis relinquenda, qui hactenus falso hos sibi inuicem successisse prodiderunt, cùm semel simulq; (vt ex Gilda videre licet qui singulos alloquitur) in diuersis insulæ partibus tyrannidem arripuissent. Maglocunus.

Illæ autem Britannorum superstites reliquiæ in occiduos insulæ tractus naturæ munimentis, montibus, & æstuarijs obseptos, scilicet in *Walliam*, quam nunc dicimus, & *Cornwalliam* se subduxerunt. Huius incolas Saxo Bꝛytƿealeꞅ, illius Coꝛnƿealeꞅ, vt Gallos *Galweales* nuncupauit. Quod enim exterum & peregrinũ, *Walsh* illis dicitur, vnde etiam *Wallones* in Belgica, & *Vallachi* ad Danubium nomina traxerunt. Hi Britowalli bellicosissima gens multis seculis libertatem sub suis regulis tutati sunt, licètque fossa admirandi operis, quam Offa Rex perduxit, ab Anglo-Saxonibus fuerint disclusi, eorum tamen vrbes ferro, flammâq; subinde vastârunt, itidémq; ab illis grauissima quæque pertulerunt. Tandem Edwardo Primo regnante, vt ipse de se scribit, *Diuina prouidentia quæ in sui dispositione non fallitur, inter alia suæ dispensationis munera, quibus nos & regnum nostrum Angliæ decorari dignata est, terram Walliæ cum incolis suis prius nobis iure feodali subiectam, iam sui gratia in proprietatis nostræ dominium, obstaculis quibuscunq; cessantibus, totaliter & cum integritate conuertit, & coronæ regni prædicti, tanquam partem corporis eiusdem annexuit, & vniuit.* Subsequenti tamen ætate nullo modo induci potuerunt, vt seruitutis iugum subirent, nec vlla ratione res componi, & funestissimum inter gentes odium restingui potuit, donec HENRICVS VII. ab illis oriundus salutarem manum iacentibus Britannis porrexerit, & HENRICVS VIII. in parem iuris libertatisq; conditionem, atque nos ipsi Angli sumus, acceperit. Ex quo tempore, & non paucis antè annis immobilem eorum fidem obsequiumq; Angliæ reges sunt experti. Illi verò *Cornwalli* licèt vires omnes ad patriæ salutem tuendam animosè contulerint, citò tamen in Saxonum potestatem Cornwalli. Britwealer. Walsh. Walli. Statutum Walliæ.

concesserunt

concesserunt, vtpote nec numero valuerunt, nec regio satis à natura munita eos tutari poterat.

Hæc de Britannis & Romanis dicta sufficiant. Sed cùm de incolis agatur non hîc tacendum est, etiamsi iam ante diximus, quod Zosimus tradit. Probum Imperatorem *Vandalos, & Burgundos*, quos deuicerat, in Britanniam misisse, qui sedes hîc nacti vtilem operam Romanis præstiterunt, quoties aliquis seditionem moliretur. Vbi verò sederint nisi in agro Cantabrigiensi nescio. Geruasius enim Tilburiensis meminit antiqui valli in illo agro, quod *Vandelsburg* vocat, Vandalorumque opus fuisse dicit.

Lib. 1.
Vandali & Burgundi in Britannia.

Nec suspicetur quispiam Constantij temporibus Pœnos hîc sedes habuisse ex his Eumenij Rhetoris verbis, *Nisi fortè non grauior Britanniam ruina depresserat, quàm si perfusa tegeretur Oceano, quæ profundissimo Pœnorum gurgite liberata ad conspectum Romanæ lucis emersit.* Vetustus enim codex, qui fuerat Humfredi Ducis Glocestrensis, posteà honoratissimi Baronis Burghlæi summi Angliæ Thesaurarij, *pœnarum gurgitibus* legit. De calamitatibus enim & pœnis loqui videtur, quibus sub Carausio fuit affecta.

Quod Agathias in historiarum secundo habet, *Hunnica natio Britones sunt*, ne quis inde Britannos in calumniam trahat, vel Hunnos existimet. Βίττορες etenim Græco codice, non Britones legi, testatus est mihi iampridem vir eruditissimus Franciscus Pithæus, & nunc prodidit I. Lewenclaius de re historica meritissimus.

PICTI.

Picti.



AD alios Britanniæ incolas nunc accedamus, & primùm ad Pictos, quibus primas in antiquitate post Britannos detulerunt Historici. Hos Hector Boetius ab Agathyrsis, Pomponius Lætus, Auentinus, & alij à Germanis, nonnulli à Pictonibus Galliæ, Beda à Scythis deducit. *Contigit*, inquit, *gentem Pictorum de Scythia (vt perhibent) longis nauibus non multis in Hiberniam peruenisse*, a Scotis quos ibi inuenerunt, sedes frustrà petijsse, eorum suasu Britanniam adijsse, & per Septentrionales eius partes habitâsse, idq; circa annum reparatæ salutis, vt multi volunt, septuagesimum octauum.

Ego in tanta varietate quid sequar non video, vt tamen quod res sit dicam, & sententiam meam proferam. Nisi hac in re venerabilis Bedæ authoritas omnibus omnium coniecturis præponderaret, Pictos non aliunde aduectos, sed ipsissimos fuisse Britannos, veram priscorum Britannorum sobolem existimarem. Illos nimirum Britannos dico, qui ante Romanorum aduentum Borealem insulæ partem insedêrunt, quique ad hos, seruitutis iugum repellentes (vt est natio seruitutis impatientissima,) posteà confluxerunt. Quemadmodum incursante Saxone, Britanni qui sua libertate se abdicare nollent, in occiduas insulæ regiones, montibus asperas, *Walliam* & *Cornwalliam* se subduxerunt: sic proculdubiò, Romano ardente bello, Britanni ne seruitutem, omnium malorum extremum subirent, in has Boreales partes, quæ cœli inclementia rigent, confragosis locis horrent, & Oceani alluuionibus paludibúsq; stagnant, se receperunt. Vbi non tam suis telis, quàm suo cœlo, & sydere armatæ, cum indigenis, quos ibi offendêrunt, in numerosam gentem succreuerunt. Author enim est Tacitus Romanorum hostes in hanc partem veluti aliam insulam à socero suo Agricola submotos fuisse, & nemini dubium quin Britanni fuerint, qui has remotissimas insulæ partes incoluerunt. Quid, omnes ne illos Britannos Romanorum hostes, qui triginta millia armatorum contra Agricolam eduxêrunt, qui tantis cladibus Seuerum affecêrunt, vt vna expeditione septuaginta millia Romanorum, & sociorum desiderârit, ad internecionem deletos & nullos in semen relictos somniabimus? vt aduenis è Scythia, aut Thracia locum præberent. Tantùm abest, vt ego hoc credam, licèt Beda ex aliorum relatione scripserit; vt potiùs affirmârim, illos ita auctos fuisse, vt solum neq; alere, neq; capere potuisset, & proinde coactos Romanam prouinciam inundare, & quasi obruere, quod posteà, cùm Scoti aduenissent, factum nouimus. Sed quia Beda scripsit, vt alij illo tempore *perhibuerunt*, nonnullos e Scandia, quæ olim vt vniuersa septentrionalis plaga Scythia dicta, per insulas continua serie cohærentes ad Britannos illos Septentrionales accessisse facilè adducar vt credam.

Ne

Ne quis tamen probabili mendacio me fidem accommodare opinetur: quòd Picti ipsi Britanni fuerint, videor probare posse ex Pictorum moribus, nomine, & sermone, quibus optimè cum Britannis conuenisse videbimus.

Vt verò inter alia omittam, quòd nec Picti, vt prodit Beda, nec Britanni, vt scribit Tacitus, sexum in imperijs discreuerint, aut fœminas à sceptris exclußerint: ritus ille pingendi, & coloribus se oblinendi vtriq; genti communis erat. De Britannis iam anteà docuimus, de Pictis pro nobis docet Claudianus, qui canit. *Marcel.*

Nec falso nomine Pictos

Edomuit. Et alibi. *ferroq; notatas*

Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

Nec minùs disertè Isidorus. *Non abest genti Pictorum nomen à corpore, quòd minutis opifex acus punctis, expressos natiui graminis succos includit, vt has ad sui specimen cicatrices ferat pictis artubus maculosa nobilitas.* Iam existimabimus-ne hos Pictos, Germanos fuisse, qui hoc pingendi more nunquam sunt vsi, aut Agathyrsos Thraciæ tanto spatio dissitos? vel potius ipsos Britannos, cùm in eadem ipsi fuerint insulâ, & eundem pingendi morem retinuerint. *Xenen.*

Nec alio nomine quàm Britanni antiquis scriptoribus, Dioni, Herodiano, Vopisco &c. vocantur barbari illi, qui tamdiu tantis incursibus ex sylua Caledonia, & vltima illa Septentrionali ora Romanos exercuerunt. Tacitus item qui bella soceri sui Agricolæ in hac extrema Britanniæ parte plenè describit, incolas non alio nomine quàm *Britannos*, & è *Caledonia Britannos* appellat, cùm tamen Pictos nouos aduenas decem ante annos huc aduenisse scriptores recentiores nostri prodiderint, (quod notes velim) quandoquidem Tacitus illo æuo hos planè ignorauerit. Nec Imperatores illi Romani qui res fœliciter contra eos gesserunt, Commodus scilicet, Seuerus, Bassianus & Geta eius filij BRITANNICI agnomen sibi assumpsissent, cùm hos deuicissent, nisi Britanni fuissent. Certè si Romani quibus omne ignotum pro magnifico fuit, diuersam aliquam a Britannis gentem & prius ignotam debellassent, siue illi Picti, siue Scoti dicti fuissent, PICTICI vel SCOTICI titulos in nummis & inscriptionibus proculdubiò præ se tulissent. Tacitus ex rutilis comis, & magnis artubus eorum originem è Germania coniectat, statim tamen veriùs ad cœli positionem quæ corporibus dat habitum refert. Vnde & Vitruuius. *Sub Septentrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus, colore fusco, directo capillo & rufo.* Caledones item, qui sine controuersia erant Britanni, eandem cum Pictis fuisse gentem quodammodo innuit Panegyricus, cùm scribit. *Caledonum, aliorumq; Pictorum syluas, &c.* quasi etiam Caledones non alij, quàm Picti fuissent. Illosq; Caledonios fuisse natione Britannos Martialis innuit in illo versu.

Quinte Caledonios Ouidi visure Britannos.

Ausonius item, simulq; eos depictos docet, dum viridi musco glarea distincto eorum colorem sic assimulat:

———viridem distinguit glarea muscum;

Tota Caledonijs talis pictura Britannis.

Cæterùm vt hi longo iam tempore, non alio quàm Britannorum nomine innotuerunt, idq; à depictis corporibus: sic posteà circa tempora Maximiani & Dioclesiani (nec anteà Pictorum nomen apud scriptores occurrit) cùm Britannia tàm diu prouincia fuisset, vt incolæ prouincialem Latinam imbibissent, PICTI, vt videtur, dici cœperunt, ad distinctionem eorum, qui socij Romanorum erant, Britanniq; dicebantur. Et vnde Picti dicerentur? nisi quòd se depingerent. Si quis verò sit, qui non credat Britannos nostros linguam Latinam prouincialem vsurpâsse, næ ille nouerit, quantoperè Romani laborarint, vt Prouinciæ loquerentur Latinè, nec viderit quanta vis Latinarum dictionum in Britannicam linguam irrepserit, vt Taciti authoritatem non vrgeam, qui scribit Britannos Domitiani tempore, Latinæ linguæ eloquentiam concupiisse. Quantum verò ad Pictorum nomen attinet, hunc scrupulum Flauij Vegetij authoritas facilè eximat, qui quodammodo demonstrat Britannos hoc vocabulo *Pictæ* eodem planè sensu, quo Latini, pro re colorata vsos fuisse. Britannos enim scribit vocâsse scaphas illas exploratorias, PICTAS, quarum vela & funes Veneto colore erant intincta, & quarum nautæ, & milites Venetam vestem induti erant. Certè si naues ob vela Veneto colore infecta PICTAS vocarint *Lib.4.c.37.*

Britanni,

Britanni, quid impedit, quo minùs populum varijs coloribus depictum & inprimis Veneto (is enim glastinus est è glasto) PICTOS appellauerint.

Huc etiam facit quod Picti boreales, quos verbo & exemplo ad Christum perduxit S. Columbanus, in vetustis Anglorum annalibus Bꞃıꞇꞇaꞅ Peohꞇaꞅ, quasi *Britanni Picti*, nominantur.

Lingua Pictorum. Ex lingua quò minùs pluribus argumentemur in causa est, quòd Picticæ linguæ vix verbulum ex authoribus colligi possit: eandem tamen cum Britannica fuisse videtur. Beda scripsit, vallum incipere in loco, qui Pictorum sermone *Penuahel* appellatur, & *Pengwal* Britannis *Caput*, siue *Principium valli* expresè significat. Toto etiam illo insulæ tractu, quem Picti diutissimè tenuerunt (erat ea pars Scotiæ Orientalis) plurimorum locorum nomina originem Britannicam sapiunt, vt *Morria*, *Marnia*, quòd regiones sint maritimæ, à *Mor* Britannico. *Aberden*, *Aberlothnet*, *Aberdore*, *Aberneith*, .i. *Ostium Deni*, *Lothnetti*, *Dori*, *Neithi*; ab *Aber* quod Britannis fluminis ostium denotat. *Strathbolgy*, *Strathdee*, *Strathearn*, .i. *Vallis Bolgy*, *Dee*, *&* *Earne*, à *Strath*, quod Britannicè vallis est. Ipsa etiam primaria Pictorum sedes non aliam, quàm Britannicam originationem agnoscit, Edenburgum dico, quam CASTRVM ALATVM vocat Ptol. *Aden* enim ala Britannicè dicitur. Nec in argumenti locum arripiam, quòd nonnulli Pictorum reguli *Brydy* sint dicti, id est Britannicè, vt sæpius diximus, *depicti*. Ex his vtiq; linguam Pictorum à Britannica non diuersam fuisse, & proinde gentes non diuersas non absurdè concludatur; Licet Beda de Britannorum & Pictorum linguis quasi discretis loquatur, quo loco pro dialectis linguas dixisse videatur.

Nec est cur quis miretur, quòd Picti gentilibus suis Britannis tantas clades intulerint, cùm videamus hodiè in Hibernia illos qui Anglico parent imperio, nullos adeò infestos hostes habere, quam gentiles suos syluestres Hibernicos. *Quemadmodum enim*, vt Paulus Diaconus habet, *Gothi*, *Hyppogothi*, *Gepidi*, *&* *Vandali*, *nomen tantùm mutantes*, *vna eâdemq; lingua vsi*, infestis signis sæpè inter se concurrêrunt; sic etiam Picti, & Britanni, maximè cùm hi iam essent Romanorum socij. Hæc erant, qualiacunque sunt, quæ mihi manum quasi iniecêrunt, & animum ferè induxêrunt, vt Pictos Britannorum reliquias iudicârim: sed hæc forsitan eleuat Bedæ authoritas, & vincat valeatq; præ his coniecturis (si placet) tanti viri ex aliorum relatu traditio.

Deucalidonii. *Vecturiones.* Pictos hos in DICALIDONIOS, & VECTVRIONES diuidit Ammianus Marcellinus, *Deucalidonios* legerim ego, & occiduam Scotiæ oram, qua Deucalidonius Oceanus irrumpit insedisse existimo. Quanquam hos sic dictos, quasi nigros Calidonios opinatus fuerim (*Dee* enim nigrum Britannis significat) quemadmodum Hiberni hodiè eius tractus Scotos, *Duf Allibawn*, .i. *Nigros Scotos* vocant, & Britanni prædones ex hac ora mare infestantes, *Y llu du*, .i. *Exercitus ater*, dixerunt. A situ tamen nomen traxisse coniectare licet. Etenim *Deheu Caledonij*, Caledonios dextrorsùm habitantes, .i. *ad occasum* notat. Vt Picti alij qui sinistrorsùm tenuerunt .i. *ad ortum*, (quem sinistralem plagam vocat Ninnius) *Vecturiones* dicti fuerant, deflexo fortasse a *Chwithic* vocabulo, quod sinistram Britannis significat, quos VERNICONES corruptè apud Ptolemæum dici suspicantur nonnulli. Antiquum fragmentum Saxonicum Peꞅꞃeoꞃn vocare videtur, sic enim inimicam Britannis gentem nominat, cùm ipsos Pictos *Pehits* *&* *Peohtas* veteres Angli appellârint. Vnde apud Whitkindum *Pehiti*, pro Picti passim legitur.

Pictorum mores. *Pagina. 23. &c.* Mores horum priscorum, & barbarorum Britannorum qui postea in Pictorum nomen abierunt, è Dione, & Herodiano iam antea descripsimus. Nunc superest, vt attexam. Cùm inclinato imperio, Romani parùm prouidi è Barbaris cohortes conscriberent, *Blondus.* quosdam ex his Pictis ab Honorio, pacatis vbiq; rebus, in militiam Romanam allectos, *Honoriaci.* & *Honoriacos* dictos fuisse. Qui sub Constantino Tyranno illo ob spem nominis electo, Piræneì claustris patefactis, barbaros in Hispaniam immiserunt. Demùmq; cùm primùm per se, postea cum Scotis fœderatis hanc Romanorum prouinciam afflixissent, serìus mitescere cœperunt: Australes a Ninia siue Niniano Britanno viro sanctissimo ad Christum conuersi circa annum Salutis 430. Septentrionales verò qui arduis atq; horrentibus montium iugis erant ab Australibus seclusi, à Columbano ex Hibernia Scoto *Beda.* eximiæ etiam sanctitatis monacho anno D. LXV qui illos vndecunq; hauserat, Pascha à Luna decimaquarta Martij ad vicesimam sed semper die Dominica celebrare, & alia forma

ma tonsuræ quàm Romani, sc. quæ coronæ speciem imperfectam præ se ferret, vti docuit. De quibus diu in hac insula acriter disceptatum, donec Naitanus Rex Pictorum suos ad catholicam obseruantiam ægrè perduxit. Quo seculo Sanctorum limina Picti plurimi, vt tunc ferebant tempora, deuoti adierunt, & inter alios qui in S. Petri Basilicæ antiquitatibus his verbis memoratur, [ASTERIVS COMES PICTORVM, ET SYRA CVM SVIS VOTVM SOLVERE] Demùm à Scotis ex Hibernia influentibus ita fuerunt obtriti, vt circa annum salutis DCCXL. prælio funestissimo debellati, aut penitùs extincti, aut paulatim in eorum nomen, & nationem concesserint. Quod idem accidit potentissimæ Gallorum nationi, qui à Francis deuicti in Francorum nomen sensim quasi commigrarunt. *Asterius Comes Pictorum.*

Quòd Panegyricus innuit ante Cæsaris tempora Britanniam, *Pictis & Hibernis hostibus semınudis assuetam fuisse*, more sui temporis loqui videtur, certè Picti nomine, eo tempore in Britannia non erant.

Quòd etiam Sidonius Apollinaris in Panegyrico ad socerum cecinerit,

Victricia Cæsar
Signa Caledonios transuexit adusq; Britannos,
Fuderit & quanquam Scotum, & cum Saxone Pictum:

Non possum non exclamare cum altero Poëta,

Sit nulla fides augentibus omnia Musis.

Hæc Cæsar effusè in suis ipsius laudibus prodigus nunquam reticuisset, si modò præstitisset. Sed hi non dissimiles videntur bonis illis, & doctis hac ætate scriptoribus, qui dum Cæsaris historiam consarcinant, illum Francos in Gallia, & Anglos in Britannia deuicisse scribunt, cùm illo tempore, nec in hac Anglorum, nec in illa Francorum nomen vel fando auditum fuisset, vtpote qui multis pòst sæculis in has regiones deuenerunt.

Pictones Galliæ eandem cum nostris Pictis fuisse gentem, cum Ioanne Picardo credere non ausim, cùm Pictonum nomen in Gallia etiam Cæsaris ætate fuerit celeberrimum, & nostri nusquam Pictones dicantur: vno tantum Panegyrici loco *Pictonum* pro *Pictorum*, librariorum incuria subrepsisse scio. *Pictones.*

SCOTI.



PRoximum à Pictis locum inter Britanniæ gentes SCOTI suo iure sibi vendicant, de quibus priusquàm dixero, ne maleuoli & morosi in calumniam rapiant, quæ ingenuè & simpliciter ex antiquis scriptoribus de Scotis hic protulero, præmonendus est lector, singula ad veteres, veros, & genuinos Scotos referenda esse. Quorum soboles sunt illi Hibernicè loquentes, qui longè latèque occiduam regni Scotiæ quod nunc dicunt partem, insulasq; adiacentes incolunt, & *Highland-men* vulgò vocantur. Reliqui enim moribus cultiores qui orientalem eius partem insident, licèt in nomen Scotorum transierint, nihil minùs sunt quàm Scoti, sed ex eadem quâ nos Angli Germanica origine. Quod ipsi non possunt non confiteri, & nos non agnoscere, cùm à superioribus illis *Sassones* perinde ac nos appellentur; & eadem qua nos lingua, certissimo eiusdem originis argumento, scilicet Anglo-Saxonica, dialecto tantùm variata vtantur. Quo nomine tantùm abest, vt aliquam illis maculam aspergam, vt potiùs semper quasi eiusdem sanguinis & stirpis amauerim, & coluerim etiam tum cùm diuisa regna, & nunc multò magis cùm Deo optimo Maximo authore, sub vno augustissimo imperij capite Angli & Scoti (quod bonum, fœlix, faustum, salutareq; sit vtriq; genti) coalescimus.

Origo & ἔτυμον gentis Scoticæ, vt circumuicinarum gentium ita caligine circumfusa latent, vt ipse perspicacissimus Buchananus, vel parùm viderit, vel sibi viderit: omnium enim expectationem hac in re fefellit. Hinc ego diu me sustinui ne in hanc arenam descenderem, & cum alijs fabulas admirando, suauiter ineptirem. Ad Deos enim æquè probabiliter Scotorum origo referatur, quàm ad illam Scotam Pharonis Ægyptij ementitam filiolam Gaithelo Cecropis conditoris Athenarum filio enuptam. Sed vt hæc opinio ex imperitia antiquitatis enata etiam à candidioribus Scotis reijcitur; ita altera illa recentior à Græco fonte insulsè deducta, quod Scoti dicantur quasi σκότιοι, i. *obscuri*, vt *Scota Pharaonis filia.*

in gentis clarissimæ & fortissimæ contumeliam ab inuidis excogitata, mihi prorsus exploditur. Nec Florilegi nostri omnibus arridet, Scotos nimirùm appellari, quòd ex confusa gentium colluuione prognati fuerint. Non possum tamen non mirari vnde habuit Isidorus, *Scoti propria lingua nomen habent à picto corpore, eò quod aculeis ferreis cum atramento variarum figurarum stigmate annotantur.* Quod etiam Rabanus Maurus ijsdem verbis contestatur, in sua ad Lodouicum Pium Imperatorem Geographia, quæ extat in Bibliotheca Collegij Trinitatis Oxonij.

L.9.c.2.

Sed cùm suos habeat Scotia alumnos qui originem ex intima antiquitate depromere possint, & suæ, patriæq; gloriæ optimè consulant, si in hanc rem totam curam, omnemq; animum tantisper ponerent; intendam ego tantùm digitum ad fontes, vnde fortasse veritatem hauriant, proponamq; nonnulla, quæ illos diligentiùs perpendere velim. Nam ego in hac re Scepticus. Et primùm de origine, posteà de loco vnde in Hiberniam transmigrarint. Constat enim illos ex Hibernia insula à Britannis antiquitùs culta, vt suo loco docebitur, in Britanniam transmisisse, & cùm primùm scriptoribus hoc nomine innotuerint, in Hibernia sedes habuisse. Cecinit enim Claudianus de eorum in Britanniam irruptionibus.

Hibernia Scotorum patria.

totam cùm Scotus Hibernem
Mouit, & infesto spumauit remige Thetis.

Alibi etiam.

Scotorum cumulos fleuit glacialis Hiberne.

Orosius item scribit. *A Scotorum gentibus colitur Hibernia.* Cum eo Isidorus. *Scotia eadem & Hibernia: Scotia autem quòd à Scotorum gentibus colitur, appellata.* Gildas Scotos *Hibernos grassatores* appellat. Beda etiam. *Scoti qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt.* Et alibi. Caroliq; Magni ætate Eginhardus *Hiberniam Scotorum insulam* disertè appellat, Giraldus etiam Cambrensis. *Gentem Scoticam ex Hibernia fuisse propagatam tàm lingua quàm cultus, tàm armorum quàm morum vsq; in hodiernum probat affinitas.* Sed ad ea quæ Scotos perpendere velim.

Cùm qui veri & genuini sint Scoti, hoc Scotorum nomen non agnoscant, sed aliàs se *Gaoithel*, *Gael*, & *Albin* indigitent, cùmq; populi plurimi alijs ac ipsi vtuntur, a vicinis insigniantur nominibus, quibus gentium origines sæpè subindicantur: vt Pannoniæ inferioris incolæ qui se *Magier* dicunt, *Hungari* Germanicè vocantur, quòd origine sint Hunni, Syluæ Hercyniæ accolæ, qui sibi *Czechi* nominantur, alijs *Bohemi* appellantur, quòd a Boijs Gallis sint orti, Africæ incolæ qui & suum sibi nomen habent, *Alarbes* Hispanis dicuntur, quòd sint Arabes, Hiberni qui sibi *Erinach*, Britannis nostris *Gwidhill* & ipsi Hiberni & Britanni nos Anglos non alio vocant nomine, quàm *Sassons*, quòd a Saxonibus originem ducamus; velim vt Scoti primùm perpendant, num sic dicti fuerint à vicinis quasi Scythæ. Quemadmodum enim Germani inferiores *Scythas* & Scotos vno nomine *Scutten* appellant; sic Britannos nostros vtròsq; *Y-Scot* dixisse è Britannis scriptoribus obseruatum est. Ninius etiam Britannos Hiberniæ incolas expressè Scythas vocat, fretumq; per quod ex Hibernia in Britanniam traiecerunt, *Vallem Scythicam* Gildas nominat. Sic enim habet Parisiensis æditio, vbi alij nullo sensu *Styticham vallem* legunt. Alfredus etiam Rex qui ante septingentos annos Orosij historiam in Anglicam linguam transtulit, Scotos per *Scyttan* conuertit, nostriq; qui proxime Scotiam habitant non Scotos, sed *Scyttes* & *Scetts* appellitant. *Vti enim* (authore Walsinghamio) *ijdem dicuntur Getæ, Getici, Gothi, Gothici; sic ab eadem origine appellantur Scythæ, Scitici, Scoti, Scotici.*

Gaoithel siue Gaithel, & Gael.

Vallis Scythica.

In Hypodigmate.

Vtrùm verò hoc nomen a vicinis huic genti fuerit inditum ob mores Scythicos, vel quod è Scythia deuenerit, hic cogitent. Britannos sanè primæuos Hiberniæ incolas quæ vera Scotorum patria, cum Scythis feritate & Diodorus Siculus, & Strabo nominatim comparant. Præterea cruorem è vulneribus interemptorum ebibunt, fœdus mutui sanguinis haustu sanciunt, & de numero cædium honorem crescere arbitrantur syluestres Hiberni, & qui verè Scoti, vt olim Scythæ. Huc accedit quod his Scotis, perinde vt Scythis arcus & sagittæ præcipuè erant arma. Scythas enim τοξοφόρους vocat Orpheus, vt Ælianus, & Iulius Pollux *Sagittarios*; vnde a Sagittandi peritia hoc nomen vtrique genti factum suspicantur viri eruditi. Nec nouum videri possit diuersos populos ab ijsdem moribus eodem nomine fuisse insignitos, vt qui Indiam occidentalem perlustrârunt,

Lib. 6. Strabo lib. 4.

omnes

omnes viros fortes arcu & sagittis infestos per vniuersam Indiam, eiusque insulas *Caribes* vno nomine, licèt diuersæ sint gentes, appellari scribunt. *Caribes. Benzo lib. 2.*

Verùm quòd è Scythia deuenerint, produnt ipsi Hibernicorum historici, Nemethum enim Scytham, & longo post tempore Delam è Nemethi progenie, id est, è Scythica, inter primos Hiberniæ habitatores connumerant. Ninnius item Eluodugi discipulus planè scripsit. *In quarta mundi ætate* (hoc est, interuallo illo quod interfuit inter Templi ædificationem, & captiuitatem Babylonicam) *Scythæ Hiberniam obtinuerunt.* Accedit huc recentiorum authoritas, Cisneri in Præfatione ad Crantzium, & Reineri Reineccij, qui scribit, *Superest à Scythis gens Scotorum in Britannia &c.* Dubito tamen omninò etsi Getę natio fuerit Scythica, num Hibernos nostros Propertius innuat dum canit. *Tomo. 1. pag. 37*

Hiberniq; Getæ, Pictoq; Britannia curru.

At Scotis suus honor constare non possit, nisi ex Hispania in Hiberniam deducantur, hoc enim & ipsi, & eorum historici vehementer tanquam pro aris & focis contendunt, & iure sanè. Opera itaque luditur, si Scythæ in Hispania non inueniantur. Scythas autem in Hispania fuisse (vt taceam Scythicum in Cantabris promontorium Hiberniæ proximum, & quod Strabo scribit, Cantabros cum Scythis moribus & feritate conuenisse) Silius Italicus ex Hispania oriundus apertissimè docet. CONCANOS enim Cantabriæ gentem è Massagetis, id est, Scythis procreatos hoc versu ostendit. *Vnde Scoti in Hiberniam venerunt. Scythæ in Hispania. Concani.*

Et quæ Massagetem monstrans feritate parentem, *Lib. 3.*
Cornipedis fusa satiaris Concane venâ.

Pauculis interiectis versibus, Sarmatas, quos Scythas fuisse fatentur omnes, Susanam Hispaniæ vrbem construxisse docet, cùm canit.

Sarmaticos attollens Susana muros.

Ab his Sarmatis, siue Scythis, *Luceni,* quos in Hibernia locat Orosius, prognati videntur (cùm Susanam inter Lucensios Hispaniæ reponunt ipsi Hispani) vti a Concanis illis *Gangani* Hiberniæ. Lucensij enim & Concani inter Cantabros erant vicini, vt Luceni & Gangani in illa Hiberniæ ora, quæ Hispaniam prospectat. Si quis roget quinam illi Scythæ fuerint, qui in Hispaniam deuenerint, planè nescio, nisi Germanos existimes, & velim vt ipsi Scoti altiùs considerent. Germanos verò iam olim in Hispaniam penetrauisse, præter Plinium qui *Oretanos* Hispaniæ, *Germanos* vocat, Seneca natione Hispanus docebit. *Pyrenæus*, inquit, *Germanorum transitus non inhibuit, per inuia, per incognita versauit se humana leuitas.* Germanos autem Scythas dictos fuisse non solùm ex Ephoro & Strabone colligitur, qui gentes ad Arctum omnes Scythas vocarunt, sed etiam ex Plinio. *Scytharum*, inquit, *nomen vsquequaq; transit in Sarmatas, atque Germanos.* Testisque est Auentinus Germanos ab Hungaris *Scythas*, & *Scythulas* denominari. A Scythica verò origine genus ducere probro neutiquam esse potest, cùm Scythæ vt vetustissimi ita plurimarum gentium victores, ipsi perpetuò inuicti, & ab alieno imperio intacti. Nec hic omittendum Caucos & Menapios qui inter celeberrimas fuere Germaniæ gentes, iisdem nominibus & eadem vicinitate in Hibernia a Ptolemæo collocari, vt probabile sit ab iisdem Germanis cum nomine etiam originem deduxisse. *Luceni. Germani in Hispania. De consolatione ad Albinum. Lib. 4. cap. 12.*

Si non ab his exorti sint Scoti, velim secum perpendant, num è Barbaris illis fuerint quos ex Gallæcia Hispaniæ Constantinum Maximum expulisse Regis Alphonsi Chronica produnt. Ex illa enim parte in Hiberniam se demigrasse volunt. Si quærant, qui fuerint illi Barbari, non dubito quin iuxtà mecum sentient Germanos fuisse: Gallieno enim imperante, *Germani vlteriores*, inquit Orosius, *abrasa potiti sunt Hispania*; & Germani vlteriores qui fuerint nisi Scythæ? At Aurelius Victor quem Andreas Schottus ædidit, Germanos illos Francos vocat. Quandoquidem verò Franci illi, & vlteriores Germani è Germania soluentes, longissimè in Oceanum furoris æstu eueherentur, & vt inquit Nazarius ad Constantinum, Hispanorum etiam oras armis infestas, per hæc nostra maria, haberent: quis credat illos Hiberniam vberrimam insulam, & ad Hispaniam infestandam opportunam exucco Cantabriæ solo posthabuisse? Verumenimuerò, vt Norwegi Caroli Magni ætate, & posteà, e Scandia sæpe Hiberniam aggressi sunt, sedesq; sibi fixerunt; ita Francos idem anteà fecisse opinari liceat, satisq; probabiliter, & hinc in Hispaniam transmisisse, indeq; à Constantino Magno exturbatos in Hiberniam recessisse. Credibile item est plures eò posteà confluxisse, tum cùm Vandali, & Gothi *Vassani. Orosius. lib. 7.*

 omnia

omnia in Hiſpania in fumum & cinerem verterent, atq; barbari inter ſe bella gererent & ſtrages agerent? nec non cùm Saracenorum procella Hiſpanos percelleret, & in Gallitiam & Cantabriam plurimos conijceret. Sed hæc viderint alij, ſit mihi ſatis vel voluiſſe hanc nubem ſubmouere.

Qui fit quæſo perpendant hic Scoti, quòd Hiberni Scotorum ataui & ipſi Scoti ſe *Gael*, & *Gaothel* dici, linguamq; ſuam *Gaothlac* eſſe glorientur, & eam Britanniæ partem quam primò occupârunt *Argathel* nominârint: vnde hæc nomina promanaſſe dicant, à Gallæcis Hiſpaniæ, à quibus quamplures proculdubio in Hiberniam traſmigrârunt, & quorum origo a Gallatis, ſiue Gallis repetitur? an à Gothis, vt nonnulli recentiores opinantur, qui hoc *Gaothel* a Gothis profluxiſſe volunt, perinde ac *Cathalonia* in Hiſpania. Argumenta hic à linguæ Gothicæ cum Hibernica affinitate illi peterent, quæ tamen cum alijs Europæ linguis, niſi cum Britannica & Germanica affinitatem, quoad ego deprehendi, planè habet nullam. Quam verè ſcribit Huntingdonenſis: *Scoti ex Hiſpania in Hiberniam quarta mundi ætate venerunt, pars eorum quæ adhuc remanſit eâdem vtitur lingua, & Nauarri vocantur*, quàm verè inquam ille dixerit, alij dixerint. *Dauidem* verò *Chambres* Scotum hic omitto, qui à Ieſuitis accepit Scotorum linguam in India orientali vſurpari. Vereor ne diſiunctiſſima regio non mentiendi, ſed mendacium dicendi libertatem viro credulo fecerit.

Sin ex cultu argumenta hac in re depromi poſſint, idem hodie ſylueſtribus Scotis cultus & veſtitus, qui olim Gothis, ex Sidonio ſtatim deprehenditur, qui dum Gothum deſcribit, planè Scotum Syluestrem depingit. *Flammei ſunt*, inquit, *croco, pedes perone ſetoſo talos ad vſq; vinciuntur. Genua, crura, ſuræq; ſunt ſine tegmine, veſtis alta, ſtricta, verſicolor, vix appropinquans poplitibus exertis. Manicæ ſola brachiorum principia velantes. Viridantia ſaga limbis marginata puniceis. Penduli ex humero balthei. Aurium legulæ crinium ſuperiacentium flagellis operiuntur*. (Sic enim multifidos & diſcriminatos Scotorum & Hibernorum crines rectè flagella dixeris) *Lanceis etiam vncatis* (vncinata tela vocat Gildas) *ſecuribusq; miſſilibus vtuntur. Strictasq; tunicas*, vt inquit Porphyrio, *pectoribus ſuis aptatas ſine cingulis geſtabant*. Si hic non ſit ipſiſſimus Hiberno-Scotorum cultus, ipſorum iudicium eſto. Simul velim conſiderent hæc Giraldi Cambrenſis verba ex libro primo de Inſtitutione Principis. *Cum Maximus de Britannia in Galliam cum robore virorum, & virium, nec non & armorum inſulæ toto, ad occupandum imperium tranſuectus fuerat, Gratianus & Valentinianus fratres, & conſortes imperij gentem hanc Gothicam rebus in bellicis fortem, ac ſtrenuam, ſibi quoque vel confœderatam, vel ſubiectam, & imperialibus beneficijs obſtrictam à Scythiæ finibus in aquilonares Britanniæ partes ad Britones infeſtandum, & tyrannum cum iuuentute reuocandum nauigio tranſmiſerunt. Illi verò tùm quoniam pro innata Gothorum bellicoſitate præualidi fuerunt, tùm quoniam inſulam viris, ac viribus vacuam inuenêrunt; Boreales einſdem partes ac prouincias non modicas ex prædonibus accolæ facti ſibi vſurpatas occupauerunt*. Qui verò fuerint hi Gothi, ſi non Scoti indicarint alij, & fortaſſe ex Procopio lucem aliquam habeant, apud quem Beliſarius Gothis expoſtulantibus, quòd Siciliam Romanis conceſſiſſent, in hæc verba reſpondet. *Et nos item Britanniam Gothos habere ſibi permittimus Sicilia longè præſtantiorem, Romanorum quondam ditionis effectam. Par enim eſt, vt qui priores beneficia contulêre, vel gratiam parem vt referant, vel benefactorum viciſſitudinem.* Huc etiam referenda videntur, quòd Ferguſium Scotum Alarico Gotho in direptione Romæ comitem fuiſſe ſcribunt Scoti, quòd Genſricum Vandalorum regem in Scotiam, & Britanniam tranſiſſe tradit Irenicus, quódque Cambrenſis neſcio vnde, prodit *Gatdelos*, id eſt, *Scotos*, vt ſtirpem, ſic nomen à Vandalis traxiſſe, quos eoſdem cum Gothis fuiſſe docet P. Diaconus. Nec fraudi Scotico nomini eſſe poteſt ſe Gothorum prolem agnoſcere, cùm potentiſſimi Hiſpaniarum reges hinc ſtemma ducere gloriantur, & apud Italos nobiliſſimi quique à Gothis vel genus ducunt, vel ementiuntur. Ipſeque Imperator Carolus Quintus e Scandia, & Gothorum ſtirpe, totius Europæ nobilitatem exortam fuiſſe ſeriò dictitare ſolebat. Verùm hæc non tanti apud me ſunt, vt hinc Scotos Gothorum fuiſſe propaginem exiſtimare auſim.

Gothorum & Syluestrium Scotorum idem habitus.

In Horatium de Arte Poet.

Lib. 2. de bello Gothorum.

Lib. 6. cap. 25.

Irenicus Lemnius.

Nunc, vt verbo dicam, literatos Scotos perpendere velim, num ex antiquiſſimis Britannis Hiberniæ incolis fuerint, (nam Britannos olim Hiberniam incoluiſſe certum) & Scythæ,

Diodorus Siculus.

Scythæ, vel Scoti dicti quòd cum Scythis moribus conuenerint, vel Scythæ qui è Scandia, aut Scythia deuenerint, ad quos Gallæci, Franci, siue Germani ex Hispania exturbati, & Gothi siue Vandali accesserint, cùm Hispania funestissimis bellis vreretur; vel colluuies populorum quæ in Hiberniam confluxerat, & inde nomen apud vicinos inuenerit, * Lingua, inquit Giraldus, *Hibernicorum Gaidelach quasi ex omnibus linguis collecta dicitur*. Et Florilegus vndecunq; collegit. *Ex Pictis & Hibernensibus Scoti originem habuerunt, quasi ex diuersis nationibus compositi. Scot enim illud dicitur quod ex diuersis rebus in vnum aceruum congregatur*. Vti Alemanni (Asinio Quadrato teste) nomine præ se tulerunt, quòd ex varia fuerint hominum colluuie. *Ad Annum Christi 77. Scot. Alemanni. Agathias lib. 1.* Nec mirum cuiquam videri possit tot gentes in Hiberniam olim confluxisse, cùm illa insula medio inter Britanniam atq; Hispaniam sita sit, Gallico quoq; mari opportuna; & inter octingentos annos proximè elapsos certissimum sit ex Annalium fide, Norwegos, ac Oustmannos e Germania, Anglos, Wallos, & Scotos ex Britannia ibi sedes sibi defixisse. Hæc sunt quæ Scotos hac in re perpendere velim. Interim meminerint me nihil asseueràsse, sed tantùm quædam subindicasse, quæ ad rem facere quodammodo videantur. Ex quibus si Scotorum origini lux nulla affulgeat, alibi exquirant, ego enim hac in re planè cæcutio, & veritatem fugientem vana indagine sum insequutus, hac tamen circumspectione, vt neminem vti, spero, suboffenderim.

De tempore, quo Scotorum nomen primùm innotuit, nonnulla est quæstio, litemq; Humfredo Lhuido Antiquario optimo Buchananus Poeta optimus intendit. Quòd Scotorum nomen nusquam ex authoribus erui posse ante Constantini Magni tempora Lhuidus asserit, in hominem irruit, iugulum petit, duobusque misellis argumentis transfodere conatur, vno ex Panegyrico, ex coniectura altero. *Quando Scoti in Britanniam aduenerint. G. Buchananus. H. Lhuidus.* Quod Panegyricus vetustus habet, Britanniam Cæsaris tempore Hibernis assuetam fuisse hostibus. Ideo si dijs placet Scoti eo tempore in Britannia sedes habuerunt, sed nec Hibernos illos sedes tunc habuisse, nedum Scotos fuisse quispiam ante dixit. Panegyricus proculdubio more scriptorum recepto ad sua, non ad Cæsaris tempora respexit. Coniectura autem non sua est, sed literatissimi illius Iosephi Scaligeri. Ille enim in Notis ad Propertium dum obiter carmen illud è Senecæ ludo emendaret.

Ille Britannos Vltra noti Littora ponti,
Et cæruleos Scuta Brigantes Darè Romuleis
Colla Cathenis, Iussit, &c.

Scotobrigantes legit, & statim exclamat, Scotos sibi iam originem debere suam, sed ego inuitus huic opinioni minimè acclamo, qui illum in multis cum eruditionis admiratione semper suspexi. Non enim è libris, sed ex ingenio est hæc coniectura, & sensus ferat, vel *cæruleos scuta Brigantes* vt libri omnes habent, vel *Cæruleos cute Brigantes*, vt legit doctiss. Hadr. Iunius. Buchananus tamen, qui maluit cum suo, & alterius acumine suauiter ludere, quàm cum recepta lectione rectè sentire, huic coniecturæ mirificè applaudit. Primùm quod authores non produnt Britannos scuta pinxisse. Inde quòd differentiæ gratià *Scoto-Brigantes* dixit, vt distingueret a Brigantibus Hispaniæ, & Hiberniæ. Postremò quòd Britannos, & Brigantes hoc carmine separat, velut nationes diuersas. Sed si quis hæc excutiat, quid impedit quo minus scuta pingerent, qui se, & currus pinxerint? Cur ad differentiam nouum verbum *Scoto-Brigantes* procuderet? Cùm cæruleos appellat, & a Claudio subactos ait, non ab alijs Brigantibus satis distinguit? Sed illa obseruatio de Britannis, & Brigantibus, quasi diuersis nationibus, vix Poetam sapit, quem Poetica illa loquendi forma καθ' ὅλον καὶ μέρη latere non potuit. Quare cùm hæc causæ nihil prosint, Egesippum (qui vulgo vetustus admodum creditur) quasi succenturiatum Buchananus a me habebit. Scribit enim ille vbi de Romanorum magnitudine agit. *Tremit hos * Scotia quæ terris nihil debet, tremit Saxonia inaccessa paludibus*. Sed audi, hic post principia stabit, post Constantini enim tempora vixit, vt ex ipso videre est; nec ex hoc magis probari possit Scotos in Britannia habitàsse, quàm ex illo Sidonij versu quem modò attuli. ** I. Hibernia. Lib. 5. c. 15.* Ac illud certe grauius quod clariss. & doctiss. I. Cragius subtilissima inquisitione deprehendit apud Iosephum Ben-Gorion de excidio Hierosolymarum, Scotos in Hebraico codice expressè nominari, vbi Munsterus in Latina conuersione perperam *Britannos* pro *Scotis* substituerit. Sed quo æuo Ben-Gorion ille vixerit mihi parum

compertum. Quod seriùs Flauio Iosepho certum, cùm etiam Francorum meminerit.

* Verumenimuero si hac in re me inter tantos interponere liceat: Quantum ego obseruârim, Aureliano imperante, prima gentis Scoticæ apud authores occurrit mentio. Porphyrius enim qui tunc contra Christianos scripsit, hisce verbis, vt nos docet B. Hieronymus, eorum meminit. *Neq; Britannia fertilis prouincia tyrannorum, & Scoticæ gentes, omnesq; vsq; ad Oceanum per circuitum barbaræ nationes Mosem, prophetasque cognouerunt.* Quo quidem tempore, vel paulò antè potentissimarum gentium Francorum, & Alamannorum nomina sub Gallieno primùm audita fuisse rerum veterum periti adnotârunt.

Contra Pelagianos ad Ctesiphontem.

Non certa itaq; fide traditur quod quidam scribunt, Scotorum nomen, & regnum plurimis ante Christum natum seculis in Britannia floruisse. Sed tempus illud ex Giraldo habe: *Nello magno*, inquit, *Hiberniæ monarchiam obtinente, sex filij Muredi Regis Vltoniæ, Boreales Britanniæ partes occupârunt. Vnde ab his gens propagata, & specificato vocabulo Scotia vocata, vsq; in hodiernum, angulum illum inhabitat.* Hoc verò accidisse eo tempore, quo Romana res apertè nutaret, hinc colligitur. Imperante apud Hibernos Lagerio Nelli illius filio, in Hiberniam venit Patricius Apostolus Hibernicorum, cùm annus à Christo nato quadringentesimus tricesimus plus minùs ageretur. Vt circa Honorij Augusti tempora hoc incidisse videatur. Tunc enim, cùm anteà per incerta vagantes, vt habet Ammianus, diu Britanniam, & *condicta limitibus loca* diuexâssent, sedes in Britannia posuisse videntur. Ipsi verò tunc se ex Hibernia redijsse volunt, quo antè à Romanis, & Britannis profligati se subduxerant, & illud Gildæ de hoc tempore intelligunt. *Reuertantur grassatores Hiberni domum, post non longum tempus reuersuri.* Sub hoc tempus Reudam, cuius meminit Beda, sibi sedes in hac insula ad septentrionalem Cluidi fluminis sinum ferro, aut amicitia occupâsse credunt nonnulli. A quo duce, inquit ille, vsque hodie *Dalreudini vocantur: nam lingua eorum* Dal *partem significat*, & ab hoc Reuda esse existimant alij, quòd nobis *Redshanks* vocati fuerint. Illum etiam Simonem Brechum, quem suæ gentis conditorem asserunt Scoti, his temporibus floruisse opinio est. *Sinbrech* verum hominis nomen erat, id est, *Sin* lentiginosus, vt apud Fordonum legitur; Forteán Brichus ille fuit qui circa Patricij ætatem cum Thuibaio, Macleio, Auspaco Scotis Britanniam vexauit, vt in S. Carantoci vita legimus.

Liber Pasletensis hunc reditum in annum 404 conijcit.

Beda lib. 1 cap. 1.

Cur autem Scoti qui in Britannia agitant, regionem illam quam insident *Alban* & *Albin*, & ipsi Hibernici *Allabany* nuncupant, haud illiberalis erat disquitio, an hoc *Allabany* aliquid antiqui nominis Albionis in se vestigium habeat, an ab albedine profluxerit quam *Ban* illi vocant, vt sit quasi *Ellan ban*, id est, Insula alba Scotis; vel ex Hibernia deuenerit, quæ *Banno* suis Poetis appellatur, vt *Allabany* sit vel *altera Hibernia*, vel *secunda Hibernia*. Hiberniam enim *Scotiam maiorem*, & Scotorum in Britannia regnum *Scotiam minorem*, appellarunt historici. Ad hæc cum hi Scoti sua se lingua nominent *Albin*, vnde Blondus Scotos Albienses, vel Albinenses, & Buchananus Albinos dixit, viderint Critici, an apud B. Hieronymum, vbi in Pelagianum quendam natione Scotum inuehitur, non etiam legendum sit *Albinum* pro *Alpinum*, cùm illum vocet *Alpinum canem grandem & corpulentum, & qui calcibus magis possit sæuire, quàm dentibus: habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia.* Quemque *Scotorum pultibus prægrauatum* alibi dixit. Nec de Alpinis canibus me legere memini, verùm Scoticos canes Romæ tunc temporis celebres fuisse Symmachus docet. *Septem*, inquit, *Scoticos canes prælusionis die ita Roma mirata est, vt ferreis caueis putaret aduectos.*

Alban & Albin.

Albin. Albinus.

*

Canis Albinus. S. Albinus etiam Alpinus in Martyrologio xv Sept. dicitur.

Scotici canes L. 2 Epist. 76.

Cæterùm cùm Scoti ad Pictos in Britanniam accessissent, quamuis Britannos prælijs, & prædationibus continenter lacesserent, non tamen res Scotica statim adoleuit, sed in eo, quo appulêrunt angulo, diu egerunt: nec, vt Beda docet, per annos plùs minùs centum viginti septem contra Nordanhumbrorum regulos signa extulerunt. Donec vno eodemq; tempore Pictos ferè ad internecionem deleuissent, & Northumbriæ regnum intestinis malis, Danorumq; incursionibus confectum corruisset. Tunc enim omnis Septentrionalis Britanniæ plaga in Scotorum nomen concessit, vnà cum citeriori illa regione citra Cluidam, & *Edenburgh frith*. Illam enim regni Northumbriæ partem fuisse, & à Saxonibus possessam nemo repugnat; & hinc est quòd omnes qui orientalem Scotiæ partem tenent, & *Lawlandmen*, id est, *Inferiores* vocantur, sint origine Anglo-Saxones, &

Lib. 1 cap. vlt.

Beda.




Valet
SCOTIÆ
PARS
SCYTANLOND
MORE
WE
RIDH
GWINED
POWIS
PEAK
SEPTEN
OCCIDENS
MERI
ORIE:
WEST
SEAXON


ENGLALOND
ANGLIA
ANGLOSAXONVM
HEPTARCHIA
TERRA ARMIS
ANIMISQVE
POTENS

EAST
ENGLA
RIC
EAST
SEAXON
RIC
CANT
RIC
FRONC
LOND
PEAK
5 10 15 20 25 30 35 40 45 50
Scala Miliarium.



& Anglicè loquantur. Qui verò Occidentalem oram incolant, *Highlandmen* dicti, i. *Superiores*, sint Scoti, & Hibernicè loquantur, vt suprà diximus, infestissimiq; sint illis inferioribus, qui Anglico idiomate vtuntur.

Vnà cum Scotis ATTACOTTOS bellicosam hominum nationem Britanniam exagitâsse author est Ammianus Marcellinus, quos e Scotica etiam gente fuisse coniectat H. Lhuidus, quàm verè nescio. Beatus Hieronymus gentem Britannicam fuisse expresse docet. Qui scribit se adolescentulum, imperante, vt videtur, Iuliano, *in Gallijs vidisse Attacottos gentem Britannicam humanis vesci carnibus, & cum per syluas porcorum greges, & armentorum pecudumq; reperirent, pastorum nates, fœminarumq; papillas abscindere solitos, & eas solas delitias arbitrari.* Sic enim ex fide manuscriptorum codicum isto loco *Attacotti*, & non *Scoti*, cum Erasmo qui locum corruptum agnoscit, legendum. Quanquam non possum non fateri in quodam manuscripto exemplari *Attigotti*, & in alio *Catacotti*, in alio *Cattiti* legi. Nec vllo modo de Scotis cum vulgo intelligi possit, cùm Hieronymus de diuersis diuersarum gentium institutis eo loco agens, proximè sequentem sententiam sic exordiatur. *Scotorum natio vxores proprias non habet*, &c. Alibi etiam, vbi Attacottorum meminit Hieronymus, *Azotorum* substituit Erasmus. Hi vt ex Notitiarum libro constat sub Romanis in ipso imperij occasu stipendia fecerunt. Commemorantur enim inter Auxilia Palatina intra Galliam, *Attecotti iuniores Gallicani*, & *Attecotti Honoriani seniores*, & intra Italiam *Attecotti Honoriani iuniores*. Ex hac adiectione *Honoriani*, è barbaris illis fuisse videntur quos Honorius Imp: in fœdus recepit, & in militiam magno imperij detrimento adscripsit.

Attacotti.

L. 2 contra Iouinianum.

Vincentius in speculo Attigotti legit.

Cattiganes leguntur in AEthici Geographia.

Inter has etiam gentes, quæ Britanniam incursârunt, AMBRONES reponit Ioannes Caius vir optimis curis exercitatus, & de Repub. literaria optimè meritus, quòd apud Gildam legerit, vbi de Pictis & Scotis agit. *Illi priores inimici, ac si Ambrones lupi, profunda fame rabidi, siccis faucibus ouile transilientes, non comparente pastore, alis remorum, remigumq; brachijs, ac velis vento innatis vecti terminos rumpunt, cæduntque omnia.* Obuersabatur bono seni, quod apud Festum legerat, Ambrones cum Cimbris in Italiam se effudisse. Et excidit illi aliud agenti *Ambronem*, vt notat Isidorus, deuoratorem significare. Nec alio sensu verbum illud vsurpat Gildas, nec Monumethensis, qui etiam Saxones *Ambrones* vocauit. Nec dum ego ex antiquis scriptoribus *Ambrones* alios Britanniam inuasisse didici.

Ambrones.

ANGLO-SAXONES.



VM iam Romanum imperium sub Valentiniano Iuniore plusquam diuergeret, & Britannia iuuentute per crebros delectus exhausta, Romanique militis præsidio nudata, Pictorum Scotorumque impetus diutiùs sustinere non posset: * Vortigernus, cui rerum summam Britanni detulerant, vel qui, vt alijs placet, sibi arripuerat, vt imperium firmaret, & rem proclinatam adiuuaret: *(vrgebatur*, inquit Ninnius, *à metu Pictorum & Scotorum, a Romano impetu, nec non a timore Aurelij Ambrosij)* Saxones è Germania in subsidium euocauit. Hi statim Hengisto & Horsa ducibus, *Ciulis* suis (sic pandos Myoparones vocârunt) Britanniam appellunt; vno & altero prælio prospero euentu contra Pictos, & Scotos defuncti, magnam sibi gloriam addunt, maiores è Germania copias, acquiescentibus in eorum virtute Britannis euocant, qui pro limitibus excubarent, & maritimo bello hostes affligerent. *Guortigernus*, (scribit Ninnius) *suadente Hengisto, in auxilium accersiuit Octham, & Ebissam, qui cum quadraginta Ciulis nauigantes circa Pictos, vastârunt Orcades insulas, & occupârunt plurimas insulas, & regiones trans * mare Fresicum, vsque ad confinia Pictorum.* Demùm verò cùm Britanniæ agros, cultus, & copias adamare cœpissent, incolarum imbecillitate freti, stipendia non numerata, & commeatum non subministratum causati, icto cum Pictis fœdere, in hospites Britannos bellum longè funestissimum mouent, consternatos vbique obtruncant, agros depopulantur, vrbes excindunt, & post ancipites bellorum euentus, contra duo illa propugnacula belli, Aurelium Ambrosium, qui purpuram hîc sibi assumpsit, in qua occisi parentes, & bellicosum Arturium, Britannos

Anglo-Saxones.

* *Qui etiam Guortigernus.*

* The Frith.

Aurelius Ambrosius.

Ambrosium Aurelianum vocat Gildas.

Britannos vberiori insulæ parte, auitisque sedibus exuunt. Quo tempore, vt vno verbo dicam, passi sunt miserrimi incolæ quicquid aut victor auderet, vel victus timeret. Auxiliares enim copiæ indies è Germania confluxerunt, qui in defessos Britannos bellum subinde redintegrarent, SAXONES nimirum, IVTAE (sic enim legendum non *Vita*) & ANGLI, qui proprijs his nominibus discreti erant, quamuis in commune Angli, & Saxones vocarentur. Sed de his seorsim, & summatim agamus, vt si fieri possit, gentis nostræ incunabula videamus.

Quod tamen de Saxonum ingressu Witichindus, & ipse natione Saxo, & scriptor vetustus retulit prius attexam. *Britannia à Vespasiano principe iam olim inter prouincias redacta, & sub clientela Rom. multo tempore vtiliter degens à vicinis nationibus impugnatur: eò quod auxilio Romanorum destituta videretur. Populus namq; Romanus* Martiali imperatore à militibus interfecto, externis bellis grauiter fatigatus, non sufficiebat solita auxilia administrare amicis: extructo tamen ingenti opere ad munimen regionis, inter confinia à mari vsq; ad mare, vbi impetus hostium videbatur fore, relinquebant regionem Romani. Sed hosti acriori, & ad bellandum prompto, vbi gens mollis, & pigra belli resistit: nulla difficultas in destruendo opere fuit. Igitur fama prodente de rebus Saxonicis prosperè gestis, supplicem mittunt legationem ad eorum postulanda auxilia, & procedentes legati, Opt. mi, inquiunt, Saxones, miseri Bretti crebris hostium incursionibus fatigati, & admodum contriti, auditis victorijs à vobis magnificè patratis, miserunt nos ad vos supplicantes, vt ab eis vestra auxilia non subtrahatis. Terram latam, & spatiosam, & omnium rerum copia refertam vestra mandant ditioni parère. Sub Romanorum hactenus clientela, ac tutela liberaliter viximus: post Romanos vobis meliores ignoramus: ideò sub vestræ virtutis alas fugere quærimus. Vestra virtute, vestris armis hostibus tantùm superiores inueniamur, & quicquid imponitis seruitij libenter sustinemus. Patres ad hæc pauca respondent, certos amicos Brettis Saxones sciatis, & eorum necessitatibus, atq; commodis æquè semper affuturos. Legati læti redierunt in patriam, exoptato nuntio socios lætiores reddentes. Deinde promissus in Britanniam mittitur exercitus, & gratanter ab amicis susceptus, in breui liberat regionem a latronibus, restituens patriam incolis. Neque enim in id agendo multum laboris fuit: quippe qui iam olim audita fama Saxonum perculsi terrebantur, dummodo præsentia eorum procul pelluntur. Erant enim hæ gentes Brettis aduersæ, Scoti, *Pehiti: aduersus quos militantes Saxones accipiebant à Brettis omnia ad vsum necessaria. Manserunt itaq; in illa regione aliquanto tempore, vicaria Brettorum benè vsi amicitia. Vt autem viderunt principes exercitus terram latam, ac fertilem, & incolarum manus ad bellandum pigras, se verò ac maximam partem Saxonum sine certis sedibus, mittunt ad vocandum maiorem exercitum, & pace cum Scotis, & Pehitis firmata, in commune contra Brettos consurgunt, eòsq; regione propellunt, sua ditioni regionem distribuunt.* Hæc Witichindus.

* Martiano forte.

Bretti pro Britanni.

* Picti.

SAXONVM, Italiarum gentium, originem, & etymon non solùm monachi eruditæ antiquitatis ignari, verùm etiam recentiores limatuli iudicij homines commentitijs fabellis inuoluerunt, Alij à Saxone Negnonis filio, & Vandali fratre, alij a saxea natura, alij à Macedonici exercitus reliquijs, alij a cultellis, vnde rythmus est apud Engelhusium.

Quippe breuis gladius apud illos Saxa *vocatur,*
Vnde sibi Saxo nomen traxisse putatur.

Crantzius autem a Cattis Germaniæ, & eruditus ille Capnio a Phrygibus deducit. Ex his quisque quod placeat, sequatur. Huiusmodi enim opinionum commenta non ego conuellam. Amplectenda tamen vt potior, videatur illa Germanorum eruditissimorum qui Saxones a Sacis præstantissimo Asiæ populo ortos, & sic dictos quasi *Sacasones*, .i. *Sacarum filij*, & è Scythia, siue Sarmatia Asiatica, cum Getis, Sueuis, Dacis, & alijs paulatim se in Europam effudisse opinantur. Nec ratione caret hæc eorum opinio quæ Saxones ex Asia deducit, in qua ortum, & multiplicatum genus humanum. Nam præterquam quod Strabo scripsit, *Sacas* illos, vt antea Cimerij, longinquas inuasiones fecisse, & Armeniæ partem de suo nomine *Sacacenam* dixisse: etiam Sassones, Sueuos, Massagetas, Dahos in illa Scythiæ parte collocat Ptolemæus, & obseruat Cisnerus, has gentes eandem propè in Europa conseruasse vicinitatem, quæ ipsis olim inter se in Asia fuerat.

Saxones à Sacis Asiæ.

Lib 11.
Melancthon.
Cisnerus.

Michael Neander.

Nec minus probabile est, Saxones nostros ab his vel Sacis, vel Sassonibus Asiæ venisse

nisse, quam Germanos à Germanis Persiæ, quorum meminit Herodotus, quod ipsi tamen ex linguæ affinitate quodammodo asseuerant, Nam *Fader*, *Muder*, *Brader*, *Tutchter*, *Band*, & similia in Persica lingua hodie reperiri, pro patre, matre, fratre, filia, vinculo, docet singulari eruditione Iosephus Scaliger. Cæterùm cùm Saxones primùm orbi innotuerunt, in Cimbrica Chersoneso, quæ nunc *Denmarke*, agitârunt, vbi Ptolemæus illos statuit, qui primus eorum mentionem fecit. Nec Saxones, vt habent nonnulli libri, sed Axônes apud Lucanum veriùs legitur in illo versu,

Axônes Galliæ populi.

Longisq; leues Axônes in armis.

Ex hac Cimbrica Chersoneso, Dioclesiani tempore cum vicinis suis Francis littora nostra infesta habuerunt, illisque propulsandis Carausium præfecerunt Romani. Postea Albim fluuium transuecti, partim in Sueuorum sedes paulatim concesserunt, vbi nunc Saxoniæ Ducatus, partim in Frisiam & Batauiam iam a Francis derelictam se receperunt. Franci enim qui priùs penitissimas illas Frisiæ paludes (quarum nonnullæ eluuionibus in mare illud quod *Zuider-see*, hodie appellant, abiêrunt) insederant, & Batauiam occuparant, sub Constantio Chloro, Constantino Maximo, eiusq; filijs in leges recepti, & ad deserta Galliarum colenda translati, vel ferro sibi in vberiores regiones viam aperientes, vel, vt Zosimus tradit, a Saxonibus pulsi Batauia cesserunt. Iam inde omnes accolæ oræ illius maritimæ in Germania qui Piraticam exercuerunt, vt anteà in Francorum, ita nunc in SAXONVM nomen coaluerunt. Illi scilicet populi qui Iutiam, Sleswicum, Holsatiam, Ditmarsiam, Episcopatum Bremensem, Comitatum Oldenburgensem, Frisiam vtramq;, & Hollandiam inhabitarunt. Gens enim Saxonum, vt scribit Fabius Quæstor Ethelwerdus & ipse ex Saxonum stirpe regia, *in toto erat maritima a Rheno flumine vsq; ad Doniam vrbem quæ nunc vulgò Dane-marc nuncupatur*. Quem authorem, vt agnoscam per quem profeci V. Cl. Thomas Allen Oxoniensis plurimis & optimis artibus ornatissimus primus eruit, & mihi cum multis alijs pro sua humanitate impertiuit.

Zosimus.

Ethelwerdus Abnepos Adulfi Regis floruit circa 950.

Ex hac ora Saxones crebris Romanorum funeribus pasti, sæpenumerò in Romanorum prouincias irruperunt, & hanc insulam diu infestârunt, donec ipse Hengistus adueniret. Quem ex Batauia, siue Hollandia in Britanniam soluisse, & arcem illam Lugduni Batauorum, siue Leidæ construxisse testantur Batauorum annales, & nobilis ille illustri ingenio, & doctrina Ianus Dousa, qui canit, de Burgo, siue arce illa:

Oda secunda Lugdunensis.

Quem circinato mœnium vt ambitu,
Sic arcuatis fornicibus nouum
Putatur Hengistus Britanno
Orbe redux posuisse victor.

IVTAE, quos à Gutis, Getis, siue Gothis dictos multi arbitrantur (*Geatun* enim in M. S. codice legitur) superiorem Cimbricæ Chersonesi partem incoluisse certum est, quæ etiamnũ Danis *Iutland* dicitur, a *Guttis*, quos in Scandia collocauit Ptolemæus, fortè prognati, quorum sedes hodie *Gothlandia* dicta. Quam tamen caue putes cum Iornande fuisse patriam Gothorum qui Europam victorijs sunt permensi; illos enim vltra Istrum ad pontum Euxinum incoluisse, Getasque priùs dictos fuisse vetustissimi & fide dignissimi quiq; scriptores prodiderunt.

Iutæ.

Spartianus, Trebellius Pollio Capitolinus, &c.

Quas verò sedes *Angli* habuerunt, controuersum est, nec vna sunt omnes opinione. Plurimi in Westphalia ponunt, vbi *Engern* visitur, & *Sueui-Angli* à Tacito & Ptolemæo memorati consederunt, quibus lubens credo, si de Taciti ætate loquamur, sed inde ad maritimos tractus descendisse suspicor. Alij in Pomerania, vbi *Angloen* opidum floret, quærunt. Sed quum hi in secretiora Germaniæ longiùs à mari porrigantur, alia nostrorum Anglorum sedes quærenda, quàm vt inter Saxones, & Iutas quærerem iussit Beda. *Angli*, inquit, *de illa patria, quæ Angulus dicitur, & ab eo tempore vsq; manere deserta inter prouincias Iutarum & Saxonum perhibetur*. Cùm autem inter Iuitlandiam & Holsatiam antiquam Saxonum regionem, prouinciola sit in Daniæ regno, quæ *Angel* hodiè dicitur, sub *Flemsburg* ciuitate, quam in epistolis Lindebergius *Paruam Angliam* vocat, me tandem auitam nostram sedem inuenisse, & inde Anglos in hanc insulam demigrasse, affirmare ausim. Vtque asseuerantiùs affirmem, iam iussit vetusti illius scriptoris Ethelwerdi authoritas, cuius hæc sunt verba. *Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Sleswic, secundùm verò Danos, Haithby*.

Angli.

Lib. 1. cap 15.

Sic legit M S. non Vitarum.

Angel in Dania Anglorum sedes.

Quo

Quò in loco Saxones statuere Ptolemæus videtur, vt non falsò cecinerit ille medij temporis Poeta,

——Saxonia protulit Anglos,
Hoc patet in lingua, niueoque colore. --

Horum Anglorum pars nonnulla in interiores Germaniæ tractus profecti, Longobardis & Sueuis permixti in Italiam penetrârunt, & sui nominis vestigia in *Engelheim* Caroli Magni patria, *Ingolstadio*, *Englburg*, *Englerute* Germaniæ & *Angleria* Italiæ reliquisse creduntur. Quæ autem nominis sit ratio pronunciare non ausim. Facessat Angulus filius Humbli, & Angela regina, quos nostræ gentis fuisse conditores, blaterant inepti. Nec ab angulo nomen inditum arbitramur, quòd orbis sit angulus, vt trito illo versu astruitur.

Anglia terra ferax, & fertilis angulus orbis,
Insula prædiues quæ toto vix eget orbe.

Nec Goropij coniectura fidem, sed potiùs risum meretur, qui *Anglos*, ab *Angle* .i. *arundine*, vel *hamo piscatorio* deducit, quòd, vt inquit ille, omnia sibi adhamarent, & fuerint, vt nos loquimur, *Good Anglers*, .i. *Boni hamatores*. Sed qui Engelberti, Engelhardi, & eiusmodi Germanicorum nominum etymologiam videt, fortassè etiam Anglorum notationem viderit. Frisones etiam in Britanniam vnà peruenisse ex Procopio videri possint. Locum verò integrum cùm liber non extet, hic proponere non grauabor, vti mihi descripsit è regia Bibliotheca Lutetiæ Franciscus Pithæus, vir optimus & totius antiquitatis longè peritissimus. Βριτίαν τὴν νῆσον ἔθνη τρία πολυανθρωπότατα ἔχουσι. βασιλεύς τε εἷς αὐτῶν ἑκάστῳ ἐφέστηκε, καὶ ὀνόματα κεῖται τοῖς ἔθνεσι τούτοις, Ἄγγιλοι, καὶ Φρίσσονες, τε οἱ νήσῳ ὁμώνυμοι Βρίττονες. Τοσαύτη δὲ ἡ τῶν ἐθνῶν πολυανθρωπία φαίνεται οὖσα, ὥστε ἀνὰ πᾶν ἔτος κατὰ πολλοὺς ἐνθένδε μετανιστάμενοι ξὺν γυναιξὶ, καὶ παισὶν εἰς Φράγγους χωροῦσι: οἱ δὲ αὐτοὺς ἐνοικίζουσι ἐς γῆς τῆς σφετέρας τὴν ἐρημοτέραν δοκοῦσαν εἶναι. καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν νῆσον προσποιεῖσθαι φασίν. ὥστε ἀμέλει οὐ πολλῷ πρότερον ὁ Φράγγων βασιλεὺς ἐπὶ πρεσβείᾳ τῶν οἱ ἐπιτηδείων τινὰς παρὰ βασιλέα Ιουστινιανὸν ἐς Βυζάντιον στείλας ἄνδρας, αὐτοῖς καὶ τῶν Ἀγγίλων ξυνέπεμψε φιλοτιμούμενος, ὡς καὶ ἡ νῆσος ἥδε πρὸς αὐτοῦ ἄρχεται. id est, vt crassiùs conuertam. *Britanniam insulam tres numerosissimæ gentes incolunt, quorum vnicuiq; suus rex imperat, nominantur hæ gentes Angili, Frisones, & qui eiusdem sunt cum insula cognominis Britones. Tanta verò hominum multitudo esse videtur, vt singulis annis inde magno numero cum vxoribus & liberis ad Francos emigrent, illi autem in eorum terram quæ maximè deserta videtur, excipiunt, vnde insulam sibi vendicare ferunt: vtiq; non ita pridem, cùm Francorum rex quosdam è suis Constantinopolim ad Iustinianum legaret, Anglos etiam misit ambitiosiùs venditans, quasi hæc insula suo subesset imperio.*

De bello Gothico lib. 4.

Saxones, Angli & Iuta vna gens.

Hi sunt Germaniæ populi qui Britanniam occupârunt, quos vnam gentem fuisse communiq; nomine nunc Saxones, nunc Anglos, & Anglo-Saxones ad differentiam eorum in Germania, vocatos ex Gilda, Beda, Bonifacio, Paulo Diacono, & alijs verissimè colligatur: sed frequentissimè *Gens Anglorum* Latinè, & sua ipsorum linguâ, quod idem valet, *Engla-theod* dicta.

Anglo-Saxones quando in Britanniam venerint.

De tempore quo in Britanniam intromissi fuerint à Vortigerno, variant scriptores, sed omissis alijs, Beda & qui eum sequuti sunt, confusissimorum horum temporum hanc ineunt rationem.

Anno Theodosij iunioris vicesimo tertio, Christi 430. Britanni à Pictis & Scotis oppressi, ab Ætio III Consule auxilium frustrà implorant.

Sub Valentiniano III. S. Germanus semel atque iterùm in Britanniam contra Pelagianos aduenit, fusisque ad Deum precibus Britannos contra Pictos & Saxones ducens, pro ijs victoriam reportat.

Anno Martiani primo, Christi autem 449. Anglo-Saxonum gens Britanniam aduehitur.

Baronius.

Cùm tamen ex fastis Consularibus constat, tertium Ætij consulatum in XXXIX. Theodosij illius, & Christi 446 annū incidisse, & ex probatissimis authoribus Germanum obiisse anno salutis 435: non immeritò suspicari licet numeros apud Bedam fuisse corruptos, Saxonesq; huc intromissos fuisse ante annum salutis 449. Aliter qui fieri potuit vt S. Germanus qui obijt 435. duceret Britannos in Saxones cùm nondum aduenissent? Ninnius etiam scribit Beatum Germanorum *reuersum esse è Britannia in patriam post mortem Vortigerni*, qui Saxones in Britanniam suscepit, vt necessariò eorum aduentus præcesserit

rit annum 435. qui S: Germano fuit vitæ vltimus. Itidem ad annum secundum postquam Leo Magnus Pontifex creatus, qui fuit Christi 443. Prosper Tiro qui tunc vixit, scribit *Britannias post varias clades in Saxonum potestatem fuisse redactas*, vt proculdubio ante tempus illud, annum scilicet Christi 449. aduenerint. Sed omnes hac in re scrupulos tollat hæc vna supputationis notula adiuncta nonnullis Ninij exemplaribus, quæ mihi instar omnium.

*A duobus Geminis * Rufo & Rubellio vsq; ad Stiliconem Consulem 373. anni.* * Lege Fusio.

Item à Stilicone vsq; ad Valentinianum filium Placidiæ, & regnum Vortigerni 28. anni.

A regno Guortigerni vsq; ad discordiam Guitolini & Ambrosij anni sunt 12. quod est Guoloppum .i. Cathguoloph.

Vortigernus autem tenuit imperium in Britannia Theodosio, & Valentiniano Coss. & in quarto anno regni sui Saxones Britanniam venerunt, & a Vortigerno suscepti sunt Fœlice & Tauro Consulibus.

*Ab anno quo Saxones venerunt in Britanniam, & a Vortigerno suscepti sunt, vsque ad * Decium Valerianum anni sunt 69.* *Alibi Decius Paulinus.

Ratione igitur ita subducta aduentus Anglo-Saxonum in Britanniam fuit anno Theodosij iunioris 21. quod proximè ad Bedæ calculum accedit, salutis nostræ 428. tunc enim Fœlix & Taurus consulatum gesserũt, & omnia personis & temporibus vndiq; cohærent. Hoc etiam admonere libet, sed Criticum non agam, in Gildę exemplaribus plurimis, vnde Beda illud de Ætio desumpsit, legi *Agitio 111 Consuli*, alijs sine numeri adiectione. *Aegitio*, & in vno *Aequitio Cos.* sed ad hoc tempus nullum ego eo nomine Consulem in Fastis video, nisi Consulem extraordinarium fuisse opinemur.

Quocunq; sane tempore venerint, singularem animi altitudinem cum prudentia coniunctam ostenderunt. Breui enim tempore eorum res ciuibus, moribus, agris ita adoleuit, vt prosperrima atq; pollentissima fuerit, eorumq; victoria quodammodo plena & absoluta. Victi etenim omnes in gentem, leges, nomen, linguamque vincentium, præter pauculos quos locorum asperitas in occiduo tractu tutata est, concesserunt. Nam præter Angliam pars longè maxima Scotiæ ab Anglo-Saxonibus occupata (*Sassones* enim syluestribus & veris Scotis etiamnum vocantur) eadem qua nos lingua, dialecto parum variata, vtitur. Quam nos cum illis annos iam 1150. quodammodo illibatam, simulq; regionis possessionem conseruauimus. Vt vanum falsumq; comprobetur (vt id genus alia) quod Saxonum vates cecinerunt, cùm in hanc insulam vela panderent, eos tantùm tercentum annos insessuros, centùm vero & quingentis eorum sæpius vastaturos. Res & locus nunc postulare videntur vt de priscis Saxonum maiorum nostrorum moribus aliquid attexatur, & attexam sane quæ obseruaui. Saxonum victoria. Gildas.

Natio hæc omnis Saxonica erat bellicosissima, *animi magnitudine, corporis viribus, laborum tolerantiâ, Germanorum fortissimi habiti*, vt inquit Zosimus. *Romanis maximè formidati, quia repentini*, vt habet Marcellinus. *Virtute & agilitate terribiles*, vt inquit Orosius. *Saxonia inaccessa paludibus, & inuijs septa regionibus. Quæ licèt belli curam videatur augere, & ipsa frequenter accessit Romanis triumphis captiua, validissimum genus hominum perhibetur, præstans cæteris in piraticis, tamen mioparonibus non viribus nititur, fugæ potiùs, quàm bello parata.* Vt prodit Egesippus. Quem Isidorus sequutus. *Saxonum gens in Oceani maris littoribus & paludibus inuijs sita, virtute atque agilitate habilis. Vnde & appellata, quòd sit durum & validissimum genus hominum, & præstans cæteris piraticis.* Homines statura procera, membrorum compositione, & lineamentorum conformatione conspicui. Vnde Witichindus Monachus de his Saxonibus. *Mirati sunt Franci præstantes corpore & animo viros, & nouum habitum, arma quoque & diffusas scapulas cæsarie, & supra omnia ingentem animi constantiam. Vestiti erant sagis & armati longis lanceis, & subnixi stabant paruis scutis, & cultellos magnos ad renes habebant.* Anteà tamen capillos ad cutem tondere nisi circa verticem, & lamina caput incingere solebant, quod his versibus docet Sidonius Apollinaris. Saxonum mores. Lib. 9. cap. 2. Originum.

Istic Saxona cærulum videmus
Adsuetum antè salo solum timere,
Cuius verticis extimas per oras
Non contenta suos tenere morsus

Altat

Altat lamina marginem comarum,
Et sic crinibus ad cutem recisis,
Decrescit caput, additurque vultus.

Quòd ad vestimenta attinet, ex his Pauli Diaconi de Longobardis intelligas, *Vestimenta erant laxa, & maxime linea, qualia Anglo-Saxones habere solent, ornata institis latioribus vario colore contextis.*

Rei maritimæ peritissimi erant, qui diu ita piraticam fecêrunt, vt assueti salo solum, vti ait ille, timerent: & ita maritima Britanniæ, & Galliæ vsque ad Hispaniam afflixêrunt, vt dispositi fuerint per vtriusque regionis littora duces & milites ad eorum deprædationes coërcendas, qui inde *Comites littoris Saxonici per Britanniam, & Galliam*, dicti fuerint. Illi nihilominùs sæpissimè has oras vitilibus suis myoparonibus deprædati sunt. Quo spectant illi Sidonij Apollinaris versus.

Littora Saxonica.

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
**Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum*
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.

* al. Timebat.

Imò in Gallia iuxta Armoricam in Baiocassis regionem occupârunt, diuq; tenuerunt, vt videre est apud Gregorium Turonensem qui eos Saxones Baiocassinos, vt vulgus *Sesnes Bessins* nuncupauit.

Saxones Baiocassini.

Quanta immanitate per hæc littora grassati sunt, audi, si placet, ipsum Sidonium. *Nuncius*, inquit, *cum quo dum tui obtentu aliquid sermocinantèr extraximus, constanter asseuerauit nuper vos classicum in classe cecinisse, atque inter officia nunc nautæ, modo militis, littoribus Oceani curuis inerrare contra Saxonum * pandos myoparones. Quorum quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas: ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt latrocinari, vt nunc etiam, vt quamplurimum caueas, causa subsit maxima monendi. Hostis est omni hoste truculentior. Improuisus aggreditur, prouisus elabitur, spernit obiectos, sternit incautos; si sequatur intercipit, si fugiat, euadit. Ad hoc exercent illum naufragia, non terrent. Est eis quædam cum discriminibus pelagi non notitia solùm, sed familiaritas. Namque ipsa si qua tempestas est, hinc securos efficit occupandos, hinc prospici vetat occupaturos. In medio fluctuum scopulorumq; confragosorum, spe superuentus læti periclitantur. Prætereà priusquam de continenti in patriam vela laxantes, hostico mordaces anchoras vado vellant, mos est remeaturis, decimum quemque captorum per æquales, & cruciarias pœnas, plus ab hoc tristi, quòd superstitioso ritu necare, subque collectam turbam periturorum, mortis iniquitate sortis æquitatem dispergere. Talibus se ligant votis, victimis soluunt, & per huiusmodi non tam sacrificia purgati, quàm sacrilegia polluti, religiosum putant cædis infaustæ perpetratores de capite captiuo magis exigere tormenta, quàm pretia.* Huc & illud ex antiquæ historiæ apud Isidorum fragmento referri possit. *Gens Saxonum Myoparonibus, non viribus nituntur, fugæ potiùs, quàm bello parati.* Et hoc Saluiani qui tunc vixit de barbaris gentibus, *Alanorum gens impudica, sed minùs perfida, Franci mendaces, sed hospitales, Saxones crudelitate efferi, sed castitate venerandi.* Ea verò animi firmitate erant (si fas sit ita vocare) vt sibi mortem potiùs inferre, & vitam proijcere, quàm ludibrio esse maluerint. Vnde cùm Symmachus horum numerum in spectacula publica parauisset; eo die, quo in theatrum educi debuerant, faucibus fractis spem exhibendarum voluptatum præripuerunt. De quibus ille ipse Symmachus, *Saxonum numerus morte contractus. Nam quando non prohibuisset priuata custodia desperatæ gentis impias manus, viginti & nouem fractas sine laqueo fauces primus ludi gladiatorij dies viderit.*

Lib. 8. Epist. ad Namantium.

* Curuis.

l. 2. Epist. 46.

Superstitionibus etiam admodum dedita fuit hæc Saxonum natio, atq; eam ob caussam cum de rebus grauioribus consulerent, præter aruspicinam, equorum hinnitus tanquam præsagia inprimis obseruabant, vnde fortasse fit, quòd equum olim in insignibus gesserint Saxoniæ duces. At cur Hengistus, & Horsa nostri ab equo nomen duxerint (vtriusq; enim nomen Saxonicè equum significat) planè me latet, nisi in bellicæ virtutis omen, iuxta illud Maronis *Bello armantur equi, bella hæc armenta minantur.* Sortibus etiam ducendis multi erant, virgam enim fructiferæ arbori decisam, in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem fortuitò spargebant. Mox si publica fuerit consultatio, sacerdos populi, si priuata, paterfamilias precatus Deos, cœlumque suspiciens ter singulos tulit, sublatos secundam impressam antè notam interpretabantur.

Equus insigne Saxonum.

Hæc Adamus Bremensis Saxonibus adscribit, quæ Tacitus Sueuis.

terpretabantur. Vt bellorum euentum explorarent, gentis, cui bellum indicerent, captiuum cum electo popularium suorum, patrijs quemque armis committere solebant, & ex victore, quæ gens victoriam reportaret, coniectare. Deum Mercurium maximè coluerunt, quem *Wooden* vocarunt, cui humanis hostijs litarunt, & quartam hebdomadæ feriam consecrarunt, vnde *Wednesday* nobis hodie appellatur, vt sextam Veneri, quam *Frea* & *Frico* dixerunt, vnde dies Veneris nobis *Friday* nominatur, vti *Tuesday* à Tuiscone Germanicæ gentis conditore. *Eoster* etiam Deam habuerunt cui mense Aprili sacrificarunt, vnde Aprilem, inquit Beda, *Eoster Monath* vocarunt, & nos Paschatis festum etiamnum *Eoster* vocamus. *In commune*, vt inquit Tacitus, *Angli & aliæ vicinæ gentes* Herthum.i. *terram matrem coluerunt, eamq; interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrati sunt:* Nobisque hodie illa ipsa dictio in vsu est pro terra, Germanis verò inusitata qui *Arden* pro terra vsurpant. De his superstitionibus Ethelwerdus ille de suo tempore scribit, *In tanta seductione oppressi sunt Aquilonares increduli, vt Woodan sicut Dominum colunt in hodiernum diem Dani, Normanni, & Sueui*, & alibi, *Woodan barbari vt Deum honorârunt, sacrificiumque obtulerunt pagani victoriæ causâ, siue virtutis.*

Dij Saxonum.
Wednesday.
Fryday.
Tuesday.
Eoster dea.
De temporibus.
Herthus Dea.
Earth.

Sed hæc pleniùs Adam Bremensis. *In templo (Vbsola patrio sermone vocato) quod totum ex auro paratum est, statuas trium deorum veneratur populus: ita vt potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium, hinc & inde locum possident Wodan & Fricco. Quorum significationes eiusmodi sunt, Thor, inquiunt, præsidet in aëre qui tonitrus & fulmina, ventos, imbresq;, serena, & fruges gubernat: alter Wodan, id est fortior, bella gerit, hominumq; ministrat virtutem contra inimicos. Tertius est Frico pacem voluptatemq; largiens mortalibus, cuius etiam simulachrum fingunt ingenti Priapo. Wodan verò sculpunt armatum sicut nostri Martem sculpere solent. Thor autem cum sceptro Iouis exprimere videntur.* Sed hos errores fugauit tandem Christianæ religionis veritas.

Thursday.

Postquam hi iam in Britanniæ possessione pedem firmassent, in septem regna distribuerunt, Heptarchiamque constituerunt, in qua tamen qui plurimùm poterat, *Rex gentis Anglorum*, vt est apud Bedam, dicebatur, vt Monarchiam in ipsa Heptarchia semper fuisse videatur. Deinde Augustinus, quem vulgò Anglorum Apostolum dicunt, huc missus a Gregorio Magno, sublatis Ethnicæ impietatis portentis, fœlicissimo successu Christum in ipsorum animis inserendo ad Christianam fidem conuertit. Qua ex caussà tam sedulam erga salutem gentis Anglorum curam gesserit Gregorius, ex traditione maiorum, Venerabilis Beda his verbis retulit. *Dicunt quòd die quadam cùm aduenientibus nuper mercatoribus multa venalia in forum fuissent collata, multiq; ad emendum confluxissent, & ipsum Gregorium inter alios aduenisse, ac vidisse inter alia pueros venales positos, candidi corporis, ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia, Quos cùm aspiceret, interrogauit (vt aiunt) de qua regione vel terra essent allati? dictumq; est quòd de Britannia insula, cuius incolæ tales essent aspectu: Rursus interrogauit, vtrùm ijdem insulani Christiani, an paganis adhuc erroribus essent implicati? Dictumq; est quòd essent Pagani: At ille intimo ex corde longa trahens suspiria, Heu, proh dolor inquit, quòd tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet, tantaq; gratia frontis conspicui mentem ab interna gratia vacuam gestant. Rursus ergo interrogauit, quod esset vocabulum gentis illius? Responsum est, quod Angli vocarentur. At ille, bene, inquit. Nam & angelicam habent faciem, & tales angelorum in cælis decet esse cohæredes. Quod (ait) habet nomen ipsa prouincia, de qua isti sunt allati? Responsum est, quod* DEIRI *vocarentur ijdem prouinciales. At ille, inquit,* DEIRI, *de ira eruti, & ad misericordiam Christi vocati. Rex prouinciæ illius quomodo vocatur? Responsum est, quòd* ÆLLE *diceretur. At ille alludens ad nomen, ait, Alleluia in laudem Dei creatoris illis in partibus oportet cantari. Accedensq; ad Pontificem Romanæ & Apostolicæ sedis (nondum enim erat ipse pontifex factus) rogauit vt genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi ministros, per quos ad Christum conuerteretur, mitteret, seipsum paratum esse in hoc opus, Domino cooperante, perficiendum, si tamen Apostolico Papæ, hoc vt fieret, placeret.*

Monarchia semper in Anglorum Heptarchia.
Lib.2.cap.5.
596
Augustinus Anglorum Apostolus.
Angli ad fidem conuersi.
Lib.2.cap.1.
Hol-Deir-wss.

De hac conuersione Gregorius ille Magnus, *Ecce penè cunctarum iam gentium corda penetrauit: Ecce in vna fide Orientis limitem Occidentisq; coniunxit. Ecce lingua Britannica quæ nil aliud nouerat quàm barbarum frennere, iamdudum in diuinis laudibus Hebræum cæpit Halleluia resonare.* Et in epistola ad ipsum Augustinum. *Quis narrare hic sufficiat,*

quanta lætitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quòd gens Anglorum operante omnipotentis Dei gratia, & tua fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris sanctæ fidei luce perfusa est, quòd deuotione integerrima iam calcat idola, quibus prius vesano timore subiacebat. In antiquo etiam fragmento eius ætatis legitur. *Augustinus in vna Dominicæ natiuitatis die qua vniuersa Anglorum gloria perpetuò celebratur, plus quàm decem millia virorum præter innumerabilem multitudinem fœminarum ac paruulorum vitali baptismate regenerauit. Quæ verò sacerdotum, aliorumue sacrorum ordinum copia ad tantum populum abluendum suffecerit? benedicto itaq; fluuio Anglicè Swala nuncupato, iubet summus pontifex per præcones & magistros omnes binos & binos confidenter ingredi, & in trino deitatis nomine alium ab alio vicissim baptizari. Sicq; omnes renati non minori miraculo quàm quondam populus Israel diuisum mare itemq; Iordanem retrò conuersum transierat in alteram ripam, sic transpositi in tam profundo gurgite, in tanto tamq; diuerso sexus & ætatis examine, (nemo putabit,) nemo læditur. Magnum hoc erat miraculum. sed hoc magnum maiori eminentia superatur, cùm omnis debilitas & infirmitas in illo amne deponitur, omnis languidus & deformatus sanus & reformatus egreditur. O festiuum spectaculum Angelorum & hominum, cùm tot millia candidatæ gentis ex vnius fluminis alueo, velut ex vnius genitricis aluo prodirent, & de vno stagno tanta progenies in supernam ciuitatem nasceretur Olympo! Hinc serenissimus papa Gregorius cum omnibus supernorum contubernijs erumpens in gaudia, non tulit hoc reticere, Sancto Patriarchæ Alexandriæ Eulogio scripsit gratissimè congratulaturo, de tanto exercitu in vna natalis domini die baptizato.*

Swala fl. in Comitatu Eboracensi.

De Paulino Archiepiscopo Eboracensi, non de Augustino hæc refert Beda.

Religio Anglorum.

Statim ac Christi nomen annuntiatum est, adeò flagranti studio se Christo consecrârunt Angli, vt incredibilem diligentiam Christi nomine propagando adhibuerint Christianæ pietatis munijs obeundis, ædibus sacris extruendis, ijsdemq; locupletandis; adeò vt nec alia Christiani orbis regio plura numerârit opulentè ditata monasteria. Reges etiam nonnulli sua sceptra religiosæ vitæ postposuerunt. Totq; sanctos viros protulit qui ob firmissimam Christianæ religionis professionem, solidissimam in eadem constantiam, synceramq; pietatem in sanctorum numerum relati fuerunt, vt non alteri inter Christianos prouinciæ hac in parte cederet: vtq; Britannia prophano illi Porphyrio dicta fuerit *ferax tyrannorum prouincia*, ita Anglia meritò diceretur *Insula sanctorum fœcundissima.*

Ad meliores etiam artes instaurandas animum adiunxerunt, & diuini verbi, nec non literarum semina per Germaniam opera Winifridi, Willebrodi, & aliorum proseminarunt, quod Germanus Poeta his versibus docet.

Doctrina Anglorum.

Hæc tamen Arctois laus est æterna Britannis,
Quòd post Pannonicis vastatum incursibus orbem,
Illa bonas artes, & Graiæ munera linguæ,
Stellarumq; vias, & magni sydera cœli
Obseruans, iterum turbatis intulit oris.
Quin se relligio, multum debere Britannis
Seruata, & latè circum dispersa fatetur:
Quis nomen Winfride tuum, quis munera nescit?
Te duce, Germanis pietas se vera, fidesq;
Insinuans, cœpit ritus abolere profanos.
Quid non Alcuino facundo Lutetia debes?
Instaurare bonas ibi qui fœliciter artes,
Barbariemq; procul solus depellere cœpit.
Quid? tibi diuinumq; Bedam, doctissimus olim
Tam varias vnus bene qui cognouerat artes
Debemus.

Britannia bis Galliæ magistra.

Additq; P. Ramus Britanniam bis Galliæ fuisse magistrã, per Druidas innuens, & Alcuinum, cuius inprimis opera vsus est Carolus Magnus in Parisiensi Academia instituenda.

Anglo-Saxonum in Germaniam remigratio.

Nec minus arma, quàm literas, & religionem in Germaniam intulerunt; & quod mireris, [illegible]xonibus illis qui Ducatum Saxoniæ incolunt, originem dederunt, si his Eginhard[illegible] [illegible]bis credamus. *Saxonum gens, sicut tradidit antiquitas, ab Anglis Britanniæ incolis egressa, per Oceanum nauigans Germaniæ littoribus, studio & necessitate quærendarum sedium, appulsa est in loco qui vocatur Haduloha. Eo tempore, quo Theodericus Rex Francorum*

corum

eorum contra Hirminfridum Ducem Thuringorum generum suum dimicans, terram eorum crudeliter vastauit ferro & igne. Et quum iam duobus prælijs ancipiti pugna, incertaq; victoria miserabili cæde suorum decertâssent, Theodericus spe vincendi frustratus, misit Legatos ad Saxones, quorum Dux erat Hadugato, & vt audiuit caussam aduentus eorum, pollicitis pro victoria cohabitandi sedibus, conduxit in adiutorium. Quibus secum quasi iam pro libertate & patria fortiter dimicantibus, superauit aduersarios, vastatisq; indigenis, & ad internecionem penè deletis, terram eorum iuxta pollicitationem suam, victoribus delegauit. Qui eam sorte diuidentes, cùm multi ex eis in bello cecidissent, & pro raritate eorum, tota ab eis occupari non potuit, partem illius, maximè eam quæ respicit orientem, colonis tradebant, singulis pro sua sorte, sub tributo exercendam; cætera verò loca ipsi possiderunt. A meridie quidem Francos habentes, & partem Thuringorum, quos præcedens hostilis turbo non contigit, alueoq; fluminis Vnstrote dirimuntur; A Septentrione verò Normannos gentes ferocissimas; ab Ortu solis Obotritos; ab Occasu Frisos, à quibus sine intermissione, vel fœdere vel concertatione necessaria finium suorum spacia tuebantur. Sed ad nostros iam reuertamur.

Diu florentissima res erat Saxonica sub illa Heptarchia, donec regna illa intestinis bellis collisa in Occiduorum Saxonum potestatem tandem concesserint. Egbertus enim Occiduorum Saxonum rex quatuor ex his regna victoria complexus, cùm reliqua etiam duo spe deuorasset, vt quæ in vnius imperium deuenissent, in vnum item nomen coirent, & suæ gentis memoriam conseruaret, Heptarchiam, quam occupârunt Saxones, promulgato edicto Englelond vocari iussit, .i. *Anglorum terra*. Vnde Latinè ANGLIA dicta ab Anglis facta appellatione, qui ex tribus his populis erant numerosissimi, & fortissimi. Illi enim Northumbriam & Merciam amplissimas regiones, cum Orientali Anglia occupârunt, quum Iutarum progenies solummodò Cantium, & Vectam insulam, & Saxones Saxoniam Orientalem, Australem, & Occidentalem tenuerint; exiguam sanè portionem, si ad amplas illas Anglorum regiones conferatur. A quibus longo iam anteà tempore in vniuersum Angli, & sua lingua *Englatheod, Anglcynne, Englcynne, Englisemon* dicti fuerunt, licèt quodlibet in ea regnum suo seorsim gaudebat nomine. Hoc verò cùm ex alijs, tùm ex Beda constat, qui historiam suam *Gentis Anglorum historiam inscripsit*. Atq; in Heptarchia, illi Principes qui cæteris dominabantur, *Gentis Anglorum Reges* fuerunt appellati. Tunc temporis Britanniæ nomen obliteratum inter huius insulæ incolas iacuit, & tantùm in libris, non vulgari vsu superfuit; vnde hac nostra patria à Bonifacio Episcopo Moguntinensi qui hinc oriundus *Transmarina Saxonia* appellatur. Eadredus tamen Rex circa annum 948 *Magnæ Britanniæ Regis*, vt Eadgarus circa annum 970. etiam *Totius Albionis Monarchæ* nomine & titulo in quibusdam Diplomatibus sunt vsi.

England. *Circa annum 800.* *Theod. i. Natio.* *Epist. ad Zachariam PP.*

Iam cùm Anglia diceretur, ad summum res Anglorum peruenerat, & ideò, vt circulus est mortalium, ad exitum properabat. *Dani* etenim complures annos littora nostra continuò infestantes, tandem miserrimè hanc regionem dilaniare cœperunt.

ANGLO-SAXONVM NOMINA.

IN animo erat hic seriem & successionem Regum Anglo-Saxonum cùm in Heptarchia, tùm in Monarchia subiunxisse, verùm cum huius loci non videantur, & nuda nominum congeries minùs grata videretur: gratiùs fortasse erit si quod de vi, ratione, & significatione nominum ipsorum multa legendo præcipuè in Alfrico nostro Grammatico obseruârim, pauculis attexerem. Non vt singula interpreter, hoc multi esset laboris, & in aliam linguam non facilè transfundi possunt barbara eiusmodi nomina, quibus inest magna emphasis, succincta breuitas, & nonnihil ambiguitatis. Verùm cùm pleraque illorum sunt composita, & ex paucis quidam simplicibus: simplicia illa explicabo, vt compositorum significationes quæ omnia fausta, votiua, & boni erant ominis, magis elucescant, & eam esse quam Plato dixit Orthotetem nominum, apud nationes vniuersas peruideamus.

Porphyrius de Theolog. Phœnicum.

AEL. EAL & AL. in compositis nominibus, vti Παν in Græcorum compositis Omne vel Omninò significat. Hinc *Aelwin*, Omninò victor, *Albert*, Omninò illustris, *Aldred*, Omninò reuerendus, *Alfred*, Omninò pacificus. Quibus quodammodo respondent Pammachius, Pancratius, Pamphilius &c.

Aelf, Vlf, &c. Aelf quod pro dialectorum varietate effertur *Vlf*, *Wolph*, *Hulph*, *Hilp*, *Helfe*, & hodiè *Helpe*; auxilij habet significationem, vt *AElfwin*, Auxilium victoriosum, *Aelfwold*, Auxiliaris Gubernator. *Aelfgiua* Auxilij datrix: quibus consona sunt Boetius, Symmachus, Epicurus &c.

Ard. Ard. Indolem significat, vt *Godard*, Diuina indoles, *Reinard*, Syncera indoles, *Giffard*, Larga & liberalis indoles, *Bernard*, Filialis indoles, &c.

Athel & Ethel. Athel, *Adel*, & *Ethel*, Nobilis. sic *Æthelred*, Nobilis consilio, *Æthelard*, Nobilis indoles, *Ethelbert*, Nobilis illustris, *Ethelward*, Nobilis conseruator.

Bert. Bert, idem quod nobis hodie *Bright*, Latinis Illustris, & clarus: sic *Ecbert*, Æternùm illustris, *Sigbert*, Victor illustris, vt quæ Bertha Germanis, Eudoxia Græcis, (Luitprando teste) appellata fuit. Et huius sortis erant illa Phædrus, Epiphanius, Photius, Lampridius, Fulgentius, Illustrius.

Bald. Bald Septentrionalibus gentibus idem esse quod Latinis *Audax* docet Iornandes, & adhuc non exoleuit. Sic *Baldwin*, & inuersè *Winbald*, Audax victor, *Ethelbald*, Nobilis audax, *Eadbald*, Fœliciter audax: quibus consonant Thraseas, Thrasimachus, Thrasibulus &c.

Ken, & Kin. Ken, & *Kin*, Cognatos denotat, vt *Kinulph*, Cognatis auxilium, *Kinhelm*, Cognatis defensor, *Kinburg*, Cognatis munimen, *Kinric*, Cognatis potens.

Cuth. Cuth. Scientiæ & peritiæ habet significationem: sic *Cuthwin*, Peritus victor, *Cuthred*, Peritus Consiliarius, *Cuthbert*, Ob peritiam illustris, quibus adsonant Sophocles, Sophianus, &c.

Ead. Ead in compositis, & in simplicibus *Eadig*, fœlicitatem & beatitudinem denotat. Sic *Eadward*, Fœlix conseruator, *Eadulph*, Fœlix auxilium, *Eadgar*, Fœlix potestas, *Eadwin*, Fœlix victor, quibus non abludunt Macarius, Eupolemus, Faustus, Fortunatus, Fœlicianus, &c.

Fred. Fred idem quod Pax sonat, vt Asyla dicta fuerunt maioribus *Fredstole*. i. Pacis cathedræ. ita *Frederic*, Pace potens, vel opulentus, *Winfred*, Victoriosa Pax, *Reinfred*, Syncera Pax.

Gisle. Gisle Anglo-Saxonibus obses fuit appellatus, vt *Fredgisle* Pacis obses, *Gislebert*, illustris obses. vti apud Græcos Homerus.

Hold. Hold in antiquis Glossarijs perinde vt *Wold*, interpretatur Gubernator, & summus præfectus, etiam alibi Amor, vt *Holdlic* Amabilis.

Helm. Helm Defensionem sonat, vt *Eadhelm*, Fœlix defensio, *Sighelm*, Victrix defensio, *Berthelm*, Illustris defensio; iuxtà ac illa Græcorum, Amyntas, Boetius, &c.

Hare & Here. Hare, & *Here* variè elata & Exercitum, & Dominum denotauerunt, sic *Harhold*, Exercitus præfectus, *Hareman*, Primarius in exercitu, *Herebert*, Exercitu præclarus, *Herwin*, Exercitus victor; non dissimilia Græcis illis, Stratocles, Polemarchus, Hegesistratus, &c.

Hild. *Wiga.* Hild in Alfrici Grammatica Heros & Heroina exponitur; sic *Hildebert*, Heros illustris, *Mathild*, virgo Heroina; & *Wiga*, eodem sensu reperitur.

Leod. Leod, .i. populus. sic *Leodgar*, Potens apud populum.

Leof, Amorem significat, sic *Leofwin*, Amoris conciliator, *Leofstan* charissimus; vti illa Agapetus, Erasmus, Erastus, Philo, Amandus.

Mund. Mund, Pax, vnde Iurisconsultis nostris *Mundbrech*, Pacis infractio. sic *Eadmund*, Fœlix Pax, *Aethelmund*, Nobilis Pax, *Aelmund*, Totus pacificus: quibus ferè æquipollent Irenæus, Hesychius, Lenis, Pacatus, Sedatus, Tranquillus &c.

Rad, Red & Rod. Rad, *Red*, & *Rod*, pro varietate dialectorum designant Consilium; vt *Conrad*, Potens, vel peritus consilio, *Ethelred*, Nobilis consiliarius, *Rodbert*, Illustris consilio, & non dissimili sensu Eubulus, Thrasibulus, &c.

Ric. Ric, Potentem, opulentum, fortem denotare Fortunatus his versibus docuit.

Hilperice potens, si interpres barbarus adsit
Adiutor fortis hoc quoq; nomen habet.

Vti *Alfric*, Omninò fortis, *Athelric*, Nobilis fortis, aut potens, quibus adludunt Polycrates, Crato, Plutarchus, Opimius.

Sig. Sig in vsu illis erat pro victoria, vnde *Sigbert*, ex victoria clarus, *Sigward*, Victoriosus

sus conseruator, *Sigard*, Victrix indoles, & eodem fere sensu, Nicocles, Nicomachus, Nicander, Victor, Victorinus, Vincentius, &c.

STAN, antiquis illis fuit superlatiui gradus terminatio, sic *Athelstan*, Nobilissimus, *Betstan*, Optimus, *Leofstan*, Charissimus, *Wistan*, Prudentissimus, *Dunstan*, Celsissimus. *Stan.*

WI. Sacer, sic *Wimund*, Sacra pax, *Wibert*, Sanctitate clarus, *Alwi*, Omninò sanctus: vt Hierocles, Hieronymus, Hosius, &c. *Wi.*

WILLI, & *Vili* Anglosaxonibus, vt *Bills* hodie Germanis plurium habuit significationem: sic *Willielmus*, Pluribus defensor, *Wildred*, Plurimis verendus, *Wilfred*, Plurimis pax: quibus sensu & significatione accedunt Polymachus, Polycrates, Polyphilus, &c: *Willi.*

WOLD, & *Wald* præfectum, siue gubernatorem illis denotauit, vnde *Bertwold*, Illustris gubernator, *Ethelwold*, Nobilis gubernator, *Herwald*, & inuersè *Waldher*, Exercitus præfectus. *Wald.*

Sed manum iam de hac tabula, cùm alijs, non minùs ac mihi hæc in re leuicula sint plus nimio.

Grauius fortasse erit, si posteris (modò hæ chartæ victuræ sint) prodam quod nos vidimus, scilicet vt Egbertus hanc citeriorem & suam Britanniæ partem ANGLIAM iussit nominari; ita iam annis 800. plùs minùs transactis: dum hæc recognoscimus, R. Iacobus totius insulæ Monarchiam propitio numinis fauore, & hæreditario iure, bonis omnibus applaudentibus, adeptus, vt hæc insula quæ in se vna existit, vno Oceani ambitu circumconscripta, in vna eius perso na sub vno diademate, vna linguæ, religionis, legum, & iuris formularum communitate; ad perennis fœlicitatis incrementum, & pristinæ inimicitiæ obliuionem vno etiam esset nomine: nomen, titulum, & stylum Regis MAGNAE BRITANNIAE sibi in omnibus, præterquam in iuris formulis, anno regni secundo edicto per regna publicato assumpsit. *Britanniæ nomen renouatum*

DANI.



Væ Danorum fuerit origo, ne Danis quidem ipsis satis constat, DANVM enim illum Gigantem Humbli filium & Goropium qui à Gallo gallinaceo deducit, ex antiquitatis scholà ipsa veritas iampridem explosit. Andreas Velleius Danus vir literatissimus à Dahis Scythiæ populo, & à *Marc* quæ non limitem sed regionem significet, repetit; Ethelwerdus noster à *Donia* vrbe nomen factum credidit. A Dancionibus, quos in Scandia statuit Ptolemæus & Dauciones literula mutata in nonnullis exemplaribus dicuntur, ortos fuisse, & inde in desertas Anglorum sedes, in Cimbricam scilicet Chersonessum se exonerasse ego semper existimaui, donec eruditissimus, & cum iudicio in Antiquitatis studio versatissimus Ionas Iacobus Venusinus nominis Danorum vestigia expressa in sinu *Codano*, & *Codanonia*, quorum meminit hoc in tractu Pomponius Mela, solerti indagine deprehendisset. Quæ nomina à Septentrionalibus crassiùs elata *Cdan*, & *Cdanonum*, Mela in *Codanum*, & *Codanoniam* Latina incude efformauit, vt posteritas ex *Gdanum*, *Dansk*, ex *Clodoueo Lodouic*, ex *Knuto Canutum* molliùs procuderunt. Nec tamen ante Iustiniani Imper. tempora, circa annum salutis nostræ septuagesimum supra quingentesimum, eorum nomen orbi innotuit. Tunc enim Galliam vastare cœperant, & rerum Anglicarum Latinis historicis *Wiccingi* dicti sunt, quòd piraticam exercuerint: *Wiccinga* enim Saxonica lingua, teste Alfrico, Piratam denotat; & *Pagani*, quòd nondum Christo nomina dedissent: sed ipsi Angli sua lingua *Denisean*, & sæpe *Heathen-mon* quasi Ethnicos vocârunt. De his audi Dudonem de S. Quintino, authorem satis vetustum è I. Stowæi studiosissimi vrbis Londinensis Antiquarij bibliotheca, quæ mihi semper patuit. *Dani è Scanza*, .i. Scandia, *velut examen apum è canistro, & gladius è vagina, diuersitate multimoda, consuetudine barbarica prosiluerunt, cùm petulanti luxu exardescentes soboles innumeras generauissent. Qui postquàm adoleuerant, de rerum possessionibus contra patres, auosque, aut sæpiùs inter se ferociter obiurgati, exuberantes, & terram quam incolunt habitare non sufficientes: collecta sorte multitudine pubescentum, veterrimo ritu, in externa regna extruduntur nationum, vt adquirant sibi prœliando regna, quibus viuere possint. Cæterùm in* *Dani sæpe à nostris scriptoribus falsò vocantur.* *Da-hen.* *Thesi'us, de falsa qua pro Iustitia se vendicat.* *Wiccinga.*

 expletione

Danorum religio.
** Hinc dies Iouis nobis fortasse Thursday dictus.*

expletione uarum expulsionum atque exercituum sacrificabant olim venerantes * THUR *dominum suum, cui non aliquid pecudum atque pecorum, sed sanguinem mactabant hominum. Holocaustorum omnium putantes pretiosissimum, eò quòd sacerdote sortilego prædestinante, iuga boum vna vice diritèr icebantur in capite, collisóq; vnicuique singulari ictu sorte electo cerebro, sternebatur in tellurem, perquirebatúrque leuorsum fibra cordis scilicet vena, cuius exhausto sanguine ex more suo, suorum capita linentes, librant celeriter nauium carbasa ventis, deosque tali negotio putantes placare, velociter nauium insurgunt remis.* Aliam etiam Deorum placandi rationem, vel potiùs contaminatissimam superstitionem, qua Dani vsi sunt, Ditmarus Episcopus, qui Dudone paulò antiquior, his verbis describit. *Sed quia ego de hostijs Northmannorum & Danorum antiquis mira audiui, hæc indiscussa præterire nolo. Est vnus in his partibus locus caput istius regni, Lederun nomine, in pago qui Selon dicitur, vbi post nouem annos mense Ianuarij, post hoc tempus, quo nos Theophaniam domini celebramus, omnes conueniunt, & ibi dijs suis* LXXXX *& nouem homines, & totidem equos, cum canibus & gallis pro accipitribus oblatis immolant, pro certo vt prædixi, putantes hos eisdem placaturos.*

Lib. 1.

Danica vastatio

Circa Egberti tempora, anno Christi 800. nostra littora primùm infestârunt, posteà mare cœlo miscentes, multos annos per Angliam grassati, vrbibus excisis, templis succensis, & agris vastatis omnia barbara immanitate egerunt, rapuerunt, verterunt. Merciorum, & Orientalium Anglorum regibus peremptis, eorum regna cum magna Northumbriæ parte occuparunt. Tributúmque *Dangelt* dictum misello populo ad horum latrocinia reprimenda impositum, quod, vt cuiusmodi fuerat intelligas, hæc paucula legas velim è legibus nostris antiquis descripta. *Danigeldi redditio propter piratas primitùs statuta est. Patriam enim infestantes, vastationi eius pro posse suo insistebant. Ad eorum quidem insolentiam reprimendam statutum est* Danigeldum *annuatim reddi, scilicet 12. denarios ex vnaquaque hida totius patriæ, ad conducendos eos qui piratarum irruptioni resistendo obuiarent. De hoc quoque Danigeldo libera & quieta erat omnis ecclesia, & etiam omnis terra quæ in proprio dominio ecclesiæ erat, vbicunque iacebat, nihil prorsus in tali redditione persoluens, quia magis in ecclesiæ confidebant orationibus, quàm in armorum defensionibus.*

Dangelt.

Verùm cùm Ælfredum Occidentalium Saxonum regem iam aggrederentur, ille nunc cedendo, nunc insistendo victricibus armis non solùm à suis repulit, sed etiam Danico Merciorum regulo interfecto, è Mercia ferè tota expulit, filiusque eius Edwardus Senior patris victorias persecutus, Orientalem Angliam profligatis Danis sibi subiecit, vti Adelstanus eius filius nothus pleno ad victorias gradu multa Danorum cæde Northumbriam debellauit, Danísque tanto terrore institit, vt vel è regno excesserint, vel se dediderint. Horum principum virtute è calamitatum gurgite emersit Anglia, annósque quinquaginta à sanguinolento illo bello conquieuit. Cùm autem Etheldredus vir languido animo regnaret, Dani eius ignauia freti classicum denuò cecinerunt, regionemque populati, Anglos magna quotannis pecunia pacem redimere coëgerunt, adeòque insolenter se gesserunt, vt Angli coniuratione inita, vna nocte Danos omnes per Angliam ad vnum occidione occiderint, rati hac sanguinis effusione se Danicum incendium restincturos, quod tamen in magis exitialem flammam exarsit. Sueno enim rex Danorum hac suorum cæde irritatus numeroso exercitu Angliam inuasit, immanitèrque efferato animo grassatus Ethelredum fugauit, totùmque regnum sibi subdidit, filioque Canuto reliquit, qui sæuis asperisque bellis varia fortuna cum Ethelredo reduce, & filio eius Edmundo, cognomine *Ferreum latus* conflictatus, duos filios successores habuit, Haraldum scilicet nothum, & Canutum Audacem, quibus mortuis, Danorum iugo excusso, ad Anglos denuò recidit imperium. Edwardus enim ob sanctitatem cognomento *Confessor*, Ethelredi ex secunda vxore filius regiam recuperauit dignitatem. Iam Anglia respirare cœpit, sed protinùs, vt inquit ille, *mores rebus cessère secundis*, Sacerdotes erant inertes, somni pleni & imperiti, populus luxu solutiori, otio torpescebat, disciplina intermortua iacebat, innumeris vitijs Respub. quasi ægra intabescebat, superbia autem, cuius pedissequa exitium, maximè inualescebat. Et vt de illo tempore loquitur Geruasius Dorobernensis, *Sic ad mala perpetranda festinatur, vt nescire crimina, crimen esse videretur.* Quæ omnia planissimè excidium præcinuerunt. Erant tunc temporis Angli, vt scribit Guil. Malmesburiensis,

1012.

Cnutus in nummis.
Dani 200. annos Angliam afflixerunt, regnarunt annos plus minus 20.
Edwardus Confessor.

mesburiensis, *vestibus ad medium genu expediti, crines tonsi, barbas rasi, sed superiori labro pilis incessanter fruticantibus intonso, armillis aureis brachijs onerati, picturatis stigmatibus cutem picturati, Clerici literatura tumultuaria contenti, vix sacramentorum verba balbutiebant, &c.*

NORMANNI.



Vemadmodum antiquioribus seculis ex Orientali illa, quoad nos, Germaniæ ora quæ ad Septentriones vergit primùm Franci, deinde Saxones Galliam, Britanniamque deprædationibus infestas habuerunt, & tandem hi Britanniam, illi Galliam occupârunt; Ita posterioribus temporibus primùm Dani, & deinceps Normanni in eorum locum succedentes, ex eadem ora itidem factitârunt. Quasi oræ illi in fatis esset, diuino ita disponente numine, vt gentes ad Galliam, Britanniamq; affligendam, & noua regna in ijsdem instituenda conciperet, & è suo sinu sæpius effunderet.

Hi a Septentrionali plaga vnde deuenerunt sic dicti, nam *Nordmanni* nihil aliud significat, quàm *Viri Septentrionales*, quo etiam sensu, *Nord-leudi*. i. *Populus Septentrionalis*, appellantur (commisti enim erant ex Noruegorum, Sueonum, & Danorum fortissimis.) Caroli Magni temporibus per Frisiam, Belgicam, Angliam, Hiberniam, & Galliam piraticam tanta atrocitate exercuerunt, vt cùm Carolus ille Magnus vidisset prædatorias eorum naues in mari Mediterraneo effusis lachrymis ingemuerit & dixerit, *Contristor quòd me viuente ausi sunt hoc littus attingere, Praui deo quanta mala meis posteris sunt facturi:* & etiam in publicis Ecclesiarum supplicationibus siue Litanijs fuerit posteà adiectum, *A furore Normannorum, libera nos Domine.* Eoque Francos adegerunt, vt Carolus Caluus Hastingo Normanno Archipiratæ Carnutum Comitatum ad hominem deliniendum dederit, Carolus Crassus Godfredo Normanno partem Neustriæ cum filia in matrimonium concesserit, Deinde verò vi & armis iuxta Sequanæ ostium sibi sedes posuerunt in regione quæ priùs *Neustria* corruptè dicta erat, quòd pars fuerat Westrasiæ, sic enim mediæ ætatis scriptores dixerunt, quod Germani *Westenrych*, .i. *Occidentale regnum* vocitarunt, comprehenditq; quicquid inter Ligerim, & Sequanam ad Oceanum interiacet. Quod postea ab illis *Normannia*, quasi *Septentrionalium virorum regio* appellata, cùm Carolus Simplex Rolloni eorum principi è sacro baptismatis fonte suscepto confirmasset clientelari iure tenendum, filiamq; in vxorem dedisset. Quo tempore, vt legitur in veteri manuscripto Monasterij Andegauensis, *Carolus Stultus dedit Normāniam Rolloni cum filia Gisla, hic non est dignatus pedem Caroli osculari, cumq; comites illum admonerent pedem regis acceptatione tanti beneficij oscularetur, lingua Anglica respondet,* Ne se by God, *Quod interpretantur, Non per Deum: Rex verò & sui illum deridentes, & sermonem eius corruptè referentes, illum vocauerunt* Bigod, *vnde Normanni adhuc vocantur* Bigodi. Et hinc fortasse est quod hypocritas, & superstitiosos Galli etiamnum *Bigod* appellitent.

Nord-manni. Nord-leudi. Helmoldus.

Liber Sangallensis de Gestis Caroli Magni.

Neustria.

Bigod.

Rollonem hunc qui è sacro fonte susceptus Roberti nomen accepit, alij simulatè, alij deliberatè & seriò Christo nomen dedisse tradunt, diuinitusque somnio admonitum addunt, quod liceat mihi, nec somnijs tamen credulo, absq; vanitatis suspicione ex fide scriptorum eius æui referre. Ferunt illum nauigantem per quietem vidisse semetipsum elephantiasi fœdatum, sed niditissimo fonte ad radices excelsi montis ablutum conualuisse, & mox verticem montis conscendisse: Quod ipsi enarranti captiuus Christianæ professionis in illa naui sic interpretatus est. Elephantiasin esse impium illum deorum cultum quo laborauit, fontem esse sacrum regenerationis lauacrum, quo purgatus, montem ascenderet, id est, ad suum honorem & cœlum perueniret.

Ex hoc Rollone natus est Guilielmus cognomento *Longa Spata* à longo quem gestauit ense, Guilielmo Richardus eius nominis primus, cui filius, & ex filio nepos eodē nomine successere: sed Richardo III sine sobole defuncto Robertus frater suffectus, qui ex amasia Guilielmum illum progenuit quem *Conquestorem* & *Bastardum* vulgò vocamus; qui singuli rebus domi belliq; gestis principes illustrissimi. Dum Guilielmus iste iam ætate maturus Normanniæ præesset, Edwardus Sanctus cognomento CONFESSOR Rex Angliæ

Normannia Duces.

gliæ è Saxonica stirpe vltimus in cœlestem patriam cum summo suorum desiderio emigrauit, qui ex Gulielmi cognata Emma filia Richardi eius nominis primi ducis Normanniæ natus, in Normannia exul eum successorem sibi fore promiserat. Verùm Haroldus Godwini filius, domus Regiæ Maior regnum occupauit, quem vt exturbarent hinc Tosto frater, illinc Normanni omnem mouerunt lapidem. Verùm cùm ille Tostonem fratrem & Haraldum Norwegiæ Regem quem in belli societatem Tosto sibi adiunxerat, iusto prælio, non incruenta victoria prope *Stamford-brig* in Eboracensi agro peremisset: ecce vix nouem interiectis diebus, GVILIELMVS (cognomento *Bastardus*) Normanniæ Dux, Edwardi modò defuncti promissis, adoptione, & affinitate fretus, magno conscripto exercitu, in Anglia inter Australes Saxones appulit. In quem signa statim conuertit Haroldus, lassato licèt milite, rebúsq; superiori bello omninò accisis. Haud procul ab *Hastings* concurritur, vbi Haroldus in medium prælium se inferens, acriter dimicans cecidit, magno Anglorum numero interfecto, difficile est ad fidem summas exacto numero concipere. GVILIELMVS victor protinùs infesto agmine per Wallingfordiam Londinum petit, admissúsque Rex inauguratur, vtpote cui, vt ipse ait, *Regnum Dei prouidentia destinatum, & beneficio concessionis Domini, & cognati gloriosi Regis Edwardi concessum*, & pauculis interpositis lineis subiungit, *Benignissimum Regem Edwardum illum in regnum Angliæ adoptiuum hæredem instituisse*. Quanquam si historiæ S. Stephani Cadomensis credere libet, extremum spiritum in hæc verba emisit. *Diadema regale quod nullus antecessorum meorum gessit, adeptus sum, quod diuina solummodo gratia, non ius contulit hæreditarium.* Et paulò post. *Neminem Angliæ regni constituo hæredem, sed æterno Conditori, cuius sum, & in cuius manu sunt omnia, illud commendo. Non enim tantum decus hæreditario iure possedi, sed diro inflictu, & multa effusione sanguinis humani periuro regi Haroldo abstuli, & interfectis vel fugatis fautoribus eius dominatui meo subegi.*

Normanni. 1066.

Charta Guil. Conquæstoris.

Historia Monasterij S. Stephani Cadomi in Normannia.

Sed quid ego hanc maximam Britannici imperij conuersionem tam paucis percurro? en tibi si non pigeat legere, quæ ego minùs accuratè, minùsque fortassè cogitatè, ad historiæ tamen fidem tum scripsi, cùm imprudens iuuenis tantoq; oneri impar, res nostras Latinis literis illustrare cogitarem.

Normannica victoria.

EDwardo Confessore iam sine sobole defuncto, ancipiti cura de nouo rege substituendo proceres populusq; distrahebantur. Edgarus qui dictus Ætheling, *Edmundi* Ferrei Lateris *è filio abnepos solus è virili Saxonicorum regum stirpe supererat, cui iure hæreditario regnum debebatur. Verùm cùm ille ætate minori videretur, quàm vt reipublicæ gerendæ par esset, & ingenium peregrinis moribus immiscuisset, vtique in Pannonia ex Agatha filia Henrici III. Imperatoris natus, qui terrarum situ disiunctior erat, quàm vt adolescentem auxilio aut consilio iuuaret, Anglis minus erat gratus, quibus nihil antiquius erat quàm regem sibi è suo quasi corpore creari: Haroldum igitur Godwini filium bellipacisq; artibus & gloria florentem plerique omnes respexerunt. Quanquam enim ille vna tantùm imagine nobilis erat, & pater proditione, & rapinis æternam ignominiæ infamiam subierat; benigno tamen alloquio, comitate, liberalitate, & militari virtute maximam à populo iniuit gratiam. Nec enim alter erat in quo plus fuit audaciæ ad pericula capessenda, aut plus consilij inter ipsa pericula. Virtúsque eius & fortuna in Wallico bello quod iampridem fœlicissimè confecerat ita emicuit, vt planè omnibus Imperatorijs artibus instructissimus, & ad imperium Anglicum instaurandum natus videretur. Danos etiam qui solummodo huic regioni terrori erant, illi æquiores fore sperabatur, quod è Gytha Suenonis Regis Danici sorore natus erat. Si qua alia vis siue externa siue domestica adoriretur, ciuium beneuolentia & nobilium cognatione & affinitate satis munitus videbatur. Sororem Morcari & Edwini fratrum qui longè potentissimi erant in vxorem habuit, & Edricus Syluaticus vir animo excelso & authoritate summa, arctissimo propinquitatis vinculo erat coniunctus. Percommodè etiam accidit, vt eodem tempore Sueno Danus Suecico bello implicaretur, & Gulielmo Normanno malè cum Philippo Francorum rege conueniret, Gulielmo enim illi regnum conceptis verbis, si sine prole obiret, promiserat Edwardus Confessor dum in Normannia exularet, & ad illud promissum præstandum se sacramenti religione quasi sponsor obligauit Haroldus (cum captiuus in Normannia detineretur) addita etiam hac conditione vt Normanni filiam in matrimonium acciperet. Vnde consultissimum plurimis videbatur Normanno regnum deferre, tum vt fidem*

dem liberando bellum quod imminere prospiciebant, & exitium quod semper periury pœna auerteretur, tum Normanniam Angliæ adiungendo regnum sub tanto principe firmaretur & respublica plurimùm augeretur. Cæterùm Haroldus omnes omnium deliberationes inciàit, qui nihil sibi cunctandum ratus, eo ipso die quo Edwardus sepulturæ traditus, imperium præter plurimorum expectationem arripuit, & diadema sine inaugurationis cæremonÿs præsentibus applaudentibus, Regemq; acclamantibus, ipse sibi imposuit. Quo facto Ecclesiasticam hominum nationem quasi religionis violator plus nimiò irritauit. Ille autem non ignarus quàm difficile sit principi nouo imperium sine pietatis & virtutis opinione tueri, vt offensam illam obliteraret, & sceptrum confirmaret ad rem ecclesiasticam promouendam, & monasteria ornanda nihil non fecit. Eagarum Ætheling, Oxoniæ Comitem reliquósq; nobiles omni beneuolentia complexus est, populum magna tributorum parte subleuauit: vim magnam pecuniarum in tenues effudit, denique alloquendi comitate, audiendi lenitate, decernendi æqualitate charitatem vnà cum authoritate comparauit sibi singularem. Vbi primum hæc certis nuntÿs accepisset Guilielmus Normannus: Edwardi mortem grauissimè dolere præ se tulit, cùm interim animo discruciaretur, Angliam quam iam spe deuorauerat, è faucibus sibi fuisse præreptam: Protinus igitur ex suorum consilio legatos ad Haroldum mittit, qui promissorum & sponsionis admonerent, simulq; regnum repeterent. Ille re deliberata respondet, Quod ad Edwardi promissa pertinet Anglicum imperium promissis deferri non posse, nec se eius promissis teneri, cum electione, non iure hæreditario regnum sibi obuenerit. Quod ad suam sponsionem, ab homine capto vi, dolo, & perpetui carceris metu in Reipub. Anglicæ damnum & ordinum præiudicium extortam, & proinde irritam esse, quam nec præstare si poterat debuisset, nec si vellet potuisset, cùm rege nesciente & populo non adsentiente facta fuisset. Illud verò admodum iniquum videbatur postulare, vt Normanno peregrinæ stirpis principi regno cederet: quod tanto omnium ordinum consensu susceperat. Hoc responsum parum æquis auribus accepit Normannus, Haroldúmque latebras periurio quærere existimauit: alios igitur protinus eadem de causa legauit, qui commonefacerent qua iurisiurandi religione obstrictus teneretur, & periuros exitium apud Deum, & dedecus inter homines manere. Verùm quum iam Guilielmi filia Haroldo in pactis desponsa, quæ quasi firmamentum suæ sponsionis erat, fato erepta fuisset, minori cum humanitate tractati sunt, nec aliud quàm anteà responsum tulerunt. Ad bellum apertum iam omnia spectare cœperant. Haroldus classem instruit, milites conscribit, præsidia per littora locis opportunis disponit, & ad vim Normannicam propulsandam, quæ vsui videntur omnia parat. Prima tamen belli tempestas à Tostone germano Haroldi fratre præter omnium opinionem exorta est. Ille, vir animo elato & effero magna cum authoritate aliquandiu Nordanhumbris præfuit, verùm cum crudelitate in inferiores, superbia in principem, & odio in fratres grassaretur, ab Edwardo Confessore proscriptus in Galliam secessit, iámq; authore Baldwino Flandriæ Comite, & suasore Guilielmo Normanno, vt probabile videtur (Tosto enim & Guilielmus duas Baldwini Flandrensis filias in matrimonio habuerunt) fratrem quem diu capitali odio, nunc aperto bello exercere incipit. E Flandria sexaginta pyraticarum nauium classe soluit, Vectam insulam populatur, Cantÿ oram maritimam infestat, sed regiæ classis aduentu territus, sublatis velis, ad remotiores Angliæ partes delatus in Lincolniensi agro terram prædabundus conscendit, vbi ab Edwino & Morcaro prælio exceptus & fugatus Scotiam petÿt, vt inde bellum redintegraret. Duplici iam belli expectatione hinc è Scotia, inde è Normannia omnium animi suspensi erant, eòq; magis quòd in Festo Paschatis Cometes tristi admodum specie septem plùs minùs diebus effulsit, qui anxias hominum mentes (vt turbulento fit tempore) ad infaustas præsensiones conuertit. Haroldus verò intentis oculis omnes regni partes intuebatur, australe littus præsidÿs firmabat. A Scotia & Tostone minùs sibi timuit, cùm Mil-Columbus Rex Scotorum intestinis malis conflictaretur. Guilielmus interim multa animo de Anglia agitat, rem cum ducibus subinde communicat, quos alacres & gestiente spe plenos vidit: pecuniæ autem in tantum bellum conflandæ ratio defficilior videbatur. Nam cum in publico ordinum Normanniæ conuentu de pecuniario subsidio proponeretur, responsum est opes superiori contra Gallos bello ita accisas fuisse, vt si nouum ingrueret bellum vix sua defendere potuerint; sua potius tuenda quàm aliena inuadenda, bellum illud etsi iustum, minus tamen necessarium & inprimis periculosum videri: præterea Normannos neutiquam teneri peregrè in militiam proficisci. Nec vlla ratione ad pecuniam conficiendam adduci potuerunt, Quanquam Guilielmus* Fitzosbert vir*

Cometes.

*Malcolmus.

*filius Osberti.

vir summa apud Ducem & populum gratia omni ratione obnixè id ageret, & vt alios pertraheret, quadraginta naues suis impensis in hoc bellum promitteret. Dux quòd publico conuentu non poterat, alia ratione aggreditur: opulentissimum quemque seorsim ad se accersit, blandè alloquitur, vt aliquantulum in hoc bellum conferant petit, illi quasi iam certamen esset iuuandi principis prolixè promittunt, promissisq. statim in tabula relatis, vis pecuniæ omnium opinione maior citò coacta fuit. His rebus confectis opem & auxilium a vicinis principibus, Andium scilicet, Pictonum, Cenomanorum & Bononiæ Comitibus petit, quibus latifundia in Anglia promittit. Philippum etiam Gallorum Regem adit, illiq. modò opem ferret, pro Anglia fidelitatis iusiurandum vt beneficiarum præstiturum spondet. Verùm cùm minimè è re Gallorum videretur, vt vicinus Normannus qui iam minùs Gallo obaudiret, Angliæ accessione adaugeretur (vicinorum enim potentia principibus semper suspectior) tantùm aberat vt opem deferret, vt etiam ab inuadenda Anglia deterreret. At ille nullo modo ab incepto abduci poterat, sed multo erat iam alacrior, & erectior Alexandri Pontificis Romani authoritate munitus (ille enim iam primùm in principes authoritatem sibi vsurpare incepit) qui causâ probata, sacratum vexillum in victoriæ & regni omen miserat, atq. anathemate percusserat quicunq. se opponerent. Copias igitur quas potuit maximas collegit, & classem numerosam ad S.Valerici *opidulū (quod est ad Somæ fluminis ostium) cogit, vbi diutiùs hæsit, ventū secundum expectans, quem vt eliceret, S.Valericum loci præsidem votis fatigauit & donarijs onerauit. Haroldus qui iamdiu eius aduentum cum suis frustrà præstolatus erat, exercitū dissoluere, classem subducere, & littus relinquere constituit, tum rei frumentariæ inopia coactus, tum quod Flandriæ Comes ad illum scripserat, Gulielmum nihil hoc anno moturum: cui facilè credidit, qui anni tempore nauigationem præclusam existimaret, quòd Aequinoctium iam suberat. Dum hæc animo agitat, noui ex improuiso belli necessitate exercitum reuocare adactus est. Haroldus enim cognomento* Durus *&* Harfager, *Rex Norwegiæ (qui pyraticam per Septentrionales Britanniæ partes exercuerat, & Orcadas insulas iam subegerat) à Tostone in spem regni Anglici euocatus Tinam flumen cum quingentis plus minùs myoparonibus intrat, vbi suam etiam classem adiunxit Tosto. Cùm hic aliquandiu agros populati essent: sublatis anchoris, Eboracensis agri littus legentes in Humbrum delati omni belli rabie circunquaque grassari cœperunt. Ad quos reprimendos Edwinus & Morcarus Comites tumultuariam militum manum educunt, verùm illi Norwegorum impetum non tulerunt, sed effusa fuga plurimi vnà cum Comitibus sibi consuluerunt, plures autem in Ousam flumen ruentes fluctibus sunt hausti. Norwegi tum obsidionem vrbi Eboraco inferre parant, quam statim deditione, obsidibus vtrinque datis, recipiunt. Pauculis interpositis diebus Haroldus omnibus vndique contractis copijs Eboracum contendit, & inde in Norwegos mouet, qui castris positis loco tutissimò consederant, a tergo enim Oceano, a sinistra Humbro æstuario, in quo eorum classis constitit, a dextra verò, & a fronte Deruentione fluminè quodammodo muniti. In eos tamen Haroldus animosè inuehitur, primùm ad* pontem quo Deruentio fl. iungitur, acriter decertatur, in quo Norwegum quendam aliquandiu vniuersum Anglorum exercitum sustinuisse fertur, donec telo transfixus caderet: deinde æqua virtute fortunaq. in ipsis castris aliquandiu pugnatur. Norwegi tamen demum dissipati, & in medio Haroldus ipse Norwegorum Rex, & Tosto cum maxima exercitus parte interfecti. Victori Haroldo præda admodum opima obuenit, vis auri & argenti magna, classisq. illa numerosa, præter viginti nauiculas quas Paulo Orcadum Comiti, & Olauo Haroldi interfecti filio ad saucios auehendos concessit, iureiurando priùs dato ipsos nihil in Angliam iam inde molituros. Hæc victoria Haraldo animum erexit, iamq. se terrori Normannis fore existimauit, cùm suis odio esse cœperit, quòd prædam militi non distribuerit. Ille tamen in Republica ordinanda, quæ miserè in hoc tractu conuulsa iacuit, totus erat. Intereà verò Gulielmus Normannus idoneam nactus tempestatem, sub finem Septembris naues soluit & leni vento prouectus omnibus nauibus ad* Peuensey *in Suthsexia accessit, nudoq. potitus iam littore, vt spem fugæ suis præcideret, nauibus ignem iniecit, munimentoq. ibi posito quod suis receptui esset, ad* Hastings *progreditur, vbi etiam alterum excitauit propugnaculum, præsidiumq. imposuit. Causas belli iam diuulgat, scilicet vt vlcisceretur mortem Alfredi cognati sui quem vnà cum plurimis Normannis Godwinus Haroldi pater sustulit, vt persequeretur iniurias Haroldi, qui cùm Robertum Archiepiscopum Cantuariensem in exilium eiecerat, tum regnum Angliæ sibi delatum conculcata sacramenti religione occupârat; suos autem ne hostiliter Anglis depopulationem inferrent edicto vetuit.*

Celeriter

**Stanforde bridge prope Eboracum.*

Celeriter hæc fama ad Haroldum perferuntur, qui omnibus consilijs anteuertendum ratus, vt primo quoque tempore Normannum exciperet, dimittit quaqua uersus nuncios, suos obtestatur vt in fide maneant, omnes vndiq́; copias contrahit, magnisq́; itineribus Londinum properat, vbi illum legatus à Gulielmo adit, qui cùm regnum pluribus repeteret, parùm abfuit quin Haroldus præcipiti ira percitus legato vim intulerit. Difficile enim erat superbiam & spem bonam victori detrahere. Protinùs suos ad Guilielmum legat qui insolentiùs comminarentur, nisi quàmprimùm in Normanniam se reciperet. Hos tamen facili responso magnaque humanitate ille dimisit. Delectum interim Londini Haroldus habet, resque suas superiori contra Norwegos prælio admodum attenuatas comperit, exercitum tamen magnum ex nobilibus & alijs quos patriæ charitas ad commune periculum propulsandum euocârat, conflauit. Iam in Suthsexiam, matre nequicquam remorante, ducit, & animo non infracto vix septem mill. pass. à Normanno castris in planitie positis consedit. Quò etiam statim exercitum suum admouit Normannus. Primùm exploratores vtrinq́; submissi, qui ab Anglis erant, omnia siue veri ignorantia, siue mentiendi libidine, Normannorum multitudinem, apparatum & disciplinam supra fidem extulerunt: adeò vt Gythus Haroldi frater minor natu bellicis operibus clarus de rerum summa non vno prælio decertandum ratus, regem admonuerit, dubios esse Martis euentus, victorias sæpiùs esse à fortuna quàm virtute, cunctationem maturam maximam esse disciplinæ militaris partem: si modò fidem de regno Guilielmo dedisset vt ipsum subduceret admonuit, vtiq; nullis copijs contra conscientiam muniri posse, Deum de violata fide pœnas expetiturum: nec quicquam magis terrori Normannis fore, quàm si nouum conscriberet exercitum, quo nouis denuò prælijs exciperentur. Ad hæc pro se spondet si eius prælij fortunam sibi committeret, nec boni fratris, nec fortis ducis officio defuturum, vtpote qui bonæ mentis conscientia fretus, aut faciliùs hostes profligaret, aut fœliciùs patriæ vitam profunderet. Non æquis auribus Rex hæc accepit quæ cum suo dedecore coniuncta videbantur, vt enim belli euentum æquo animo, ita timiditatis contumeliam nullo modo perferre potuit. Normannorum itaq; laudes obtriuit, nec è sua dignitate, aut pristina virtute existimauit, cùm iam quasi ad vltimum periculi peruenisset, instar meticulosi pedem referre, æternàmq; ignominiæ labem subire. Ita quos subuertere numen diuinum instituit, consilij expertes primùm reddit. Dum hæc aguntur, Gulielmus vt pio affectu reipublicæ Christianæ sit prospectum & à sanguine Christiano temperatum, monachum internuncium mittit, qui Haroldo conditionem proposuit vel regno prorsus cederet, vel sub Normanno clientelari iure se iam inde regnare agnosceret, vel singulari certamine cum Guilielmo decertaret, saltem, vt Pontificis Rom. iudicio de Anglico imperio se sisteret. Ille autem quasi sui impotens nullam conditionem amplexus ad diuinum tribunal vniuersam causæ disceptationem reiecit, & postero die qui 2. Id. Octob. erat, pugnandi copiam se facturum respondit, quem credulo errore sibi faustum fore persuaserat, eo quòd natalis esset. Insequentem noctem Angli solutiori luxu, comessationibus, & vociferationibus, Normanni autem susceptis pro exercitus salute, & victoria votis, produxêrunt. Prima luce acies vtrinq; instruunt, Haroldus in primo agmine Cantianos (quibus veteri instituto exercitus frons debetur) cum bipennibus constituit, altero agmine ipse cum fratre, mediterraneis Anglis, & Londinensibus constitit. Primam Normannorum aciem ducebant Rogerus Montegomericus, & Guil. Fitz-osberne, *ea constabat ex equitibus Andegauensib. Perticensib. Cenomannis, Britonibus, quorum plurimi Fergento Britoni militabant. Mediam quæ è Pictonibus Germanisq́; constabat Galfridus* Martell, *& stipendarius Germanus regebant. extremum agmen dux ipse claudebat, cum robore Normannorum, & suæ nobilitatis flore. Sagittariorum verò cohortes vbique erant immistæ. Normanni non* incondito sublato clamore, bellicum canentes, agmina mouerunt, primùmq; sagittarum grandinem vndiq́; emittunt, quod genus pugnæ vt Anglis nouum, ita omninò terribile erat, adeò enim densè recidebant, vt in medijs copijs hostem habere viderentur. Deinde in primum Anglorum agmen præcipiti impetu incursant; hi autem qui locum quem ceperant corporibus tegere, potiùs quàm cedere obfirmato animo destinârant, omnes connixi fortiter hostem magnâ cum clade auerterunt: illi autem denuò irruunt, horrendoque strepitu vtrinque acies impellitur. Iam collato pede quasi vir viro congrederetur, acriter aliquandiu pugnatum est: Angli autem conferti, & quasi cohærentes impetum sustinent, adeò vt multis vulneribus acceptis iam regressuri essent, nisi Guilielmus non ducis magis, quàm militis munere fungens sua authoritate inhibuisset. Hæret itaq; pugna, & equites Normannici quàm concitatissimè immittuntur*

*Cantus Rolandi.

immittuntur, & supernè vi sagittarum Angli quasi obruuntur, agmen tamen non perrumpitur. Haroldus enim intrepidi ducis munia obiens suis vbiq. præsto erat; nec minus parte alia Guilielmus, qui cum vno, & altero equo suffosso, verâ virtute vincere non potuit, ad artem se conuertit, suis imperat vt receptui canant & gradum, seruatis tamen ordinibus, referant. Angli iam terga dedisse rati, & victoriam præ manibus esse, ordines laxant suos, incompositique hostibus instant, quasi certa iam & explorata victoria, cùm illi, reductis ex improuiso agminibus, ex integro signa inferunt, & palantes Anglos adorti, & circumfusi stragem maximam edunt, plurimi inter fugæ, pugnæq. consilium oppreßi, plures autem æditiorem locum occupantes, conglobati, & mutua adhortatione firmati præsentibus animis diu restiterunt, quasi locum laudabili morti elegissent; donec Haroldus sagitta caput transuerberatus, vnà cum Githo & Leofwino fratribus ceciderit. Tum Edwinus, Morcarusq., & pauculi, qui cædi superfuerant fuga elapsi, cesserunt Deo, cesserunt tempori, cum ab horâ diei 7. ad crepusculum vsq. continenter pugnatum esset. Desiderati sunt hoc prælio Normannorum plùs minùs 6000. Anglorum vero longè plures. Guil. victor omnibus lætitijs exultans supplicatione decreta honorem Deo Opt. Max. habuit, positoq. inter medias strages tentorio, noctem traduxit. Postero die cùm suos inhumâsset, Anglisq. idem permisisset, ipse Hastingas *regressus est, vt de persequenda victoria consilium iniret, & lassatum militem tantisper reficeret. Quamprimùm autem huius cladis fama nuntijs trepidis Londinum, & in alias Angliæ vrbes perlata esset, vniuersa regio perculsa, & quasi prostrata est. Githa regis mater lamentis muliebriter ita se dedidit, vt nullam admitteret consolationem, infimisq. precibus filiorum cadauera à victore obtinuit, quæ sepulturæ in monasterio Walthamiæ tradit. Edwinus Algitham sororem reginam in remotiores regni partes mittit, Regni tamen proceres, populum ne animum despondetent, admonent, consiliaq. de repub. conferunt. Archiepiscopus Eborac. ciues Londinenses,*

Botescarles.

& clasiarij (quos Botescarles *vocârunt) Eadgarum in regem consecrandum, bellumque cum Guilielmo redintegrandum censuerunt, Edwinus & Morcarus de regno sibi occupando clandestina consilia struxerunt, Episcopis verò, præsulibus, & alijs qui Romani Anathematis fulmine perterriti erant, optimum videbatur deditionem facere, & non efferatum victoris animum ancipiti Marte prorritare, nec Deo reluctandum, qui iam Angliam peccatis ita exigentibus, quasi in manus Normanno tradiderat. Guilielmus interim Hastingas præsidio firmans infesto agmine Londinum petere constituit, verùm vt latiùs sui terrorem inferret, & à tergo omnia secura redderet, partitis copijs per Cantij partem, Suthsexiam, Suthreiam, Suthantonensem agrum, & Berchertensem peruagatur, vicos & ædificia incendit, prædasq. agit, ad Wallengfordiam Tamisim transmittit, & terrore omnia complet. Proceres tamen in incerto habuerunt, quidnam consilij caperent, nec adduci poterant, vt positis simultatibus communi animo Reipub. prospicerent. Vt enim Ecclesiasticis ab execrationibus, & censuris Pontificis Romani (quibus ille iam & in animos hominum, & in regna authoritatem exercebat) absoluerentur, cùm res iam non accisæ, sed planè perditæ essent, in sententia ita de deditione perstiterunt, vt multi saluti consulentes se ex vrbe subduxerint. Alfredus verò Archiepiscopus Eboracensis, Wolstanus Episcopus Wigorniensis, præsulesq. alij vnà cum Eadgaro Etheling, Edwino, Morcaro, victori Normanno multa & magna pollicenti apud* Berkhamsted *occurrunt, obsidibusq. datis in fidem, & deditionem se permittunt. Ille autem protinùs Londinum aduolat, magna lætitia, & festis acclamationibus exceptus Rex salutatur, ad inaugurationis apparatum, quam in Natalem Christi indixerat, omnia parat, & ad regnum constituendum totus animo & cogitatione instat.*

Iam confecta erat Saxonici in Britannia imperij periodus, quæ sexcentis septem annis definita erat, & conuersio in Angliæ regna facta est insignis, quam aly in magistratuum sordes, & præsulum superstitiosam ignauiam, aly in Cometem illum, & vim sydetum, alij in Deum qui regna iudicijs occultis, sed nunquam iniustis distribuit, reiecerunt. Alij autem qui in propinquiores causas inspexerunt, prudentiam in Edwardo Rege desiderârunt, quòd dum specioso religiosæ castitatis prætextu suscipiendæ prolis curam abijceret, regnum ambitiosissimis hominibus dilacerandum obijceret.

QVàm insolens & crudelis hæc fuerit victoria, scriptores Monachi pleno ore intonant, nec dubitandum, quin in hâc victoriâ, vt aliàs, alacris exultârit improbitas. Victor Guilielmus in victoriæ quasi trophæum, antiquatis maximam partem Anglo-

rum

Sigillum Guilielmi Conquestoris.

rum legibus, Normanniæ consuetudines induxit, causasque Gallicè disceptari iussit: exclusis hæreditate auitâ Anglis, agros & prædia militibus suis assignauit, ita tamen vt dominium directum sibi reseruaret, obsequiumque clientelari iure sibi & successoribus deuinceret, id est, vt omnes in *Feudo*, siue fide tenerent, & nulli præter Regem essent viri Domini, sed potius fiduciarij Domini, & possessores. Sigillumque sibi aptauit in cuius altera parte inscribitur *Hoc Normannorum Guilielmum nosce patronum*, In altera verò *Hoc Anglis signo Regem fatearis eundem.* *Quinetiam* (vt habet Guiliel. Malmesburiensis) *Cæsarianum secutus ingenium, qui Germanos in Ardenna maxima sylua abditos, & inde crebris eruptionibus exercitum suum affligentes, non per Romanos suos, sed per Gallos fæderatos expulit: vt dum alienigenæ alterutros transfoderent, ipse sine sanguine triumphum duceret, idem inquam, Guilielmus in Anglos egit. Nam contra quosdam qui post primam infœlicis hominis pugnam in Danemarchiam & Hiberniam profugerant, & valida congregata manu tertio anno redierant, Angligenam exercitum & ducem obiecit; Normannos feriari permittens. Ingens sibi leuamen prouidens vtrilibet vincerent. Nec eum cogitatio lusit. Nam vtrinque Angli aliquandiu digladiati inter se, palmam otioso Regi refudêre.* Et alibi,

Angli dignitatibus exclusi.

Laicorum potentia subruta, stabili firmauit edicto vt nullum Anglicæ gentis monachum vel clericum ad aliquam dignitatem conari pateretur, à Cnutonis Regis quondam facilitate abhorrens, qui victis honores integros exhibuit. Vnde factum est vt eo defuncto, indigenæ advenas leuiter expellerent, sibiq; antiquum ius vindicarent.

Hæc vbi fecisset, nihil prius habuit, quàm Danici belli tempestatem, quæ impendit, auertere, & sibi quietem vel pecunia redimere, qua in re vsus est Adalberti Hamburgensis Archiepiscopi opera. Scribit enim Adam Bremensis. *Inter Suen, & Bastardum perpetua contentio de Anglia fuit, licèt noster Pontifex muneribus Guilielmi persuasus, inter reges pacem firmare voluerit.* Quæ etiam firmata videatur, iam inde enim Anglia nihil sibi a Danis metuit. Atque ille ad imperium tuendum, & Rempub. optimis legibus temperandam se totum contulit. Scribit enim Geruasius Tilburiensis. *Cum insignis subactor Angliæ Rex Wilhelmus vlteriores insulæ fines suo subiugâsset imperio, & rebellium mentes terribilibus perdomuisset exemplis: ne libera de cætero daretur erroris facultas, decreuit subiectum sibi populum iuri scripto, legibusq; subijcere. Propositis igitur legibus Anglicanis, secundum tripartitam earum distinctionem, hoc est*, Merchenlage, Denelage, Westsexenlage, *quasdam reprobauit, quasdam autem approbans transmarinas Neustriæ leges, quæ ad regni pacem tuendam efficacissimæ videbantur, adiecit.* Deinde vt author est qui eo tempore floruit, Ingulphus, *Hominium sibi facere, & contra omnes homines fidelitatem iurare omnem Angliæ incolam imperauit, totam terram descripsit, nec erat Hida in tota Anglia, quin valorem eius, & possessorem sciuit, nec lacus, nec locus aliquis, quin in regis rotulo extitit descriptus, ac eius redditus, ac prouentus, ipsa possessio, & eius possessor regiæ notitiæ manifestatus, iuxta taxatorum fidem qui electi de qualibet patria territorium proprium describebãt. Iste Rotulus vocatus est Rotulus Wintoniæ, & ab Anglis pro sua generalitate, quòd omnia tenementa totius terræ integrè continuit*, Domesday *cognominatur.* Huius libri libentiùs meminerim, quòd eius subinde memoria vsurpanda sit, quemque librum *Guil. Librum Censualem, Angliæ Notitiam, Angliæ commentarios Censuales, Acta publica & Angliæ lustrum* nominare placet.

Domesday booke. *Liber Iudiciarius Geruasio Tilburiensi.*

Iurey de 12.

Duodecim viri.

Quod verò Polydorus Virgilius scribit Guilielmum illum Victorem Duodecim virorum iudicium primum induxisse, nihil à vero alienius: Multis enim antè annis in vsu fuisse certissimum est ex legibus Ethelredi. Nec est cur terribile iudicium vocaret: E populo enim XII-viri liberi & *legales* è vicinia ritè euocantur, hi iureiurando obligantur verè de facto sententiam dicere, aduocatos coram tribunali vtrinque differentes, & testes audiunt; inde acceptis vtriusque partis instrumentis concluduntur, sine cibo, potu & igne detinentur (nisi forte periculum sit ne ex illis quispiam moriatur) donec de facto inter se conuenerint, quod vbi coram iudice pronunciauerint, ille de iure sententiam profert. Hanc enim rationem prudentissimi maiores nostri optimam esse ad veritatem eliciendam, tùm ad corruptelas euitandas, & affectus intercludendos existimârunt.

Normannorum bellica virtus.

Quantùm verò virtute bellica præstiterunt Normanni, alij dixerint, satis mihi sit dixisse, quòd inter bellicosissimas gentes positi, non obsequijs, sed armis semper tuti fuerint, & nobilissima regna in Anglia & Sicilia constituerint. Tancredus enim Richardi

Ducis Normanniæ eius nominis secundi nepos, eiusq; posteri res præclaras in Italia gesserunt, profligatis è Sicilia Saracenis regnum constituerunt; * Vnde Siculus historicus ingenuè agnoscit Siculos Normannis acceptum referre quòd in solo patrio permanent, quòd liberè viuunt, & quòd sint Christiani.

Th. Fazellus lib. 6 Decadis posterioris.

In terra etiam Sancta eorum bellica virtus singulari cum laude inclaruit. Vnde Rogerus Houedenus, *Audax Francia Normannorum militiam experta delituit, ferox Anglia captiua succubuit, diues Apulia sortita refloruit, Hierosolyma famosa, & insignis Antiochia se vtraq; supposuit.* Iam inde Anglia non minùs belli gloria, quàm humanitatis cultu inter florentissimas orbis Christiani gentes inprimis floruit. Adeò vt ad custodiam corporis Constantinopolitanorum Imperatorum euocati fuerint Angli, Ioannes enim Alexij Comeni filius, vt refert noster Malmesburiensis, *eorum fidem suspiciens præcipuè familiaritati suæ applicabat, amorem eorum filio transcribens*, & iam inde longo tempore fuerint Imperatorum illorum satellites, *Inglini Bipenniferi*, Nicetæ Choniatæ, *Barangi* Curopalatæ dicti. Qui *vbiq; Imperatorem prosequebantur ferentes humeris secures quas tollebant cum Imperator ex Oratorio spectandum se exhibebat, Anglicè vitam diuturnam secures suas collidentes vt sonitum ederent, comprecabantur.* Maculam verò quam Chalcondilas nostræ genti de vxoribus communibus aspersit, ipsa veritas eluit, & effluentem Græculi vanitatem comprimit. Nec enim, vti inquit eruditissimus & optimus mihi amicus Ortelius in hac ipsa re, semper vera sunt, quæ à quolibet de quibusuis narrantur. Hi sunt qui Britanniam insedêrunt populi, è quibus supersunt Britanni, Saxones siue Angli, Normannique permisti, & ad Septentriones Scoti, vnde duo in Insula regna, ANGLIA nimirùm, & SCOTIA, diu diuisa, nunc sub vno imperiali diademate in Iacobo potentissimo Principe auspicatissimè coniuncta.

Angli satellites Imperatorum Constantinopolin. Barangi. Chalcondilas.

In Pembrochiæ Comitatu.


De Flandris qui ante quadringentos annos huc demigrârunt, & sedes in Wallia regum permissu acceperunt, nihil attinet nunc dicere, alibi dicemus. Sed hanc rem cum Seneca concludamus. Hinc *manifestum nihil eodem loco mansisse quo genitum est. Assiduus humani generis discursus est. Quotidie aliquid in tàm magno orbe mutatur. Noua vrbium fundamenta iaciuntur. Noua gentium nomina extinctis nominibus prioribus, aut in accessionem validioris conuersis, oriuntur.* Cumque omnes hæ gentes quæ in Britanniam irruperunt Septentrionales fuerint, vt reliquæ quæ sub idem tempus Europam vniuersam occuparunt, & posteà Asiam, verissimè & è sacrarum literarum authoritate scripsit Nicephorus. *Vt terrores de cœlo sæpè hominibus à Deo incutiuntur, vt fulmina, incendia & imbres procellosi: sæpè à terra, vt telluris hiatus, & quassationes: sæpè ex aëre, vt typhones & nimbi: ita hi à Deo asseruantur Septentrionales ac Hyperborei terrores, vt pro pœna quadam, quando, & quibus prouidentiæ diuinæ visum fuerit, immittantur.*

De consolatione ad Albinam.

Nicephorus.

BRITANNIÆ DIVISIO.

Quomodo regiones diuiduntur



AD Britanniæ diuisionem iam accingamur. Diuiduntur regiones à Geographis, vel φυσικῶς secundùm naturam fluminum, & montium, vel ἐθνικῶς secundum gentium habitationes, vel τοπικῶς, & πολιτικῶς, id est, variè & politicè, iuxta principum voluntates, & iurisdictiones. Quum autem de primo & secundo huius diuisionis genere sparsim per librum tractabitur, tertia illa politica huius loci propria videtur: quæ tanta tamen superiorum temporum iniquitate circumfusa est caligine, vt multò facilius sit in hac re falsa conuincere, quàm vera inuenire.

Historici nostri antiquissimam Britanniæ diuisionem fuisse contendunt, qua in *Loegriam*, *Cambriam*, & *Albaniam* partiuntur, id est, vt explicatius dicam, in Angliam, Walliam, & Scotiam. Sed hanc recentiorem esse crediderim, tùm quód triplex sit; à tribus enim populis, Anglis, Cambris, & Scotis, qui postremò Insulam inter se diuiserunt, enata videtur: tùm quòd eiusmodi partitio nusquam in classicis authoribus appareat ante nostrum Galfredum Monumethensem. Fabula enim, vt Critici nostri seculi existimant, constare non poterat, nisi ille è Bruto tres filios Locrinum, Cambrum, & Albanactum progenuisset, eò quòd hic totidem, cùm ille vixerit, florerent gentes: vt anteà Brutum creasset, eò quòd hæc insula Britannia diceretur. Nec dubitant quin plures ille liberos è Bruto procreasset, si plures diuersæ gentes eo tempore in Britannia extitissent.

Vetustissima

Cap. 6. *Britannia Magna, & Parua.*

Vetustissima Britanniæ diuisio illa pluribus eruditis videtur, quæ est apud Ptolemæum in Mathematicæ Constructionis libro secundo, vbi de Parallelis agit, in Britanniam MAGNAM & PARVAM. Verùm pace tantorum virorum, illo loco hanc nostram Insulam, Britanniam MAGNAM & Hiberniam PARVAM vocare ipsis videbitur, si accuratiùs distantiæ rationem ab Æquatore ibidem perpendant, & cum eius Geographicis conferre placeat. Recentiores tamen quidam citeriorem huius Insulæ partem ad Meridiem *Magnam* vocàrunt, & vlteriorem illam ad Septentriones *Paruam* : cuius incolæ olim in MAIATAS & CALEDONIOS distincti erant, id est, in campestres, & montanos, vt nunc Scoti in *Hechtlandmen*, & *Lawlandmen*. Cùm autem vlteriorem illam plagam neglexerint Romani, *quia*, vt inquit Appianus, *illis vtilis esse non poterat, nec ferax* : termino non procul ab Edenburgo posito, citeriorem partem in Prouinciam iam redactam primùm duplicem fecerunt, INFERIOREM scilicet, & SVPERIOREM vt ex Dione colligitur. Angliæ enim partem citeriorem cum Wallia SVPERIOREM, vlteriorem & Septentrionalem INFERIOREM vocat. Quod ipsæ Legionum sedes apud Dionem comprobant. *Legionem secundam Augustam*, quæ ad *Caerleon* in Wallia, & *Victricem vicesimam*, quæ ad *Chester*, siue Deuæ egit, in Britannia Superiori locat: *Legionem* autem *Sextam Victricem*, quæ Eboraci egit, in Britannia Inferiori meruisse scribit. Hanc diuisionem à Seuero Imperatore factam fuisse existimarem, quòd Herodianus prodat, illum, deuicto Albino, qui Britannico exercitui præerat & imperium occupârat, Britanniæ rebus ordinatis, totius Prouinciæ administrationem inter duos præfectos bifariam diuisisse.

Britannia Inferior & Superior *Lib. 55.* *Isca, Caerleon* *at Vik.*

Britannia tri-plex. *Dist. 80. c. 1.*

Posteà in tres partes Britanniæ prouinciam descripserunt Romani, vt ex Sexti Rufi manuscripto videre est, videlicet in MAXIMAM CAESARIENSEM, BRITANNIAM PRIMAM, & BRITANNIAM SECVNDAM: Quas ex Episcopis, & diœcesibus antiquis forsitan deprehendi. Lucius Pontifex Rom. apud Gratianum innuit ecclesiasticas Christianorum ditiones Romanorum magistratuum ditiones imitatas esse, illisq; in vrbibus Archiepiscopos consedisse, quibus olim præsides Romani. *Vrbes & loca*, ait, *quibus Primates præsidere debent non à modernis sed etiam multis ante aduentum Christi sunt statutæ temporibus: quarum Primates etiam gentiles pro maioribus etiam negotijs appellabant. In ipsis verò vrbibus post Christi aduentum Apostoli & successores eorum Patriarchas vel Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia & maiores caussæ sunt referendæ.* Cúm autem tres Archiepiscopos olim habuerit Britannia, Londinensem scilicet, Eboracensem, & vrbis Legionum: prouinciam quam nunc vocant Cantuariensem (eò enim Londinensis sedes translata erat) Britanniam PRIMAM constituisse: Walliam quæ Episcopo vrbis Legionum paruit BRITANNIAM fuisse SECVNDAM: prouinciam verò Eboracensem, quæ tum ad limitem pertinuit, fuisse MAXIMAM CAESARIENSEM existimo.

Britannia quinque-partita. *Notitia Prouinciarum.* *Lib. 28.*

Subsequente ætate, cùm Imperij Romani formula indies immutaretur, vel ambitione vt plures ad honores pertingerent, vel Imperatorũ cautione, vt nimia Præsidum potentia accideretur, Britanniam quinque partitam fecerunt, BRITANNIAM nimirùm PRIMAM, SECVNDAM, MAXIMAM CAESARIENSEM, VALENTIAM, & FLAVIAM CAESARIENSEM. VALENTIA pars Septentrionalis fuisse videtur Maximæ Cæsariensis, quam à Pictis & Scotis occupatam Theodosius Valentis Imp. Dux recuperauit, & *Valentiam* in eius honorem nominauit, quod his verbis planius ostendit Marcellinus. *Recuperatam prouinciam, quæ in ditionem concesserat hostium, ita reddiderat statui pristino: vt eodem referente, & rectorem haberet legitimum, &* VALENTIA *deinde vocaretur arbitrio principis*. Huius Theodosij filium, (qui Augustus creatus, Flauius Theodosius dictus fuit, & plurima in imperio immutauit,) Flauiam addidisse conijcere licebit, quòd ante huius Flauij tempora, Britannia Flauia nusquam legatur. Vt igitur summatim rem expediam: BRITANNIA PRIMA dicta fuit omnis regio Australis, quæ hinc Mare Britannicũ, illinc Tamisim & Sabrinianũ fretum interiacet. BRITANNIA SECVNDA, quæ nunc Wallia, FLAVIA CAESARIENSIS, à Tamisi ad Humbrum porrecta fuit, MAXIMA CAESARIENSIS ab Humbro ad Tinam fl. siue Vallum Seueri; VALENTIA à Tina ad vallum iuxta Edenburgum, quam Scoti *Gramesdike* vocant, vbi Romani imperij limes vltimus.

Britannia prima. *Britannia secunda.* *Flauia Cæsariensis.* *Maxima Cæsariensis.* *Valentia.*

Non possum hic non requirere quorundam eruditissimorum prudentiam, qui in hunc

numerum Scotiam referunt, quam alij Maximam Cæsariensem, alij Britanniam Secundam fuisse volunt. Quasi verò Romani illam partem cœli quodammodo rigori damnatam non neglexerint, & hîc tantùm prouincias illas enumerarint, quas per Consulares & Præsides administrârunt. Maxima enim Cæsariensis, & Valentia à Consularibus, reliquæ tres Britannia Prima, Secunda, & Flauia à Præsidibus administrabantur.

Si quis me roget, quam huius partitionis meæ rationem habeam, & finium malè regundorum insimulet: quid me in hanc sententiam pellexerit, paucis accipiat. Cùm obseruârim Romanos eas Prouincias, semper *Primas* vocâsse, quæ Romæ fuerant proximiores, vt *Germania Prima*, *Belgica Prima*, *Lugdunensis Prima*, *Aquitania Prima*, *Pannonia Prima*, quæ omnes Romæ propiores erant, quàm quæ *Secundæ* nominantur; & has *Primas* ab elegantioribus *Superiores*; *Secundas*, Inferiores dictas fuisse: Australem nostræ insulæ partem Romæque propriorem *Britanniam Primam* fuisse statui. Eadem ratione cùm *Secundæ prouinciæ*, quas vocant, à Roma disiunctiores essent, Walliam *Britanniam Secundam* putaui. Cùm etiam inclinante imperio, illas prouincias solummodò *Consulares* magistratus habuisse notauerim, quæ hostibus obiacebant, vt videre est apud librum Notitiarum, non solùm in Galliâ, sed etiam in Africa; & apud nos *Valentia* cum *Maxima Cæsariensi* in eo libro *Consulares* censeantur: eas Scotis & Pictis proximas expositásque in illis, quos dixi, locis iudicaui. *Flauiam* autem *Cæsariensem* hîc omnibus intermediam fuisse, & in Angliæ meditullio non possum non coniectare, & eò confidentiùs, quòd idem mecum sentit antiquus ille scriptor Giraldus Cambrensis. Hæ fuêrunt sub Romanis Britanniæ diuisiones.

Posteà, barbaris vndique insultantibus, & ciuili bello inter Britannos indies ingrauescente, sanguine & succo exhausta aliquandiu iacuit, sine vllo imperij simulachro. Demúm verò ea pars, quæ ad Arctos vergit, in duo regna *Scotorum* scilicet & *Pictorum* concessit, & Pentarchia Romanorum in hac citeriori parte facta fuit *Heptarchia* Saxonum. Prouinciam enim Romanorum vniuersam, præter VValliam, quam Britannorum reliquiæ occupârunt, in septem regna descripsêrunt, *Cantium* scilicet, *Southsexiam*, *East-Angliam*, *Westsexiam*, *Northumbriam*, *Eastsexiam*, & *Merciam*.

Saxonum Heptarchia. Sed quæ fuit hæc Anglo-Saxonum Heptarchia, & quæ locorum nomina eo seculo in hac Tabella Chorographica adiuncta, si libet, intuearis.

Quas

Quas regiones siue Comitatus hæc regna complexa fuerint, cum in Tabella Chorographica propter angustias *commodè designari non possent, hac altera tabella, potius quàm* verborum congerie, vt simul & semel intueatur *lector, proponere libet.*

Heptarchia Saxonica

1 CANTII regnum continebat	Comitatum	*Cantij.*
2 SVSSEXIAE, siue Australium Sax. regnum continebat	Comitatus	*Suthsexiæ.* *Suthreiæ.*
3 EASTANGLIAE, siue Orientalium Anglorum regnum continebat	Comitatus	*Norfolciæ.* *Suthfolciæ.* *Cantabrigiæ*, cum Insula (*Ely.*
4 WESTSEXIAE, siue Occiduorum Saxon. continebat	Comitatus	*Cornwalliæ.* *Deuoniæ.* *Dorsetiæ.* *Somersetiæ.* *Wiltoniæ.* *Southantoniæ.* *Bercheriæ.*
5 NORTHVMBRIAE regnum continebat	Comitatus	*Lancastriæ.* *Eboracæ.* *Dunelmiæ.* *Cumbriæ.* *Westmorlandiæ.* *Northumbriæ*, & regiones Scotiæ vsq; ad Edenburgi fretum.
6 ESTSEXIAE, siue Orientalium Sax. regnum continebat	Comitatus	*Essexiæ.* *Middlesexiæ.* *Hertfordiæq;* partem.
7 MERCIAE regnum continebat	Comitatus	*Glocestriæ.* *Herefordiæ.* *Wigorniæ.* *Warwici.* *Leicestriæ.* *Rotelandiæ.* *Northantoniæ.* *Lincolniæ.* *Huntingdoniæ.* *Bedfordiæ.* *Buchinghamiæ* *Oxenfordiæ.* *Staffordiæ.* *Derbiæ.* *Salopiæ.* *Nottinghamiæ.* *Cestriæ.* *Hertfordiæq;* partem alte- (ram.

Anglia in Comitatus diuisa.

NEC dum tamen, florente Heptarchia, Anglia ita in Comitatus diuisa (sic enim vulgò vocant) sed in quasdam regiunculas cum suis Hidis, quas ex antiquo fragmento quod à Francisco Tate in antiquitate iuris nostri versatissimo accepi. Continet vero tantùm regionem Cis-Humbranam.

** Hida est, vt nonnullis placet, tantum terræ quantum aratrum vno anno colere potest. vt alijs, 4 virgatæ terræ.*

Myrcna continet 30000. * Hidas.	*Nox gaga* 5000. hidas.
Woken-setna 7000. hidas.	*Oht gaga* 2000. hidas.
Westerna 7000. hidas.	*Hwynca* 7000. hidas.
Pec-setna 1200. hidas.	*Ciltern-setna* 4000. hidas.
Elmed-setna 600. hidas.	*Hendrica* 3000. hidas.
Lindes-farons 7000. hidas.	*Vnecung-ga* 1200. hidas.
Suth-Gyrwa 600. hidas.	*Arosetna* 600. hidas.
North-Gyrwa 600. hidas.	*Fearfinga* 300. hidas.
East-Wixna 300. hidas.	*Belmiga* 600. hidas.
West-Wixna 600. hidas.	*Witherigga* 600. hidas.
Spalda 600. hidas.	*East-Willa* 600. hidas.
Wigesta 900. hidas.	*West-Willa* 600. hidas.
Herefinna 1200. hidas.	*East-Engle* 30000. hidas.
Sweordora 300. hidas.	*East-Sexena* 7000. hidas.
Eysla 300. hidas.	*Cant-Warena* 15000. hidas.
Wicca 300. hidas.	*Suth-Sexena* 7000. hidas.
Wight-gora 600. hidas.	*West-Sexena* 100000. hidas.

Ex his nominibus etsi quædam prima facie intuenti innotescant, alia tamen diu multumque cogitanti haud facilè eruantur, coniectoremque multò acutiorem, quàm me profiteor, requirunt.

Aelfred in nummis dicitur.

Postea cum solus Ælfredus rerum potiretur, vt Germani maiores nostri, teste Tacito, iura per pagos, vicosque reddebant, & Centeni ex plebe comites ad rem administrandam adiungebantur; sic ille (vt Ingulphi Croulandensis verbis vtar) *primus Angliam in Comitatus diuisit, quod indigenæ rapinas committebant, exemplo, & colore Danorum: Comitatus porro in Centurias, id est,* Hundreds, *& Decimas, id est,* Tithings, *distribui fecit, præcepítq; vt omnis indigena, in aliqua esset Centuria, & Decima. Præfectos etiam Prouinciarum, qui antea Vicedomini vocabantur, in duo officia diuisit, videlicet, Iudices, nunc Iustitiarios, & Vicecomites, qui adhuc idem nomen retinent. Horum cura, & industria tanta pax breui per totam prouinciam effloruit; vt si viator quantãcumq; summam pecuniæ in campis, vel publicis compitis vesperi demisisset, manè vel post mensem rediens integram, & intactam videret.* Quod fusius tibi explicabit Malmesburiensis historicus. *Occasione,* inquit, *barbarorum,* sc. Danorum, *etiam indigenæ in rapinas anhelauerunt, adeò vt nulli tutus commeatus esset, sine armorum præsidijs, Centurias, quas* Hundreds *dicunt, & Decimas, quas* Tithings *vocant, instituit Aluredus, vt omnis Anglus legaliter duntaxat viuens, haberet, & Centuriam, & Decimam. Quod si quis delicti alicuius insimularetur, statim ex Centuria & decima exhiberet, qui eum vadarentur; qui verò istiusmodi vadem non reperiret, seueritatem legum horreret. Si quis verò reus ante vadationem, vel post transfugeret, omnes ex Centuria & Decima, regis mulctam incurrerent. Hoc commento pacem infudit Prouinciæ, vt per publicos aggeres, vbi semitæ per quadriuium finduntur, armillas aureas iuberet suspendi, qui viantium auiditatem riderent dùm non esset, qui eas abriperet.*

Centuriæ.

Wappentacks, Tithings, and Lathes.

Cæterùm hæ Centuriæ in nonnullis regni partibus *Wappentaches* nominantur; caussam si quæris ex Edwardi Confessoris legibus dicam. *Cùm quis accipiebat præfecturam Wappentachij, die statuto in loco vbi consueuerant congregari, omnes maiores natu contra eum conueniebant, & descendente eo de equo suo, omnes assurgebant ei. Ipse verò erecta lancea sua ab omnibus secundum morem fœdus accipiebat: Omnes enim quotquot venissent cum lanceis suis ipsius hastam tangebant, & ita se confirmabant per contactum armorum, pace palam concessa. Anglicè enim arma vocantur* pæpun; *&* Taccape *confirmare, quasi armorum confirmatio, vel vt magis expresse secundum linguam Anglicam dicamus,* Wepentac, *armorum*

rum

rum tactus eſt. ƿepun *enim arma ſonat,* ꞇac *tactus eſt. Erant etiam & aliæ poteſtates ſuper Wapentachia quas vocabant* Þrihingaſ, *quòd erat tertia pars prouinciæ. Qui verò ſuper eas dominabantur, vocabantur* Þrihingereſaſ; *ad hos deferebantur cauſæ quæ non poterant definiri in Wapentachijs. Sicque quod Angli vocabant Hundredam, iſti Wapentachium, Et quod Anglicè vocabant tres vel quatuor Hundredas, iſti vocabant* Þrihinge. *In quibuſdam verò prouincijs Anglicè vocabantur* Leþ *quod iſti dicunt Trihing, quod autem in* Þrihinge *definiri non poterat, ferebatur in Schyram.*

Hos Comitatus (quos vel *Conuentus*, vel *Pagos* propriè, & Latinè voces) nos peculiari vocabulo *Shyres* appellamus, à ſcyre Saxonica dictione, quæ *partiri*, & *diuidere* ſignificat: primàque diuiſione tantùm XXXII. numerabantur; anno enim à Chriſto nato 1016. Ethelredo regnante, non plures fuiſſe Malmesburienſis refert. Sic enim in Ethelredi illius vita ſcribit. *Dani hoc tempore, cùm numerantur in Anglia pagi* XXXII. *ſedecim inuaſerunt.* Eàque tempeſtate pro legum varietate hi Comitatus diuiſi erant, Leges enim Angliæ in triplici erant differentia, Occiduorum ſcilicet Saxonum quam *Weſtſaxenlage*, Danorum quam *Denelage*, & Merciorum quam *Merchenlage* dixerunt. Ad Occiduorum Saxonum legem ſpectarunt nouem Comitatus, vz. *Cantium, Suſſexia, Suthria, Bercheria, Southantonia, Wintonia, Somerſettia, Dorſettia,* & *Deuonia.* Ad Danorum legem quindecim pertinuerunt Comitatus, vz. *Eboracenſis, Derbia, Nothinghamia, Leiceſtria, Lincolnia, Northantonia, Bedfordia, Buckinghamia, Hertfordia, Eſſexia, Midleſexia, Northfolcia, Southfolcia, Cantabrigia, Huntingdonia.* Reliqui octo Merciorum legem ſequebantur, hi erant, *Gloceſtria, Wigornia, Herefordia, Warewicus, Oxenfordia, Ceſtria, Salopia,* & *Staffordia.* Cùm autem huius regni cenſum egerit Guilielmus primus, XXXVI. Comitatus, vt habet Polychronicon, numerabantur. Acta tamen publica, in quæ cenſum ille retulit, duntaxat XXXIIII. percenſent, *Dunelmia* enim, *Lancaſtria, Northumbria, Weſtmorlandia,* & *Cumbria* non eo numero habebantur, quòd hæ tres poſteriores tunc temporis paruerint Scotis, vt quidam volunt, & alteræ illæ vel penſitationibus fuerint immunes, vel ſub Eboracenſi agro comprehenſæ. Verùm poſteà in numerum additæ XXXIX. Comitatuum numerum compleuerunt, quem hodiè habemus. Quibus accedunt XIII. plures in VVallia, quorum ſex fuerint tempore Edwardi Primi, reliquos Parlamentaria authoritate inſtituit Henricus octauus.

Angliæ diuiſio pro ratione legum.

Liber M.S. Sancti Edmundi.

Domeſday booke.

Wallia in Comitatus diuiſa.

In his Comitatibus, difficilioribus temporibus, *Præfectus Regius* quem *Lieutenant* vocant, ne quid detrimenti Reſpub. caperet, conſtituitur. Huius prima inſtitutio ab Ælfredo Rege repetenda videatur, qui cuſtodes regni ſingulis Comitatibus conſtituit. Quos poſteà Henricus III. reſtituit, *Capitaneoſque dixit.* Ille enim anno regni quinquageſimo *tenuit Parlamentum*, vt habet Iohannes Londinenſis, *in quo fuerat ſalubriter ordinatum quòd in quolibet Comitatu ſumptibus regijs vnus fiat Capitaneus, qui cum auxilio Vice-comitis arceret pradonum rabiem truculentam à rapinis: ergò multi terrore perterriti ceſſauerunt, & cæpit poteſtas regia reſpirare.* Prouidè hi quidem, ſed an prudentiùs Canutus Danus, qui in Monarchia Tetrarchiam inſtituit, diſſerant noſtri Politici. Ille enim, vt author eſt Hermandus Archidiaconus, *per omnia ſolers ſollicitudinem regni quadrifariam partiens Tetrarchas ſtabilivit quos fideles voti repererat. Weſtſaxiæ ſibi ipſi maiorem, Edrico cuidam* * *Mircham ſecundam portionem, Yrio tertiam Northumbre vocitatam, Turkillo Comiti Eſt-Angliæ quartam, quæ redundabat copia aureo cornu plena.* Et hoc acceptum fero diligentiæ Fr. Thinni qui in hoc antiquitatis ſtudio ſumma cum laude deſudauit, & hæc mihi ſeorſim annotauit.

897. Matth. Weſtm.

Floruit 1070.

* *Mercia.*

Singulis verò annis, ex minoribus nobilibus incolis aliquis præficitur his Comitatibus quem *Vicecomitem*, quaſi Vicarium Comitis, & noſtra lingua *Shiriffe .i. Comitatus præpoſitum* vocamus, qui etiam Comitatus vel prouinciæ Quæſtor rectè dici poteſt. Eius enim eſt publicas pecunias Prouinciæ ſuæ conquirere, mulctas irrogatas, vel pignoribus ablatis, colligere, & ærario inferre: Iudicibus præſtò adeſſe, & eorum mandata exequi. Duodecim viros cogere, qui in cauſſis de facto cognoſcunt, & ad Iudices referunt, (Iudices enim apud nos iuris ſolùm, non facti ſunt Iudices) condemnatos ad ſupplicium ducere, & in minoribus litibus cognoſcere. Conſtituuntur etiam in ſingulis Comitatibus quidam Ereinarchæ. ſiue *Pacis Iuſticiarij* inſtituto Regis Edwardi Tertij, qui de *murdris, felonijs, tranſgreſſionibus*, vt vocant, & multis alijs delictis cognoſcunt. Adhæc Rex

Shiriffe of the ſhire.

Duodecim-viri.

Iuſtitiarij Pacis.

Shyres.

Iustitiarij ad Assisas. Rex quotannis duos ex Iustitiarijs Angliæ in quemlibet Comitatum emittit, vt de incarceratis sententiam ferant, & *Gaolam*, vt Iuridico verbo vtar, *deliberent.* De quibus posteà in Tribunalibus.

Quòd ad Ecclesiasticam iurisdictionem attinet. Cùm Romani Pontifices Ecclesias *Anglia in Parochias diuisa.* singulas singulis presbyteris assignassent, & parochias eis diuisissent, Honorius Archiepiscopus Cantuariensis circa annum à salute reparata 636. Angliam primus in Parochias, vt legitur in historia Cantuariensi, distribuere cœpit.

Duas autem nunc habet Anglia prouincias, Archiepiscopos item duos, Cantuariensem nimirum, totius Angliæ Primatem, & Metropolitanum: & Eboracensem. Quibus subsunt XXV. Episcopi: Cantuariensi XXII. Eboracensi tres reliqui. Qui verò sunt hi *Episcopi.* Episcopatus, cum Comitatibus, siue Diœcesibus, quas nunc obtinent, optimus ille & reuerendissimus pater Matthæus Parkerus Archiepiscopus Cantuariensis, optimarum literarum patronus, & antiquitatis summè studiosus his suis verbis ostendit.

IN PROVINCIA CANTVARIENSI.

CAntuariensis *cum* Roffensi *ipsum Cantium Comitatum continet.* Londinensis *Essexiam, Middlesexiam, partemque Hertfordensis Comitatus.* Cicestrensis *Southsexiam.* Wintoniensis *Southamtonensem, Surriam, & Vectam Insulam; Gernseiam, & Iersejam insulas Normanniæ obiacentes.* Salisburiensis *Wilcheriam, & Bercheriam.* Exoniensis *Deuonsam, & Cornubiam.* Bathoniensis & Wellensis *simul iunctæ Somersetum.* Glocestrensis *Glocestrensem.* Wigorniensis *Wigorniensem, & partem Warwicensis.* Herefordensis *Herefordensem, & partem Salopiensis.* Couentrensis, & Lichfieldensis *vnà copulatæ, Staffordensem, Derbiensem, & reliquam partem Warwicensis, nec non Salopiensis partem eam, quæ ad Repillum fluuium spectat. Tum* Lincolnienlem *omnium maximum sex terminant Comitatus, Lincolniensis, Leicestrensis, Huntingdona, Bedfordiensis, Buckinghamiensis, & reliqua pars Hertfordiensis.* Eliensem *Cantabrigia, ipsaque Elie insula.* Nordouicensem *Norfolcia, atque Suffolcia.* Oxfordiensem *Oxfordiensis.* Petroburgensem *Northamptona, & Rutelandia.* Bristoliensemque *Dorcestria. Quibus* XVIII. *in Anglia Diœcesibus, addendæ sunt Walliæ, siue Cambriæ Diœceses, quæ & Archiepiscopatu proprio priuatæ, & numero extenuatæ sunt, septem vix in quatuor abeuntibus, quæ sunt* Meneuensis, *quæ* ad Fanum S. Dauidis sedet, Landauensis, Banchorensis, *&* Assaphensis, siue Elwensis.

IN PROVINCIA EBORACENSI.

EBoracensis *ipse comprehendit agrum Eboracensem, & Nottinghamiensem.* Cestrensis *Cestriam Comitatum, Richmondiam, & Lancastriam, partemq; Cumbriæ, Flintæ, & Denbyghæ, continet.* Dunelmensis *autem ipsum Dunelmensem, atque Northumbriam.* Carliolensis *Cumbriæ partem, Westmoriamque Comitatus cingit. His Sodorensem in Insula Mana quæ vulgò* Man *dicitur, adiungas.*

Inter hos primum locum habet Archiepiscopus Cantuariensis, secundum Eboracensis, tertium Episcopus Londinensis, quartum Dunelmensis, quintum Wintoniensis: reliqui vt consecratione priores, ita loco potiores. Si quis autem ex alijs Episcopis fuerit Regi Secretarius locum quintum suo iure sibi vendicat. Sunt præterea in Anglia Decanatus XXVI. e quibus XIII. in maioribus ecclesijs, monachis exturbatis, ab Henrico Octauo fuerunt instituti. Archidioconatus LX. Dignitates, & Præbendæ DXLIIII.

Numerantur etiam Parochiales ecclesiæ sub Episcopis 9284. è quibus 3845. sunt *Appropriatæ*, vt habetur in Catalogo Regi Iacobo exhibito, quem hic subiunxi. Ecclesiæ vero *Appropriatæ* dicuntur, quæ Papali intercedente authoritate, cum Regis, & Episcopi Diœcesios consensu, Monasterijs, Episcopatibus, Collegijs, & hospitalibus exiliter dotatis, vel quòd in eorum prædijs fuerint constructæ, vel à prædiorum dominis concessæ, certis conditionibus colligatæ; vel vt formularij loquuntur, *vnitæ, annexæ & incorporatæ in perpetuum:* quæ postea subuersis monasterijs, magno Ecclesiæ damno *Feuda* facta fuerunt *Laicalia.*

In

	Dioeceses	Ecclesiæ Parochiales	Ecclesiæ Appropriatæ
In Prouincia Cantuarienſi	*Cantuarienſis*	257	140
	Londinenſis	623	189
	Wintonienſis	362	131
	Couentrenſis & Lichfeld	557	250
	Sarisburienſis	248	:09
	Bath, & Wellenſis	388	160
	Lincolnienſis	1255	577
	Petroburgenſis	293	91
	Exonienſis	604	239
	Glocestrenſis	267	125
	Herefordenſis	313	166
	Norwicenſis	1121	385
	Elyenſis	141	75
	Roffenſis	98	36
	Cicestrenſis	250	112
	Oxonienſis	195	88
	Wigornienſis	241	76
	Bristollienſis	236	64
	Meneuenſis	308	120
	Bangorenſis	107	36
	Lhandaffenſis	177	98
	Aſaphenſis	121	19
	Peculiares in Prouincia Cant.	57	14
	Summa Prouinciæ Cantuar.	8219	3303
In Prouincia Eboracenſi	*Eboracenſis*	581	336
	Dunelmenſis	135	87
	Ceſtrenſis	256	101
	Carleoleenſis	93	18
		1065	592
	Summa totalis in vtraque Prouincia.	9284	3845

In libro tamen Thomæ Wolſæi Cardinalis deſcripto 1520 per Cõmitatus numerantur eccleſiæ 9407. Vnde hæc varietas non dixerim, niſi quòd ſuperiori ſeculo nonnullæ fuerint dirutæ, & Capellæ quæ ſunt Parochiales omittantur, & aliæ quæ non ſunt niſi Capellæ in Parochialum Eccleſiarum numerum referantur. Ex hoc tamen Wolſæi libro ego numerum Eccleſiarum ſingulis Comitatibus ſubiunxi.

Fuerunt etiam regnante Henrico octauo (fas ſit meminiſſe) auitæ pietatis monumenta ad Dei honorem, fidei Chriſtianæ, bonarumq; literarum propagationem, & pauperum ſuſtentationem Domus religioſæ, ſcilicet Monaſteria, ſiue Abbatiæ, & Prioratus numero 645. è quibus cum PP. Clem. 7. permiſſu 40. fuerint ſuppreſſę in gratiam Cardinalis Wolſæi qui tunc duo Collegia, alterum Oxoniæ, alterum Ipſwichi inchoauerat: ſtatim circa annum 36. Henrici VIII in rempublicam Angliæ eccleſiaſticam quaſi torrens rupto aggere

Monaſteria.

Centum Prioratus monachorum alienigenarum Henricus Quintus antè diſſoluerat.

gere irruit, qui gentis ecclesiasticæ partem maximam, orbe stupente, & Anglia ingemente, cum pulcherrimis ædificijs funditùs prostrauit. Nam quod Papa Cardinali, Rex sibi cum Parliamenti assensu permisit. Vnde anno 1536. singulæ religiosæ ædes cum facultatibus omnibus, quæ in reditibus annuis ducentas libras, vel minùs habuerunt, numeroque erant 376. Regi fuerunt concessæ. Et anno insequenti specioso eruendæ superstitionis obtentu reliquæ, cum Collegijs, Cantarijs, & Hospitalibus, Regis arbitrio fuerunt permissæ; Quo tempore censitæ, siue taxatæ fuerunt Religiosæ ædes superstites 605. Collegia præter eas in Academijs 96. Hospitalia 110. Cantariæ, & liberæ Capellæ 2374. Quæ pleraque omnia breui post tempore passim diruta, reditus distracti, & opes quas Christiana Anglorum pietas, ex quo primùm Christo nomen dedisset, Deo consecrauerat, quasi momento dispersæ, &, absit verbo inuidia, profanatę.

ORDINES ANGLIÆ.



QVod ad reipublicæ nostræ diuisionem attinet, constat ex Rege, siue Monarcha, Nobilibus, Ciuibus, Ingenuis, quos *Yeomen* vocamus, & Opificibus.

Rex. REX, quem maiores nostri Coning, & Cyning (in quo nomine & potentiæ & scientiæ inest significatio) nos contractiùs *King* appellamus, supremam potestatem, & merum imperium apud nos habet, nec in imperij clientela est, nec inuestituram ab alio accipit, nec præter Deum superiorem agnoscit; & vt ille dixit, *Omnis quidem sub eo, & ipse sub nullo, nisi tantùm sub Deo.* (Bractonus lib 1 c.8.) Maiestatisque iura sua habet longè plurima (*Sacra Sacrorum*, & *Indiuidua*, quia seiungi non possunt, Iurisprudentes eruditi, *Prærogatiuas Regias* vulgus appellat) & floribus quæ Corona regia insunt designari aiunt. Horum alijs lege scripta, alijs consuetudinis iure, quod tacita omnium voluntate sine lege vetustas comprobauit, Rex gaudet meritissimè, cùm *omnium domos illius vigilia, omnium otia illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio tueatur.* (Seneca.) Sed hæc sublimioris sunt loci, & non huius argumenti.

Princeps. Secundus à Rege est filius eius primogenitus, qui vti apud Romanos imperij designatus successor, primùm *Princeps Iuuentutis*, inde gliscente adulatione, *Cæsar*, *Nobilis Cæsar*, & *Cæsar Nobilissimus* dictus: ita apud maiores nostros Anglo-Saxones sua lingua *Ætheling* (Ætheling. Clyto.) i. *Nobilis*, & Latinè *Clyto*, à Græco κλυτός. i. *Inclytus* (Græcæ linguæ affectatrix fuit illa ætas) erat appellatus. Vnde de Eadgaro postremo Anglici imperij hærede masculo versatur adhuc in ore vulgi diuerbium. Eadgar, Edeling Englands dearling. Et in antiquis Regum Latinis diplomatibus sæpenumero legitur. *Ego E.* vel *AE. Clyto Regis filius*: verùm nomen *Clyto* etiam omnibus regum liberis impertitum obseruaui. Post Normannicam victoriam nullus certus, nec alius, quod sciam, illi assignatus erat titulus honorarius, quàm singulariter *Filius Regis*, & *Primogenitus Regis Angliæ*, donec Edwardus Primus filium Edwardum nomine Principis VValliæ, & Comitis Cestriæ, (cui posteà Aquitaniæ Ducatum etiam concessit) ad Comitia Parlamentaria euocauerit: vti idem cùm iam Rex esset Edwardus Secundus, Edwardum filiolum vix decennem titulo Comitis Cestriæ, & *Flint*, ad Parlamentum accersiuit. Verùm Edwardus ille iam regno potitus Edwardum filium bellica gloria florentissimum Cornubiæ Ducem creauit. Ex quo tempore Regis filius primogenitus Cornubiæ Dux natus censetur. Paulòque pòst eundem Principis VValliæ titulo solemni inuestitura adornauit. (Princeps Walliæ.) VValliæq; Principatus his verbis delatus *tenendus sibi & hæredibus Regibus Angliæ.* Vtq; destinati Romani imperij successores, quod modò dixi, *Cæsares*, Græci *Despotæ*, Gallici regni *Delphini*, Hispanici *Infantes* dicti: ita Anglici, *Principes VValliæ* iam inde nuncupati fuerunt; permansitq; hic titulus ad Henrici VIII tempora, cùm VVallia regno Angliæ fuerit plenè adunata. Iam verò cùm diuisa olim Britanniæ regna in vnum auspicijs Iacobi regis potentissimi coalescant, eius filius primogenitus Henricus, Britanniæ amor, & deliciæ, PRINCEPS BRITANNIAE MAGNAE appellatur: quem ad maxima natum vt maximis virtutibus, & perenni honore ita adaugeat Deus, vt spem nostram, maiorum res gestas, & laudes, nec

nec non annos quàm longissimè & fœlicissimè superet, vniuersa Britannia assiduè, ex, animo comprecatur.

Nobiles verò nostri diuiduntur in Maiores & Minores. Nobiles maiores vocamus Duces, Marchiones, Comites, & Barones, qui vel hæreditario iure his titulis gaudent, vel iisdem virtutis ergó à Rege exornantur.

DVX primus est post Principem dignitatis titulus. Hoc primùm nomen erat officij, & non honoris. Circa Ælij Veri tempora qui limitibus præerant, Duces sunt primùm dicti, eratque hic gradus Constantini ætate Comitibus inferior. Deleto Romano imperio hic titulus etiam vt officij nomen remansit, quique apud nos in antiquis chartis Saxonico seculo tanto numero *Duces* dicuntur, Anglica lingua tantùm *Ealdormen* vocabantur, ijdèmque qui *Duces* etiam *Comites* sunt appellati, vt Guilielmum illum Angliæ Victorem quem plerique omnes *Normanniæ Ducem* dicunt, Guil Malmesburiensis *Normanniæ Comitem* vocat. Sed cùm Ducem, tùm Comitem nomen fuisse officij, ex hac formula creandi Ducis vel Comitis apud Marculphum antiquum scriptorem constat. *Præcipuè regalis in hoc perfectè collaudatur clementia vt inter populum cunctum bonitas & vigilantia requiratur personarum: nec facile cuilibet iudiciariam conuenit committere dignitatem nisi priùs fides & strenuitas videatur probata. Ergo cùm & fidem & vtilitatem tuam videmur habere compertam, actionem Comitatus, Ducatus, vel Patriciatus in pago illo quem antecessor tuus vsq. nunc visus est egisse, tibi in agendum regendúmq. commisimus: ita vt semper erga regimen nostrum fidem illibatam custodias, & omnes populi ibidem commanentes, sub tuo regimine & gubernatione degant & moderentur, & eos recto tramite secundùm legem & consuetudines eorum regas: Viduis & pupillis maximus defensor appareas: latronum & malefactorum scelera à te seuerissimè puniantur, vt populi benè viuentes sub tuo regimine gaudentes debeant consistere quieti: & quicquid de ipsa actione in fisci dicationibus speratur, per temetipsum annis singulis nostris ararys inferatur.* Honorarius titulus esse cœpit sub Othone Magno circa annum 970. Ille enim vt sibi arctiùs viros bellicosos & prudentes astringeret *Regalibus* quæ dixit insigniuit: *Regalia* hæc erant dignitates, vel prædia in feudo. Dignitates erant *Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valuasores, Valuasini.* Hæreditarius titulus seriùs esse cœpit in Gallia, nec antequam Philippus III. Rex Galliæ concessit, vt Britanniæ Duces iam inde vocarentur, qui & Duces & Comites anteà promiscuè nominati. In Anglia verò Normannico tempore, cùm ipsi Normannici Reges, Normanniæ Duces essent, longo tempore neminem eo honore ornárunt, donec Edwardus III. Edwardum filium Cornwalliæ Ducem creauerit, *per sertum in capite, annulum in digito, & * virgam argenteam*; vt Normanniæ Duces olim per ensem & vexillum traditum, posteà per cincturam gladij Ducatus, & circulum aureum aureis rosulis in summitate exornatum. Idemque Rex Edwardus III. in Parlamento filios suos Leonellum Ducem Clarentiæ, & Ioannem Ducem Lancastriæ *per cincturam gladij, imposito capitibus pellito pileo, cum circulo ex auro & margaritis, & Charta tradita.* Creauitiam inde plures erant hæreditarij apud nos Duces subinde creati cum eiusmodi verbis in Charta. *Nomen, titulum statum, stilum, locum, sedem, praeminentiam, honorem, authoritatem, dignitatem Ducis N. damus, & concedimus, atq. per gladij cincturam, capæ & circuli aurei impositionem in capite, & traditionem virgæ aureæ realiter inuestimus.*

Dux. *Marculphi formula.* *Sigonius lib. 5 Regni Italici.* ** Posteà virga aurea fuit in vsu.* *Matth Paris de Ioanne creato Duce Normanniæ.*

MARCHIO, id est, si verbum spectes, *Præfectus limitaneus*, secundum à Duce honoris locum habet. Hic titulus seriùs ad nos peruenit, nec ante Richardi secundi tempora cuiquam delatus. Ille enim Robertum *Vere* Oxoniæ Comitem, delicias suas, Marchionem Dubliniæ designauit, merùmque erat honoris nomen. Nam qui anteà limitibus præfuerant, *Lord Marchers* vulgò vocabantur, & non *Marquesses*, vt nos vocamus. A Rege verò creantur, *per cincturam gladij, ac cappæ honoris & dignitatis impositionem, Chartamq. traditam.* Nec pigebit hìc referre, quòd in Parlamentarios Rotulos relatum inuenitur. Cùm Ioannes de *Beaufort* ex Comite Somersetti à Richardo secundo Dorsettiæ Marchio creatus, & eo titulo ab Henrico 4. exutus esset, Communitasque Angliæ in Parlamento à Rege supplex peteret, vt illi amissum Marchionis nomen restitueret; ille ipse se opposuit, palamque dixit hanc esse nouam dignitatem, penitùsque maioribus ignotam, & ideò se neutiquam expetere, & planè nolle habere.

Marchiones. *4. H. 4.*

COMITES,

Comites.

Comites, qui tertium locum tenent, a maioribus nostris Germanis habuisse videamur. Illis enim olim, vt author est Tacitus, *Comites erant qui Principibus consilium, & authoritas semper adessent.* A Romanis tamen ad nos, vti etiam ad Francos, deuenisse existimant alij. Imperatores enim adulto iam Imperio, domesticum quendam senatum circa se habere incœperunt, qui Cæsaris Comitatus appellatus, & ipsi quorum consilio in bello & pace vtebantur, *Comites* dicti, vnde in Inscriptionibus antiquis frequens est, COMITI IMPP. Paucísq; annis ita inualuit, vt *Comitis* nomen omnibus magistratibus datum, qui sacrum Comitatum obseruârunt, vel qui ex eo prodirent: & inde nomen posteà porrectum sit ad omnes qui alicui negotio præpositi erant, Suidæq; definitur Comes ὁ λαχὼν ἀξίαν, vt Cuiacius nos docuit. Ex quo etiam docemur ante Constantinum Magnum Comitis nomen, vt dignitatem denotaret, in vsu non fuisse. Hic autem cùm imperij Romani formam nouis distinctionibus mutaret, & quamplurimos beneficio suo deuincire, atq; honore cumulare niteretur, Comitis titulum honorarium sine administratione primùm instituit: erátque Comitiua facultas quædam, & priuilegium, Principem non solùm prodeuntem, sed in Palatio quoque & locis secretioribus comitandi; posse illius epulis, priuatísque sermonibus interesse. Vnde apud Epiphanium legitur, ὃς καὶ παρ' αὐτοῦ τοῦ βασιλέως ἀξιώματος Κομήτων ἔτυχε. i. *Qui etiam Comitum dignitatem à Rege consecutus.* Tandem hoc beneficio ornatis alias dignitates cum functione concessit, & vicissim, qui in magistratu & Reipub. administratione essent, illo honore affecit. Hinc Comitis nomen dignitatem, atque præfecturam, ab eo tempore significauit, initio temporariam, posteà vitæ æqualem. Deinceps verò cùm res Romana in plura regna distraheretur, hic etiam titulus retentus, & Saxones nostri, quos sua lingua Ealdorman, Latinè *Comites* & *Consules* dixerunt: eosdemq; *Eorlas* .i. *honoratos*, sua lingua Dani vocârunt, vt author est Ethelwerdus, quo nomine emollito *Earles* hodie nobis appellantur. Diuq; sanè & simpliciter hoc nomine nuncupati sunt, tandem loci etiam adiectione, cui cum authoritate præerant. Nec dum hæreditaria erat hæc dignitas. Primi verò hæreditarij Comites in Gallia erant, vt obiter adnotem, Comites Britanniæ. Verùm cùm Guilielmus Normannus iam victor summam rerum in hoc regno administraret, Comites cœperunt esse feudales, hæreditarij, & patrimoniales, qui etiam vt ex Censuali Angliæ libro constat, sine vlla omninò adiectione Comites appellati, vt *Comes Hugo, Comes Alanus, Comes Rogerus &c.* Posteà vt in antiquis Chartis videre est, loci nomine adiuncto creati erant Comites, & tertius Comitatus denarius illis assignatus. Exempli gratiâ, Matildis Imperatrix Regis Henrici Primi filia & hæres his verbis Comitem creauit, vt in ipsa Charta quam habeo apparet. *Ego Matildis filia Regis Henrici & Anglorum Domina do & concedo Gaufredo de Magnauilla pro seruitio suo, & hæredibus suis post eum hæreditabiliter, vt sit Comes de Essexia, & habeat tertium denarium Vicecomitatus de placitis sicut Comes habere debet in Comitatum suum in omnibus rebus.* Et hæc antiquissima est quam hactenus vidi Creationis Charta. Similiter Henricus II. Rex Angliæ his verbis Comitem creauit. *Sciatis nos fecisse Hugonem Bigod Comitem de Norfolc, scilicet de tertio denario de Norwic, & Norfolc, sicut aliquis Comes Angliæ liberiùs Comitatum suum tenet.* Quod sic exponit liber vetustus Monasterij de Bello. *Consuetudinaliter per totam Angliam mos antiquitùs inoleuerat Comites prouinciarum tertium denarium sibi obtinere, inde Comites dicti.* Item alius Anonymus pleniùs. *Comitatus à Comite dicitur, aut vice versa. Comes autem est, quia tertiam portionem eorum quæ de placitis proueniunt, in quolibet Comitatu percipit, sed non omnes Comites ista percipiunt, sed hi quibus Rex hæreditariò, aut personaliter concessit.* Vnde verè pro more qui nostri Polydorus Virgilius. *Anglis mos est, vt Comitatuum tituli arbitratu principis dentur, etiam sine possessione locorum, è quibus ipsi tituli petantur. Quare Rex solet iis qui nihil in eo Comitatu habeant, ex suis vectigalibus dare quotannis aliquam pecuniæ summam in possessionis loco.*

In Paratitlis ad Cod.

Eorles hodie Earles

P. Pithœus in Memorab. Campaniæ.

Creabantur olim nulla adhibita ceremonia, sed tantùm Charta tradita. Sub Stephano qui regnum inuasit flagrante ciuili bello, plures etiam Comitum titulos inuaserunt quos Historia Ecclesiæ VVauerleiæ *Pseudocomites*, & *Comites imaginarios* vocat, dum memorat Henricum Secundum eos deposuisse. Ioannes autem Rex, quantum ego obseruaui, gladij cincturam primus adhibuit. Scribit enim Rogerus de Houeden. *Die Coronationis*

Gladij cinctura

*nus sua Ioannes Rex accinxit Guilielmum Marescallum gladio Comitatus * Strigulia, & Gaufredum filium Petri gladio Comitatus Essexia, qui licèt anteà vocati essent Comites, & administrationem Comitatuum suorum habuissent, non tamen erant accincti gladio Comitatus: & ipsi illa die seruierunt ad mensam regis accincti gladijs.* Seculo subsequenti accessit impositio pilei, cum circulo aureo qui nunc in coronam radiatam mutatur, & trabea honoraria. Quæ tria, vz. gladius cum cingulo, pileum cum corona, & trabea honoraria hodie præferuntur à singulis Comitibus illi qui Comes creandus, & inter duos Comites trabeis etiam honorarijs indutos ad Regem in solio sedentem introducitur in supertunica, vbi in genua nixus dum codicilli Creationis leguntur; ad hæc verba. *Ipsum T. in Comitem S. erigimus, creamus, insignimus, praficimus, & ordinamus, ac nomen, titulum, statum, stylum, honorem, authoritatem, & dignitatem Comitis .S. damus, concedimus, & per gladij cincturam realiter inuestimus*; trabea à principe superinducitur, gladius ad collum appenditur, pileum cum corona capiti imponitur, & Creationis codicilli cùm prælecti fuerint, in manum traduntur. Sed hæc huius non instituti. Quòd autem inoleuit vt qui Comes sit creandus, si Baro anteà non fuerit, in Baronem priùs erigatur, nouum & nuperum est, & ab Henrici VIII. temporibus vsurpatum. Verùm inter Comites longè honoratissimi erant illi qui Comites Palatini sunt dicti, vt enim *Palatinus* commune erat nomen omnibus qui officijs in Regis palatio fungebantur, ita Comes Palatinus titulus erat dignitatis delatus ei qui fuit antè Palatinus, cum regali quadam authoritate iudicandi in suo territorio.

Penbrochiæ, alibi. *Comes Palatini.* *P Pithæum.*

Post Comites VICECOMITES ordine sequuntur, *Vicounts* nos vocamus. Hæc vetus officij, sed noua dignitatis appellatio, & Henrici VI. tempore apud nos primùm audita.

Vicecomites.

Inter Nobiles maiores, locum proximum obtinent BARONES. Etsi autem non me latet, quid de huius nominis apud Ciceronem significatione scribunt eruditi: Isidori tamen, & veteris Grammatici opinionem libens amplectar, qui *Barones* mercenarios milites esse volunt. Hoc enim notissimus ille apud Hirtium de bello Alexandrino locus euincere videtur. Qui sic se habet. *Concurritur ad Cassium defendendum, Semper enim Barones, complurésq; euocatos cum telis secum habere consueuerat, à quibus cateri intercluduntur.* Nec dissentit vetus Glossarium Latino-Græcum quod vertit Baro per Ἀνήρ. Vbique etiam in Longobardorum legibus Baro pro *Vir* vsurpatur. Nominis verò Etymologiæ, quas nonnulli procuderunt, mihi parùm arrident. Fæciales Gallici deducunt Barones à Gallica lingua quasi *Par-hommes*, i. *æquali dignitate*: Iurisperiti Anglici quasi *robora belli*: Germani nonnulli quasi *Banner-heirs*, i. *Vexilliferi*: Isidorus quasi βαρεῖς .i. graues. Alciatus a Beronibus, gente antiqua Hispanica, quos olim mercenarios milites fuisse tradit. Sed illa è Germanica lingua potior, qua *Bar* liberum & sui iuris significat. Quo tempore hæc appellatio in hanc insulam deuenerit non mihi compertum. Britanni pro suo non agnoscunt. In Anglo-Saxonicis legibus nusquam comparet, nec in Alfrici Glossario Saxonico inter dignitatum vocabula habetur, vbi *Dominus* vertitur *Laford* quod nos in *Lord* contraximus. Danis verò liberi Domini, cuiusmodi hodie Barones hi sunt, *Thani* dicebantur, & adhuc (teste Andrea Velleio) dicuntur. In Burgundia tamen valde antiquus est nominis vsus, scribit enim Gregorius Turonēsis, *Burgundia Barones tam Episcopi, quàm cateri Leudes, &c.* In fragmento legum Canuti Regis Anglorum & Danorum prima apud nos est Baronis mentio, quantum ego obseruaui; In quo tamen pro exemplarium varietate *Vironis*, *Baronis*, & *Thani* legitur. Sed Barones innuisse certum est è legibus Guilielmi Conquestoris, in quas illa Canuti Normanicè transferuntur sub nomine Baronis: ecce ipsissima verba. * *Exercitualia verò ita sint moderata vt tolerabilia sint. Comitis sicut decet, qua sunt 8. equi, quatuor sellati, & quatuor non sellati, quatuor galea & quatuor lorica, octo lancea & totidem scuta, quatuor gladij nec non ducenta * manca auri. Vironis siue Baronis verò regis qui est proximus ei quatuor equi, duo cum sellis & duo sine sellis, duo gladij, quatuor lancea, & totidem scuta, galea vna, & lorica vna. nec non & L. manca auri.*

Barones. *In Paratitlis. Vide Goldastũ p.414.* *Lordes.* *Circa annum 580.* *Heriota siue Releuium.* *Mancusa fortè i.30 denarij.*

Primis etiam Normannorum temporibus Valuasores, & Thani proximi à Comitibus & Baronibus in dignitate censebantur, & Valuasores maiores (si illis qui de Feudis

Thani multi in Anglia tempore Conquestoris.

ſcribunt, credimus) ijdem fuerunt qui nunc Barones. Vt Baro ex illis nominibus videatur, quæ tempus paulatim meliora & molliora reddidit. Nec dum magni honoris erat, illis enim temporibus Comites nonnulli ſuos ſub ſe Barones habuerunt, meminique me legere in antiquis Francorum Conſtitutionibus decem fuiſſe Barones ſub Comite, & toticem Capitaneos ſub Barone. Necnon Chartas antiquas extare certum eſt in quibus Comites ab ingreſſu Normannorum, ſcribebant, *Omnibus Baronibus meis tam Francis quam Anglis ſalutem*, &c. Etiam melioris notæ ciues *Barones* vocabantur, ciues enim Warwicenſes in libro Angliæ Cenſuali Barones, item ciues Londinenſes, & quinq; portuum incolæ eodem nomine gaudebant. Paucis deinceps interiectis annis, vt Romæ olim Senatores è cenſu eligebantur, ſic Barones apud nos habiti fuerunt qui per integram Baroniam terras ſuas tenebant, ſiue XIII feoda militaria & tertiam partem vnius feodi militaris *quolibet feodo*, vt habet vetuſtus liber, *computato ad XX. libras quæ faciunt* 400. *Marcas. Ea enim erat valentia vnius Baroniæ integræ, & qui terras & redditus ad hanc valentiam habuerunt, ad Parlamenta ſummoneri ſolebant.* Dignitaſque eſſe videbatur cum

Court Barones. iuriſdictione, quòd Curiæ Baronum, quas vocant, quodammodo probant. Ipſaque Baronum multitudo perſuadet tales fuiſſe Dominos qui ius in ſua ditione dicere poſſent, cuiuſmodi apud Germanos *Free-heirs* dicuntur, maximè verò ſi caſtra ſua habuerant. Tunc enim Baldi celeberrimi illius Iuriſconſulti definitioni reſpondebant, qui cum Baronem definit, quicunque *habuit merum miſtumque imperium in aliquo caſtro conceſſione Principis*. Omneſque, vt aliqui volunt, qui Baronias tenebant, hunc ſibi honorem arrogâſſe

Math. Paris pag. 1262. videntur: vtque nonnullis iure noſtro eruditis placet Baro, & Baronia, Comes & Comitatus, Dux & Ducatus, vt Rex & Regnum quaſi coniugata fuerunt. Certè illa ætate centum quinquaginta Baronias in Anglia numerauit Henricus Tertius. Et hinc eſt quòd in

Baronagium Angliæ. Chartis & hiſtorijs eius ſeculi omnes fere nobiles dicantur *Barones*, plenaque honoris illa appellatio ſane tunc erat, & nomine *Baronagij Angliæ*, omnes ſuperiores quodammodo regni ordines, ſcilicet Duces, Marchiones, Comites & Barones continebantur. Sed ad ſummum honorem peruenit, ex quo Rex Henricus III ex tanta multitudine quæ ſeditioſa & turbulenta fuit, optimos quoſq; reſcripto ad Comitia Parlamentaria euocauerit. *Ille enim* (ex Eius antiquo ſcriptore loquor) *poſt magnas perturbationes & enormes vexationes inter ipſum Regem, Simonem de Monteforti, & alios Barones motas & ſopitas ſtatuit & ordinauit, quod omnes illi Comites, & Barones regni Angliæ quibus ipſe Rex dignatus eſt Breuia ſummonitionis dirigere, venirent ad Parlamentum ſuum, & non alij: niſi fortè Dominus Rex alia illa Breuia eis dirigere voluiſſet.* Sed quod ille paulò antè obitum incepit,

Summonitio Parlament. Edwardus primus, eiuſque ſucceſſores conſtanter obſeruârunt. Inde illi ſoli regni Barones cenſebantur, quos eiuſmodi *ſummonitionum*, vt vocant, reſcriptis reges ad Comitia euocauerant; donec Richardus Secundus Ioannem de *Beauchamp* de *Holt* Baronem de *Kiderminſter* diplomate dato x. Octobr. anno Regni XI. creauerit. Iam inde Reges diplomatibus, vel potius honorarijs literis, & trabea honoraria impoſita hunc honorem ſæpe detulerunt. Hodieque hæc per diplomata Baronis creandi ratio, & illa per reſcripta *Summonitionis* ſunt in vſu, in quibus tamen non nomine Baronis, ſed *Cheualier* ſalutantur. Et qui ſic creati, vocantur *Barones Parlamenti, Barones regni, & Barones honorarij*, ad differentiam eorum qui adhuc ex veteri illa Baronum formula vulgò *Barones* vocantur, vt illi de *Burford*, de *Walton*, & qui Barones fuerunt Comitibus Palatinis Ceſtriæ, & Penbrochiæ qui feudales erant & per *tenuram* Barones.

Hi Parlamentarij Barones non nudo tantùm nomine, vt illi Galliæ, & Germaniæ gaudent, ſed omnes ſunt Regni Angliæ Pares, Proceres, Magnates, & Conſiliarij nati; euocanturque a Rege his verbis *ad tractandum de arduis regni negotijs, & conſilium de ijs impendendum*. Suaſque habent immunitates & priuilegia, ſcilicet, vt non niſi Parium iudicio in criminalibus ſiſtantur, vt ad iuſiurandum non adigantur, ſed ſufficiat, vt *pro honore* proteſtentur, ad inquirendum *de facto* inter duodecim-viros non vocentur, vt *Breuibus* illis, *Supplicauit, Capias, Eſſoinis* non ſubijciantur, & alia plurima quæ Iuriſconſultis relinquo, quibus hæc & huiuſmodi ſunt tractanda.

Epiſcopi Barones. Præter hos duo Archiepiſcopi, & omnes Angliæ Epiſcopi Barones etiam ſunt Regni ſiue Parlamentarij, vt auorum memoria, hi etiam è Cœnobiarchis.

Abbas

Abbas { Glasconiæ. S. Augustini Cantuariensis. S. Petri Westmonasteriensis S. Albani. S. Edmundi de Bury. S. Petri de Burgo. S. Ioannis Coleceestriæ. Eueshamiæ. Winchelcombiæ. Croulandiæ. Belli, siue *Battaile*. Redingiæ. Abindoniæ. }

Abbas { Walthamiæ. S. Crucis. Salopiæ. Cirencestriæ. S. Petri Glocestriæ. Bardeneiæ. S. Benedicti de Hulmo. Thorneiæ. Ramseiæ. Hydæ. Malmesburiæ. S. Mariæ Eboracensis. Selbeiæ. }

Abbates Baroneis Parlamentarij.

Prior { Couentriæ. Ordinis S. Ioannis Hierosolymis, qui vulgo *Magister Militum Ioannitarum*, & primus Angliæ Baro haberi voluit. }

Ad quos (vt etiamnum ad Episcopos) *quibuscunq; Parlamentis*, ex Actis publicis loquor, *vt Pares regni cum cæteris Paribus personaliter interesse, consulere, tractare, ordinare, statuere, definire ratione Baroniarum quas de Rege tenebant, de iure & consuetudine spectauit.* Rex enim Guilielmus primus (quod eius æui conquerebantur Ecclesiastici, verùm succedentis honori duxerunt maximo) *Episcopatus, & Abbatias quæ Baronias tenebant in pura & perpetua eleemosyna, & eatenùs ab omni seruitute seculari libertatem habuerant, sub seruitute statuit militari, irrotulans singulos Episcopatus & Abbatias pro voluntate sua, quot milites sibi & successoribus hostilitatus tempore à singulis voluit exhiberi.* Iam inde Ecclesiastici illi omnibus quibus cæteri regni Barones gauisi sunt immunitatibus, nisi quòd à Paribus non iudicentur, Cùm enim illis iuxta Canones Ecclesiæ caussis sanguinis interesse non liceret, in iisdem caussis XII. viris iuratis quoad factum iudicandi relinquuntur. Sed an hoc sit iuris explorati dixerint ipsi Iurisperiti. *Math Paris.*

Vauasores, siue *Valuasores* proximum post Barones locum olim tenuerunt, quos à Valuis Iuridici deducunt; Hæc dignitas à Francis ad nos promanâsse videtur. Cùm enim illi rerum in Italia potirentur, *Valuasores* illos dixerunt, qui a Duce, Marchione, Comite, aut Capitaneo plebem, plebisque partem acceperant, & vt Butelerius Iurisconsultus inquit, *summa coërcitionis, sed non nundinarum & mercatus ius habuerunt.* Rara hæc fuit apud nos dignitas, & siqua fuit, iam olim paulatim desijt. Chauceri enim seculo non magna, cùm ille de suo *Frankelino*, siue ingenuo colono. *Vauasores. Sigonius.*

A Sheriffe had he beene, and a contour
Was no where soch a worthy Vauasour.

Nobiles minores sunt Equites aurati, Armigeri, & qui vulgo *Generosi* & *Gentlemen* dicuntur. *Nobiles minores.*

Equites aurati, qui & *Milites* Latinè Anglis Iurisconsultis, apud omnes ferè gentes ab equis nomen inuenerunt, *Cauellieri* enim Italis, *Cheualier* Gallis, Reiter Germanis, *Margogh* Cambro-britannis ab equitando dicuntur. Anglis solummodò *Knightes* vocantur, vocabulo quod antiqua Anglorum, vti Germanorum lingua ministrum siue seruientem & iuuenem promiscuè significat. Hinc in Euangelijs antiquis, lingua Anglica pro Christi Discipulis *Leornung Cnyhts*, alibi pro Cliente, *Incnyht* legimus, & *Radenightes* memorat Bractonus noster Iurisperitus antiquus .i. *Ministri Equites*, qui tenebant ea lege terras suas, vt Domino equis inseruirent, vnde truncato nomine, vt contractiùs loqui gaudemus, *Knights* nobis remansisse olim existimaui. *Equites siue Milites.*

Vnde autem illi apud nostrates in legibus, & omnibus à Normannica victoria scriptis *Milites* Latinè dicti fuerint vix video. Nec me tamen latet, quod dilabente Romano imperio, Militum appellatio translata fuerit ad eos qui circa latus principis agentes munera maiora in Comitatu principis gesserunt. Sed si quid hac in re video; Illi sic primò apud nos appellati fuerunt, qui prædia beneficiaria siue *Feuda* tenuerint vt militarent. Feuda *Cur Knights Milites Latinè dicti.*

enim illa *Militaria* dicta fuerunt, & qui alibi *Feudatarij*, hîc Milites dicebantur, vt *Milites Regis*, *Archiepiscopi* Cantuariensis, Comitis Rogeri, Comitis Hugonis &c. quòd ea lege prædia ab illis accepissent, vt illis militarent, fidemque & *hominium* præstarent; cùm alij qui pro solidis militarent, *Solidarij* & *Servientes* appellarentur. Cæterum hi, siue Milites, siue Equites appellare libet, quadruplici sunt apud nos discrimine, honoratissimi autem habentur illi ordinis *Georgiani Garterij* siue Periscellidis, secundi *Banneretti*, tertij *Balnei*, & quarti qui simpliciter nostra lingua *Knightes*, Latinè *Equites aurati*, siue *Milites* sine additione dicuntur. De Georgiani ordinis militibus suo loco cùm ad VVindesoram peruenerimus. De reliquis nunc paucula.

Solidarij.

Baneretti.

Baneretti qui alijs *Baroneti* falsò dicti, nomen habent à vexillo, concessum enim illis erat militaris virtutis ergô quadrato vexillo, perinde ac Barones vti, vnde & *Equites Vexillarij* verè à nonnullis vocantur, & Germanis *Banner-heires*. Horum antiquitas vltra Edwardi Tertij tempora cùm Angli bellicis laudibus abundarent, repetere non possum: vt tunc primùm excogitatum hunc titulum honorarium in bellicæ virtutis præmium, donec dies certiora docuerit, crediderim. In actis publicis eius æui fit mentio inter titulos militares *Banerettorum*, *Hominum ad vexillum* qui ijdem videantur, & *Hominum ad arma*. Legique Chartam Regis Edwardi tertij, qua Iohannem Coupland in Baneretti statum quòd Dauidem secundum Scotorum Regem in prælio apud Dunelmiam cœpisset his verbis erexit. *Volentes ipsum Ioannem qui Dauidem de Bruis cæpit, & gratanter nobis liberauit, propter ipsius probitatis & strenuitatis merita taliter præmiare, quòd alij per hoc exemplum capiant nobis temporibus futuris fideliter obsequendi, eundem Ioannem in statum Baneretti posuerimus; & pro eodem statu manutenendo concesserimus pro nobis & hæredibus nostris eidem Ioanni quingentas libras percipiendas sibi & hæredibus singulis annis. &c.*

Pars 2. Pat. 15. E. 3. m. 22. & 23.

Memoria dignum est hic formulam adnotare ex Frossardo, qua Ioannes Chandos vir suo tempore militari laude florens factus sit Banerettus. Cùm iam Edwardus Walliæ Princeps belli aleam experturus erat pro Petro Castellæ rege contra Henricum nothum & Gallos, Ioannes Chandos Principem accessit, vexillumque suum complicatum illi in manus tradidit, sic affatus. Domine mi, hoc meum est vexillum, placeat vobis explicare vt hodie efferam. Sunt enim mihi fauente Deo, ad hoc prouentus satis magni. Princeps verò & Petrus Rex Castellæ qui adstitit, acceperunt in manus vexillum, & illi reddiderunt explicatum cum huiusmodi verbis. Domine Ioannes quod fœlix faustumq; tibi sit, & in gloriam cedat, viriliter agas, & ostendas qui vir sis. Ille accepto vexillo, alacris ad suos se contulit, & attollens, Commilitones inquit, ecce vexillum meum & vestrum, si vt vestrum animosè propugnetis. Posterioribus temporibus qui ad hunc honorem euehendus, vel ante prælium vt animi excitarentur, vel post prælium, vt virtuti suus constaret honos, gestans signum oblongum, *Pennon* vocant, in quo sua depinguntur insignia, inter duos seniores Equites præeuntibus Tubicinibus, & Heraldis coram Rege, vel Prorege adducuntur, qui bene ominatus iubet signi extremitatem abscindi, vt ex oblongo vexillum fiat quadratum.

**Milites Balnei.*

*De *Militibus* siue *Equitibus* Balnei nihil antiquius mihi legenti hactenus occurrit, quàm in vsu fuisse apud veteres Francos, & Henricum Quartum Angliæ Regem ea die qua inauguratus in Arce Londinensi quadraginta sex Armigeros, qui præcedente nocte vigilassent, & balneo vsi essent Equites creâsse, singulis tunicas virides ad talos demissas cum manicis strictis, & *Mineueria* pellitas donâsse, eosque gestâsse ad humerum sinistrum duplicem funiculum ex albo serico cum * torulis dependentibus. Hi superiori seculo ex flore nobilitatis qui nondum gradum equestrem accepissent, seligi in Regum & Reginarum inauguratione, nuptijs, aliquando etiam cùm eorum filij in Principes Walliæ vel Duces inuestirentur, aut Militari baltheo cingerentur, plurimis adhibitis ceremonijs, quæ iam maximam partem exoluerũt, creari solebant. Nostris autem temporibus qui ad hunc ordinẽ suscipiendum à Rege euocantur, (nec hanc rem exquisitè persequar) pridiè quàm creantur, heremiticam vestem cineritiam cum cucullo, pileolo lineo & ocreas induti sacra deuoti accedunt, vt militiam suam quasi Deo inprimis militaturi auspicentur: vnà cœnant, singulisque ministrant duo Armigeri, & puer assecla, A cœna in cubiculum se recipiunt, vbi paratur singulis lectulus cum velarijs rubris, Armisque suis gentilitijs affixis & iuxta vas balneatorium linteis opertum, in quo cùm se Deo commendauerint se abluunt,

** Tassells.*

vt

vt deinceps corpore, animoq; mundo esse admoneantur. Postridiè benemanè instrumentorum Musicorum sono excitantur, easdemque vestes induunt. Tunc Angliæ Constabularius, Marescallus, & alij quos Rex constituit eos accedunt, nominatim suo ordine euocant, & iusiurandum proponunt, scilicet, vt Deum ante omnia colant, Ecclesiam defendant, Regem honorent, eius iura propugnent, viduas, virgines, orphanos tueantur, & iniuriam quantum poterunt, propulsent. Hæc cùm tactis Euangelijs iurauerint, ad sacra matutina Regijs musicis, & Heraldis præeuntibus deducuntur, atque ab ijsdem in cubicula reducuntur, vbi heremiticas vestes exuti, chlamydem holosericam rutilo Martis fulgore relucentem, & galerum candidum candidis plumis super pileum lineum induunt, chirothecas candidas funiculo chlamydis colligant. Equos sella & Ephippijs scorteis nigris albo interstinctis, & cruce fronti præfixa instructos conscendunt. Ante singulos suus assecla eques gestat gladium capulo inaurato, ad quem dependent aurata calcaria, vtrinque Armigeri obequitant. Hac pompa tubis antè clangentibus ad Aulam Regiam itur, vbi cùm ad Regis præsentiam à duobus senioribus Militibus deducuntur; Regis Camerario assecla balteum cum gladio dependenti tradit, ille summa cum reuerentia Regi, qui *Militem* transuersim eo cingit, iubetque duos seniores equites calcaria imponere, qui olim creandi militis genua benè precantes exosculari soliti. Iamque *Milites* creati, olim regiæ mensæ fercula inferebant, inde omnes vnà prandent, ad idem mensæ latus assidentes sub suo cuiusque Clypeo gentilitio affixo. Ad preces vespertinas sacellum adeunt, gladios ad altare offerunt, datoq; pretio redimunt. Redeuntes verò primarius regis Coquus ostenso cultro, vt se probos & fideles præstent Milites, admonet, alioquin se calcaria ignominiosè abscissurum. Die autem Coronationis in pompa suo loco Regem comitantur gladio accincti, calcaribus inducti, Chlamyde cærulea, Iouis scilicet æqui colore amicti, & nodo ex albo serico in formam crucis efformato cum capitio ad humerum sinistrum. Sed de his quæ sigillatim persequi non institui, hæc satis superque videantur.

Nunc de Militibus illis qui simpliciter sine vlla adiectione *Knights* appellantur, & licet ordine postremi, institutione tamen sunt primi & antiquissimi. Vt enim Romani gens togata virilem ætatem ingredientibus virilem & puram togam donauerunt: ita maiores nostri Germani suis iuuenibus quos armis tractandis idoneos iudicârunt, arma donauerunt. Quod suis verbis docebit Cornelius Tacitus. *Arma sumere non ante cuiquam moris, quàm ciuitas suffecturum probauerit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaq; iuuenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus iuuenta honos: ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicæ.* *Knights.* *De moribus Germanorum.*

Cùm autem huiusmodi iuuenes militares sua lingua, vt nos nostra, *Knechts* vocârint, hinc & nominis, & institutionis originem repetendam censeo. Hæc prima & simplicissima creandi Militis ratio, hac Longobardi, hac Franci, hac nostri, qui omnes è Germania profecti olim vsi sunt. Prodit Paulus Diaconus apud Longobardos, *consuetudo est vt regis filius cum patre non prandeat nisi priùs a rege gentis exteræ arma suscipiat.* Memorant Francorum Annales Reges Francorum filijs suis, & alijs arma donasse, gladioque cinxisse, atque teste Malmesburiensi, Ælfredus noster Æthelstanum nepotem magnæ spei puerum Militem fecit donatum chlamyde coccinea, gemmato baltheo, ense Saxonico cum vagina aurea. Postea cùm religio ita animos hominum occupasset, vt nihil bene & auspicatè factum, quod a viris religiosis non profectum censerent, ab illis gladium maiores nostri paulo ante Normannorum aduentum acceperunt. Quod his verbis, qui tum vixit, ostendit Ingulphus. *Qui militiæ legitimæ consecrandus esset, vespere præcedente, ad Episcopum, Abbatem, Monachum, vel sacerdotem contritus de peccatis confessionem faceret, & absolutus orationibus deditus in ecclesia pernoctaret, in crastinum rem sacram auditurus, gladium super altare offerret, & post Euangelium sacerdos benedictum gladium Militis collo cum benedictione imponeret, & communicatus sacris Christi mysterijs denuo legitimus miles permaneret.* Nec statim sub Normannis exoleuit, scribit enim in Polycratico Ioannes Sarisburiensis. *Inoleuit consuetudo solennis, vt ea ipsa die, qua quisq; militari cingulo decoratur, ecclesiam solemniter adeat, gladioque super altare posito, & oblato, quasi celebri professione facta, seipsum obsequio altaris deuoueat, & gladij, id est, officij sui iugem domino spondeat famulatum.* Petrus etiam Blesensis. *Hodie tyrones enses suos recipiunt de altari, vt pro-* *Lib. 1. C. 21.* *Epist. 94.*

fiteantur se filios ecclesiæ, atque ad honorem sacerdotij, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem gladium accepisse: Porro res in contrarium versa est, nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, & desæuiunt in patrimonium Crucifixi. Atque hoc quod gladio cingi voluerunt, deductum proculdubio a militari Romanorum disciplina videatur, quia vt illi priusquam sacramento militari gladio stricto obligati fuerant, pugnare cum hostes nefas existimarunt: ita nostri non sibi legitimè militare licere opinati sunt, priusquam hac ceremonia legitimæ militiæ consecrarentur, qua Guil. Rufum Angliæ Regem a Lanfranco Archiepiscopo Militem factum legimus. Sed hæc consuetudo paulatim in desuetudinem abijt, ex quo Normanni, vt habet Ingulphus, irriserint & exploserint, ac Synodo habita Westmonasterij anno 1102. sancitum fuerit *Ne Abbates faciant Milites:* Quod nonnulli tamen exponunt; Ne Ecclesiæ prædia *militari feudo* tenenda Abbates concederent.

Cicero lib. 1. Offic. de Catonis filio.

Posteà ad Principes vicinos Reges filios mittere solebant vt equestrem ab illis dignitatem acciperent: sic Henricus noster secundus missus ad Dauidem Regem Scotorum, & Malcolmus Rex Scotorum ad Henricum nostrum secundum, & Edwardus noster primus ad Regem Castillæ, vt acciperent ab ijs *Arma militaria*, siue *virilia*, his enim loquendi formulis pro creatione Equitis eo seculo vsi sunt. Tunc etiam ad ornamentum præter gladium, & cingulum, calcaria aurata etiam accesserunt, vnde *Milites & Equites aurati* hodie vocantur. Ius etiam sigilli additum, antequam enim baltheo militari cincti erant, vt colligo ex Abendonensi libro, sigillo vti non licuerat. *Quod descriptum* (inquit) *Richardus Comes Cestrensis sigillo matris Ermentrudis signare constituit, cum (nondum enim militari baltheo cinctus erat) literæ qualibet ab eo directæ materno sigillo includebantur.* Subsequenti ætate ex censu (vt colligitur) facti fuerunt Milites, qui enim feodum magnum militare.i.(si antiquis schydis sit vlla fides) * 680. acras terræ habebant, ordinis militaris ornamenta suo quasi iure postularunt. Imò sub Henrico tertio quodammodo coacti fuerunt Milites fieri quotquot libras quindecim ex annuis terrarum redditibus collegerunt. vt iam titulus potius oneris, quàm honoris videretur. *Anno 1256. exijt edictum regium, præceptumque est, & acclamatum per totum regnum, vt qui haberet* * xv *libratas terræ, & supra, armis redimitus tyrocinio donaretur, vt Angliæ sicut Italia militia roboraretur: & qui nollent, vel qui non possent honorem status Militaris sustinere, pecunia se redimerent.* Vnde in Archiuis regni toties occurrit. *Pro respectu Militiæ A. de N. I.H. &c.* & huiusmodi præsentationes a Iuratoribus. *R. de Sancto Laurentio tenet integrum feodum, & est plenæ ætatis, & nondum factus Miles, ideò in misericordia.* Huc vsque & vlteriùs nisi me mea fallit obseruatio, in formulis Iuris nostri vbi duodecim-viri siue iuratores nominantur apud quos facti sit probatio, illi milites dicti erant, quibus erat feodum integrum, illique *Milites gladio cincti*, qui a Rege baltheo cincti militari. Quo tempore cùm Rex milites crearet, vt habet idem Matthæus Paris, *veste deaurata ex pretiosissimo baudekino & coronula aurea redimitus gloriose in solio sedit, singulisque militibus 100. Solidos pro harnesiamentis præstitit.* Nec solùm Rex, verumetiam Comites eo seculo creârunt Milites. Meminit enim idem author quomodo Comes Glocestriæ Wilhelmum fratrem suum proclamato Torneamento, & Simon de *Monteforti* Comes Leicestriæ Gilbertū de *Clara* baltheo cinxit militari. Vt in Gallia, quod ex formula literarū nobilitationis constat, qui nobilitatis eiusmodi literas obtinuit, *a quocunq; milite voluerit, valeat militiæ cingulo decorari.* Verùm iam inde nemo creatus fuit apud nos Miles nisi vel ab ipso Rege, vel Regis primogenito, accepta prius a patre authoritate, vel a Regis Locum-tenente siue præfecto in exercitu, idque vel ob res fortiter gestas vel gerendas, aut togatam prudentiam. Et hoc sane a Regibus nostris prudentissimè institutum cum *feuda* iam non sibi essent quæ donarent. Nihil sane valentius ad excitandos viros strenuos, atque astringendos sibi optimos beneque meritos qui claro loco nati, & a re instructi, quàm illos hoc titulo Militum honorario (qui ante honoratæ tantum functionis nomen erat) benignè & beneuolè exornare. Qui cùm a Principe consultò, meritòque deferebatur, ampli sane præmij, beneficijque loco, & inter insignia honoris habebatur. In hoc enim virtutis mercedem, familiæ laudem, generis memoriam, & nominis gloriam collocatam qui sic Milites facti existimarunt. Adeo vt iuris nostri consulti scripserint, quòd *Miles* sit nomen dignitatis, non item *Baro*. Olim enim Baro, si non ex hoc ordine esset Equestri, simpliciter suo prænomine

**800 alij.*

Historia minor Matthæi Paris.

**Integrum feodum Militis.*

Miles nomen dignitatis.

nomine & nomine sine aliquo adiuncto, nisi *Domini* (quod etiam Militibus competit) scribebatur. Militis autem nomen honorarium videatur adiunctum, cùm Reges, Duces, Marchiones, Comites, & Barones dignitatem vnà cum nomine experierint. Iuuat hic interserere quæ de creatione Militum tempore Edwardi primi scripsit Matthæus Florilegus. *Ad augmentandam profectionem suam in Scotiam fecit Rex per Angliam publicè proclamari, vt quotquot tenerentur fieri Milites successione paterna, & qui haberent vnde militarent, adessent apud Westmonasterium in festo Pentecostes, admissuri singuli omnem or-* 1306. *natum militarem præter equitaturam, de regia Garderoba. Confluentibus itaq; trecentis iuuenibus filijs Comitum, Baronum, & Militum, distribuebantur purpura, byssinæ syndones, cyclades auro textæ affluentissimè, prout cuique competebat. Et quia Palatium regale, etsi amplum, tamen ad tot occurrentium turbam angustum fuit, apud nouum Templum Londini succisis lignis pomiferis, prostratis muris, erexerunt papiliones, & tentoria, in quibus tyrones deauratis vestibus se singuli decorarent; ipsa quoque nocte in Templo prædicti tyrones, quotquot poterat capere locus illic suas vigilias faciebant. Sed princeps Walliæ, præcepto regis patris sui, cum præcelsis tyronibus fecit vigilias suas in Ecclesia Westmonasterij. Ibi autem tantus clangor tubarum, & tibicinum, & exaltatio vocum præ gaudio extiterat clamantium, quòd conuentus de choro ad chorum non audiretur iubilatio. Die autem crastina cinxit rex filium suum baltheo militari in palatio suo, & dedit ei Ducatum Aquitanniæ. Princeps ergo factus Miles perrexit in Ecclesiam Westmonasterij vt consocios suos militari gloria pariter venustaret. Porrò tanta erat ibi pressura gentium ante magnum altare, quòd duo Milites morerentur, quamplures syncopizarent, etiam cùm quilibet ad minus tres milites ad se ducendum & tuendum haberet. Princeps autem propter turbam comprimentem non secus, sed super magnum altare diuisa turba per dextrarios bellicosos, socios suos cinxit.* Nostris verò temporibus qui Militarem dignitatem suscipit, flexis genibus, educto gladio leuiter in humero a principe percutitur, qui his verbis Gallicè affatur. *Sois Cheualier au nom de Deiu* .i. *Sis eques in nomine Dei.* & postea addit. *Auancer Cheualier* .i. *Surge eques.* Cætera quæ ad hunc ordinem spectant, quàm præclarus, gloriosus, & quàm splendidum præmium altissimis animis gloriæ, honorisq; cupidis equestris hic ordo apud maiores nostros habitus fuerit, quàm studiosè fidem & veritatem coluerint, cùm satis fuerit, si vt fideles Equites, vel Equestri fide aliquid sponderent, quàm alieni a sordido quæstu; cuiusmodi etiam pensitatio feodis Militaribus indici solita, cùm Princeps primogenitus Regis filius hoc honore ornaretur, scribant alij. Vti etiam cùm ita diliquissent, vt capitali supplicio afficiendi, suis insignibus fuerint exuti, baltheo militari discincti, gladio adempto, abscissis securi calcaribus, chirothecis ablatis, & clypeo gentilitio inuerso: perinde ac in regradandis cœlestis militiæ militibus, ecclesiastica ornamenta, liber, calix, & similia auferuntur. *Degradatio Militum.*

Inquirant etiam illi an hi milites rectè à nonnullis *Knights Bacchallers* vocati fuerunt, & quasi tyrones electi medij inter hos & Armigeros. In Archiuis enim leguntur, *Nomina Militum, Baccalaureorum, & Valectorum Comitis Glocestriæ.* Vnde sunt qui *Bachallers* quasi *Bas-Cheualers* dictos volunt, licèt alij a Gallico *Battailer*, quod depugnare significat, deducunt. *In Dorso Pat. 51 H.3.* Simul perpendant si hæ dignitates equestres quæ olim tam fuerint gloriosæ, dum rariores, & quasi præmia virtuti constitutæ, non euilescant cùm sint effusiores & cuiuslibet ambitioni prostitutæ iaceant. Quod in re simili olim conquestus erat apud Romanos Æmilius Probus.

His Militibus proximi fuere *Armigeri*, qui & *Scutiferi*, *Hominèsq; ad arma*, Gothis *Schilpor* à scuto ferendo, vt olim Scutarij Romanis dicti, qui vel à clypeis gentilitijs, quæ in nobilitatis insignia gestant, vel quia principibus & maioribus illis nobilibus ab armis erant, nomen traxerunt. *Armigeri.* Olim enim ex his duo vnicuique Militi inseruiebant, galeam, clypeùmque gestabant, vt indiuidui Comites adhærebant, eò quòd a Milite domino suo terras aliquas in *scutagio* tenebant, vt ipse Miles a rege in *feodo* militari. Quintuplex nunc est horum discrimen, nam quos dixi, iam non sunt ampliùs in vsu. Armigeri primarij hodie censentur qui sunt pro Principis corpore selecti, secundò Equitum Auratorum filij natu maximi, & eorum itidem filij maximi successiuè. Tertio in loco habentur filij natu maximi minorum filiorum Baronum, & aliorum superioris ordinis; quando autem primogeniti masculi deficiunt, deficit vnà cum illis titulus. Quarto ordine sunt quibus rex ipse

ipse cum titulo insignia donat, aut Armigeros creat, collum torque S.S. vel sigmatico argenteo & candidis, & argentatis calcaribus exornans, vnde hodiè in Occidentalibus regni partibus vocantur *Whitespurres*, ad discrimen Militum, siue Equitum auratorum qui auratis calcaribus vti solent; horùmque primogenitis titulus solummodo competit. Quinto loco Armigeri habentur quicunque aliquo superiori publico in Rep. munere funguntur, vel principi honestiori conditione famulantur. Sed hoc *Armigeri* nomen quod olim officij tantùm fuit, inter dignitatis titulos, quantùm obseruaui, regnante Richardo Secundo, primùm irrepsit.

Generosi. *Ciues.* *Generosi*, vel promiscuè nobiles sunt, qui natalibus clari, aut quos Virtus aut Fortuna è fæce hominum extulit. *Ciues*, siue *Burgesses*, qui in sua quilibet vrbe publicis funguntur muneribus, & in Parlamentarijs nostris Comitijs locum electione habent.

Yeomen. *Gemen Saxonicè .i. plebs.* *Plebeij*, siue *Yeomen* sunt, quos alij *Ingenuos*, lex nostra *homines legales* dicit, & ex agris, quos optimo iure tenent, quadraginta ad minimum solidos quotannis colligunt.

Opifices autem sunt, qui mercede operam locant, sedentarij, mechanici, fabri, &c. qui capite censi, & proletarij Romanis dicebantur.

TRIBVNALIA ANGLIÆ.



Parliamentum. QVod ad Angliæ tribunalia, Curias, siue Iuris fora attinet, in triplici sunt apud nos differentia, alia enim sunt Ecclesiastica, alia Temporalia, & vnum mixtum, quod maximum, & longè amplissimum, non ita vetusto nomine è Gallia mutuato *Parlamentum* dicitur. Maiores nostri Anglo-Saxones Wittena-ᵹe-mott, .i. *Prudentum Conuentus*, & ᵹe-ꝛædnıꝼꝼ.i. *Concilium*, & Micel ꝼynoꝺ (a Græca dictione Synodus) .i. *Magnus conuentus:* Latini eius & subsequentis æui scriptores, *Commune concilium*, *Curiam altissimam*, *Generale Placitum*, *Curiam Magnam*, *Magnatū Conuentum*, *Præsentiam Regis*, *Prælatorum*, *Procerumq́ collectorum*, *Commune totius regni concilium*, &c. vocârunt. Vtq; vniuersum Ætoliæ concilium PANETOLIVM, Liuio nominatur ita PANANGLIVM, rectè dici possit. Ex Rege enim Clero, Nobilibus maioribus, Equitibus & Burgensibus electis; siue vt significantiùs dicam stylo forensi, ex *Rege*, *Dominis Spiritualibus*, *& Temporalibus*, *atque ex Communitate* constat, qui vniuersæ Angliæ corpus repræsentant. Statis autem temporibus non habetur, sed à Rege pro arbitrio indicitur, quoties de rebus arduis, & vrgentibus, ne quid detrimenti respublica capiat, consultandum, eiusdemque solius arbitrio dissoluitur. Summam autem, & sacrosanctam authoritatem habet in legibus ferendis, confirmandis, antiquandis, interpretandis, proscriptis in integrum restituendis, litibus inter priuatos difficilioribus decidendis, & vt semel dicam, in omnibus quæ ad Reipublicæ salutem, vel etiam priuatum quemcunq; spectare possint.

Curia Regis. Proximum ab hoc forum primis post Normannorum aduentum temporibus, & aliquandiu antea, fuit *Curia ipsius Regis*, quæ in Aula Regia, vel Palatio tenebatur, & Regem, quocunque se recepit, concomitabatur. In Aula enim Regia locus erat Cancellario & scribis, qui circa rescripta, & Sigillum versabantur, Iudicibus etiam qui tam lites, siue quæ *Placita* vocant, ad coronam Regis spectantes, quàm subditorum inter se inuicem, tractabant. Ibi etiam *Scaccarium* erat, vbi Thesaurarius, & Rationales sedebant qui fiscum Regis curabant. Hi singuli pars Regiæ familiæ habiti, victumque, & vestitum à Rege acceperunt. Vnde *Palatij Causidici* Gotzelino in vita S. Edwardi, & *Curiales* Ioanni Sarisburiensi vocantur. Sed præter hos, & super hos, iuri administrando vnus præ-

Iustitia, siue Iustitiarius Angliæ. ficiebatur, qui *Iustitia Angliæ*, *Prima Iustitia*, *Iustitiarius Angliæ*, *& Iustitiarius Angliæ Capitalis* nominatus, qui huiusmodi codicillis cum annua mille Marcarum pensione constitutus erat. *Rex Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Vicecomitibus, Forestarijs, & omnibus alijs fidelibus regni Angliæ, salutem. Cùm pro conseruatione nostra, & tranquilitatis regni nostri, & ad iustitiam vniuersis & singulis de regno nostro exhibendam constituerimus dilectum & fidelem nostrum Philippum Basset Iustitiarium Angliæ, quàm diù nobis placuerit, Capitalem; vobis mandamus in fide qua nobis tenemini, firmiter iniungentes, quatenùs in omnibus quæ ad officium Iustitiariæ prædictæ*, *nec-*

non

non ad conseruationem pacis nostræ, & regni nostri pertinent, eidem dum in officio prædicto steterit, pleniùs sitis intendentes. Teste Rege &c.

Cum autem regnante Henrico III. sancitum erat quòd Communia subditorum Placita non sequerentur curiam Regiam, sed certo aliquo in loco tenerentur, paulò post Cancellaria, & Curia Placitorum Coronæ vnà cum Scaccario ab aula Regis translata, & seorsim certis in locis fuerunt stabilita, vt nonnulli, quam verè nescio, prodiderunt.

Hæc præfatus paucula de his & alijs, quæ ex his exorta sunt tribunalibus, vt nunc se habent, subtexam. Cùmque alia sint iuris, sc. *Bancus Regius, Bancus Communis, Scaccarium, Assisa, Camera Stellata, Curia Wardorum,* & *Admirallij:* alia æqui videlicet, *Cancellaria, Curia Requisitionum,* siue *Requestarum, Concilia in limitibus Walliæ, & parte Boreali.* De singulis suo ordine, quæ ab alijs accepi, habe paucula.

Bancus Regius sic dictus, quòd in eo Reges ipsi præsidere soliti, *Coronæ Placita,* aliaque multa quæ ad Regem & bonum publicum spectant, tractat; erroresque *Banci Communis* excutit. Iudices sunt præter Regem ipsum cùm interesse voluerit; *Capitalis Angliæ Iusticiarius,* & alij quatuor, aut plures, prout Regi visum fuerit. *Bancus Regius.*

Bancus Communis, quia *Communia placita,* inter subditos ex iure nostro, quod *Commune* vocant, in hoc disceptantur, nomen habet. In hoc iudicant *Capitalis Banci Communis Iusticiarius, Iustitiarij* assessores quatuor vel plures. Officiarij sunt, *Custos Breuium, Protonotarij tres,* ministrique inferiores quàm plures. *Bancus Communis.*

Scaccarium à tabula ad quam assidebant nomen traxit. Sic enim scribit Geruasius Tilburiensis qui vixit 1160. *Scaccarium tabula est quadrangula quæ longitudine quasi decem pedum, & quinq. latitudine ad modum mensæ circumsedentibus apposita; vndique habet limbum latitudinis quasi quatuor digitorum, supponitur Scaccario pannus in termino Paschæ emptus, non quilibet, sed niger virgis distinctus, distantibus à se virgis vel pedis, vel palmæ extentæ spatio.* Et paulò post. *Ab ipsa regni Conquisitione per Regem Guilielmum facta hæc Curia cœpisse dicitur, sumpta tamen eius ratione à Scaccario transmarino.* In hac omnes causæ audiuntur quæ ad Fiscum pertinent. Iudices sunt *Dominus Thesaurarius Angliæ, Cancellarius Scaccarij, Capitalis Baro, Barones alij tres, vel quatuor.* Ministri sunt, *Memoriæ Regis Minister, Memoriæ Thesaurarij Minister, Clericus Pipæ, Contrarotulator Pipæ, Auditores veteris Reuentionis quinq., Forinsecarum oppositor, Clericus extractorum, Clericus Placitorum, Marescallus, Clericus summonitionum, Deputati Camerarij. Secundarij in officio memoriæ Regis duo, Secundarij in officio Memoriæ Thesaurarij duo, Secundarij Pipæ duo, Clerici in diuersis officijs quatuor* &c. In altera Scaccarij parte, quæ *Recepta* dicitur, hi sunt *Officiarij: Camerarij duo, Vice-Thesaurarius, Clericus Talliarum, Clericus Pellis, Numeratores quatuor, Iunctores Talliarum duo, Deputati Camerarij duo, Clericus pro Tallijs, Custos Thesaurariæ, Tabellarij ordinarij quatuor, Scribæ duo, &c. Officiarij item Decimarum & Primitiarum* huc spectant. Cùm enim Papæ authoritas profligata esset, lege cautum erat vt Ecclesiasticorum beneficiorum *Decimæ* & *Primitiæ* Regi persoluerentur; hi instituti. *Scaccarium. Exchequer. Fiscus Regni.*

Præter hæc tria Regia Iuris fora ad moras amputandas, & subditorum labores, sumptusque subleuandos, ex his Iudicibus, & alijs Rex Henr. II aliquos in singulos Regni Comitatus quotannis misit, qui *Iusticiarij Itinerantes,* & vulgò *Iustices in Eyre* vocati: Hi tam de *Placitis Coronæ,* quàm de *Communibus Placitis* infra Comitatus illos quibus assignabantur, dijudicabant. Nam Rex ille, vt inquit Matthæus Parisiensis, *concilio filij sui, & Episcoporum constituit Iustitiarios per sex partes Regni, in qualibet parte tres, qui iurarent quod cuilibet ius suum conseruarent illæsum.* Sed hoc institutum tandem sub Rege Edw. III euanuit; authoritate tamen Parlamentorum paulò pòst quodammodo reuixit. Comitatibus enim in quosdam (quos *Circuitus* vocamus) diuisis, bini Iusticiarij Regis bis quolibet anno *Circuitus* suos obeunt ad sententiam de incarceratis ibidem ferendam, & *Gaolas* vt dicimus, siue *Prisonas liberandas,* siue euacuandas. Vnde Iuridicorum nostrorum Latinitate *Iusticiarij Gaolæ deliberandæ* nuncupantur. Nec non ad *Recognitiones Assisarum nouæ dessei sinæ,* & quorundam aliorum in eisdem capiendas; vnde *Iusticiarii Assisarum,* &c. ad lites contestatas in prædictis tribus Regis Curijs præcipuis inter litigantes per *Pares* suos (vti mos est) expediendas; vnde *Iusticiarii de Nisi prius,* quod à Breuibus, quæ hæc duo vocabula continent, Vicecomiti missis nomen cepit, vulgò appellantur. *Iustitiarij itinerantes.*

Camera

Camera Stellata. Starre-Chamber.

Camera Stellata, siue potiùs *Curia Consilij Regij*, in qua tractantur criminalia, periuria, imposturæ, dolus malus, *excessus*, &c. Hæc si vetustatatem spectemus, est antiquissima, si dignitatem honoratissima. Ex quo enim ad Reges prouocauerint, subditi, consiliumque regium institutum fuerit, antiquitatem repetere posse videtur. Iudices verò sunt viri longè honoratissimi, & spectatissimi, vtique Consiliarij Regij. *Camera* verò *Stellata* nomen accepit, ex quo in Camera stellis ornata Westmonasterij hoc consilium fuerit constitutum, quod iam olim factum. Legitur enim in actis publicis Edwardi Tertij. *Counseil en la Chambre des Estoielles, pres de la Receipte al Westminster.* Verùm huius authoritatem prudentissimus Princeps Henricus Septimus ita Parlamentaria authoritate adauxit, & constabiliuit, vt nonnulli primùm instituisse falsò opinentur. Iudices hîc sunt *Dominus Cancellarius Angliæ*, *D: Thesaurarius Angliæ*, *D. Præses Consilij Regij*, *D: Custos priuati sigilli, & omnes Consiliarij status*, tam Ecclesiastici, quàm Laici; & ex Parliamenti Baronibus illi quos Princeps aduocabit; *Duo Capitales Bancorum Iustitiarij*, vel ipsis absentibus, alij duo *Iustitiarij*. Officiarij autem sunt, *Clericus Consilij*, *Clericus Breuium, & processus consilij in Camera Stellata &c.* Causæque hîc non per *Pares* secundum legem nostram *Communem*, sed ad formulam Iuris Ciuilis ventilantur.

Curia VVardorum.

Curiam Wardorum & Liberationum, quæ à pupillis quorum causas tractat, nomen habet, Henricus Octauus primus instituit: cùm superioribus temporibus eorum causæ in *Cancellaria*, & *Scaccario* audirentur. Veteri enim instituto è Normannia deducto, & non ab Henrico Tertio, (vt aliqui scribunt,) cùm quis defunctus sit, qui possessiones à Rege in *Capite per seruitium Militare tenet*, tam hæres, quàm eius patrimonium, redituśque in Regis potestate, & tutela sunt, donec alterum & vigesimum ætatis annum compleuerit, & tunc ei per rescriptum Regis redhibentur. In hac *Magister Generalis* iudicat. Subsunt autem *Superuisor Liberationum*, *Attornatus Generalis*, *Receptor Generalis*, *Auditor*, *Clericus Liberationum*, *Clericus Curiæ*, *Feodarij quadraginta*, *& Tabellarius*.

Enatæ sunt etiam posteris temporibus duæ aliæ Curiæ, vz. *Errorum corrigendorum*, quarum prima pro *Erroribus in Curia Scaccarij*, alia pro *Erroribus in Curia Banci Regis* commissis emendandis. Illius sunt Iudices *Cancellarius*, *& Thesaurarius Angliæ*, adiectis sibi alijs quos velint Regis Iustitiarijs; istius verò *Iustitiarij Communis Banci*, *& Barones Scaccarij*.

Admiralij Curia.

Admirallij Curia res maritimas tractat. In hac numerantur *Admiralius Angliæ*, *Locum-tenens*, *& Iudex*, *Scribæ duo*, *Seruiens Curiæ*, *Viceadmiralij Angliæ*. Nunc ad fora æquitatis.

Cancellaria.

Cancellaria à Cancellario nomen traxit, quod nomen sub priscis Imperatoribus non adeò magnæ dignitatis fuisse ex Vopisco docemur. Nunc autem honoris est maximi, & in summum togatæ dignitatis fastigium euecti sunt Cancellarij. Quorum nomen Cassiodorus à Cancellis repetit, quòd intra secreta cancellorum septis clausa, caussas examinarunt. *Respice*, inquit ille, *quo nomine nuncuperis*, *Latère non potest quod intra cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas.* Vnde planè constat Cancellarium intra Cancellos vndique conspicuum sedisse, vt inde nomen accepisse videatur. Verùm cum eius esset qui Principis quasi os, oculus, aurisque erat, rescripta & decreta contra ius, vel Rempub. impetrata transuersis lineis cancellatim inducere, quod non impropriè *Cancellare* dixerunt, ab hac *Cancellatione* nonnulli Cancellarij nomen deductum opinantur, & in recentiori Glossario legitur. *Cancellarius est qui habet officium scripta responsaq; imperatoris, atque mandata inspicere, malè scripta cancellare, & benè scripta signare.* Nec verum est quod Polydorus Virgilius tradit, Guilielmum *Conquestorem* instituisse scribarum collegium qui diplomata scriberent, & eius Collegij Magistrum Cancellarium nominasse, cum Cancellarios fuisse in Anglia ante Normannorum victoriam planum sit & perspicuum. Quanta hodie Cancellarij sit dignitas, & authoritas, notius est quàm vt ego explicem, quanta olim fuerit libet vno & altero verbo ex authore satis vetusto hic adijcere. *Cancellarij Angliæ dignitas est vt secundus à Rege in regno habeatur, vt altera parte sigilli regij quod & ad eius pertinet custodiam, propria signet mandata, vt capella Regis in ipsius sit dispositione & cura, vt vacantes Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, & Baronias cadentes in manum Regis ipse suscipiat & conseruet, vt omnibus regijs adsit consilijs, etiam non vocatus accedat, vt omnia sigilliferi Clerici regij sui manu*

Secretum .i. locus iudicij. Epistola. 6. lib. 11.

* Robertus Fitzsteph in vixit sub Henrico secundo.

manu signentur, omnia Cancellarij consilio disponantur. Item vt suffragantibus ei per Dei gratiam vita meritis, non moriatur nisi Archiepiscopus, vel Episcopus, si voluerit; inde est quod Cancellaria emenda non est. Forma Cancellarium constituendi (& hanc annotare lubet) regnante Henrico Secundo fuit appendendo magnum Angliæ sigillum ad collum Cancellarij electi. Henrici autem Sexti tempore huiusmodi erat, vt ex Archiuis adnotem. Cùm Cancellarius Angliæ diem obierit, *Tria magna sigilla Regis, vnum scilicet de auro, ac alia duo de argento, quæ fuerunt in custodia Cancellarij, statim à morte in cistam ligneam serratam reponuntur, & sigillis procerum qui præsentes fuerint consignatam in Thesaurariam deferuntur. Inde ad Regem perferuntur, qui illa futuro Cancellario subeunti onera executionis officij Cancellariatus, capto sacramento, de bene & fideliter exercendo, primùm magnum sigillum de Argenteo, deinde Aureum, & alterum Argenteum in manus tradit in frequenti nobilium præsentia, qui illa accipiens in cistam reponit, & suo sigillo signatam domum suam defert, & in præsentia aliquot nobilium Patentes & Breuia Regis sigillari facit. Cùm Cancellarius exoneratur, tria illa sigilla in præsentia procerum primùm magnum sigillum Aureum, aliud sigillum Argenteum de magna forma, & aliud de minori Regi in manus tradit.* Hodie tamen vnum solummodò Cancellario traditur sigillum, nec nisi Henrico Sexto regnante, horum trium sigillorum vspiam fit mentio. Huic Cancellarij muneri temporis decursù plurimùm authoritatis, & dignitatis ex edictis Parlamẽtarijs accessit, maximè ex quo causidici stricta ratione ita iuris apicibus inhærerent & verborum ponerent tendiculas vt forum æqui necessariò fuerit instituendum, quod Cancellario commissum, qui ex æquo & bono iudicaret & summum ius quod summa crux videri soleat, temperaret. Hîc verò præsidet *Dominus Cancellarius Angliæ*, assident *Magistri Cancellarij duodecim*, quorum primus est etiam Chartophylax siue Custos Rotulorum eiusdem Curiæ, & inde *Magister Rotulorum* nuncupatur. Pertinentq; ad hanc Curiam Officiarij permulti, quorum aliqui sigillo Regis præcipuè inseruiunt, scz. *Clericus Coronæ, Clericus Hanaperij, Sigillator, Ceræ minister, Contrarotulator, Hanaperij, Cursistæ viginti quatuor, Clericus ad Breuia de Subpœna*: Alij querelis pręcipuè ibidem exhibitis, sicut *Protonotarius, sex Clerici, siue Attornati Curiæ, Registrarius.* Sunt etiam ibidem *Clerici paruæ Bagæ tres, Clericus Præsentationum, Clericus ad facultates, Clericus ad examinationem literarum Patentium, Clericus pro dimissionibus, &c.* Gualt. Maps.

Est & alia Curia è priuato Regis consilio enata, *Curia Requisitionum, siue Requestarum*, à libellis supplicum dicta, quæ causas audit vt in *Cancellaria* inter priuatos, sed quæ priùs principi, vel eius consilio priuato oblatæ, & etiam alias. In hac sunt *Magistri Requisitionum*, siue *à supplicum libellis aliquot, & Clericus, siue Registrarius, & Attornati duo, vel tres.* De consilijs autem illis in Marchijs Walliæ & parte Boreali suo loco, Deo fauente, dicemus. *Curia Requestarum.*

Ecclesiastica Fora præcipua sunt, *Synodus*, quæ *Conuocatio Cleri* dicitur, semperque simul cum Parlamento habetur: & *Synodi Prouinciales*, in vtraque Prouincia. *Ecclesiastica Fora.*

Post hæc Archiepiscopi Cantuariensis Curiæ numerantur, viz. *Curia de Arcubus*, cui Iudex præest *Decanus de Arcubus*, à templo B. Mariæ Londini, cuius turris sacra arcuato opere insignis, ita appellatus, qui ad omnium in Cantuariensi Prouincia appellationes rescribit. Aduocati in hac sunt vxi, aut plures pro Archiepiscopi arbitrio, omnes Legum Doctores, Scribæ duo, & Procuratores decem. *Vide antiquitatem Ecclesiæ Britannicæ.* *Curia de Arcubus.*

Curia Audientiæ, quæ omnes Prouincialium querelas, causas, & appellationes recipit. *Curia Audientiæ.*

Curia Prærogatiuæ, in qua Commissarius de hæreditatibus ab intestato, seu testamento delatis ius dicit.

Curia Facultatum, in qua Præfectus constituitur, qui desideria cognoscit eorum qui Ecclesiastici iuris quandoque rigidi, atque stricti relaxationem petunt, & Registrarius, qui concessas dispensationes in scripta refert. *Curia Facultatum.*

Peculiarium Curiam, quæ ad quasdam Parochias ab Episcopali iurisdictione in nonnullis Diœcesibus separatas, & Archiepiscopo Cantuariensi peculiares spectat, aliasque obscurioris notæ libens prætereo. Nec ego sane prudens qui hisce me immiscuerim, sed exemplo præiuit in Belgica describenda Guicciardinus. *Curia Peculiarium.*

Hic instituceram paucula interseruisse in primis quæ ad antiquitatem spectent de summis

mis

mis Angliæ Magistratibus videlicet *de Cancellario* (de quo modò dictum) *Thesaurario, Præside Consilij, Custode priuati Sigilli, Magno Camerario, Constabulario, Marescallo, Hospitij Regij Seneschallo*,&c. Sed cùm acceperim alios hæc moliri, tantum abest vt ego præuertam, vt etiam quæcunq; hac in parte obseruárim, illis lubentissimè impertiam.

Cui signo Britannia subiecta. Expectat hic aliquis vt ex Astrologis attexam in cuius Signi, & Planetæ tutela sit nostra Britannia. Et attexam sanè (nam & in doctis illis erroribus versatus sum) vt curiosis satisfaciam; quamuis tam diuersæ sint de hac re Astrologorum coniecturæ, vt ipsa diuersitas rem omnem infirmare, & veritatem excludere videatur. M. Manilius Poeta antiquus Capricornum præesse in illo versu subindicat.

Tu Capricorne regis quicquid sub Sole cadente
Expositum.

Ptolemæus, Albumazar, Cardanus Arietem præficiunt, Ioannis de *Muris* Saturnum, Frater Perscrutator, Esquidus, & Henricus Silen Lunam, eò quòd in septimo, vt aiunt, sit Climate, Rogerus Herefordensis, Thomas Rauennas Philologus, & Hispalensis Pisces, demúmque Schonerus & Pitatus, vt nullus sit consensus, nos non meliori ratione Geminis subiecêrunt.

Ordo. Nunc quod bonum, fœlix, faustum, fortunatumque sit, (vt antiqui rebus agendis præfari solebant) Deo duce, Prouincias, siue Comitatus obibo. In quibus singulis qui fuerint antiqui incolæ, quæ nominis ratio, quæ confinia, quæ terræ bonitas, quæ loca cum antiquioris memoriæ, tùm melioris notæ, qui item a Normannico imperio in quolibet fuerint vel Duces, vel Comites, quàm possum verissimè, planissimè & breuissimè explicabo. In hac Comitum successione, vt ingenuè fatear per quem profecerim, Thomam Talbottum in Chartophylacio actuarium diligentissimum, & antiquitatis nostræ scientissimum, mihi magnum lumen prætulisse libens meritò hic agnosco.

Ab vltimo autem Occidente, id est, a Cornwallia auspicabor, & inde reliquas prouincias suo ordine perlustrabo, imitatus in hoc Strabonem, Ptolemæum, & vetustissimos Geographos qui ab Occiduis regionibus tanquam primis a primo Meridiano, descriptiones suas semper exordiuntur.

DANMONII.



Egionem illam, quæ secundùm Geographos quasi prima totius Britanniæ magis magisq; arctata longissimè in solis occasum proijcitur, & a Septentrione mari Sabriniano, à meridie Britannico, ab Occidente Oceano Verginio vrgetur, insederunt antiquitùs Britanni, qui Solino DVNMONII, *Ptolemæo* DAMNONII, *vel vt rectius in alijs exemplaribus* DANMONII *dicti. Quod nomen si ab inexhaustis hoc tractu stanni fodinis, quas* Moina *Britanni dicunt, non sit deductum: ab habitatione sub montibus factum videatur. Inferiùs enim, & conuallibus passim per hanc regionem habitatur, quod* Dan-munith *Britannicè dicitur: quo etiam sensu proxima prouincia* Duffneint, *.i. Depressæ valles, à Britannis hodie vocatur. An verò* OSTIDAMNII, *qui &* OSTAEI, *&* OSTIONES, *quorum Strabo ex Pithæa Massiliensi meminit, sint nostri Damnonij, velim vt antiquitatis studiosi paulò diligentiùs secum perpendant. In Europæ enim remotissimis, ad Occidentalem Oceanum, è regione Hispaniæ, non procul ab Vxantissa insula, nunc* Vshant, *vt illi produnt, siti erant. Quæ singula huic Danmoniorum regioni optimè & vndique conueniunt. Cumqué Artimedoro* Ostiones *illi* COSSINI *vocentur, (vt innuit in suis Vrbibus Stephanus) velim etiam considerent, quandòquidem hæc gens* Corini *etiam dicatur, an pro* COSSINI, CORINI *non sint substituendi.* Fusij *enim pro* Furij, & Valesij *pro* Valerij *leguntur. Quo loco hos* Ostidamnios, & Cossinos *ad mare Occiduum Geographi statuant, ne per nebulam quidem vident, si hinc excludantur. Cæterùm horum regio in duas hodie diuiditur partes,* Cornwall *scilicet, &* Denshire, *de quibus suo ordine dicemus.* Ostidamnij. Cossini.

CORNWALL.



Ornwallia, quæ etiam recentioribus Latinè *Cornubia* dicitur, maximè totius Britanniæ in occidentem Solem vergit, & à Britannorum reliquijs, quos *Occidentales Britones* Marianus Scotus vocat, habitatur, à quibus Britannica lingua (auitam enim linguam necdum omninò amiserunt) *Kernaw* dicitur, eò quòd in cornu tenuatur, & in altum promontoriolis, quasi cornibus vndiquaque excurrit. Cornu enim *Corn*, & Cornua *Kern*, multitudinis numero appellant Britanni: licèt alij à Corineo nescio quo Bruti socio dictam velint *Cornwalliam*, *Corinïamque* nominent, iuxta fabulosi Poetæ carmen. Corn & Kern.

Pars Corinea datur Corinæo, de duce nomen
Patria, deque viro gens Corinensis habet.

Sed nouum non est (si antiquitatem reuoluas) locos plurimos ab huiusmodi situ nomina sortiri. In Cretâ, & Taurica Chersonesso Κριῦ μέτωπα promontoria dicuntur, quòd quasi arietis cornibus in mare procurrunt. Sic Cyprus *Cerastis* à Græcis olim dicta, quòd procurrentibus promontorijs, veluti cornibus mari incumbit; vt minimè mirum sit, hunc tractum qui tanquam cornu, incuruus, & promontoriolis quodammodo cornutus, *Kernaw* & *Corn* appellatum. Vnde cùm in hanc regionem, bello Saxonico ardente, plurimi Britanni se recepissent, naturæ loci confidentes; pedestria enim itinera montibus satis inuia, & æstuarijs concisa, nauigationem item impeditam propter inscitiam locorum sciebant, Saxo victor qui exotica omnia, & alienos sua lingua Wealsh vocauit, huius incolas Connwealer & Westwealer nuncupauit. Hinc enata Latina appellatio *Cornwallia*, & recentiori sæculo *Cornubia*, & scriptoribus nonnullis, *Occidua Wallia*. Tantùm






PENWITH
HVN
Market Jew
Penzance
Mountes Bay
KIRRIER
Penryn
HVN
PIDER
Truro
MARE
Goon hilly Downs
The Lizard
Falmouth Haven
S. Antony
BRIT
Miliarum
OCRINVM Sive DANMONIORVM Promontorium.

CORNWALL
OLIM PARS DANMONIORVM

William kip Sculp



Devon

STRATTON

TRIG

LESNOWTH

HVN

Camelford

Padstow

Colombe m

Bodman

WEST

EASTE

POWDER

Lanceston

Liskerde

Fowe

Plimouth

Foy Haven

Tintagell cast

Padstow haven

RITANNICVM

abest vt Cornwallia dicta fuerit à Gallis victoribus, quod quidam Gallico nomini blandientes volunt. Qui si perinde domi saperent, ac aliena curant, deprehenderent illorum Britanniam maritimam à nostra denominari, & in ea regiunculam *Cornouaille*, quæ

Cornouaile in Britannia Armorica.

Cornwallensium nostrorum lingua vtitur, à nostris eò transmigrantibus nomen sumpsisse. Nam vt Britanni hi nostri occidentales Armoricis Galliæ, cùm in Cæsarem bellum

Strabo.

mouerent, auxilia subministrarunt, vnde bello Britannico ille causam prætexuit; posteaque (vt diximus) eò commigrantes *Britanniam* mutato nomine, dixerunt. Sic superioribus seculis, Britannis popularibus suis contra Francos præstò aderant, & intonante Danica tempestate, huc etiam nonnulli concesserunt, recentiúsq; hoc nomen *Cornouaille* reliquisse existimantur.

Hæc regio, veluti pensante æquorum cursus naturâ, vt plurimùm montibus attollitur

Orewood.

gleba in conuallibus satis fertili, quam alga marina *Orewood* dicta, & feraci quodam marinæ arenæ genere supra quàm credi possit, fœcundant. Ora maritima creberrimis nitet

Stannum.

oppidis, quæ numerosam classem conficere possint: interiora metallorum diuite vena abundant; Stannum enim non sine vberrimo fructu, admiranda copia effoditur, ex quo vasa domestica ducta apud omnes Europæos in mensarum vsu argenteis fulgore comparantur. Incolæ passim nigros lapillos ex quibus stannum conflatur, vel effodiunt, vel ex arenis lotis eximunt. Horum autem stannariorum, siue metallicorum operum duo sunt

Opera Stannaria.

genera. Alterum *Lode-works*, alterum *Streame works* vocant; hoc in locis inferioribus est, cùm fossis agendis stanni venas sectantur, & fluuiorum alueos subindè deflectunt; illud in locis æditioribus cùm in montibus puteos, quos *Shafts* vocant, in magnam altitudinem defodiunt, & cuniculos agunt. In vtroque ingeniorum solertia admiranda, tam in aquarum deriuationibus, & corriuationibus, quàm in puteorum substructionibus, & suffulcimentis, vt contundendi, lauandi, discernendi, & excoquendi rationes, quibus nihil est solertius, tacitus prætermittam.

Lib.6. c.8.& 9.

Veteres Britannos stannarijs his operibus elaborâsse (vt Timæum historicum apud Plinium taceam, qui Britannos nauigijs vitilibus corio circumsutis stannum ex Icta insula petijsse memorat,) certum est ex Diodoro Siculo qui sub Augusto floruit. Prodit enim ille Britannos qui hunc tractum incoluerunt ex terra saxósa stannum effodisse, in Insulas quasdam adiacentes æstu recedente curribus deportasse; hinc mercatores in Galliam nauibus transtulisse, & inde equis triginta diebus ad fontes Eridani, vel ad Narbonam vrbem tanquam ad Emporium subuexisse. Æthicus etiam quisquis ille fuit qui Hieronymi interpretis indignè nomen præ se fert, hoc idem innuit, dicitque se præcepta his metallicis tradidisse. Anglo-Saxones verò omninò neglexisse existimantur, vel Arabum siue Saracenorum opera vsos fuisse. Desertas enim fodinas *Attal Sarisin*. .i. *Saracenorum reliquias* sua lingua vocant incolæ.

*

Post Normannorum ingressum magnas ex his opes Comites Cornubiæ congesserunt, inprimis Richardus Regis Henrici Tertij frater. Nec mirum cùm non aliunde tunc temporis Europa Stannum acceperit, Hispaniæ enim fodinas Maurorum incursiones occluserant; & in Germania Stanni venæ quæ solummodò sunt in Misnia, & Bohemia nondum cognitæ; nec illæ quidem apertæ ante annum à Christo nato 1240. Tunc enim vt eius æui scriptor habet, *in Germania inuentum est Stannum metallum per quendam Cornubiensem hominem a solo natali pulsum in magnam iacturam Richardi Comitis Cornwalliæ.* Ab Edmundo posteà Comitis Richardi filio impetratum est diploma, concessæ libertates, & leges metallicæ latæ, quas sigillo suo muniuit, & vectigal stanno impositum quod Comitibus persolueretur.

Metallicorum Politia.

Has libertates, priuilegia, & leges posteà confirmauit, & adauxit Rex Edwardus I I I. Vniuersam metallicorum rempublicam, quasi vnum corpus in quatuor partes, siue regiones descripsit, quas a locis, *Foy-more, Blackmore, Trewarnaile*, & *Penwith* dicunt. Omnibus Guardianum siue Præsidem præfecit, qui tam ex æquo & bono, quàm ex lege ius dicit, singulisque partibus suos Proprӕsides constituit, qui singulis mensibus, in sua quisque regione lites dijudicant, quæ iudicia à stanno *Stannaria* vocantur, à quibus ad ipsum Præsidem nonnunquam prouocatur. Et ne vectigalia subducerētur & fraudi sit Cornwalliæ Ducibus, quibus pro singulis millenis stanni pondo, 40. Solidi veteri instituto numerantur: lege cautum est, vt omne quod conflatur stannum ad alterum è quatuor designatis

tis opidis deferatur, vbi bis anno dependitur, signatur, & vectigal illud persoluitur, nec anteà venundare, & distrahere sine grauissima mulcta cuiquam liceat. Nec Stannum verò hoc solum reperitur; sed vna etiam aurum & argentum, adamantesque ab ipsa natura in angulos efformati, & læuigati, quorum nonnulli vel iuglandem magnitudine adæquant, & orientalibus nigrore, & duritie tantùm cedunt. Eringium autem læti ssimo prouentu per littora passim reperitur. Frugum quoque, quamuis non sine magno agricolæ labore, ita ferax, vt non solùm sibi sufficiat, sed magnam vim frumenti Hispaniæ quotannis suppeditet. Vberrimus etiam quæstus existit è pisciculis illis quos *Pylchardes* vocant, qui magnis quasi examinibus littora a Iulio ad Nouembrem circumfusi capiuntur, exenterantur, saliuntur, infumantur, conduntur, premuntur, & in Galliam, Hispaniam, Italiamque infinita multitudine exportantur, quibus sunt gratissimæ merces, & *Fumados* appellantur. Vnde Michael Poeta Cornwallensis Rythmicorum sui seculi princeps contra Henricum de Abrincis Regis Henrici tertij Archipoetam, quòd in Cornwallenses quasi extremos hominum lusisset, pro hac sua patria etiam ludens, quæ rideas, cecinit.

Adamantes. Cornish Diamants.
Eringium. Sea holme.
Pilchardes.
Fumados, q. [illegible] Gutta.

Non opus est vt opes numerem quibus est opulenta,
Et per quas inopes sustentat non ope lenta:
Piscibus, & stanno nusquam tam fertilis ora.

Nec tamen solo, quàm viris Cornwallia fœlicior, qui vt omni humanitate exculti, etiam priscis illis temporibus: *Mercatorum enim vsu qui stanni gratia cò nauig. nt*, vt habet Diodorus Siculus, *humaniores erga hospites erant*: ita fortes, strenui, statura satis procera: torosis membris, & qui palæstrica (vt illa virilia * pilam iactandi certamina taceam) ita excellunt vt eam laudem meritò alijs gentibus, & arte, & virium firmitate præripiant. Poeta etiam ille Michael cùm in suorum laudem profusior, illis primos ictus in prælijs Arthurum concessisse rhythmis versibus docuisset, animosè concludit.

Palæstrica.
* Hurling.

Quid nos det erret? si firmiter in pede stemus,
Fraus ni nos superet, nihil est quod non superemus.

Hinc fortasse est quòd fama obtinet, Gigantes olim hanc regionem insedisse. Hauuillanus enim Poeta qui ante annos quadringentos vixit, cùm Gigantes quosdam Britannicos describeret, sic de Britannia lusit.

Hauvillanus in Architrenio.

Titanibus illa
Sed paucis famulosa domus, quibus vda ferarum
Terga dabant vestes, cruor haustus, pocula trunci,
Antra lares, dumeta thoros, cœnacula rupes,
Præda cibos, raptus Venerem, spectacula cædes,
Imperium vires, animos furor, impetus arma,
Mortem pugna, sepulchra rubus, monstrisque gemebat
Monticolis tellus, sed eorum plurima tractus
Pars erat occidui, terror maiorque premebat
Te furor, extremum Zephyri Cornubia limen.

Vtrùm verò hæc Danmoniorum compacta firmitas, quæ ex calidi & humidi temperie profluit, ad genitalem mundi spiritum Fauonium, & occidentalem situm referenda sit, vt in Germania Batauos, in Gallia Aquitanos, & Ruthenos, qui ad occasum extremi sunt, fortissimos videmus; an potius ad peculiarem aliquam cœli, & soli rationem, non est huius loci curiosè inquirere.

Occidui popul. fortissimi.

Nunc Promontoria, vrbes, & flumina, quorum meminerunt antiqui (hoc enim inprimis instituti est nostri) persequamur: ab ipso extremo promontorio exorsi, primùm australe, inde Septentrionale littus, & demùm Tamaræ fluuij decursum, qui hunc agrum à Deuoniensi secludit, perlustrantes. Extremum promontorium quod Oceano Vergiuio incumbit, & XVII. tantùm temporibus in globosa terræ superficie à Fortunatis insulis, vel potius *Asoris* definitur, Ptolemæo BOLERIUM dicitur, Diodoro BELERIUM, fortasse à *Pell* Britannica dictione, quæ remotissimum significat, Ἀντιουέσταιον, siue ANTIVE-

Belerium, siue Antiuestæum.

STARVM idem etiam Ptolemæo dicitur, Britannis *Penrhinguaed*, id est, *Promontorium*
Steort quid significat. *sanguinis*, sed tantum Bardis, siue Poetis: Historicis verò Britannis *Penwith*, id est, *Promontorium ad sinistram*, Saxonibus Penpiþ-ſteopt. *Steort* enim illis proiectam in mare terram denotat, & hinc Centuria illa tota *Penwith* hodie dicitur, accolis sua lingua *Pen von las*, id est, *finis terræ*, eodemque sensu Anglis *The lands end*, quod sit totius insulæ ad occidentem extremum. Quod si HELENVM hoc promontorium appellatum fuerit, vt Volaterranus, & recentiores habent, non ab Heleno Priami filio, sed a *Pen Elin* profluxit, quod cubitum Britannis sonant, vt *Ancon* Græcis. Cùm verò a Græcis littora incurua *Ancones* dicerentur, quod de Ancona Italiæ Plinius testatur, neutiquam absurdum est hoc inflexum littus a Britannis *Pen-elin* eodem sensu nuncupatum, & inde Latinum illud *Helenum*. De Antiuestæo autem subinde dubitare solebam an Græcam saperet originē. Cùm enim vidissem solenne apud Græcos fuisse nomina locis imponere ex nominibus oppositorum, non solùm in ipsa Græciâ, vbi *Rhium*, & *Antirrhium* habent, sed etiam in sinu Arabico, vbi *Bacchium* & *Antibacchium*: & in Illyrico *Antibarrium*, quòd *Barrium* Italiæ è regione prospiceret, sedulò perquisiui an locus aliquis *Vestæi* nomine insignitus Antiuestæo nostro obiiceretur; sed cùm nihil tale inuenerim, ad Britannicam linguam me retuli, nec tamen hic me expedire possum. Cæterùm hoc promontorium longiùs se in occasum immisisse credunt incolæ, & ex ruderibus extractis affirmant nautæ. Terramque ibi infuso mari adopertam, *Lionesse*, ex nescio qua fabula, di-
Lionesse. ctam fuisse accolæ asseuerant.

In extremis huius promontorij scopulis, quum recedente æstu nudantur, Plumbi candidi, atque æris apparent venæ, impositamque fuisse olim speculam, vnde indicium na-
* uigantibus accenso igni factum referunt incolę. Ad speculam proculdubio Hispanię: vt Orosius, *Brigantiæ Galliciæ altissimam pharum inter pauca memorandi operis ad speculam Britanniæ erectam fuisse prodidit*, hoc est, vel in vsum nauigantium è Britannia Hispaniam versus, (si modò illum bene capio) vel ex opposito speculæ Britannicæ, nec enim alius huius insulæ locus Hispaniam prospectat. Viculus nunc illi insidet, *Saint Buriens*, o-
S. Buriens. lim *Eglis Buriens* .i. *Ecclesia Buriena*, vel *Beriana* dictus, Burienæ religiosæ mulieri Hibernicæ sacer (Sanctos enim Hibernicos, & indigites suos hæc gens, vt tutelares ita semper suspexit, vt omnia ferè opida illis consecrauerit.) Huic vt fama perhibet asyli ius concessit Rex Athelstanus, cùm è Syllinis insulis hic victor appulisset. Certum est illum ecclesiam hic construxisse, & sub Guilielmo Conquestore Canonicorum hic fuisse Collegium, & territorium adiacens ad eos spectasse. In huius vicinia in loco quem *Biscaw Woune* dicunt, vndeuiginti lapides in orbem dispositi conspiciuntur, singuli XII. quasi
Trophæum. pedibus inuicem distantes, & in centro cæteris omnibus multò maior exsurgit. Hoc, vt coniectura probabile est, trophæum aliquod Romanorum fuit sub posterioribus Imperatoribus, vel Athelstani Saxonis cùm Danmonios in potestatem suam redegisset.

Hinc sensim in Austrum circumacto littore, sinus lunatus admittitur, *Mounts bay* vocant, in quo Oceanum auido meatu irruentem terras demersisse fama obtinet. Huic incumbit *Mouschole*, Britannicè *Port Inis*, id est, *Insulæ portus* cui ius mercatus obtinuit ab
Barones Ties. Edwardo primo Henricus de *Tieis*, qui Baronis dignitate floruit, Dominúsque fuit de *Alwerton*, & *Tiwernel* in hoc Comitatu. *Pensans* etiam, id est, *Caput sabuli*, emporio-
Main Amber. i. Ambrosij saxum. lum, vnde parum abest notissimum saxum *Main-Amber*, quod cùm maximæ sit magnitudinis tamen digitulo moueas, sed à loco ne magna vis hominum dimouere poterit; & *Merkiu*, .i. *Forum Iouis*, quòd ibi mercatus die Iouis habeatur, statio malefida huic sinui
S. Michaels Mount. adsident. Et in ipso angulo qui nomen sinui fecit *Mons Michaëlis*, *Dinsol* olim, vt in libro
Michelstow. Landauensi habetur, incolis *Careg Cowse*, .i. *Rupis cana*, Saxonicè Myhel-ſtop, id est,
Laur. Noelus. *Michaëlis locus*, vt annotauit Laurentius Noelus, vir rara doctrina insignis, & qui Saxonicam maiorum nostrorum linguam desuetudine intermortuam, & obliuione sepultam primus nostra ætatę resuscitauit. Scopulus hic est satis altus & confragosus, quoties ex alto se æstus incitat, aquis circumfluus; quoties recedit, terræ coniunctus. Vnde loci ingenio fretus Ioannes Oxoniensis Comes, non multis antè annis, in sedem belli contra Edwardum IIII. regem elegit, fortiterque defendit, sed parùm fœliciter. Eius enim milites à Regijs tentati, statim se dedidērunt. In ipso verò iugo intra propugnaculum sacellum erat Michaëli Archangelo sacrum, Cellam ibi Guilielmus Cornwallię, & Morito-

nij

nij Comes qui latifundia in hoc tractu Guil. Primi munificentia tenuit, monacho vni & alteri conſtruxit, qui Michaëlem eo monte apparuiſſe prodidêrunt, quod ad ſuum Garganum Itali, & ad ſuum Michaelis montem in Normannia Galli certatim rapiunt. Ad huius radices patrum memoriâ, dum ſtannum effoderetur, cuſpides, ſecures, & gladij æ- *Arma ænea.* nei lino inuoluta reperta erant, cuiuſmodi effoſſa fuerunt iam olim in Germaniæ Hercinijs, nec ita pridem in Wallia. Conſtat enim ex antiquorum monumentis Græcos, Cimbros, & Britannos armis ęneis fuiſſe vſos, quamuis ex ęre vulnera ſint minùs noxia, vtique cui (vt ex Ariſtotele habet Macrobius) vis inſit remedialis. Sed non erat illa ætas, perinde ac noſtra in hominum perniciem ingenioſa. In ſubiectis rupibus, vt etiam paſſim per hæc littora, fœtificat Pyrrhocorax roſtro & pedibus rubentibus cornix, non Al- *Pyrrhocorax.* pibus peculiaris, vt exiſtimauit Plinius. Quam incendiariam eſſe autem, & furunculam de- *Cornish Chough.* prehenderunt indigenæ. Ignem enim clanculùm ædibus ſæpè ſubijcit, nummuloſque ſublegit, & abſcondit.

Hoc in loco maximè contrahitur regio, quaſi in Iſthmum, vix enim quatuor milliaria hinc ad ſuperum mare, ſiue Sabrinianum interiacent. Paulóque ſupra montem ſinus ſatis *Mountsbay.* latus patet *Mountsbay* à monte dictus, vbi tutiſſima nauium ſtatio eſt, ſæuiente Auſtro & Phænicia, ſex vel ſeptem orgias medio maris receſſu profunda. Magis ad Ortum ſurgit *Godolchan hill.* *Godolcan* collis ſtanni venis ferax & celebris (*Godolphin* nunc vocant) ſuis tamen domi- *Godolph norum familia.* nis eiuſdem cognominis multò eſt celebrior, qui generis vetuſtatem virtutibus adæquárunt. Nomen verò in Cornwallica lingua ab *Aquila alba* eſt factum, & Aquilam bicipitem albam expanſam inter tria Lilia itidem alba in rubro ſcuto pro inſignibus hæc familia iam olim vſurpauit.

Ad Auſtrum verò ſtatim à Michaelis Monte protruditur Cherſoneſſus, ad cuius ingreſſum *Heilston* cernitur, patria lingua *Hellas* ob ſalſam aquam affuſam, opidum ſignandi ſtanni priuilegio celebre. Sub quo plurimis aquis confluis ſtagnum 2. mill. paſſ. *Loopoole.* longitudine efficitur, *Loopoole* dicunt, tenui intercurrente puluino à mari diuiſum, quòd cùm vndarum violentia perrumpitur, admirandus aquarum latratus tota vicinia longè exauditur. Nec ita procul indè ſepimentum militare viſitur, (*Earth* vocant) è congeſtis ſine cemento ſaxis magno ambitu conſtructum, cuiuſmodi & alia hinc indè occurrunt, Danico bello, vt credimus, poſita. Nec diſſimile eſt munitionibus illis Britannorum, quas rudes & informes ſaxorum compages vocat Tacitus. Cherſoneſſus autem ipſa quæ ſatis *Menna.* magna eſt, & viculis referta, *Meneg* appellatur, Menna proculdubiò illa, quam ex Come- *Meneg.* lio, neſcio an Tacito, annalium ſcriptore, Iornâdes in Geticis deſcribit, & *Memma* in nonnullis exemplaribus concipitur. *Eſt enim* (vt inquit ille) *in extrema Britanniæ parte, metallis plurimis copioſa, herbis frequens, & his feracior omnibus, quæ pecora magis, quàm homines alant.* Quod tamen *metallis etiam plurimis copioſam eſſe* dixerit, nunc ita eſt indiga, *Ocrinum.* vt iam olim exhauſta videatur. Hæc nautis hodie *the Liſard* vocatur, Ptolemæo Dan- *The Lisard.* moniorvm Promontorivm & Ocrinvm, Æthico in ſua portentoſa Geographia Ocranvm, Oceaníque occidentalis montibus annumeratur. An ab *Ocra* quod vt Sextus Pompeius habet, confragoſum montem ſonat, non affirmârim: *Ocrea* tamen inter Alpes, *Ocriculum*, & *Interocrea*, a prærupto ſitu nomen traxerunt. Verùm cùm *Ochr* Britannicè aciem ſonat, quid ſi factam appellationem huic promontorio arbitrarer, quòd acuminatum ſit, & in conum deſinat? Reducto ab hoc *Meneg* littore, ſinus frequentibus, & anguloſis receſſibus portuoſus occurrit *Vale* fluuiolum recipiens, ad quem inte- *Voluba.* riùs antiquum floruit oppidum Volvba, a Ptolemæo memoratum: ſed iam olim vel *Falemouth.* intercidit, vel nomen amiſit, quod tamen in *Volemouth*, ſiue *Falemouth* portu nunc ſupereſt. Portus hic eſt æquè nobilis, ac ipſum Italiæ Brunduſium, nauium capaciſſimus, centum enim naues tortuoſis ſinubus ita ſeorſim ſtare poſſunt, vt ex nulla mali ſummitas in altera conſpiciatur; & tutiſſimus à ventis vtiq; altis crepidinibus vndiq; incinctus. In ipſo aditu rupis ardua & prærupta *Crage* ab incolis vocata, ſurgit. Fauces vtrinq; muniunt ad loci præſidium & hoſtium terrorem caſtella, hinc S. *Mauditi* ad Ortum & illinc *Pendinas* ad Occaſum, ab Henrico viii. extructa. De quibus Poeta Antiquarius *Pendinas.*

Pendinas *tenet aſperi cacumina*
Celſum montis, & intonat frequenter.
Mauditi *quoque ſubſidet rotundum*

 Caſtrum,

Castrum, & impetu fulminat furenti,
Portus ostia quà patent Falensis.

Cenionis ostium. Portus verò ipse, CENIONIS ostium Ptolemæo nuncupatur, a *Geneu* proculdubiò Britannica dictione, quæ ostium & ingressum notat, idque loquitur *Tregenie* opidum adiunctum, hoc est, si interpreteris, *Opidulum ad ostium.* Opida interioribus huius portus sinubus incumbunt nonnulla: *Peryn* celebris mercatus, vbi Walterus *Bronescome* Episcopus Oxoniensis anno 1288. Collegiatam Ecclesiam, *Glasnith* vocant, & duodecim Præbendarios instituit: *Arwenak* vetustæ & claræ familiæ Killegreworum sedes: *Truro* Cornwallicè *Truru* à tribus plateis dictum duobus riuulis quasi incinctum, Maiore, quem vocant, & priuilegijs pro re metallica clarum, & *Crampound*, a portu disiunctissimum: Cui subijcitur ad mare *Roseland* territorium, ita dictum, vt alijs placet, quasi rosetum; vt alijs videtur, quòd ericetum sit. Hoc enim *Ros* Britannicè significat. Vnde *Rossia* in Scotia, & *Rosia* alteri in Cambria nomen, vtpotè qui tractus satis siticulosi & aridi, sed hic colonorum industria lætior, & feracior. Post hanc Rossiam statim Oceanus recedentes terras diffusiore sinu occupat, quem *Truesardraith bay* vocant, id est, si interpreteris, *Sinus Opidi ad sabulum.*

Peryn. Glasnith. Arwenak. Truro. Rossia.

Foy. Vix duobus hinc milliaribus, qua *Fawey* flumen mari illabitur, *Fowy* opidum, *Foath* Britannicè, crepidine porrectum iacet, bellis naualibus superiori ætate celebratissimum, quod & publica insignia testantur, quæ ex quinque portuum insignibus componuntur. Ad portum moles vtrinq; habet ab Edwardo IIII. positas. Qui breui post tempore Fawensibus istis subiratus, quòd Gallico bello sopito prædabundi Gallicam oram infestassent, naues omnes, & apparatum nauticum ademit. E regione ad alteram ripam sedet *Hall* amœnissimo ambulacro in collis deuexo notissima domus Guil. *Mohun* Equitis aurati antiqua & illustri nobilitate, qui a Mohunis Somersetti, & Courtneis Deuoniæ Comitibus procreatus.

Mohuni.

Vzella. Britanni literam z non habent. Interiùs ad eundem fluuium VZELLA Ptolemæi situm habet, quæ nomine non prorsus deperdito, *Lestuthiell* hodiè dicitur, à situ nomen sortita: collem enim editum, vbi *Lestormin* est castrum antiquum, occupauit; nunc autem in conuallem translata subsidet. *Vchel* verò Britannicè idem sonat, quod altum & æditum, vnde & *Vxellodunum* Galliæ nomen habet, quod in monte situm, præruptum esset vndiq; opidum. *Pen-Vchel coit*, id est, *Mons æditus in sylua*, Britannicá historia hæc vocatur, quam nonnulli Exoniam esse volunt. Verùm situs apud Ptolemæum & nomen superstes Vzellam hanc esse antiquam contestantur. Nostra ætate exiguum est opidum, minusque frequens, propterea quòd *Fawey* fluuius qui superiori ætate accedente mari augescere ad ipsum opidum, & par nauibus subuehendis esse solebat, iam arenis ex stanni fodinis alueum ita obstructum habet, (vnde omnibus huius prouinciæ portubus obstructionis periculum,) vt vix minimis nauigiolis sufficiat. Totius tamen Conuentus, siue Comitatus primarium est, vbi Vicecomes (quem lex nostra Municipalis vocat) singulis mensibus caussas dijudicat, & Metallicorum præses suum carcerem habet: Signandi etiam stanni priuilegio gaudet, beneficio, vt inquiunt ipsi Edmundi Cornubiæ Comitis, qui ibidem olim Palatium suum habuit. Sed Vzellæ huius luminibus inprimis officiunt duo opida, *Leskerd* ad ortum æditiori colli impositum castro antiquo foroque celebre, & *Bodman* ad Septentrionem vix duorum milliarium diuerticulo, *Bosuenna*, ni fallor, Britannicè, & *Bodmuniam*, in antiquis chartis. Hoc inter duos colles situ non ita salubri interpositum, ab ortu in occasum protensum, celebratissimum est forum, ciuibus frequens, & ædibus satis excultum, signandique stanni priuilegio clarum. Sed clariùs olim, dignitate Episcopali. Circa annum enim salutis 905. cùm res Ecclesiastica in hoc tractu neglecta iaceret, ex decreto Papæ Formosi, Edwardus senior sedem hîc Episcopalem constituit, concessitque Episcopo Cridiensi tres villas in hoc tractu *Polton*, *Caling*, & *Lanwitham*, *vt inde singulis annis visitaret gentem Cornubiensem ad exprimendos eorum errores, nam anteà in quantum potuerunt, veritati resistebant, & non decretis Apostolicis obediebant.* Verùm postea horrifico illo Danico bello exardente Episcopalis dignitas ad *S. Germans*, fuit translata. *Leskerda* adiacet quæ olim Ecclesia *S. Guerir* .i. si interpreteris è Britannico *S. Medici*, vbi vt scribit Asserius, Rex Alfredus in oratione prostratus ex morbo conualuit. Cùm autem Neotus vir eximia sanctitate & doctrina in eadem ecclesia postea conderetur, alterius lumini ita præluxit,

Vxellodunum Galliæ. Vnde Portus in Cornwallia obstructi. Leskerd. Bodman. Liber Monast. Winton. S. Neotes.

præluxit, vt inde *Neotestow*, id est, *Neothi locus*, nunc *S. Neoths* vocaretur, virique religiosi qui ibidem Deo famulabantur, *Clerici S. Neoti* dicerentur, satisque opimos reditus habuerunt, vt in libro Guil. *Conquestoris* videre est. Iuxta, vt accepi, in Parochia S. Claræ cernuntur in loco dicto *Pennant*, .i. *Caput vallis*, duo cippi, quorum alter parte superiori in cathedræ formam excauatur, alter qui *Other halfe stone*, vocatur, barbaris characteribus iam fugientibus sic inscribitur.



Quæ ego sic legendam censeo DONIERT : ROGAVIT PRO ANIMA, Nisi suspicari iubeat illa punctula : post *Doniert*, reliquias esse literæ E. & sic legere, *Doniert erogauit*, quasi ille terram illam religiosis pro anima erogauerat. *Doniert* autem non possum non existimare illum Cornwalliæ Regulum fuisse quem *Dungerth* Annales vocant, & submersum anno salutis 872. produnt.

In proxima cautium satis magnarum surgit congeries, quibus saxum subijcitur, ita in casei similitudinem à natura efformatū, vt instar casei premi videatur, vnde nomen *Wring-* VVring-
cheese. Saxa etiam plura quodammodo quadrata in adiuncta planitie conspiciuntur, è cheese.
quibus septem vel octo æqua inter se distantia eriguntur. *Hurlers* vicini vocant, pio per- Hurlers.
suasi errore homines fuisse in saxa transformatos quòd pila iactanda diem Dominicum profanassent. Alij in alicuius prælij memoriam quasi trophæum volunt, & nonnulli pro limite posita credunt, cùm apud eos qui de limitibus scripserunt, saxa ab vtrisque partibus collecta, & erecta pro limitibus fuisse legerint.

Loo fluuius hoc in littore sibi viam in Oceanum aperit, & ad ostium duo opidula suo Loo fl.
nomini cooptat quæ ponte saxeo coniunguntur, occidentale quod recentiùs, maximè floret, orientali verò tempus suum florem detraxit, licet Maioris & Burgensium priuilegia retineat. Hinc memorandum nihil occurrit donec ad *Liuerum* fluuiolum ostriferum perueneris qui subluit *S. Germans* viculum, ad quem in Danico turbine sedes Episcopales S. Germans.
timor transtulit; vbi ædicula S. Germano Antisiodorensi sacra, qui Pelagianam hæresim in Britannia repullulātem extirpauit. In qua cùm pauculi sedissent Episcopi, Leuinus præsul Cridiensis qui gratia multum apud Canutum Danum valebat, regia authoritate intercedente, obtinuit, vt suæ sedi coniungeretur. Ex quo tempore vnus Episcopus, & huic prouinciæ & Deuoniæ præfuit, qui nunc Exoniæ sedet, suffraganeoque suo hunc Germani

mani viculum in sedem constituit. Nihil enim aliud hodie est, quàm piscatorum casulæ, qui satis copiosam exercent piscaturam in Oceano, & vicinis fluminib. Pauculis hinc milliaribus ad eundem fluuium *Trematon* castelli nomen semirutis mœnibus tuetur, vbi vt est in libro *Domesday* Guil. Comes Moritonensis *suum castrum & mercatum habuit*, caputque fuit Baroniæ, Comitum & Ducum Cornubiæ vt in *Inquisitionibus* videre est. Quod cùm *Liuerus* præterfluxerit, prope *Saltashe*, olim *Esse*, familiæ * Valtortorum quondam habitationem, nunc mercatoribus satis frequens, & non paucis priuilegijs munitum, in Tamarum qui regionis terminus est, euoluitur, vbi *Mont-Edgcombe* sedes familiæ vetustæ Edgcomborum amœnissimo situ sinuosum portum subiectum prospicit. Cui proxima est *Anthony* memoranda propter suam elegantiam, & piscinam quæ Oceanum admittit, picesque marinos in vsum & voluptatem præbet, sed multò magis propter Dominum suum Richardum *Carew*, qui ita locum à maioribus traditum tuetur, vt virtutum ornamentis exsuperet. Hactenus australem oram, nunc Septentrionalem obeamus.

Trematon. *De Valletorta. Edgcombe. Anthony.

Septentrionale littus ab ipso Belerio promontorio, primùm longo tractu arenosis cumulis aggeratum procurrit ad opicum lingula quadam in mare prominens, *S. Iies* appellatum; Iiæ mulieri Hibernicæ quæ singulari sanctitate hic vixit, hoc nomen acceptum ferens, olim *Pendinas*: subiectumque sinum, in quem *Haile* fluuiolus influit, suo nomine adoptauit, qui nautis *S. Iies bay* vocatur. Opidum verò ipsum iam tenue est. Caurus enim huius littoris tyrannus arenas conuerrendo ita afflixit, vt subinde translatum fuerit. Hinc vtrinque spatiosior procurrit in ortum regio, & obliquiore flexu Septentrionale littus in Aquilonem tendit ad *Padstow* vsque, nec aliud antiquæ notæ tota via habet, quàm in sabulo positum S. Pirano sacellum, qui sanctus etiam Hibernicus hic requiescit, cuius sanctitati infantia vani scriptoris affinxit quod decem Hiberniæ reges, & eorum exercitus tribus vaccis suis octo diebus aluerit, & porcellos mortuos, necnon homines suscitauerit. Deinde longiùs à littore *S. Columbæ* opidulum mercatorium sedet, Columbæ pijssimæ mulieris & Martyris, non Columbani Scoti, memoriæ consecratum, vt iam certo ex eius vita sum edoctus. Iuxta quod propiùs ad mare *Lanheron* cernitur, sedes equestris familiæ Arondelliorum, qui ob fortunas quas habuerunt amplissimas, *Arondellij magni* non ita pridem dicti sunt. De *Hirundine* alicubi Latinè scribuntur, nec malè, (si quid ego iudico) Hirundo enim Gallicè *Arondell* dicitur, & in nigro clypeo sex argenteis hirundinibus pro insignibus vtuntur. Familia sanè antiqua & celebris, propinquitatis & affinitatis ramis longe diffusa, ad cuius nomen, & insignia allusit Guil. Brito, Poeta, cum virum bellicosum ex hac inuolantem in Gallum circa annum MCLXX. sic describit.

S. Iies. S Columba. Lhanheron. Arondelliorum familia. Lib. 3. Philippidos Guil. Britonis qui vixit 1170.

——hirundela velocior alite quæ dat
Hoc agnomen ei, fert cuius in agide signum:
Se rapit agminibus medijs, clypeoq; nitenti
Quem sibi Guilielmus læua prætenderat vlna,
Immergit validam præacutæ cuspidis hastam.

Castle Danis. Padstow.

Parùmq; hinc abest duplex vallum in collis vertice, aggerq; ad illud ducens, quod *Castellan Danis*, .i. *Danorum castra*, eò quòd Dani cum Angliæ littora deprædarentur, ibi, vt alijs hoc tractu locis, sua castra habuerint.

Nec procul hinc Alan fl. qui & *Camb-alan*, & *Camel* a tortuoso meatu; (hoc enim *Cam* illis denotat) placidè in superum mare defluit, qui ad suum ostium *Padstow* emporiolum habet, contractè pro *Petrockstow* (vt in sanctorum historijs legitur) a Petroco quodam Britannico in Sanctos relato, qui hîc Deo vacauit, cùm ante à *Loderic*, & *Laffenac* vocaretur. Situm verò ad negotiandum in Hibernia, in quam XXIIII horis facilè nauigatur, habet percommodum: magnoque sunt ornamento speciosæ ædes instar castelli adiunctæ, quas nuper *N. Prideaux*, antiqui nominis & nobilitatis in hoc occiduo tractu extruxit. Ad huius Alani fontes, *Camelford*, alicubi *Gaffelford*, viculus cernitur, *Kamblan* olim dictum iudicat Lelandus, qui Arthurum Hectorem nostrum ibi cecidisse scribit. Fragmenta etenim (vt prodit ille) armorum, annuli, ænea equorum ornamenta, nonnunquam ab agricolis ibi eruuntur, famaque tot sæculis conseruata insignem hoc loco stragem factam fuisse prædicat. Extant etiam versus, in nescio quo medij temporis Poeta de

Cambula

Cambula cruore effuso inundante, in prælio Arthuri contra Mordredum. Quos subijcere non pigebit, cùm Musis non omninò inuitis scripti videantur.

Naturam Cambala fontis
Mutatam stupet esse sui, transcendit inundans
Sanguineus torrens ripas, & voluit in æquor
Corpora cæsorum, plures natâre videres,
Et petere auxilium, quas vndis vita reliquit.

Certè (vt hoc de Arthuro non negem) apud Marianum, Britannos & Saxones, anno instauratæ salutis 820. funesto prælio hic concurrisse legi, vt Marti sacer locus videatur. Et si verum sit, Arthurum hic cecidisse, idem littus illi fuit fatale, quod natale. Ad littus enim proximum sedet *Tindagium*, Arthuri illius magni incunabula, partim in exerta quasi lingula, partim insula quæ ponte olim coniuncta. *Tindagel* hodie appellant, nunc tantùm splendida ruina, olim castrum magnificum, de quo quidam recens cecinit. *Tindagel.* Arthuri locus natalis.

Est locus Abrini sinuoso littore ponti,
Rupe situs media, refluus quem circuit æstus,
Fulminat hic latè turrito vertice castrum,
Nomine Tindagium veteres dixere Corini.

Longum esset ex historia Galfredi hîc declarare quomodo Vtherus *Pendragon* Rex Britanniæ vxorem Gorlois Principis Cornwalliæ in hoc castro deperierit, assumpta prestigijs magicis mariti specie, matronæ stuprum intulerit, & Arthurum illum susceperit. Satis sit si Ioannis nostri Hauillani versibus vtar. Architrenius.

———————*facie dum falsus adulter*
Tindagel irrupit, nec amoris Pendragon æstum
Vincit, & omnificas Merlini consulit artes
Mentiturque ducis habitus, & rege latente,
Induit absentis præsentia Gorlois ora.

Fuit Vtherus *Pendragon* ille princeps in quo rei militaris studia viguerunt, quique labentem patriam contra Saxones fortiter suffulsit, An ab illo prodijt *regium illud apud Anglos vexillum Draconis habens cum capite aureo effigiem, quod vicinis expertum, & paganis sub Richardo primo in vltramarinis gentibus terribile fuit*, non affirmauerim. Acceptum potiùs a Romanis crediderim, qui diu Aquila vsi sunt, postquàm Marius lupi, Minotauri, Equi, &c. abdicasset signa, tandemque sub posterioribus Imperatoribus Draconem vsurparunt. Vnde Claudianus, *Hi picta Draconum colla leuant*, & Nemesianus. *Signa micant, sinuatq; truces leuis aura Dracones.* Regesque Occidentalium Saxonum Draconem in vexillis gestasse Houedenus docet. De alio autem Saxonum vexillo quod Beda *Tufam* dixit, & *Reafan* Danorum nihil hic addam, ne longiùs a proposito abijsse videar. Draco in vexillis Regum Angl. Geruasius Tilburiensis. vexilla. Tufa vexillum.

In eadem de nde ora quæ minùs fœcunda, & syluis nuda, mari obijcitur, *Botereaux* castrum, corruptè *Boscastell* vulgo, à Dominis *Botereaux* conditum, qui tres bufones nigricantes scuto argenteo gestabant, Gulielmus *Botereaux* primus in hac familia emicuit, qui duxit Aliciam filiam Roberti *Corbet*, cuius soror amasia fuit regis Henrici primi, è qua ille Reginaldum Cornwalliæ Comitem suscepit. Ab hoc Guilielmo non interrupta serie vndecim floruerunt. Vltimi vero vnica filia Margareta Roberto Hungerfordo fuit enupta, per cuius posteros ad Hastingorum familiam deuoluta est hæreditas, quæ aucta fuit & honorata nuptijs quas contraxerunt illi de *Botereaux* cum hæredibus nobilium familiarum de *Moeles*, S. *Laudo*, siue S. *Lo*, & *Thweng*. Botereaux. Orig.48.E.3. R.12.

Hinc in altum euecta terra ita ad Boream prominet, vt XXIII. milliaria hîc in latitudine inter duo maria colligat regio, quæ hucusque in angustias quodammodo coarctata processit. In hac maxima latitudine *Stow* ad mare sedet, antiqua habitatio familiæ Grenuillorum, quæ sanè generis antiquitate & claritate illustris: è qua Richardus regnante Guilielmo Rufo inter debellatores Glamorganiæ in Wallia ob fortitudinem eminuit, & nuper alter eodem prænomine Richardus supra generis claritatem animi altitudine insignis, fortissimè contra Hispanos ad *Azoras* insulas dimicans vitam profudit. Huic adiacet *Stratton* hortis & suo allio non obscuris mercatus, illiq; proximum *Lancells* noua habitatio antiquæ familiæ de *Caluo Monte*, siue *Chaumond*. Stow. Grenuilli. Stratton.

TAMARA flumen, nunc *Tamar*, haud procul a Septentrionalis littore fontes hîc aperiens, Tamara fl.

ens, celer & fremens ad meridiem cursum agit, multis riuulorum alueis auctus, per TAMARAM opidum à Ptolemæo memoratum, nunc *Tamerton*, & à ripa remotiùs *Lanstuphadon*, id est, *Fanum Stephani*, vulgò *Launston*, opidulum nitidum cliuo surgenti adfixum, quòd è duobus Burgis, *Duneuet*, & *Newport* quasi coaluit. Primis Normannorum temporibus castrum hic posuit Guilielmus Comes Moritonij, Collegiumq; habuit Canonicorum, vt constat ex Censuali Angliæ libro, vbi *Lanstaueton* dicitur, a Collegio illo proculdubio in S. Stephani honorem extructo, quod in monasterium circa annum 1150. conuertit Reginaldus Comes Cornwalliæ. Cui operi Episcopi Exonienses humano affectu plùs nimis abducti & seducti, infensiùs aduersabantur, dum suæ iurisdictioni anxiè timerent, ne aliquando esset sedes Episcopi. Hodieq; publico prouinciæ carcere, & sæpe *Assisis*, quas vocamus, est notissimum.

Launston.

Inde æditum montem longè protentum suspicit Tamara *Hengerdoun Marianus vocat, *Hengistiq; montem* interpretatur, vulgò *Hengiston-hill* dicitur. Qui stanni venis satis olim fœcundus, locusq; solennis, vbi septimo vel octauo quoq; anno Cornwalliæ & Deuoniæ Metallici frequentes conuenire & suis de rebus consilium inire soliti. Ad hunc anno salutis DCCCXXXI Britanni Danmonij qui adscitis in auxilium Danis in Deuoniam irrupturi, vt Anglos qui iam occupârant, exturbarent, miseranda strage ab Egberto Rege ferè ad internecionem sunt occisi. Inferius iuxta *Salt-esse* emporiolum in collis deiectu positum quod suum habet Maiorem, & priuilegia, vt modò dixi, Liuerum fluuium, ad quem illud S. Germani opidum, de quo anteà, admittit Tamara. Iamq; aquis diffusior in Oceanum exit, portum efficiens *Tamerworth* in vita Indracti dictum: cùm Cornubiam à Deuonia discriminauerit. Hunc enim Athelstanus rex (qui primus Anglorum regum hanc regionem sui iuris plenè fecit) limitem inter Britannos Cornubienses, & suos Anglos statuit, postquam è Deuonia Britannos submouisset, vt testatur Malmesburiensis, qui *Tambram* vocat. Vnde Alexander Nechamus in Diuinæ sapientiæ laudibus.

Hengston. i. equorum collis

Marianus Scotus.

Salt-esse.

Loegria Tamaris diuisor Cornubiaq;,
Indigenas ditat pinguibus isicijs.

Locus hic postulat vt de Vrsula summa sanctitate virgine hinc oriunda, & XI. millibus virginum Britannicarum aliquid attexam. Sed scriptorum varietas dum alij sub Gratiano Imp. circa annum salutis 383. in Germaniæ littore ad Armoricam nauigantes, alij ab Attila Hunno illo Dei flagello ad annum 450. Coloniæ ad Rhenum Roma redeuntes martyrio affectas tradunt, historiæ veritatem in fabulæ suspicionem apud nonnullos attraxit. De Constantino autem illo, quem *immunda Leena Danmonia tyrannicum catulum* vocat Gildas, & de huius vniuersi Comitatus *deafforrestatione* sub Rege Ioanne, anteà enim Forresta censebatur, dicant historici, instituti enim non est mei.

S. Vrsula & 1100. virgines

Ad Comites quod spectat, è Britannici sanguinis Comitibus solùm Candorus, alijs Cadocus, vltimus Cornwalliæ Comes à recentioribus memoratur, qui, vt Heraldicæ artis periti tradunt, clypeum nigrum XV. globulis aureis inspersum gerebat. E Normannico autem sanguine Comes primus erat Robertus Moritonius Guilielmi Conquestoris ex Herlotta matre frater, cui successit Guilielmus filius. Qui cùm a Roberto Normanno contra Henricum primum Angliæ Regem staret, in prælio captus & libertatem & honores amisit, suffectusq; postea in eius locum ab Henrico II. cùm bellum in Stephanum pararet, Reginaldus Regis Henrici primi filius illegitimus (eam enim Rex ille dedit operam liberis, vt tredecim illegitimos progenuerit.) Cùm Reginaldus sine masculis legitimis diem obijsset, Henricus II. assignatis filiabus eius prædijs quibusdam, Comitatum hunc sibi retinuit in vsum Ioannis filioli sui tunc nouennis, cui frater Richardus Primus postea cum alijs Comitatibus contulit. Ioannes autem posteà Angliæ Rex fuit inauguratus, filiusq; eius secundo-genitus Richardus a fratre Rege Henrico III. hoc honore & Comitatu Pictauensi fuit ornatus, Princeps sanè eo sæculo potens, erga Deum religiosus, ad bella fortis, ad consilia prudens, qui in Aquitania res fortiter & fœliciter gessit, in terram sanctam profectus Saracenos ad inducias compulit, Apuliæ regnum à Papa oblatum respuit, tumultus in Anglia subinde composuit, & in Regem Romanorum 1257. per nonnullos è Germaniæ Septemuiris electus, atq; Aquisgrani, coronatus. Vnde quasi pecunia viam sibi muniuisset, peruulgatus versiculus.

Cornwalliæ Comites.

Rob. de Monte 1175.

*

Nummus ait pro me nubit Cornubia Romæ.

Antea

Antea enim ita bene nummatus fuit, vt quidam qui tunc vixit, prodiderit eum qualibet die per decennium centum Marcas expendere potuisse. Sed cùm in Germania omnia intestinis bellis flagrarent, in Angliam citò redijt, vbi defunctus, & apud celebre monasterium de *Hales* quod extruxerat, sepultus, paulò postquàm primogenitus filius Henr. è bello sacro redux Viterbij in Italia æde sacra dum sacris deuotus interesset, a Guidone de *Monteforti* Simonis Comitis Leicestrensis filio, patris vlciscendi causa nefariè fuit occisus. Successit igitur in Cornwalliæ Comitatu Edmundus filius secundogenitus, quo sine liberis demortuo, amplissima eius hæreditas ad Regem Edwardum primum redijt, vtiq; qui *proximus consanguineus & hæres* (vt iuridici nostri loquuntur) *inuentus*. Cùm autem Richardus ille, & filius Edmundus è stirpe regia Angliæ fuerint, & diuersis tamen a Regiæ stirpis insignibus, sc. in Clypeo argenteo Leone rubro insurgente & coronato intra limbum nigrum globulis, siue *Bizantinis* bullatum, vsi sint, subinde cum alijs sum demiratus. Nec aliam sanè rationem afferre possum, nisi quòd illi regiam Gallorum familiam in hoc (à Gallis enim hæc insignium ratio ad nos promanauit) sint imitati. Filij enim Regum Galliæ natu minores ad hæc vsq; tempora, alia quàm regia gestarunt insignia, vt in familia Veromandua, Druidensi, Courteneia videre est, atq; vt Robertus Dux Burgundiæ, frater Henrici primi Regis Galliarũ antiquum Burgundiæ Ducum Scutum assumpsit; ita hic Richardus cùm Comitatum Pictonum ab Henrico III. fratre accepisset, Leonem illum rubrum coronatum assumsisse, quod priorum erat Pictonum Comitũ, vt tradunt scriptores Galli, & limbum illum bullatum ex antiquo Comitum Cornubiæ clypeo addidisse existimare licet. Quamprimùm enim iuniores Regum Franciæ filij Regia insignia cum quibusdam differentijs gestare cœperint, itidem apud nos factum est, & primum ab Edwardi Primi liberis. Sed quò ego mei immemor meo studio delectatus a proposito abripior? Cùm in sacrum regni patrimonium recidisset Cornwallia, Edwardus Secundus qui latifundia hîc à patre acceperat, Comitis Cornwalliæ titulum Petro Gaueston Vasconi contulit, qui eius adolescentiam corruptelarum illecebris irretierat. Cùm autem ille ob principem corruptum, & alia scelera capite à proceribus interceptus truncaretur; successit Ioannes de *Eltham*, Edwardi II. filius natu minor, quo iuuene & etiam sine sobole mortuo, Edwardus III. Cornwalliam in Ducatum erexit, Edwardumq; filium suum bellicis laudibus principem cumulatissimum, anno Christi MCCCXXXVI. Ducem Cornwalliæ *per sertum in capite, annulum in digito, & virgam argenteam inuestiuit.* Ex quo tempore, vt hoc ex publica fide adnotem, (Iurisperiti autem iudicent) filius Regis Angliæ primogenitus, Dux natus Cornwalliæ habetur, & *ex speciali Actu superinde promulgato, primo natiuitatis suæ die maioris & perfectæ præsumitur ætatis, sic quòd liberationem dicti Ducatus eo die petere valeat, ac de iure obtinere debet, ac si* XXI. *annorum ætatis plenæ fuisset.* Habetq; sua iura Regalia in actionum quibusdam formulis, rebus metallicis, naufragorum bonis, portorijs, &c. variosq; ministros ad hæc & huiusmodi assignatos. Sed hæc planiùs & pleniùs docuit Richardus Carew de *Anthonie* non minùs generis splendore, quàm virtute & doctrina nobilis, qui huius regionis descriptionem latiore specie, & non ad tenue elimauit, quemque mihi præluxisse non possum non agnoscere.

Arma Comitum Cornubiæ.

*Bande d'Or & d'Azur a la bordeure de Gueules. Memoriales d'Aquitain.

Duces Cornwalliæ.

Orig. 35. H. 6.

Sunt in hoc Comitatu parochiæ 161.



HERCVLIS PROMONTORIVM.

Hartland Point

Ilfarcombe

Combe merton

EX MORE

Barnstable

Bediford

Harton

Torrington

Chumligh

Moulton

Stratton

Houlsworthy

Hatherlay

Okehamton

Lyston

Launston

Chegforde

Morton

PARTE OF CORNWALL

DERT MORE

Tamstok

Saltastok

Plimpto

Brent

Modbery

Totnes

Kingsbridge

Dodbrok

Asshburton

Plymouth

TAMARE OSTIVM

Bolt Point




Willem Kip Sculpsit

PARTE OF SOMERSET SHIRE

MARE BRITANNICVM

PARTE OF DORSET SHIRE

DEVONIÆ Comitatus Vulgo Den. Shyre. quam olim DANMONII Populi Incoluerunt.



DENSHIRE.



Citerior quam dixi, Danmoniorum regio, *Denshire* vulgo nunc vocatur, Britannis Cornwallensibus *Deunan*, Cambro-Britannis *Duffneynt* .i. depressæ valles, quòd inferiùs in conuallibus passim habitatur, Anglo-Saxonibus Deuenrchire, vnde facta Latina appellatio *Deuonia*, & contracta illa, qua vulgus hominum vtitur, *Denshire*, & neutiquam à Danis, vt scioli quidam acerrimè contendunt. Regio quæ vt maiori latitudinis incremento vtrinq; quàm Cornwallia excurrit, ita vtrinq; portubus accincta commodioribus, nec minùs stanni venis diues, præsertim quà Occidentem spectat, pratis distincta lætioribus, syluis vestita frequentioribus, ædificijs opidisque refertissima: gleba autem alicubi perinde exili, quæ tamen benigniùs colono respondet, si rei rusticæ prudentiam, agendi voluntatem, & impendendi facultatem conferre possit. Nec alibi ferè in Anglia maiorem impensam terra exigit, plurimis enim locis quodammodo sterilescit, nisi arena è mari inspergatur, quæ ad fœcunditatem efficax, quasi animam glebis infundit, vnde in locis a littore remotioribus cariùs emitur.

Arena fœcunda.

In hac describenda primùm Occiduum latus, quod Tamara perstringit, inde Australe, quod Oceano incumbit, perlustrabo: ab hoc per Orientalem limitem, quo Dorcestriam, & Somersettiam attingit, ad Septentrionale littus, quod Sabriniano freto vrgetur, me recipiam.

Lidford.

TAMARA, qui regiones has disterminat, primùm ab hac parte *Lid* fluuiolum ab ortu hospitio excipit, ad quem *Lidston*, emporiolum tenue, & *Lidford* nunc viculus, opidum olim celebre Danico turbine anno 997. grauissimè concussum. Quod (vt in illo libro, quo Angliæ lustrum condidit Guil. Primus scribitur) non alio tempore, nec alia ratione quàm Londinum censeri solebat. *Lid* ille fluuiolus hic ad pontem rupibus coarctatus se præcipitem in tantam profunditatem indies excauando agit, vt aqua non videatur, tantùm murmur, non sine magna prætereuntium admiratione, inaudiatur.

Lid fl.

Tauistoke Charta fundationis.

Inferiùs *Teauum* fluuiolum recipit Tamara, ad quem *Teauistoke*, vulgò *Tauistoke* floret, cœnobio quondam celebre, quod Ordulphus filius Ordgari Comitis Deuoniæ cælesti visione admonitus circa annum seruatoris Christi 961. extruxit. *Locus*, vt inquit Malmesburiensis, *amœnus opportunitate nemorum, copiosa piscium captura, Ecclesiæ congruente fabrica, fluuialibus ripis per officinas decurrentibus, qui suo impetu effusi quicquid inuenerint superfluum deferunt. Rumonus ibi Sanctus prædicatur, & iacet Episcopus. Cernitur q; in eodem monasterio sepulchrum Ordgari illius, spectaculoq; ducitur enormitas Mausolai filij eius, Ordulfus is vocatus est, gigantea molis, & immanis roboris*: vtpote qui portarum repagula perfringere, & fluuiolum decem pedes latum diuaricatis pedibus continuare poterat, si fidem Gulielmo illi adhibere libeat. Sed tricesimus tertius ab hoc condito vix agebatur annus, cùm Danica incensum tempestate deflagrarit. Refloruit tamen, laudabilique instituto, auitæ nostræ linguæ, Anglo-Saxonicam dico, quæ iam in desuetudinem abijt, lectiones in hoc vsque ad patrum memoriam habebantur, nè quod nunc ferè euenit, huius linguæ cognitio intercideret. Recepto iam Teauo Tamara proximè suum ostium accedit, vbi *Plimus* fluuius se vnà in Oceanum euoluit, nomenque opido incumbenti *Plimmouth* fecit, quod olim *Sutton* dictum, duplexque fuisse videtur, in Actis enim Parlamentarijs legimus *Sutton Vautort*, & *Sutton Prior*, quod partim ad familiam de *Valletorta*, partim ad Priorem spectauit. Superiori seculo ex viculo piscatorio in opidum amplum, ciuiúmque frequentia vrbis æmulum, quale nunc cernitur, excreuit: portúsque commoditas hoc effecit, qui maxima nauigia in sinum minimè deductis velis admittit, tutissimamque stationem nauibus quantumuis magnis, tam in Tamara, quàm Plimo præbet: & ad vim hostilem arcendam satis est munitus. In medio enim ostio insula S. Michaelis præiacet, quæ & suas munitiones habet. Ipse verò portus ad opidum vtraque ex parte munitur, & catena interposita, cùm opus fuerit, clauditur, molesque ad Austrum obijcitur, & in colle proximo castrum à *Valletortis*, vt creditur, positum. In quatuor tribus totum est descriptum, *Wardes*, .i. *Custodias*, nostra lingua vocamus, quibus omnibus

Prælectiones linguæ Saxonicæ.

Plimmouth. 13. Hen. 4.

Maior,

Maior, siue Prætor præficitur, ab Henrico Sexto constitutus, & sub eo singulis tribubus *Capitaneus* quondam præpositus erat, quorum quilibet, & suos pedaneos magistratus habuit. De fabulosa illa Corinæi cum *Gogmagog* Gigante, hoc in loco colluctatione, sat sit, vnum & alterum ex Architrenio de Gigantibus nostris versiculum adiungere. Gogmagog.

Hos auidum belli robur Corinæus Auerno
Præcipites misit, cubitis ter quatuor altum
Gogmagog Herculeâ suspendit in aëra luctâ;
Anthaumq; suum scopulo detrusit in æquor.
Potauitque dato Thetis ebria sanguine fluctus,
Diuisumq; tulit mare corpus, Cerberus vmbram.

Scopulus verò ille, è quo Gigantem detrusum ferunt, *The Haw* nunc dicitur, qui collis est inter opidum, & Oceanum interiectus, in cuius summitate quæ in amœnissimam planitiem sternitur, gratissimus vndiquaque patet prospectus, & in nauigantium vsum Index nauticus, quem *Compassum* dicunt, longè pulcherrimus erigitur. Non magna est huius amplitudo, maximè tamen nominis dignitas apud omnes gentes; nec tam ob portus commoditatem, quàm incolarum virtutē: Hinc enim, vt alios taceam, erat Franciscus ille Dracus Eques auratus in gloria nauali nostræ memoriæ facile princeps. Qui primùm vt damna quæ ab Hispanis pertulerat, resarciret, vt ex ipso audiui, Mexicanum sinum toto biennio victorijs quasi obsedit, Isthmumque illum Darienæ peragrauit, vnde cum Australe (quod vocant Hispani) mare prospexisset, vt Themistocles Miltiadis trophæis excitatus, sibi, patriæ, & suæ gloriæ deesse existimauit, nisi perlustraret, ita animo semper obuersabatur. Anno igitur 1577. hinc soluens mare illud per Magellanicum fretum ingressus, orbem terrarum inter varias fortunę vicissitudines biennio, & decem mensibus, Deo Duce, Virtute comite, a Magellano secundus circumnauigauit. Vnde quidam ad eum Franciscus Drake.

Drake, pererrati nouit quem terminus orbis,
Quemq; semel mundi vidit vterq; polus.
Si taceant homines, facient te sydera notum,
Sol nescit comitis immemor esse sui.

Reliquas eius res gestas & aliorum qui hinc orti nauali gloria floruerunt, cùm non huius sint loci, scribant historici. Nec aliud est quod hic attexam, nisi regnante Guilielmo, Ruso, Ealphegum Sacerdotem eruditum, & coniugatum hîc floruisse. Ante annum enim M. c. 11. sacerdotibus vxores in Anglia interdictæ non fuerunt. Tunc Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis sacris literis, & naturæ vim intulit, vt conqueruntur eius æui scriptores nostri, & Henricus Huntingdonensis disertè de Anselmo. *Anglorum sacerdotibus vxores anteà non prohibitas prohibuit. Quod quibusdam mundissimum visum, quibusdam periculosissimum; ne dum munditias viribus maiores appeterent, in immunditias horribiles ad Christiani nominis summum dedecus inciderent.* Vxores sacerdotibus in Anglia primū interdictæ. Plimpton.

Interiùs non procul à Plimo flumine sedet *Plimpton* forum satis frequens, vbi reliquię, deformésque ruinæ castri se ostendunt, de quo plurimi quasi clientelari iure, vel vt Iurisperiti nostri loquuntur, *in Castlegarde* tenuerunt. Vtpote sedes erat primaria *Reduersiorum*, siue *Rypariorum* (vtrunque enim legitur) qui Barones erant de *Plimpton*, & Deuoniæ Comites. Huic proximum erat *Plimpton S. Mary*, cuius gloria tunc concidit cùm non ita pridem Canonicorum collegium cecidit, quod Guilielmus *Warlewast* Episcopus Exoniensis iam olim condiderat. Magis ad ortum *Modbery* cernitur, opidum exiguum quod ad antiquam *Campernulphorum* qui etiam de *Campo Arnulphi*, (*Champernouns* vulgus vocat,) familiam Equestri splendore claram spectare se agnoscit, quæ plurimum splendoris ex hærede de *Valletorta* accepit. Modbery. Champernoun.

A Plimi ostio, vnde littus australe huius regionis incipit, spatiosa grandi fronte procedit regio vsque ad **Stert* promontorium (hoc enim significat Anglo-Saxonicum illud) sed quamprimùm se reduxerit littus, *Dert* fluuius erumpit, qui ex interiori regionis parte scatens, per squallida montana *Dertmore* inde dicta, in quibus magnetes nuper sunt inuenti, deiectus ruit; arenásque ex fodinis, quæ sensim alueum opplent, deuoluit per Forestam de *Dertmore*, vbi *Dauid de Sciredun tenuit terras in Sciredun, & Siplegh, per serui-* *Stert, Cauda Germanis.

Testa Nevilli. *tiū inueniendi duas sagittas cùm Dominus Rex venerit venari in illa foresta*, Inde per *Dertinton* Baroniam quondam *Martinorum* qui Domini de *Keimes* in Wallia, vsq; ad *Totnes* decurrit. Quod vetustum opidulum in decliui collis ab Occasu in Ortum propendens, magno olim honore floruit. *Non geldabat* (vt est in Censuali Angliæ libro) *nisi quando Exonia geldabat, & tunc reddit xld. & seruiebat, si expeditio vadit vel per terram vel per mare; &* Totenesia Barnestaple, *&* Lidford *seruiebat, quantum* Exonia reddebat. Ioannes Rex *Maioris* pro summo magistratu eligendi potestatem concessit, & Edwardus Primus varijs libertatibus adauxit, posteaque fuit castro, vt credunt incolæ, a Zouchæis munitum. Possessio quondam erat Iudealis, qui de *Totenais* dictus, postea Guilielmi *Brwer* viri nobilissimi, per cuius filiarum alteram ad *Breosos*, & ab illis per filiam itidem ad Georgium de *Cantelupo* Dominum de *Abergeuenny*, cuius soror Melicenta Eudoni de *La Zouch* elocata suis nuptijs ad Barones Zouchæos transtulit, eorumque fuit donec Ioanne Barone Zouchæo proscripto, quòd Richardi Tertij partes fouisset, Petro *Edgecomb* viro nobili, & prudenti, vt accepi, elargiretur Henricus VII. Adiungitur huic opido *Berie Pomery*, a *Pomeriorum* nobili inprimis hoc tractu familia, quæ paulo magis ad ortum suum castrum perelegans habuit a ripa remotius. Hi genus repetunt a Radulpho de *Pomery* qui Guilielmi Conquestoris tempore tenuit *Wich*, *Dunwinesdon*, *Brawerdine*, *Pudeford*, *Horewood*, *Toriland*, *Helecom*, & hanc *Berie*, &c. Ab hoc *Totnes*, litus vicinum olim *Totonesium* dictum fuit, Brutumque illum Britannicę gentis authorem ad hoc appulisse Britannica tradit historia, Hauillanusque, vt Poeta illam sequutus, cecinit.

Totnes.

Pomery.

In Architrenio.

Inde dato cursu, Brutus comitatus Achate,
Gallorum spolijs cumulatis nauibus æquor
Exarat, & superis, auraque fauentibus vsus,
Littora fœlices intrat Totonesia portus.

Sed ille *Dert*, quem dixi, fluuius, cùm *Totonesij* pontem reliquerit, ad quem arenas è fodinis vnà deuolutas exaggerat: nihil præter fertiles agros vtrinque videt, donec fessus ad ostium deuenerit, cui colle porrecto imminet *Dertmouth*, ex portus commoditate, quem castella duo defendunt, mercatoribus & instructissimis nauibus frequens. Prætorem habet a rege Edwardo Tertio concessum. Zouchæos, Nicholaum de *Toukesbury*, *Brientiosque* pro temporum varietate dominos quondam agnouit, seque subinde contra Gallos strenuè defendit. Anno enim Christi MCCCCIIII. Dominus *de Castell* Gallus qui commercia hoc tractu latrocinijs præcluserat, & *Plimmouth* succenderat, dum hunc locum inuaderet, a rusticis, & mulierculis interceptus, atque cum suis interfectus. Neq; hic silendum *Stoke-Fleming*, quod adiacet, & a nobili Flandrensi eius quondam Domino ita denominatum, per Mohuni filiam ad *Carewos* deuenit.

Dertmouth.

T Walsingham.

Stoke Fleming.

Hinc refugientia ad Septentriones mare subsequitur littora, magnoque secessu sinus admittitur, qui x. plus minùs mill. pass. in circuitu colligit, *Torbay* hodiè dicimus, qui nauibus admodum secura statio, cùm spiret Notolibycus, viculumque eodem nomine adpositum habet, Bruerorum quondam sedem, qui Richardi Primi & Ioannis temporibus magni nominis fuerunt, & postea *Wakorum*. Iuxta est *Cockington*, vbi Cariorum familia, alia ab illa Careworum, iam diu magna claritate floruit, è qua Barones *Hunsdoniæ*, de quibus suo loco, profluxerunt. Paulò superiùs *Hacombe* cernitur quondam habitatio Iordanis *Fitz-Stephens* Equitis aurati hinc de *Hacombe* denominati, per cuius filiam Ceciliam in *Archidiaconorum* familiam deuenit, a qua itidem per Hugonem *Courteney* ad Carewos decursu temporis deuoluta est, quorum familia in his regionibus admodum clara & numerosa habetur. Iana enim filia Hugonis illius, & hæres matris Nicholao Baroni *Carew* nupta plures peperit liberos, quorum natu maximus Thomas, cùm minùs reuereter matrem haberet, transcripsit illa patrimonium admodum opulentum in tres filios minores natu, è quibus tres illæ familiæ Careworum de *Hacombe*, *Anthony*, & *Bery* sunt ortæ & oannem *Vere* è secundo marito filium, a quo Comites Oxoniæ.

Torbay.

Tormount.

Carye de Cockington.

Hacombe.

Careworum familia.

Inde *Teignemouth* viculus ad ostium *Teigni* flu. vnde & nomen, occurrit, ad quod Dani qui ad Britanniæ situm, & aditum explorandum præmissi erant, primùm circa annum Salutis DCCC egressi, occisoque loci præfecto, omen futuræ victoriæ cœperunt, quam posteà per vniuersam insulam summa cum immanitate exercuerunt. Interiùs prope *Teigni* scaturiginem sedet *Chegford*, vbi floruit quondam familia clara de *Prows*, inde

Dani primùm Britanniam ingressi.

Chegford.

Chidley.

B. Teignton.

Chidley

Chidley quod amplæ familiæ de *Chydley* suum nomen impertijt, & proximè ostium *Bishops Teignton*, sic appellatum quòd ad Episcopos spectârit, in quo, quia erat asylum, Ioannes de *Grandisono* Burgundus Episcopus Exoniensis quasi præsagus futuri, pulcherrimas ædes extruxit, *vt haberent successores* (ex eius testamento loquor) *vbi caput suum reclinarent, si fortè in manum regis eorum Temporalia caperentur.* Verùm tantùm abfuit, vt consilium eius expleretur, vt successores, & his ædibus & alijs ferè omninò iam exciderint.

Ad sextum inde milliare ISCA fl. cuius meminit Ptolemæus, Britannis *Isc*, Anglo-Saxonibus *Ex* dictus magno ostio in Oceanum se immittit. An hoc nomen accepit ab *Iscaw* quæ Sambucos Britannis denotat plane nescio. Sunt qui ab arundinibus quas Britanni *Hesk* vocant deducunt, & quarum tegulo Septentrionales populi, vt Britanni, tecta operiebant, & nauium commissuras ferruminabant. Sed cùm arundines hîc non inueniantur, assensum cohibeo. Hic flu. fontes habet in *Exmore* squallenti & infœcundo iuxta Sabrinianum fretum solo, quod magna ex parte Somersettensis censetur agri, & in quo nonnulla visuntur antiqui operis monumenta, videlicet saxa alibi in triangulum, alibi in orbem disposita, & inter ea vnum Anglo-Saxonicis, vel potius Danicis literis inscriptum ad dirigendum eos, vt videtur, qui illàc iter haberent: *Ex*, siue ISCA illinc primùm ad Austrum delabens per *Twifordton*, a vado duplici dictum, nunc *Teuerton*, cui gloriæ & quæstui pannificium, campos satis lætos perstringit, duobusque præcipuis augetur fluuiolis, *Credeno* ab Occidente, & *Columbo* ab Oriente. Ad *Credenum* in primitiua Anglorum Ecclesia sedes floruit Episcopalis in eiusdem cognominis opido *Cridiantun*, nunc contractè *Kirton*, quod natale solum Winifridi illius, siue Bonifacij, qui Hæssos, Thuringos, & Frisios Germaniæ ad Christum conuertit: nunc tantùm mercatu minùs frequenti, & Exoniensis Episcopi ædibus notum; patrum autem memoria multò notius erat Collegio duodecim Præbendariorum, qui iam euanuerunt. *Columbus* fl. qui ab Oriente venit, *Columbton* opidulum, quod suo nomini adoptauit, ab Alfredo Rege filio suo iuniori olim testamento legatum alluit; & prope *Poltimore* sedem claræ & perantiquæ familiæ de *Bampfield* Iscæ aquis commiscetur. Iamque Isca grandior, sed diuortijs ludens magna cum molarum opportunitate, ISCAM vrbem allabitur, cui nomen relinquit. Vnde Alexander Nechamus:

Isca fl.

Plinius.

Saxa antiqua.

Tiuerton.

Winifridus Germanorum Apostolus.

Poltimore.

> *Exonia fama celeberrimus Iscia nomen*
> *Præbuit,*———

Vrbs hæc ISCA Ptolemæo dicitur, Antonino ISCA DVNMONIORVM, pro DANMONIORVM, alijs falsò *Augusta* quasi legio Secunda Augusta ibi egisset, cùm illam ISCAE Silurum stationem egisse infrà docebitur, Anglo-Saxonibus Exanceaster, atque *Monketon*, a Monachis, hodie *Excester*, Latinis *Exonia*, Britannis *Caerisk*, *Caeruth*, & *Pencaer*, i. *Vrbs primaria.* *Caer* enim, vt semel hoc admoneam, apud nostros Britannos vrbem sonat, vnde Hierosolymam *Caer Salem*, Lutetiam *Caer Paris*, Romam *Caer Ruffayne* appellitant. Sic Carthago Punica lingua, *Cartheia*, teste Solino, dicebatur, id est, *Noua ciuitas.* Syris itidem *Caer* vrbem significâsse accepimus, a quibus cùm totum terrarum orbem incolis refertum fuisse in confesso sit, linguam quoq; posteris reliquisse, tanquam futurarum matricem probabile videatur. *Vrbs ista*, vt inquit Malmesburiensis, *licèt solum adiacens humidum, & squallidum vix steriles auenas, & plerumque inane folliculum sine grano producat, tamen sua magnificentia, incolarum opulentia, & conuenarum frequentia, omne ita abundat commercium, vt nihil ibi frustra desideres, quod vsui esse existimes.* Sedet autem ad Orientalem Iscæ ripam, molli & clementer ædito colle ad Orientem, & Occidentem decliui, fossis & mœnibus fortissimis cincta, turribus frequenter interpositis, ambituq; suo M. D. passus colligit, longè hinc inde procurrentibus suburbijs, ecclesiásq; parochiales XV. numerat, & in ipsa altissima parte prope portam Orientalem castrum habet *Rugemount* dictum, quondam Regum West-saxoniæ, posteà Comitum Cornwalliæ sedem; nunc tantùm antiquitate, & situ commendatum. Subiectæ enim vrbi, & regioni vndique minatur, periucundoque fruitur in mare prospectu. In Orientali vrbis parte ecclesia primaria cernitur, speciosis ædibus circumsepta, ab Athelstano rege, vt priuata loci historia testatur, Diuo Petro fundata, monachisque referta, quam demum, monachis Westmonasterium traductis, episcopali dignitate Edwardus Confessor ornauit, Cornubiensi, & Crediensi sedibus huc translatis; Leofricúmque Britonem

Isca Danmoniorum.
Excester.

Caer quid significat.

primum constituit Episcopum, cuius successores templum & ædificijs, & reditibus adauxérunt, Guilielmúsque *Bruier*, qui ab eo nonus, monachis emotis, Decanum, &
224. XXIIII. Præbendarios induxit. Quo seculo floruit qui hinc oriundus & cognomi-
Iosephus Iscanus. natus Iosephus Iscanus splendissimo ingenio Poeta, cuius scripta ita probabantur, vt ad veterum scriptorum laudem peruenerint: Eius etenim de bello Troiano poema Germa-
Corn. Nepos. ni semel atque iterum sub Cornelij Nepotis nomine diuulgârunt.

Quo tempore Isca in Romani imperij ius concessit, non certè constat, tantùm enim abest, vt à Vespasiano expugnatam affirmârim, quod Galfr. Monumethensis asserit, cùm sub Claudij Imperatoris auspicijs in Britannia, vt inquit Suetonius, fatis monstraretur: vt vix dum fuisse conditam existimem: Antoninorum tamen temporibus satis celebris videatur, ad hanc enim, nec vlteriùs sua itinera hac in parte prosecutus est Antoninus. In Anglo-Saxonum potestatem, ante annum CCCCLXV. ab eorum in Britanniam ingressu plenè non deuenit. Tunc enim temporis, Athelstanus Britannos, qui æquo anteà iure
Guil. Malm. cum Saxonibus vrbem incoluissent, tota ciuitate deturbauit, vltra Tamaram submouit, vrbemque vallo, muro ex quadrato lapide, & propugnaculis circumdedit. Ex quo tempore, plurimis beneficijs à regibus fuit affecta, & inter alia, vt in regis Guil. Victoris libro legimus. *Hac ciuitas non geldabat, nisi quando Londinum, Eboracum, & Wintonia, hoc erat dimidium Marcæ argenti ad opus militis. Quando autem expeditio ibat per mare aut terram, seruiebat quantum quinque hidæ.* Varijs item afflictata fuit subinde ruinis, Danica dilacerata rabie, anno reparatæ salutis 875. sed grauissimè a Suenone Dano, anno salutis 1003. perfidia Hugonis cuiusdam Normanni vrbis præfecti, ab Orientali ad Occidentalem portam prostrata, víxque reflorere cœperat, cùm Guilielmus Conquestor arctissima obsidione incingeret, nec satis habuere ciues eo tempore portas claudere, sed procacibus etiam verbis in ipsum iaculati sunt: verùm decidente muri parte (quod diuinitùs obtigisse historici eius æui referunt) deditio statim subsequuta. Qua tempestate (vt est in Censuali illo libro) *Rex habuit in hac ciuitate 300. domos, reddebat quindecim libras per annum. Quadraginta octo domus destructæ erant postquam Rex venit in Angliam.* Postea tribus obsidionibus pressa fuit, quas tamen omnes facilè elusit. Prima ab Hugone Courtnæo Deuoniæ Comite, bello illo intestino inter familiam Lancastrensem & Eboracensem: altera a Perkino Warbecco imaginario, & scenico principe, qui vltimæ sortis iuuenis Richardum Ducem Eboracensem Regis Edwardi IIII. secundum filium se ementitus periculosum bellum concitauit; tertia a seditiosis Cornwallensibus, anno Christi M. D. XLIX. cùm ciues omni rerum inopia grauissimè conflictati, in fide perstiterunt, donec Ioannes Baro Russellius illos obsidione exemerit.

Sed ex his hostibus non tantum damni fecit ISCA, quantum ex molibus quibusdam, (*Weares* vocant) quas ISCAE fluminis alueo Edwardus Courtenæus Comes Deuoniæ ciuibus infensior obiecit, quæ omnem ad vrbem aditum ita nauibus præcludunt, vt merces iam inde à viculo *Topesham* tribus ab vrbe milliaribus terrestri itinere deferantur; nec submouentur illæ moles, licèt Parlamentaria iusserit authoritas. Hinc opiculum adia-
Weare. cens *Weare* dicitur, cùm anteà *Heneaton*, quæ olim possessio fuit Augustini de *Baa*, a quo
Ch. 34. E 3. hæreditariò deuenit ad Ioannem de *Holand* qui in sigillo quod ipse vidi leonem ore obuerso inter lilia insurgentem gestauit. Politia huius vrbis est penes XXIIII. è quibus singulis annis Maior eligitur, qui cum quatuor Balliuis Rempublicam hic administrat. Antiquæ Tabulæ Oxonienses, quod ad Geographicam rationem spectat, hanc longitudine XIX. graduum XI. scrupulorum: latitudine L. gr. XL. scrup. definierunt.

Exoniæ Duces. Vrbs hæc, ne omittam, suos Duces habuit, Richardus enim Rex Angliæ eius nominis Secundus Ioannem *Holand*, Huntingdoniæ Comitem qui frater sibi vterinus, primum Exoniæ Ducem creauit, quem Henricus IIII. de hoc gradu deiecit, nomenq; Comitis Huntingdoniæ illi tantùm reliquit, quod statim securi percussus vnà cum vita amisit. Annis aliquot interiectis, in eius locum Thomam de *Beaufort* Dorcestriæ Comitem è familia Lancastrensi bellicis laudibus affluentem suffecit Henricus Quintus. Eo sine sobole defuncto, Ioannes *Holand* Ioannis iam dicti filius (vt hæres Richardo fratri qui obijt sine liberis, & patri) in integrum restitutus beneficio Henrici Sexti paternum recepit honorem, eundemque reliquit filio Henrico, qui dum res stetit Lancastrensium summo honore floruit, posteà cùm Eboracenses rerum potirentur, documento fuit quàm malè magnæ

magnæ credatur fortunæ. Hic enim ille Henricus Exoniæ Dux, qui etsi Regis Edwardi Quarti sororem duxerat, eò miseriæ adactus, vt laceris vestibus, nudisque pedibus in Belgio victum quærere visus fuerit. Demumque post prælium Barnettense in quo contra Edwardum IIII. strenuè pugnauit, non comparuit, donec cadauer eius quasi naufragi in littus Cantianum eiectum fuisset. Satis longo pòst tempore habuit suum Exonia Marchionem Henricum Courteneum ex Catharina filia Regis Edwardi Quarti natum, eo honore ab Henrico VIII. exornatum. Sed huic Marchioni, vt primo Duci, magna fortuna magnam concitauit tempestatem, quæ illum rerum nouarum studio abreptum citò subuertit. Quia enim inter alia Reginaldum Polum (qui postea Cardinalis) ex Anglia transfugam apud Imperatorem, & Pontificem contra patriam & Regem, qui iam ab Ecclesia Romana defecerat, res nouas molientem & re & consilio iuuerat, in iudicium tractus, & condemnatus cum nonnullis alijs capite luit. Nunc autem titulo Comitis Exoniæ beneficio Regis Iacobi gaudet Thomas Cecilius Baro *Burghley*, vir verè bonus & optimo patre non indignus filius, scilicet primogenitus Guilielmi Cecilij Baronis *Burghley* magni Angliæ Thesaurarij, cuius prudentia tranquillitatis Angliæ diu fuit propugnaculum.

Ph. Comineus Cap. 50.
Exoniæ Marchio.
Exoniæ Comes. 1605.

Hinc ad ipsum ostium nihil est antiquæ memoriæ præter *Exminster*, quondam *Exanminister*, ab Ælfredo Rege filio iuniori legatum, & *Pouderham* castrum ab Isabella de *Riparijs* constructum, prænobilis familiæ Equestris Courtenæorum iam diu sedem, qui è stirpe Comitum Deuoniæ prognati, & amplissimis familiis affinitate coniuncti etiamnum tantis maioribus dignissimi essiorent. Ipsi autem ostio ad alteram ripam quod ipso nomine attestatur, adsidet *Exanmouth* non alia re notum quàm ipso nomine, & piscatorum habitatione.

Pouderham.
Exmouth.

Magis ad ortum *Otterey*, id est, *Fluuius Lutrorum*, siue *Canum fluuiatilium*, quos *Otters* vocamus, vt è nominis significatione videatur, in mare prolabitur, qui *Honnyton* itinerantibus in has partes non ignotum opidum subluit, nomenque suum locis nonnullis communicat. Inter quæ celebriora sunt supra *Honniton*, *Mohuns-Otterey*, olim Mohunorum a quibus ad Carewos iure coniugali deuenit: infra *Honniton*, (prope *Holcombe* vbi incolit Equestris familia *Le Denis* quæ originem & nomen ad Danos refert) *S. Maries Ottery*, sic appellatum a Collegio S. Mariæ quod Iohannes de *Grandisono* Episcopus Exoniensis statuit, qui omnium Ecclesiasticorum virorum in sua Diœcesi facultates ad se conuerterat. Persuaserat enim vt testamentis in ipsum omnia sua transcriberent, vtpote qui in pios vsus conferret ecclesijs dotandis, Zenodochijs, Collegijsque construendis, quod sane piè præstitisse ferunt.

Otterey.
Honnyton.

Ab *Otterey* ostio anfractuosè in ortum procurrit littus per *Budley*, *Sidmouth*, & *Seaton* portus olim nobiles, quibus arena reciproco fluctuum meatu congesta ita obtenditur, vt hanc commoditatem penè omninò iam eripuerit. *Seaton* autem MORIDVNVM illud Antonini esse quod inter DVRNOVARIAM & ISCAM ponitur, (si modò liber non sit mendosus) RIDVNVMQVE nomine truncato in Tabula Peutegeriana dicitur, cùm ex distantiæ ratione, tum ex nominis significatione coniectârim, *Moridunum* enim Britannis idem planè est quod *Seaton* Anglis, scilicet *Opidum in colle ad mare*. Huic adiacet *Wiscombe* memorandum, quòd sibi incolam habuit Guilielmum Baronem *Boneuill*, cuius hæres Cecilia suis nuptijs titulos Domini *Boneuill*, & *Harrington* cum lauta in hoc tractu hæreditate ad Thomam Greium Marchionem Dorsettiæ attulit.

Moridunum.
Wiscomb.
Vide in Comitatu Somerset.

Sub his *Ax* fluuius tenui admodum alueo se exonerat, quum *Axanminster* alluerit opidum Saxonicorum Principum qui in prælio illo atroci ad *Brunaburg* cæsi, & huc translati, tumulis tantummodò in antiquis historijs celebre, & in ipso prouinciæ limite situm. Sub quo Reginaldus *Mohun* de *Dunster*, cui Manerium de *Axminster* hæreditario iure per quartam filiam Guilielmi de *Brewer* accidit, Abbatiam de *Newenham* anno salutis 1246. construxit. Hinc enim Orientalis limes per ignobiles vicos obliquè tendit ad fretum Sabrinianum, quod nunc legamus.

Axminster.
Registrum de Newenham.

Primùm verò à Cornwallia littus, quod se in Sabrinianum fretum longè exporrigit HERCVLIS PROMONTORIVM Ptolemæo dicitur, nominisque tantillum conseruat *Hertypoint* hodie dictum: opidulaq; habet *Herton*, & *Hertlond* Nectani viri sancti reliquijs olim clarum. In cuius honorem monasteriolum hîc erexit Githa Godwini Comi-

Herculis Promontorium
Guil. Malm.

tis vxor, quæ Nectanum inprimis coluit, eò quòd eius meritis maritum efferatam tempestatem euasisse sibi persuaserat. Postea tamen *Dinanti*, qui & *Dinham* dicti è Britannia Armorica oriundi quibus in feudum obtigit, fundatores sunt habiti; è quibus oriundus Baro *Dinham* magnus Angliæ Thesaurarius sub Henrico VII. per cuius sorores & hæredes diuisa est hæreditas inter Zouchæum, Fitzwarrinum, Carew, & Arundellium.

Dinham.

Huius promontorij nomen fidem fabulæ admodum speciosę fecit, Herculem nimirùm in Britanniam aduenisse & nescio quos Gigantes debellasse. At verum si sit, quod Mythiologi asserunt, Herculem nullum fuisse, sed per eum humanæ sapientiæ vim denotari, qua superbiam, libidinem, inuidiam, & id genus monstra superamus: vel si per Herculem, Solem, vt Gentium Theologi, & duodecim illos labores ab Hercule exantlatos, XII. notare signa Zodiaci volunt, quę Sol annuo cursu permeat, viderint ipsi quid dixerint. Ego tamen Herculem fuisse libens credo, imò cum Varrone, vel XLIII. concederem, quorum omnium gesta vni Alcmenę filio ascribunt; in animum tamen inducere non possum Herculem huc penetrâsse, nisi forte peculo illo Oceanum nauigârit quod Nereus sibi dederat, de quo Athenæus. At inquies, Franciscus Philelphus in epistolis, & Lilius Giraldus in Hercule suo illud affirmauit. Ignosce quæso, scriptores illi recentiores me mouere, sed non demouere possunt, quum Diodorus Siculus ex vltima antiquitatis memoria Gręcorum res persecutus, disertis verbis asserat, *nec Herculem, nec Liberum patrem vnquam Britanniam adijsse.* Quare persuasissimum mihi est Herculis nomen huic loco inditum, vel a Græcorum vanitate, vel a Britannorum religione. Hi (gens bellicosissima) fortes viros maxima cum admiraitone suspexêrunt, & monstrorum domitores summo loco habuerunt, illi autem quicquid vbiq; magnificum in Herculis claritatem retulerunt, & quoniam ille multùm peregrinatus est, qui peregrinabantur, illi sacra facere soliti sunt, eidemque loca ad quæ appulerunt, consecrare. Hinc apud Campanos *Herculis petra*, apud Ligures *Herculis portus*, apud Germanos *Herculis lucus*, apud Mauritanos, Galatas, & Britannos *Herculis promontoria.*

An Herculis Britanniam adierit.

Recedente ab hoc Herculis promontorio littore, vno ostio, duo, quæ sola sunt in hâc Septentrionali orâ, flumina se effundunt, *Towridge* scilicet & *Taw*. *Towridge* non procul ab Herculis promontorio, quod dixi, ortus, in Orientem alueum agit, *Ockumque* recipiens qui *Ockhamptoniæ* mercatorio opidulum nomen fecit, vbi Baldwinus Vicecomes suum castrum habuit tempore Guilielmi Conquestoris, vt constat ex Censuali Angliæ libro, subitò flexus Septentriones petit per *Tourington*, cui nomen impertit, collis supercilio illi longo tractu imminens; & *Bediford* hominum frequentia, ponteque saxeo arcuato opere satis celebre, statimque Tawo se insinuat, qui è regionis meditulio profusus per *Chimligh* mercatorium opidulum non procul à *Chettelhampton* viculo vbi Hierytha inter Sanctas relata requieuit, primùm defertur. Indeque *Tawton* præterlapsus, vbi Werstanus & Putta primi Deuoniæ Episcopi, circa annum salutis 906. sederunt, & *Tawstoke* huic oppositum, nunc sedem honoratissimi Comitis Bathoniæ, ad *Berstaple* properat. Hæc antiquioris notæ habetur, & ob elegantiam ac frequentiam facilè primas in hac ora tenet, semicirculi forma ad fluuium quasi Diametrum inter colles adsidens. Qui singulis nouilunijs & plenilunijs intumescente Oceano ita agris superfunditur, vt ipsum opidum peninsula videatur; cùm verò, vt inquit ille, se æquor refundit in æquor, ita tenuis vt paruis nauigijs ferendis ferè impar sit, inter arenas sinuoso cursu diffusus. Ad Austrum pontem habet magnificum à *Stamfordo* ciue Londinensi constructum, ad Septentrionem qua *North Ewe* amniculus confluit, visuntur castri reliquiæ, quod vulgo Athelstanum Regem, alij Iudaëlem de *Totenais* posuisse tradunt, ad quod defendendum prædia nonnulla circumuicina in *Castle-garde* iure feudi tenentur. Mœnibus autem incinctum erat, quorum vix tantilla supersunt vestigia. Iudael ille de *Totenais* dono accepit clientelari iure a Rege Guilielmo primo, inde *Tracij* satis longo tempore tenuerunt, post *Martini*, deinde Rich. secundo regnante ad Ioannem Holland Huntingdoniæ Comitem deuenit, qui postea Dux Exonię, & postremò in Regium patrimonium. Maria autem Regina *Manerium*, vt vocant iurisconsulti nostri, Thomę *Marrow* donauit, cuius filius diuendidit. Regnante Guilielmo primo, vt est in Censuali Anglię libro, *Quadraginta Burgenses intra Burgum, & nouem extrà habuit.* Henricus primus multis priuilegijs muniuit, & Ioannes Rex pluribus, Prętorem & duos Balliuos longo tempore habuit, Maria vero Regina

Domesday.

Bediford.

I. Hooker de Episcopis Exon.

Berstaple.

gina Prætorem, duos *Aldermannos*, & Senatum ex viginti quatuor constituit. Incolæ sunt maximam partem mercatores, qui in Gallia & Hispania magnam mercaturam exercent. Nec tacendum est quòd ex huius schola duo doctissimi viri & nominatissimi Theologi, Iohannes Iewellus Episcopus Sarisburiensis, & Thomas Hardingus professor Louaniensis, qui acerrimè pro veritate religionis vtrinque scriptis acutissimis sunt digladiati. Ioan. Iewel. Th. Harding.

Hinc Tawus *Ralegh*, quæ olim nobiles sui nominis habuit Dominos, nunc claræ familiæ de *Chichester* cognominatæ possessionem salutans, & postea Towridgi aquis auctior Sabrinianum mare petit; sed *Kinuith* castrum cuius meminit Asserius non inuenit. Ad hoc enim littus, eius nominis castrum erat situ terrarum ab omni parte præterquàm ab ortu tutissimum, ad quod, Anno Christi DCCCLXXIX. Hubba Danus, qui multis cladibus Anglos fatigárat, confossus occubuit. Locus deinceps *Hubbestow* ab historicis nostris vocatur. Vexilloque Danorum, *Reafan* dicto, tunc potiti sunt Angli. Quod lubentiùs adnoto, quia ex fabella apud Asserium Meneuensem, qui hæc prodidit, colligi potest, Danos coruo pro insignibus vsos fuisse, quem inuicto (vt putabant) omine, Lothbroci Danici filias in vexillo acu pinxisse tradiderunt. Ralegh. Kinuith. Danorum vexillum.

Nihil deinceps in Septentrionali hoc littore visitur præter *Ilfarcomb*, quæ statio est nauium satis fida, & huic contermina *Combmarton* sub qua veteres plumbi fodinæ non sine argenti venis nuper sunt apertæ, *Comb* verò, vt semel adnotem, quæ vsitata est adiectio locorum nominibus in hoc tractu, situm depressiorem aut conuallem denotat, deductumq; videatur à *Kum* Britannorum quod idem significat, & Galli adhuc eadem significatione sua lingua retinent. Comb. quid significat. Nicotius.


Hinc magis ad Euroaustrum proximè Somersettenses ostendit se *Bampton*, olim *Baentun* quæ sub Guilielmi Conquestore obtigit Waltero de *Doway* siue Duacensi, cum amplissimis alibi latifundijs: è cuius posteris Iuliana hæres nupta Guilielmo Paganello vulgò *Paynell* peperit Fulconem de *Bampton*, ille suscepit Guilielmum, & Christianam vxorem *Cogani* ex Hibernia, cuius posteri successerunt cùm soboles Guilielmi sine liberis diem obijsset: A *Coganis* verò ad *Bourchieros* nunc Bathoniæ Comites, per *Hanefordum* & *Fitz-Warinos* tandem possessio hæreditario descendit. Bampton. Paganelli siue Paynell.

In prima Normannici imperij infantia (vt taceam Hugonem Normannum quem Emma Regina huic regioni anteà præfecerat) Rex Guilhelmus Primus Baldwinum quendam hæreditarium Deuoniæ Vicecomitem, Baronemque de *Okehampton* instituit, cui Vicecomitis honore Richardus filius successit, qui sine prole mascula obijt. Rex Henricus Primus deinde *Richardo de* Reduerijs *primo Tiuerton, ac posteà honorem de Plimpton cum alijs locis ad eundem pertinentibus contulit, in Comitemque Deuonium, tertium denarium annui exitus eiusdem Comitatus illi concedendo, eum consequenter creauit. Exitus autem Comitatus qui tunc ad Regem pertinebat ad 30. Marcas tantum se extendebat, de quibus dictus Comes 10. Marcas annuatim in partem suam assumebat. Post hac insulam Vectæ à dicto rege obtinuit, vnde Comes Deuoniæ &* Dominus Insulę *nuncupatus erat.* Ille autem procreauit Baldwinum, qui cùm à Matilde Augusta contra Stephanum staret, in exilium proiectus. Richardus tamen filius paternum hunc honorem recuperauit, qui duos filios reliquit Baldwinum & Richardum, suo ordine Deuonię Comites, & sine prole defunctos. Recidit ergo honor ad eorum patruum Guilielmum de *Vernon* dictum. Ille verò Baldwinum genuit, qui ante patrem obijt, cùm tamen ex Margareta Gwarini *Fitz-Geroldi* filia Baldwinum eius nominis tertium, Deuonię Comitem priùs suscepisset. Hic duos habuit liberos Baldwinū vltimum ex hac familia Comitem sine sobole defunctum, (qui Gryphem prementem bestiolam quo in sigillo maiores vsi sunt, in aureum scutum cum leone cyaneo erecto mutauit,) & Isabellam quę enupta Guilielmo de *Fortibus* Comiti *Albemarlæ* filium Thomam qui statim mortuus, & Auellinam peperit, quæ Edmundo Lancastrensi Comiti in vxorem data maritum magnis opibus ditauit. Sed cùm illa statim sine liberis obijsset, Hugonem Courtenæum regio (vt scribunt) Francorum sanguine natum, cognationeque superioribus Comitibus connexum Rex Edwardus III. missis literis, nulla adhibita cæremonia Deuoniæ Comitem creauit; iussit enim vt hoc titulo vteretur. Illi successit Hugo filius, post quem Edwardus eius è filio Edwardo nepos sequutus est, Hugoniq; filio moriens relquit, ille itidem Thomę filio qui obijt Deuoniæ Comites. Registrum Monasterij Fordensis. Claus. 9 Edw. III. m. 35 in dorso.

bijt anno xxxvi. Regis Henrici Sexti. Thomas ille tres filios suscepit, Thomam, Henricum, & Ioannem, quorum fortuna, flagrantibus inter Lancastrenses & Eboracenses funestis dissidijs, multùm iactata fuit, dum à Lancastrensibus obfirmato animo starent. Thomas capite plexus est Eboraci, Henricus frater qui successit, septimo pòst anno eandem pœnam Sarisburiæ subiuit. Et quamuis Rex Edwardus Quartus Humfredum *Stafford* Dominum *Stafford* de *Suthwick* in Deuoniæ Comitem euexerit, qui eodem anno
9 Edw.4. diem obijt, Ioannes tamen Courtenæus fratrum minimus natu hunc titulum, donec in prælio ad *Tewkesbury* ceciderit, mordicùs tenuit. Iam inde satis longo tempore hæc familia quodammodo extincta iacuit; sub Henrico tamen Septimo refloruit, qui Edwardum Courtenæum proximum hæredem masculum ad auitos honores denuò euocauit. Hic genuit Guilielmum Deuoniæ Comitem qui Catharinam Regis Edwardi Quarti filiam in vxorem duxit, è qua suscepit Henricum Comitem Deuoniæ, eundemq; Marchionem Exoniæ capite sub Henrico Octauo truncatum, cuius filius Edwardus in integrum a Maria Regina restitutus, nobilissimus, & optimæ spei adolescens immatura morte Patauij in Italia obijt, Optimi enim quíque (vt Quadrigarij verbo vtar) minimè diurnant. Anno verò ab eius morte quadragesimo sexto Iacobus Rex Carolum *Blunt* Baronem *Montioye* Hiberniæ Proregem, vt antiqua nobilitate, ita Imperatorijs artibus, & literarum ornamentis clarissimum, ob Hiberniam recuperatam & in pristinum statum reddi-
1 63. tam, pulsis Hispanis & rebellibus profligatis, aut in pacem receptis, Deuoniæ Comitem creauit, honoribus cumulauit; & pro regia munificentia affluenter locupletauit; verùm honorum & opum vsuram mors statim inuidit.

Continentur in hoc agro Parochiales ecclesiæ 394.

DVROTRIGES.



DVROTRIGES.



Roximos Dannonijs ad Solem orientem Ptolemæus in Geographicis Tabulis ΔΟΥΡΟΤΡΙΓΕΣ, *vt ille Græcè scripsit, qui Latinis exemplaribus* DVROTRIGES, *statuit. Qui ijdem Britannis circa Annum Salutis* DCCCXC. Dwr-Gwyr, *vt author est, qui tunc temporis vixit, & ipse natione Britannus, Asserius Meneuensis; Anglo-Saxonibus* Dor-ſettan, *vti nobis eorum regio hodie* Dorſet, *&* Dorſet-ſhire. *Nomen illud antiquum, & merè Britannicum* DVROTRIGES, *a* Dour, *siue* Dwr, *quod Britannis* Aquam, *&* Trig *quod* Incolam *denotat, probabili sane notatione deductum videatur, quasi* Aquæ, *siue* Maris accolæ. *Nec aliunde sanè quàm ab aqua petenda sunt illa in antiqua Gallia (quæ olim eadem qua antiqua Britannia lingua) locorum nomina à* Dur, *siue* Dour, *incipientia, aut in eadem terminantia, vt* DVROCASES, DVROCOTTORVM, DVRANIVS, DORDONIA, DVROLORVM, DOROMELLVM, DIVODVRVM BREVIODVRVM, BATAVODVRVM, GANODVDVM, OCTODVRVM, *& id genus quamplurima in Gallia, perinde ac in Britannia. Anglo-Saxonicum verò illud* Dor-ſetta *ex vtraque lingua Britannica & Anglica conflatum, idem sensu & significatione quod* DVROTRIGES *valet.* Setta *enim maioribus nostris, vt cæteris Germanis* incolere, *&* inſidere *sonuit. Vnde Monticolas sua lingua* Dunſettan, *Chilternicorum collium incolas* Cyltern-ſettan: Arowi *fluminis accolas* Aroƿſettan: *vti Germani Nemorum incolas* Holtſatten *dixerunt, quòd inter nemora habitârunt. Nec ab antiqui nominis ratione abierunt Britanni, cùm hos* DVROTRIGES *de quibus agimus,* Dwr-Gweir, *.i.* viri maritimi, *appellauerint; Eorum enim regio longo tractu, scilicet per quinquaginta plùs minus milliaria Mari Britannico obuersa ab occasu in Ortum anfractuoso littore protensa iacet.*

Dor quid.

Setta quid.



DORCESTRIÆ Comitatis Vulgo Dorsett Vbi olim DVROTRIGES Insederunt.

PARTE OF SOMERSET SHIRE

Crokehorne

Charde

Euill.

Sherborne

Blakmore

The Vale of Blackmore

Euershot

Bemyster

Axmyster

PARTE OF DEVON SHIRE

PARTE OF DEVON SHIRE

Cullyton

Lyme

Burport

Byrton

Frampton

Dorchester

Cerne



NICVM

William Kip Sculp.


Salesburye Plane
PARTE OF WILT SHIRE
Gillingham
Blandford
Middleton
Bere
Holt
Forest
PARTE OF HAM SHIRE
VINDOGLADIA
THE ISLE OF PVRBER
Poole
Christchurche

DORSET-SHIRE.



Omitatus Dorsettiæ à Septentrione agro Somersettensi,& Wiltoniensi, ab occasu Deuoniensi, ab Ortu Southantonensi terminatur, ab Austro quà longissimè procurrit, totus est maritimus: Oceano Britannico per quinquaginta plus minus milliaria, vt modò dixi, incumbens. Gleba verò est fertili, quà Septentriones spectat,syluæ & saltus diffunduntur, vnde crebris & herbidis collibus, qui numerosos ouium greges pascunt, gratis pascuis, & frugiferis conuallibus ad littus vsque descendit, quod nunc describendo legam,quum non alia commodior occurrit ratio.

Lime. In ipso statim à Deuonia limine *Lyme* ab eiusdem nominis fluuiolo præterfluente sic dictum, prærupto in colle opidulum primùm hoc littore se exhibet, quod vix portus nomen sibi vendicet, licèt piscatoribus sit frequens, nauiumque stationem (*Cobbe* vocant) subiectam habeat scopulis, & proceris arboribus à vi ventorum satis tutam. In antiquis libris vix nomen occurrit, solummodò legi Kinwulfum Regem dedisse his verbis anno Salutis DCCLXXIIII. *Vnius mansionis terram Scireburnensi ecclesiæ iuxta Occidentalem ripam fl.* Lim *haud procul à loco vbi meatus sui cursum in mare mergit, quatenus illic præfata ecclesiæ sal coqueretur ad sustentationem multiformis necessitatis.*

Carmouth. Iuxta *Carrus* fluuius se euomit, vbi *Carmouth* viculus sedet, ad quam prædatoria Danorum audacia belli naualis fortuna prosperè vsa, binas victorias ab Anglis reportauit: primùm Ecberto Rege, anno Christi DCCCXXXI. & octauo post anno, Æthelwulfo superato. Inde in agro optimæ cannabis feraci *Burtport*, vel rectius *Birtport*, duobus fluuiolis confluentibus interponitur, in quo Edwardi Confessoris tempore centum viginti domus,sub Guilielmo Primo (vt est in Censuali libro) centum tantummodò numerabantur. Funibus nauticis, & rudentibus ducendis iampridem ita celebre fuit, vt priuata, ad præfinitum tempus, lege cautum fuerit, non alibi funes,quibus Anglica classis vteretur, contorqueri. Nec hoc portus nomen tueri possit, licèt in fluminis, quo alluitur, ostio collibus vtrinque concluso,natura quasi consultò portum molita sit,& quodammodo efflagitet, vt ars, & opera adhibeatur.

Burtport. Cannabis optima.

Chesill. Flexuoso hinc meatu longe se immittit littus, aggerque *Chesil* dictus, ex arenis agglomeratis, freto tenui interfuso, per IX. mill. pass. obductus prætenditur, quem Auster, cùm ingruit,plerumque interscindit, & è contra Aquilo consolidat. Hoc aggere *Portland* quondam insula, nunc continenti adnectitur, cuius nominis ratio planè latet, nisi *Portland* sic dicta, quòd portui *Weymouth* obiaceat; sed a vero propiùs abest hoc nomen inditum fuisse à *Port* nobili Saxone qui circa annum salutis DXXIII. hæc littora infestauit. Hæc *Portlandia* vergente Anglo-Saxonum imperio (nec anteà à scriptoribus memoratur) Danorum rabiem, si qua alia,subinde experta est. Sed Danico bello extincto,in Ecclesiæ Wintoniensis possessionem cessit. Cùm enim Emma Edwardi Regis & Confessoris mater, cuius fama dubia, læsæ pudicitiæ cum Aldwino Wintoniensi Præsule insimulata, in summo Wintoniæ templo nouem ignitos vomeres nudis pedibus illæsa pressisset (quod *Ordalium* tunc dictum, & eo tempore vsitatum examinis genus erat) seque ita purgasset, vt clariorem apud posteros tanto miraculo pudicitiam fecisset. Illa in rei memoriam Wintoniensi Ecclesiæ nouem prædia, & Edwardus filius pœnitententia ductus, quòd matrem in tam iniquam quæstionem postulâsset, hanc insulam cum alijs reditibus donauit. Vix VII. milliaria ambitu colligit,margine scopulis celsior exsurgit, medio verò subsidet, sparsim habitatur, frugum satis ferax, ouibus pascendis cōmoda, syluis adeò indiga, vt fimo bubulo sole exsiccato pro ignis fomite vtatur. Incolę saxis funda librandis omnium Anglorum peritissimi, interque algas Isidis Plocamon sæpius reperiunt, qui vt author est è Iuba Plinius, frutex est marinus corallio non dissimilis, sine folijs, præcisus mutato colore in nigrum durescit, & cadens facilè frangitur. Ad Ortum vnicam habet Ecclesiam, paucula$\!$sque contiguas domos; ad Septentrionem, castrum ab Henrico VIII. extructum,quod etiam ingressum portus *Weymouth* defendit.

Portland. Historia Winton. Ordalium examinis genus. Isidis Placomos.

VVeymouth. Melcombe. Opidulum illud est ad *Wey* tenuis fluuioli ostium, cui è regione altera ripa adsidet *Mel-*

comb

comb Regis cognominatum portu tantum diuisum. Portus tamen priuilegia abiudicata fuerunt sententia Parlamentaria, postea tamen recuperata. Hæc quæ olim suis seorsim superba priuilegijs, æmula fuerunt, nunc, quod in vtriusque rem sit, Parlamentaria authoritate coaluerunt, ponte nuper sunt coniuncta, & ædificijs plurimum adaucta. 11. Henr. 6.

Inde rectà littus porrigitur, per *Purbecke* insulam, quam vocant, magna ex parte ericetum, & saltuosam, damis, ceruisque refertam, quæ & suas habet marmoris venas sub terra sparsas. In huius medio castrum vetus *Corffe* diu cum vetustate colluctatum, iam victum tempori cedit, quod nouercalis odij testis admodum insignis. Ælfritha enim vt filio suo Etheldredo ad regnum viam sterneret, in priuignum Edwardum Anglorum Regem, cùm ipsam ex venatione hic inuiseret, percussores immisit, eiusque cæde sceleratissima nouerca oculos pauit. Quod mox sera pœnitentia, sanctimonialis habitu, & cœnobiorum extructione eluere mirum in modum posteà sategit. *Purbecke* hæc insula vocatur, licèt tantùm sit peninsula, quæ mari, nisi ab occasu, circumfunditur; ad Ortum enim pelagus ripas inflectit, & angusto admodum littorum diuortio, cui insula cum propugnaculo *Brenksey* dicto interius obijcitur, irrumpit, magnamque in latitudinem sinum aperit. Ad cuius Boreale latus in Peninsula *Poole* vrbecula, impendet, eo situ vt aquis sit circumfusa, nisi a Septentrione, quà continenti iungitur, & portam habet vnicam. Nomen factum existimare licet, quòd sinus ille subiectus quasi stagnum sedentibus aquis videatur, cuiusmodi *Poole* nostra lingua vocamus. Hæc superiori sæculo è carecto, & pauculis piscatorum casulis in frequens emporium, maximis opibus affatim opulentum, ædificijsq; exornatum pulchris emicuit, Henricus VI. ex consensu Parlamenti portus priuilegia quæ Melcomba abstulerat, huic concessit, *Maiorig,* permisit vt mœnibus includeret, quæ posteà ad portum inchoauit Richardus ille Tertius qui inter pessimos viros, sed optimos Reges suo merito connumerandus. Verùm iam inde nescio quo fato, vel potiùs qua incolarum socordia languit, adeò vt rariùs habitata, ipsa ædificia hodie fatiscant. Purbecke. Corffe. Odium nouercale.

In huius sinus Occidentalem angulum *Frome* nobile huius tractus flumen euoluitur, sic vulgus dicit, Anglo-Saxones verò, teste Asserio, Fpau dixerunt, vnde fortasse cùm sinus iste *Fraumouth* olim diceretur, crediderunt posteri *Frome* esse flumini nomen. Fontes hoc habet ad *Euarshott* propè occiduum huius Comitatus limitem, vnde in Ortum aquas agit per *Frampton* cui nomē impertijt, & riuulum à Septentrione admittit per *Cerne* monasterium defluentem, quod ædificauit Augustinus ille Anglorum Apostolus cùm *Heil* Gentilium Anglo-Saxonum idolum ibi comminuisset, superstitionumq; tenebras fugâsset. Sub hoc aliquantò inferiùs *Frau* siue *Frome* (vtrum mauis accipe) insulam spargit & vetustum inprimis opidum inuisit, quod Antonini Itinerario DVRNOVARIA .i. *Fluminis traiectus*, dicitur, Ptolemæo pro exemplarium varietate DVRNIVM, & DVNIVM falsò nominari videtur. Hoc primarium totius Comitatus censetur opidum, nec magnum tamen, nec speciosum, mœnibus Danorum iam olim furore nudatum, qui passim circa opidum tumulos quosdam aggesserunt. Vetustatis autem expressa vestigia indies ostendit, viæ scilicet militaris, siue prætoriæ aggerem, & Romanorum Imperatorum nummos æreos, & argenteos, *Dorni Regis denarios* vulgus hominum ibi vocat, quem opidi conditorem fuisse ex nomine suauissimè somniant. Et ad alterum milliare in colle vallum, & aggeres non paruo ambitu cernuntur, *Maiden-castle* vocant, quæ Romanorum fuisse æstiua facilè agnoscas. Grauissimum autem vulnus tunc accepit cùm Sueno importuna crudelitate bellum Danicum redintegrâsset, & Hugo Normannus vir animo perfido, qui his regionibus præfuit, omnia agi, rapi pateretur. Qui tamen status eius fuerit primis Normannorum temporibus, habe si placet, ex Censuali Angliæ descriptione. *In Dorcehestre tempore Edwardi Regis erant centum septuaginta domus, hæ pro omni seruitio Regis se defendebant, & geldabant pro decem hidis, sed ad opus Huscarlium vnam marcam argenti, exceptis consuetudinibus, quæ pertinent ad firmam noctis. Ibi erant duo monetarij. Modò sunt ibi octoginta duæ domus, & centum penitùs destructæ à tempore Hugonis Vicecomitis.* Hæc si obscuriora videantur, vt Sextus Cæcilius in re simili dixit, non culpæ scribentium, sed inscitiæ non assequentium assignentur. Frome fl. Cerne.

Hinc Fromus *Woodford* allabitur, vbi olim Guido de *Brient* militari laude celebris suum habuit castellu'um: quod posteà fuit habitatiò Humfredi Stafford de *Suthwick*, per cuius alteram hæredem ad *T. Strangwaies* (vt accepi) deuenit, qui ex Lancastrensi agro Woodford. Strangwaies.

oriundus opimam adiuit hac in parte hęreditatem, & pulcherrimas ad *Milbery* ędes eius proles extruxit. Inde præterfluit *Byndon*, Saxonicè Beandun (quod & suum habuit monasterium) vbi Kinegilsus, anno 614. ancipiti bello Britannos vicit. Iampridem Domini de *Marney* villa erat, nunc Vicecomitis titulum honorarium præbet Thomæ *Howard* Georgiani ordinis Equiti, cuius patrem Thomam, filium secundo-genitum Thomæ *Howard* eius nominis secundi, Ducis Norfolciæ R. Elizabetha Vicecomitem *Howard* de *Bindon* creauit, cùm ille ducta in vxorem filia & hærede Baronis *Marney* peramplam Newbourorum hæreditatem hic creuisset. Hi qui de *Nouoburgo* & vulgò *Newborough* nominati genus à filio minori Henrici Comitis Warwici primi è stirpe Normannica deduxerunt; & tenuerunt hic *Winfrott* cum tota Centuria ex dono Regis Henr. Primi, *per seruitium Camerarij* (ex libro Inquisitionum loquor) *in capite de Domino Rege.* Sub Edwardo autem tertio legi *hoc teneri per Seriantiam, videlicet lauatorium tenendo ad lauationem Domini Regis in die Coronationis.* Radulphus etiam *Moien* tenuit Manerium proximum de *Owres per seruitium Seriantiæ de Coquina* dono itidem Regis Henrici Primi, & *R. de Welles Manerium de Welles adiunctum à Conquestu Angliæ per seruitium pistoris.* Sed hæc obiter.

Bindon. Newborough. Grand Serjantie.

Vbi *Fromus* in sinum illum ad quem *Pole* assidet se exonerat, iuxta ipsum ostium *Warham* imponitur, Saxonicè Weapeham, Opidum tutissimo vndique situ, nisi ab Occasu, ab alijs partibus fluminibus Trento, Fromo, & mari circumseptum, Edwardi Confessoris tempore, vt est in Censuali illo libro, CXLVIII. domos, & duos monetarios habuit; sed Guilielmo victore regnante, septuaginta tantùm domos numerauit. Deinde tamen refloruit, & murorum ambitu, officina monetaria, ciuium frequentia, & castro munitissimo, quod Guilielmus ille primus construxit, vsque ad Henrici Secundi tempora florentissimum erat. Iam inde bellis, fortuitis incendijs, marique paulatim portus commoditatem subducente, tantùm non concidit, & allium copiosè in ipso antiqui opidi sinu profundit. Hoc etiam ostio vnà se eijcit *Trent* fluuiolus Asserio dictus, nunc verò accolis *Piddle*, à cuius Septentrionali ripa vix ad tertium milliare parietinas vetusti cœnobij *Middleton* vidimus, quod Athelstanus rex fundauit, vt fratris Edwini manes expiaret, cui & regnum, & vitam præripuerat. Cùm enim solicita illa regnandi cupiditas omnem iustitiæ memoriam ex animo extirpasset, miserum adolescentulum regni hæredem designatum cum setulo actuariolæ omnibus armamentis nudatæ commisit, vt quod ipse delinqueret, vndis ascriberet, qui dolore euictus, & sui impotens inde se præcipitem in mare immisit. Sub hoc *Middleton* effunditur etiam riuulus alter qui *Bere* tenuem mercatum alluit, vbi longo tempore sedem habuit antiqua illa & celebris familia *De Turbida-villa*, vulgò *Turberuill*.

Warham. Middleton. Beare. Tuberuill.

Cæterùm vt regrediamur ad Occiduam agri partem. Ad Fromi frontes, quà gleba est fœcundissima, *Blackmore* saltus olim arboribus densus, nunc rarior, copiosam admodum præbet venationem. Hic vulgatiore nomine *The Forrest of white hart* dicitur .i. *Candidi cerui Foresta.* Nominis rationem hanc à maioribus acceptam referunt incolæ, Regem Henricum Tertium huc venatum venisse, cùm alias cœpisset damas, ceruo pulcherrimo pepercisse, quem posteá T. *de la-Lynde* hoc tractu nobilis cum suis cepit & occidit; verùm quàm periculosum fuerit leonem vellicare, illi statim senserunt. Rex enim iram in illos acerbiorem concepit, ingenti pecuniæ summa mulctauit, & ipsa prædia quæ illi tenuerunt ad hanc vsque diem quotannis mulctæ nomine pecuniam in fiscum regium persoluunt, quæ *White hart Syluer* .i. *Candidi cerui argentum*, appellatur. Huic saltui adiunctum est opidum *Shirburn*, quod & *Shirburn castrum* dicitur, olim Scipebupn hoc est, si interpreteris *Fons limpidus*, vel vt alibi scribitur, *Fons clarus*, in collis deuexo positum, *habitantium frequentia, & positionis gratia*, vt inquit Malmesburiensis, *suaue*; nunc verò totius huius Comitatus frequentissimum est, & lanificio maximum quæstum facit. Anno reparatæ salutis DCCIIII. sedes hic Episcopalis constituta. Aldelmusque primus consecratus Episcopus, posteà regnante Etheldredo Hermannus Episcopus Sunningensis hunc Episcopatum consequutus huc cathedram Episcopalem transtulit, & Episcopatum Sunningensem huic coniunxit, quam sub Guilielmo *Conquestore* Sarisburiam idem transtulit, Shirburnámque suis successoribus, ad quos etiamnùm spectat, in secessum reseruauit, è quibus Rogerus castellum munitum construxit in Orientali eius parte,

Forrest of white hart. White hart Siluer. Sherburne.

te, cui palus ampla & multa piscium viuaria olim subiecta, nunc oppleta in lætissimum pratum conuertuntur. Ecclesia verò, quæ cathedram Episcopalem habuit, statim à translatione ad cœnobium recidit, magnamque vetustatis speciem præ se fert, quamuis non multis ante annis, tumultu inter ciues & religiosos exorto deflagrârit, quod adustus in saxis color etiamnum planissimè loquitur. Sub hoc *Iuell* fl. de quo alibi dicemus, crebriori flexu subinde curuatus, in occasum prolabitur ad *Clifton* quondam sedem stirpis de *Maulbauch*, à qua hæreditariò ad Equestrem Horseiorum familiam descendit, vbi Somersettensem prouinciam subintrat. Clifton.

Magis ad Ortum *Stoure* flumen clarissimum defertur, tincarum, & anguillarum inprimis fœcundum, è sex fontib. in agro Wilton. exoriens ad *Stourton* sedem Baronũ de *Stourton*. Vbi primùm hunc agrum intrauerit. *Gillingham* saltum interfluit, in quo Edmundus cognomine *Ferreum latus* Danos memorabili prȩlio fudit. Et à tertio milliari *Shaftbury* salutat ædito colli affixum, Britannis olim *Caer Paladur*, vt falsò putat vulgus, & *Septonia*, Saxonibus ꞅceaꝼꞇeꞅ bẏꞃẏᵹ, forsitan à Pyramide sacra, quæ illis *Scheaft* dicebatur. Shaftsbury. Paulò antè Normannica tempora domos C I I I I. & tres monetarios habuit, vt in libro illo quem sæpe dixi, legimus. Posteaque magis monasterio Sanctimonalium quod mulier pientissima Elsgiua vxor Edmundi qui fuit pronepos Regis Ælfredi posuerat, & decē plùs minùs eccles. paroch. floruit. Verùm Aquilȩ vaticinantis de Britann ci imperij conuersione fabella historicis nostris locus hic est notissimus. Aquilæ vaticinium. Nonnulli enim Aquilam auem, alij virum Aquilam dictum, Britannicum imperium, post Saxones, & Normannos ad veteres Britannos denuò recasurum hic prædixisse volunt, qui vel Saturno hoc esse vetustius contendunt, cùm tamen ab Alfredo constructum fuisse sit certo certius. Malmesburiensis enim Historicus sua ætate lapidem vetustum ex muri ruinis in Sanctimonialium Capitulum translatum prodidit, sic inscriptum.

ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS AELFREDVS REX
FECIT HANC VRBEM. DCCCLXXX. REGNI SVI VIII.

Hanc inscriptionem lubentiùs ad veritatem asserendam adiunxi, quod in omnibus quæ vidi exemplaribus, desideratur, præterquam vno solo Domini Burghlæi summi Angliæ Thesaurarij.

Inde Stourus per *Marnhill*, vnde Henricus *Howard* titulum *Baronis Howard de Marnhill*, priusquàm Comitis Northantoniæ illustraretur, accepit, *Stourminster* petit, id est *Monasterium ad Stourum*. Baro Howard de Marnh. & Stourminster. Exile opidum humiliore situ, cui ponte saxeo coniungitur *Newton* castrum vbi moles magno labore aggesta eminet, sed castri ne tantillum præter nomen superest. De his nihil antiquius occurrit quam quòd Ælfredus Rex *Stourminster* filio suo iuniori legauerit. In proximo ad *Sillesion* duo latis magni surgunt colles, alter *Hameldon*, alter *Hodde* dictus, vterq; triplici vallo firmatus. Nec longè, locum designare non possum, fuit *Okeford* caput Baroniæ Roberti filij *Pagani*, vulgò *Fitz-Payne*, qui filiam duxit Guidonis de *Brient*, qui etiam Baronis honore hoc occiduo tractu sub Rege Edwardo III. floruit, sed deficientibus *Fitz-Painorum* masculis ad *Poyningos* ea etiam ætate Barones, & per eorum filiam tandem, regnante Henrico VI. in *Percijs* Northumbriæ Comitibus hi tituli Baronum *Fitz-Payne*, *Brient*, & *Poynings* coaluerunt: Barones. Fitz Payn. Baro Brient. Barones Poyninges. Patrum tamen memoria beneficio Henrici VIII. Baronis *Poynings* dignitas in Th. *Poynings* viro bellicoso & illegitimæ prolis fœcundo refloruit, & statim cum illo euanuit.

Hinc per *Brienston*, .i. *Brientij opidum*, sedem antiquæ equestris familiæ Rogersiorum, *Blandford* forum adit Stourus, quod ex quo nostra memoria fortuito igne deflagrauit, elegantius surrexit, & habitatoribus est frequentius. Blandford. Inde per *Tarrent*, vbi virginibus sacris Richardus Poerius Sarisburiensis Episcopus posuit monasteriolum, citato cursu ad antiquissimum opidum VINDOGLADIAM, cuius meminit Antoninus, properat Stourus. Vindogladia. Winburne. Quod Saxonicè ƿynbuꞃnham, vulgò *Winburne*, & à monasterio *Winburnminster*, exactèque hinc ad *Dorchester* XVI. milliaria numerantur, quot inter VINDOGLADIAM, & DVRNOVARIAM interponit Antonini Itinerarium. Nomen verò à situ factum cōijcio, quòd inter duo flumina intersidet. *Windugledy* enim Britannicè inter duos gladios

sonat.

sonat. Fluuios autem à Britannis gladios peculiari phrasi appellari, Milfordici portus nomen Britannicum *Aberdugledian* docet, id est *Ostium duorum gladiorum*, eò quòd duo flumina *Cledian*, id est, *Gladÿ* dicta, influunt. Nomen item recentiùs à fluminibus ductum videtur, *Win-burne* enim coaluit à particula antiqui nominis *Vin*, & Saxonico *Burne*, quod illis riuum significat, & eius adiectione soliti sunt Saxones loca ad flumina denominare. Opidum ipsum ad collis ramentum sedet, amplum & magna habitatorum multitudine refertum: Saxonico sæculo celeberrimum fuit, nec alia, credo, de causa, quàm quòd Romanæ maiestatis tunc temporis præ se tulerit indicia. Anno DCCXIII. Cuthburga Inæ Occidentalium Saxonum Regis soror, cùm coniugij pertæsa viro suo Northumbriæ Regi repudium misisset, Monasterium virginibus hic posuit; quod cùm tempori cessisset, noua eò loci surrexit Ecclesia cum pulchra sub choro crypta, & pyramide præter turrem sacram excelsa, in quam introducti pro virginibus Præbendarij. Quibus patrum memoria præfuit Reginaldus Polus Decanus, qui posteà Cardinalis, & Archiepiscopus Cantuariensis, supra familiæ splendorem (regio enim sanguine natus erat) pietatis, prudentiæ, & eloquentiæ gloria inprimis floruit. Etheldredus Rex princeps longè optimus frater Alfredi in prælio ad *Wittingham* contra Danos cæsus, in hoc templo conditur, ad cuius tumulum qui non ita pridem restauratus, hæc legitur inscriptio.

Burne quid Saxonibus.

*

Annales Anglo-Saxonici

IN HOC LOCO QVIESCIT CORPVS S. ETHELDREDI REGIS WESTSAXONVM MARTYRIS, QVI ANNO DOMINI DCCCLXXII. XXIII. APRILIS PER MANVS DANORVM PAGANORVM OCCVBVIT.

* Iuxta quem sita est Gertrudis Marchionissa Exoniæ mater Edwardi Courtenei postremi ex ea familia Comitis Deuoniæ; & ex altera parte chori Ioannes de *Beaufort* Dux Somersetti cum vxore, cuius filia Margareta Comitissa Richmondię mater Henrici VII. princeps pientissima scholam hìc erudiendę iuuentuti instituit. Sed a templo ad opidum stylum vertam. Cùm Dani malis artibus Anglos inter se bello committere conarentur, & coniunctionem inter Regem Edwardum Seniorem, & Æthelwaldum eius cognatum dirimerent; AEthelwaldus regnandi libidine percitus, & auersissimo a Principe suo animo, hoc quantis potuit operibus communiuit. Sed vbi primùm Edwardus cum suis accessit, & ad Baddan-byrig, quod nunc *Badbury*, castra posuit; ille fuga se ad socios Danos proripuit. *Badbury* autem ille collis duobus vix milliaribus abest triplici vallo incinctus, castrumque vt ferunt olim habuit Regum West-Saxonum sedem. Quod tamen (si modò fuerit) ita suis ruderibus sepultum iacet, vt ne vestigium viderim.

Badbury.

In proximo autem vidimus villam *Kingston*, Laceiorum dictam, quòd ad Laceios Lincolnię Comites vnà cum Winburna spectauit, ad quos translatione per Quincium Wintonię Comitem a Leicestrię Comitibus deuenit. Rex enim Henricus Primus Roberto Comiti Mellenti & Leicestrię dederat: & a Laceis tandem vtrumque ad Lancastrensem familiam deuenit, quam sibi perbenignam, vt dixi, sensit *Winburna*.

Kingston Lacy.

A *Winburna* Stourus *Alenum* amniculum admittit, cui incumbit *S. Giles Winburn*, habitatio clarę & antiquę equestris familię de *Asteley*, & *Wickhampton* patrimonium olim Baronum de *Maltrauers*, quorum vltimus regnante Edwardo III. duas solummodò reliquit filias, alteram enuptam Ioanni de *Arundell* auo Ioannis Comitis Arundeliæ, qui reliquit posteris titulum Baronum de *Maltrauers*, alteram vxorem Roberti *Le-Rous*, & postea Ioannis *Keynes* Equitis aurati. Hinc Stourus *Canford* pręterit, sub qua non ita pridem Iacobus Baro de *Montioy* res metallicę admodum studiosus Chalcanthum, quod *Coperas* vocamus, conficere & alumen concoquere cœpit. E qua etiam olim Ioannes Comes Warrenniæ Aliciam *Lacy* Thomæ Comitis Lancastrensis vxorem, magno cum famæ dispendio, & Angliæ incommodo, (vt in nostris Annalibus videre est) quasi per vim rapuit, & abduxit. Iam Durotriges relinquit Stourus, & Hantonensis agri nonnihil permensus, in Oceano tandem hospitatur. Cùm tamen primùm susceperit riuulum qui ad *Cranborne* aquis irriguum profluit, vbi anno Salutis DCCCCXXX. vir nobilis Aeilwardus

Astley Barones.
Maltrauers.

Canford.
Chalcanthum.
Alumen.
Th. VValsing
1317.


Cranborn.

wardus cognomine *Meaw* ob albedinem, monasteriolum posuit; quod Theokesburiam vno & altero monacho hîc relicto, transtulit Robertus *Fitz-Haimon* Normannus, cui Ailwardi possessiones obtigerunt, A quo successionis serie per *Claros* Glocestriæ, & *Burgos* Vltoniæ Comites ad Leonellum Clarentiæ Ducem, & per eum in patrimonium Regium deuenerunt. Nunc autem *Cranborn* Vicecomitem habet Robertum Cecilium, quem Rex Iacobus primùm honore Baronis Cecilij de *Essendon*, & anno insequenti Vicecomitis de *Cranborn* ob spectatissimam prudentiam meritò honorauit. Vicecomes Cranborn. 1604.

Quod ad huius regionis Comites & Marchiones spectat, Guilielmus Normannus, cùm iam imperij in Anglia potitus esset, Osmundum, qui Sagiensis erat in Normannia Comes, tùm Sarisburiensem Episcopum, tùm primùm Dorsettiæ Comitem Cancellariumque sibi constituit, piam hominis prudentiam & egregias artes admiratus. Longo pòst tempore Rex Richardus Secundus anno regni sui primo & vicesimo Ioannem de *Beaufort*, Ioannis Gandauensis filium Somersetti Comitem in Dorsettiæ Marchionem euexit, qua dignitate Rex Henricus Quartus in odium Richardi II. illum exuit. Cumq; in Comitijs Parlamentarijs Communitas Angliæ cui erat percharus, obnixè intercederet vt Marchionis dignitas illi restitueretur; ipse nouum hunc, & ante illa tempora inauditum titulum auersatus, omninò abnuit. Fraterque eius natu minor nomine Thomas de *Beaufort* Comes Dorsettiæ fuit creatus, qui postea ob virtutem bellicam ab Henrico Quinto titulo Ducis Exoniæ, & Comitatu *Harcourt*, adornatus; Harfleuium enim Normanniæ fortiter contra Gallos propugnauit, & Comitem Armeniacum collatis signis animosè fudit. Post eius sine prole obitum, Henricus VI. Edmundum ex eadem Lancastrensi familia, primùm Comitem, deinde Marchionem Dorsettiæ, tandemque Ducem Somersetti dixit, cuius filijs bello intestino sublatis, Edwardus IIII. cùm iam Lancastrensis familia quasi prostrata, Thomam Greium ex familia Ruthiniensi, qui gener eius (Grei enim matrem Rex duxerat) Dorsettiæ Marchionem creauit, cùm amplissimam Bonuillorum hæreditatem iure vxorio in hoc agro & vicinis creuisset. Hunc sequuti sunt eodem honore Thomas filius, & Henricus è Thoma nepos, qui etiam Dux Suffolciæ ab Edwardo Sexto creatus, cùm Franciscam Caroli Brandoni Suffolciensis Ducis filiam, & Regis Henrici Octaui è sorore neptim duxisset. Hic sub Maria Regina ob læsam maiestatem supplicio affectus serò didicit, quanti sit periculi in Regiam familiam nuptijs inseri, & in se alijsq; spem fouere ambitiosam. Dorsettiæ titulus iam inde nulli delatus, donec Iacobus Rex primis regni auspicijs, vt vera virtus & susceptus pro Repub. labor honore & splendore decoraretur, Thomam *Sackuill* Baronem de *Buckhurst* summum Angliæ Thesaurarium, virum summa prudentia, & diligentia accuratissima, honore Comitis Dorsettiæ amplificauerit. Dorsettiæ Comites, & Marchiones. Vita Osmundi m.s. Vide Duces Somersetti. 1553.

Hic Comitatus Parœcias 248 numerat.

SOMERSETTENSIS Comitatus. Vulgo Somersett Shyre Qui olim pars fuit. BELGARVM.



Flatholm Insul

Weston super mare

Stepe holm Insul

Brean

VZELLA EST VIRIVM

Mynhead.

Dunster.

Watchet

Quantok

Hunspill

Bridgewat

Ex more

Dulverton

Wivelescombe

Bushop Lediard

Milverton

Taunton

Wellington.

Bampton

PARTE OF DEVON SHIRE

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10


Christophorus Saxton descripsit. William Kip sculp:


PARTE OF GLOCESTER SHIRE
Bristoll
Canesham
Bayth
Mendip hills
Wells
Shepton mallet
Glassenbury
Bruton
Wynecounton
Somerton
Langport
Ilchester
Queene Camell
Sherborne
Martok
Ilminster
Crokehorne
Frome Selwood
Bridgewater
Axbridge
Brent marsh
Gedney more
Heth more
Sedege more
Audre more
Queenes more
WILT SHIRE
PARTE OF DORSET SHIRE



BELGAE.

Belgæ è Belgis Galliæ.



Vrotrigibus ad Septentriones & Ortum prætendebantur olim BELGAE, *quos à Belgis Galliæ populo in Britanniam demigrâsse, & è nomine probabile, & auctoritate verisimile est. Belgæ enim è Germanis (vt Cæsar à Rhemis edoctus prodit) orti, Rhenum antiquitùs traducti, propter loci fertilitatem ibi expulsis Gallis consederant, &* inde (*vt idem habet*) in Britanniam prædæ, ac inferendi belli causa transiêrunt, omnesque ijs ciuitatum nominibus appellabantur, quibus orti ex ciuitatibus, eò peruenerunt ; & bello illato ibi remanserunt, atque agros colere cœperunt. *Quo verò tempore huc commigrârunt, non liquet, nisi fortè Diuitiacus Suessionum Rex , qui ante Cæsarem floruit, huc Belgas traduxerit. Magnæ enim partis cum Galliarum , tùm etiam Britanniæ imperium obtinuit ille. Vnde etiam Belgarum factum sit nomen, non satis explicatum: Hubertus Tho. Leodius vir apprimè eruditus opinatus est Belgas esse vocabulum Germanicum, ideò quod Germani Gallos, & Italos* Wallen, *& nonnulli* Welgen *appellitent. Ioannes Goropius Belga à Belgica dictione* Belke *duci contendit, quæ illis iram significat, quasi faciliùs, quàm cæteri in bilem exardescant. Sed cùm Belgarum nomen non ex illa lingua petendum videatur, qua hodie Belgio-Germani vtuntur, & eadem ferè est, cum nostra Anglo-Saxonica (à Saxonibus enim profluxit, quos in Brabantiam, & Flandriam Carolus Mag. traduxit) ego illis neutiquam fidem abrogare statui, qui ex antiqua Gallica lingua, quæ nostris Britannis ferè incorrupta manet, deducunt, & Belgas dici volunt à* Pel, *quod illis remotum significat. Totius enim Galliæ erant remotissimi, & vt à cultu, & humanitate prouinciæ , sic etiam situ , & sede longissimè aberant: & Poeta Morinos Belgicæ populos remotissimos esse docuit, cùm cecinit,* Extremique hominum Morini. *Sed ad Belgas nostros , qui longe lateq; habitârunt per regionem Somersettensem, Wiltoniensem , Hantoniensisque agri partem interiorem , accedamus.*

Belgæ vnde dicti.

SOMERSET-

SOMERSET-SHIRE.



SOmersettensis Comitatus, vulgò *Somerset-shire*, ampla sanè & opulenta est regio, Sabriniano freto à Septentrione pulsata, ab occasu Deuoniæ, ab austro Dorcestriæ, ab ortu Wiltoniæ, & partim Glocestriæ Comitatibus contermina. Soli admodum ditis, maximam partem ad fruges, aut pabula eximiè fertilis; incolis frequentissima, & portuum commoditate satis fœlix. Nonnulli nomen inditum credunt, quòd aura sit ibi lenis, & quasi æstiua, eoque sensu *Glad arhaf* Britannis hodie dicitur, vocabulo è nostra lingua translato. Verumenimuero vt æstate verè æstiua regio, sic non immeritò hyeme, hyberna dicatur, ita magna ex parte madescit, vliginosa, & palustris, non sine maxima itinerantium molestia. Veruntamen nomen proculdubio à *Somerton* totius conuentus olim maximè celebrato opido impositum credam ego, cùm Asserius author inprimis antiquus hunc agrum *Somertunensem* passim vocauerit.

Ad Sabrinianum fretum (quà hic ager Danmonijs est confinis) primum occurrunt
Porlock, Saxonicè Portlocan, & *Watchet*, olim *Wecedpoort*, nauium stationes, quas anno Dunster castle
DCCCLXXXVI. Danica tempestas grauissimè perculit. His interponitur *Dunstor* ca-
strum, loco depressiori, & collibus, nisi quà mare prospicit, vndique conclusum, à *Moto-
nis* siue *Mohunis* constructum, à quibus transactionibus tandem ad *Luterellos* deuenit.
Præclara & potens diu fuit hæc *Mohunorum* familia, floruitque ab ipsius Gulielmi Con- Mohunorum,
questoris temporibus sub quo castrum extructum, ad Richardi Secundi vsque tempora. siue Motonorum familia.
Duo ex hac Comites habiti fuerunt huius prouinciæ, Guilielmus, & Reginaldus qui bello Baronico honore excidit. Posteri deinceps Barones censebantur, quorum vltimus Ioannes tres filias reliquit, Philippam vxorem Edwardi Ducis Eboracensis, Elizabetham Guil. de *Monte-acuto* Comitis Sarisburiæ, eius nominis secundi, & Matildem Domini *Le-Strange de Knokyn*. Quarum mater, (vt fama obtinet) tantum terræ sub hoc o-
pido in agrum compascuum à marito in gratiam incolarum impetrauit, quantum illa vno Commons.
die nudis pedibus circumire potuit.

Huic castro adiacent duo viculi duobus indigitibus sacri, *Caranton* alter vocatur à Ca-
rantoco Britanno, alter *S. Decombes* a Decumano, qui è Southwallia soluens huc appu- S Decuma-
lit, *in vasta* (vt antiquo Agonali legitur) *solitudine, frutetis, & vepribus obsita, densitate* nus.
syluarum in longum, & latum spaciosè porrecta, montium eminentia educta, valliumq; concauitate mirabiliter interrupta; vbi mundi vanitati valedicens, à sicario transfossus diui-
num honorem apud populum consecutus est. *Stoke-Curcy* Baronia à suis dominis cog- Curciorum familia.
nominata paulo remotius a mari sedet, Gulielmi de *Curcy* Dapiferi Regis Henrici primi Ioannes de
habitatio: ex qua familia fuit Ioannes ille de *Curcy* Vltoniæ in Hibernia expugnator, Curcy.
quem ad animi magnitudinem, grauitatem, omnesque alias virtutes magnum hominem & excelsum finxit natura, cuiusque spectatæ fortitudinis memoria ex annalium Hiberni-
corum vetustate est eruenda. Inde ad *Stertpoint* prominet sensim littus, vbi duo totius Vzella æstua-
agri maxima flumina conflua vno ostio se euoluunt, VZELLA æstuarium Ptolemæo di- rium.
citur, ab *Iuell* flumine, quod iam antequam huc deuenerit, nomen deposuit. Oritur ve-
rò inter Durotriges, & quamprimùm Somersettensem agrum ingreditur, *Euell* forum
frequens suo nomine donat, riuulumque recipit, ad quem *Camalet* mons accliuis, & as- Camalet.
censu difficilis, in cuius vertice visuntur intermortui castri expressa vestigia, & egestæ terræ vallum triplex, quod suo ambitu XX. iugera includit. Incolæ *Arthuri Palatium* dicunt: Romanorum autem opus fuisse, Romanorum numismata indies eruta docent.
Quo autem nomine illis notum planè ignoro, nisi sit, quod Ninnij Catalogo *Caer Cale-
mion*, pro *Camelion* transpositis literis appellatur. *Cadburye* viculus proximus coniecturâ Cadbury.
satis probabili videatur fuisse illud *Cathbregion*, vbi Arthurus Saxones (vt author est Ninnius) memorabili prælio profligauit. Alterum huius cognominis *North Cadbury*
dedit Rex Henricus Tertius Nicholao de *Moeles* qui duxerat Hawisiam alteram hęredum Moeles.
Iacobi de *Nouo-mercatu*, cuius posteri diu summo honore claruerunt donec Ioannes

ſub Edwardo Tertio moriens duas tantùm reliquit filias Murielam, & Iſabellam; hanc Guilielmi *Botereaux*, illam Thomæ *Courtenej* vxorem.

Iſchalis. *Iuelceſter.* Iuellus flumen hinc ISCHALIN à Ptolemæo memoratam petit, nunc *Iuelceſter*, Ninnij catalogo, ni fallar, *Pontauel Coit*, pro *Pont Iuel Coit*, id eſt, *Pons ad Iuell in ſylua*, Florentio Wigornienſi *Giuelceſter*. Foro, & antiquitate ſua tantùm hodiè celebris, Romanorum enim Cæſarum numiſmata aurea, ærea, & argentea ſubinde hic effodiuntur. Olim amplam fuiſſe, & duplici mœnium ambitu circumdatam ex ruinis apparet: ſub ingreſſum Normannorum frequens erat, ſeptem enim ſupra centum Burgenſes numerabat. Tuta etiam tunc temporis & munita, ſiquidem anno ſalutis MLXXXVIII. cùm Angliæ optimates nefaria opprimendi Regis Guilielmi Rufi conſilia iniiſſent, vt Robertum eius fratrem Normanniæ Ducem in Regiam dignitatem eueherent, Robertus *Moubray* vir bellicoſus, cùm Bathoniam ſuccendiſſet, acriter, verùm fruſtra hanc oppugnauit; ſed quod ille non poterat, tempus nunc tandem quodammodo expugnauit.

Paulo inferiùs *Iuellus*, & *Pedredus* confluentes inſulam amnicam moliuntur *Muchelney*, id eſt, *Inſula magna*, dictam, in qua parietinæ viſuntur veteris monaſterij, quod Michelney. Athelſtanum Regem conſtruxiſſe memorant ſcriptores. *Pedred* vulgò *Parret* in ipſo Au- *Pedred fl.* ſtrali prouinciæ limite promanat, obliquiori alueo per *Crockherne*, Saxonicè Cꝛuꝛcꝛne, & Pedderton. *Pedderton*, cui nomen fecit, olim *Pedridan*, Inæ regiam, quod nunc tantùm foro, & nundinis celebre quæ Henricus *Daubeny* à Rege Henrico VI. impetrauit, delatus, hîc Iuello influit, nomenque eripit. Quum in decurſu a III. ad Ortum milliari, *Montem Acutum* ſalutarit, quem Comes Moritonij frater Guilielmi Primi vterinus, qui caſtrum Montacute in *Domeſday* Môtagud. in ipſo montis vertice, & cœnobium ad ipſius radicem poſuit, ſic dixit, eò quòd ſenſim acuto apice attollitur; antea enim *Logoresburg* vocabatur, & *Biſchopeſton*. Caſtrum verò Annales *Glaſton.* ante multos annos diſparuit, ſaxis ad cœnobium, & ædificia alia inſtauranda aſportatis. In ipſo autem montis vertice poſitum erat poſtea Sacellum S. Michaeli ſacrum, fornice & tecto ex ſolido ſaxo affabrè conſtructum, in quod etiam per quingentos ferè paſſus ſaxeis gradibus per montis circuitum aſcendebatur. Nunc monaſterio, & ſacello diruto, maximo ſunt ornamento ædes perquàm ſpecioſe, quas Vir Cl. Edwardus *Philips* Equeſtris ordinis, & Regius ad *Legem Seruiens* nuperrimè ad montis radices conſtruxit. * Domini de *Monte-acuto.* Nomen hic locus fecit honoratiſſimę familię de *Monte-acuto*, quę a Drogone *Iuuene* originem traxit. E qua quatuor Comites fuerunt Sariſburiæ, vltimus filiam vnicam reliquit Aliciam, quæ ex Richardo *Neuill* ſuſcepit Richardum Comitem illum Warwici celeberrimum, Angliæ turbinem, & Ioannem Marchionem de *Monte-acuto*, qui ambo ceciderunt in prælio Barnetenſi MCCCCLXXII. Titulum autem Baronis de *Monte-acuto* Henrico Polo qui natus ex Margareta filia Georgij Ducis Clarentiæ è filia Richardi illius *Neuill* Comitis Warwicenſis contulit Henricus Octauus, eundemque ſtatim capite truncauit, & poſtea Maria Regina Anthonium *Brown*, cuius auia fuit filia Ioannis *Neuill* Marchionis de *Monte acuto*, nomine & honore Vicecomitis de *Monte-acuto* honorauit, quo nepos eius è filio hodiè gaudet.

Odcombe. *Odcombe* huic adiunctum licèt tenue opidulum non omittendum, cùm Baronem ſuum * Heath. Brewer Barones. habuerit Guilielmum de *Brewer* (ſic enim eius pater quia in *ericeto natus, denominatus) cui cùm aulica fortuna blandiretur, & Rex Richardus primus in delicijs haberet, amplexabantur & fouebant omnes, fortunas parauit ampliſſimas, filiæque (nam filius ſine ſobole obijt) ſuis nuptijs familias de *Breos*, *Wake*, *Mohun*, *La-fert*, & *Percy* magnis poſſeſſionibus auxerunt. *Stoke vnder Hamden* huic vicinum ſubſidet, vbi *Gornay* ſuum ca- Gornaij. ſtellum habuerunt, & Collegium conſtruxerunt. Hæc famila de *Gornaico*, & vulgo *Gornay* dicta, inprimis antiqua & illuſtris erat, ex eadem ſtirpe qua Warrenni Surriæ Comites & Mortuomarij propagata; verùm ſuperiori ſæculo defecit, & eorum hæredia non- Newtoni. nulla per Hamptonos in equeſtrem Newtonorum ſtirpem deſcenderunt, qui ſe è Wallia prognatos, & non ita pridem *Caradocos* dictos libenter agnoſcunt. Nec tacendum Matthæum *Gournay* hic ſepultum fuiſſe, virum bellicoſiſſimum regnante Edwardo Tertio, qui 96. ætatis anno diem obiit, cùm (vt ex inſcriptione videre licuit) obſidioni *D'algizer* contra Saracenos, prælijs Benamazin, Scluſenſi, Creſſiaco, Ingenos, Pictauenſi; & Nazarano in Hiſpania dimicâſſet.

Irrigat deinde Pedredus *Martock* mercatorium opidulum, quod olim Guilielmus Bolonienſis

Ioniensis Regis Stephani filius Faramusio de *Bolonia* dedit, cuius vnica hæres Sibilla Ingelramo de *Fienes* in matrimonium data fuit, a quo descenderunt *Fienes* Barones de *Dacre*, & Barones de *Say* & *Zele*. Faramusius de Bolonia. Fienes.

Pedredus hinc limosam planitiem persecans in Septentriones contendit per *Langport* mercatum non infrequentem, & *Aulre* ex tuguriolis paucis viculum, qui melioris notæ opidum fuisse videatur. Aulre. Cùm enim Alfredus Danos ita prælio fregisset, & obsessos ad deditionem subegisset, vt iurauerint se quàm primùm ex suis ditionibus cessuros, & *Godrus* eorum Rex Christianitatem, vt inquit Asserius, subire promiserit: illum hoc in loco magna pompa de sacro regenerationis fonte leuauit.

Hinc ab Occasu *Thonum* fluuium recipit Pedredus, qui longè in occidua agri parte, proximè Deuoniam exortus lætissimos perstringit agros per *Wellington* defluens, quæ Edwardi senioris tempore *terra sex erat Manentium*, quando ille vnà cum *Lediard*, *quæ duodecim erat Manentium* Shirburnensi Episcopo concederet. Wellington. Lediard. Nunc mercatorium est opidulum cui maximo honori eius est incola, vir honoratissimus (nec enim viri virtute illustres, & de patria optimè meriti silentio inuoluendi) Ioannes *Popham*, vt antiqua generis nobilitate, ita & summa iustitia & singulari industria. I.Popham. Qui summus in Regio Tribunali Iustitiarius tanta æquabilitate, & tam salutari seueritate iustitiam administrat, vt tranquillitatem & securitatem domesticam illi magna ex parte iamdiu Anglia debuerit.

Inde leni, modicoque lapsu *Thonton*, vulgò *Taunton* alluit, & nomine donat *Thonus*. Taunton. Elegans certè opidum, lætissimoque situ, & vt verbo dicam, huius regionis alter ocellus: vbi Ina Rex Occidentalium Saxonum castrum construxit, quod Desburgia eius vxor solo æquauit, cùm Eadbricthum Australium Saxonum Regem inde exturbasset, qui iam sui iuris fecerat, & tanquam fræno domitæ gentis vteretur. Cùm Edwardus Confessor rerum potiretur, *geldabat*, (vt est in Angliæ commentario Censuali) *pro* L I I I I. *hidis*, *Burgenses* L X I I I. *habuit*, *Episcopus Wintoniensis tenuit*, *eiusque Placita ter in anno hîc tenebantur. Istæ consuetudines pertinent ad Taunton Burgheriste, latrones, pacis infractio, hannisare, denarij de Hundret & denarij Sancti Petri circieti, ter in anno tenere placita Episcopi sine admonitione, Profectio in exercitum cum hominibus Episcopi.* Hic circumquaque regio virentibus pratis iucunda, hortensibus delicijs florens, & frequentibus villis spectantium oculis mirum in modum arridet. Inter villas autem nominatissima sunt *Orchard* quæ olim eius nominis habuit Dominos, à quibus ad *Portmannos* ex Equestri ordine hæreditariò descendit, *Hach-Beauchamp*, & *Cory-Mallet* à Dominis facta adiunctione. Mallet. Hæc enim sedes erat *Malletorum* è Normannico genere, à quibus breui tempore per fœminam ad *Pointzios* deuenit. E quibus regnante Edwardo Primo, Hugo inter Barones Parlamentarios censebatur, Pointzij. & ex ea familia nonnulli magno splendore & equestri dignitate supersunt. *Beauchampi* autem illi siue de *Bella-campo* magnis honoris ornamentis claruerunt à temporibus regis Henrici Secundi, præcipuè ex quo Cecilia de *Fortibus* Beauchampi Barones. quæ à Comitibus de *Ferrarys*, & magno illo Angliæ Marescallo Guilielmo Comite Penbrochiæ genus duxit in hanc familiam enupta fuit. Verùm regnante Edwardo tertio, per sorores hæreditas inter Rog. de *S. Mauro*, siue *Seimore*, & *I. Meriet*, qui viri veteris erant prosapiæ & multarum imaginum, dispertita fuit. Hinc erat quòd Henricus Octauus cum duxisset Ianam *Seimor* matrem Regis Edwardi sexti, Edwardum *Seimor* Vicecomes eius fratrem titulo Vicecomitis *Beauchamp* donauerit, Beauchamp quem Edwardus sextus honore Ducis Somersetti postea illustrauit.

Inde qua Thonus Pedredo se insinuat, insulam amnicam efficit *Aethelingey* olim dictam, id est, *Nobilium insula*, nunc vulgò *Athelney*, quæ non minùs Alfredi regis latebris nobis nota, cùm iam Danus omnia permisceret, quàm Italis Minturnensium paludes Marij latibulo. Regi enim illi (vt Poeta antiquus de ipso cecinit)

—— Mixta dolori
Gaudia semper erant, spes semper mixta timori.
Si modo victor erat, ad crastina bella pauebat,
Si modo victus erat, ad crastina bella parabat.
Cui vestes sudore iugi, cui sica cruore
Tincta iugi, quantum sit onus regnare probârunt.

Et percommodum sanè erat hæc insula latibulum. Stagnantibus vtique aquis, & refusionibus inaccessa est (quas Latino Saxonico vocabulo *Cronnas* Asserius dixit) *Pontem olim habuit inter duas arces ab AElfredo constructas, alnetum etiam permaximum capris & feris plenum, sed solidam terram vix duobus iugeribus latam: cui imposuit ille monasteriolum: cuius* (Malmesburiensem, non me audis) *machinam totam quatuor postes solo infixi suspendèrunt, quatuor cancellis opere sphærico in circuitu ductis.* Non longè ab hac collectis aquis solitarius Pedredus pererrauit, sed alterum ab Ortu socium riuum accipit, qui *Somerton* præterfluit, olim primarium totius Comitatus opidum, vtpote quod nomen fecit. Castrum Regum West-Saxoniæ habuit, quod perruptis muris Ethelbaldus Merciorum Rex occupauit; nunc verò vincentibus annis ita cessit, vt omninò disparuerit, & opidum vix nomen tueretur, nisi ex foro Boario, quod à Festo Palmarum ad medium Iunium frequentissimum habet, vicini enim rei pecuariæ inprimis student.

Gronnæ. Somerton.

Hoc suscepto fluuio, Pedredus opidum magnum, & incolis refertum petit, quod *Bridgewater* vulgò vocitamus, nomenque à ponte, & aqua inuenisse creditur; sed refragantur Chartæ antiquæ in quibus semper *Burgh Walteri* disertè appellatur, & coniectura probabili, à Waltero de *Duaco* qui Guilielmo Conquestori militauit, & multa prædia ab ipso in hoc agro accepit. Nec alio nomine in donatione illa vocatur qua Fulco *Paynell* Dominus de *Bampton* loci possessionem Guilielmo de *Briwer* contulit, ad colligendam eius gratiam qui gratia plurimum apud Regem Richardum Primùm valuit. Huius Guilielmi filius eodem nomine, cùm firmandi castri licentiam fecisset Ioannes Rex, castellum hîc posuit iam tempore euictum; pontemque incepit, quem *Triuet* è Cornubia nobilis immensis sumptibus perfecit. Cùm verò Guilielmus de *Briwer* iunior sine prole diem clausisset, in familia heriscunda obtigit Margaretæ sorori, per cuius filiam ex Guilielmo *De La fert* in familiam de *Cadurcis*, siue *Chaworth* deuenit, & ab ea hæreditariò ad Duces Lancastrenses. Verùm maximus honor huic accessit, quòd Comitatus titulo ab Henrico Octauo exornatum fuerit, cùm Henricum Daubeneium Comitem de *Bridgewater* creauerit, cuius soror & vna hæredum Cecilia enupta fuit Ioanni *Bourchier* primo ex ea familia Bathoniæ Comiti.

Bridgewater. Comes de Bridgewater.

Sub hoc, post pauca milliaria, vasto ostio in Sabrinianum fretum euoluitur Pedredus, quod, vt diximus, V Z E L L A æstuarium Ptolemæo dicitur, nonnullis etiam hodie *Edelmouth*, sed Anglis veteribus Peoپedan muð, vbi, vt author est Marianus, palantem Danorum exercitum Ealstanus Episcopus Shirburnensis, circa annum Salutis DCCCXLV. profligauit. Eodem etiam æstuario aliud obuium occurrit flumen, *Brius* nonnullis dicitur, qui oritur è sylua illa amplissima, in Orientali huius agri limite, quam Britanni *Coit Maur*, Saxones *Selwood* dixerunt, id est, interprete Asserio, *Sylua magna*, non procul a *Pen* ignobili viculo, vbi in Britannici nominis exitium, & Danorum cladem Mars conspirasse videatur. Keniwalchus enim WWestsaxo ita secundo prælio hîc Britannos attriuit, vt vix postea pugnandi copiam Saxoni fecerint: & multis pòst sæculis, eódem loco, Edmundus cognomento *Ferreum latus*, Danos memorabili prælio deuicit, cùm Danicum Canutum, qui regnum occupârat, vndique agitaret. Hic fluuius primùm *Bruiton* a se cognominatum inuisit, *Moionorum* tumulis celebre, qui ibi cœnobium construxerunt; longèque per viculos defluens, nonnullis riuulis auctior lætos gramine campos irrigat, cùmque solum mollius inuenerit, quodammodo stagnat, insulamque ambit *Auallon*, à pomis Britannicè olim sic dictam, postea *Inis Witrin*, .i. *Vitrea insula*, & eàdem significatione Glaſ-ꞇn-eẏ, Latinisque *Glasconia*. De qua Poëta satis antiquus.

Vzella. Selwood.

Insula pomorum quæ fortunata vocatur,
Ex re nomen habet, quia per se singula profert.
Non opus est illi sulcantibus arua colonis,
Omnis abest cultus, nisi quem natura ministrat,
Vltrò fœcundas segetes producit, & herbas,
Nataque poma suis pratonso germine syluis.

In hac floruit Monasterium *Glastenbury*, quod admodum antiquam repetit originem, a Iosepho scilicet Arimathensi illo qui Christi corpus sepulchro mandârat, quemq; Philippus Gallorum Apostolus in Britanniam misit, vt Christum prædicaret. Hoc enim & antiquissima

Guil. Malmesburiensis de Antiquitate Glasconiæ.

antiquissima huius monasterij monumenta testantur, & Patricius Hiberniensium Apostolus, qui xxx. annos vitam monasticam hic egit, in sua prodidit epistola. Vnde hic locus à maioribus nostris dictus, *Prima terra Dei. Prima Sanctorum terra in Anglia. Origo & fons totius religionis in Anglia, Tumulus Sanctorum, Mater Sanctorum. & ab ipsis Domini discipulis ædificata.* Nec est cur hac de re ambigamus, cùm antea docuerim Christianam religionem in prima enascentis ecclesiæ infantia huic nostræ insulæ illuxisse, & Freculphus Lexouiensis scripserit Philippum illum *barbaras gentes, vicinasque tenebris, & Oceano coniunctas ad scientiæ lucem fideique portum deduxisse.* Sed ad Monasterium, & ex Malmesburiensis hac de re libello. Cum antiqua illa ædicula a Iosepho posita vetustati tandem aliquando cederet, Deui Meneuensis Episcopus nouam eò loci construxit, quæ cùm iam etiam æuo fatisceret, duodecim viri a Boreali Britanniæ parte profecti eam restaurârunt, tandemq; Ina Rex, (qui scholam Romæ ad Anglicam iuuentutem erudiendam fundauit, & ad eam sustentandam eleemosynamque Romæ distribuendam, singulis regni sui ædibus denarium imposuit) hac demolita, magnificum admodum Christo, Petro, & Paulo construxit templum. In cuius suprema præcinctione hos versus describi curauit.

Vide Roman. in Britannia pag. 47.
In Confirm. H. 2.
Anno 698.

Syderei montes, speciosa cacumina Sion,
A Lybano gemino, flore comante, cedri;
Cælorum portæ lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus:
Inter Apostolicas radianti luce coronas,
Doctior hic monitis, celsior ille gradu,
Corda per hunc hominum reserantur, & astra per illum:
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter cæli hic dogmate, clauibus alter,
Est via cui Paulus, ianua fida Petrus.
Hic petra firma manens, ille Architectus habetur;
Surgit in his templum quo placet ara Deo.
Anglia plaude lubens, mittit tibi Roma salutem,
Fulgor Apostolicus Glasconiam irradiat.
A facie hostili duo propugnacula surgunt,
Quod fidei turres vrbs caput orbis habet.
Hæc pius egregio Rex Ina refertus amore,
Dona suo populo non moritura dedit.
Totus in affectu diuæ pietatis inhærens,
Ecclesiæque iuges amplificauit opes.
Melchisedech noster meritò Rex, atq; Sacerdos,
Compleuit veræ religionis opus.
Publica iura regens, & celsa palatia seruans,
Vnica Pontificum gloria, norma fuit
Hinc abiens, illinc meritorum fulget honore,
Hic quoque gestorum laude perennis erit.

Hi versus paucis immutatis habentur in lib. 4. Poematum Venantij Fortunati, partim in laudem Ecclesiæ Parisiensis, partim Nannetensis.


Primis his temporibus viri sanctissimi hic Deo inuigilârunt, & præcipuè Hibernici, qui stipendijs regijs alebantur, & adolescentes pietate, artibusque ingenuis instruebant. Solitariam enim vitam amplexi sunt, vt maiore cum tranquillitate sacris literis vacarent, & seuero vitæ genere ad crucem perferendam se exercerent. Sed tandem Dunstanus subacto ingenio homo, cùm in principum consuetudinem se penitùs sanctitatis & doctrinæ opinione immersisset, pro his, recentioris instituti monachos, scilicet Benedictinos induxit, ipseque primus numeroso Monachorum gregi hic præfuit: qui a bonis, & pijs principibus plusquàm regias opes consequuti. Cumque omni rerum affluentia sexcentis annis quasi regnassent, (eorum enim nutum vicini omnes spectârunt) ab Henrico VIII. exturbati sunt, Monasteriumque, quod iam in vrbeculam excreuerat, dirutum, & solo adæquatum, quantum & quàm magnificum fuerit ruinis demonstrat.

Ex illis qui vana mirantur hoc quo videar, si meminerim de iuglande quę hic nunquam folia ante festum Sancti Barnabæ profert, & ipso die festo folijs luxuriat; & de corno (si

Hawthorne sic vocamus) quæ ipso Christi natali, perinde ac mense Maio, progerminat; Hæc tamen verissima (si qua fides) plurimi fide digni produnt. Antequam me hinc recipiam, accipe paucis, quod pluribus Giraldus Cambrensis oculatus testis, de sepulchro Arthuri in huius cœmiterio retulit.

Arthurus bellicosus.

Cum Henricus Secundus Rex Angliæ ex Bardorum Britannicorum cantilenis accepisset Arthurum Britannorum nobilissimum heroem, qui Saxonum furores virtute sæpe fregerat, Glasconiæ inter duas Pyramides situm esse, corpus inuestigari curauit: vixque iam septem pedes in terram defodissent, cùm inciderent in cippum, siue lapidem, cuius aduersæ parti rudis crux plumbea, latiori forma, inserta: quæ extracta inscriptas literas ostendit, & sub eo ad nouem ferè pedum altitudinem, sepulchrum inuentum, ex quercu cauata, in qua ossa inclyti illius Arthuri reposita. Inscriptionem autem ex Protypo, in Glasconiensi cœnobio quondam descriptam, propter literarum antiquitatem subiungendam putaui. Barbarum quiddam, & quasi Gothicum præ se ferunt literæ, & eius ætatis barbariem planè loquuntur, quæ adeò fatalibus tenebris inuoluta erat, vt nemo fuerit, cuius scriptis Arthuri nomen celebraretur. Materies proculdubiò doctissimi viri facultate, & copia digna, qui tantum principem celebrando propriam etiam ingenij laudem consecutus fuisset. Fortissimus enim Britannici imperij propugnator hoc solo nomine vel infœlicissimus videtur, quòd suæ virtutis dignum præconem non inuenerit. Sed ecce crucem illam & inscriptionem:



Nec

Nec abs re erit, si quæ Iosephus noster Iscanus non de populo Poeta, olim in sua Antiocheide de Arthuro cecinit, hîc adiungam.

Hinc celebri fato fœlici claruit ortu
Flos regum Arthurus, cuius cùm facta stupori,
Non micuêre minùs, totus quòd in aure voluptas,
Et populo plaudente fauus. Quemcumq; priorum
Inspice, Pelæum commendat fama tyrannum,
Pagina Cæsareos loquitur Romana triumphos,
Alcidem domitis attollit gloria monstris.
Sed nec pinetum corili, nec sydera solem
Aequant: annales Latios, Graiosq; reuolue,
Prisca parem nescit, æqualem postera nullum
Exhibitura dies. Reges supereminet omnes,
Solus præteritis melior, maiorque futuris.

Vocabatur verò hic heros, (vt obiter hoc etiam ex Ninnio notem, si notatu dignum) Mab-Vter .i. *filius horribilis, quia à pueritia fuit crudelis, &* Artur, *quod Britannice sonat vrsum horribilem, vel malleum ferreum quo confringuntur molæ leonum.*

Alia etiam, si placet, etsi non longissimæ vetustatis monumenta, è Guilielmo illo Malmesburiensi habe. *Illud quod clam plane omnibus est, libenter prædicarem, si veritatem exculpere possem: quid illæ pyramides sibi velint, quæ aliquantis pedibus ab ecclesia vetusta positæ cœmiterium monachorum prætexunt. Procerior sanè, & propinquior Ecclesiæ habet quinque tabulatus, & altitudinem viginti sex pedum. Hæc præ nimia vetustate, etsi ruinam minetur, habet tamen antiquitatis nonnulla spectacula, quæ planè possunt legi, licet non possint planè intelligi. In superiori enim tabulatu est imago pontificali schemate facta. In secundo, imago regiam prætendens pompam, & literæ,* Her. Sexi. *&* Blisvverh. *In tertio nihilominùs nomina.* Wencheste. Bantomp. Winevvegn. *In quarto* Hate. Wvlfrede. *&* Eanflede. *In quinto, qui & inferior imago, & hæc scriptura* Logvvor. Wesliblas, *&* Bregdene. Svvelvves. Hvvingendes. Berne. *Altera verò pyramis habet octodecim pedes, & quatuor tabulatus in quibus hæc leguntur.* Hedde *episcopus, &* Bregorræd, *&* Beorvvalde. *Quid hæc significent non temerè definio, sed ex suspicione colligo eorum interiùs in cauatis lapidibus contineri ossa, quorum exteriùs leguntur nomina. Certè* Logvvor *is pro certo asseritur esse, de cuius nomine quondam* Logvveresbeorh *dicebatur, qui nunc* Mons Acutus *dicitur.* Beorvvalde *nihilominùs Abbas post* Hemgiselym. Pyramides Glasconiæ.

Occidentalium Saxonum reges qui hic sepulturæ traditi fuerunt, enumerare superuacaneum esset, Eadgarum tamen Pacificum, qui semper paci consuluit, vel hoc nomine non possum non meminisse, & epitaphium illo seculo non indignum subiungere. Edgarus Pacificus.

Auctor opum, vindex scelerum, largitor honorum,
Sceptriger Edgarus regna superna petit.
Hic alter Salomon, legum pater, orbita pacis,
Quòd caruit bellis, claruit inde magis.
Templa Deo, templis monachos, monachis dedit agros,
Nequitiæ lapsum, iustitiaque locum.
Nouit enim regno verum perquirere falso,
Immensum modico, perpetuumque breui.

A Glasconia, tria quę ibi confluunt flumina paludem efficiunt, & vno emissa ostiolo in Occasum vno alueo Vzellę æstuarium petunt per *Gedney moore*, vel vt alijs placet, *Godney moore*, quam *Dei insulam* significare, & Iosepho Arimathensi concessam fuisse volunt, deinde per *Weadmoore* Ælfredi villam, quam testamento Edwardo filio legârat, & palustrem illam regionem longè excurrentem *Brent marsh*, quam *Palustrium ranarum regionem*, vt eius opidulum *Brentknol*, *Ranarum monticulum* interpretati sunt Glasconienses Monachi. Gedney-Moore.

Hinc ad ortum *Mendippi colles* se longè latèque explicant, *Minerarios* vocat Lelandus, & ad sensum rectè opinor, cùm *Muneduppe* in antiquis schidis dicantur; plumbi enim fodinis admodum opulenti, & pascendis pecoribus apti. In his antrum est longo recessu, Mendippi colles.

in quo putei quidam, & riuuli cernuntur, *Ochiehole* dicunt, de quo non minora somnia fingunt accolæ, quàm de suo Sybillæ antro in Apennino comminiscuntur Itali. Nomen proculdubio inditum ab *Ogo* Britannica dictione, quæ antrum sonat, vti etiam à simili antro, simili vocabulo Eubæa Insula olim OCHA dicta fuerit. Non procul ab hoc, regnante Henrico VIII. aratro eruta fuit oblonga plumbi lamina in trophæum olim erecta, & sic inscripta.

Ochy hole.

Strabo.

TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M.
TRIB. P. VIIII. IMP. XVI. DE BRITAN.

Incidit hæc Claudij Tribunitia potestas IX in annum Vrbis conditæ DCCCII. Antistio, & M. Suillio Coss. quo tempore P. Ostorium Britanniæ Proprætorem turbidæ res exceperunt. Ex hoc tempore liceat mihi quæso, bona cum venia ariolari. Hoc anno duo de Britannis Trophæa Claudium statuisse nummus ipsius Caudij antiquus, rei certissimus testis demonstrat, in cuius priore parte hæc concepta inscriptio TI. CLAVD. CÆSAR AVG. P. M. TR. P. VIIII. IMP. XVI. P P. in parte verò altera, DE BRITAN. ibique expressus arcus triumphalis, cum equestri figura decurrente, & duobus trophæis. Qui verò fuerint hi Britanni deuicti, Tacitus docet: Claudium enim Ostorij auspicijs duas Britannicas gentes hoc anno deuicisse testatur, ICENOS scilicet & CANGOS. Sed cum Iceni alio quasi sub sole iaceant, quid si de Cangis minori inter Belgas nostras popello constitutum hoc fuisse Trophæum, & CANGOS illos hic consedisse dixero? Non procul enim hinc est mare, quod Hiberniam aspectat, quo situ ille Cangos locat, & Cangorum nominis vmbra in nonnullis hoc tractu locis superesse videtur, in *Cannington* nimirùm, & *Canings* regiunculis, siue Centurijs, in *Wincaunton*, quod *Cangton* alibi dicitur, & *Kaingsham*, quasi Cangorum *mansio*. Sed de his penes lectorem iudicium, ego tantum, vt dixi, ariolor, dum Cangos vestigijs inquiro, & alibi me reperturum confido.

Cangi Britanniæ populi.

Inter hos colles *Chuton* est, quæ (nisi me fallo) habitatio fuit Guilielmi *Bonuill*, quem ad Comitia Parlamentaria Henricus Sextus nomine *Guilielmi de Bonuill & Chuton*, inter Regni Barones euocauit, Equestris Georgiani honore ornauit, filiumque nuptijs vnicæ filiolæ Baronis *Harrington* locupletauit. Sed cùm ille malè gratus ardente ciuili bello, in Eboracensis familiæ castra transisset, (quasi vltrice furia persequente) filium illum vnicum præmatura morte præreptum, & è filio nepotem Baronem *Harrington* in prælio ad *Wakefield* peremptum vidit; statimque ne quid ad miserrimam senectutem deesset, dum meliora anxiè expectaret, in secundo ad S. Albanum prælio captus, & ætate iam propè decursa, securi percussus, relicta Cecilia pronepti & hærede tenella ætate, quæ posteà Thomæ Greio Marchioni Dorsettiæ cum opima hæreditate in vxorem data. Memoria tamen eius quasi innocenti post mortem Parlamentaria authoritate restituta.

Chuton.
Bonuill Baro.

1. Edw. 4.

Sub collibus *Mendipp*, ad Septentriones est *Congersburie* viculus, à Congaro quodam viro singularis sanctitatis sic dictus, (Constantinopolitani Imp. filium fuisse prodidit Capgrauius) qui heremeticam vitam ibi duxit, & *Harpetre* olim castrum eiusdem cognominis familiæ vetustæ, quod hæreditariò ad *Gornaios*, & ab illis ad *Ab-Adamos* descendit, qui (vt legi) Gornaijs restituerunt. Ad Austrum verò non procul ab illo antro, vrbecula Episcopalis solo saxeo ad *Mendipp* montis radices subijcitur, olim vt habet, sed vnde nescio, Lelandus, *Theodorodunum*, nunc *Welles*, ita dicta a fontibus qui passim in ipsa scaturiunt, vti etiam *Susa* Persiæ, *Croia* Dalmatiæ, & *Pagase* Macedoniæ a fontibus nomina traxerunt: vnde & *Fontanensis Ecclesia* hæc vocatur. Primas in hac Prouincia sibi suo iure vendicat tùm incolarum frequentiâ, tùm ædificiorum magnificentiâ. Templum habet & Collegium ab Ina Rege in Andreæ honorem conditum, & à viris principibus opimis prouentibus statim ditatum: inter quos Kinewulphus Rex loca quàm plurima adiacentia, anno Domini 766. concessit; legimus enim in eius Charta. *Ego Kinewulphus Occidentalium Saxonum Rex, aliquam terræ partem pro amore Dei, nec non (quod verbo delendum est) pro aliqua vexatione inimicorum nostrorum Cornubiorum*

Harpetre.

Welles.
Stephanus in vrb. & Barletius.

rum gentis, cum consensu Episcoporum, & Satraparum meorum, Dei Apostolo atque ministro eius Andreæ humiliter ascribendo donabo, hoc est Manentium XI prope flu: qui dicitur Welwe, ad augmentum Monasterij quod situm est iuxta fontem magnum, quem vocitant Wielea. Hanc apposui tùm propter antiquitatem, tùm quòd ex hoc fluuio aliqui locum nomen adsumpsisse existimarunt. Ipsum sanè Templum est admodum speciosum, sed eius frontispicio ad occasum nihil speciosius, totum enim statuis antiquo & exquisito artificio è saxo cœlatis surgit.

Splendidum admodum Episcopi palatium, instar castri mœnibus & fossa munitum ad austrum adiacet, & ex altera parte nitidæ Præbendariorum ædes. Præbendæ enim XXVII cum Præbendiolis XIX præter Decanum, Præcentorem, Cancellarium, & tres Archidiaconos, ad hanc spectant Ecclesiam. Edwardi Senioris tempore Episcopalis hic sedes constituta. Cùm enim Romanus Pontifex Edwardum illum sacris interdixisset, quòd Politia Ecclesiastica in occidua hac regni plaga apertè nutaret, ille qui se Ecclesiæ nutritium esse nouit, tres nouos erexit Episcopatus, Cridiensem scilicet, Cornubiensem, & 905.
hunc Wellensem, cui Eadulphum primum præfecit Episcopum. Non multis pòst annis Giso huic sedi præfuit, quem Haraldus Westsaxonum, & Cantij Comes Ecclesiæ opibus inhians ita exagitauit, vt parùm abfuerit, quin hanc dignitatem sustulerit. Verùm Guilielmus Primus, deuicto Haraldo, Gisoni exulanti, & Ecclesiæ iacenti dextram porrexit, quo tempore, vt testatur Censualis Angliæ liber, Episcopus *ipsum opidum tenuit, quod pro quinquaginta Hidis geldauit.* Regnante deinde Henrico Primo, Ioannes de *Villula* Gallus Turonensis, cùm Episcopus iam electus esset, sedem Bathoniam transtulit, quæ duæ sedes in vnum coalescentes, suo vtraque titulo Episcopum ornat, vt vnus idemque Episcopus Bathoniensis, Wellensisque dicatur. Vnde Monachi Bathonienses, & Canonici Wellenses quasi in aciem dimicationemque de Episcopis eligendis venerunt. Interimque Sauanaricus Bathoniensis Episcopus, cùm etiam Abbas esset Glasconiensis, Glasconiam cathedra translata, Glasconiensis dictus erat Episcopus, sed cum eo hic titulus extinctus; Monachósque & Canonicos in gratiam tandem reduxit Robertus ille, qui Ecclesiæ suæ patrimonium in Præbendas diuisit, & Decanum, Subdecanum, 1193.
&c. instituit, Iocelinus etiam Episcopus sub id tempus nouis ædificijs templum instaurauit, & auorum memoria Radulphus de *Shrowsbery* (vt aliqui vocant) elegans sane collegium Vicarijs, & Cantoribus Boreali Ecclesiæ parti contiguum construxit, Episcopique Palatium muro circumdedit. Sed quà a Palatio in forum itur pulcherrimam portam erexit Th. *Bekington* Episcopus, qui etiam duodecim ædes è saxo pulcherrimas pari altitudine adiunxit in foro, in cuius medio peristillium cernitur septem columnis exterioribus, & pulchro fornice subnixum, quod Guilielmus *Knighte* Episcopus, & *Wollmanus* Decanus in vsum confluentium ad mercatum posuerunt. Hæc verò in orientali parte, in occidentali verò vidimus Ecclesiam Parochialem S. Cuthberto sacram, cui proximum est Hospitale à Nicolao *Bubwith* Episcopo XXIIII. pauperibus fundatum.

Historia Bathon.

Vide in Decretalib. Ne sede vacante aliquid innouetur.

E montibus illis Mineraijs *Frome* fl. oritur, qui in Ortum contendens per puteos carbonum illorum fossilium, quibus ad molliendum ferrum vtuntur ferrifabri; cùm non multum viæ confecerit, in Septentrionem conuersus, limitis vice inter hunc, & Glocestrensem agrum fungitur, & *Farley* non ita pridem Hungerfordorum castrum rupi impositum vbi olim Humfredus *Bohun* monachis construxit cœnobium, (non procul à *Phillips Norton*, foro celebrato, cui templum S. Philippo dicatum appellationem fecit) irrigat.

Farley.
Philips Norton.

Inferiùs *Selwood* sylua, quam dudum dixi, longè lateque diffunditur, arboribus satis condensa, à qua circumuicina regio olim *Selwoodshire*, vt author est Ethelwerdus, vocabatur, opidum verò adsitum etiamnum *Freme Selwood* dicitur, quod è lanificio maximum quæstum facit. A quo vix duobus ad occasum milliaribus exiguum, & non inelegans castrum cernitur, quod à *Dela-Maris* conditum & cognominatum *Nonney de la Mare*, ab ipsis hæreditario ad *Powlettos* deuenit. Nec procul inde *Witham* vbi Monialibus ædem Rex Henricus Tertius erexit.

Selwood.

Nonney de la Mare.

Iam autem *Frome* nonnullis ex hac sylua riuulis plenior, tandem Auonæ nobili flumini se committit, qui obliquiorem ripam agens statim antiquam vrbem inuisit, quæ à thermis Ptolemæo ΥΔΑΤΑ ΘΕΡΜΑ, id est, *Aqua calida* dicitur, Antonino AQVAE

SOLIS

Bathe. Aquæ Solis. De vibibus. SOLIS, Britannis *Tr ennaint twymin*, & *Caer Badon*, Saxonibus Baþanceaſter, hat Baþan, & etiam à valetudinariorum concursu *Akmancheſter*, id eſt, *Vrbs Valetudinariorum*, Stephano *Badiza*, nobis hodiè *Bathe*, & vulgo Latinorum *Bathonia*. Subſidet in planitie haud ita magna, & ex omni parte collibus pari quaſi altitudinis faſtigio obuallata, è quibus perennium riuulorum ſcaturigines in vrbem magno ciuium commodo deſcendunt. In ipſa vrbe tres calidi fontes ebulliunt, cæruleo & marino colore tenues nebulas & quaſi Mephitim exhalantes (ſulphure enim & bitumine aqua percolatur.) Qui efficaci remedio ſalutares corporibus quæ prauis humoribus torpeſcunt; ſudorem enim calore ſuo proliciunt, & humorum contumaciam edomant. Non omni tamen hora ſunt ſalutares, ab hora enim octaua ante meridiem vſque ad tertiam à meridie maximè feruent & exæſtuant, & turbidi fœda quædam ex imo fundunt, quibus temporibus clauduntur; nec quiſquam ingrediatur, donec per emiſſaria ſua ſe ſordibus illis liberarunt, & expurgarunt. Ex his tribus, qui *Crucis Balneum*, ob crucem olim in medio erectam vocatur, miti admodum, & temperato calore tepet: & 12. ſedilia è ſaxo in margine habet, muroque includitur. Alter vero vix ducentis hinc pedibus, multò magis feruet, vnde *Whot bath*, id eſt, *Feruidus* dicitur; His contiguum eſt Noſocomium a Reginaldo Bathonienſi Epiſcopo poſitum, vt valetudinariorum inopiam ſubleuaret, & hic duo in medio ſunt plateæ ad occiduam vrbis partem. Tertius maximus in vrbis quodammodo ſinu eſt, & *Balneum Regium* appellatur, iuxta eccleſiam Cathedralem, muro etiam circundatur, & XXXII. ſedilibus arcuato opere adaptatur, in quibus viri & mulieres ſeorſim ſedeant, qui lineis induſijs cùm ingrediuntur, ſe ſuperinduunt. Vbi iam Eccleſia Cathedralis, antiquitùs templum Mineruæ ſacrum extitiſſe fama tenet. Certè Solinus Polyhiſtor de his procul-dubio thermis loquens. *In Britannia* (inquit) *calidi ſunt fontes opiparo exculti apparatu ad vſus mortalium, quibus fontibus præſul eſt Mineruæ numen, in cuius æde perpetui ignes nunquam caneſcunt in fauillas, ſed vbi ignis contabuit, vertitur in globos ſaxeos.* Athenæus tamen author eſt omnia lauacra calida, quæ è terræ viſceribus naturaliter ſcatent, Herculi eſſe ſacrata: & neſcio quæ Herculis antiqua imago anguem manu conſtringentis, hic in mœnibus, inter alia vetuſta monumenta temporis iniuriâ iam plane deformata, cernitur. Sed ne de hoc contendatur, demus, ſi placet, cùm Herculi, tùm Mineruæ balnea fuiſſe dicata. A Græcis enim proditum eſt Palladem Herculi poſt labores exantlatos lauacra primùm ſubminiſtraſſe. Satis erit ſi ex Solini authoritate euicero, cùm his fontibus Mineruam ſiue Palladem præfuiſſe prodat, hanc vrbem eſſe, quam Britanni *Caer Palladdur* ſua lingua dixerunt, hoc eſt, *Vrbs Palladiæ aquæ*, ſi Latinè interpreteris; appoſitè enim res, nomen, & ſignificatio conſpirant. Harum inuentionem referunt fabulę noſtrę ad Britannorum Regem *Bleyden Cloyth*, id eſt, *Bleyden Magus*, quàm probabiliter dixerint alij. Magiam verò tantis cæremonijs Britannos olim celebráſſe, author eſt Plinius, vt eam Perſis dediſſe viderentur; ad vim tamen Magicam has thermas referre non auſim. Nonnulli ex noſtris, ſed aliud agentes, Iulium Cæſarem inuentorem fuiſſe tradunt. Verumenimuerò ſeriùs ad Romanorum cognitionem perueniſſe iudico, cùm Solinus primus ſit qui de illis meminerit. Saxones autem circa annum XLIIII. ab aduentu in Britanniam, rupto fœdere, bellum iam reſtinctum inflammantes, hanc vrbem obſidione incinxerunt, ſed cùm Arthurus bellicoſus ſuperueniſſet, ipſi *Montem Badonicum* occupârunt, vbi cùm ab vltima ſpe, animis diu dimicaſſent, magno numero conciderunt. Hic mons ille ipſe videtur, qui nunc *Banneſdowne* dictus, *Bathſtone* viculo iuxta hanc vrbem impendet, ſuoſque etiamnum aggeres, & vallum oſtendit. Scio tamen eſſe qui in Eboracenſi Comitatu quærunt, ſed Gildas ad hunc locum reducat: legitur enim in manuſcripto exemplari Bibliothecæ Cantabrigienſis, vbi agitur de victoria Aurelij Ambroſij. *Vſque ad annum obſeſſionis Montis Badonici qui non procul ab oſtio Sabrinæ habetur.* Sin hoc non perſuadeat, ſciant vallem quæ ad *Auon* fl: hic longè procurrit, Britannicè *Nant Badon* .i. *Vallis Badonica* dici, & vbi quærendus *Mons Badonicus*, niſi ad *Vallem Badonicam* ego nondum video. Nec longo poſt tempore Saxones hanc vrbem aggredi auſi, Britannis diu reliquerunt. Verùm anno Chriſti DLXXVII. cùm Occiduorum Saxonum Rex Cewalin Britannos ad *Deorham* profligâſſet, armis, & operibus oppugnata, ſe primò in Saxonis fidem permiſit: paucisque annis refota nouum nomen *Akmanceſter*, multúmq; ſplendoris accepit. Osbrichus enim anno DCLXXVI. virginibus ſacris Monaſterium, ſtatimque

Thermæ.

Mineruæ templum.

Caer Palladur.

Britanni Magiæ dediti.

Mons Badonicus.

*


timque cùm in Merciorum potestatem venisset, Offa Rex alterum templum construxit, quæ ambo Danico turbine ceciderunt. Ex horum ruinis nouum postea effloruit Templum Diuo Petro sacrum, in quo Eadgarus cognomento *Pacificus* in Regem inauguratus, vrbi plurimas immunitates indulsit, cuius rei memoriam anniuersarijs ludis ciues etiamnum celebrant. Edwardi Confessoris tempore, vt in Angliæ Notitia legitur, *geldabat pro viginti Hidis, quando Scyra geldabat, Ibi Rex habebat* LXIIII. *Burgenses, &* XXX *Burgenses aliorum.* Sed non diuturna fuit hæc fœlicitas, statim enim ab ingressu Normannorum Robertus *Mowbray* nepos Episcopi Constantiensis, qui seditionem non leuem in Regem Gulielmum Rufum concitarat, diripuit & succendit. Respirauit tamen breui, opera Ioannis de *Villula* è Turonibus Galliæ oriundi, qui cùm Episcopus esset Wellensis, quingentis Marcis (vt habet Malmesburiensis) hanc vrbem ab Henrico Primo mercatus, Episcopalem Cathedram huc transtulit, retento etiam Wellensis Episcopi nomine, nouumque templum in suam sedem posuit. Quo non ita pridem ruinam minitante, Oliuarius *King* Bathoniensis Episcopus aliud iuxta vetustum illud, magno sanè & pleno maiestatis opere inchoauit, & ad fastigium ferè perduxit. Si verò perfecisset, palmam plurimis Angliæ Ecclesijs Cathedralibus proculdubiò præripuisset. Sed hanc gloriam immatura mors tanti Episcopi, iniquiora tempora, & auaritia quorundam qui collectam per Angliam in hunc vsum pecuniam interuerterunt, vt fama perhibet, inuiderunt. Iam inde verò floruit Bathonia tùm lanificio, tùm conuenarum frequentia, mœnibusque se communiuit, quibus antiquas quasdam imagines, Romanásque inscriptiones ad asserendam vetustatem inseruerunt, quæ ita iam lacunis præ vetustate laborant, vt vix legi possint. Et ne quid ad Bathoniæ dignitatem deesset, Comitis etiam titulo proceres nonnullos honorauit. Philebertum enim de *Chandew* è Britannia Armorica oriundum ab Henrico VII. eo honore affectum legimus. Postea Rex Henricus Octauus Ioannem *Bourchier* Dominum *Fitz-Warin* anno regni XXVIII. Bathoniæ Comitem creauit, qui obijt anno regni eiusdem regis XXXI. cui successit Ioannes filius qui obijt anno tertio Reginæ Elizabethæ. Qui Ioannem Dominum *Fitz-Warin* suscepit, ante patrem defunctum, è quo natus est Gulielmus Bathoniæ Comes qui nunc floret, & bonis studijs nobilitatem suam illustrare contendit. Longitudinem huius vrbis XX. Temporibus, LVI. scrupulis. Latitudinem verò LI. Tempor. XXI. scrupulis mensurant Geographi. Nunc pro corollario, habe si placet, qualescunque de his Bathonia Nechami qui ante 400. annos floruit, versiculos.

Bathoniæ Comites.

Inquis. 31. Henr. 8.

Bathonia thermas vix præfero Virgilianas,
Confecto prosunt balnea nostra seni.
Prosunt attritis, collisis, inualidisque,
Et quorum morbis frigida causa subest.
Prauenit humanum stabilis natura laborem;
Seruit naturæ legibus artis opus.
Igne suo succensa quibus data balnea feruent,
Aenea subter aquas vasa latere putant.
Errorem figmenta solent inducere passim.
Sed quid? sulphureum nouimus esse locum.

Ecce tibi etiam si legere lubeat, duas inscriptiones antiquas nuperrimè ad viam publicam sub vrbem in campo de *Waldcot* effossas, quas in hortos suos Robertus *Chambers* antiquitatis studiosus admirator transtulit, vnde descripsi:


G. MVRRIVS. C. F. ARNIENSIS.
FORO. IVLI. MODESTVS. MIL.
LEG. II. *AD. P. F. IVLI. SECVND.
AN. XXV. STIPEND.
*H. S. E.

* Adiutricis, Piæ Fœlicis.

*Hic situs est.

DIS.

DIS. MANIBVS.
M. VALERIVS. M.
POL. EATINVS. *C. EQ.
MILES. LEG. AVG. AN.
XXX. STIPEN. X.
H. S. E.

*Cohortis Equitum.

Vidi etiam has antiquitates mœnibus interiùs infixas inter portam borealem & occidentalem; Herculem sublata sinistra cum claua in dextra. In fragmento saxi literis magnis & pulchris,

*DEC. COLONIÆ*GLEV.
VIXIT AN. LXXXVI.

*Decurioni. *Gleui, .i. Glocestriæ.

Inde folia implicata, Herculem duos angues stringentem, & in sepulchrali tabula inter duas im.gunculas, quarum altera tenet cornu Amalthæum, deteriori charactere qui non facilè legitur,

D. M.
SVCC. PETRONIÆ VIXIT
ANN. IIII. *M. IIII.
*D. XV. EPO.
MVLVS ET VICTISIRANA
*FIL. KAR. FEC.

*Menses. *Dies. *Filiæ Karissimę fecerunt

Paulò inferiùs in saxi fragmento grandioribus literis

VRN. IOP.

Inter portam Occidentalem, & Australem Orphiucum serpente implicatum, duo humana capita crispis capillis intra loricam mœnium, leporem currentem, & huic adnexum in saxo literis transuersis.

VLIA. ILIA.

Hominem nudum quasi manum militi in ijcientem etiam inter loricam mœnium, folia, duos iacentes basiantes & se amplexantes, peditem vibrato gladio & protenso clypeo, peditem cum hasta, in saxo literis transuersis

III VSA
IS. VXSC.

Et caput Medusæ comis anguineis.

Serpentes saxei. Cains-ham.

Secundum eundem Auonam (qui hic limes est inter hunc & Glocestrensem agrum) in Occidentali ripa *Cainsham* cernitur, à Keina Britannica Virgine sanctissima denominata, quam serpentes in lapides mutasse superioris æui credulitas multis persuasit, eò quòd eiusmodi ludentis naturæ miracula ibi in Latomijs nonnunquam inueniantur. Vidimus enim lapidem hinc delatum serpentis in spiram reuoluti effigie, cuius caput imperfectius in circumferentia prominuit, extrema cauda centrum occupante. Sed plerisque caput abest. Hic in vicinis agris, & etiam alibi *Per cepier* herba Angliæ peculiaris, in qua amaror, & acrimonia percipitur, nunquam spithamæo adultior toto anno suapte sponte erumpit,

Percepier.

rumpit, ſine caule floſculis herbaceis, quæ vehementer, & repentè vrinas ciet, & ex ea aqua ſtillatitia magno vſu elicitur, vt P. Pæna in ſuis ſtirpium Aduerſarijs annotauit.

Vix quinto hinc milliari Auona fl. *Briſtoliam* mediam interſecat, Britannis *Caer Oder Nant Badon*, id eſt, *Vrbs Odera in valle Badonicâ*. Vrbium antiquarum Catalogo *Caer Brito*, Saxonicè Bꞃiȝhꞇꞅꞇoꞷ, id eſt *Locus illuſtris*. Verùm qui eam Ventam Belgarum dixerunt, & ſibi & nobis fucum fecerunt. Hæc vrbs partim in Somerſettenſi poſita agro, partim in Glocestrenſi, neutrius cenſenda, cùm ſuos habeat ſeorſim magiſtratus, & *Comitatus ſit per ſe incorporatus*. Æditiori ſitu inter Auonam & Fromum fluuiolum interſidet, munitionibus & fluminibus ſatis tuta: duplici enim muro quondam circundata. Ad aſpectum verò ita pulchra, tùm publicis, tùm priuatis ædificijs, vt nomini reſpondeat, cloacis, *Goutes* vocant, per ſubterraneos meatus ita conſtructis ad ſordes euehendas, & abluendas, vt ad munditiem & ſanitatem nihil deſideres, vnde nullus hic curruum vſus. Et ad vitæ neceſſitatem ita inſtructa, ciuibuſque frequens vt inter Britanniæ vrbes primas à Londino & Eboraco facilè ſibi vendicet. Multarum enim gentium commercium mutui vſus, & portus commoditas eò traxit, qui in ipſum vrbis ſinum naues paſſis velis admittat. *Auona* etenim ita Oceani irruentis æſtu intumeſcit quoties Luna à meridiano faſtigio diuergit, locúmque oppoſitum prætermeat, vt naues in vado hærentes ad vndecim, & duodecim vlnas extollat. Ipſique ciues opulentam per Europam exercent mercaturam, & nauigationes in diſiunctiſſimas Americę partes inſtituunt. Quo autem tempore, & à quo condita fuerit non facilè quis dixerit, recentior tamen videtur, cùm in Danorum direptionibus nuſquam apud hiſtoricos noſtros de ea mentio habeatur: & certè inclinato Saxonum imperio, primùm emerſiſſe iudico, cùm nuſquam nominetur ante annum Salutis CIↃLXIII. quo Haraldus (vt habet Florentinus Wigornienſis) è *Brytſtowa* cum infeſta claſſe in Walliam ſoluit. Primis Normannorum annis, *Berton* prædium adiacens, & hæc *Briſtow reddebat regi*, (vt eſt in Cenſuali Angliæ Commentario) CX. *marcas argenti*, *Burgenſeſq́; dixerunt Epiſcopum G. habere* XXXIII. *marcas*, *& vnam marcam auri*. Deinde Robertus Conſtantienſis Epiſcopus, cum res nouas in Guil. Rufum moliretur, in belli ſedem elegit, vrbeculam muniuit, interiori credo illo muro, qui etiamnum in parte ſupereſt. (Guil. de Wircester.) Sed paucis poſt annis, prolata ſunt vndiq; pomeria, ab Auſtro enim *Radcliff*, vbi ſuburbanæ erant ædiculæ, reliquæ vrbi ponte ſaxeo vtrinque ita ædibus conſito vt non pons ſed platea videatur, coniungitur, mœnibuſque includitur, & incolæ in ciuitatem aſcripti ſunt, hoſpitales domus vbiq; in vſum pauperum, & eccleſiæ elegantes in Dei gloriam erectæ. Inter quas longè omnium pulcherrima eſt S. Mariæ de *Radcliff* extra mœnia, in quam magnificè pluribus gradibus aſcenditur; adeò ampla, opere adeò venuſto, teſtudine è ſaxo artificioſè concamerata, turri eximia altitudine, vt omnibus Parochialibus Angliæ eccleſijs quas hactenùs vidi meo iudicio longè præcellat. In hoc fundator Guilielmus *Canninges* duos habet tumulos honorarios, alteri imago veſtitu ſenatorio, quinquies enim erat Prætor huius ciuitatis; alteri eiuſdem imago habitu ſacerdotali imponitur, ſacris enim ſenex initiatus erat, & Decanus Collegij quod ipſe *Weſtburiæ* inſtituit. In proximo eſt etiam altera eccleſia *Temple* vocant, cuius turris ſonante campana hac illac commouetur, adeò vt ſe à reliquo ædificio abruperit, & ita rimam egerit à ſummo ad imum, vt tres digitos tranſuerſos hiet, & ſe arctet dilatetq; cùm campana pulſatur. Nec tacendum ſane eſt templum S. Stephani cuius turris ſacra præcelſa magno ſumptu & artificio *Shipwardus* ciuis & mercator auorum memoria conſtruxit. Ab Ortu etiam & Septentrione quàm plurimis etiam aucta erat ædificijs, eaque mœnibus incincta, Fromoque fl: defenſa, qui cùm mœnia alluerit placidè in Auonam influit, & mollem præbet nauibus ſtationem, crepidinemque mercibus exportandis & importandis idoneam, quam *the Kay* vocant. (The marſhe.) Sub qua inter Auonæ & Fromi confluentes campeſtris interponitur planities, quæ arboribus vndique conſita amœnum admodum ambulacrum ciuibus præbet. Ad Ortum hibernum quà flumina obiecta non habet, Robertus Regis Henrici Primi filius naturalis, quem vulgò Robertum Rufum Gloceſtriæ Conſulem vocant, quia Gloceſtriæ Comes erat, Caſtrum amplum & munitum ad vrbis ſuæ defenſionem extruxit, & pio affectu decimum quodque ſaxum ad ſacellum extruendum prope Prioratum S. Iacobi quem etiam ſub vrbem poſuit, deſtinauit. Habuit ille in vxorem Mabiliam filiam, & ex aſſe hæredem

Q Roberti

Roberti *Fitz-Hamonis*, qui hanc vrbem clientelari iure à Guilielmo Normanno tenuit. Hoc quidem castrum vix constructum Stephanus Rex obsidione pressit, sed irrito conatu pedem referre coactus; paucis post annis in eodem captiuus inclusus, quàm incerta sit Martis alea documēto fuit. Vltra Fromum fl. qui ponte consternitur ad *Frome* portam, in æditiorem collem difficili cliuo oblique ascenditur, vnde gratissimus in subiectam vrbem & portum patet prospectus. Hic in summitate statim in amplam & viridem planitiem æquatur, quæ medio duplici arborum ordine obumbratur inter quas pulpitum e saxo, & sacellum in quo Iordanum socium Augustini Apostoli Anglorum conditum ferunt; nunc verò est schola publica: & vtrinque, vt nitidas priuatorum ædes taceam, publicis & magnificis ędificijs condecoratur. Hinc collegiata ecclesia (*Gaunts* dicunt) à constructore Henrico *Gaunt* Equite aurato, qui posthabitis terrenis hìc Deo se consecrauit, nunc verò ad orphanos alendos beneficentia T. *Carri* ciuis opulenti conuersa; illinc e regione duo consurgunt templa S Augustino dicata, alterum minus & parochiale, alterum maius Episcopi cathedra & VI. Præbendarijs a Rege Henrico VIII. ornatum cuius pars maxima iam diruta vbi Collegij porta quæ affabrè extructa hanc prætendit inscriptionem.

REX HENRICVS II. ET DOMINVS ROBERTVS FILIVS HARDINGI, FILII REGIS DACIÆ, HVIVS MONASTERII PRIMI FVNDATORES EXTITERVNT.

Barones de Barkley.

Robertus hic filius Hardingi regio Danorum sanguine natus, Patricius fuit Bristoliensis, & Henrico Regi ita charus, vt eius beneficio Mauritius eius filius filiam Domini de *Barkley* in vxorem acceperit: vnde illius posteri, qui summo honore floruerunt, Barones de *Barkley* etiamnum appellantur, quorum nonnulli hoc templo conditi fuerunt.

Registr. Monasterij.

Adamantes Britannici.

Hinc quà decurrit Auona, præaltæ sunt vtrinque rupes, quas veluti de industria admolita est natura. Harum altera, quæ ad ortum flumini imminet, *Sancti Vincentij* nomen habet, & Adamantum adeò fœcunda est, vt quis modios inde impleat. Existimationem verò copia apud nostrates inuidit, nam præterquam quòd colore translucido Indicos prouocant, ita duritie solummodò cedunt. Quòd verò laterum sexangulo vel quadrangulo læuore a natura ipsa turbinati sint, magis admirandos puto. Altera verò rupes ad occiduam ripam etiam adamantum est ferax, quos caui & rufescentes silices (rubet enim hic terra) ceu fœtu grauidi, in se mira naturæ solertia continent. Has rupes Auona prætergressus in Sabrinianum æstuarium tandem pleno alueo exoneratur.

Somersetti Comites, & Duces.

Superest vt nunc huius Somersettensis Prouinciæ Comites, & Duces enumerem. Primus Somersetti Comes perhibetur Willielmus de *Mohun*, siue *Moion*, qui idem ipse videatur quem Matildis Imperatrix in Charta qua Guil de *Mandeuill* Essexiæ Comitem creauit, testem adhibet sub nomine. *Comes W. de Moion.* Nec iam inde vlla satis explicata de Somersetti Comitibus occurrit mentio, nisi sit in hoc Henrici III. ad Petrum de *Mawley* rescripto, quod, vt aliorum iudicium eliciam, subiungam; *Sciatis quòd recepimus homagium dilecti auunculi nostri Willielmi Comitis Sarum de omnibus terris suis quas de nobis tenet, & maximè de Comitatu Somerset, quem ei dedimus cum omnibus pertinentijs pro homagio & seruitio, saluo regali nostro nobis: & ideò vobis mandamus quòd ei plenam sesinam habere faciatis de prædicto Comitatu cum omnibus suis pertinentijs; nec in aliquo de cætero de prædicto Comitatu vos intromittatis &c. Et mandatum est omnibus Comitibus, Baronibus, Militibus & liberis tenentibus de Comitatu Somerset, quòd eidem Comiti fidelitatem & homagium faciant, saluo fide domino Regi, & ei de cætero sint intendentes & respondentes tanquam Domino suo.* An ex his eum Somersetti Comitem fuisse vti etiam Deuonię (nam de eodem Guilielmo ijsdem verbis ad Robertum de *Courtney* item scripsit) aliorum esto iudicium. Sub hoc Henrico III. vt habetur in libro Gallicè scripto qui pertinet ad Equestrem Mohunorum familiam, memoratur quòd Innocentius Papa in solenni festiuitate instituerit Reginaldum *Mohun* Comitem de *Este*. i. vt author interpretatur

Patentes Anno primo Hen. III.

pretatur *Somersetti*, tradita Rosa aurea & annua pensione persoluenda ad altare S. Pauli Londini. Vt hic videatur non propriè Comes, sed Comes *Apostolicus*; sic enim eo seculo appellabantur illi qui a Pontifice Romano creati, vt qui ab Imperatore Comites *Imperiales*, & facultatem habuerunt Notarios & tabelliones instituendi, spurios legitimandi &c. sub certis quibusdam conditionibus. Satis longò post tempore interiecto, Ioannes de *Beaufort*, Ioannis Gandauensis Ducis Lancastriæ ex Catharina *Swinford* filius naturalis, a Rege Richardo II. cum fratribus & sorore assensu Parlamenti factus legitimus, ad honorem Comitis Somersetti prouectus erat, postea; Marchio Dorsettiæ creatus, & eodem honore statim ab Henrico IIII. spoliatus, titulo tantùm Somersetti relicto; Huic tres nati filij Henricus Comes Somersetti qui tenella obijt ætate, Ioannes a Rege Henrico V. primus Dux Somersetti creatus, qui Margaretam vnicam filiam genuit matrem Regis Henrici VII. & Edmundus qui fratri in Ducatu successit, & aliquandiu Galliæ *Regens*, domum reuocatus, Normanniæ amissæ postulatus, grauiaque a populo eo nomine passus; luctuoso illo bello inter Lancastrenses & Eboracenses in primo apud S. Albani prælio occubuit. Henricus eius filius in eius locum suffectus dum tempori inseruiret, modò Eboracensium, mox Lancastrensium signa sequutus, in prælio apud *Hexham*, ab Eboracensibus interceptus leuitatis pœnam capite luit. Eiusque in hoc honore successor Edmundus frater vltimus ex hac familia Somersetti Dux, profligato Lancastrensium apud *Tewkesbury* exercitu, ex ecclesia in quam cruore perfusus confugerat, extractus fuit, & obtruncatus. Sic extinctis ex hac familia masculis legitimis, primùm Henricus Septimus Edmundum filiolum qui statim expirauit, deinde Henricus Octauus filium suum naturalem Henricum *Fitz-Roy* dictum hoc titulo insigniuit. Cui cùm liberi nulli, Edwardus Sextus Edwardum de *Sancto Mauro*, vulgo *Seimor* eodem inuestiuit, qui honorum plenus & titulis onustus, scilicet *Dux Somersetti*, *Comes Hertfordiæ*, *Vicecomes de Bellocampo*, *Baro de S. Mauro*, *Auunculus Regis*, *Gubernator Regis*, *Protector Regnorum*, *Dominiorum & Subditorum eius*, *Locum-tenens exercituum terra marique*; *Thesaurarius & Comes Marescallus Angliæ*, *Præfectus Insularum Gernsey & Iarsey &c.* subitò quasi fortunæ ludibrio obrutus, leui de crimine, eoque ab inimicis dolo composito, & honoribus & vita fuit spoliatus.

Comes Apostolicus.

Vide Comites Dorsettiæ

Numerantur in hoc Comitatu Parochiæ 385.


WILTONIÆ
Comitatus herbida
Planicie nobilis vulgo will
Shire pars. olim BELGARVM.
PARTE OF BARK.
SHIRE
Hungerforde
Aldburne chase
Marlebord
Creklade
Woltonbasset
Bradon forest
Malmesbury
PARTE
OF
GLOCESTER
SHIRE
Tetbury
Chipnham
Calne
The Deuyses
Pewsham forest
Blakmore forest
Castle combe
Marshfield
Bradford
Trowbridge
Lechlade
Sauernak forest
Scala Miliarum


PARTE OF HAM SHIRE
Buckholt forest
Euerley warren of hares
Clarindon parke
Amberſbury
Salſbury
SORBIODVNVM
Wilton
Salesburye plaine
PARTE OF DORSET SHIRE
E Laungton
Salesbury Playne
Black heath
Hyndon
Shaftbury
Weſtbury
Warminſter
Gillingham
Mere
Frome
The beacon
PARTE OF SOMERSET SHIRE

WILSHIRE.



Ilshire, (quę etiam Belgarũ fuit) Anglo-Saxonicè Wil-ſætta, vulgò Latinorum *Wiltonia* a primario olim opido *Wilton* denominata, vt illud a *Willy* flumine, tota est mediterranea. Somersettensi enim agro ad occasum, Bercheria & Southantonensi ad Ortum, Glocestrensi ad Septentriones, Dorcestrensi & partim Southantonensi ad Austrũ circumclusa. Regio cùm viris bellicosis fœcunda, qui (vt inquit in Polycratico Ioannes Sarisburiensis) subsidiariam inter Anglos cohortem in prælijs sibi ob virtutem militarem, adiecta tamen Cornwallia, & Deuonia, vendicabant: tum omnium rerum copia eximiè fertilis, & sua varietate admodum grata.

Septentrionalis pars collium amœnitate nonnihil surgit, diffusis olim syluis, quæ iam rarescunt, vestita, & limpidis fluminibus irrigua. Isis fl. *Isis* enim Britannicarum aquarum regnator, qui postea *Tamisis* nomen assumit, cum iam tenuis est, alijque minorum gentium fluuij, quos suis commemorabo locis, perfundunt. Australis vero pars ampla, & herbida planitie innumeros ouium greges pascit, suosque habet fluuios, torrentes, & fontium perennium scaturigines. Mediam verò regionem, quæ maxima ex parte æqua etiam & plana, fossa intersecat transuersa, admirando opere ab Ortu in Occasum per plura mill. perducta, Wansdike. *Wansdike* accolæ appellitant, quam peruulgato errore, à Cacodæmone die Mercurij ductam fabulantur. Wodenesdic enim Saxonicè dicitur, .i. *Wodeni*, siue *Mercury fossa*, & à *Woden* illo falsò credito Anglo-Saxonum Deo & patre, vt videatur. Ego autem à Saxonibus ductam ad Merciorum, & Occidentalium Saxonum regna distermi-nanda semper credidi. Hæc enim belli area fuit, dum illi de propagando imperio inter se decertàrunt. Et *Wodensburge* viculus, huic fossæ adsidet, ad quem Ceaulinus Rex Occidentalium Saxonum bellicosissimus, anno salutis DXC. dum imperij sui fines tueretur, à Britannis & Anglis cruenta pugna ita fractus erat, vt solum necessario verterit, & exul miserando etiam hostibus spectaculo, diem obierit. Et ad hanc, vt alia taceam, Ina Westsaxo, & Ceolredus Mercius æquo Marte signa contulerunt. Huiusmodi fossa erat Fossæ limitaneæ. illa, qua Britannos a suis Mercijs submouit Offa, *Offadike* etiamnum dicta, & aliæ etiam apud Orientales Anglos adhuc visuntur, quibus se a Merciorum incursibus præmunierunt, de quibus suis locis fusius agetur.

In Septentrionali Wiltoniæ parte, quà Tamisis affunditur, *Crecklade* est opidum, alijs *Grekelade* à Græcis Philosophis vt aliqui facilè credunt, quos historia Oxoniensis ibi Aca-Lediard. demiam instituisse prodit, quæ postea Oxoniam translata. Sub hoc *Lediard Tregoze* sedes equestris familiæ de *S. Iohn*, quam Margareta de *Bello-campo* siue *Beauchamp* quę postea Ducissa Somersetti Oliuero de *S. Ioanne*, filio secundo-genito dedit. Ad illam e-Wotton Basset. nim per *Patishull*, *Grandison*, & *Tregoze* clarissima nomina hęreditario deuenit. *Wotton Basset* huic finitimum quod ad claram *Bassettorum* familiam spectasse ipsum nomen comprobat. Superiori verò seculo habitatio fuit Ducis Eboracensis, vt accepi, qui amplissi-Breden Forest mum ibi ad includendas feras viuarium statuerunt. Hinc *Breden* sylua, nunc *Bredenforest* longè latèque pertinuit, ab Ethelwaldo Clitone, & auxiliaribus Danis anno DCCCCV. omni belli clade vastata. Ad cuius Occiduum latus *Auon* fluit (de quo supra) placidè fertur, qui in Boreali quasi limite huius agri effusus in Austrum decurrit, limésque (vt Ethelwerdus notat) aliquando erat inter Occidentalium Saxonum, & Merciorum regna, Malmesbury. ad quem magna subinde bella gesta fuerunt. Dum exilis est, *Malmesbury* collem sibi imminentem substringit, receptoque profluente, fere incingit. Opidum sane elegans, & pannis laneis conficiendis celebre, quod, vt in historiarum Eulogio legitur, Dunwallo Mulmutius Britannorum Rex, vnà cùm *Lacock*, & *Tetbury* castris construxit, & *Caer Bladon* nominauit; cùmque illud tandem bellorum incendio concidisset, ex eius ruderibus castrum emicuisse proditum est, quod maiores nostri sua lingua Ingelboꝛne dixerunt, quo tempore, Saxonici Reguli regiam suam ad *Caerdurburge* habuerunt, nunc *Bro-*Ingle-borne *kenbridge* viculum, vix M. pass. distantem. Nec alio sanè nomine, quàm *Ingelborne* lon-Maildulphus Scotus. go tempore notum hoc erat, donec Maildulphus quidam Scoto-Hibernus, vir summa eruditione, & singulari vitæ sanctitate, nemoris amœnitate captus quod hic sub colle succreuit,

creuit, heremeticam vitam ibi duceret: qui postea ludum aperiens, & cum auditoribus monasticæ vitæ se deuouens, cœnobiolum ædificauit. Hinc à Maildulpho illo opidum *Maildulfesburge* pro *Ingleborne* dici cœpit, Bedæ *Maildulphi vrbs*, & posteà contractè *Malmesbury*: historicis etiam nonnullis, & in donationibus antiquis huic loco factis, *Meldunum*, *Maldubury*, & *Maldunsburg* nominatur. Inter Maidulphi discipulos floruit inprimis Aldelmus, qui eius successor designatus, ope Eleutherij Westsaxonum Episcopi ad quem locus iure spectauit, longè pulcherrimum ibi monasterium construxit, eidemq; primus præfuit, à quo etiam in manuscripto quodam libro, hoc *Aldelmesbirig* dicitur. Sed hoc nomen citò obliteratum, viri tamen memoria permanet, vtpote qui in Sanctos relatus. Et in eius festo nundinæ hic sunt frequentes, militumque cohors scribi solet, ne discordia inter tot conuenas oriretur. Dignusque sane est cuius memoria in æternitatem vigeat non solùm sanctitatis, sed etiam doctrinæ nomine, vt ea tempora ferebant. Primus enim erat ex Anglorum gente qui Latinè scripsit, primúsque qui componendi carminis Latini rationem Anglos docuit, quod ipse de se his versibus promisit, & præstitit. Aldelmus.

Primus ego in patriam mecum, modo vita superstit,
Aonio rediens deducam vertice Musas.

Hunc Aldelmum iam defunctum in tutelarem Sanctum sibi asciuit Athelstanus ille Magnus, qui eo nomine opidum hoc maximis immunitatibus donauit, Monasterium amplissimis donarijs ditauit, in eo sepulturam sibi delegit, eiusque monumentum etiamnum ostendunt incolæ. Ab Athelstano iam inde monasterium longa opulentia clarum floruit & inter alios magna eruditione viros produxit Guilielmum qui hinc *Malmesburiensis* dictus, cuius eruditæ industriæ & ecclesiastica, & politica Angliæ historia plurimum debet. Opidum etiam monasterij ope quasi suffultum, & Rogeri Sarisburiensis Episcopi opera erat munitum, qui ingruente inter Henricum Andegauensem, & Stephanum Regem bello, mœnibus, & castro firmauit, quod semel ab Henrico secundo obsessum se defendit. Ædificiaque posuit magnificus ille Episcopus & hic, & Sarisburiæ *spatio diffusa, numero pecuniarum sumptuosa, specie formosissima: ita iustè composito ordine lapidum, vt iunctura perstringat intuitum, & tota maceria vnum mentiatur saxum.* Sed castrum non multis post annis, Ioannis Regis permissu in monachorum vsum demolitum, vt inde monasterium augeretur, qui continenter & ædibus & prouentibus accessionem adiunxerunt, donec fatalis ille dies Angliæ monasterijs intonaret. Tunc reditus & congestæ tot annos opes, quæ fuerunt vt maiores habuerunt *vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum* dissipatæ. Communemque demolitionis sortem templum subiisset, nisi Stumpius Pannarius cui abunde suppetebant opes, multis precibus, sed maiori pretio suis ciuibus templum redemisset, a quibus in Parochialem, quam vocant Ecclesiam, conuersum, magna ex parte hodie superest. Guil Malmesburiensis. Concil Anglican.

A Maildulphi vrbe *Auona* defluens *Dantesey* adit, qui possessionibus nomen fecit, Equitibus in hoc tractu olim claris: à quibus per *Easterlingos* vulgo *Stradlings* ad familiam de *Danuers* deuenit. E qua Henricus *Danuers* titulum & honorem Baronis *Danuers* de *Dantesey*, gratia regis Iacobi nuper consequutus est. Ad vi. hinc milliare Auona ab Ortu riuulum recipit, qui *Calne* vetustum opidulum saxeo solo pulchra Ecclesia ornatum interfluit, vbi cùm inter Monachos, & sacerdotes de sacerdotum cœlibatu tumultuaretur, frequens coacta est Synodus anno nostræ salutis DCCCCLXXVII. Sed ecce in media disceptatione, conciliabulum in quo ordines considebant, contabulatione dissoluta, & trabibus diruptis subito decidit, vnàque præsules, proceres, nobiles corruerunt, ruina attriti plurimi, plures interempti, solus Dunstanus, qui Synodo præsedit, & a monachis stetit, illæsus euasit. Quod miraculum (sic enim habuit ætas illa) monasticum institutum inprimis confirmâsse creditur. Dantesey. Baro Danuers. Caln. Synodus de Sacerdotum cœlibatu.

Hinc *Auona* auctior *Chippenham* petit, Saxonicè Cyppanham, nunc tantùm rerum venalium foro celebre, vnde & nomen, *Cyppan* enim Saxonicè *mercari* sonat, & *Cypman Mercator*, vti nobis *Cheppen*, & *Chappman*, & *Coppman* Germanis. Illo sæculo villa regia fuit, & ab Alfredo rege filiæ suæ natu minori testamento legata. Nihil iam ibi spectabile præter Ecclesiam quæ a Baronibus *Hungerfordis*, vt vbique ex insignibus apparet, extructa. Huic è regione, sed a ripa remotius *Cosham* obiacet, nunc viculus, olim villa etiam Regia Ethelredi Regis, & Cornubiæ Comitum secessu insignis, vnde *Castlecombe* Chippenham. Cyppan quid. Cosham. Castlecombe.

Caſtlecombe. vetus caſtrum proſpectes, Dominis ſuis Walteris de *Dunſtanill* quondam nobilitatum : è quorum familia genus ducunt Writhoſlæi Southantonienſis Comites. Petronilla autem vltimi Walteri filia & ex aſſe hæres Roberto de *Monte-forti* nupſit, filiumque Guilielmum peperit, qui hoc caſtrum, prædiaque reliqua Bartholomæo *Badilſmer* vendidit, a quo (vt accepi) ad *Le-Scropos* venit, qui iam inde tenuerunt. Sed iam ad flumen regrediamur, cui aſſident *Leckham* poſſeſſio claræ familiæ *Baunardorum*, vbi Romani nummi ſæpe reperti, & *Lacock* vbi pientiſſima mulier Ela Comitiſſa Sariſburiæ iam vidua monaſterium (vt alterum etiam apud *Henton*) anno 1232. in honorem B. Virginis, & S. Bernardi extruxit, in quo ipſa & corpus & animum diuino cultui deuota ſacrauit.

Leckham. Lacock.

Auona hinc arboribus redimitus non longum iter per *Brumham* quondam Baronis de *Sancto Amando* ſedem conficit, cum ab Ortu fluuiolum in ſe admittat, qui prope caſtrum *De Vies, Deuizes*, ſiue *The Vies*, caput aperit. *Diuiſio* Florentio Wigornienſi, *Diuiſæ* Neubrigenſi appellatur. Caſtrum ſane quondam magnificum, ſitu & opere munitiſſimum, nunc autem temporis iniuria deformatum. Hoc, vt reliquis Angliæ caſtris omnem laudem præriperet, profuſiſſimo ſumptu conſtruxit Rogerus Sariſburienſis Epiſcopus, quem è ſacrificulo ad ſecundam a Rege dignitatem prouexerat fortuna. Sed fortuna, vt inquit ille, neminem eò prouexit, vt non tantum illi minetur, quantum permiſerit. Stephanus enim Rex illi infenſior hoc caſtrum & Shirburnenſe, vnà cum diuitijs quas habuit ampliſſimas extorſit, miſerumque ſenem ita fame, & calamitatibus in carcere fregit, vt inter mortis metum, & vitæ tormenta, & viuere noluerit, & mori neſcierit. Quo tempore agitata fuit, immo vexata quæſtio, an Epiſcopi ſecundum Canonum ſcita habeant Caſtella, aut ſi hoc per indulgentiam toleratur, an non temporibus ſuſpectis Regi in manus tradere debeant.

The Vies. Deuizes.

Fluuiolo hoc ſocio recepto *Auona* ſe in occaſum agit, ſtatimque alter riuulus ab auſtro influit, qui ædibus impoſititis quas *Broke* dicimus, nomen impertijt : Ædes autem ipſæ ſedem olim Ioanni *Paueley* qui fuit Dominus Centuriæ de *Weſtbury*, & poſtea Baronis titulum præbuerunt Roberto *Willoughby* quia a *Paueley* per *Chencios* genus duxit, cùm in Baronis dignitatem illum euexit Rex Henricus Septimus, cui longè chariſſimus erat, & pauliſper claſſis præfectus, ſiue *Admiralius* (vt fertur) conſtitutus. Vnde nauis gubernaculo pro ſymbolo, vt prora Pompeius Romanæ olim claſſis præfectus in nummis, eſt vſus. Verùm hæc familia quaſi in herba intermortua citò defecit. Filium enim reliquit Robertum Baronem *Brook*, qui progenuit ex priore coniuge Edwardum filium ante patrem defunctum, cui nata erat vnica filia Fulconi *Greuill* Equiti aurato enupta, & ex altera coniuge duas filias, per quas ad Wintoniæ Marchionem, & Baronem de *Montioy* hæreditas opima tranſlata fuit.

Barones Brooke.

Edindon. Huic ad Ortum vicinum iacet *Edindon* olim *Eathandune* vbi Alfredus Rex nobili, ſi vnquam aliàs, prælio graſſantem Danorum audaciam fœliciſſimè contudit; eòque adegit vt conceptis verbis iurarint ſe protinùs ex Anglia ceſſuros. Quo etiam in loco Guilielmus de *Edindon* Epiſcopus Wintonienſis, qui ſumma erat in gratia apud Regem Edwardum Tertium hinc oriundus, & nominatus Collegium *Bonis*, quos dixerunt, *hominibus* erexit. Sed ad riuulum, quem dixi, paulò ſuperiùs colli inſidet *Trubridge*, olim Tꝛuƿabꝛiȝ, id eſt, *Pons firmus & fidelis*. Sed qua tamen de cauſa hoc nomen inditum fuerit, minimè conſtat, Lanificij gloria nunc inprimis floret, caſtrique reliquias oſtendit, quod ad Ducatum Lancaſtrenſem ſpectat. Hoc riuulo *Auona* auctus *Bradford*, olim *Bradanford*, à vado lato ſic nominatum, decliui colli affixum & totum è ſaxo conſtructum reſpergit, vbi Kenilwachius Occidentalium Saxonum Rex ciuili bello gladium tinxit contra Cuthredum propinquum. Hic Wiltonienſibus valedicit, & Somerſettenſem Comitatum *Auona* ſubingreditur *Aquas Calidas* inuiſurus.

Trubridge.

Bradford. Anno.652.

Limes autem Occidentalis huius Comitatus recta hinc in Auſtrum deſcendit per *Longleat*, ædes equeſtris familiæ *Thinnorum* (qui a *Botteuillis* oriundi) omni elegantia, & nitore perpolitas, licèt ſemel, atque iterum deflagrarint. *Mayden Bradley* ſic dictum ab altera hæredum Manaſſeris *Biſſet* viri ſuo tempore nobiliſſimi, quæ ipſa virgo leproſa domum virginibus leproſis hic poſuit, patrimonioque ſuo ditauit; vt pater antea eo loci *Prioratum* fundauerat. *Stourton* ſedes Baronum de *Stourton*, quos ad hanc dignitatem euexit Henricus VI. cùm opimi prouentus acceſſiſſent ex nuptijs cum filia & hærede familiæ

Long-Leat. Mayden Bradley.

Stourton. Barones de Stourton 26. H6.

miliæ *Le Moigne*, siue *Monachi*, non *Mohun*, vt falsò hactenus a nonnullis creditum, & hinc dimidiatus Monachus flagellifer clypeo superponitur. Nomen locus inuenit a *Stour* flumine quod sub hoc e sex fontibus ebullit, quos in suum clypeum nigrum areola aurea transuersè interiecta Stourtoni Domini loci transtulerunt.

Per *Mayden Bradley*, quam dixi labitur *Deuer-rill* fluuiolus sic dictus quòd perinde vt Anas apud Hispanos, & *Mole* apud nos in Suthreia, qui inde nomina acceperunt, se sub terram immergit, & post mille passus hîc emergens ad VERLVCIONEM properat, antiquissimum opidum, cuius Antoninus Imperator in suo Itinerario meminit, quod suo nomine non omninò deposito, *Werminster* dicitur ex antiquo illo nomine, & Anglo-Saxonico Ƿinꞅꞇeꞃ, quod Monasterium sonat, coalitum. Olim immunitates suas habuit, vt in libro enim Guilielmi Magni legitur, *nec geldauit, nec hidata fuit*, id est, tributum non conferebat. Nunc tantùm foro frumentario celeberrimum, vix enim credas quanta vis frumenti singulis septimanis huc conuehatur, & statim diuendatur. Diuer. Verlucio. Werminster.

Hinc in Austrum, Septentriones, & Orientem Solem per mediam regionem, campi sunt adeò patentes, vt vix prospici possint, vnde & nomen *The Plaines*, raris admodum incolis, & latrocinijs quondam infames, quos ad Austrum duo placidissimi amnes sublu-unt, *Willeybourn*, Afferio *Guilou*, & *Nadder*, vulgo *Adderbourn*. *Willeybourn* ad Verlucionem exoriens per *Heitesbury* siue *Hegtredsbury*, sedem Baronum de *Hungerford* ad *Willey* viculum delatus prospicit ex opposito sepimentum militare amplum admodum; & profunda, eaque duplici fossa munitum, quod *Tanesbury Castle* vocant vicini, Romanorum fuisse castra ex forma facilè agnoscas. Sunt qui Vespasiani castra fuisse credant, cùm legatus legionis XX. sub Claudio duas gentes hoc in tractu Romano subiugauit imperio, nominisque Vespasiani reliquias in nomine *Tanesbury* superesse opinantur. *Nadderus* ex australi agri limite profusus sinuoso volumine, veluti anguis (vnde nomen inditum videatur) serpit non procul à *Wardour* eleganti castro, quod olim antiquæ fuit familiæ *de S. Martino* dictæ. Nunc vt plures intermedios Dominos sileam, Ioannis *Arundell*, qui nuper a Rege Iacobo Baro *Arundell de Wardour* creatus, & cum laude memorandus, quòd iuuenis pio instituto in sacram militiam contra Turcas iuratos Christiani nominis hostes peregrè profectus, ob singularem virtutem in expugnando Strigonio Hungariæ, honorarijs literis ab Imperatore Rodolpho Secundo Cæsare Augusto Comes Imperij fieri meruit, hisce verbis. *Quòd fortiter & strenuè se gessisset in apertis prælijs, & in ciuitatum, & castrorum oppugnationibus, & spectato fortitudinis exemplo in expugnatione opidi Aquatici iuxta Strigonium vexillum Turcis sua manu eripuerit, Ipsum, omnesque & singulos liberos, hæredes, & posteros, & descendentes legitimos vtriusque sexus natos, æternaque serie nascituros veros sacri Imperij Comites & Comitissas creauimus, fecimus, & nominauimus, tituloque, honore, & dignitate Comitatus Imperialis auximus, & insigniuimus, &c.* Huic è regione obiacet *Hach* hodie parùm celebris, sed quæ Edwardi Primi tempore suum Baronem Eustachium de *Hache* inter Regni proceres ad Parlamentaria Comitia euocatum habuit. Sarisberis plaines. Tanesburie. Wardour castle. Baro Arundell. 1595. Comes Imperij. Hache. Baro de Hache.

Vbi verò hi amnes confluunt, *Willey Wilton* opidum aquis irriguum nomini adoptat, olim totius agri caput, cui & appellationem fecit, antiquitùs *Ellandunum* dictum. Hoc enim docent membranæ antiquæ, quæ expressè habent *Weolsthanum Ellanduni Comitem id est Wiltoniæ*; & alibi, *Ellanduni, id est, Wiltoniæ monasteriolum posuisse*. Ex hoc nomine *Ellan* quodammodo inducor hunc fluuium ALANVM esse, quem Ptolemæus hoc tractu nominat. Ad hoc Egbertus Occidentalium Saxonum Rex secundum prælium anno reparatæ salutis DCCCXXI. contra Beorwulfum Mercium fecit, sed vtrique tam funestum, vt profluens ille sanguine cognato redundârit. Ad hoc etiam anno Salutis DCCCLXXI. Ælfredus cum Danis congressus primò victor, ancipiti Martis alea statim deuictus signa retulit. Saxonico verò sæculo inprimis ciuium frequentia floruit, sacrarum virginum monasterio ornauit Rex Eadgarus (vt habent Annales) filiamque suam Editham præfecit. Verùm ex antiqua ipsius Eadgari Charta data DCCCCLXXIIII. antiquius esse constat. Sic enim in illa scribitur. *Cœnobium quod ab atauo meo Edwardo Rege in celebri loco qui à soliscolis noto Wiltun vocatur nomine fundatum.* Et in vita S. Edwardi Confessoris legimus. *Dum S. Edwardus monasterium B. Petri Westmonasterij molitur, Editha eius vxor Wiltoniæ vbi educata fuit, regio opere lapideum monasterium pro lig-* Wilton. Ellandunum. Alanus fl.

neq; ecclesia inchoauit, prosequuta affectum regis affectu suo. Nec ita concidit hoc opidum (licèt Sueni Dani rabie grauissimè dilaceratum fuerit) donec Episcopi Sarisburienses viam, quâ prius hac in occiduas regiones itum erat, deflexerint. Tùnc enim paulatim quasi contabuit, & nunc tantum tenuis quasi viculus, *Maiore* tantummodò pro magistratu summo, & elegantissimis Comitis Penbrochiæ ædibus, quæ è diruto monasterio surrexerunt, gloriatur. Sed eius luminibus SORBIODVNVM olim, & nunc eius proles *Sarisbury* inprimis officcerunt. Sic enim Antonini Itinerario dicitur, quod Anglo-Saxones postea Searyſ byriȝ dixerunt, & vulgus Latinorum *Sarum*, & *Sarisburia*. Itineraria enim ratio, & nominis vestigium, vel me tacente, hoc contestentur. Quis enim ambigat *Searesbirig* a Sorbioduno profluxisse, addito Saxonico Býrýȝ, quod Burgum sonat, pro *Duno*, quod Britanni & Galli locis addiderunt qui æditiorem situm occupabant, vti hoc Sorbiodunum? Vsque adeò vt quidam Britannicæ linguæ callentissimus mihi *Soruiodunum* collem siccum interpretatus fuerit, & probabiliore certè coniectura, quàm qui a Sarone Berosi, aut a Seuero Imperatore magno conatu deduxerunt, *Seueriamque* dixerunt. Collem enim æditiorem occupauit, &, vt inquit Malmesburiensis, *In vice ciuitatis castellum erat, muro vallatum non exiguo, cæteris commeatibus vtcunque valens, aquæ penuria laborans adeo, vt mirabili commercio aqua ibi vendatur.* Vnde quidam, qui illo tempore vixit, de Sorbioduno antiquo.

Sorbiodunum. | *Old Sarisbury.* | *Dunum* quid Gallis & Britannis.

Est ibi defectus lymphæ, sed copia cretæ,
Sæuit ibi ventus, sed philomela silet.

Ex parietinis quæ iam supersunt, operibus, & munitionibus satis tutum fuisse videtur, & ambitu quasi quingentos passus collegisse. Kinricus Saxo cùm fœlicissimè contra Britannos pugnauisset, anno DLIII. primus Saxonum expugnauit, Canutusq; Danus circa annum M.III. iniecto igni grauiter afflixit. Reuixit tamen cùm Synodali authoritate & Guilielmi Conquestoris munificentia Hermannus Episcopus Shirburnensis & Sunningensis huc sedem transtulisset, cuius proximus successor Osmundus ecclesiam construxit Cathedralem. Et Guilielmus ille primus postquam Angliæ lustrum condidisset, huc omnes regni ordines conuocauit, vt fidem interposito iureiurando adstringerent, quo tempore, vt est in Censuali libro, *pro quinquaginta Hidis geldabat. De tertio denario Salisbery habet Rex* XX. *solidos ad pensum, de Cremento* LX. *libras ad Pondus.* Quod ideò noto quia vt apud veteres Romanos, ita apud nostros maiores pecunia & appendi & numerari solebat. Nec ita multis post annis, regnante Richardo Primo, tùm ob præsidiarij militis insolentiam, tùm aquæ penuriam, paulatim demigrare cœperunt incolæ, & vix mille hinc passus ad Ortum hybernum, loco humiliori, vbi quasi conceptaculum est plurimorum riuulorum, ad Auenæ, & Nadderi confluentes consederunt. Huius demigrationis meminit in suis epistolis Petrus Blesensis. Sic enim de antiquo Sorbioduno scripsit. *Erat locus ille ventis expositus, sterilis, aridus, desertus, erat ibi turris quasi in Siloem, quæ habitatores loci onere longæ seruitutis oppressit.* Et postea, *Captiua erat in monte illo Sarisburiensis ecclesia. Descendamus ergo fœlici auspicio ad complana, vbi valles abundabunt frumento, & campi spaciosi pinguescunt.* Et Poeta iam dictus de eadem lusit:

Pecunia appensa, & numerata. | *New Sarisbury*

Quid Domini domus in castro? nisi fœderis arca
In templo Baalim; carcer vterque locus.

Locumq; illum in quem descenderat, sic describit.

Est in valle locus nemori venatibus apto
Contiguus, celeber fructibus, vber aquis.
Tale Creatoris matri natura creata
Hospitium toto quæsijt orbe diu.

Cùm iam descendissent, vt ab ara Dei auspicarentur, Richardus *Poore* Episcopus, in loco amœnissimo, priùs *Merifield* vocato augustissimum speciosa structura templum inchoauit. Quod cum præcelsa pyramide, & duplici vtrinq; transepto sacra quadam hilaritate & maiestate venerabile quadragesimo post anno, maximis sumptibus peractum, & dedicatum anno MCCLVIII. Rege Henrico tertio etiam præsente. De quo Versificator ille vetustus non ineleganter,

Regis enim virtus templo spectabitur isto,
Præsulis affectus, artificumq; fides.

Sed

Sed multò elegantiùs clarissimus, & eruditissimus Daniel Rogersius.

Mira canam, Soles quot continet annus in vna
Tam numerosa, ferunt, æde, fenestra micat.
Marmoreasq́; capit fusas tot ab arte columnas,
Comprensas horas quot vagus annus habet.
Totq́; patent portæ, quot mensibus annus abundat,
Res mira, at vera res celebrata fide.

Fenestras enim anni diebus, columnas & columellas anni integri horis, & portas duodecim mensibus numero respondere dicunt. Claustraque habet ex australi parte sua amplitudine, & elegantia nullis secunda, quibus adiungitur palatium Episcopi pulcherrimum: & ex altera parte seorsim à templo campanile excelsum & firmissimum. Opibus verò & prouentibus ita breui accreuit, vt Decanum, Præcentorem, Cancellarium, Thesaurarium, & Præbendarios triginta tres honestissimis stipendijs alat, è quibus *Residentes*, vt vocant, suas etiam pulcherrimas ædes templo adiunctas habent, & hæc omnia seorsim ab vrbe suis mœnibus inclusa. Ciues itidem, dum Episcopus Dei domum moliretur, certatim vrbem statuerunt, Rempublicam stabilierunt, in singulos vicos riuulos deriuarunt: fossam, qua perenni flumine non subluitur, duxerunt, cum licentiam muniendi a Simone Episcopo impetrauissent. Paulatimque ex veteris Sorbiodunum ruinis sic accreuit hæc noua Sarisburia, vt statim atq; Regia authoritate, viam publicam quæ in Occiduas regiones ducit, huc deflexerint, facilè fuerit omnium vrbium in hoc tractu secunda, summe frequens, omnium rerum, præsertim piscium affatim copiosa, & amplissimo ornato foro in qua domus ciuica est è ligno pulcherrima. Sed nihil est, quo perinde glorietur, ac Ioanne Iewell non ita pridem Episcopo, Theologiæ cognitione ad miraculum instructissimo, & reformatæ religionis propugnatore acerrimo. Vetus Sorbiodunum iam inde euanuit, regnanteque Henrico Septimo omnino desertum, vt vix hodie supersit vnum & alterum propugnaculum castri, quod tamen longo tempore postquam incolæ demigrassent Sarisburiæ Comitum sedes fuit, & de quo lis regnante Edwardo III. exorta est memorabilis. Robertus enim Episcopus Sarisburiensis Guilielmum de *Monte-acuto* Comitem Sarisburiæ ea formulâ iuris (quod *Breue de Recto* appellant Iuridici nostri) in ius de hoc Castro vocauit; ille respondit se duello ius suum defensurum. Vnde die constituto Episcopus pugilem produxit suum ad rapagula albo vestimento ad mediam vsque tibiam indutum. Cui superinductum sagum armis gentilitijs Episcopi depictum, quem subsequebatur Miles baculum, & seruulus scutum gestans, statimque Comes suum simili vestitu manu induxit pugilem, quem comitabantur duo Milites bacula alba gestantes. Cùm iam in arenam descensuri essent pugiles, iussi sunt secedere vt arma vtrinq; explorarentur. Ex improuiso autem literæ Regis interuenerunt, vt ampliaretur causa ne quid fraudi esset Regi. Interim verò conuenit inter eos, vt Comes acceptis 2500. *Marcis*, de iure in castro Episcopo, & successoribus in perpetuum cederet.

29 Edward.3. Term Hilarij. Duellum de Castro Sarum vel Sarisburi vt alij volunt.

Comites suos Sarisburia hæc iam olim habuit, quorum stemma paulò altiùs & veriùs ex Lacokensi historiola deducam. Gualtero de *Eureux* Comiti de *Rosmar* in Normannia latifundia assignauit in hoc agro munificentia Guilielmi Conquestoris, quæ Edwardo de *Sarisberia* dicto, filio iuniori in Anglia nato reliquit, vt alias in Normannia terras cum titulo Comitis de *Rosmar* Gualtero filio natu maximo, cuius soboles paulò post defecit. Edwardus ille de *Sarisberia* floruit anno 20. Conquestoris, sæpiusque memoratur sine Comitis titulo in libro Angliæ Iudiciario. Huius filius Gualterus monasteriolum ad *Bradenstok* construxit, ibique Canonici habitum senex induit, cùm Patricium qui Comes Sarisburiæ primus, ex Sybilla de *Cadurcis*, siue *Chaworth* suscepisset. Hic Patricius Comes primus in reditu a S. Iacobo Compostellano MCLXIX. a Guidone de *Lusignian* interfectus, successorem habuit Guilielmum filium, qui obijt Lutetiæ tempore Regis Richardi Primi. Huius filia vnica Ela (fauore illius Regis Richardi,) & titulo Comitis, & suo clypeo cæruleo sex leunculis aureis erectis ornato, Guilielmum de *Longa-spatha*, a longo quo vsus est ense cognominatum, filium naturalem regis Henrici II. suis nuptijs honorauit. Huic filius erat Guilelmus de *Longa-spatha* itidem dictus, cui Henricus III offensior quòd in bellum sacrum cruce signatus, non impetrata venia abierat, tùm Comitis Sarisburiæ titulum, tùm Sarisburiæ castrum abstulit. Ille tamen propositi tenax in

Comites Sarisburiæ Historia monasterij Lacock.

Longa-spatha Comitis Sarum.

Math. Paris pag. 973. & 1031.

Ægyptum cum S. Lodouico Galliarum Rege profectus iuxta Damiatam quam Christiani cœperant, excellenti animi magnitudine inter densissimos hostes dimicans gloriosa morte occubuit, paulò antequam sanctus ille Rex infœliciter caperetur. Huius filius nomine itidem Gulielmus sine Comitis titulo vixit, & vnicam filiam Margaretam progenuit, quæ tamen Sarisburiæ habita Comitissa, vxor fuit Henrici *Lacy* Comitis Lincolniæ, cui vnicam peperit filiam Aliciam coniugem Thomæ Comitis Lancastrensis. Quo proscripto, Rex Edwardus Secundus in possessiones quas illa marito concesserat, & dimiserat, inuolauit, & ex quibus Rex Edwardus Tertius Gulielmo de *Monte-acuto* dedit *Trowbridg*, *Winterbourn*, *Ambresbury*, & alia hisce verbis, *adeò plenè & integrè sicut ea progenitores Margaretæ Comitissæ Sarisburiæ aliquo tempore tenuerunt*. Quo tempore Gulielmum illum de *Monte-acuto in Comitem Sarisburiæ præfecit, ac per cincturam gladij de dicto Comitatu inuestiuit sibi & hæredibus in perpetuum*. Hic Manniam insulam sui iuris fecit, duosque suscepit filios, Guilielmum qui patri in honore successit, & sine prole obijt, Ioannemque Equitem auratum qui ante fratrem fatis concessit, cùm reliquisset è Margareta filia & hærede Thomæ de *Monte Hermery* Ioannem Sarisburiæ Comitem, qui cùm temporario esset ingenio, & Regi Henrico quarto perniciem moliretur, anno MCCCC. Cicestriæ interfectus erat, & maiestatis posteá damnatus. In integrum tamen restitutus est filius eius Thomas, vir inter summos Duces numerandus, siue laborem in negotijs, siue industriam in agendo, siue celeritatem in conficiendo spectes, qui dum Aureliam in Gallia obsideret, pila è tormento maiori vulneratus anno MCCCCXXVIII. occubuit. Alicia filia eius vnica nupta Richardo *Neuill*, illum Comitis Sarisburiæ titulo adauxit, qui dum steterit a familia Eboracensi, in prælio apud *Wakefeild* captus & capite plexus filium Richardum successorem habuit Warwici, & Sarisburiæ Comitem, qui periculis lætus nouo ciuilis belli incendio patriam inuoluit, quo ipse extinctus. Huius filiarum altera Isabella nupsit Georgio Duci Clarentiæ Regis Edwardi Quarti fratri cui peperit Edwardum, qui puerulus, & innocens ab Henrico VII. capite truncatus, vti soror eius Margareta cui titulus Comitissæ Sarisburiæ restitutus, ab Henrico Octauo eadem pœna septuagenaria affecta. Nec insolens sanè principibus, vt sibi & suis adsit securitas, sanguine proximos, causis facilè nunquam non se suggerentibus, tollere, vel opprimere. Anna altera filia Richardi *Neuill* Comitis Warwici, & Sarisburiæ vxor erat Regis Richardi Tertij cui cùm peperisset Edwardum Walliæ Principem teneris annis defunctum, non sine suspicione veneni obijt. Iam inde desijt hic titulus honorarius, donec anno MDCV. Iacobus Rex potentissimus Robertum Cecilium Secundo-genitum Nestoris nostri Guilielmi Cecilij ob animum prudentia validum, & consilia patriæ principique salutaria eodem illustrauerit, cui anteà, vt dixi, pro maximis in Rempublicam laboribus & meritis honores Baronis Cecilij de *Essenden*, & Vicecomitis *Cranburn* detulerat. Hæc de Comitibus Sarisburiæ.

Walsingham pag. 74.

Verbaliter. Patent.

Pat. 10 Hen. 6

1461

Inferiùs sub hac vrbe ad Auonam *Dunction*, siue *Donketon* assidet, *Burgus*, vt ferunt, antiquus, & Bogonis Southantoniensis ædibus clarus, qui inter heroum numerum ob celebratam versiculis fortitudinem à populo relatus.

Bogo vulgò Beauois.

Sarisburiam planities campestris vndique incingit, nisi ad ortum, quà adiacet viuarium amplissimum *Clarindon*, conseruandis, enutriendisq; animantibus feris peropportunum, & regijs ædibus quondam exornatum. De quo & viginti lucis inclusis sic carmine lusit D. Mich. Maschertus Legum Doctor.

Clarindon.


*Nobilis est lucus, ceruis clusura, * Saronam*
Propter, & a claro vertice nomen habet,
Viginti hinc nemorum partito limite, boscis
Ambitus est passus mille cuique suus.

*Hoc nomen ipse Poeticè excogitauit.

Septentriones versus ad VI. plùs minùs à Sarisburia milliaria, in illa planitie, insana (vt Ciceronis verbo vtar) conspicitur substructio. Intra fossam enim ingentia, & rudia saxa, quorum nonnulla XXVIII. pedes altitudine, VII. latitudine colligunt, coronæ in modum triplici serie eriguntur, quibus alia quasi transuersaria, sic innituntur, vt pensile videatur opus: vnde *Stonehenge* nobis nuncupatur, vti antiquis historicis *Gigantum Chorea* a magnitudine. Eius verò qualemcunque delineationem cùm verbis satis commodè exprimi non potest, hic operâ sculptoris subiungendam curaui.

Stone-henge.

Hoc


A. Saxa quæ vocantur Corestones pondere, 12 tonnay
altitudine 24 pedes, latitudine pedes 7. ambitu 16.
B. Saxa quæ vocantur Cronetts. 6. vel 7. tonnarum.
C. Locus ubi ossa humana effodiuntur.

Hoc in miraculorum numerum referunt nostrates. Vnde verò eiusmodi saxa allata fuerint, cùm tota regione finitima vix structiles lapides inueniantur, & qua ratione subrecta, demirantur. De his non mihi subtiliùs disputandum, sed dolentiùs deplorandum obliteratos esse tanti monumenti authores. Attamen sunt qui existimant saxa illa non viua esse, id est, naturalia & excisa, sed factitia ex arena pura, & vnctuoso aliquo coagmentata: quemadmodum illa trophæa quæ Eboracensi agro vidimus. Et quid mirum? Nonne apud Plinium legimus, puluerem Puteolanum fluctibus mersum protinus fieri lapidem? & cisternas Romæ ex arena fossitia, & calce vehementissima ita constructas, vt lapides videantur; Statuasque e marmorum crustulis tanta firmitudine coagmentatas, vt ex solido marmore iudicentur. Fama obtinet Ambrosium Aurelianum, siue Vtherum eius fratrem in Britanorum memoriam qui ibi Saxonum dolo, in colloquio ceciderunt, illa Merlini Mathematici operâ posuisse. Vnde Alexander Nechamus medij temporis Poeta. poetico œstro percitus, sed non Apolline plenus ex Britannica Galfredi historia sic lusit.

Saxa factitia.

Nobilis est lapidum structura, Chorea Gigantum,
Ars experta suum posse, peregit opus.
Quod ne prodiret in lucem segniùs, artem
Se, viresq; suas consuluisse reor.
Hoc opus adscribit Merlino garrula fama,
Filia figmenti fabula vana refert.
Illa congerie fertur decorata fuisse
Tellus, quæ mittit tot Palamedis aues.
Hinc tantum munus suscepit Hibernia gaudens,
Nam virtus lapidi cuilibet ampla satis.
Nam respersus aquis magnam transfundit in illa
Vim, queis curari sæpiùs æger eget.
Vther Pendragon molem transuexit ad Ambri
Fines, deuicto victor ab hoste means.
O quot nobilium, quot corpora sacra virorum,
Illic Hengisti proditione iacent!
Intercepta fuit gens inclita, gens generosa
Intercepta, nimis credula, cauta minus.
Sed tunc enituit præclari Consulis Eldol
Virtus, qui latho septuaginta dedit.

Alij produnt Britannos hoc quasi magnificum sepulchrum eidem Ambrosio substruxisse eo loci, vbi hostili gladio ille perijt. vt publicis operibus contectus esset, eáque extructione, quæ sit ad æternitatis memoriam, quasi virtutis ara. Certè ossa humana hîc sæpiùs effossa fuerunt, & pagus qui adiacet ad *Auenam*, *Ambresbury*, .i. *Ambrosij vicus* dicitur, vbi antiquos quosdam Reges sitos esse historia Britannica docet, & Eulogium ibi trecentorum monachorum cœnobium fuisse refert, quod nescio quis barbarus Gurmundus diruit. Eò loci posteà Alfritha Edgari Regis vxor, vt facinus in perimendo priuigno Edwardo Rege, pœnitentia, & pio aliquo opere expiaret, ædem superbam Monialibus construxit & dotauit, in quo Æleonora vidua Regis Henrici Tertij regiâ pompa renunciata, inter sacras virgines se Deo dicauit. Ambrosius Aurelianus qui nomen loco fecit, Romano imperio iam propè confecto, purpuram, vt P. Diaconus testatur, in Britannia induit, patriæ labenti suppetias tulit, & bellicosi Arthuri operâ hostium impetus repressit, exercitus maximos ex animosis Germaniæ populis conflatos, deleuit; & tandem collatis in hac planitie signis, animam patriæ reddidit. Cùm verò Gildas, & Beda huius parentes, purpura indutos occisosque scribant, illum è Constantini illius genere fuisse, qui Theodosio Iuniore IIII. Cos. in Britannia spe nominis Imperator designatus, & posteà Arelati interemptus fuerat, cur non asseueranter affirmàrim? Ab *Ambresbury* cis *Auenam* vix ad quartum lapidem est Leporarium vulgò *Euerlie Warren*, vbi maximus leporum prouentus, quorum venatu nobiles vicini recreantur; sed non tantus, vt militare auxilium aduersus eos petant accolæ, quod Balearicos fecisse apud Plinium legimus,

Ambresbury.

Ambrosius Aurelianus.

Leporarium.

legimus, licèt messibus itidem sint infesti, vicinumque huic *Lutgershall* vbi olim castrum Galfredi *Fitz-Petri* Iustitiarij Angliæ & Comitis Essexiæ opulentissimi. Non multo superiùs *Wolfhall* fuerunt ædes familiæ claræ *Seimor*, siue de *S. Mauro*, qui amplam in hoc tractu hæreditatem *Esturmiorum* nuptijs adierunt. Hi in clypeo argenteo tres leones rubros dimidiatos gestarunt, & ab Henrici Secundi temporibus *Forrestæ de Sauernac* quę adiacet copiosa venatione, & filice gratissimi odoris celebris, hęreditario iure *Balliui*, & *Guardiani* erant. In cuius memoriam Cornu eorum venatorium, magnum illud quidem & argento ornatum à *Seimoris* etiamnum seruatur.

Wolfhall
Esturmy siue Sturmy.
Sauernac Forest.

Paulò magis ad Ortum Cunetio flumen Saxonicè Cynetan, vulgò *Kennet* oritur iuxta eiusdem nominis viculum, quem aliqui CVNETIONEM, ab Antonino memoratum volunt, sed distantia vtrinque reclamat. Hîc *Selbury* collis rotundus & in fastigium æditus surgit, qui hominum labore aggestus cùm ex ipsius collis formâ, & terræ subsidentis facie videatur. Cuiusmodi multi in hoc tractu rotundi & fastigiati cernuntur, & *Burrowes* & *Barrowes* vocant, in occisorum militum memoriam fortè excitati. Ossa enim in illis reperiuntur, & legi in vsu fuisse Septentrionalibus, vt singuli milites prælio superstites tantum terræ quantum casside capere poterant, in occisorum tumulos aggererent. Etsi hunc *Selbury* instar limitis potiùs positum opiner, si non a Romanis, certè à Saxonibus, perinde ac fossa illa *Wodensdik*, cùm de limitibus inter Mercios & Saxones occiduos in hoc agro sæpiùs decertatum, & eiusmodi tumulos pro limitibus aggestos fuisse Boetius, & Gromatici scriptores commemorarunt. Decurrit hic fluuius primò per campos è quibus saxa vti rupes passim eminent, vnde viculus ibi *Rockley* dictus, inter quas emergit nonnunquam ex improuiso aqua torrentis in modum quæ quasi futuræ famis prænuncia *Hungerborn* rusticis vocatur. Inde Cunetio sui nominis vrbem inuisit, quæ CVNETIO Antonino dicitur, & ad XX. à Verlucione milliare locatur. Ad quam distantiam huic flumini Cunetioni antiqua illa vrbs nouo nomine *Marleborow*, olim *Marleberge* in collis decliui ab ortu in occasum protenditur. An hoc recentiùs factum fuerit nomen a Marga, quam *Marle* nostra lingua dicimus, & ad agros stercorandos vtimur, non facilè dixerim. Certè subiacet colli ex calce albicanti quam maiores nostri antequam hoc nomen *Chalk*, a calce Latinorum sunt mutuati, *Marle* dixerunt. Risu verò excipienda est illa à Merlini tumulo ducta notatio, quam hoc disticho in suo de Diuinæ sapientiæ libro procudit Alexander Nechamus.

Barrowes & Burrowes. Tumuli.
In Geometria.
Rockley.
Hungerborn fluminis riuulus.
Cunetio opidum.
Marleborow.

Merlini tumulus tibi Merlebrigia nomen
Fecit, testis erit Anglica lingua mihi.

Cunetionis huius, vnà cum nomine fatum, fortunaque cum antiquitatis memoria à Saxonum ingressu ad Normannicum vsque seculum perijt, interposito enim tempore ne nomen quidem vsquam in nostris historijs occurit. Insequenti verò sæculo legimus Ioannem cognomento *Sine terra*, qui posteà Rex Angliæ, hic castrum habuisse, quod cùm ille a fratre Richardo Primo defecisset, Hubertus Cantuariensis Archiepiscopus expugnauit. Quodque postea celebratissimum fuit, frequenti omnium totius Angliæ Ordinum conuentu, qui coniunctis sententijs ad tumultus sedandos legem tulerunt, quæ Statutum de *Marleborow*, vulgò vocatur. Nunc autem tempore deuictum, nihil aliud planè est, quàm rudetum; pauculæ sane intra fossam supersunt mœnium reliquiæ, & diuersorium adiunctum pro castro intersignium castri prætendit. Incolæ verò nihil magis ostentant quàm in proxima Ecclesia ad *Preshut* Baptisterium, ex obsidiano, vt videtur, lapide, in quo nescio quos principes olim baptismo Christo renatos fuisse perhibent. Nec tacendum sane quod legi, quemlibet Burgensem hic admissum duos canes leporarios, duos capos candidos, taurumque candidum veteri instituto *Maiori* exhibere solere.

Eidem flumini etiam eadem ripa adiacet *Ramesbury* pratorum amœnitate nunc tantum commendatus viculus, olim Episcoporum cathedra celebratus, qui huic agro præfuerunt, sed cathedra illa Shirburnensi ab Hermanno octauo Episcopo coniuncta, demùm, vt dixi, Sarisburiam translata, omnem secum famam hinc vnà transtulit, *quoniam apud Ramesberiam nec Clericorum erat conuentus, nec erat quo sustentaretur.* Ex altera ripa magis ad Ortum *Litlecot* cernitur, quæ memoranda ob suum Dominum Ioannem *Popham* qui summus in tribunali Regio Iudex iustitiæ officijs, summa cum laude fungitur, vt iam dixi.

Ramesbury.
Gul. Malmesb. de Episcopis.
Litlecot.

Huc

Huc vſqve Wiltonienſem agrum perluſtrauimus, qui vt eſt in Angliæ Notitia (nec adnotare pigebit) *reddebat Regi decem libras pro accipitre, viginti ſolidos pro ſummario, pro fœno centum ſolidos, & oras quinq;*. Quod vel quale numi genus *Ora* illa fuerit, mihi planè ignotum; ſed ex Regiſtro Monaſterij Burtonienſis xx. *Oras* valere duas Argenti Marcas obſeruaui.

Ora quid.

Wiltoniæ Comites.

Comites è varijs familijs præter illos quos dixi, Sariſburiæ, paucos hæc Prouincia numerat, nam vt Weolſthanum ante Normannicam victoriam omittam, nullum (quod ſciam) ante Richardi II. tempora habuit, qui Guilielmum *Le Scrope* eò hohonoris extulit, ſed huius fœlicitas cum ſuo principe & ſtetit, & cecidit: quum enim ille regno exturbatus, hic capite mulctatus. Nec multis poſt annis ſucceſſorem habuit Iacobum *Butlerum* Ormondiæ Comitem ab Henrico VI. euectum. Inde cùm Lancaſtrenſes iacerent ille proſcriptus, & hunc titulum *Ioannes Stafford* minor Humfredi Ducis Buckinghamiæ filius beneficio Edwardi IIII. accepit, cui ſucceſſit filius Edwardus ſine liberis defunctus. Eundem honorem poſtea contulit Henr. VIII. Henrico *Stafford* ex eadem Buckinghamienſi familia, quo aliquandiu illo gauiſus ſine prole diem obijt. Demùm eiuſdem Regis gratia in Bolleniorum familiam intulit, Thomam enim *Bollen* Vicecomitem *Rochfort*, natum ex altera hærede Thomæ *Butler* Comitis Ormondiæ, Wiltoniæ Comitem creauit. Cuius filia Anna a Rege in matrimonium aſſumpta, fato ſibi & fratri funeſto, parentibus acerbo, ſed Angliæ fauſto. Reginam enim Elizabetham principem optimam, ob rempublicam prudentiſſimè adminiſtratam, & ſuos virtutes ſupra ſexum heroicas illuſtriſſima laude celebrandam nobis peperit. Cæterùm cùm Thomas *Bollen* angore confectus ex infelici liberorum fato, ſine prole maſcula expiraſſet; iacuit hic titulus donec Edwardus VI. Guilielmo *Powlet* Domino *S. Iohn de Baſing* contulerit, quem mox Marchionem Wintoniæ, & ſummum Angliæ Quæſtorem conſtituit, in cuius familia etiamnum permanet.

Elizabetha Regina.

Vide Baſing in Hantſhire.

Parœcias 304. continet hic Comitatus.

HANTSHIRE.

HANTSHIRE.



Iltoniensibus proxima est, quæ quondam Saxonibus hanтeſcyҏ, nunc vulgo *Hamshire*, cuius partem mediterraneam ad Belgas, maritimam ad *Regnos* antiquum Britanniæ populum spectasse non est cur dubitemus. Ab occasu Dorsettiam, & Wiltoniam, ab Austro Oceanum, ab Ortu Sussexiam & Surreiam, & a Septentrione Bercheriam attingit. Prouinciola est frugum prouentu ferax, syluarum densitate alicubi amœna, pascuorum fœcunditate læta, & à maritimis commoditatibus fœlicissima; vtpote quæ crebris interscissa æstuarijs mercaturis faciendis admodum opportuna. In Romanorum potestatem cum primis redactam fuisse creditur, Historiæ enim nostræ produnt Vespasianum debellasse, & in hac re vt credamus ratio satis probabilis postulat. Dio enim testatur Plautium & Vespasianum, cum sub Claudio Britanniam aggrederetur, copijs in tres partes distributis, ne vno loco appellentes littore prohiberi possint, insulam petijsse: & ex Suetonio docemur Vespasianum in ea expeditione tricies cum hoste pugnasse, Vectam insulam, quæ huic agro obiacet, & duas validissimas gentes in deditionem redegisse. Ob quas Victorias, & Oceanum fœliciter permensum, ipsum Vespasianum, quasi Cæsare fœliciorem sic affatur Val. Flaccus, Vespasianum.

O tu pelagi cui maior aperti
Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos.

Et de ipso cecinit Apollonius Collatius Nouariensis.

Ille quidem nuper fœlici Marte Britannos
Fuderat.

Quomodo verò in hoc bello, Vespasianum à Britannis arctissimè obsessum Titus filius periculo exemit, quomodo item anguis innoxius ipsum tunc temporis complexus est, quod in Imperij omen arripuit, tibi dixerint Dio, & Forcatulus. Ego verò quod instituti mei est, ab Occidentali huius prouinciæ limine exorsus, primùm oram maritimam, & quæ effunduntur flumina, deinde interiora perambulabo.

Iuxta Occidentalem limitem alueum placidè agit *Auena*, & vbi primùm hunc agrum influit, Cerdici est vadum, olim *Cerdicks-ford*, postea *Cerdeford*, nunc contracto vocabulo *Chardford* a Cerdico bellicoso Saxone denominatum. Hic enim Cerdicus ille collatis cum Britannis signis ita eos fregit, vt non solum imperij sui fines protenderit, sed etiam facile bellum posteris tradiderit. Cùm antea anno Salutis DVIII. magna belli contentione *Natanleod* potentissimum Britannorum Regem, qui *Nazaleod* etiam alijs vocatur, cum magno Britannorum numero hoc tractu superauisset. E cuius etiam nomine regiunculam vsque ad hunc locum *Natanleod* appellatam fuisse in Anglo-Saxonum Annalibus legimus, quam curiosior inuestigaui, sed ne tenue eius nominis vestigium hactenus inueni, nec quis ille fuerit *Natanleod*, ariolari possum. Verùm illo eodem tempore Aurelium Ambrosium in hoc tractu, alternante fortuna prælia cum Saxonibus subinde conseruisse certissimum; cuius tamen Anglo-Saxonum illi Annales nusquam meminerunt qui, quod obseruaui, prœlia sibi secunda, nunquam aduersa propenso nimis in se ipsos studio, tantùm commemorarunt. Inde flumen delabitur per *Regnewood*, siue *Ringwood*, in libro Angliæ Censuali *Rincewed*. Quod REGNVM fuisse Regnorum opidum cuius meminit Antoninus cùm itineris ratio, tum nominis reliquiæ, & significatio fidem faciunt: *Ringwood* enim Saxonica adiectione, REGNORVM syluam significare videtur. Magni nominis olim fuisse, Centuria quæ adiacet inde nominata persuadet, nunc tantum rerum venalium foro est celebre. Hinc digressus *Auena* hospitio suo excipit *Stour* fl. a Durotrigibus descendentem, vbi ad confluentes intersidet emporiolum frequens, hodie ab æde Christo sacra *Christ-church*, olim quod inter amnes interpositum, *Twinamburne*, eodem plane sensu, quo Italiæ *Interamna*. Castello quondam firmatum, & antiqua Præbendariorum ecclesia ornatum, quæ Saxonico seculo constructa, a Radulpho *Flammard* Episcopo Dunelmensi (qui ibi Decanum egerat)

Auena fl. siue *Auena*
Cerdickes ford.
5 0 9 1.
Cerdici vadum.
Natanleod siue *Nazaleod.*
An *Natanleod* & Aurelius Ambrosius idem.
Regnum. Ringwood.
Christ church. *Twinham.*
Registrum monasterij.

HAMSHIRE
OLIM PARS BELGARVM

Market townes
Parishes & places of cure
Hamlets & villages
Chappells of ease
Houses of gentilitie
Ordinarie houses of name
Places ruinate and decaid
Castles
Old trenches and fortes
Monasticall places
Beacons or beaukens

HUNDREDES

Crondall hundred	1
Odiam	2
Alton	3
Sutton	4
Selborne	5
East Meane	6
Bartonstacie	7
Finchdeane	8
Bosmere	9
Portesdowne	10
Fareham	11
Alverstoke & Gosport	12
Tichfield	13
Mansbridge	14
Waltham	15
Meanstoke	16
Hambledon	17
Fawley	18
Buddlesgate	19
Kinges Somborne	20
Redbridge	21
Andover infra	22
Andover extra	23
Herriard	24
Evinger	25
Pastrow	26
Thorngate	27
Kinges Clere	28
Overton	29
Micheldever	30
Buntesbore	31
Mainsbore	32
Barmanspitt	33
Basingstoke extra	34
Chutely	35
Holdshott	36
Newforest	37
Christchurche	38
Ringwood	39
Fordingbridge	40





BARK
VINDONVM
S.HI
RE
PARTE
OF
SVR
REY
PARTE
OF
SVS
SEX
WINCHESTER
VENTA
ALRESFORD
ALTON
PETERSFEILD
CHYCHESTER
FAREHAM
BASINGSTOKE
WOLMER
FOREST
Forrest of Beare
THE MANHODE
The Hackett
PORTESMOVTH
PORTVS MAGNVS
PARS INSVLÆ VECTÆ
THE ILE OF WIGHT
Newporte
Jo: Norden descripsit. Whole sculp

gerat) regnante Guilielmo Rufo restaurata, & a Richardo de *Riparijs* Deuoniæ Comite, cui Rex Henricus Primus hunc locum in *feodum* contulit, magnis redditibus locupletata, ad Regis Hen. VIII. tempora, & summam illam monasteriorum horam fuit celeberrima. Sub hoc *Stourus*, & *Auena* vno coniuncti ostio in mare effunduntur, quod Ptolemæus ALAVNI fl. ostium dixit, & rectè quidem. Nam *Auenam* proprium fuisse huic nomen minimè mihi imperare possum vt credam, cum sit commune, & Britanni ea dictione omnia flumina designent. *Alaun* autem olim dictum existimarim, quòd eius nominis superstites sint reliquiæ in viculis assidentibus, vtpote in *Allinton*, *Allingham*, *&c.*

Alaunus fl.

Ad huius ripam Orientalem Guilielmus Normannus opidis, villis, & sacris ædibus longè latèque excisis, miserisque incolis eiectis, omnia per triginta plus minùs in ambitu milliaria, in ferarum lustra, & saltum redegit, quem nos *Newforest*, Angli illo seculo *Ytene* dixerunt. De quo Gualterus Mapæus qui illi æuo proximus. *Conquestor terram Deo & hominibus abstulit, vt eam dicaret feris, & canum lusibus, a qua triginta sex matrices ecclesias extirpauit, & populum earum delet exterminio.* Hoc autem fecit vel ad tutiorem accessum in Angliam Normannis suis præstandum (Normanniæ enim obiacet) si eum quasi bello perfunctum grauior in hac insula tempestas exciperet; vel ad voluptatem, quam ex venatione caperet, vel ad pecuniam sibi vndiquaque corradendam. Ille enim feris, quàm hominibus æquior, pecuniariam mulctam, eamque grauissimam, & supplicia alia grauiora constituit, si quis suas feras venaretur. Sed huic regis importuno facto diuina vindicta non diu defuit. Richardus enim filius eius secundo-genitus, & Guilielmus Rufus Rex Angliæ alter etiam filius in hoc saltu perierunt; hic sagitta à Gualtero *Tirell* fortuitò transfixus, ille pestilenti aura afflatus. Henricus item è Roberto filio natu maximo nepos, dum in hoc feras contentius insectaretur, ramusculis appensus animam efflauit, vt etiam nepotes parentum delicta luere doceamur. De hac *foresta* circumferuntur I. Whiti Episcopi Wintoniensis versiculi, quos, quamuis falsò Rufum regem instituisse innuant, cùm multis tamen placeant, mihi etiam hoc in loco subiungere non displiceat.

Newforest.

Eulogium.

Templa adimit diuis, fora ciuibus, arua colonis
Rufus, & instituit Beaulensi in rure forestam;
Rex ceruum insequitur, Regem vindicta, Tirellus
Non bene prouisum transfixit acumine ferri.

Beaulense Rus vocat, eò quòd in proximo Ioannes Rex Monasteriolum posuit, à bello situ *Beaulieu* dictum, quod ad patrum vsque memoriam celeberrimum: asylum vtique intemeratum, & tutus perfugis receptus, vnde homicidas quantumuis sceleratos, vel læsæ maiestatis reos abripere nefas, & piaculum nostri quondam existimarunt. Adeò vt maiores nostri, cum eiusmodi Asyla, siue *templa* (vt vocant) *misericordiæ*, passim per Angliam instituerint, Romulum sibi potiùs in exemplum proposuisse videantur, quàm Mosem, qui consulti homicidij reos ab altari auelli iussit, vt moriantur. Illisque tantùm asylum collocauit, qui fortuitum homicidium perpetrassent.

Beaulieu.
Asyla.

Exod. 21.
Iosephus lib. Antiq. 4.

Verùm ne tantus ad mare terrarum tractus, quantus hic saltus est, præsidio nudus, & hosti expositus iaceret, Henricus VIII. munitionibus armare cœpit. In lingula enim longiùs prominente, vnde breuissimus in Vectam insulam traiectus, *Hursi* castellum extruxit, quod mari circumquaque minatur. Magisque ad Ortum alterum etiam propugnaculum excitauit, *Calshot*, pro *Caldshore* vocant, vt Southantoniensis portus ingressum tueretur. Hic enim retractis magno recessu littoribus, & Vectæ insulæ obiectu portus fit egregius, quem Ptolemæus TRISANTONIS fl. ostium vocat, vt mea quidem fert opinio, pro *Traith Anton*, id est, *æstuarium Anton*. Eodem enim ferè nomine Ninnio antiquo authori *Trahannon ostium* appellatur. Flumen autem influens, quod hodie *Test*, superiori ætate, vt est in sanctorum vitis, *Tersstan*; atque olim *Ant* vel *Anton*, dictum fuisse *Antport*, *Andouer*, & *Hanton* opida quæ incumbunt, quodammodo loquuntur. Tantùm abest, vt ab Hammone Romano ibi interfecto dictum credam: quod tamen fabulatur Monumethensis, & Poeta eius assecla, qui de Hammone sic ludit.

Hurst-castle.
Caldshot castle
Trisantonis fl. ostium.

Ruit huc, illucque ruentem
Occupat Aruiragus, eiusque in margine ripæ

Amputat

Amputat ense caput, nomen tenet inde perempti
Hammonis Portus, longumque tenebit in æuum.

Cæterùm huic portui imponitur *South-hanton* vrbecula, in cuius proximo ad Ortum æstiuum, alia eodem nomine olim floruit, quæ CLAVSENTVM Antonini tam ex distantia hinc à *Regno*, quam inde à *Venta* videatur: vtque *Trisanton*, *Antonæ æstuarium*, sic *Clausentum Portum Entum* Britannicè significat, *Claudh* enim Britannis idem denotare accepi, quod χωστὸς λιμὴν Græcis, id est, portus effossa terra extructus. *Hanton* autem & *Henton* hunc locum dictum fuisse, non est cur quisquam dubitet, cùm in libro quo Angliæ lustrum condidit Guilielmus Primus, totus ager expressè *Hantscyre*, & *Hentscyre* alibi dicatur, & ipsum opidum ab australi situ *South-anton*. Cuiusmodi fuerit non facilè quis dixerit, sedem habuit eo loci, vbi campus est, quem nunc S. Martæ vocant, ad portum vsque pertigit, & alteram fluminis ripam occupasse videatur, nam paulò superiùs ex opposito ad *Bittern*, Franciscus *Mills* vir optimus qui illic habitat, mihi ostendit rudera, parietinas, & fossas antiqui castri quod in ambitu quingentos passus colligit, & accedente æstu tribus ex partibus aquis latè circumfunditur. Vetustatem verò ita probant antiqui Romanorum imperatorum nummi subinde effossi, vt si non fuerit castrum veteris Clausenti, facilè iudices ex illis munimentis fuisse, quæ Romani in littore Oceani ad meridianam plagam (vt habet Gildas) ad reprimendas pyraticas Saxonum deprædationes collocârunt. Cùm omnia Danicis bellis fracta, & debilitata, eorum etiam direptioni *Hantona vetus* anno Domini DCCCCLXXX. relicta fuit, & Guilielmi illius Primi temporibus, vt ex eius libro loquar, habuit Rex in eo tantum *octoginta homines in Dominio*. Sed ante ducentissimum annum, cùm Edwardus Tertius Rex Angliæ, & Philippus Valesius de summa Imperij Gallici decertarent, à Gallis incensa deflagrauit. E cuius statim cineribus, loco commodiore emicuit, quæ nunc cernitur vrbecula duobus fluminibus interposita, ædificiorum frequentia & elegantia celebris, ciuium fortunis, & mercatorum concursu opulenta, duplici fossa, mœnibus validis, crebris interpositis propugnaculis circumsepta, & ad portus tutelam castellum e quadrato saxo firmissimum aggesta in magnam altitudinem mole exurgit à Richardo Secundo constructum. Memorabile est illud potentissimi Canuti Regis Angliæ, & Daniæ factum, quo assentatorem, qui omnia ad regis vultum, & nutum conuerti asserebat, hoc in loco repressit. *Sedile suum*, inquit Huntingdonensis, *in littore maris cùm ascenderet, statui iussit. Dixit autem mari ascendenti, Tu meæ ditionis es, & terra in qua sedeo mea est, nec fuit qui impunè meo resisteret imperio. Impero igitur tibi ne in terram meam ascendas, nec vestes, nec membra dominatoris tui madefacias. Mare verò de more conscendens pedes Regis sine reuerentia madefecit. Ille igitur resiliens, ait. Sciant omnes habitantes orbem, vanam & friuolam regum esse potentiam, nec regis quempiam nomine dignum præter eum, cuius nutui cælum, terra, & mare legibus obediunt æternis: nec vnquam postea coronam sibi imposuit, &c.*

Fluminum illorum, quibus hæc vrbecula interponitur occidentale, nunc *Test*, olim vt opinamur *Anton*, e *Chute* saltu exoriens primùm *Andouer* adit, Saxonice Anꝺeapapan id est, *Andi traiectus*, vbi anno salutis DCCCLXXXXIII. Æthelredus Rex Angliæ, cùm Dani eius regnum vndique raptarent, vt fessas regiones tuta, & tranquilla pace tandem refoueret, Aulafum Danum in suam familiam adoptione, quæ tamen statim irrita, inseruit; nec enim tantus honor barbari animum à rapinis auocare poterat. Inde haud procul à *Whorwell* defluit vbi Ælfritha regina monasterium construxit, vt expiaret grauissimum illud scelus quo tollendo Edwardum Regem priuignum nefariè se astrinxit, & etiam cædem mariti sui prioris Athelwoldi Comitis nobilissimi elueret, quem Edgarus Rex huc venandi gratia euocatum transfixit, quòd sibi in amatorijs consilijs illusisset & hanc ipsam Ælfritham forma ante omnes eo sæculo venustissima malis artibus sibi præripuisset. Postea admisso amniculo a *Wallop* vel rectiùs *Well-hop*. i. si ex auita nostra lingua interpretemur, *Fonticulus in latere collis*, vnde insigni illi Equestri familiæ de *Wallop* qui iuxta habitat, nomen inditum; BRIGE, vel BRAGE, vetustum item opidum ab Antonino ad IX. à Sorbioduno lapidem collocatum Testus quærit, ad quam distantiam inter Sarisburiam, & Wintoniam *Broughton* viculum rusticum haud procul a sua ripa inuenit, qui si BRAGE non fuerit, tunc eradicatum credimus, cùm omnia hoc in loco complanaret Guilielmus Normannus, vt saltum, quem dixi, conficeret. *Rumsey* deinde,

Southanton. Clausentum.

Bittern.

Canuti χρεία.

Andouer.

Aulafus ab Ethelredo adoptatus.

Wallop.

Brige.

Rumsy.

Saxonice Rumſeȝ, ab Eadgaro Rege velatis virginibus, quarum templum adhuc ſupereſt, conſecratum inuiſit hic fluuius, & mox in portum Antonenſem fertur ad *Arundinis vadum*, quod Beda dixit, & *Redford* interpretatus eſt; nunc autem a ponte vbi vadum fuit, pro *Redford*, *Redbridge* dicitur, ad quod enaſcente Anglo-Saxonica Eccleſia monaſterium floruit, cuius Abbas Cymberth Aruandi Vectæ Reguli duos fratres puerulos ſalutari, vt author eſt Beda, baptiſmatis aqua perfudit carnificis manum iam iam ſubituros. Hi enim cùm Cedwalla Saxo Vectam inſulam oppugnaret, fuga ſibi conſulentes *Ad lapidem* opidulum delituerunt, donec proditi Cedwallæ iuſſu interficerentur. Quod fuerit hoc opidulum ad *Lapidem*, ſi fortè rogites, *Stoneham* dixero, proximum ſc. a *Redbridge*, viculum; quod pro me ipſa nominis ſignificatio facillimè probet. Alterum flumen quod ad Orientalem Southantonis partem effluit *Alre*, dictum videatur, *Alreſſord* enim .i. *Alrei vadum*, mercatorium opidum dicitur, ad eius ripam non ita procul à lacu è quo profluit. Hoc (vt Wintonienſis Regeſti antiqui verbis vtar) *Religioſus Rex Kinewaic à Birino Pontifice fidei Sacramentis imbutus in Christianæ religionis exordio* (hoc in tractu) *Wentanæ Dei Eccleſiæ magna animi largitus eſt deuotione.* Anno ſalutis MCCXX. Godfredus *Lucy* Epiſcopus Wintonienſis forum hic innouauit, appellauitque *Nouum forum*, fortaſſe ratione veteris *Alreſſord* quod adiacet. Hoc tamen nouum nomen apud populum penes quem vis eſt loquendi longè maxima non diu inualuit. Huic *Tichborn* finitimum eſt, nec ſilendum quòd claram & vetuſtam familiam ſuo nomine inſigniuerit.

Redbridge. Lib. Monaſt. Wauerleiæ. Tichborn.

Venta Belgarum. Wintcheſter.

Huius fluminis ripæ Occidentali imponitur clariſſima Britannicorum Belgarum ciuitas, Ptolemæo & Antonino VENTA BELGARVM, Britannis etiamnum *Caer Gwent*, Saxonibus olim Wintanceſter, vulgo Latinorum *Wintonia*, nobis hodie *Wintcheſter*. Non deſunt tamen, qui hanc Simenorum Ventam aſſerunt, Briſtoliamque Ventæ Belgarum nomine honeſtant; ſed nullos fuiſſe in hac inſula Simenos, cùm ad Icenos deuenero, docebo. Interea verò ſi opida Ventæ apud Antoninum adiacentia, vel vt formicæ ſemitas alibi quærant, quo coniecturam ſuam confirment, nihil quicquam inuenient.

Ventæ huius etymum alij à Vento, alij à Vino, alij à Wina Epiſcopo petunt, qui omnes Bonæ menti litarent. Potior mihi videtur Lelandi noſtri opinio, qui à *Guin*, ſiue *Guen* Britannorum, .i. *albo* deduxit, ita vt *Caer Guin*, Albam vrbem ſignificet. Et quî non? cùm ab albedine priſci Latini *Albam Longam*, & *Albam Regiam* ciuitates denominàrint, Græci itidem *Leucam*, *Leucada*, & alia ab albedine loca nominata habuerint. Hæc etenim Venta, vti & aliæ duæ eiuſdem cognominis, VENTA SILVRVM, & VENTA ICENORVM, in ſolo ex creta, & argilla albicanti collocatur.

Cynegium Rom. Imp. in Britannia. Gynæcium.

Vrbs proculdubio Romanis ſeculis inſignis, vtpote in qua textrina ſua ſacra Imperatores Romani habuiſſe videntur, cum inter Britanniæ VENTAS facilè fuerit primaria, & Italiæ proxima. In Notitiarum enim libro, Procurator Cynegij in Britannis VENTENSIS, ſiue BENTENSIS memoratur, vbi Iuriſconſultorum flos vnicus Iacobus Cuiacius Gynæcij legit; & ſacrum textrinum in ſuis ad Cod. Paratitlis interpretatur. Iuxtaq; ſentit Guidus Pancirolus, ſcribitque illa Gynæcia conſtituta fuiſſe *texendis principus militumque veſtibus, nautum velis, ſtragulis linteis, & alys ad inſtruendas manſiones neceſſarijs.* Procuratorem tamen illum canes Imperatoribus hic curâſſe exiſtimauit Wolphgangus Lazius. Et canes ſanè noſtri primas inter Europæos omnes ferunt: vſque adeò, vt Strabone teſte, noſtri Canes milites eſſent, priſcique Galli etiam in bello vterentur, & Amphitheatralibus illis, aliiſque Romanorum venationibus expeterentur. Erant enim (authore Strabone) εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγίας. id eſt, *ad venationem naturali præſtantes facultate.* Vnde Nemeſianus:

Canes Britannici.

diuiſa Britannia mittit
Veloces, noſtrique orbis venatibus aptos.

Gratius etiam de illorum pretio, & præſtantia.

Quod freta ſi Morinum dubio refluentia ponto
Veneris, atque ipſos libeat penetrare Britannos,
O quanta eſt merces, & quantum impendia ſuprata.

A Gaſe-hound. Agaſæus canis Britannicus.

Ipſum quoque Agaſæum noſtrum, quem etiamnum *A Gaſe hound* vocamus, norunt, & in precio habuerunt antiqui illi Græci. Quod Oppianus in primo Cynegeticorum tibi dicet.

Ἔςι δέ τι σκυλάκων γένος ἄλκιμον ἰχνευτήρων,
Βαιὸν, ἀτὰρ μεγάλης ἀντάξιον ἔμμεν ἀοιδῆς.
Τὰς τρέφει ἄγρια φῦλα Βρετανῶν αἰολονώτων,
Αὐτὰρ ἐπικλήδην σφᾶς Ἀγασαίους ὀνόμηναν.
Τῶν ἤτοι μέγεθος μὲν ὁμοίιον οὐτιδανοῖσι
Λίχνοις οἰκιδίοισι τραπεζήεσσι κυνέσσι.

Quæ sic Latinè conuertit Bodinus.

Est etiam catuli species indagine clara,
Corpus huic breue, magnifico sed corpore digna,
Picta Britannorum gens illos effera bello
Nutrit, Agasaeosq́; vocat, vilißima forma
Corporis, vt credas parasitos esse latrantes.

Claudianus etiam de canibus nostris villaticis.

Magnaq́; taurorum fracturi colla Britanni.

Sed hæc parerga sunto. Mastiues.

In hac vrbe, vt historici nostri produnt, Romanis temporibus Constans ille Monachus fuit, quem primò Cæsarem, & posteà Augustum designauit pater Constantinus, qui contra Honorium spe nominis purpuram induerat. *Iampridem enim*, vt habet Zosimus, de illo tempore loquens, *tam vrbibus, quàm vicis populosa collegia habuerunt monachi*, qui priùs lucifugi sparsim per montes syluas & saltus solitarij egerunt, vnde & nominati. Huius autem Collegij parietinæ illæ antiquæ quæ tanta crassitie & firmitate ad portam occiduam Cathedralis ecclesiæ cernuntur, reliquiæ esse videantur. Verùm Cæsareus iste Monachus hinc eductus paternę ambitionis, & spretæ religionis citò pœnas morte dependit. Saxonica Heptarchia, licèt semel atque iterum cladibus afflicta, reuixit tamen, Occidentaliumque Saxonum Regia fuit, magnificis templis, episcopalique sede exculta, & sex officinis monetarijs ab Athelstano Rege instructa. Normannicis etiam temporibus inclaruit, Archiuumque, siue publicorum monumentorum receptaculum hìc constitutum. Diuque floruit, nisi quòd vno & altero incendio fortuitò deformata, & militari insolentia, intestino bello inter Stephanum, & Matildem de imperio Anglico direpta. Vnde Nechamus noster, qui illa ætate floruit.

Constans è Monacho Cæsar.

Monasteria in vrbibus.

Guintoniam titulis claram, gazisque repletam
Nouerunt veterum tempora prisca patrum.
Sed tam sacra fames auri, iam cætus habendi,
Vrbibus egregijs parcere nescit amor.

Hæc tamen solatus est damna Edwardus III. cùm pannorum, & lanarum emporium, quod vulgò *the Staple* vocamus, in hâc constituerit. Quæ vrbis fuerit his superioribus annis facies non facilè quis dixerit, Quam, vt ille habet Nechamus, The Staple.

flammis toties gens aliena dedit.
Hinc facies vrbis toties mutata, dolorem
Prætendit, casus nuntia vera sui.

Nostra ætate satis est frequens, fluminis diuortijs irrigua, ab ortu in occasum porrectior, mille quingentos plùs minùs passus ambitu intra mœnia colligit, quæ sex portis patent, longioribus ad vnamquamque procurrentibus suburbijs. Ad occiduæ portæ australem partem castrum eminet vetustum, sæpius obsidione cinctum, sed tùm grauissimè, cùm Matildis Augusta contra Stephanum regem propugnaret, & demùm, diuulgato se diem obijsse, loculo, quasi mortua, elata hostes eluderet. De mensa illa circulari, siue orbiculari muro, hìc appensa, quam vulgus hominum tanquam Arthurianam mensam suspicit, nihil est quod dicam, nisi recentioris esse ætatis vt intuenti facilè appareat. Superioribus enim sæculis, cum virtutis bellicæ exercendæ gratia, militares decursiones (*Torneamenta* vocant) frequenter haberentur; huiusmodi mensis vsi erant, ne quod discrimen inter nobiles ex ambitione existeret: & veteri sanè, vt videtur, instituto. Gallos enim antiquos circularibus mensis circumsedisse, Armigerosque eorum scuta ferentes à tergo adstitisse, memorat Athenæus. In media ferè vrbe, sed magis ad Austrum, Kenelwalchius Occidentalium Saxonum Rex, post dirutum illud Monachorum Romano sæculo collegium, *Primum*, vt inquit Malmesb. *Deo templum posuit, per id temporis pulcherrimum,*

Tabula rotunda.

Torneamenta.

Lib. 4. Deipnosophist.

quo loco posteritas in sede episcopali fundanda, etsi angustiori primo, per eadem tamen cucurrit vestigia. Huic sedi iam inde a Wina, quem Kenelwalchius ille primum instituit Episcopum, præfuerunt Episcopi non minùs opulentia, & honore quàm sanctimonia clari, Archiepiscopi scilicet Cantuariensis peculiari quadam prærogatiua Cancellarij, & Georgianis Equitibus iam diu à sacris, qui subinde magnis impensis hoc templum instaurarunt, scilicet *Edington* & *Walkelin*; sed præcipuè *Wickhamus* qui occiduam ecclesiæ partem à choro, nouo & eleganti sanè opere immenso sumptu extruxit, in cuius medio ipsius inter duas columnas cernitur sepulchrum. Nouisque subinde patronis præsules consecrarunt, Amphibalo, Petro, Suithino, & demum S. Trinitati, quo nomine nunc innotescit. Saxonibus etiam, quibus summo in honore erat ob quorundam Regum sepulturam, quorum ossa collegit Richardus *Fox* Episcopus & cistulis inauratis in summitate parietis qui superiorem chori partem præcingit, cum suis inscriptionibus disposuit. Ealden Mynstre, id est, *Vetus monasterium*, hoc olim dictum erat, ratione alterius recentioris Newan Mynstre, id est, *Nouum monasterium.* Quod Ælfredus fundauit, *& ad construendum eiusdem officinas mercatus ab Episcopo terræ spatium, ad vnum quemque pedem marcam pondere publico pensitauit*, Hoc verò vti illud vetustius coniugatis presbyteris positum erat, qui postea miraculo Crucis loquentis, & eorum institutum improbantis, à Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi exturbati, & in eorum locum Monachi substituti. Hæc monasteria contiguis parietibus ita vicina erant, vt voces canentium in altero alijs obstreperent, vnde cùm simultates monachi inuicem exercerent, quæ posteà in inimicitias proruperunt; & aquarum magna vis collecta ab Occidentali porta per deuexos vicos defluens ad nouum hoc Monasterium stagnaret, aeremque insalubrem exhalaret post ducentesimum ab ipso conditum annum, templum in Septentrionale vrbis suburbium, quod *Hide* dicunt, translatum erat. Vbi Henrico Primo permittente, monasterium amplissimum & pulcherrimum construxerunt monachi, quod paucis interiectis annis, dolo Henrici Blesensis Episcopi Wintoniensis (vt priuata loci huius historiola testatur) miserè deflagrauit. Quo incendio crux, Danici Canuti donarium, in quod, (vt schidę habent antiquę) totius Anglię annuum reditum contulerat, absumpta fuit, Monasterium nihilominus resuscitatum in miram amplitudinem, vt ipsę ruinę iam loquuntur, ad funestam vsque monachorum periodum sensim excreuit. Tunc enim hoc demolitum, & in illud alterum S Trinitatis, quod Cathedralis est Ecclesia, exturbatis monachis, Decanus, & Præbendarij duodecim sunt inducti. Ad Ecclesiæ Cathedralis orientalem partem Episcoporum Palatium amplissimum, *Woluesey* dictum, crebris turribus incinctum, riuuloque fere circumfusum, ad mœnia pertingit, & in Australi suburbio Collegium elegans e regione prospectat, quod Guilielmus *Wickham* huius sedis Episcopus, maximus inter Anglos bonarum literarum pater & patronus, cuius laus omni seculorum memoria literarum monumentis inueterascet, in scholam construxit, & dicauit, e qua fœlicissimus est doctissimorum in Rempub. & ecclesiam prouentus. In hoc enim *Guardianus*, Socij x. scholarchæ duo, & Scholastici 70. alijque nonnulli honestissimè aluntur. Alia etiam eximia erant in hac vrbe ædificia, (fuerunt enim plurima religioni consecrata) quæ cùm tempus expugnârit, memorare non libet, Parthenonem tamen illam, siue virginum Monasterium quod Ælswida Ælfredi Regis vxor posuit, præterire nolo, cùm longe celeberrimum fuerit, vt reliquiæ iam ostendunt, & ex hoc Matildem Malcolmi Scotorum regis filiam sibi in vxorem acceperit Henricus Primus, per quam veterum Anglorum stirps regia Normannicæ coaluit, & ille à populo Anglico plurimum gratiæ iniuit. Illa enim Regis Edmundi *Ferrei lateris* ex filio Edwardo *Exule* proneptis: mulier cùm cæteris virtutibus, quæ quidem dignæ regina essent, ornata omnibus; tùm verę pietatis incredibili studio flagrans. Vnde in eius laudem vetus est Tetrastichon.

Episcopi Wintoniens.

Guil. Malmes.

Hide Abbatia.

Collegium Wichamicum.

Gul. Wickhamus.

S. Mariæ Abbay.

Matildi vxor Henr. primi.

Prospera non lætam fecere, nec aspera tristem,
Aspera risus ei, prospera terror erant.
Non decor effecit fragilem, non sceptra superbam;
Sola potens humilis, sola pudica decens.

De Guidone Warwicensi fabellis decantato, qui singulari certamine Colbrandum illum

lum Danicum Typhoëum hîc deuicit, de Waltheofo Huntingdoniæ Comite hîc capite truncato, vbi posteà Capella fuit S. Egidij, & egregio illo Sanctæ Crucis Hospitali adiuncto, ab Henrico Blesensi Regis Stephani fratre, huius vrbis Episcopo fundato & Henrico de *Beaufort* Cardinale adaucto, non est cur aliquid dicam, cùm ex historijs sint omnibus peruulgatissima.

Quòd ad Wintoniæ Comites spectat, vt taceam Clitonem Saxonem a Normannis auito honore exturbatum, Ioannes Rex Saërum *Quincy* Wintoniæ Comitem dixit, qui vsus est pro insignibus baltheo militari, *Fesse* vocant, cùm * lemnisco septemplici vt in sigillo vidimus. Illi successit Rogerus filius qui septem * Rhombos aureos rubro in scuto gestauit. Sed in illo honor euanuit cum sine liberis masculis diem obijsset. Duxit enim filiam natu maximam Alani Domini Gallouidiæ in Scotia ex vxore priore, & alteram hæredum, cuius iure fuit Constabularius Scotiæ. Sed ex illa tres tantùm filiæ natæ; prima Guilielmo de *Ferrarijs* Comiti Derbiæ, altera *Alano* de *La Zouch*, tertia Cominio Buchaniæ in Scotia Comiti enupta. Longo inde tempore interlabente, Hugo *Le Despencer* eo titulo a Rege Edwardo Secundo tantùm ad vitam donatus, & ab eo vnicè dilectus, serò cum filio sensit qualia sint præmia regiæ gratiæ: vterque enim a populo furente morte atrocissima mulctatus. Satis longo deinde interuallo Edwardi IIII. beneficentia Ludouicus Brugensis Belga Baro de *Gruthuse* & Princeps *Steinhusij*, qui eum patria profugum in Belgio fouerat, hunc titulum cum insignibus Rogeri *Quincy* non dissimilibus, accepit, quem, defuncto Edwardo, Henrico VII. in manus reddidit. Nostra verò memoria Guilielmum *Powlett*, Angliæ Thesaurarium nouo Marchio-Wintoniæ titulo honorauit Edwardus Sextus, quo etiam eius posteri nunc fruuntur. Ventæ huius longitudinem part. XXII. Latitudinem 51. grad. esse superioris ætatis obseruationes docuerunt.

Comites Wintoniæ.
Insignia Quinciorum.
* A [illegible] of 7.
* Mascles voided.

A Venta magis ad Ortum, *Hamble* fluuius vasto ore in Oceanum profunditur, *Homelea* Bedæ dicitur, qui, vt habet ille, per terras Iutarum *Solente* intrat, sic enim illi vocatur fretum, quod Vectam insulam, & Britanniam interluit, in quo statis horis æstus reciprocatio vtrinque ex Oceano magna violentia irrumpens, & occursans, tantam admirationem antiquis illis fecit, vt in miraculorum Britanniæ numerum retulerint. De quo en tibi ipsa Bedæ verba. *Bini æstus Oceani, qui circum Britanniam ex infinito Oceano Septentrionali erumpunt, sibimet inuicem quotidie compugnantes occurrunt, vltra ostium fluminis Homeleæ, finitoque conflictu in Oceanum refusi vnde venerant, redeunt.* In hoc fretum etiam euoluitur fluuiolus qui prope *Warnford* ortus transit inter *Forrestas* de *Waltham*, vbi ædes sunt amplæ Episcopi Wintoniensis, & de *Bere*, per *Tichfeld* quondam Monasteriolum a Petro de *Rupibus* Episcopo Wintoniensi positum, nunc primariam sedem VVriotheosleorũ Southantoniæ Comitum. Inde flexuoso anfractu statim retrahitur littus, sinumque insula quę *Portsey* dicitur, efficit, in cuius interiori recessu floruit olim *Port-Peris*, ad quem Vespasianum appulisse produnt, maiores nostri nouo nomine *Portchester* dixerunt, non a Porta Saxone, sed a portu: Ptolemæo enim Μέγας λιμὴν, id est, PORTVS MAGNVS, vocatur, a spacio, vti etiam ille *Portus magnus* in Africa, teste Plinio. Castrumque sane amplum superest quod in subiectum portum longè lateque prospectat. Cùm autem portus commoditatem Oceanus recedendo paulatim subtraheret, hinc demigratum est in *Portsey* insulam adiunctam. Quæ 14. plus minùs milliaria ambitu colligit, salsis aquis intumescente æstu circumflua, ex quibus salem coquunt, & ponte qui suum propugnaculum adiunctum habuit, continenti coniuncta. Hanc Athelfleda Eadgari Regis vxor *Nouo monasterio* Wintoniæ dederat: & in ea ad ingredientis sinus fauces, siue ostium opidum maiores posuerunt, indeque *Portsmouth* dixerunt, id est, *Portus ostium.* In ardescente bello frequens est, alias infrequens, Martique potius & Neptuno quam Mercurio studet. Ecclesiam habet opere satis vetusto, & Hospitale (*Dei domum* vocant) a Petro de *Rupibus* Wintoniensi Episcopo fundatum. Muro ex trabibus multo aggere vestitis, mole quondam ad Ortum æstiuum prope portam & duobus ad portus ingressum è viuo saxo propugnaculis communitum, quæ ab Edwardo Quarto inchoata, Henricum Septimum perfecisse, præsidioque opidum firmâsse referunt incolæ. Sed nostra memoria ELIZABETHA Regina magnis sumptibus nouis operibus ita quasi armauit, vt iam nihil desit quod in loco munitissimo requiras. Et ex præsidiarijs alij nocte

Humble.
Solente.
Tichfield.
Portsey.
Portus Magnus.
Portesmouth.

dieque ad portas, alii in turre sacra stationes agunt qui pulsu campanæ quot equites & pedites accedunt, & ex qua parte ostenso vexillo significant.

Meanuari.

Hinc a *Portes-bridge* circumacto littore vidimus *Hauant* mercatorium opidulum, & in proximo *Warblington* speciosas ædes olim Sarisburiæ Comitum, nunc equestris familiæ Cottonorum. Quibus præiacent duæ insulæ, altera maior *Haling* dicta, altera minor *Thorney*, a spinis, & vtraque suam habet Ecclesiam parochialem. Pluribus per hoc littus locis, ex marinis aquis affusis sal conficitur colore subpallido & viridi quem certo artificio in candidissimum excoquunt, Et de hoc marino sale non de nostro fontano, intelligendus est S. Ambrosius. *Spectemus ea quæ sunt vsitata multis, & plena gratiæ, quomodo aqua in salis vertatur soliditatem vt ferro sæpe cadatur. Quod de Britannicis salibus nihil mirum, qui in speciem marmoris validi eiusdem metalli niueo candore resplendunt salubres corpori &c.*

Sal Britannicus.
Hexameron. lib. 5. cap. xi.

Interius a mari MEANVARI incolunt, quorum agrum cum Vecta insula Ediluualchius Australium Saxonum Rex ab Wlphero Merciorum Rege qui illum è sacro baptismatis fonte susceperit, in signum adoptionis accepit. Horum sedes nomine vix immutato, hodie in tres Centurias diuisa, *Meansborow*, *Eastmean*, *Westmean*, inter quas collis æditus attollitur, amplo vallo in summitate circumductus, *Old Winchester* dictus, ad quem vrbem antiquitus fuisse perhibetur, sed nec vola, nec vestigium, vt aiunt. iam superest, vt tantùm castra æstiua fuisse facilè dijudices. Sub hoc *Warnford* subsidet, vbi Adam de *Portu* vir magnarum in hoc tractu opum Gulielmo Primo regnante, Ecclesiam renouauit, vt incultum Distichon parieti infixum docet.

Beda lib. 4. cap. 13.
Warnford.
Adam de Portu benedicat Solis ab Ortu Gens Dei dicata, per quem sic sum renouata.

Segontiaci.

His finitimi in interioribus SEGONTIACI illi, qui se Cęsari dediderunt, ad Septentrionalem huius agri limitem in Centuria de *Holeshot* consederunt: in qua cernuntur *Aulton* forum, quod Ælfredus Rex custodi de *Leodre* testamento legauit, & *Basingstoke* forum non infrequens quod Sacellum perpulchrum ostendit Spiritui Sancto sacratum à Guilielmo primo Barone *Sandes* qui ibidem sepultus. In cuius laquearibus historia sacra cum Prophetarum, Apostolorum, & Discipulorum Christi iconibus præcellenti artificio depicta spectatur. Sub hoc, *Basing* ad Ortum adiacet Dominis sui cognomine *S. Iohn*, *Poinings*, & *Powletts* notissima. Cùm enim Adam de *Portu* Dominus de *Basing* filiam & hæredem Rogeri de *Aureuall*, cuius vxor filia itidem & hæres fuit familiæ prænobilis de *S. Ioanne*, sibi iunxisset, Guilielmus eius filius honoris causâ nomen *S. Ioannis* assumpsit, quique illi recta serie successerunt, retinuerunt. Verum cùm Edmundus de *S. Ioanne* sine prole tempore Edwardi Tertij diem clausisset, Margareta eius soror maritum suum Ioannem de *Sancto Philiberto* possessionibus Domini *S. Ioannis* locupletauit: illa autem sine sobole defuncta, Isabella altera soror Lucę *Poinings* vxor Thomam Dominum de *Basing* peperit, cuius e filio Hugone neptis Constantia, cui pro hæreditaria portione hoc obtigit, enupta fuit in familiam Powlettorum, proauiaque fuit Guilielmi illius *Powlet*, qui Baro *Sainct. Iohn de Basing* ab Henrico Octauo, Comes Wiltoniæ, Marchioque Wintoniæ ab Edwardo Sexto creatus, Angliæque summus Thesaurarius constitutus, maximis turbulento tempore decursis honoribus, naturam satietate viuendi, rara inter aulicos fœlicitate, expleuit, cùm ędes hîc tùm amplitudine tùm elegantia ad miraculum magnificentissimas extruxisset, quę ita mole laborarunt sua, vt posteri partem nonnullam demoliri fuerint.

Basingstok.
Basing.
S. Iohn.
Ex Missali vetusto huius familiæ.
Powlett.
Vixit annos 97.

Prope has *The Vine* visitur, Baronum de *Sandes* mansio nitidissima, a vitibus denominata, quas in Britannia ex Probi Imperatoris tempore vmbraculi magis, quàm fructus gratia habuimus. Britannis enim & alijs permisit ille vt vites haberent. Horum Baronum Primus erat Guilielmus *Sandes* quem Rex Henricus VIII. eò dignitatis euexit, cùm sibi esset Camerarius, & rem nuptijs cum Margeria *Bray* filia & hęrede Ioannis *Bray*, cognata Reginaldi *Bray* ordinis Georgiani, Banerettiq; clarissimi adauxisset, ex quo natus est Thomas Dominus *Sandes*, auus Guilielmi qui nunc superstes. Huic in Ortum brumalem vicina est *Odiam* regijs nunc ędibus superba, & Dauidis II. Scotorum Regis carcere nota, quondam Episcopi Wintoniensis municipium, cuius propugnaculum, regnante Ioanne, tredecim Angli quindecim diebus fortissimè contra Ludouicum Francum, qui circumfuso exercitu acriter inuasit, defenderunt.

Vites in Britannia.
Vopiscus.
Barones de Sandes.
Odiam.
Matthæus Paris.

Superiùs inter hos Segontiacos ad septentrionalem agri limitem, locum habuit olim

Segontiacorum

Segontiacorum ciuitas VINDONVM, quæ suo nomine exuto, gentis induit, vt Lutetia Parisiorum suorum nomen sibi assumpsit. *Caer Segonte* enim à Britannis vocabatur, id est, *Segontiacorum ciuitas*, sic enim Ninnius in vrbium Catalogo dixit, nos hodie *Silcester* vocitamus, Higdenus a Britannis *Britenden* nominare videtur. *Vindonum* vt hanc appellem, distantiæ Vindoni à *Gallena* siue *Guallenford*, & a Venta, apud Antoninum persuaserunt, eoque magis quòd inter hanc Vindonum, & Ventam, via Militaris etiamnum visitur. Hanc a Constantio Constantini Maximi filio extructam memorat Ninnius, & *Murimintum* aliquando dictam, fortasse pro *Muri-vindun*, id est, *Vindoni muri*. *Mure* enim ex lingua prouinciali Britanni retinuerunt, & V consonans sæpe illis cum M in orationis contextu commutatur. *Eiusque pauimento* (Ninnij verbis loquor) *tria semina seminauit Constantius, ne vllus pauper in ea maneret vnquam.* Quemadmodum Dinocrates, cum Alexandria Ægypti conderetur, omnes, vt habet Marcellinus, ambitus lineales farina respersit, quod vrbem illam alimentorum vberi copia abundaturam fortuito monstrauit indicio. Constantium etiam hîc diem obijsse refert ille, & sepulchrum eius ad portam, vti inscriptio docuit, monstrari. In his suam fidem liberet Ninnius, qui libellum illum mendaciunculis refersit plurimis. Hoc autem asseuerare ausim, eo tempore, summo in honore floruisse, & ego ipse in plurimos ibidem Constantini Iunioris Maximi illius filij nummos incidi, qui in auersa parte ædificium cum Epigraphe PROVIDENTIAE CAESS. habent. Constantium autem quem vrbis huius conditorem facit, Mopsuestiæ in Cilicia defunctum, & maiorum sepulchro Constantinopoli illatum in confesso est. Cœnotaphium verò, siue tumulum honorarium illi hîc extitisse non denegauerim: multis huiusmodi tumuli positi fuerint, circa quos milites quotannis solemni ritu in defuncti honorem decurrere solebant.

Vindonum. Silcester. Tumuli honorarij.

Cum res Romana iam in occasum diuergeret, & barbaræ gentes vndique prouincias diriperent, Britannici exercitus veriti ne vicini incendij flamma eos etiam inuolueret, Augustos sibi leuarunt, primò Marcum, deinde Gratianum, quos statim peremerunt, & postremo anno a Christo nato 407. Constantinum quendam spe nominis in hac ciuitate *Caer Segont* (vt Ninnius & Geruasius Dorobornensis testantur) velit nolit, purpura induerunt. Hic è Britannia soluens Bononiam Galliæ appulit, omnesque Romanorum exercitus ad Alpes vsque in belli societatem pellexit. Valentiam Galliæ strenuè contra Honorij Augusti copias propugnauit, Rhenum iampridem neglectum præsidio muniuit. Ad Alpes, qua via patuit, munimenta construxit. In Hispania auspicijs Constantis filij, quem ex Monacho Augustum declararat, res fœliciter gessit, literisq; postea ad Honorium datis, culpam deprecatus, quod sibi purpuram vi a militibus inijci passus fuerit, ab eo Imperatoriam vestem dono accepit. Vnde elatior, Alpibus superatis Romam cogitat, sed accepta Alarichi Gothi morte, qui suis partibus studuerat, Arelatem recessit, vbi imperij sedem fixit, *Constantinamque vrbem* vocari, & in ea septem Prouinciarum conuentus agi iussit. Interim Gerontius, milites in Dominum concitauit, cumq; Constantem filium Viennæ Galliç perfidè sustulisset, Constantinum ipsum Arelati obsidione incinxit, ad quem oppugnandum, cùm Constantius quidam ab Honorio missus infesto agmine properaret, Gerontius sibi vim attulit. Constantinus grauissima obsidione pressus, & infœlici suorum pugna animum despondens, deposita purpura, & fortunæ suæ mole, Ecclesiam ingressus, Presbyteri suscepit dignitatem, statimq; Arelate dedita, in Italiam ductus, capite plectitur cum Iuliano filio quem *Nobilissimum* dixit, & Sebastiano fratre. Hæc quæ antea fusiùs, summatim ex Zosimo, Zosomeno, Nicephoro, Orosio, Olympiodoro, vt veritas contra illorum vanitatem triumphet, qui hanc historiam mendaciis è suo ingenio adsperserunt ridiculis, & vanissimis.


Constantinus Aug. qui spe nominis electus. Iulianus Nobilissimus.

Hac etiam vrbe Arthurum nostrum bellicosum inauguratum produnt historici nostri, nec multò post diruta concidit, vel Saxonum bellis, vel cùm Adelwolfus infenso in Edwardum Regem fratrem animo, prædatorijs Danorum globis adiutus hanc regionem ad *Basingstoke* vsque depopularetur. Nihil iam superest præter mœnia, quæ pinnis, & loricis nudata, magnæ altitudinis fuisse videntur. Ita enim ex ruderibus accreuit terra vt per angiportum, quem *Onions Hole* vocant, vix me prono corpore transmitterem. Mœnia hæc quodammodo integra permanent, nisi illis locis perrupta, vbi portæ fuerint, & ex ipsis mœnibus enatæ sunt tantæ magnitudinis quercus, & quasi saxis congenitæ, tam

vasto

vasto radicum complexu, & tam diffusa ramorum dispersione, vt intuentibus vel admirationem commoueant. Ambitu colligunt duo plùs minus Itallica milliaria, vnde ex magnitudine *Selcester* Saxones forsitan dixerunt, quasi vrbem magnam. *Sel* enim magnum illis sonuisse videatur, cùm Asserius Saxonicam dictionem *Selwood*, syluam magnam sit interpretatus, præiacetque mœnibus ad occasum quà planities, longo tractu agger in munimen eductus. Includit LXXX. quasi terræ iugera, quæ subactum & purum solum in arua sunt diuisa, cum nemusculo ad occasum, ad ortum verò iuxta portam, prædium est, & Ecclesiola recentior, in qua dum antiquas inscriptiones perscrutarer, nihil offendi, nisi in fenestris quædam insignia, videlicet in scuto nigro *Fusos* septem in *Benda* argenteos, in parma item nigra duos *Cheuernos* (quos vocant) aureos cum areola item aurea interposita, & in clypeo aureo rubri coloris aquilam bicipitem expansam. Hanc *Blewettorum* esse accepi, quibus post Guilielmi Magni tempora hæc terra obuenit, istam verò nobilis familiæ *Bainard* de *Leckham*, illam autem primam *Cusantiorum*, per quos à *Blewettis* ad *Bainardos* hæreditariò descendit. Sed Guilielmo Primo regnante, fuit possessio Guil. de *Ow* Normanni, qui in crimen læsæ maiestatis vocatus, dum duello innocentiam tueri velit, victus oculis erutis, & testiculis exsectis, Rege Guil. Rufo iubente, fuit mulctatus. Hoc diuturna obseruatione esse exploratum retulerunt mihi huius loci incolæ, etsi solum satis fertile, & fœcundum sit, quibusdam tamen locis quasi areolis, quæ se intersecant, non perinde lætè fruges prouenire, sed multò quam alibi tariùs: per quas, vrbis olim plateas duxisse opinantur illi. Eruuntur hic quotidie lateres, quos Britannicos vocamus, & Romanorum numismatum vis ingens, *Onions Pennies* appellitant, id est, *Onioni denarij*, quem Gigantem fuisse, & hanc vrbem incoluisse somniant. Inscriptiones etiam sępius effodiuntur, quas tamen nobis inuidet rusticorum imperitia. Vna tantùm ondinum hinc translata in hortis Cecilianis honoratissimi Domini Guilielmi Cecilij Baronis de *Burghley*, & summi Angliæ Questoris extitit, videlicet

Sel quid. *Insignia Blewettorum, Bainardorum & Cusantiorum.*


MEMORIÆ
FL. VICTORI-
NÆ. T. TAM:
VICTOR CONIVX
POSVIT.

Quòd hic tumulus positus sit Victorinæ, quæ *Mater castrorum* dicta fuit, quæque contra Gallienum Augustum Victorinos filium & nepotem, Posthumum, Lollianum, Marium, & Tetricum Cæsares in Gallia & Britannia excitauit, ego cum alijs non dixerim. Duos autem Victores in Britannia nostra, aliquo loco fuisse legi, eosque vno eodemque tempore: alterum Maximi Aug. filium, alterum verò eiusdem Maximi Prætorio Præfectum, cuius Diuus Ambrosius in epistolis meminit, sed neutrum horum hoc monumentum vxori posuisse affirmare ausim.

Vt via militaris Romanorum hinc ad Austrum Wintoniam rectà duxit, ita altera in Occasum per *Pamber* saltum arboribus satis condensum, & per loca iam auia iuxta *Litchfield*. i. *Cadauerum campus*, ad *Forrestam de Chute* vmbrosa opacitate, & copiosa venatione gratam procurrit, in qua conspicuum eius aggerem, sed subinde interruptum, lapidibus constratum demirantur venatores, & ipsi Forrestarij.

Kings-Clere. *Sidmanton.* Magis ad Septentriones in ipso fere huius Comitatis limite vidimus *Kings-Cleare* mercatum nunc satis frequentem, olim Saxonicorum Regum sedem, *Sidmanton* Equestris familiæ Kingsmillorum habitationem, & *Burgh-Cleare* colli ædito subiectum in cuius summitate vallum millitare (cuiusmodi nostri *Burgh* vocitarunt). fossa magno ambitu circumducitur, vnde cum in subiectas regiones longè hinc inde pateat prospectus, specula constituitur, vt accenso igne hostium aduentus circumuicinis indicetur. Huius generis speculas nostro sermone *Beacons* ab antiquo verbo Beacnian .i. *signo indicare*, vocamus: multisque iam seculis in creberrimo vsu fuerunt apud nos, alibi strue lignorum, alibi doliolis pice repletis & malo affixis, in locis æditissimis, ad quas noctu aliqui semper

Beacons.

per

per excubant, olimque equites plurimis locis dispositi erant quas *Hobelers* maiores dixerunt. qui interdiu hostium accessum significarent.

Hic ager, vti etiam cæteri quos hactenus percurrimus, ad Occidentalium Saxonum reges spectauit, cùmque Sigebertum ob tyrannidem, & prouinciam malè habitam regno exuissent, illi, vt author est Marianus, ne omninò priuatus videretur, assignatus erat. Quem tamen postea ob admissa scelera itidem expulerunt, tantumque abfuit, hanc afflictam Regis fortunam quenquam ad misericordiam allexisse, vt subulcus tandem in sylua Anderida latitantem interfecerit.

Comites admodum pauculos numerat, præter eos Wintoniæ quos memoraui, Primis Normannorum temporibus, Bogo siue Beauosius Anglus hoc titulo vsus erat, qui in prælio ad *Cardiff* in Wallia contra Normannos pugnauit, vir bellica laude florentissimus, quem dum monachi fabellis fictis & commentitijs celebrare sudârunt, fortissima eius facta crassis occultârunt, & circumfuderunt tenebris. Iam inde ad Henricum vsque Octauum Southantoniensis Comes nullus legitur. Ille enim Guilielmum *Fitz-Williams* iam grandæuum, Marchionis *Montisacuti* filia oriundum, & Southantonensem Comitem, & Angliæ Thalassiarcham designauit. Quo statim sine prole mortuo, Edwardus Sextus eundem honorem anno sui regni primo, Thomæ *Wriotheosley* Angliæ Cancellario detulit, cuius e filio Henrico nepos Henricus eodem hodie lætatur, qui in primo ætatis flore præsidio bonarum literarum, & rei militaris scientia nobilitatem communiuit, vt vberiores fructus maturiori ætate patriæ, & principi profundat.

Habentur in hoc agro Parœciæ 253. & opida mercatoria 18.

VECTA INSVLA.
ISLE OF WIGHT.



AD hunc Southantonensem Comitatum spectat insula quæ ad austrum longe porrecta obiacet, Romanis olim VECTA, VECTIS, VICTESIS, Ptolemæo ΟΥΙΚΤΗΣΙΣ, Britannis *Guith*, Anglo-Saxonibus Wuitland, & Wiht-Ea (insulam enim Ea vocârunt) nobis hodie *The Isle of Wight*, & *Whight*. Tam modico autem interfluente Euripo *Solent* olim dicto, à Continente Britanniæ auulsa est, vt cohæsisse videatur, vnde Britannicum illud nomen *Guith* quod diuortium denotat (vt Ninnius habet) factum videtur; quemadmodum etiam *Sicilia*, quum ab Italia abrupta, & secta fuerit, à Latino vocabulo *secando*, vt eruditissimo Iulio Scaligero placet, nomen inuenit. Vnde (saluo semper Criticorum iudicio) apud Senecam in VI. Quæst. Natural. *Ab Italia Sicilia resecta* reponerem, vbi vulgò, *reiecta*, habetur. Ex hac situs vicinitate, & nominis affinitate VECTAM hanc ICTAM esse opinari licet, quæ (vt habet Diodorus Siculus) maris fluxu insula videbatur, at cùm refluxisset, exsiccato interiecto littore, Britanni prisci curribus eò stannum deuehere solebant, quod in Galliam exportaretur. MICTIM tamen esse Plinij, quæ arcta item cognatione VECTAM attingit, non iudicârim, cùm in ea candidum plumbum prouenniret, & in hac nulla sit, quod sciam, metalli vena.

Hæc inter Ortum & Occasum lenticulari siue ouali figura viginti mill. pass. longitudine exporrigitur, latitudine verò in media quà maximè patet XII. mill. pass. expanditur, altero latere ad Boream altero ad Austrum conuerso. Terra (vt mare piscosissimum taceam) est vberi gleba & colono admodum grata adeò etiam vt fruges exportet, cuniculorum, leporum, perdicum & phasianorum passim ferax; saltum etiam, & viuaria duo habet, damis ad venationis voluptatem referta. Per medium longo tractu procurrunt colles

colles qui ouibus pabula affatim profundunt. Quarum lanæ post vellus Lemsterianum, & Cotteswoldianum optimæ habentur, & inprimis pannarijs expetuntur, vnde maximum surgit incolis lucrum & commodum. Pars Septentrionalis pratis, pascuis, & syluis viret, australis frumentarijs quasi tota iacet campis, vbique fossis & sepibus interclusa. In extrema vtrinque parte mare à Boreali plaga ita se insinuat & penetrat, vt duas ferè efficiat insulas, & insulæ sanè incolis vocantur, scilicet quæ ad occasum prospicit *Fresh-water Isle*, quæ ad ortum *Binbridg ysle*. Bedæ ætate mille ducentarum familiarum censebatur, nunc triginta sex opida, vicos, & castella numerat, quæ quod ad Ecclesiasticam iurisdictionem spectat Episcopum Wintoniensem, quod ad ciuilem, Comitatum Hantonensem respiciunt. Incolæ facetè gloriari solebant, quasi reliquis beatiores essent, quòd cucullatos monachos, causidicos, & vulpes non habuerint.

Newport. Loca verò celebriora sunt *Newport* primarium insulæ emporium, olim *Medena*, & *Nouus Burgus de Meden*, vnde tota regio in *Eastmeden* & *Westmeden* diuiditur, vt hinc Caeres-brok. vel ortum vel occasum respicit. *Caeres-brok* vetus castrum truncato nomine pro *Whitgaresburg* in ipso insulæ vmbilico, à Whitgaro Saxone, de quo postea, dictum; & nuper Capitanei opera magnificè instauratum, ad quod plurima *Feoda militaria* spectàrunt & antiquitatis gloriam præter cætera habet. *Brading* alterum opidum mercatorium, *Newton* & *Yarmouth* quæ suos habent *Maiores*, & *Burgenses* ad Comitia Parlamentaria mittunt. *Yarmouth* hæc & *Sharpnore* castella habent, quæ cum *Worsleys* propugnaculo littus ad Occasum æstiuum defendunt. Quibus ex opposito vix duorum milliarium interstitio obiacet *Hurst* lingulæ impositum Hantonensis Comitatus munimentum. *Quarre* vbi virginibus velatis monasteriolum anno M C X X X I I. positum, *Gods-hill* vbi ad ingenia excolenda scholam instituit I. *Worsley*, *West-Cowe* & *East-Cowe* iam ruinosum, quæ in faucibus *Neoportus* Henricus Octauus construxit, de quibus Lelandus.

Hurst.

Coua fulminea dua coruscant
Hac casum colit, ille Solis ortum
Vectam quà Neoportus intrat altam.

Et ad Ortum æstiuum *Sandham* castrum tormentis maioribus, vt cætera instructa. Nec naturæ defendentis munimenta desunt, rupibus enim abruptis continua quasi serie præcingitur, subsuntque occulta saxa, & præiacent vbique scopuli nauigantibus infesti, sed longè infestissimi sunt *The Needles* scopuli acuti vnde nomen, & *The Shingles* qui occiduo angulo, vti etiam *The Owers* & *Mixon* qui orientali prætenduntur. Adhæc *The brambles* quæ sunt * breuia & nauigantibus insidiosa ad Aquilonem. Si quis verò locus ad exscensionem faciendam patere videtur, adactis palis veteri instituto præcluditur.

*Shelues.

Incolæ. Verùm-enimuerò nec his rupibus, nec illis propugnaculis ita armatur vt suis incolis qui natura bellicosissimi & promptæ audaciæ, qui opera & cura Insulæ Capitanei ita ad robur, & virtutem militarem assidua exercitatione confirmantur, vt quæcunque in bello euenire possunt accuratè prænoscant, scilicet certo ictu in destinata sclopetis effulminare, ordines seruare, compositè incedere, agmen prout res fert conglobare, vel laxare, laborare, decurrere, solem puluerемque ferre, & quicquid ratio militaris exigit, plenè præstare. Huiusmodi militum ipsa insula quatuor millia sub signis educere potest, & in omnia momenta tria millia exercitatissimorum ex Comitatu Hantonensi, & duo millia ex Wiltoniensi qui semper sint præstò ad insulam defendendam sunt assignati. Vtque hostilis impetus fœliciùs propulsetur, vniuersa regio in vndecim partes diuiditur, quarum vnaquæque suum habent *Centoner* quasi Centurionem, *Vintons* quasi Vicenarios, tormenta maiora, excubitores, qui ad speculas in editioribus locis positas excubant, suosque veredarios siue cursores quos obsoleto verbo *Hoblers* vocant, qui Insulæ præfecto statim omnia significent.

In Romanorum potestatem primus redegit Vespasianus, dum priuatus sub Claudio meruit. Scribit enim de illo Suetonius. *Claudio principe Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est: inde in Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, superque* X X. *opida, & insulam Vecten Britanniæ proximam in deditionem redegit: partim Auli Plautij consularis legati, partim Claudij ipsius ductu. Quare triumphalia ornamenta, & in spatio breui duplex sacerdotium accepit.* Ad hanc etiam insulam

In Vespasiano, cap. 4.

lam Alecti classis cùm purpuram in Britannia vsurpâsset, in speculis, & insidijs collocata Romanorum aduentum præstolabatur, qui tamen nebulæ beneficio hostes præteruecti, littore potiti sunt, & nauibus suis ignes iniecerunt, vt nullæ fugæ præsidium reseruaretur. Saxonum primus Cerdicius iuris sui fecit, concessitque Stuffæ, & Whitgaro, qui Britannicos incolas (pauci enim superfuerant) ad internecionem sustulerunt in *Whitgaraburg*, ab eo sic dicto, nunc *Caresbrock* contractè vocatur, Inde Wolpherus Merciorum Rex Vectam in suam potestatem redegit, & Edelwalcho Australium Saxonum Regi, cum Menuarorum prouincia attribuit, cum pro illo se sponsione in Baptismo obligauerit. Postea Cædwalla Occidentalium Saxonum Rex Edelwalcho illo occiso, & Aruando insulæ regulo sublato, suo imperio adiunxit, & tragica cęde indigenas omnes occidione ferè occidit, quartamque partem, terram scilicet trecentarum familiarum Wilfrido Episcopo attribuit, qui incolas Christi sacramentis primus imbuit. Sed hęc suis verbis dicet Beda. Anno Domini 530. Beda lib. 4. cap. 13.

Postquàm ergo Ceadualla regno potitus est Geuissorum, *cepit & insulam Vectam, quæ eatenus erat tota idololatriæ dedita, ac tragica cæde omnes indigenas exterminare, ac suæ prouinciæ homines pro his substituere contendit; voto se obligans, quamuis nondum regeneratus (vt fertur) in Christo, quod si cepisset insulam, quartam partem eius simul & prædæ Domino daret. Quod ita soluit, vt hanc Wilfrido Episcopo, qui tunc forte de gente sua superueniens aderat, vtendam pro Domino offerret. Est autem mensura eiusdem insulæ iuxta æstimationem Anglorum mille ducentarum familiarum. Vnde data est episcopo possessio terræ trecentarum familiarum. At ipse partem quam accepit commendauit cuidam de clericis suis cui nomen Bernwini, & erat filius sororis eius, dans illi presbyterum nomine Hildila, qui omnibus qui salutari vellent verbum ac lauacrum vitæ ministraret. Vbi silentio prætereundum non esse reor, quod in primitias eorum qui de eadem insula credendo saluati sunt, duo regij pueri fratres videlicet Aruandi regis insulæ specialì sunt Dei gratia coronati. Siquidem imminentibus insulæ hostibus fuga lapsi sunt de insula, & in proximam prouinciam translati. Vbi cum delati in locum qui vocatur* Ad lapidem *occultandos se à facie regis victoris credidissent, proditi sunt, atque occidi iussi. Quod cum audisset Abbas quidam & presbyter vocabulo* Cynbreth *habens non longe ab inde monasterium in loco qui vocatur* Reodford, *id est vadum arundinis, venit ad regem qui tunc eisdem in partibus occultus curabatur à vulneribus, quæ ei inflicta fuerant præliantí in insula Vecta, postulauitque ab eo, vt si necesse esset pueros interfici, priùs eos liceret fidei Christianæ sacramentis imbui. Concessit rex, & ipse instructos eos verbo veritatis, ac fonte salutaris ablutos, de ingressu regni æterni certos reddidit. Moxq; illi instante carnifice mortem læti subeire temporalem, per quam se ad vitam animæ perpetuam non dubitabant esse transituros. Hoc ergo ordine postquam omnes Britanniarum prouinciæ fidem Christi susceperant, suscepit & insula Vecta, in qua tamen ob ærumnam externæ subiectionis, nemo gradum ministerij ac sedis episcopalis ante Danielem, qui nunc Occidentalium Saxonum, & Geuissorum est episcopus, accepit.* Beda lib. 4. cap. 16. Iutarum. Vide pag. 192

Diuturnum iam inde de Vecta apud authores silentium ad annum MLXVI. quo *Tostius* Regis Haraldi frater cum piraticis è Flandria nauigijs in odium fratris inuasit, & *postquam insulanos sibi tributum soluere coegerat, discessit.* Paucis post annis, vt in vetusto libro Prioratus *Caersbroke* quem D. Rob. Glouerus *Somerset*, qui antiquitatis Genealogicę quasi solem in manibus gestauit, mihi ostendit, legitur. *Quemadmodum Guilielmus Bastardus conquisiuit Angliam, ita Guilielmus filius* Osberni (qui eius Marescallus, & Comes Herefordię) *Vectam insulam conquisiuit primusq; Vectæ Dominus erat.* Longo deinde interiecto tempore Galli anno MCCCLXXVII. ex improuiso delati inuaserunt, & diripuerunt, ijdemque anno MCCCCIII. frustra sunt adorti, & à littore fortiter repulsi, vti patrum memoria regante Henrico Octauo cùm trimeres Gallicę vnum & alterum tuguriolum incenderent. Florentius Wigorniensis.

Quod ad Dominos attinet, postquam Guilielmus *Fitz Osbern* statim bello Flandrico occisus, filiusque Rogerus proscriptus, & in exilium eiectus esset, in Regiam potestatem deuenit, Henricusq; Primus Rex Angliæ Richardo de *Riduers*, (qui *Reduers* etiam & de *Riparijs*) Deuoniæ Comiti hanc insulam donauit, & simul *Feodum* villæ Ecclesiæ Christi. Vbi, vti apud *Caresbrooke*, castella Richardus ille construxit: verùm filius eius Baldwinus turbulentis Regis Stephani temporibus, cùm tot erant in Anglia Tyranni, quot Domin. insulę Vectę. Christchurch.

Castellorum

Castellorum domini, qui singuli sibi ius pecuniæ signandæ, & alia maiestatis iura sibi vendicárunt: hinc à Stephano erat exturbatus. Posteri eius tamen auitum ius recuperárunt, quorum seriem Genealogicam iam ante pertexlimus, vbi de Deuoniæ Comitibus plenè egimus. Tandem verò Isabella vidua Guilielmi de *Fortibus* Comitis Abelmarlæ, & Holdernesiæ, soror & hæres Baldwini vltimi Deuoniæ Comitis ex hac familia, ægrè exorata omne ius suum in Regem Edwardum Primum per *Chartam* transcripsit.


Lib. Monast. Tewkesbury.

Iam inde insulam tenuerunt Reges Angliæ, atque Henricus de *Bello-Campo* Comes Warwicensis, à Rege Henrico Sexto cui charissimus erat, *coronatus est in regem de* Wight, *& posteà nominatus primus Comes totius Angliæ*. Sed cum illo nouus hic & insolitus titulus omninò euanuit. Postea Richardus *Wideuile* Comes de *Riuers* ab Edwardo Quarto dominus insulæ Vectæ salutatus, & Reginaldus *Bray* ab Henrico Septimo cui in delicijs erat, in *firmam* (sic iurisconsulti loquuntur) pro trecentis marcis annuatim persoluendis, accepit. Nobilemque præter hos Dominos habuit familiam, quę de *Insula* siue *Lisle* denominata, ex qua regnante Edwardo Secundo quidam euocatus erat ad Parlamentaria Comitia nomine Ioannis *de Insula Vecta*.

BARK-SHIRE.



ATTREBATII.



Elgis finitimi, vti in Gallia, ita in Britannia ATTREBATII, quo nomine nùnc antiquato, eorum sedes Barkshire vulgò appellatur. In confesso enim sit, cùm è Gallica Belgica aduenas maritima Britanniæ occupâsse, regionumq; suarum nomina retinuisse prodat Cæsar, hos nostros Attrebatios è Galliæ Attrebatibus huc demigrâsse; qui Galliæ maritimam partem ad Sequanam, vt author est Ptolemæus, tenuerunt, regionem scilicet, quæ nostris Attrebatijs è regione quodammodo ob quoiacet. Non temerè igitur erat, si Cæsar Comij Attrebatensis authoritatem his regionibus magnam fuisse scribat, vtpote apud populares suos, & illum à Cæsare victum, huc fugisse, cùm, vt habet Frontinus, nauibus in sicco hærentibus, vela pandi iusserit, & Cæsarem insequentem frustratus sit; qui è longinquo vela tumentia spectans, ferentibus ventis auolare ratus, à persequendo destitit. Vnde Attrebatij hi dicti controuertitur, nam quòd ab Attrech quidam petunt, quod antiqua Gallorum lingua terram panis sonare volunt, vereor vt frustrà sint. Satis sit nobis indicâsse, vnde in Britannia deuenerint, in nominis rationem inquirant alij.

Comiu' Attrebatensis.

In Strategematibus.


PARTE
OF
OXFORD
OXF
SH
Abbington
Farrmgton
VALE OF
THE
Wantage
WHITHORS
Lamborne
PARTE
Ramsbury
Hungerford
OF
WILSHIRE
Newberye
SPINE
PARTE
Christophorus Saxton descripsit . Gulielmus Hole sculpsit



PARTE OF
XFORD
SHIRE
BVCK:
ING:
HAM
SHIRE
COMITATUS
Bercheriæ vulgo Bark:
shire qui olim sedes A:
TREBATVM
Henley
Madenhead
Windsor
The forest of
Windsor
Reding
Okingham
Hurst
Binfeld
Warfeld
Winkfeld
Sunnynghill
Bagshot
Stoke
Woodcote
Shiplake
Caversham
Sunnynge
Ruscombe
Bisham
Hurley
Topley
Braye
Eaton
Upton
Clure
Old Wind
sor
Suckham
Theale
Arberfeld
Shinfeld
Barkham
Finchamsted
Sandherst
Yately
Eversley
Heckfeld
WILT:
PARS
VINDONVM
PARTE
OF
SVR:
REY
RTE OF
HAMSHIRE

BARK-SHIRE.



Asserius.

Ger ille qui nobis *Barkshire*, Latinis *Bercheria*, Anglo-Saxonibus Berrocscyre quondam dicebatur. Quod nomen à quadam sylua *Berroc*, vbi buxus plurima, deducit Asserius Meneuensis, alij a quercu nudata, hoc enim *Beroke* denotat, ad quam difficilioribus Reip. temporibus incolæ olim suis de rebus consulturi conuenire solebãt. Septentrionalem huius partem *Isis*, qui postea *Tamisis*, flexuoso, sed amœno admodum blandus alueo perfundit, & primùm ab Oxoniensibus, postea à Buchinghamiensibus secludit. Australem partem quà Southantoniam Comitatum prospectat, irrigat Cunetio flu. donec Tamisi se inferat. Ad occasum quà Wiltoniam attingit, & latior est, vt etiam in parte mediâ, suarum opum satis prodiga, & frumenti ferax, præcipuè, vbi in vallem subsidet, quam à nescio qua albi equi forma, in candicanti colle imaginata, *The Vale of Whitehorse* vocant. Orientalem autem partem, quę Surreię confinis, plane sterilescit, vel certè gleba, minus fertili, saltus, & syluę longè latéque occupant.

Farendon.

Guil. Neubrigensis.

In Occidentali limite propè ab Iside, *Farendon* est superiori situ, nunc foro, quondam munitione quadam celebre, quam Robertus Glocestrię Comes contra Stephanum construxit, qui tamen eam cruento labore expugnauit, & ita solo adęquauit, vt iam non appareat. Locum autem in quo situm erat (vt in Chronico Wauerlensis cœnobij legitur) Ioannes Rex anno MCCII. *inspiratione diuina præuentus concessit cum omnibus pertinentijs ad construendam Abbatiam de ordine Cistertiensium.*

Abbandune siue *Abington.*

Hinc Isis magno in Septentriones flexu eluctatus minoris famæ viculis affunditur plurimis, donec reductus, & diuortio ludens *Abbendoniam* peruenit, opidum sanè elegans, & frequens Sheouesham primum Anglo-Saxonibus, inde *Abbandune* dictum, ab Abbatia proculdubio, potius quàm ab Abbeno Hibernico nescio quo heremita, vt quidam scripserunt. *Locus erat* (vt habet vetustus liber Abbendonensis) *in planitie montis visu desiderabilis, paulisper vltra villam quæ nunc vocatur* Suniggewelle, *inter duos riuulos amœnissimos, qui locum ipsum quasi quendam sinum inter se concludentes gratum cernentibus præbent spectaculum & opportunum habitantibus subsidium.* Sheouesham *autem ipsa olim dicta ciuitas famosa, aspectu desiderabilis, diuitijs plena, agris circundata vberrimis, vernantibus pratis, diffusis campis, & gregibus lactifluis. Hic sedes regia, huc cùm de regni præcipuis & arduis tractaretur negotijs concursus fiebat populi.* Quamprimùm autem Cissa Occidentalium Saxonum Rex monasterium, siue Abbatiam construxerat, deposito paulatim vetustiori nomine, *Abbandun*, & *Abbington*, id est, *Abbatiæ opidum*, dici cœpit. Nec ita diu floruerat hoc monasterium, cum Danico turbine, quasi subitò prosterneretur: reualuit tamen statim Eadgari Regis beneficentia, & postea Normannorum Abbatum operâ in eam magnificentiam paulatim excreuit, vt inter Britanniæ monasteria cùm opibus, tum amplitudine vix secundis acquiesceret, quod etiam rudera eius nunc loquuntur. Opidum vero etsi diu monasterio innixum fuerit, ab anno tamen Salutis MCCCCXVI. quo Isidem pontibus coniunxerat Rex Henricus Quintus, vt attestatur versiculus in fenestra Ecclesiæ S. Helenæ ibidem: & regiam viam compendiò huc deflexerat, ita frequentari cœpit: vt inter huius agri opida primaria censeatur, *Marorem* habeat, madefacto illo regerminanti hordeo quod *Byne* Græci, nos *Mault* vocamus, magnum quæstum faciat; Crucemque in medio foro ostendit singularis elegantiæ, quam vt ferunt, regnante Henrico Sexto *Fraternitas S. Crucis* ab ipso instituta erexit.

Mault.

Henricus Quintus quarto fundauerit anno, Rex pontem Burford, super vadas atq; Culhamford.

Vt Cissa hoc monasterium, ita *Cilla* (ex antiquo libro loquor) *soror Cedwallæ Regis monasterium monialibus construxit ad Helnestow iuxta Tamisin vbi virginibus ipsa præfuit, quæ postea translatæ fuerunt ad Witham: Ardente bello inter Offam & Kinulphum, cùm castellum ibi construeretur secesserunt virgines. Kinulpho enim victo omnia quæ iurisdictioni suæ subdita fuerant ab opido Wallingfordiæ in Australi parte ab Ichenildestreete vsque ad Esseburiam, & in Aquilonari parte vsque ad Tamisim Rex Offa sibi vsurpauit.*

[a] Nunc *Ashbury*, prope *Whitehorse-hil.*

Prope ad Circium iacet *Lee* quæ per filiam viri Equestris dignitatis inde *De Lee* cognominati

nominati

nominati deuenit ad familiam de *Besiles*, vnde *Besiles-Lee* dici cœpit; & ab illa iure connubiali ad Richardum *Fetiplace*, cuius progenitor Thomas nonnihil splendoris posteris suis attulit ex nuptijs cum Beatrice filia naturalis Ioannis Primi Regis Lusitaniæ, è qua illi prognati. Sed regrediamur. Iuxta Abendoniam *Ock* fluuiolus qui Australem opidi partem alluit, ponte a Ioanne de *S. Helena* Equite aurato olim coniunctus, in Isidem placidè infertur; qui in valle illa de *White-horse* exoritur vix vno & altero milliari a *Kingston-Lisle* quæ olim possessio Warini de *Insula*, siue *Lisle* Baronis inclyti. A quo cùm Ioannes *Talbott* Ioannis bellicosi Comitis Salopiç filius iunior qui per matrem genus repetijt, constitutus erat primùm *Baro Lisle* siue *Insula, sicut Warinus de Insula olim fuit* (ratione possessionis huius loci quasi dignitas loco adnexa fuisset,) & postea Vicecomes Insulæ: continua quasi serie propitia Regum gratia in eius posteris hic titulus effloruit. Etenim (vt summatim perstringam) cùm Thomas *Talbot* Ioannis illius filius sine liberis è vita migrâsset, ore sagitta transfixus in pugna pro possessionibus contra Baronem *Barkley*, Edwardus *Grey* qui eius sororem duxerat, eundem à Rege Richardo III. accepit vt Carolus Brandonus, cui Edwardi ex Ioanne filio neptis tenella desponsata fuit ab Henrico Octauo: verùm cùm illa ante nuptias defuncta, hic etiam titulus in illo vnà defunctus. Postea Atthuro *Plantagenet* illegitimo Edwardi Quarti filio qui Elizabetham Ioannis Grey Vicecomitis Insulæ sororem, viduam Edmundi *Dudley* duxerat, hunc honorem idem Henricus VIII. contulit. Illo rursus sine masculis demortuo, Ioannem *Dudley* Edmundi *Dudley* ex eadem Elizabetha Greia filium, qui posteà Dux Northumbriæ eodem honorauit. Quo proscripto, Elizabetha Regina eius filium Ambrosium natalibus restitutum, priusquàm Warwici Comitem creauerit, Baronem *Lisle* eodem die dixit, Eiusque è sorore nepotem Robertum *Sidney* tantis maioribus ortum, & suis virtutibus clarissimum, quem Rex Iacobus Baronem *Sidney* de *Pensherst* creauerat, & charissimæ coniugi Reginæ Annæ Camerarium constituerat, etiam Vicecomitis *Lisle* nomine & honore CIƆDCV. exornauit.

Besiles Lee. Fetiplace. Vicecomites Insulæ siue *Lisle*.

Ocke ille quem dixi, deinde interlabitur inter *Pusey*, quod illi qui de *Pusey* nominati adhuc tenent per cornu a maioribus olim à Rege Canuto Danico donatum, & iuxta vnum & alterum *Dencheworth*, vbi duæ familiæ claræ & vetustæ diu floruerunt, de *Hids* ad australius, & *Fetiplace* ad borealius, quæ ex eadem stirpe videantur progerminâsse, cùm vno eodemque clypeo gentilitio vtantur. Riuulum inde anonymum *Ock* recipit qui ex eadem valle ad *Wantage* promanat. Hæc verò *Wantage*, Anglo-Saxonicè Wanatinȝ villa erat olim regia, & Ælfredi Regis clarissimi incunabula, quam moriens Alfritho legauit. Longo pòst tempore mercatorium factum erat opidum opera Fulconis *Fitz-warin* viri bellicosissimi, cui Rogerus *Bigod* Angliæ Marescallus virtutis bellicæ ergò donauerat, hodieque *Bourchieri* Bathoniæ Comites è *Fitz-warinorum* stirpe oriundi Domini agnoscuntur, e quorum familia nonnulli sunt hîc sepulti.

Pusey. Denchworth. Wantage. Fitz-warin.

Isis Abbendonia digressus statim ab Oxoniensibus Tamam recipit (de quo alias) & nunc *Tamisis* composito vocabulo dictus primùm *Sinodun* collem æditum, & fossa profunda munitum inuisit, vbi olim Romanorum castrum fuisse certum est; proscissus enim nunc aratro Romanorum nummos vetustatis indicia aratoribus subinde effundit. Sub hoc ad *Brettwell* castrum fuit, si non in hoc colle, quod Henricus Secundus expugnauit, paulò antequam pacem cum Stephano iniret. Hinc Tamisis primariam olim Attrebatiorum vrbem petit, quæ Antonino GALLEVA Attrebatum, Ptolemęo GALEVA, sed vtrique perperam librariorum incuria pro GALLENA, qui itidem in Gręcis exemplaribus Ναλκυα, pro *Gallena* literis transpositis nobis obtruserunt. Sic etenim Britannicè dictum arbitratus sum, quasi *Guall hen*, id est *Vallum antiquum*. Quo nomine retento, & ob vadum in flumine, *Forde* adiecto, Guallenȝaforo & Wallenȝaforo Angli olim vocârunt, & nos hodie contractiùs *Wallengford*. *Burgus* habebatur Edwardi Confessoris temporibus, & continebat (vt est in eo libro quo Angliæ lustrum condebat Guilielmus Primus) CCLXXVI. *hagas*, id est, domos, *reddentes* IX. *libras de Gablo, & qui ibi manebant, faciebant seruitium Regis cum equis, vel per aquam. De hagis octo pro Castello sunt destructæ*. Mœnibus olim obuallatum erat, quæ vt ex eorum tractu videre est, mille passus ambitu collegerunt, Castrum ad flumen sedet amplum sanè, & quondam adeò munitum, vt inexuperabilis munimenti spes quosdam ferociores fecerit. Cùm enim communi

Tamisis. Sinodun. Brettwell. Rob. Montensis. Gallena. Wallengford.

muni quasi bellorum incendio deflagrauerit Anglia, subinde inani obsidione à Stephano Rege incinctum legimus. Amplitudinem eius & magnificentiam cùm illic Oxoniæ pueri secederemus, demirabamur (est enim iam secessus studiosis ex æde Christi Oxoniæ) duplici murorum ambitu, duplici item vallo circundatur, in medio, moli in magnam altitudinem æditæ arx imponitur, in cuius accliui per gradus ascensu fontem immensæ profunditatis vidimus. Incolæ constructum à Danis credunt, ego potius à Romanis aliquid hìc positum, è Saxonibus postea & Danis excisum iudicârim, cùm Sueno Danus hac populabundus vagaretur: demumque sub Guilielmo Primo denuo reuixisse ex Censuali libro pro comperto habemus, cùm meminerit octo *hagas* .i. domos pro castello fuisse destructas, vt modò adnotaui. Castri tamen non meminit Guilielmus Gemeticensis, cùm scribit Guilielmum Normannum, debellato Haroldo, statim ad hanc vrbem (sic vocat) exercitum duxisse, transmeatoque Tamisis vado, hìc castrametatum fuisse, priusquam Londinum adiret, Quo tempore Wigodum Anglum Dominum suum agnouit Wallengfordia, qui vnicam filiam suscepit Roberto *D' Oyley* in matrimonio datam ex qua Matildem hæredem vnicam ille progenuit, quæ primùm Miloni Crispino eoque defuncto, Brientio *filio Comitis* beneficio Regis Henrici Primi elocata fuit. Qui bellicis laudibus innutritus, & Matildis Augustæ partes sequutus, hoc castrum contra Stephanum, cùm ille ad *Craumesh*, è regione propugnaculum excitâsset, fortissimè defendit: donec pax omni Angliæ exoptatissima, hoc in loco confecta; & composita illa de regno inter Stephanum & Henricum II. grauissima dissensio. Tunc enim Brientij & vxoris animum Dei amor ita subibat, vt caduca & fluxa reiecerint, Christo se deuouerint, & in sacrum Regis patrimonium hic *Honor* Wallingfordiæ deuenerit. Quod constat ex veteri Inquisitione in Scaccario hisce verbis, *Dominis suis dilectissimis Domini Regis Iustitiarijs, & Baronibus Scaccarij Constabularius Wallingford Salutem. Sciatis me diligenter inquisitionem fecisse de mandato D. Regis per Vicecomitem ad me transmisso per Milites de Balliua mea, & hac est inquisitionis factæ summa. Wigodus de Wallingford tenuit honorem de Wallingford tempore Regis Haroldi, & posteà tempore Regis Willelmi Primi, & habuit ex vxore sua quandam filiam quam dedit Roberto D' Oilly. Ipse Robertus habuit ex ea quandam filiam Matildem nomine quæ fuit hæres eius. Milo Crispinus desponsauit eam, & habuit cum ea prædictum Honorem de Wallingford. Mortuo Milone dedit Dominus Rex Henricus Primus prædictam Matildem Brientio filio Comitis, &c.* Posteà tamen spectauit Henrici Tertij tempore, ad Comites Cestriæ, & deinde ad Richardum Romanorum Regem, & Cornubiæ Comitem, qui instaurauit, eiusque filium Edmundum, qui in interiori area collegiatum sacellum fundauit, quo sine liberis sublato, in sacrum Coronæ patrimonium recidit, Cornubiæque Ducatui adnexum fuit, ex quo quodammodo contabuit. Et certè sub id tempus, cùm illa pestis funestissima quæ Saturni & Martis Synodum in Capricorno insequuta, per vniuersam Europam pertinaciter anno Christi MCCCXLVIII. grassaretur; hæc Galléna ita assiduis funeribus fuit exhausta, vt cùm priùs frequentissimè habitaretur, & XII ædes sacras numeraret, nunc tantùm vnam & alteram ostendat. Sed hanc solitudinem referunt incolæ potiùs ad pontes Abbindoniæ, & Dorcestriæ constructos, quibus regia via fuit deflexa.

Domini Wallengfordiæ.

[illegible] Honore de Wallen[illegible] [illegible] Nevill in Scaccario.

Pestis grauissima.

Hinc in Austrum inter lætissimos vtrinque agros placidissimè fertur Tamisis per *Moulesford* quod Rex Henricus Primus dedit Giraldo filio Walteri à quo profluxit inclyta familia de *Carew*. Cui plurimum splendoris accessit ex nuptijs cum clarissimis familijs Mohunorum, Dinhamorum, & alijs tam in Hibernia, quàm in Anglia. Nec procul abest *Aldworth*, vbi sunt sepulchra & effigies iusto maiores impositæ, quas inde vt Gigantum, vulgus imperitum demiratur, cùm fuerint tantùm Equitum familię *De la Beche*, quę hìc habuit castrum, & regnante Edwardo Tertio defecisse mascula prole creditur. Tandemque Tamisis Cunetionem obuium habet, qui Australem, vt modò dixi, Attrebatiorum partem irrigans, in primo aditu, cùm Wiltonienses reliquerit, *Hungerford* olim *Ingleford Charnam-street* dictam subluit, opidulum tenue, & humido situ, quod amplissimę tamen familię Baronum de *Hungerford* & nomen, & titulum fecit, quam primùm extulit Walterus *Hungerford* qui sub rege Henrico Quinto aulę regię Senescallus ob virtutem bellicam eiusdem Regis munificentia castrum & Baronia de *Homet* in Normania donatus, *sibi & heredibus masculis tenenda per homagium & seruitium reddendi*

Moulesford.
Carew.
Aldworth.
Kenet fl.
Hungerford.

dendi Regi & hæredibus suis apud castrum Rothomagi vnam lanceam cum cauda vulpis dependente, quod iocosum inter seria inseruisse lubet. Idem regnante Henrico Sexto, Summus Angliæ Thesaurarius, & Baro *Hungerford* creatus cùm prudentia singulari, tum nuptijs cum Catharina *Peuerell* (quæ à *Moelis*, & *Courtenais* orta) rem familiarem multiplicauit. Eiusque filius Robertus qui duxit filiam & hæredem Domini de *Botereaux* plurimum locupletauit, Robertus itidem huius filius qui Æleanoram filiam & hæredem Guil. *Molines*, duxit (vnde inter Barones regni, nomine Domini de *Molines* inclaruit) atque intestino bello inter Lancastrenses, & Eboracenses apud *Newcastle* capite truncatus magnam fecit accessionem. Filius autem eius Thomas occisus apud Sarisburiam patre viuente, vnicam reliquit filiam Mariam, quam Edwardus Dominus *Hastings* in vxorem cum luculenta hæreditate accepit, Walterus verò Thomæ frater Edwardum *Hungerford* genuit, patrem illius Walteri quem Rex Henricus VIII. Baronem *Hungerford de Heytesbury* creauit & postea infandi criminis condemnauit: liberos tamen ad omnia præter Baronis dignitatem R. Maria restituit. Hinc parùm abest ad austrum *Widehay* quæ Baronum de *S. Amando* longo tempore sedes erat, quorum hæreditatem iure vxorio adijt Gerardus *Braybrok*, cuius e filio Gerardo neptis natu maxima Elizabetha suis nuptijs eandem ad Guilielmum de *Bellocampo* transtulit, qui ad Parlamentum accitus nomine Guilielmi *Beauchamp* de *S. Amando* inter Barones floruit, vti eius filius Richardus qui nullam legitimam progenuit prolem.

1. pars dupl. Patent. Norman. 6. H. 5.

Barones Hungerford.

Widehay.

Barones de S. Amando.

Beauchamp de S. Amando.

Inde defluens Cunetio inter *Hemsted Marshall* quod olim *per virgam Marescalliæ* tenebatur, & ad Marescallos Angliæ spectauit: vbi Thomas *Parry* Thesaurarius hospitij Reginæ Elizabethæ elegantes ædes extruxit, & *Benham Valence* ita dictam, quòd ad Guilielmum de *Valentia* Comitem Penbrochiæ spectauit, SPINAS vetustum illud opidum adit cuius Antoninus meminit. Quod hodie nomine superstite, *Spene* dicitur, verùm nunc pro opido viculus est minimus vix mill. pass. à *Newbury* celebri opido, quod ex eius ruinis originem reperit. *Newbury* enim *Nouus Burgus* nobis sonat, ratione scilicet mansionis illius antiquioris *Spinarum*, quæ intercidit, nomenque etiam in ipsius Newburiæ parte reliquit quæ *Spinhamlands* hactenùs appellatur. Si verò nihil aliud, hoc sanè probet *Newbury* è Spinis emicuisse, quòd *Spene* viculum, vt matrem Neuburienses agnoscant, licet illud præ Spinis, ædificijs cultuq; sit inprimis spectabile, & lanificio opulentum, situ percommodo in campestri planitie, & Cunetione siue Kenetto flumine interfusum. Obtigit hoc in Normannica Angliæ expugnatione Ernulpho de *Hesdin* Comiti Perticensi, cuius cùm abnepos Thomas Perticensis in obsidione Lincolniæ cecidisset, Episcopus Cabillonensis, siue Chalonensis eius hæres diuendidit Guilielmo Marescallo Comiti Penbrochiæ, qui etiam *Manerium de Hempsted* vicinum de quo dixi, tenuit, eiusque successores Angliæ Marescalli donec Rogerus *Bigod* ob peruicaciam Marescalli honore & possessionibus excidisset, quæ tamen ad vitam precariò recepit.

Spine.

Newbury.

Liber Inquisitionum.

Hinc pergit Cunetio, & *Lamborn* riuulum recipit qui ad fontes opidulo mercatorio suum nomen impertit quod olim Ælfredi Regis testamento ad Alfrithum eius cognatum, inde ad *Fitzwarinos*, qui mercatus ius ab Henr. III. impetrârunt, spectauit, nunc verò ad Equestrem familiam de Essex dictam, quę genus refert ad Guil. de *Essex* Subthesaurarium Angliæ sub Ed. IIII. & ad illos qui olim eodem cognomine summo honore in Essexia floruerunt. Inde subluit *Dennington* quod alijs *Dunnington* dicitur, castellum exiguũ, sed elegans nemorosi collis supercilio prospectu amœno positum, & quod interiùs omne ferè lumen admittit. Conditum verò ferunt à Richardo de *Abberbury* Equite aurato, qui etiam sub eo *Domum Dei* pauperculis fundauit. Postea fuit Chauceri, inde *De la Polorum*, & patrum memoria Caroli Brandoni Ducis Suffolciæ habitatio.

Lamborn.

Denington castle.

Cunetio iam longo confecto cursu per *Aldermaston* quod Henr. I. dedit Rob. *Achard*, à cuius posteris per *De la-Mares* ad Equestrem *Fosterorum* familiam iure coniugij tandem deuenit: in Tamisim tandem illabitur, statim ac *Readingi* magnam partem suis diuergijs amplexus fuerit. *Reading* verò vrbecula, siue opidum, Anglo-Saxonicè Rheaɗyȝe à *Rhea*, .i. *Flumine*, vel a Britannica dictione *Redin*, quod filices denotat, quę affatim hic prouenerunt, hodie platearum elegantia, ædium splendore, sua opulentia, & lanei panni texendi gloriâ cæteris huius agri opidis præcellit, licèt maxima ornamenta amiserit; Templum scilicet speciosum, & Castrum vetustissimum. Hoc enim Danos tenuisse prodit Asserius

Aldermaston.

Reading.

us, cùm vallum inter Cunetionum & Tamisim ducerent, & in hoc se recepisse, cùm ad *Inglefield* (viculus est vicinus qui nobili & antiquæ familiæ nomen fecit) ab Æthelwulfo Rege fugarentur. Sed Henricus Secundus ita illud excîdit, quòd Stephani militibus perfugium esset, vt nihil iam supersit pręter nudum nomen in plateâ proxima. In cuius vicinia diruta virginum sacrarũ ædicula quam ad expianda sua scelera Alfritha regina olim posuerat, templum magnificentissimum monachis construxit, magnisq; redditibus locupletauit Rex Henricus Primus. Qui, vt ex ipsa fundationis Charta loquar, *Quia tres Abbatiæ in regno Angliæ peccatis suis exigentibus olim destructæ fuerint*, Redingia *scilicet*, Chelseia, *&* Leonminstre *quas manus laica diu possedit, consilio pontificum ædificauit nouum apud* Redingiam *monasterium, & donauit eidem* Redingiam, Chelleiam *&* Leonminstre. In hoc sepultus erat ipse conditor Henricus vnà cum filia Matilde, vt priuata huius loci testatur historia, etsi aliqui Becci in Normannia hanc conditam ferunt. Quæ perinde ac Lampido illa Lacedæmonia (cuius Plinius meminit) regis filia, regis vxor, regis mater fuit. Huius scilicet Henrici Primi regis Angliæ filia, Henrici Quarti Germaniæ Imperatoris vxor, & Henrici Secundi regis Angliæ mater. Qua de re accipe distichon tumulo inscriptum, & illud, meo sanè iudicio, Musis fauentibus natum.

Matildis Augusta.

Magna ortu, maiorque viro, sed maxima partu,
Hic iacet Henrici filia, sponsa, parens.

Henricus Secundus.

Et partu quidem illa maxima, & longe fœlicissima fuit. Henricus enim II. eius filius, vt scripsit qui tunc vixit, Ioannes Sarisburiensis. *Rex optimus apud Britannias, Normannorum, & Aquitanorum Dux fœlicissimus, & primus tam amplitudine rerum, quàm splendore virtutum. Quàm strenuus, quam magnificus, quàm prudens, & modestus, ab ipsa vt dicam infantia fuerit, nec ipse liuor silère, nec dissimulare potest: cum opera recentia, & manifesta sint, & a Britanniarum finibus ad Hispaniæ limites, virtutis suæ protenderit, & continuauerit titulos.* Et alibi de eodem. *Henricus II. maximus Regum Britanniæ circa Garumnam fulminauit, Tolosam fœlici cingens obsidione non modò prouinciales vsque ad Rhodanum, & Alpes territauit, sed munitionibus dirutis, populisque subactis, quasi vniuersis immineret, timore principes Hispanos concussit & Gallos.* Adiungam etiam, si placet, vnum & alterum verbum de eodem ex Giraldo Cambrensi. *A Pyreneis montibus vsq; in occiduos, & extremos borealis Oceani fines hic Alexander noster occidentalis brachium extendit. Quantum igitur nostris in partibus natura terras, tantum & victorias extulit. Si excursuum metæ quærantur, prius deerit orbis, quàm aderit finis. Animoso quippe pectori cessare possunt terræ, cessare nesciunt victoriæ, non deesse poterunt triumphi, sed materia triumphandi. Qualiter titulis & triumphis suis Hibernicus orbis accesserit? Quanta, & quàm laudabili virtute Oceani secreta, & occulta transpenetrauerit?* Sed ecce veterem in eius mortem versiculum, qui vno verbo, & hæc omnia, & filij Regis Richardi Primi gloriam plenè complectitur:

De nugis Curial. Lib. 6. cap. 18.

Mira cano, Sol occubuit, nox nulla sequuta est.

Richardus Primus.

Tantùm enim abest, vt Richardus noctem intulerit, vt Angliam nostram suis in Cypro, & Syria victorijs clarissimè illustrauerit. Verùm hæc extra callem. Ad loca à personis iam denuò regrediamur. Monasterium hoc in quo Henricus ille Primus sepultus, iam in regias ædes conuersum est, quibus ἱπποστάσιον siue equile pulcherrimum adiunctum, regijs, & generosissimis equis refertum. Sed hoc de loco audi etiam Poëtam describentem Thamisim hic prætetlabentem.

Hinc videt exiguam Chawsey, *properatque videre*
Redingum *nitidum, texendis nobile pannis.*
Hoc docet AElfredi nostri victricia signa,
Begsecgi cædem, calcata cadauera Dani:
Vtque superfuso maduerunt sanguine campi.
Principis hic Zephiro Cauroque parentibus orti
Cornipides crebris implent hinnitibus auras,
Et gyros ducunt, gressus glomerantque superbos,
Dum cupiunt nostri Martis seruire lupatis.
Haccine sed pietas? heu dira piacula, primus

Neustrius

Neustrius Henricus situs hic, inglorius vrna
Nunc iacet eiectus, tumulum nouus aduena quærit
Frustra; nam regi tenues inuidit arenas
Auri sacra fames, Regum metuenda sepulchris.

Quingentis vix à Redingo passibus, inter florentissima prata Cunetio Tamisi consociatur, qui iam latior in Septentriones spaciatur per *Sunning* viculum, quem mireris octo Episcopis, qui huic, & Wiltoniensi agro præfuerunt, fuisse sedem, (hoc tamen nostræ produnt historiæ) quæ posteà ab Hermano Shirburnam, & tandem Sarisburiam translata, ad quam etiamnum locus iste pertinet: vnde parum abest Laurentij *Waltham* vbi vetustæ arcis radices videre est, & Romanorum numismata sæpius effossa. Inde *Bistleham*, nunc contractè *Bisham* præterit Tamisis, primum Templariorum Militum, inde *Montacutorum*, qui monasteriolum extruxerunt, & postea patrimonium Domini Edwardi *Hobey* Equitis clarissimi, & mihi inprimis obseruandi, cuius magna in me beneficia cogitatio frequens ita exercebit, & renouabit, vt memoriæ nunquam subducantur meæ. Sunning. Bisham. D. Edwardus Hobæus.

Bishamo iam relicto, se reducit Tamisis ad opidulum superiori sæculo *Southealington* dictum, hodie *Maidenhead*, à cultu capitis nescio cuius virginis Britannicæ ex vndecim illis millibus, quæ dum Vrsula duce, in patriam Roma redirent, iuxta Coloniam Germaniæ ab Attila illo Dei flagello, martyrio affectæ fuerunt. Nec hoc vetustæ est memoriæ, nam proauorum ætate traiectus fuit loco paulò superiori ad *Babbams end*, sed postquam hic pontem construxissent sublicium, diuersorijs florere cœpit, & matri suæ vicinę *Bray* prælucere, quæ longè tamen antiquior, vtpote quę toti Centuriæ nomen fecit. Hanc BIBROCOS, qui se in Cæsaris fidem permiserunt, tenuisse olim credidi, & quidni credam? Nominis reliquię supersunt planissimè, BIBRACTE Gallię etiam nunc in *Bray* contrahitur, & non procul hinc Cęsar Tamisim cum suis transmisit (vt suo loco docebimus) quo tempore popelli illi se Cęsari dediderunt. Certè si alibi Bibrocos vel plagis auritis venaris, vix credo inuenias. Maidenhead. Bibroci.

Inter hos Bibrocos floret *Windesore*, Saxonicè (à flexuosa forsitan ripa) Wyndleshopa, vt in Chartis Edwardi Confessoris concipitur, qui in hęc verba Westmonasterio concessit. *Ad laudem Dei omnipotentis posui in dotalitium, & in perpetuam hæreditatem ad vsum Domino seruientium, Windle-shoram cum pertinentibus.* Nec enim aliud vetustius de Windlesora lego. Sed non diu tenuerant Monachi, cùm permutatione facta, Guilielmus Normannus ad se retraxit. Sic enim habet eius Charta. *Cum consensu, & fauore venerabilis Abbatis Westmonasterij, conuentionem feci de Regia possessione Windlesora, quod locus ille vtilis, & commodus visus est propter contiguam aquam, & syluam venatibus aptam, & alia plura quæ inibi sunt regibus commoda, imò regia perhendinationi aptus extitit, pro qua* Wokendune, & Ferings *concessi.* Situm certe amœniorem sedes Regia vix habere possit. Clementer enim ex ædito colle, iucundissimo in orbem fruitur prospectu. A fronte vallem despectat longè latéque procurrentem, aruis distinctam, pratis viridantem, nemoribus hinc inde vestitam, & placidissimo Tamisi irriguam. A tergo colles passim exsurgunt, nec asperi, nec prælti, saltibus coronati, & venationi à natura ipsa quasi dicati. Hac loci amœnitate pellecti reges, sæpissime huc secedunt, & hic ad Galliam vincendam natus est Edwardus III. Rex potentissimus, qui hic castrum quasi vrbis æmulum fossis, & propugnaculis ex quadrato saxo munitissimum de integro construxit, statimque debellato Gallo, & Scoto: Ioannem Regem Galliæ, & Dauidem Scotiæ in hoc captiuos vno eodemque tempore tenuit. Diuiditur hoc castrum in duas areas; interior, quæ ad Ortum spectat aulam Regiam, qua ædificiorum descriptione nihil illustrius, nihil splendidius complectitur. Ad cuius Borealem partem quà flumen despectat, Regina Elizabetha subdiale ambulacrum adiecit longe amœnissimum. Exterior area in ipso primo ingressu templum habet augustissimum B. Mariæ Virgini & Georgio Cappadoci ab Edwardo Tertio consecratum, sed ad eam qua nunc cernitur magnificentiam ab Edwardo IIII. perductum. Hic Edwardus III. vt militarem virtutem honoribus prę- 1350.
mijs atque splendore decoraret, nobilissimam conscripsit equitum auratorum societatem, quos (vt aliqui produnt) ob periscelidem suam in prelij, quod fœliciter cessit, tesseram datam, *Gartery* siue Periscelidis Equitis nominauit, qui cęrulea Periscelide aureis literis Windsor.

Gallicè

Gallicè inscripta, HONI SOIT QVI MALY PENS, sinistram tibiam paulò infra genu substringunt, & aurea fibula in concordiæ symbolum tanquam vinculo arctissimæ societatis connectunt, vt esset inter eos quasi quædam consociatio & communitas virtutum. Alij tamen ad periscelidem siue *Garterium* Reginæ, vel potius Ioannæ Comitissæ Sarisburiæ eximia pulchritudine fœminæ referunt, quod ipsi choreas agitanti decidit, & Rex è terra sustulit, ridente nobilium multitudine adstante, & illo respondente, futurum vt breui summus honor eiusmodi periscelidi haberetur: hæc vulgus perhibet, nec vilis sanè hæc videatur origo, cùm vt ait ille, *Nobilitas sub amore iacet.* Sunt etiam qui huius ordinis inuentionem multò antiquiorem faciunt, cùm ad Regem Richardum Primum referunt, Edwardumque tandem reduxisse credunt: quàm verè nescio. In ipso enim institutionis libro quem Guilielmus Dethicus principalis Armorum Rex, Garterij nomine notus, omnium quæ ad honorem & nobilitatis rationem spectant studiosissimus mihi ostendit, sic legitur. *Richardo cùm contra Turcas & Agarenos, Ciprum & Aconem moueret, longiorisque moræ pertæsum esset, dum mira solicitudine traheretur obsidio, tandem illabente per Diui Georgij, vt opinatum est, interuentum spiritu, venit in mentem vt quorundam electorum Militum cruribus coraceum subfibulum quale ad manus tunc solum habebat, induceret, quo futuræ gloriæ memores ex condicto si vincerent, ad rem fortiter ac strenuè gerendam expergefierent, ad Romanorum instar, apud quos illa coronarum varietas quibus varijs de causis donati sunt, & insigniti milites, vt his velut irritamentis excussa vecordia, virtus animi fortitudoque pectorus feruidior exurgeret atque exiliret.* Cæterùm in hanc societatem potentissimi quique orbis Christiani Principes cooptari instar maximi honoris duxêrunt, & iam à prima institutione, in hunc ordinem, qui è XXVI. Equitibus constat Reges adscripti fuerunt plus minus XXII. præter Angliæ Reges, qui eiusdem Præsides siue (vt vocant) *Supremi* habentur, vt Duces, & alios maximi nominis taceam plurimos. Eorum verò nomina qui primi in hunc ordinem adsciti, & vulgò *Fundatores Ordinis* dicuntur, adiungere libet; nec enim eorum fama obliteranda est, qui illa tempestate, & animo, & virtute militari in paucissimis erant, eoque nomine hoc honore amplificati.

Order of the Garter. Equestris Periscelidis siue Garterij ordo

*Soueraignes

Fundatores ordinis.

EDVVARDVS III. *Rex Angliæ.*
Edwardus filius eius natu maximus, Princeps Walliæ.
Henricus Dux Lancastriæ.
T. Comes Warwici.
Capdall de Buche.
Radulphus Comes Staffordiæ.
Guilielmus de Monteacuto Comes Sarisburiæ.
Rogerus de Mortuo-mari Comes Marchiæ.
Ioannes de Insula.
Bartholomæus Burgwash.
Ioannes de Bello-campo.
Ioannes de Mohun.
Hugo Courtnæus.
Thomas Hollandus.
Ioannes Grey.
Richardus Fitz-Simon.
Milo Stapleton.
Thomas Walle.
Hugo Wrothesley.
Nigellus Loring.
Ioannes Chandos.
Iacobus de Audley.
Otho Hollandus.
Henricus Eme.
Zanchettus Dabridgecourt.
Guilielmus Paganellus.

Almes Knights. Equites Eleemosynarij.

A sinistra templi ædes sunt Custodis, siue Decani & Præbendariorum XII. A dextra est quasi Prytaneum, in quo aluntur emeritis stipendijs prouectiori ætate milites duodecim, honestiori loco nati, qui quotidie rubra tunica ad talos demissa vestiti, cui lacerna purpurea inducitur, sacris interesse tenentur, precibusque pro huius ordinis Equitibus apud Deum quotidie intercedere. Inter vtramque aream intereminet moles cui arx rotunda imponitur. Iuxta quam alia turris ædita surgit *Winchester Tower*, à Guilielmo *Wickham* Episcopo Wintoniensi, quem Edwardus III. operi præfecit, appellata. Quidam perhibent Wickhamum extructa hac arce, in interiori quodam pariete, hæc verba, (quæ Latinè tam apposite & facetè exprimi nequeunt) insculpsisse, *This made Wickham,* id est, *Hoc fecit Wickhamus.* Quæ locutio in Anglicana lingua quæ casibus raro discriminatur, tam ambigua est, vt incertum sit, vtrum is hoc castrum an castrum eum effecisset.

ſet. Hoc regi à calumniatoribus quibuſdam in eius inuidiam ita delatum eſt, quaſi Wichamus omnem extructi ædificij laudem ſibi arroganter vindicarit. Quod cùm Rex iniquo animo tuliſſet, eique probroſè obieciſſet. Non ſibi tam magnificæ regiæque ſtructuræ laudes adſcripſiſſe; ſed ſtructuræ huic ſuas dignitates acceptas ſe retuliſſe, reſpondit. Nec ego (inquit) hoc caſtrum, verùm hoc caſtrum me effecit, & ab ima conditione ad regis gratiam, opes, atque dignitates euexit. Caſtro ſubiacet ad Occaſum, & Auſtrum, opidum ſatis magnum & frequens, quod ab Edwardi Tertij temporibus emicare, aliudque quod diſiunctius, & *Old Windſore* nunc vocatur, ſenſim euaneſcere cœpit, in quo Guilielmi Primi temporibus, vt in eius libro legimus, *centum hagæ fuerunt, è quibus* XXII. *quietæ erant de gablo, de alijs exierunt triginta ſolidi.* Nihil aliud hic memoria dignum, niſi quòd è regione Windeſoræ trans Tamiſim qui hîc ponte ligneo coniungitur, *AEtona* cernitur, & in ea Collegium egregium, & humaniorum literarum gymnaſium celebre, ab Henrico VI. conſtructum, in quo præter Præfectum, Socios VIII & cantores, ſcholares ſexaginta gratuitò aluntur, Grammaticam docentur, & ſuo tempore ad Cantabrigienſem Academiam promouentur. Verùm hoc Buckinghamienſis agri cenſetur. Nunc tantùm ſupereſt, quod de Windeſora attexam, inclytam eſſe Baronum familiam de *Windſore* cognominatam, qui originem ſuam ad Gualterum filium Otheri Caſtellanum de *Windſore* tempore Guilielmi Primi referunt, à quo etiam *Fitz-Giraldos* in Hibernia, Kildariæ, & Deſmoniæ Comites ſtemma duxiſſe probauit, qui artis Heraldicæ ſtudioſiſſimus, peritiſſimuſque, & in fæcialium Collegio Somerſetti titulum geſſit, Robertus Glouerus. Nec pigeat percurrere hos de Windeſora verſiculos ex Tama & Iſis Connubio ante aliquot annos conſcripto. In quibus pater Tamiſis cùm loci dignitatem, tùm incolæ Reginæ Elizabethæ maieſtatem celebrare conatur.

Wickhami Apophthegma.

Eaton.

Barones de Windſore.

Iam Windeſoræ ſurgunt in culmina ripæ
Turrigeræ, celſo lambentes vertice cælum.
*Quas vbi conſpexit doctæ * gratatus Etonæ,*
Quæ fuit Orbilijs nimiùm ſubiecta plagoſis;
Cæruleum caput ille leuans, ita farier infit.
Aerias moles, gradibus ſurgentia templa,
Ferratos poſtes, pinnas, viuaria, vere
Perpetuo latos campos, Zephiroq́; colono
Florentes hortos, regum cunabula, regum
Auratos thalamos, regum præclara ſepulchra,
Et quæcunque refers; nunc Windeſora referre
Deſine. Cappadocis quanquam ſis clara Georgi
Militia, procerumque cohors chlamydata nitenti
Cincta periſcelidi ſuras, te lumine tanto
Illuſtret, tantis radiis perſtringis & orbem;
Vt iam Phryxæum ſpernat Burgundia vellus,
Contemnat cochleis variatos Gallia torques,
Et cruce conſpicuas pallas, Rhodus, Alcala, & Elba:
Solaque militiæ ſit ſplendida gloria veſtræ,
Deſine mirari, lætari deſine tandem.
Omnia concedunt vni, ſuperatur in vno
Quicquid habes, tibi maior honos, tibi gloria maior,
Accola quod noſtræ ripæ ſiet incola vobis
Eliſabetha. (ſimulque ſuo quaſi poplite flexo
Tamiſis en placidè ſubſidet, & inde profatur,)
Eliſabetha ſuis Diua & dea ſola Britannis,
Cuius inexhauſtas laudes ſi carmine noſtro
Complecti cuperem Meliboeo promptiùs Alpes
Imponam, numeremq́; meas numeroſus arenas.
Si quaſdam tacuiſſe velim, quamcunque tacebo,
Maior erit; primos actus, vetereſque labores

* Tamiſis.

Elizabetha Regina.

Proſequar?

Prosequar? ad sese reuocant præsentia mentem.
Iustitiam dicam? magis at clementia splendet.
Victrices referam vires? plus vicit inermis.
Quod pietas floret, quòd non timet Anglia Martem,
Quòd legi nemo, quòd lex dominatur & omni,
Quòd vicina truci non seruit Scotia Gallo,
Exuit atq; suos siluestris Hibernia mores,
Criniger Vltonius quòd iam mitescere discit,
Laus sibi sola cadit, nil non debetur & illi.
Crimina quæ pellunt, tanta quæ Principe digna
Omnes templa suo posuerunt pectore Diuæ,
Religio, superos sanctè monet esse colendos,
Iustitia vtilibus semper præponere iustum
Edocet, vt præceps nil sit, Prudentia suadet,
Temperies vt casta velit, cupiatque pudica
Instruit, immotam mentem Constantia firmat.
Symbolum Elizabethæ Reginæ. *Hinc* EADEM SEMPER *rectè sibi vendicat illa.*
Proferat vnde so quis tantas carmine laudes?
Sola tenet laudum quicquid numerabitis omnes.
Sit fœlix, valeat, viuat, laudetur, ametur;
Dùm mihi sunt fluctus, dum cursus, dum mihi ripa,
Angligenùm fœlix princeps moderetur habenas;
Finiat vna dies mihi cursus, & sibi vitam.

Windsor Forrest. Saltus, siue Forrestæ. Foresta quid, & vnde dicta.

Reliqua Attrebatiorum regio quæ ad Austrum à Windesora patet, saltuosis nemoribus opaca, *Foresta de Windlesor* vulgò dicitur, villis rarior, quarum *Okingham* lanificio, & sua magnitudine est notissima, feris autem innumeris vbique refertissima. *Foresta* autem (quoniam de *Foresta* sæpe meminimus, & meminerimus) quid sit, & quod eius Etymon si aues scire, nec riseris, habe tibi ex Nigro Scaccarij libro. *Foresta est tuta ferarum mansio, non quarumlibet, sed syluaticarum, non quibuslibet in locis, sed certis & ad hoc idoneis, vnde Foresta dicitur quasi* Feresta .i. *ferarum statio.* Incredibile autem est quantum terrarum Reges Angliæ passim incultum iacere permiserint, & feris inclusis dicauerint, vel vt nostri loquuntur, *afforestauerint.* Nec enim aliam fuisse causam, quàm insanum venandi studium existimare possum, * (quamuis aliqui in populi infrequentiam reijciant) cùm à Danicis vsque temporibus, quotidie plura loca in saltus redegerint, ad eosq; conseruandos durissimas leges, & præfectum, quem *Protoforestarium* dixerunt, imposuerunt; qui saltuarias causas cognosceret, & vel morte, vel membri mutilatione plecteret, si quis feras in aliquo saltu confecisset. Sed hæc paucis tibi è Polycratico suis verbis dicet I. Sarisburiensis. *Quod magis mirere, pedicas parare auibus, laqueos texere, allicere nodis vel fistula, aut quibuscunque insidijs supplantare ex edicto sæpe fit criminis, & vel proscriptione bonorum mulctatur, vel membrorum punitur, salutisque dispendio. Volucres cœli, & pisces maris communes esse audieras: sed hæ fisci sunt, quas venatica exigit vbicunque volant. Manum contine, abstine, ne & tu in pœnam læsæ maiestatis, venantibus cedas in prædam. A noualibus suis arcentur agricolæ, dum feræ habeant vagandi libertatem, illis vt pascua augeantur, prædia subtrahuntur agricolis: sationalia insitiua colonis, cùm pascua armentarijs & gregarijs, tùm aluearia à floralibus excludunt, ipsis quoque apibus vix naturali libertate vti permissum est.* Quæ cùm nimis inhumana viderentur, magnas nonnunquam turbas excitauerunt, donec Baronum secessione extorta sit ab Henrico III. *Charta de Foresta*, in qua antiquatis legibus illis seuerioribus, æquiores tulit, quibus qui intra Forestarum limites incolunt, etiam hodie tenentur. Duoque deinceps ad has causas instituti sunt Iusticiarij, quorum alter omnibus *Forestis* cis Trentam fluuium, alter reliquis vltra Trentam ad Scotiam vsque, magna cum authoritate præest. Per totam hanc prouinciam, vt est in libro Censuali Angliæ, *Tainus vel Miles Regis Dominicus moriens pro releuamento dimittebat Regi omnia arma sua, & equum vnicum cum sella, & alium sine sella. Quod si essent ei canes, vel accipitres præsentabantur Regi, vt si vellet, acciperet. Quando*

* Vel ad regiam familiam alendam. Protoforestarius.

Iustitiarij Forestarum.

Miles Regis Dominicus.

do Geld *dabatur tempore Edwardi Regis communiter per totam Berchescıram dabat hida iij. d. ob. ante natale Domini, & tantundem ad Pentecoſt.* Hæc de *Barkſhire*, quæ hactenus Comitis honore inſigniuit neminem.

In huius Comitatus complexu ſunt Parochiæ 140.

QVas hactenùs peragrauimus regiones, Dannoniorum ſcilicet, Durotrigum, Belgarum, & Attrebatiorum, cùm Saxones iam rerum in Britannia potirentur, in Occidentalium Saxonum regnum ceſſerunt, quod illi ſua lingua Weſt-Seaxan-ric, & ſe Gewiſſi, ab auo Cerdici qui hoc regnum primùm inſtituit, dixerunt: vnde *Gewiſſi.* alijs etiam *Viſi-Saxones* vocantur: ſed ab Occidentali ſitu, vti Occidui Gothi *Viſigothi* ſunt nominati. Hi tandem in virili Anglici imperij ætate, Saxonicam Heptarchiam in Monarchiam redegerunt, quæ tamen poſteà regum ignauia citò conſenuit, faciléque euanuit. Vt in his illud confirmetur, quod indies videmus, Fortiſsimorum virorum & clariſsimarum familiarum ſobolem, perinde ac ſtirpium ſuos habere natales, floreſcere, matureſcere; demumque marceſcere, & ſenſim emori. Occidentalium Saxonum regnum.

REGNI.



Roximè Attrebatios ad Solem orientem REGNI, *Ptolemæo* ΡΗΓΝΟΙ, *regiones eas quæ nobis nunc* Surry, *&* Southſex *vulgò vocantur, cum parte Hantonenſis agri maritima inſederunt. In etymo, quæ animum ſubeunt, tacitus prætermittam, quia forſitan à veritate non fuerint; non minùs, ac ſi* ΡΗΓΝΟΙ *Ptolemæo dictos exiſtimârim, quòd regnum eſſet & ſub regio dominatu permanere permiſerint Romani. In hoc enim tractu Cogiduno regi Britanno, vt habet Tacitus, quædam ciuitates vetere Pop. Romani conſuetudine donatæ, vt haberet inſtrumenta ſeruitutis & Reges. Sed cùm hæc coniectura nec mihi probabilis, & alijs abſurda videatur, prorſus reijcio. Saxonicamq́ recentiorum nominum originem libens amplectar, quam veritas ipſa perſuadet.* Southſex, *videlicet ab Auſtralibus Saxonibus, &* Suthrey, *ab Auſtrali ad flumen ſitu: hoc enim* Suth-rey, *denotare, nemo inficiari poterit cùm* Ouer-rhey *vltra flumen in veteri Anglorum lingua ſignificet.*

SVRREY olim sedes REGNORVM.


PARTE OF BVCKINGHAM SHIRE

PARTE OF MIDD[...]

PARTE OF BERK SHIRE

PARTE OF HAM SHIRE

Scala Miliarum



Iohannes Norden delineauit: W. Kip Sculpsit



IDDLESEX
LONDON
Blackwall
Southwarke
Lambeth
Chelsey
Fulham
Battersey
Clapham
Putney
Mortlake
Richmond
Combe parke
Rowhampton
Wandesworth
Stokewell
Camerwell
Peckham
Detforde
Grenewich
Ketsbrake
Ley
Lewesham
Dulwich
Stretham
Pengeverne
PARTE
OF
Petersham
Wimbledon
Kingston
Court
Martyn
Combe Nevell
Malden
Morden
Croydon
Addscombe
Addington
Bedington
Wallington
Carshalton
Sutton
Cheame
Nonsuch
Ewell
Epsham
Banstede
Chipsted
Chaldon
Caterham
Warlingham
Chelsham
Woldingham
Ferleigh
Tatesfyld
Titsey
Lymesfyld
Westerham
Brasted
Eatenbridge
Starburgh
Blockfeilde
Oksted
Godstone
Tanridge
Bletchingleigh
Nutfyld
Reygate
Buckland
Betchworth
Brockham
Dorking
Mylton
Gatton
Merstham
Walton
Hedley
Mychelham
Leatherhed
Newdigate
Charlewood
Okeley
Capell
Ockley
Horley
Burstowe
Lingfelde
Newchappell
E Grinstede
Crabbet
Worth
Woreth Forest
Tilgate
Crawley
Rusper
Bewbushe
Horsham
Warneham
PARTE OF SVS SEX
Headlegh
Wakehurst
Ardingleigh
Ashdowne Forest
Balcombe
Slaugham
St Leonardes forest
Holmsted
Brandesnape
Itchingfold
Nuthurste
Chesworth
KENT
IIII
III
V
VI
VII
VIII
IX
X
Caracters distinguishing places
Market townes
Parishes
Hamletts
Howses & places of Kinge I.
Castles
Chappels
Noble mens howses
Howses of gentlemen
Monasteries
Decayde places
Mills
The hundreds within Surrey
I Chertsey
II Wokinge
III Emler bridge
IIII Kingstone
V Bryxton & Wallington
VI Croydon
VII Tanridge
VIII Reygate
IX Copthorne & Effingham
X Darkinge
XI Blackheath & Wotton
XII Godalming
XIII Fernham

SVTH-REY.


Vtria, Bedæ *Suthriona*, vulgò *Suthrey*, & *Surrey*, Saxonibus ab
australi ad flumen situ Suð-rea, Suð enim Austrum, & rea flumen
Rhey. illis significauit, ab Occidua mundi plaga partim Bercheriæ &
Southantonensi prouinciæ, ab Austro Sussexiæ, ab Ortu Cantio
contigua, à Septentrione Tamisi flu. perfunditur, & a Midlesexia
dirimitur. Regio est non admodum ampla, satis tamen opulenta,
quà Tamisi incumbit, & quà campestris iacet planities, fruges me-
diocriter, & pabulum benignè producit, præsertim ad Austrum, vbi
perpetua vallis in altitudinem depressa, *Holmesdale* olim a syluis dicta, grata nemorum,
aruorum, & pratorum varietate spectabilis decurrit. Colles hinc inde longo tractu sur-
gunt, viuaria passim feris repleta, fluuij etiam piscosi, vnde ad voluptatem iucunda vena-
tio, & grata piscatura suppeditatur. Assimilatur verò a nonnullis Leuidensæ vestimento,
vel panno tenui & crasso textu, cum viridi prętexta, vtique cuius interior pars sterilis, ex-
terior siue limbus fertilior. In hac perambulanda Tamisim, & fluuios influentes, quasi
duces itineris sequar, sic nihil memorandum omisero, cùm his fluuijs loca, quę antiqui-
oris sunt notę, adsideant omnia.

Tamisis, vt eius cursum secundo flumine sequamur, statim atque Bercheriæ valedixe-
Chertsey. 666 rit, *Chertsey* quam Beda *Ceroti insulam* dicit, nunc vix peninsulam, nisi hibernis aquis,
allabitur, in qua, tanquam in loco ab hominum commercijs secreto, Frithwaldus, vt ip-
se in fundationis Charta se vocat, *prouinciæ Surreianorum subregulus Regis Wulpheri
Mercianorum*, & Erchenwaldus Londinensis Episcopus in primis surgentis Anglicæ Ec-
clesiæ temporibus monasteriolum posuerunt, quod aliquandiu tumulus fuit sanctissimi
Henricus vj. Regis Henrici VI. quem regno deiectum Eboracensis familia sustulit, vt sibi regnum se-
curè confirmaret; & sine vllo honore hîc sepulturæ tradidit. Verùm illi posteà Windle-
soram translato, & in nouum Mausolæum illato, iusta regio more fecit Henricus VII.
Sanctasque eius virtutes tantopere admiratus est (expressum enim erat Christianæ pie-
tatis, & patientię exemplum) vt cum Iulio Pontifice Romano egerit de illo inter Di-
Hist. Cantuariensis. uos referendo. Sed quò minùs hoc fieret, in causa erat Pontificis auaritia, qui pro Regis
Apotheosi, siue *Canonizatione* vt vocant, nimis magnam pecuniæ vim exegit, vt videre-
tur non principis sanctitati, sed auro honores illos delaturus. Sub hoc *Wey* fluuiolus Ta-
misi infunditur, qui ex Hantonensi agro effusus, vbi primùm Suthreiam peruenerit, *Fe-*
Farnham. *ornham* vulgò *Farnham*, à filiceto nominatum inuisit, quod Æthelbaldus Occidentali-
um Saxonum Rex *Episcopo & Congregationi Wentanæ ecclesiæ* donauit. Hic circa annum
DCCCXCIII. Ælfredus Rex grassantes Danos parua manu fudit, & posteà cum Stepha-
nus Rex quibuslibet qui à se steterunt, castella condere permisisset, Henricus Blesensis
Stephani frater, & Episcopus Wintoniensis castellum colle supra opidum imminenti e-
rexit: quod cùm seditionis esset præsidium, Henricus Tertius deturbauit; Episcopi ta-
men Wintonienses, ad quos etiamnum spectat, denuò excitârunt. Nec procul hinc ad
Wauerley. *Wauerley* Gulielmus *Giffard* Episcopus Wintoniensis monasteriolum Cisterciensis or-
dinis monachis posuit. Inde *Wey* per *Godelminge*, quod Ælfredus Rex Æthelwaldo è
fratre nepoti legauit, haud procul à *Catteshull Manerio*, quod Hamo de *Catton tenuit, vt
esset Marescallus meretricum cùm Rex in illas terras veniret*, nec longè à *Loseley* vbi ve-
Catteshull. nustas ædes familiæ Equestris *Mororum* intra roborarium vidimus: accedit *Guilford*,
Guilsford. Saxonicè Gulðe-forð, & nonnullis exemplaribus *Gegldford*. Forum nunc frequens, &
diuersorijs nitidum, olim Anglo-Saxonum villa erat Regia, quam etiam Æthelwaldus
ille à patruo legatam tenuit, Regiæque ibi sunt ædes quæ iam fatiscunt, & haud procul à
flumine lacera mœnia antiqui castri satis ampli: in medio verò Ecclesia est cuius pars o-
rientalis concamerato ex saxo opere videtur admodum antiqua. Hic vt in Guilielmi Pri-
Haga. mi libro videre est, *Rex* LXXV. *Hagas*, .i. *domos habuit, in quibus manserunt* CLXXV.
homines. Nulla tamen re perinde celebris, ac Godwini Comitis Cantij perfidia, & im-
manitate, qui anno Christi, 1036. cùm Ælfredus Ethelredi regis filius, & regni An-
glici

glici heres ad ius suum repetendum è Normannia venisset, fide data eum suscepit, contraque fidem statim tractauit: Sexcentos enim Normannos qui iuuenem Regium comitati, ex improuiso intempesta nocte hoc in loco oppressos decimando, vt nostri scriptores habent, mulctauit. Nec enim decimum quemque sorte ductum antiquo militię more interfecit, verùm nouem interfectis, decimum quemque dimisit, decimosque reseruatos, summa cum crudelitate redecimauit. Ælfredum verò ipsum Haroldo Danico in manus tradidit, qui illum, effossis oculis in vincula abripuit, & ad mortem vsque carcere condidit. Decimatio.

Longo hinc cursu in Septentriones *Wey* delatus, nihil memoria dignum, pręter *Sutton* equestris familiæ *Westonorum* sedem, *Woking* ædes regias, & *Pyriford* vbi nostra memoria Edwardus Comes Lincolniæ, & Baro *Clinton* sibi domum extruxit, & in proximo *Ockham* vnde magnus ille Philosophus Nominalium pater Guilielmus de *Ockham* natus, & a loco denominatus. Vbi verò in Tamisim duplici ostio exoneratur *Otelandes* regiæ ædes satis elegantes in viuario conspiciuntur, iuxta quas Cæsar Tamisim in fines Cassiuellani transmisit. Hic vnus enim omnino locus erat, quo Tamisis pedibus, atque hoc ægrè transire olim poterat, quod ipsi Britanni Cæsari quasi prodiderunt. Ad alteram enim fluminis ripam, magnæ Britannorum copiæ erant instructæ, ripa autem ipsa acutis sudibus præfixis munita, eiusdemque generis sub aqua defixæ flumine tegebantur. *Quarum vestigia*, inquit Beda, *vsque hodie visuntur, & videntur inspectantibus, quòd singulæ earum ad modum humani fœmoris grossæ, & circumfusa plumbo immobiliter hæreant in profundum fluminis infixæ.* Sed eo impetu Romani flumen ingressi sunt, cùm capite solo ex aqua extarent, vt Britanni sustinere non possint, quin ripas demitterent, fugamque capesserent. Hac in re falsus esse non possum, cùm hîc vix sex pedes flumen sit altum, cùm *Coway-stakes* à sudibus hodie locus dicatur, cùmque Cassiuellani fines à mari quod orientalem Cantij partem alluit, vbi ille terram conscendit, circiter mill. pass. LXXX faciat Cæsar, vbi traiectum statuit, & ad eandem est a mari distantiam hic noster traiectus, cuius memoriam fugitiuam nunc primus, quòd scio, retraxi. Guil. Ockham. Vbi Cæsar Tamisim transmisit. Coway-stakes

Post pauca inde in Ortum milliaria in Tamisim properat *Molis* riuulus totam regionem ab Australi limite permensus, qui collium demum obiectu impeditus subterraneum meatum, vt nobile illud Hispaniæ flumen Anas, quasi talpa sibi aperit, vnde nomen impositum videatur, cùm subterraneum illud animal *Mole* Anglicè dicatur. Nihil tamen ad hunc fluuium præclarum, nisi quòd remotius est à fontibus (& prope antiquam militarem Romanorum viam quam *Stanystreat* dicunt) opidum *Aclea* vulgò *Ockley* à quercubus nominatum, vbi Æthelwolphus Egberti filius, qui sacris ordinibus initiatus, cùm Pontificia authoritate solutus regnum paternum hæreditariò suscepisset, collatis cum Dano signis, prosperè conflixit, & eorum quemque fortissimum occîdit; patriæ tamen, Danica illa hydra semper repullulante, minimè profecit. Parùm à fontibus huius fluminis abest *Gatton* quæ iam vix viculus est, licèt olim opidum fuerit celebre. In antiquitatis argumentum Romanorum nummos effossos ostendit, & ad Parlamentum duos mittit Burgenses. Inferius sedet *Rhie-gat*, .i. si ex antiqua lingua nostra interpreteris, *Fluuioli decursus*, in conualle quæ longe in Ortum procurrit *Holmesdale* dicta; cuius incolæ quòd semel atque iterum grassantes Danos deuicerint, in suam laudem cantitant. Molis fl. Anas fl. Hispaniæ. Ockley. Gatton. Rhie-gat. Holmesdale.

The vale of Holmesdall
Neuer wonne, ne neuer shall.

Rhiegat hoc amplitudine, quàm structura est speciosius, ad australe latus viuarium habet nemusculis condensum, in quo nobilissimus Carolus Comes Nottinghamiæ Baro de *Effingham* & summus Angliæ Thalassiarcha suas ædes habet, vbi olim Warreniæ & Suthreiæ Comites Cœnobiolum posuerant. Castrum ad Ortum eminet nunc neglectum & æuo caducum, ab ijsdem Comitibus constructum, & *Holmescastle*, à valle in qua insidet, vulgò dictum: sub quo Hypogæum mirificum arcuato opere, è friabili lapide, cuiusmodi ipse collis est, magno labore excauatum vidimus. Warrenniæ verò Comites (vt est in libro Inquisitionum) *tenuerunt in capite de Rege in Baronia sua de Conquestu Angliæ.* Inde decurrit per *Bechwoorth* castrum, cui Nundinarum ius ab Henrico Sexto impetrauit Thomas *Brown*. Sedes enim est equestris familiæ *Brownorum*, è qua

auorum

auorum memoria, cùm Antonius *Brown* Luciam Quartam Ioannis Neuilli Marchionis Montisacuti filiam cum dotali patrimonio satis amplo duxisset, eius è filio nepotem Vicecomitis *Montisacuti* titulo Maria Regina exornauit. Pauculis hinc ad occasum milliaribus *Effingham* cernitur possessio iampridem Guilielmi Howardi (triumphatoris illius Scotorum Thomæ Ducis Norfolciæ filij,) qui a Maria Regina Baro *Howard* de *Effingham* creatus, & Angliæ Thalassiarcha factus fœlicissimæ memoriæ ELIZABETHÆ primùm à cubiculo, & deinde sigilli priuati custos; cuius filius Carolus nunc floret, magnus Angliæ Thalassiarcha, quem anno 1597. ob virtutem & operam egregiè nauatam eadem Elizabetha Comitis Nottinghamiæ titulo condecorauit. Sed ad flumen regrediamur.

Effingham.

Molis iam cùm ad candicantem collem *White hill* peruenerit, in quo buxus lætissimè prouenit, ad eius radices se condit vel potius absorbetur, vnde *the Swallow* locus nominatur, & post vnum & alterum plùs minùs milliare prope pontem *Letherhed* ebulliens gaudet renasci. Vt huius tractus incolæ, non minus quàm Hispani iactent se pontem habere qui plures ouium greges pascat, Hoc enim tritissimo prouerbio iactitant Hispani, de loco, quo Anas flu: (qui nunc *Guadiana* dicitur) se per decem milliaria abscondit. Sic Molis noster renatus ad Tamisim lentè properat, & proximè *Molesey* quod suo nomini adoptat, immergitur.

The Swallow.

Pons in quo greges ouium pascuntur.

Post *Molim* admissum Tamisis noster aquas rectà in Septentrionem agit, perfunditque *Kingstone*, *Moreford* olim dictum vt aliqui volunt, frequens inprimis emporiolum, & castro *Clarorum* Glocestriæ Comitum olim notum, quod ex eiusdem cognominis vetustiori opidulo loco iacenti & inundationi obnoxio emicuit. In quo, cùm Anglia Danicis bellis, suis fere sedibus conuulsa esset, Athelstanus, Edwinus, & Ethelredus Reges regno inaugurati fuerunt, vnde a Regibus factum nomen *Kingston* id est, *Opidum Regium*. In proximo etiam Reges sibi locum habitandi delegerunt, quem à splendore *Shene* dixerunt, nunc verò *Richmond* vocatur in quo Edwardus Tertius Rex longè potentissimus, cùm satis gloriæ, satisque naturæ vixisset, diem ex dolore obijt, quem in filij bellicosissimi morte hausit, qui ipsi & vniuersæ Angliæ tantus erat, vt omnem consolationem vinceret; Et iustus sane hoc tempore si vnquam alias, Angliæ dolor. Intra vnum enim annum solidam rei militaris, cumulatæque virtutis laudem amisit; vterque etenim victricia arma per Galliam circumferendo tantum terrorem incusserunt, vt pater cum Antiocho fulminis, filius cum Pyrrho Aquilæ nomen meritissimè gereret. Hic etiam defuncta est Anna Regis Richardi II. vxor, Wenzelai Imperatoris soror, filia Caroli IIII. Imp. quæ prima mulieres Anglicas, eam insidendi equi formam, quæ hodie in vsu, docuit, cùm anteà, parùm decorè diuaricatè, peripde ac viri obequitarent. Cuius etiam mortem adeò acerbè, & impotenter tulit maritus, vt etiam ipsas ædes omninò negligeret, & auersaretur. Nouis tamen ædificijs excoluit Henricus V. atque in *Shene* viculo proximo cœnobiolum Carthusianorum adiunxit, quod *Bethelem* dixit. Sed Henrico VII. regnante, hæc regia sedes luctuoso incendio tota in fauillas cecidit, verùm vt Phœnix è suis cineribus, opera eiusdem Henrici multò splendidior statim renata, nouum nomen Richmondiæ à regione, cuius ille priuatus Comitis titulum gesserat, accepit. Vixq; supremam manum structuræ nouæ imposuerat Henricus ille Septimus, cùm extremum vitæ diem hic morte confecerit, cuius cura, vigilijs, consilijs, & prudentia longè in posterum prouida Respub. Anglica hactenus stetit inuicta. Hinc etiam eius neptis Serenissima Regina Elizabetha nonagesimo quarto pòst anno cùm naturam viuendi satietate explesset, septuagenaria enim plùs minùs erat, in sacrum & cœlestem illum cœtum euocante Deo fuit recepta. Princeps supra sexum virilis animi, & consilij, quæ regios aui mores verè reddidit vt vultum, orbis amor, & Britanniæ deliciæ. Tantùmque absuit vt mulier a perenni contestataque maiorum virtute degenerârit, vt eos si non superauerit, certè cumulatè æquârit. Credat hoc olim sera posteritas, & fidem adhibeat tam gratiosam, (nec veritatis dignitatem blanditijs corrumpo) virginem quadraginta quatuor annos ita sceptrum tractasse, vt subditi amarent, hostes metuerent, & singuli cum admiratione suspicerent, quod retroactis ante temporibus non habuit exemplum. Cuius obitu Anglia tota in lachrimas soluta

Kingston. Matth. paris.

Richmond, locus ille & vicus ante Henrici VII. tépora *Shene* dictus

Edwardus III.

Shene.

Elizabethæ Reginæ obitus 1603.

luta inter voces interruptas & morientes inconsolabiliter in squallore iacuisset, nisi illico atque terris fuit exempta, Serenissimus Iacobus verus & indubitatus hæres ad regnum capessendum omnium mentibus oculisque designatus, augustissima luminis claritate illuxisset, & ad spem immortaliter gaudendi aduocasset. Quem dum cernimus, illam excessisse minimè credimus. Quanquam quid illam excessisse dicamus? cuius immortales virtutes viuunt, nominisque memoria in animis hominum & in æternitate temporum consecrata viuet æternum.

Huc vsque Tamisis exæstuantis maris accessu augescit, sexaginta plus minus ab ostio Italicis milliaribus: Nec aliud, quod scio, Europę flumen tot milliaria vrgentis & irruentis Oceani impetum aquis maximo accolarum commodo retroactis ac detentis sentit. An hoc fit ex eo quod hinc nullo ferè flexu curuatus, rectiore alueo in Ortum delatus, altioribus plerumq; ripis coercitus, & vastiore ostio quàm cætera flumina se aperiens Oceano magis pateat, qui rapidissima orbium cœlestium ab ortu in occasum rotatione in eandem partem impellitur, vt olim opinatus sum; disquirant Philosophi, quibus & hæc & huiusmodi lubens relinquo. Paucula tamen his de locis, & hac de re carmina ex Tamæ & Isis Connubio, si palato faciant, habe. Quoúsque Tamisis maris æstu augetur. Tamisis cur tam longè refluit.

A dextra, nobis Richmondia, Shena vetustis
Celsa nitet, sapiens namque hanc Richmondia dici
Henricus voluit, sibi quod retulisset honorem
Et titulos Comitis Richmondia iure paterno:
Hectoris Edwardi sed deflet funera nostri;
Proh dolor hic illi regimens libera cessit
Corpore contempto, sedes habitura supernas.
Quem si non subitò rapuissent ferrea fata,
Aut te Valesijs rapuisset Gallia victor;
Aut tibi Valesios. Et paucis interpositis versibus.
Tamisis alternum sentit reditumque fugamque
Huc reflui pelagi, quoties vaga Cynthia pronos.
Octauâ librat cœli statione iugales,
Aut tenet oppositam varianti lumine plagam,
Plenior increscit celeremque recurrit in æstum:
Atque superbus ait, concedant flumina nobis,
Nulla per Europæ dotatas nomine terras
Flumina, tam longè sic certis legibus vndas
Alternas renouant, nisi fratres Scaldis, & Albis.

Interiùs quatuor plùs minùs à Tamisi mill. pass. omnium circumquaque ædificiorum luminibus obstruit *Nonesuch* secessus regius, quem magnificentissimus Rex Henricus VIII. in loco saluberrimo prìus *Cuddington* dicto, delicijs & otio suo destinauit, tantaq; magnificentia, & elegantia extruxit, vt ad ostentationis arcem aspiret, & omnem Architectonices peritiam in vno hoc opere coaceruatam existimes. Tot sunt vbique spirantia signa, tot absolutæ artis miracula, & Romanæ antiquitatis æmula opera, vt optimo iure hoc suum nomen habeat, & tueatur, quod Latinè *Nulla eiusmodi*, sonat, vel vt Lelandus cecinit. Nonesuch. Cuddington.

Hanc quia non habeant similem laudare Britanni
Sæpe solent, Nulliq; parem *cognomine dicunt.*

Ædes verò ipsas sic circumcingunt viuaria damis referta, horti delicati, luci topiario opere exornati, areolæ, & ambulacra sic arboribus obumbrata; vt non aliam sibi sedem ipsa Amœnitas, vbi cum Salubritate vnà cohabitet, delegisse videatur. Maria tamen Regina Henrico *Fitz-Alan* Arundeliæ Comiti pro alijs possessionibus addixit, illeque cùm Bibliotheca instructissima, & nouis operibus adauxisset, ius suum omne in Baronem de *Lumley* moriens transcripsit, qui nihil non fecit, vt suo nomini verè responderet, & a quo in regiam possessionem transactionibus iam recidit. Iuxta, nec memorare piget, vena

na est terrę figularis ad vascula illa conficienda quibus auro conflando vtuntur aurifices laudata, & ideo cariùs diuendita.

Vandalis fl. *Vandalis* riuulus limpidus, & trutarum optimarum admodum fœcundus haud procul hinc ad *Cashalton* ebullit, qui *Morden* præterfluens ad Occidentalem ripam loco feracissimo *Merton* subluit, Saxonice Meꝛeꝺune, olim Kenulphi Westsaxonum Regis fato insigne, qui in meretriculæ, quem hîc deperibat, tuguriolo a Kinehardo Clitone interfectus erat, ipseque Clito a Kenulphi amicis confossus, perfidiæ pœnas statim luit. Nunc monasterij quod Rex Henricus Primus procurante Gilberto Vicecomite Surriæ construxit rudera solummodo ostendit, quod Comitijs sub Henrico III. fuit celeberrimum.

Merton.

1117.

Croydon. Deinde Vandalis augetur ab ortu fluuiolo qui fontes habet ad *Croydon*, olim *Cradiden*, quod sub collibus situm Archiepiscoporum Cantuariensium palatio, ad quos longo iam tempore spectauit, & carbonibus quorum mercaturam exercent incolæ, notissimum est. Referunt incolæ domum quondam fuisse Regiam in occidentali opidi parte prope *Haling*, vbi rudera subinde a colonis eruuntur, quam postea Archiepiscopi dono a Rege acceptam transtulerunt ad suum propius riuulum palatium. Iuxta quod Reuerendissimus in Christo pater D. Ioannes *Whitgift* laudatissimæ memoriæ Archiepiscopus Cantuariensis Hospitale perpulchrum ad subleuandos pauperes, & scholam ad promouendas bonas literas pio animi affectu posuit, & dotauit. Torrentem verò illum quem hîc nonnunquam exsurgere, nescio quo præsagio difficultatis annonæ, vel pestilentiæ perhibet vulgus, non operepræium videri possit vel verbo memorare, cùm tamen non omninò fide caruerit. Hinc vicinum est *Beddington*, in quo ædes præcellenti ædificiorum elegantia, & amœnissima hortorum specie conspicuuntur, quas Franciscus *Carew* equestri dignitate clarus nuper construxit. Sedes enim antiqua est Careworum, qui a Nicholao Barone *Carew* de *Moulesford* oriundi (a quo etiam sunt *Carewi* Deuonienses) longo tempore hoc in agro floruerunt: maximè verò ex quo I. *Carew* filiam, & hęredum alteram nobilissimi Baronis *Hoo* sibi matrimonio coniunxerit. *Wibbandune*, nunc vulgo *Wimbledon* ad alterā ripam fluminis Vandalis sedet, vbi cùm nimia fœlicitas ciuiles furores inter Anglo-Saxones peperisset, Britannico bello iam sopito, Ethelbertus Rex Cantij in suos gentiles primùm classicum ciuile cecinit: Sed Ceaulinus Occidentalium Saxonum Rex, ingenti illum strage hoc in loco fœliciter fudit: interfectis ducibus Oslano & Cnebeno, a quo forte *Bensburie*, pro *Cnebensburie* vallum illud militare dicitur, quod orbiculari forma hîc vidimus. Nunc verò maximum huic loco ornamentum sunt ędes structura speciosę, prospectu & hortis amœnissimę, quas anno MDLXXXVIII. cùm Hispanica classis Anglię immineret, Thomas Cecilius Eques auratus prudentissimi illius Baronis Burghlęi filius extruxit.

The Bourne.

Beddington.

Wimbledon.

Primum bellum intestinum inter Anglos.

Duobus hinc ad Austrum milliaribus, in collis ędito nemusculum est, *Woodcote* hodie vocant, in quo modicę vrbis manifesta visuntur vestigia, & fontes plures è silicum fragmentis constructi, plurimaque de eius frequentia, & opulentia, Patriciorumque numero commemorant vicini. Hæc, vt mea fert opinio, vrbs illa fuit, quę Ptolemęo NOIOMAGVS, Antonino NOVIOMAGVS: nec aliunde argumentum petatur, quàm a distantię ratione. Decem enim a Londino milliaribus, XVIII. a Vagniacis, vt annotat Itinerarium vetus, abest. Pluribus igitur Parasangis aberrârunt illi, qui vel ad *Buckingham*, vel *Guildford* Nouiomagum statuerunt. REGNORVM hęc pręcipua fuit ciuitas, Marinoque Tyrio vetustissimo Geographo nota, quem Ptolemęus cùm Censorem induisset, taxat, quod Nouiomagum Britannię, Londino per climata Borealiorem, & per Itinerariam rationem Australiorem collocârit.

Woodcote.

Nouiomagus.

Ad Tamisim post Vandalis ostium, vbi opidulum *Wandlesworth* inde denominatū sedet, *Batersey* est viculus, olim Saxonice Patꝛyκꝛ-ea, & Latinè *Patricy insula*: & quas nunc quęrimus ędes Regiæ *Kennington* dictæ, quò Reges Angliæ olim secedere soliti, sed nunc nec nomen, nec rudera inuenimus. Inde *Lambith* siue *Lomehith*, i. *statio siue portus luteus*, Canuti Fortis Anglorum regis morte olim celebris, qui ibi inter pocula animam eructauit. Ille enim totus in comessationibus & conuiuijs agendis *Prandia regalia*, vt habet Henr. Huntingdonensis, *quatuor in die vicibus omni Curiæ suæ fecit apponi: malens a vo-*

Kennington.

Lambith.

catis

catis appoſita fercula dimitti, quàm à non vocatis apponenda fercula repoſci. Nunc verò locus celebrior eſt Archiepiſcoporum Cantuarienſium palatio. Circa annum enim Chriſti 1183. Baldwinus Archiepiſcopus Cantuarienſis, facta cum Roſſenſi Epiſcopo permutatione, prædium hoc in loco acquiſiuit, in quo palatium ſibi, & ſucceſſoribus inchoauit, quod illi paulatim adauxerunt. Qui cùm eccleſiolam collegiatam hic etiam molirentur, Deus bone, quot Romam a Cantuarienſibus Monachis aduolarunt appellationes, quot inde fulmina, minæ, & cenſuræ a Romano Pontifice in Archiepiſcopos emiſſa? Malè enim metuêrunt illi Monachi ne fundi ſui foret calamitas, & in Archiepiſcoporum electionibus, illis præiudicaret. Nec ſedatæ fuerunt hæ tempeſtates, donec inchoata eccleſiola inſtantibus Monachis, ſolo adæquaretur. Huic contiguum eſt celeberrimum huius agri emporium, quod hodie vocant *The Bourrough of Southworke*, Saxonicè Suðpeṗke, id eſt, *Opus ſiue ædificium auſtrale*, quòd è regione Londini ad auſtrum ſitum habeat, cuius quodammodo ſuburbium videatur: ſed adeo amplum, & frequens, vt non multis Angliæ vrbibus concedat, ſui quaſi iuris, ſuos Balliuos patrum memoria habuit, ſed Edwardo VI. regnante ciuitati Londino adnexum, eius quaſi membrum hodie dignoſcitur. Et proinde cùm Londinum peruenerimus, de hoc pleniùs dicemus.

Southworke.

Sub hoc Tamiſis Surriam relinquit, cuius orientalis limes hinc recta in auſtrum deſcendit prope *Lagham* quæ ſuos Barones Parlamentarios dictos *S. Iohn de Lagham* regnante Edwardo Primo habuit, quorum hæreditas tandem ad *I. Leodiard* per filiam & hæredem deuenit. Inferiùs in ipſo ferè angulo, quà Southſexiam & Cantium ſpectat, *Streborrow* caſtrum cernitur, olim ſedes Dominorum de *Cobham*, qui hinc à *Sterborrow* dicti, & à Ioanne de *Cobham* Domino de *Cobham*, & *Couling*, & Hugonis Neuilli filia procreati diu gloria & dignitate floruerunt, Reginaldus enim regnante Edwardo III. in ordinem Georgianum adſcitus oræ maritimæ erat præfectus, a Tamiſis oſtio vſque partes Occidentales. Vltimus verò Thomas Annam Ducis Buckinghamiæ filiam vxorem habuit, è qua ſuſcepit Annam filiam vnicam enuptam Edwardo *Burgh*, qui etiam à Percijs & Comitibus Atholiæ ſtemma repetijt, eiuſque filius Thomas Baro *Burgh* ab Henrico Octauo creatus, filium reliquit Guilielmum, qui genuit Thomam, bonarum literarum fautorem ſummum, Præfectumque Brielæ, quem Garterij Ordinis honore ornauit, Hiberniæque Proregem, vbi mortem oppetijt, conſtituit Regina Elizabetha. De Æleonora Cobhama ex hac familia, Humfredi Ducis Gloceſtriæ coniuge, cuius exiſtimatio minùs integra, ad Anglicam, ſi libet, accedas hiſtoriam.

Barones Sancti Iohn de Lagham.

Sterborrow.

Barones Borough, ſiue Burgh.

Iam Comites ſunt enumerandi. Guilielmum de *Warrenna*, Guilielmus Rufus Rex Angliæ, cum Comitis honore Surriæ primùm præfecit, cuius inſignia erant * ſcutum aureum cæruleo interſtinctum. In Charta enim illius qua fundauit *Prioratum de Lewis* ſic legitur. *Donaui &c. pro ſalute Domini mei Willielmi Regis qui me in Angliam adduxit, & pro ſalute Dominæ meæ Matildis Reginæ matris vxoris meæ, & pro ſalute Domini mei Willielmi Regis filij ſui, poſt cuius aduentum in Anglicam terram, hanc Chartam feci, & qui me Comitem Surregiæ fecit, &c* Huic filius, & ex filio nepos eodem nomine ſucceſſerunt: verùm vltimus iſte ſolam filiam ſuſcepit, quæ primò Guilielmum Stephani Regis filium, & poſtea Hamelinum Galfredi *Plantageneti* Comitis Andegauenſis nothum, maritos eodem titulo adornauit. Priore autem marito ſine prole defuncto, Hamelinus Guilielmum Surriæ Comitem ex ea genuit, cuius poſteri, aſcito *Warrennorum* nomine, eundem titulum geſſerunt, Guilielmus hic duxit primogenitam & cohæredem Guilielmi Mareſcalli Comitis Penbrochiæ, viduam Hugonis *Bigod*, quæ illi peperit Ioannem, Ioannes verò ex Alicia filia Hugonis * *Le Brune* vterina ſorore Regis Henrici Tertij progenuit Guilielmum qui obijt ante patrem, & ex Ioanna *Vere* filia Comitis Oxoniæ Ioannem poſthumum vltimum ex hac familia Comitem genuit, qui fuit (vt in ſigillo eius vidi) *Comes Warrenniæ, Surriæ, Strathernia in Scotia, Dominus de Bromfeld & Tale, Comeſque Palatij.* Verùm cùm ille ſine legitima prole diem anno XXI. Edwardi Tertij obiiſſet, Alicia eius ſoror & hæres enupta Edmundo Comiti Arundeliæ, hunc honorem in Arundeliorum ſtirpem matrimonio intulit, a qua per Mowbraios tandem ad Howardos deuenit. Thomas enim Mowbraius in vxorem duxit ſororem natu maximam & cohæredem Thomæ *Fitz-Alan*, Comitis Arundeliæ, & Surriæ. Ducis tamen Surriæ titulum interea Thomæ Holando Cantij Comiti præbuit Richardus II quo honore non

Comites Surriæ, qui etiam Comites *Warenna* dicti.

Inſignia Comitum Warennæ.

* Checky, or & Azur.

* Comes Marchiæ in Gallia.

diu vsus erat. Dum enim Richardum illum captiuum in libertatem, regnumque restituere occultis conspirationibus machinaretur, è latebris præter opinionem erupit coniuratio, & ille fugiens a populo Cirencestriæ interceptus, & securi percussus. Thomas de *Beaufort* deinde, qui regis Cancellarius (si Thomæ Walsinghamo credamus) hanc dignitatem gessit. Anno enim vt habet ille 1410. *Dominus Tho. Beaufort Comes Surrey concessit in fata.* In hoc fidem suam liberet Walsinghamus, nihil tale in Archiuis Regis habetur, sed quòd Thomas de *Beaufort*, circa ea tempora factus fuerit Cancellarius. Certum autem ex publicis regni actis quòd Rex Henricus Sextus anno regni sui XXIX. Ioannem *Mowbray* filium Iohannis Ducis *Norfolciæ*, Comitem Warrennæ & Surriæ creauerit. Demumque Rex Richardus Tertius cùm regnum scelere occupâsset, vt Howardorum familiam a *Mowbrayis* profectam sibi beneficijs adstringeret, vno eodemque die Ioannem Baronem *Howard* Norfolciæ Ducem, & Thomam eius filium Surriæ Comitem creauit, in quorum posteris hæc dignitas eluxit, & hodie elucet.

Parochiales ecclesias 140. habet hic Comitatus.

SVSSEX.

SVSSEX.



Vth-reiæ ad Austrum longo tractu subtenditur, quæ etiam olim Regnorum sedes *Suth sexia*, Saxonicè Suð-sex, hodie *Sussex*, id est, *Australium Saxonum regio*, composito ab Australi situ, & Saxonibus vocabulo, qui in Heptarchia secundum regnum hic constituerunt. Oceano Britannico tota ad Meridiem longior, quam latior recto quasi littore incumbit, sed raris stationibus, quòd mare sit breuibus atrox, ideoque fluctuosum, littusq; ipsum scopulosum. Maritimus regionis tractus colles viridantes sublime elatos habet, *Downes* vocant, qui cum ex creta pingui constent, fruges affatim profundunt. Medius tractus pratis, pascuis, aruis, lucis distinctus admodum est spectabilis. Citerior, & Borealis syluarum opacitate amœnissimus, vti olim vniuersa hæc regio, quæ syluis inuia fuerat. *Andradswald* enim sylua, Britannicè *Coid Andred*, ab vrbe proxima Anderida nominata, hoc tractu c x x. mill. pass. longitudine, x x x. latitudine occupauit, Sigeberti Occidentalium Saxonum regis fato memorabilis, qui solio deturbatus à subulco in hac confossus occubuit. Fluuiolos habet plurimos, sed qui e Septentrionali agri limite effusi, cùm statim Oceanum petant, nauigijs onerarijs subuehendis sunt impares. Ferri venis passim fœcunda est, ad quod excoquendum vndique fornaces, magna vis lignorum quotannis absumpta, torrentes multis in locis corriuati, & prata plurima in lacus, & aquas redacta, vt molas suo impetu rotent, quæ malleis ferrum tundentes omnem vicinam noctes diesque personant. Sed quod conflatur ferrum non eiusdem vbique bonitatis, in vniuersum tamen minùs tenax quam Hispanicum, siue id sit ex natura, siue tinctura: in commodum tamen Metallicis, qui magnam vim tormentorum maiorum, & alia inde conficiunt, non paruum cedit; an verò Reipublicæ in dubio est, verùm insequens ætas certius dixerit. Nec vitriariorum officinæ desunt, sed vitrum itidem, siue sit ex materia, siue ex coctione, minus purum, & translucidum, & tantùm plebeijs in vsu.

Downes. — Anderida sylua. — Ferrum. — Vitrum.

Diuiditur hæc regio vniuersa politica partitione in sex partes, quas peculiari vocabulo vocant *Rapos*, scilicet de *Chichester*, *Arundel*, *Brembre*, *Lewes*, *Peuensey*, & *Hastings*, quarum vnaquæque (præter suas Centurias) suum habet castrum, flumen, & saltum. Verùm cùm harum limites quibus circumscribuntur mihi minùs sint comperti, ego ab Occasu in Ortum littus legere constitui. Interiora enim viculis aspersa nihil fere memorabile habent. In ipso Southantoniensis agri & huius confinio *Bosenham*, vulgo *Bosham* sedet, syluis, & mari circundatum, *vbi vt inquit Beda, Dicul Scotus monachus monasteriolum habuit permodicum, & quinq; aut sex fratres paupere vita Domino famulantes*, quod longo pòst tempore in Haroldi Regis secessium fuit conuersum. E quo ille, cùm sui colligendi causa in Oceanum nauicula excurreret, aduerso vento in Galliam abreptus detinebatur, quousque Guilielmo Normanno Angliæ regnum iureiurando, post Edwardi Confessoris mortem firmauisset: quo facto & sibi exitium & Angliæ excidium illico attraxit. Quàm subdola Amphibolia versutus ille syllabarum auceps Godwinus Cantij Comes Haroldi pater hunc locum aucupatus fuerit, & literarum tendiculis Archiepiscopum deluserit, Gualterus Mapæus qui non multis post annis vixit, è suo de Nugis Curialium libro suis ipsius verbis tibi dicet. *Boseham sub Cecestria vidit Godwinus & affectauit, & multo stipatus agmine magnatum, subridens, & ludens Cantuariensi Archiepiscopo, cuius tunc erat vicus, ait, Domine da mihi* * *Boseam. Archiepiscopus autem admirans quid sibi quæstione petijt, ego, ait, do tibi Boseam. At ille continuò, cum illa manu militũ ad eius procidit, vt procurauerat, pedes, & deosculans eos, cum multa gratiarum actione recessit ad Boseham, & violenta dominatione retinuit, & cum testimonio suorum Donatorem laudauit Archiepiscopum coram Rege, posseditque pacificè.* Postea vt legimus in *Testa Neuilli* (quæ fuit Terrarum Inquisitio facta tempore Regis Ioannis.) *Willielmus Rex qui venit ad Conquæstum Angliæ dedit hoc Guilielmo filio Ancheri & hæredibus suis ad feodum firmum reddendo inde annuatim ad Scaccarium* 40. *libras argenti arsas & ponderatas, & posteà Guilielmus Marescallus tenuit illud hæreditariè.*

Bosham. — Amphibolia Comitis Godwini. — * Ad basium quod olim in homagiis præstandis adhibitum, fortitan allusum.

Chichester Britannicè *Caercei*, Saxonicè Cissan-ceaster, Latinè *Cicestria*, interius ad

 eundem



PARTE OF SVRREY
PARTE OF HAM SHIRE
Horsham
Petworth
Forest of Arondell
Stening
Picheling
Celsey Pen insi
PORTVS ARVNDI
OCEANVS BRITANNICVS
This Shire is deuided into 6 Rapes Wich are distinguished with thes letters following.
A Chechester
B Arondell
C the Rape of Bramber
D Lewes
E Peuensey
F Hastings
Market townes
Parishes
Hamletes
Castles
Chappells


SVSSEXIA
Siue Southsex. olim pars
REGNORVM
PARTE OF KENT
Ashdown forest
E
F
Rother bridge
Battell
Pevensey Mershe
Lewes
Orney Ins.
Rey
Winchelsey
Beach
Arthurus Norden delineauit. Willel. Kip Sculpsit.

eundem sinum campestri planitie iacet. Vrbs ampla satis, & mœnibus circundata, a Cissa Saxone secundo huius prouinciæ Regulo constructa, & denominata. *Cissan ceaster* enim nihil aliud est, quàm *Vrbs Cissæ*, cuius pater AElla primus Saxonum hic regnum constituit. Obscurioris tamen ante Normannicum imperium famæ, & tantùm Monasterio S. Petri, & Sanctimonialium ædicula notum: Guilielmo autem Primo regnante, (vt in Angliæ Notitia legitur) *centum in hac fuerunt Hagæ, fuitque ista ciuitas in manu Comitis * Rogeri, & sunt in iisdem mansuris sexaginta domus plusquam antea fuerant: reddebat* x v. *libras Regi, &* x. *Comiti.* Postea cum regnante Guilielmo Primo sancitum fuisset, vt Episcopales sedes ex opidulis in celebriora loca transferrentur, cathedra Episcopali, quæ in *Selsey* priùs fuerat, nobilitata florere cœpit; paucisque interiectis annis Radulphus Episcopus ecclesiam construxit, nec dum supremam manum imposuerat, cùm fortuito incendio deflagrauit. Eius tamen opera, & Regis Henrici Primi munificentia denuo surrexit, iamque præter Episcopum, etiam Decanum, Præcentorem, Cancellarium, Thesaurarium, duos Archidiaconos, & triginta Prębendarios habet. Eodemque tempore ipsa vrbs florere cœpit, florentissimaque fuisset, nisi portus sit paulo remotior, & minùs commodus, quem tamen nouo fodiendo canali commodiorem efficere iam ciues conantur. Forma verò orbiculari mœnibus inclusa, & ab omni parte nisi à Septentrione *Lauant* riuulo alluitur, portis patet quatuor ad quatuor mundi plagas, à quibus plateę rectà ducunt & se decussant in medio vbi forum celebratur, & Robertus *Read* Episcopus peristylium pulchrum è viuo saxo erexit, Castrum autem quod erat haud procul a boreali porta sedes olim fuit Comitum Arundelię, qui hinc se Cicestrię Comites scripsere, postea in Franciscanorum ędes conuersum. Quicquid interiacet portam occidentalem & australem Ecclesia Cathedralis, Episcopi palatium, Decani, & Prębendariorum ędes occupant. Quæ circa Regis Richardi Primi tempora iterum combusta. Seffridus secundus eius nominis Episcopus singula restaurauit. Ipsa sanè Ecclesia non magna quidem, sed admodum nitida cum præcelsa è saxo pyramide surgit; & in australi ecclesiæ parte ex vno latere artifici manu depingitur historia fundationis Ecclesiæ, cum iconibus Regum Angliæ, ex altero icones omnium Episcoporum tam Selsiensium, quàm Cicestrensium sumptu Roberti *Shirburn* Episc. qui admodum ornauit hanc Ecclesiam, & pro symbolo suo vbique adiunxit, CREDITE OPERIBVS. &. DILEXI DECOREM DOMVS TVAE DOMINE. Turris verò illa magna quæ prope occidentalem Ecclesiæ partem eminet, extructa fuit a R. Rimano, vt fertur, cùm prohibitus erat castellum ad *Aplederham* habitationem suam in proximo erigere, è saxis quæ ad castellum antea parauerat.

*de Monte Gomerico.

Cicestrię Comites.

Temp. H. 8.

Selsey. Phocę. Hic cochleæ laudatissimæ

Selsey illa, Saxonice Sealꝑ-eẏ, id est, vt Beda interpretatur, *Vitulorum marinorum, siue Phocarum insula* (hos enim nostra lingua *Seales* vocamus, qui semper insulas, & littus petunt, vt fœtum edant) paulò inferius est. *Locus*, vt ait Beda, *vndique mari circundatus præterquam ab occidente, vnde habet ingressum amplitudinis quasi iactus fundæ.* Octoginta septem familiarum censebatur, cùm Edilwalchius huius prouinciæ Rex Wilfrido Eboracensi antistiti exulanti dedit, qui huic populo Christum primus annuntiauit, *seruosque ducentos & quinquaginta*, vt habet ille, *non solùm baptisando à seruitute dæmoniaca saluauit, sed etiam libertatem donando humanæ iugo seruitutis liberauit.* Postea monasterium Cedwalla Rex qui Edilwalchum deuicit, hic fundauit, sedeque Episcopali illustrauit, quæ a vicesimo secundo Episcopo Stigando ad Cicestriam traducta, nunc ibi floret, & Cedwallam fundatorem agnoscit. In hac Insula, antiquæ vrbeculæ, in qua Episcopi illi sederunt, cadauer solummodo iacet, aquis intectum quoties ex alto maris æstus intumescit, cùm verò residet, apertum, & conspicuum.

Serui.

Amberley.

Fluminis deinde littus se aperit quod è S. Leonardi saltu decurrit primùm per *Amberley* vbi castrum successoribus suis Guil. *Read* Episcopus Cicestrensis regnante Edwardo III. extruxit, & deinde per *Arundell* situ decliui positum quod famâ quàm re maius, nec illa tamen admodum antiqua, ante Ælfredi enim tempora, qui eam Athelmo è fratre nepoti legauit, ne nomen quidem legi. Nisi forte *Portum Adurni* existimem corruptè dici transpositis literis pro *Portus Arundi.* Causa nominis nec ab *Arundell* fabuloso Beuosij equo, nec a Charudꝺ Cymbricæ Chersonesi promontorio quod Goropius Becanus somniauit, sed a valle qua ad *Arun* fl. sedet, si modò *Arun* sit flumini nomen, vt aliqui tradiderunt,

diderunt, qui *Aruntinam vallem* inde Latinè dixerunt. Fama verò tota est ex castro quod Saxonico imperio floruit, & statim ab ingressu Normannorum Rogerum de *Monte Gomerico* restaurâsse legimus, qui inde Arundeliæ Comes dictus. Est enim amplum situ & opere inprimis munitum. Sed huius filius Robertus de *Belesmo* qui successit Hugoni fratri, a Rege Henrico Primo proscriptus, eo, reliquisque honoribus excidit. In regem enim perfido animo bellum molitus, hoc castrum in belli sedem elegit, magnisque munitionibus locum firmauit, sed quo seditiosi successu solent. Milites namque regij ex omnibus partibus circumfusi tandem occupârunt. Roberto verò proscripto, & relegato, Rex hoc castrum, & alias eius possessiones Adelizæ Godfredi Barbati Louaniensis, Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ filiæ, quam sibi secundis nuptijs iunxerat, in dotem dedit. In cuius laudem seculo illo indocto hos non indoctos versus Anglus quidam conscripsit.

Vide Comites Salopiæ.

Anglorum Regina tuos Adeliza decores
Ipsa referre parans, Musa stupore riget.
Quid diadema tibi pulcherrima, quid tibi gemma?
Pallet gemma tibi, nec diadema nitet.
Deme tibi cultus, cultum natura ministrat;
*Non * exornari forma beata potest.*
Ornamenta caue, nec quicquam luminis inde
Accipis, illa micant lumine clara tuo.
Non puduit modicas de magnis dicere laudes,
Nec pudeat dominam te precor esse meam.

Alijs exemplaribus. * mel orari.

Illa, Rege defuncto, Guilielmum de * *Albineio* in maritum assumpsit, qui cùm Matildi Augustæ contra Stephanum Regem studeret, & hoc castrum contra illum propugnaret, in nauatæ operæ præmium Arundeliæ Comitis titulum à Matilde Augusta *Anglorum Domina* (hoc enim vsa est titulo) accepit: filiusque eius Rex Henricus II. dedit totum *Rapum* de *Arundel* Guilielmo illi *tenendum de eo per seruitium* LXXXIIII. *Militum*, *& dimid.* Eiusque filio Guilielmo Rex Richardus Primus *concessit* huiusmodi verbis *castellum de Arundel cum toto Honore de Arundell, & tertium denarium de Placitis de Sussex, vnde Comes est.* Cùmque post quintum huius cognominis Comitem soboles mascula defecisset, altera sororum & hæredum Hugonis Comitis quinti nupsit Iohanni *Fitz-Alan*, Domino de *Clun*, cuius pronepos Richardus *quòd sesitus fuit de Castro, Honore, & Dominio de Arundell in Dominico suo vt de feodo, ratione possessionis suæ eorundem Castri, Honoris, & Dominij, absque vlla alia ratione, vel creatione in Comitem, fuit Comes Arundell, & nomen, statum, & honorem Comitis Arundell &c. pacificè habuit*, vt constat ex sententia lata in Parlamento pro Ioanne *Fitz-Alan* vendicante Castrum & titulum Arundelliæ contra Ioannem *Mowbray Ducem Norfolciæ rectum per matrem hæredem arctissimo gradu.* Vnde colligitur *nomen, statum, & dignitatem Comitis adnexam esse, castro, Honori, & Dominio de Arundell* vt videre est in Rotulis Parlamentarijs Anni XXVII. Henrici Sexti, ex quibus hæc verbatim descripsi. Ex his *Fitz-Alanis* vndecimum Comitem tempora nostra viderunt, cui sine mascula prole defuncto eius ex filia nepos Philippus Howardus successit, qui cùm iniurias & difficultates exsorbere nesciret, inuidorum artibus in plagas incidit, & in extremum salutis discrimen adductus, expirauit. Thomas autem filius iuuenis honoratissimus à Iacobo Rege in integrum Parlamentaria authoritate restitutus, in quo mentis ardor ad virtutem & gloriam nobilitate sua dignissimus, & humanitate vera temperatus clarissimè elucet, paternos honores recepit.

* Alijs de *Albineto*. & de *Albiniaco*.

Comites Arundeliæ, qui etiam Sussexiæ.

Anglorum Domina.

Vide Comites Sussexiæ.

Chartę antiquę x.m. 29.

Parl. II. H. 6.

Pręter castrum & Comites nihil memorabile habet Arundelia, nam Collegium quod ibi floruit a Comitibus extructum, distractis reditibus, iam fatiscit. In Ecclesia tamen nonnulli sunt Comitum tumuli, sed ille pulcherrimus ex alabastro, in quo, medio choro iacet Thomas Comes, & Beatrix vxor eius filia Ioannis Regis Lusitaniæ. Nec omittendum hæc pulchrè inaurata inscriptio in honorem Henrici *Fitz-Alan* vltimi ex hac stirpe Comitis hîc posita, cùm nonnullis placeat.

VIRTVTI ET HONORI SACRVM.

MAGNANIMVS HEROS, CVIVS HIC CERNITVR EFFIGIES, CVIVSQVE HIC SVBTER SITA SVNT OSSA, HVIVS TERRITORII COMES FVIT: SVI GENERIS AB ALANI FILIO COGNOMINATVS, A MALATRAVERSO, CLVNENSI, ET OSVVALDESTRENSI HONORIBVS EXIMIIS DOMINVS INSVPER AC BARO NVNCVPATVS: GARTERIANI ORDINIS EQVESTRIS SANE NOBILISSIMI SODALIS DVM VIXIT ANTIQVISSIMVS: ARVNDELIAE COMITIS GVILIELMI FILIVS VNICVS ET SVCCESSOR, OMNIVMQVE VIRTVTVM PARTICEPS: QVI HENRICO OCTAVO: EDVVARDO VI. MARIAE ET ELIZABETHAE ANGLIAE REGIBVS, A SECRETIS CONSILIIS, VILLAE QVOQVE CALESIAE PRAEFECTVRAM GESSIT, ET CVM HENRICVS REX BOLONIAM IN MORINIS OBSIDIONE CINXERAT, EXERCITVS SVI MARESCALLVS PRIMARIVS, DEINDE REGIS FVIT CAMERARIVS: EIVSQVE FILIO EDVVARDO DVM CORONARETVR MARESCALLI REGNI OFFICIVM GERREBAT: EIQVE SICVT ANTEA PATRI CAMERARIVS FACTVS. REGNANTE VERO MARIA REGINA, CORONATIONIS SOLEMNI TEMPORE SVMMVS CONSTITVITVR CONSTABVLARIVS, DOMVSQVE REGIAE POSTMODVM PRAEFECTVS, AC CONSILII PRAESES: SICVT ET ELIZABETHAE REGINAE, CVIVS SIMILITER HOSPITII SENESCALLVS FVIT.

ITA VIR ISTE GENERE CLARVS, PVBLICIS BENE FVNCTIS MAGISTRATIBVS CLARIOR, DOMI AC FORIS CLARISSIMVS: HONORE FLORENS, LABORE FRACTVS, AETATE CONFECTVS, POSTQVAM ÆTATIS SVAE ANNVM LXVIII. ATTIGISSET, LONDINI XXV. DIE FEBRVARII, ANNO NOSTRAE SALVTIS A CHRISTO M.D.LXXIX. PIE ET SVAVITER IN DOMINO OBDORMIVIT.

IOANNES LVMLEY, BARO DE LVMLEY GENER PIENTISSIMVS, SVPREMAE VOLVNTATIS SVAE VINDEX, SOCERO SVAVISSIMO ET PATRONO OPTIMO MAGNIFICENTISSIME FVNERATO, NON MEMORIAE, QVAM IMMORTALEM SIBI MVLTIFARIIS VIRTVTIBVS COMPARAVIT, SED CORPORIS MORTALIS ERGÔ, IN SPEM, FOELICIS RESVRRECTIONIS RECONDITI: HANC ILLI EX PROPRIIS ARMATVRIS STATVAM EQVESTREM PRO MVNERE EXTREMO, VBERIBVS CVM LACHRYMIS DEVOTISSIME CONSECRAVIT.

Fluuius autem qui præterfluit è Septentrionali agri parte ſcatens, plurimis hinc inde riuulis increſcit, inter quos præcipuus eſt qui præterlabitur *Cowdrey* Vicecomitis *Montis-acuti* ædes ſplendidiſſimas, & ad alteram ripam *Midherſt*, quæ *Bohunos* Dominos ſuos iactat, qui pro inſignibus crucem cæruleam in aureo clypeo geſtârunt, & ab Ingelrico de *Bohun* ſub Henrico Primo, floruerunt ad Henrici VII. vſque tempora, qui filiam & hæredem Ioannis *Bohuni* Dauidi *Owen* Equiti aurato filio naturali Oweni Theodori cum opima hæreditate in vxorem dedit. Fuerunt hi *Bohuni*, vt obiter adnotem, propter obſoletam verbi antiquitatem, aliquandiu *Spigurnelli Regis*, .i. *Sigillatores Breuium* iure hæreditario; quod officium vnà cum *Serientia Capellæ* Regiæ Edwardo Primo remiſit Ioannes de *Bohun* filius Franconis, vt in Charta antiqua ea de re confecta legitur.

Bohuni de Midherſt. Inſignia Bohunorum.

Spigurnell quid.

Pettworth.

Pettworth inde cernitur, quam cum latifundijs Guilielmus de *Albineto* Comes Arun-

deliæ

deliæ Ioscelino de *Louanio* Brabanto Adelizæ reginæ fratri, filio iuniori Godfridi Ducis Brabantiæ è stirpe Caroli Magni elargiebàtur, cùm Agnetem vnicam filiam & hæredem Perciorum in vxorem duxisset. Ex quo tempore Ioscelini illius posteri (ascito sibi *Percy* nomine vt alibi dicemus) tenuerunt. Familia sane antiqua & nobilissima, quæ multò minùs interrupta maiorum serie à Carolo Magno stemma ducit, quam qui tantoperè ostentant Lotharingię Duces, & Guisij. Ioscellinus verò ille, vt in donatione eius vidi, hoc vsus est titulo. *Ioscelinus de Louanio, frater Reginæ Adelizæ, Castellanus de Arundell.* Percij. Vide in fine Northumbriæ.

Cedente ab *Aruni* ostio littore, iuxta *Tering* sedet *Offingtons* Guilielmi *West* Baronis *De-la-Ware* ædes: Hæc *Westorum* nobilis & antiqua est familia quæ nuptijs cum hæredibus *Cantelupi* de *Hempston*, & *Fitz-Reginald* filij Herberti aucta, etiam per hæredem Domini *De-la-Ware*, Baronis titulo fuit exornata. Iuxta vallum est militare agrësti aggere incinctum, quo Cæsarem castra sua vallasse ab incolis creditum: sed *Cisbury* loci nomen Cissæ opus fuisse planissimè loquitur. Qui secundus huius regni ex Saxonico genere regulus, post Ællam patrem, cum Cimeno fratre, & non parua Saxonum manu hoc littore appulit ad *Cimenshore* à Cimeno illo dictum, quod nunc nomen amisit, sed prope *Wittering* fuisse Charta donationis quam Cedwalla Rex Ecclesiæ Selsiensi fecit planissimè conuincit. Aliudque vallum ad duo a *Cisbury* milliaria, quod *Chenkbury* vocitant, spectatur. Westorum familia. Barones Laware. Cisbury. Cimenshore.

Broodwater inde propè mare adsidet Baronia Dominorum de *Camoys*, qui ab Edwardi Primi temporibus ad auorum vsque memoriam floruerunt, cùm per filias hæreditas ad *Lewkenoros*, & *Radmildos* deuenit. Ex hac familia exemplo illo & nostro æuo inaudito Ioannes de *Camois* filius Domini Radulphi de *Camois* vxorem suam Margaretam filiam & hæredem Ioannis de *Gaidesden* Willelmo *Painell Militi spontanea voluntate* (ex ipsis tabulis Parlamentarijs loquor) *dedit & demisit, eidemque dedit, concessit, relaxauit, & quieta clamauit omnia bona & catalla quæ ipsa habet, vel de cætero habere possit, & etiam quicquid erat sui de prædicta Margareta bonis & catallis cum suis pertinentijs. Ita quòd nec ipse, nec aliquis alius nomine suo in prædicta Margareta, in bonis & catallis ipsius Margaretæ de cætero exigere, vel vendicare poterit, nec deberet in perpetuum.* Hoc est, quod veteres verbo dixerunt vt *omnia sua secum haberet.* Ex qua concessione cùm illa dotem peteret in *Manerio de Torpull*, quod fuerat Ioannis de *Camois* primi mariti, lis mota est memorabilis; sed in qua illa causa cecidit, sententiaque prolata, *quòd non debuit inde dotari.* Hęc sanè indignanter commemoro, sed video non frustra fuisse quod Gregorius PP. olim Lanfraneo Archiepiscopo Cantuariensi scripserit, se audiuisse fuisse inter Scotos qui vxores nō solùm deseruerint, sed etiam vēdiderint, cùm in Anglia dederint, & demiserint. Camoys. Vxor data & concessa altera. Parl. 30. Edw. Primi.

Inferius in littore apparet *Shoreham*, olim Scope-ham, qui paulatim in viculum desijt, & hodie *Olde Shoreham* dicitur, incrementumque præbuit eiusdem cognominis alteri opido, cuius etiam maxima pars oppressa & mari æquata disparuit, portusque commoditas ex aggestis ad ostium fluminis arenis omninò ablata: cùm superioribus seculis ad *Brember* vsque, quæ à mari remotior est, naues plenis velis admittere soleret. Hoc castrum fuit olim *Breosorum*, Guilielmo enim de *Breosa* donauit Rex Guilielmus Primus, à quo *Breosæ* illi sunt oriundi qui de *Gower* & Brechiniæ Domini; & ab illis etiam in hoc agro, Leicestrensique equestres familiæ *Shirleorum*. Sed nunc pro castro, nihil est nisi rudetum, sub quo statis diebus frequentissimum forum *Stening* subiacet, quod Ælfridi testamento, nisi me fallo, *Steningham* appellatur. Shoreham. Brember castle.

Antiquus etiam ille Portvs Advrni vt videtur, ab hoc ostio vix tribus milliaribus abest, vbi cùm Saxones primò mare nostrum infestum haberent, Numerus Exploratorum sub Romanis Imp. stationem habuit, sed agglomeratis glareæ molibus nunc esse obstructus. Hunc enim fuisse *Ederington* modicum viculum quem Ælfredus ille filio suo iuniori concessit, & nomen quasi integrum, & casulæ adiunctæ nunc *Portslade* dictę, id est, *Adportum via*, quodammodo persuadet; vt taceam quàm facilè hic exscensionem facerent, cùm littus sit apertum & planum. Eamque ob causam nostri, regnante Henrico VIII. hìc præcipuè Gallorum triremes præstolabantur, dum littori nostro imminerent, & ad *Brighthelmsted* quæ maioribus nostris Brighthealmes-tun, (proxima ea statio est) vnum & alterum tuguriolum ex improuiso succenderent. Portus Adurni. Notitia Prouinciarum.

Post pauca hinc milliaria in mare euoluitur flumen anonymon è *Foresta S. Leonardi* effusum prope *Slaugham* habitationem *Couertorum* qui Henrici I I I. temporibus in hoc tractu equestri dignitate floruerunt.

Lewes. Hinc paulò remotiùs à mari *Lewes* æditiori situ adsidet, à pascuis quæ Saxones Lespa vocârunt, forsitan nominatum, frequentia & amplitudine sua inter primaria huius agri opida. Regnante Edwardo Confessore, *Reddebat* V I. *libras, & quatuor Solidos de gablo & Theloneo. Ibi Rex habebat* C X X V I I. *Burgenses. Eorum consuetudo erat, si Rex ad mare sine se mittere suos voluisset, de omnibus, cuiuscunque terræ fuissent, colligebantur* XX. *solidi, & hos habebant qui in nauibus arma custodiebant. Qui in Burgo vendit equum dat præposito nummum, & qui emit, alterum, de boue obolum, de homine* I I I I. *denarios quocunque loco emat infra Rapam. Sanguinem fundens emendat pro* V I I. *solidis, adulterium vel raptum faciens* V I I I. *sol. &* I I I I. *denarijs, & fœmina tantidem. Rex habet hominem adulterum, Archiepiscopus fœminam. Cum moneta renouatur dat* XX. *sol. vnusquisque monetarius. De his omnibus erant duæ partes Regis, & tertia Comitis.* Guil. de *Warenna* Surreiæ Comes primus hîc castrum posuit, sub quo Prioratum S. Pancratio sacrauit, & monachis Cluniacensibus repleuit, *Ob sanctitatem, religionem, & charitatem quam in Cluniaco Burgundiæ monasterio inuenit* (ex ipso fundationis autographo loquor) dum peregrè religionis ergô cum vxore profectus ibi diuerteret. Sed hoc iam in ædes Comitis Dorsettiæ est conuersum. Sex tamen in opido supersunt ecclesiæ, inter quas haud procul a castro subest ecclesiola desolata, & vepribus obsita, in cuius parietibus arcuato opere inscribuntur rudes versiculi obsoleto charactere, qui innuunt *Magnum* quendam è Danorum regio sanguine oriundum, qui solitariam vitam amplexus, ibi conditum. Sed en ipsa carmina licet manca, & cum ipsis saxorum, vt ita dicam, disiunctis commissuris hiantia.

Domesday Booke.

Magni Dani monumentum.



Quæ fortasse sic legenda,

Clauditur hic miles Danorum regia proles,
Magnus *nomen ei, magna nota progeniei,*
Deponens Magnum, prudentior induit agnum:
Præpete pro vita, fit paruulus Anachorita.

Saxonibus rerum potientibus, cùm legem ferret Æthelstanus, vt extra opida nummus non cuderetur, Monetarios hoc in loco duos instituit; Postea verò Normannicis regnantibus, funesto inter Henricum Tertium, & Barones prælio innotuit, in quo initia
1263. pugnæ prospera Regijs exitio fuere. Dum enim nonnullas Baronum turmas Edwardus
Prælium apud Lewes. Regis filius perrumpens, longiùs hostes, quasi victoria explorata, securus prosequeretur, Barones redintegratis viribus nouo prælio ita Regios profligârunt, vt Regem pacis conditiones

ditiones parùm æquas proponere, & filium Edwardum cum alijs in manus tradere adegerint. Inde per amplum & piscosum lacum iuxta *Furle* Gageorum habitationem, qui nuptijs cum altera hærede familiæ de *S. Claro* adaucti inclaruerunt, ad *Cuckmer* portum satis commodum peruenimus. Superatoque promontoriolo, quod à glarea *Beach* dicitur *Peuensey* olim Peoꝑenyea, Normannis *Peuensel*, vulgò *Pemsey* occurrit, castrum quondam Roberti Comitis Moritonij, fratris vterini Guilielmi Conquestoris, postea Guilielmi Regis Stephani filij, qui Henrico Secundo a quo dono acceperat in manus reddidit cum prædijs quæ fuerunt Richeri de *Aquila*, vnde *Honoris de Aquila* nomē acceperunt. Diuque è patrimonio sacro fuit, donec Britannicis Richmondiæ Comitibus Rex Henricus III. concessisset, a quibus denuo ad Reges deuenit: nunc verò tantùm castri parietinæ supersunt; *Honoris* verò *de Aquila* partem nonnullam *Pelihamorum* familiæ ob fidem & fortitudinem postea dono dedit Henricus Quartus. Iuxta hæc *Herst* inter syluas adsidet, quod & nomen a syluestri situ habet. Sylua enim antiquis Anglis Hyꝑſt vocabatur. Hæc statim a primo Normannorum in Angliam ingressu sedes fuit nobilium, qui a loco aliquandiu de *Herst* dicti sunt, donec Guilielmus filius Wallerani de *Herst* nomen *Monceaux* a loco forte natali (vt vsu receptum erat illo seculo) sibi adsciuit, vnde & loco adhæsit, qui iam inde *Herst Monceaux* a domino denominatus. A cuius posteris ad *Fienos* deuenit hæreditariò; *Fieny* vero illi qui & *Fenis*, & *Fienles* dicti, ab Ingelramo de *Fienes* qui Pharamusij de *Bolonia* hæredem duxerat, genus repetunt. E quibus Rich. *Fenis* Rex Henr. VI. *acceptauit, declarauit, & reputauit* esse Baronem de *Dacre*. Eundemq; titulum Rex Edw. Quartus honorarius arbiter inter ipsum & Humfredum *Dacre*, *dicto Richardo Fenis, & hæredibus legitimè procreatis confirmauit*, eò quòd in vxorem duxerat Ioannem *consanguineam & proximam hæredem* Thomæ Baronis *Dacre*. Ex quo tempore floruerunt eius posteri dignitate Baronis *Dacre*, donec nuperrimè Georgius *Fenis* Dominus *Dacre* diem sine sobole obierit. Cuius vnicam sororem & hæredem Margaretam Sampson *Lennard* Armiger virtute & humanitate singulari in vxorem duxit.

Peuensey. Florentius Wigorn. pag. 452. Rob de monte 1158. Compos. inter H. & Steph. Honor de Aquila. Herst Monceaux. *Herst*, quid. Registr. Mon. de Robertsbridg. Fienes familia. Pat. 37 Henr. 6. An. 13 Ed 4. Lord Dacre *of the South.*

Ad *Peuensey* verò (vt regrediamur) Guilielmus Normannus, (iterum quia locus postulet, paucis perstringam, quod fusiùs alibi dixerim) omnibus nauibus in Britanniam accessit, exercitum exposuit, validaque pro castris munitione opposita nauibus ignem iniecit, vt spes in virtute, & salus in victoria sola esset: statimque ad planitiem iuxta *Hastings* processit, vbi de Angliæ imperio iacta alea, & Anglo-Saxonica periodus suum finem habuit. Ibi enim Haroldus noster, licèt viribus superiori cum Danis prælio extenuatis, & militibus ex longo itinere defatigatis, secundo Idus Octobris, anno salutis CIↃLXVI. in loco *Epiton* dicto se obiecit. Cum Normanni bellicum cecinissent, primùm sagittis vtrinque emissis, aliquandiu certatum; inde collato pede, quasi vir viro congrederetur, diutius dimicatum: sed cùm fortissimè eorum impetus excepisset Anglus, Normanni equites acriter sunt inuecti. Cùm autem nec illi aciem perrumperent, ex composito, seruatis tamen ordinibus, recesserunt. Angli verò fugisse rati, statim ordines laxârunt suos, & incompositi hostibus institerunt; quos subitò illi reductis cohortibus confertissimè vndique de integro adorti, & circumfusi multa cum strage repulerunt, qui occupato loco æditiori diu restiterunt, donec ipse Haroldus sagitta transuerberatus occumberet, extemplò enim terga data, atque in fugam omnes effusi.

1066. Pugna Haroldi cum Guil. Conquestore.

Normannus victoria elatus in confecti belli memoriam Monasterium S. Martino, quod *de bello* siue *Battell* dixit, eò loci consecrauit, vbi Haroldum vulneribus confossum inter confertissimos hostes animus reliquit, vt foret quasi æternus Normannicæ victoriæ titulus. Monasterio postea accreuit eodem cognomine opidum, vel vt priuatæ historiæ verbis vtar, *Crescente monasterio, mansiones* CXV. *circa ambitum Monasterij fabricatæ sunt è quibus villa de* Bello *ordinata est.* In qua locus est ob effusum sanguinem *Sangue-Lac* Gallico verbo nominatus, qui ex terræ natura post pluuiam rubescere videtur, vnde Guilielmus Neubrigensis scripsit, sed minùs verè, *Locus ille vbi Anglorum pro patria dimicantium maxima strages facta est, si forte modico imbre maduerit, verum sanguinem, & quasi recentem exsudat: ac si apertè per ipsam rei euidentiam dicatur, quod adhuc vox tanti sanguinis Christiani clamet ad Dominum de terra.* Monasterio verò multa, & magna Priuilegia indulsit Guilielmus ille. Inter alia verò, vtar ipsis Diplomatis verbis. *Siquis latro, vel homicida, vel aliquo crimine reus timore mortis fugiens ad hanc ecclesiam peruenerit,*

Battell.

rit, in nullo lædatur, sed liber omnino dimittatur. Abbati verò ipsius ecclesiæ, liceat vbique latronem, vel furem de suspendio liberare, si forte superuenerit. Henricus etiam Primus, vt ex eius Charta loquar, *Mercatum die Dominico liberum absque omni exactione instituit.*
Mercatus die Dominico. Verùm mercatum hunc in alium diem commutari Parlamentaria authoritate nuper impetrauit Anthonius Vicecomes *Montis-acuti*, qui eò loci elegantes ædes non ita pridem extruxit. Asyli autem iura hic & passim Parlamentaria authoritate in indignioribus illis criminibus refringuntur. Videbant enim amoto supplicij metu, ferociam, & sceleratè agendi libidinem increscere, & impunitatis spem, maximam esse peccandi illecebram. Nec quicquam aliud hîc vel in vicinia memoratu dignum vidimus, quàm *Esburnham*,
Ashburnham. quæ familiæ sane si qua alia in hoc tractu vetustæ nomen impertijt suum.

Hastings. *Hastings* illa, quam dixi, Saxonicè Hæstinga-ceaster dicta, eodem littore superiùs sedet. Sunt qui ridiculè ab agilitate hoc nomen e nostra lingua deducunt, eò quòd, vt scribit M. Parisiensis, *apud Hastings ligneum agiliter castrum statuit Guilielmus Conquestor.* Videatur tamen potiùs ab Hastingo Danico pirata hoc nouum nomen accepisse, qui vbi excensionem prædabundus fecit, castella aliquando extruxit, vt apud Asserium Meneuensem de *Beamflota* castro ab illo posito in Essexia, alijsque ad *Apledor*, & *Middleton* in
Quinque Portus. Cantio legitur. Hæc regnante Athelstano suam habuit officinam Monetariam, & *Capitalis est Portus* in numero quinque portuum, qui cum suis membris *Winchelsey*, *Rhy*, &c. naues XXI. ad bellum nauale inuenire tenebatur, si qua forma aues scire, & hic & cæteri pro immunitatibus quas habent amplissimas Regi bello nauali militare obstricti fuerint,
21. Edw. 1. habe ijsdem verbis quibus hoc in Scaccarium Regium olim relatum fuerit. *Hastings cum suis membris debet inuenire ad summonitionem Regis* XXI. *naues. Et in qualibet naui debent esse* XXI. *homines fortes, apti, bene armati & apparati ad seruitium Regis. Ita tamen quòd summonitio inde fiat ex parte Regis per* XL. *dies antè. Et cum prædictæ naues & homines in illis existentes ad locum illum venerint ad quem fuerint summoniti, morabuntur ibidem in seruitio Regis per quindecim dies ad custus suos proprios. Et si Rex seruitio illorum post prædictas quindecim dies indiguerit, seu ipsos ibidem ampliùs morari voluerit, erunt naues illæ cum hominibus in illis existentibus in seruitio Regis morantes ad custus Regis quamdiu Regi placuerit. videlicet Magister capiet sex denarios per diem, & Constabularius sex denarios per diem, & quilibet aliorum tres denarios per diem.*

Comites Ew. Totum *Rapum de Hastings & Honorem* tenuerunt Comites Aucenses vulgò de *Augi* siue *Ew* in Normannia dicti, a filio notho Richardi Primi Ducis Normanniæ oriundi, vsque ad Aliciam quam regnante Henrico Tertio in vxorem duxit Radulphus de *Issoduno* in Gallia, posterique lauto patrimonio in Anglia exciderunt, quòd ad *fidem* (vt iurisconsulti tunc loquebantur) *Regis Franciæ essent.* Cęterùm vt primis Normannorum temporibus nobiles in hoc agro *Hastings* & de *Hastings* dicti fuerunt, e quibus Mattheus de *Ha-*
Inquisitio 5. Edw. 1. *stings* Manerium de *Grenocle* ea lege tenuit, vt *inueniret ad hunc portum remum quando Rex transfretaret*: ita nunc illustris Hastingorum familia, qui Huntingdonię sunt Comites, hoc titulo de *Hastings* lætatur. Edwardus enim IIII. hunc cum quibusdam, vt
Guil. Dominus Hastings. vocant *Regalitatibus* Guilielmo *Hastingo* Cubiculario suo contulit. Qui a Cominæo laudatur, quòd cùm a Lodouico XI. Gallorum Rege annuam pensionem acceperit, induci non poterat, vt Gallo Apocham, siue Chirographum traderet. Vt meum, inquit Chirographum inter rationes Quæstorum ærarij Gallici conspiciatur, minimè committam. Verùm hic in Regum amicitiam se totum immergendo, prorsus seipsum demersit. Dum enim in priuato consilio liberiùs cum tyranno Richardo Tertio loqueretur, inopinatò abreptus, & indicta caussa actutùm capite truncatus. Nec tacendum est Regem
26. H. 6. Henricum Sextum Thomam *Hoo* virum egregium quem in ordinem Georgianæ mili-
Baro de Hoo, & Hastings. tiæ adsciuerat, titulo Baronis de *Hoo* & *Hastings* exornasse, cuius filias & hæredes Galfredus *Bollen*, à quo materna origine Regina ELIZABETHA, Rogerus *Copley*, I. *Carew*, & Io. *Deuenish* in vxores duxerunt.

Winchelsey. Sinuoso inde recessu excauatur littus, cui imponitur *Winchelsey*, quod cùm eiusdem nominis antiquius opidum, Saxonice Wincels-ea dictum, inhorrescente Oceano absorberetur anno MCCL. (quo tempore facies terrarum hîc & in vicina Cantij ora, valde immutata) regnante Edwardo Primo constructum erat. Situm ob oculos Th. Walsinghami verbis proponam. *Super montem sita est prærupta altitudinis ex eo latere, quo vel ma-*
re

re respicit, vel imminet nauium stationi, vnde via quæ ab ea parte ad portum ducit, non in directum, ne nimia decliuitate descendentes in præcipitium, vel ascendentes repere potius manibus, quàm ambulare cogat, tenditur: sed obliquata in latus, nunc ad vnam partem, nunc ad aliam sinuosis flexibus sæpe recuruatur. Primùm aggere cingebatur, posteà mœnibus validis; vixque florere cœpit, cùm à Gallis & Hispanis direpta, subducenteque se Oceano, subitò quasi deflorescerer. Ex huius occasu, & Oceani beneficio *Rhie* in proximo effloruit, sed potiùs refloruit, olim enim floruisse, & Guilielmum Iprensem Cantij Comitem muniuisse, *Ipres tower*, id est, *Turris Iprensis*, & immunitates quas cum quinque portubus communes habet, satis doceant. Sed vel ex Winchelseiæ vicinitate, vel maris recessu, superioribus sæculis diu iacuit; at cùm illa iam elangueret, Edwardo Tertio regnante, respirare cœpit, qui mœnibus inclusit; patrumque memoria, Oceanus, vt iniuriam, quam fecerat, cumulatè resarciret, tempestate insolita concitatus ita irruit, & se insinuauit, vt portum perquàm commodum effecerit, quem & alia nostra memoria tempestas non parùm iuuit. Ex quo tempore, incolis, ædificijs, piscatura, & re nautica non mediocriter refloruit, hodieque vsitatus hinc est in Normanniam traiectus. An verò nomen habet a *Riue* Normannica dictione, quæ ripam significat, non facilè dixerim. Cùm tamen in actis publicis sæpissimè *Ripa* Latinè, & qui hinc pisces deferunt, *Ripiers* dicantur, in hac partem propendeo; magisque sanè propenderem, si hanc vocem pro littore Galli, vt Plinius ripam, vsurparint. Rhie.

In hunc portum se effundit *Rother*, siue *Rither* fluuius, qui ad *Ritheramfeld* (sic enim priscis Anglis vocabatur qui nobis *Rotherfeld*) emissus per *Burgwash*, olim *Burghersh*, quod suos eodem cognomine Dominos habuit, inter quos fuit Bartholomæus ille de *Burgwash* vir suo seculo magnus, qui grauissimis legationibus & Aquitanicis bellis spectatus prudentia & fortitudine promeruit vt Baro regni crearetur, in ordinem Georgianum in ipsa prima institutione inter fundatores cooptaretur, & castro Douerensi portubusque v præficeretur. Nec filius eodem prænomine degener summo splendore vixit, sed vnicam tantùm reliquit filiam in familiam *Le Despencer* elocatam, a qua magnus superest nobilium prouentus. Baronem etiam suum Guilielmum de *Echingham* tempore Edwardi Secundi habuit *Echingham* quod proximum est, cuius maiores Seneschalli erant huius *Rapi*; hereditas autem tandem per hæredes fœmellas ad Barones de *Windesor*, & ad *Tirwhittos* deuenit. Deinde *Rother* tripertitis aquis *Pontem Roberti* subit, vbi Aluredus de *S. Martino* regnante Henrico II. monasterium posuit, & prætervectus *Bodiam* Lewkneorum familiæ & claræ, & antiquæ castrum a *Dalegrigis* extructum, hic in Oceanum descendit. Maritimam Sussexiæ oram iam legi, in mediterraneis nihil est quod memorem, nisi syluas, & saltus longè lateque patentes, reliquias celeberrimæ syluæ Anderidæ recenserem. Inter quas, vt ab occasu incipiam, notissimæ sunt *Foresta de Arundell*, *Foresta S. Leonardi*, *Word Foresta*, *Ashdown Foresta*, sub qua *Buckhurst* antiquæ familiæ Saculorum habitatio, (è qua Thomam Saculum virum prudentem iuxtà ac nobilem R. ELIZABETHA Baronem de *Buckhurst* in nostra memoria erexit, in sanctius consilium adsciuit, in honoratissimum Georgianorum militum ordinem cooptauit, Angliæ Thesaurarium constituit, & iampridem Rex Iacobus Comitem Dorsettiæ creauit.) *Foresta* de *Waterdown*, & illa de *Dallington* omnium minima. Rother fl. Burghersh Barones. Echingham Baro. Roberts bridge siue Rother bridg. Bodiham. Buckhurst Baro.

Comites habuit Sussexia quinque ex familia de *Albineio* qui itidem Arundeliæ Comites dicti fuerunt. Quorum primus Guilielmus de *Albineio* Guilielmi Pincernæ Regis Henrici Primi & Domini de *Buckenham* in Norfolcia filius; qui pro insignibus vsus est leone aureo erecto in clypeo rubro, dictusque aliquando Comes Arundeliæ, aliquando Comes Cicestriæ, quòd in illis locis sedes præcipuas habuit. Hic ex Adeliza filia Godfredi Barbati Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ, vidua Regis Henrici Primi, progenuit Guilielmum Secundum Sussexiæ & Arundeliæ Comitem patrem Guilielmi Comitis Tertij, cui Mabilia soror & vna hæredum vltimi Ranulphi Comitis Cestriæ peperit Guilielmum Comitem quartum, & Hugonem Comitem quintum, vtrumque sine sobole defunctum, filiasque quatuor, quas duxerunt Robertus Dominus de *Tateshall*, Ioannes *Fitz-Alan*, Rogerus de *Somery*, & Robertus de *Monte alto*. Arundeliæ titulus postea regerminauit, vt modò dixi, in *Fitz-Alanis*; Sussexiæ verò quasi obliteratus iacuit ad nostra vsque tempora, quæ viderunt quinque *Radcliffos* è nobilissima *Fitz-Walteri* fami- Sussexiæ Comites. Vide Comites Arundeliæ.

lia (quæ a Claris stemma duxit) eo honore illustratos; Robertum scilicet, Sussexię Comitem creatum ab Henrico VIII. qui duxit Elixabetham filiam Henrici Staffordiæ Ducis Buckinghamiæ, è qua genuit Henricum Comitem secundum, cui Elizabetha filia Thomæ Howardi Ducis Norfolciæ peperit Thomam, qui Reginæ Elizabethæ a cubiculis sine liberis obijt, Heros sanè longe honoratissimus, in cuius animo & prudentiam ciuilem, & fortitudinem militarem vnà habitâsse & Anglia & Hibernia agnouit. Huic frater Henricus, illique eius vnicus filius Robertus iuuenis honoratissimus, qui nunc floret, successit.

21.Henr.8.

Parechias continet hæc Prouincia 312.

Australium Saxonum regnum.

HActenus Sussexia, quæ cum Suthreia, Regnorum fuit sedes, posteà Australium Saxonum regnum, Saxonicè Suð-ſeaxan-ric dictum, quod anno trigesimo altero à Saxonum aduentu inchoatum ab Ælla, qui vt habet Beda, *primus in gentis Anglorum regibus, cunctis australibus eorum prouincijs qui Humbro fluuio, & contiguis ei terminis sequestrantur, imperauit.* Primus Rex Christianus erat Edilwalchus, Christo baptismo regeneratus Wulphero Merciorum Rege præsente qui illum à sacro fonte suscepit, & in adoptionis signum duas prouincias donauit, Vectam scilicet Insulam, & Meanuarorum prouinciam. Sed cùm trecentesimus sextus ab huius regni initio agebatur annus, Aldinio vltimo rege ab Ina occiso, in Occidentalium Saxonum potestatem omninò concessit.

CANTIVM.



CANTIVM.



D Cantium nunc perueni, quam regionem licèt GVILIELMVS LAMBARDVS, *vir insigni eruditione, & moribus sanctißimis ornatißimus, adeò graphicè iusto volumine descripserit, vt curiosa eius fœlicitas paucula alijs reliquerit; pro sucepti tamen operis ratione, eam quoque percurram, & ne sublesta, vt inquit Comicus, fide me agere quis existimet, eum mihi fundum & fontem fuisse libens meritò hîc agnosco.*

Nomine antiquo nondum tempus hanc regionem spoliauit, sed vt Cæsari, Straboni, *Diodoro Siculo, Ptolemæo, & reliquis* CANTIVM *dictum fuerit, sic Saxonibus, teste Ninnio,* Cant-guar-lant, *id est,* Regio virorum Cantium incolentium, *& nobis* Kent. *Hoc nomen à* Cainc, *quæ Britannis frondem sonat, quia olim syluis opaca fuerit, deducit Lambardus. Ego verò (si coniecturam interponere liceat) cùm ingenti angulo in ortum hîc Britanniam excurrere viderim, obseruârimque eiusmodi angulum in Scotia* Cantir *dici, incolas item alterius anguli, in ea parte insulæ* Cantas *Ptolomæo vocari, Canganos etiam in Wallia alterum angulum tenuisse (vt taceam Cantabros, qui angulum etiam inter Celtiberos insederunt) qui vt vnius originis, vnius ita linguæ, cum nostris Britannis fuere; coniectârim à situ nomen inditum, eoque magis, tùm quòd Galli nostri,** Canton *pro angulo vsurpârint, & à veteri (vt probabile est) Gallorum lingua; non enim e Germanica, vel Latina est, quæ cum illa vetusta, huius recentioris Gallici idiomatis sunt matrices: tùm quòd* Angulus *hic ager à veteribus omnibus Geographis dicatur. Grandi etenim angulo Galliam prospectat, Tamisis æstuario, & Oceano omni ex parte circumfusus, nisi quà ad occidentem Solem, Surreiam conterminam habet, & Southsexiæ partem ad Meridiem.*

Carion corruptè apud Diodorum Siculum.

* Vnde *Canton* in arte Heraldica pro angulo, & Heluetiorum pagi *Cantones*, quasi anguli à Gallis dicti.



CANTIVM
Quod nunc KEN
PARS TRINO BANTVM
PARTE OF ESSEX
PARTE OF MIDLE SEX
LONDON
Themes mouth
TAMISIS Æstuarium
THE LATH OF SVTTON AT HONE
THE LATH OF AYLE FORDE
SCRAYE
PART OF SVRREY
PARTE OF SVSSEX
Greenwich
Eltham
Dartforde
Graueiend
Rochester
Maydston
Tunbridge
Seuenoke
Mallinge
Cranbrooke
Biddendon
Ashedown Forest
Waterdown Forest
Battell
Scala Miliarum
Iohannes Norden delineauit
William Kip Sculpsit



VM
ENT
1 Blackheath hū
2 Lesnes hun
3 Bramley hun
4 Rookesley hū
5 Axtane hun
6 Telmng trough h.
7 Shamell hun
8 Hoo hundred
9 Milton hun
10 Tenham hun
11 Feuersham hū
12 Beutē ūdbleā h
13 Westgate hun
14 Whitstaple hū
15 Bleangate hun
16 Kingslow hun
17 Downhamford h
18 Preston hun
19 Winham hun
20 Eastrye hun
21 Cornylee hun
22 Beawlborow hū
23 Felkstone hun
24 Loningborow h.
25 Kinghamford h
26 Bredge hun
27 Petham hun
28 Felborowe hun
29 Wye hundred
30 Longbridge hū
31 Bircholt frāchelle
32 Stowting hun
33 Heane hun
34 Streete hun
35 Worth hund
36 Newchurch hun
37 St Martens hū
38 Longport hun
39 Alloesbredge hū
40 Ham hund
41 Blackburne h.
42 Charte hun
43 Calehill hun
44 Eyhorne hun
45 Maydstone hun
46 Chathā & Gillinghā
47 Larkfeild hun
48 Littlefeld hun
49 Twyford hun
50 Marden hun
51 Cranebroke hū
52 Barkley hun
53 Tenterden hū
54 Oxney Ins. hū
55 Selbrightende h
56 Rolninden hū
57 Barnfeld hun
58 Brenkley & hee
59 Wachelinstone
60 Lowers & Yunbr
61 Wortham hun
62 Gadesheath hū
63 Somerden hun
64 Westram hun
1605.
The names of all the hundredes of this mappe
Shepey Ins.
Regulbium
The Lath of S. Augustine
The Lath of Sheepway
Canterbury
Feuersham
Sandwich
Dover
Dvbris
Folkston
Hyth
Portus Lemanus
New Rumney
Rye
Winchelsey
Tenterden
Ashford
Wye
Elham
Lenham
Denge
Oxney Ins.
Fretum oceani
Oceanus Fretalis
Fretum Galicum
Fretum Morianum
Brit Annici Maris Pars
Septentrio
Oriens
Occidens
Meridies
Vindelis Insula

KENT.



*Rumney Marsh.

HÆc regio quam nunc *Kent* vocamus est inæqualis, ad occasum planior, & syluis vmbrosa, ad ortum collibus molliter surgentibus excelsior. Incolæ, quà a Tamisi ad Austrum patet, in tres areas, siue portiones (Gradus vocant) distinguunt, quarum superiorem ad Tamisim salubrem, sed minùs opulentam esse ferunt, mediam, & salubrem, & opulentam: inferiorem verò opulentam, sed insalubrem, * vtpote quę magna ex parte est vliginosa, sed luxurianti gramine lætissima. Pratis tamen, pascuis, aruisque vbique ferè lęta, pomis ad miraculum abundans, nec non cerasis, quę anno a Roma condita DCLXXX. in Italiam è Ponto deuecta, & vicesimo supra centesimum pòst anno in Britanniam translata, fœlicissimè hic proueniunt, multumque agri occupant, arboribus in quincuncem, iucundissimo spectaculo directis. Villas, & oppida habet frequentissima, stationes satis tutas, ferri venas nonnullas, sed aërem crassiusculum ob halitus ex aquis euaporantes. Incolis ea humanitatis laus, quam Cæsar olim tribuit, etiamnum iure debetur; vt virtutem bellicam taceam, quam tantam in Cantianis fuisse Monachus quidam scripserit, vt in procinctu, exercitus frons illis tanquam triarijs, meritò inter Anglos debeatur. Quod etiam comprobat in suo Polycratico Ioannes Sarisburiensis. *Ob egregiæ*, inquit, *virtutis meritum, quam potenter, & patienter contra Danos exercuit Cantium nostrum primæ cohortis honorem, & primos congressus hostium vsque in hodiernum diem in omnibus prælijs obtinet.* Quorum etiam in laudem scripsit Malmesburiensis. *Gens rustica, & vrbana Cantij, plusquam cæteri Angli, antiquæ nobilitatis conscientiam adhuc spirat, & ad honorificentiam, & hospitium cuiuslibet pronior, & ad pulsandas iniurias serior.*

Plin. lib. 15. c. 25. Cęrasa in Britanniam translata circa annum Christi 48.

Militaris Cantianorum virtus.

Iulius Cęsar.

Cæsar, (vt paucula præfari liceat priusquam ad loca accedam) cùm primùm insulam nostram aggrederetur, in hac regione terram conscendit, nauibusque egredi a Britannis Cantianis prohibitus, littore non sine graui pugna potitus est. Cùm secundò etiam nos adiret, hic exercitum exposuit, Britannique cum equitatu & essedis ad Sturum flumen animosè exceperunt, sed a Romanis citò repulsi se in syluas subduxerunt. Inde cum equitatu Romano acriter prælio in itinere conflixerunt, ita tamen vt Romani omnibus partibus superiores fuerint, ac intermisso spatio rursus in Rom. impetum fecerunt, per medios audacissimè perruperunt, interfectoque Laberio Duro, militum Tribuno, incolumes se receperunt, posteroque die ad pabulatores aduolàrunt, &c. quæ superiùs e Cæsare perstrinxi. Quo tempore Cantio præfuerunt Cyngetorix, Caruilius, Taximagulus, & Segonax, quos ille, vt reges deuicisse videatur, Reges vocat, cùm tantùm reguli fuerint, vel melioris notæ nobiles. Constabilito Romanorum Imperio, sub Præside Britanniæ Primæ censebatur. Ora verò maritima, quam LITTVS SAXONICVM dixerunt, vti etiam littus oppositum à Rheno ad Xanctones, præfectum habuit a Dioclesiani tempore, quem Marcellinus *Tractus maritimi Comitem*, Notitiarum liber *Spectabilem virum littoris Saxonici Comitem per Britanniam* vocat, cuius munus erat, præsidijs ad littus per opportuna loca dispositis, barbarorum, sed inprimis Saxonum qui grauiter Britanniam infestàrunt, deprædationes cohibere. Sub dispositione autem erat illustris Magistri peditum quem Præsentalem dixerunt, qui præter præsidia ad portus, in omnia momenta Victores Iuniores Britannicianos, Primanos Iuniores, & Secundanos Iuniores, (hæc sunt cohortium nomina) illi assignauit. Officium autem habuit hoc modo. *Principem ex officio magistri præsentalium a parte peditum. Numerarios duos, Commentariensem, Cornicularium, Adiutorem, Subadiuuam, Regerendarium, Exceptores singulares, &c.* Nec dubito, quin maiores nostri hoc Romanorum institutum imitati fuerint, cùm præfectum siue Limenarcham huic oræ præfecerint, quem *Quinque portuum Guardianum* vulgò vocitant, quia, vt Comes littoris Saxonici nouem, ita quinque portubus præsit.

Pag. 26 27. &c.

Comes littoris Saxonici.

Liber Notitiarum.

Guardianus siue Custos v. portuum.

Cantium Saxonibus traditum.

Cùm autem Romani è Britannia cessissent, Vortigernus qui maximæ Britanniæ parti cum imperio pręfuit, Cantio *Guorongum* pręfecit, id est, *Proregem*, siue *Libertum*, quo nesciente, hanc regionem (vt habent Ninnius, & Malmesburiensis) statim Hengisto Saxoni, in gratiam Rowennę, eius filię quam miserè deperibat, gratis concessit. Hinc

primum

primum Saxonum in Britannia regnum anno Christi cccclvi. constitutum, illis Cant-papa-pyc .i. *Cantianorum virorum regnum* dictum, quod post annos cccxx. Baldredo vltimo rege deuicto, in occiduorum Saxonum potestatem deuenit, quibus ad Normannorum vsque imperium paruit. Tunc enim (si Thomę Spotto Monacho credamus, vetustiorum enim nemo prodidit) Cantiani ad *Suanes-combe* (viculus est, vbi Suenum Danum olim castrametatum ferunt) ramos prętendentes ea lege Guilielmo Normanno se dediderunt, vt patrias consuetudines illęsas retinerent, illamque inprimis, quam *Gauelkind* nominant. Hac terrę, quę eo nomine censentur, liberis masculis ex ęquis partibus diuiduntur, vel fœminis, si masculi non fuerint. Hac hęreditatem cùm xv. annum attigerint, adeunt, & sine Domini consensu, cuilibet vel dando, vel vendendo alienare licet. Hac filij parentibus furti damnatis in id genus fundis succedunt, &c. vt verè, quamuis minùs purè, in antiquo libro sit scriptum. *Dicit Cantij Comitatus quod in Comitatu isto de iure debet de eiusmodi grauamine esse liber, quia dicit quòd Comitatus iste, vt residuum Angliæ, nunquam fuit conquestus, sed per pacem factam se reddidit Conquestoris dominatui, saluis sibi omnibus libertatibus suis & liberis consuetudinibus primò habitis & vsitatis.* Deinceps Guilielmus victor, vt Cantium, quę tanquam Anglię clauis habetur, sibi firmiùs retineret, Connestabilem Castro Douerensi, eundemque Limenarcham v. portubus ex veteri Romanorum instituto pręfecit, & Quinque portuum custodem nominauit. Hi sunt, *Hastings*, *Douer*, *Hith*, *Rumney*, & *Sandwich*, quibus *Winchelsey*, & *Rie*, vt pręcipua, & alia opidula vt membra adiunguntur. Quę quia bello maritimo operam nauare tenentur, immunitatibus gaudent multis & magnis; vtique a *subsidiorum* pensitationibus, & lege pupillari quoad corpus sunt immunes, nec alibi quàm in suis opidis in ius vocantur, & ex incolis qui Baronum nomine gaudent, in Regum & Reginarum Anglię inaugurationibus Conopæa super eos sustentant, & à dextra Regis suam eo die habent mensam instructam, &c. Ipseque Limenarcha, qui semper aliquis est è proceribus nostris fidei spectatissimæ, in sua iurisdictione Admiralli authoritatem in plurimis aliaque iura habet. Sed iam ad loca.

Gauelkind.

Lord warden of the fiue Ports.

Vide pag. 226. in Suffexia.

Septentrionalem huius regionis partem Tamisis Britannicorum fluminum præcipuus, vt iam dixi, alluit, qui Surreiam prætergressus statim sinuoso flexu ferè in se reductus, primùm *Depford* vidit nauale notissimum, vbi regiæ naues construuntur & quassæ reparantur; ibique armamentarium insigne & quasi* collegium in vsum classis constitutum. Locus olim *West-Greenwich* vocabatur, & Gisleberto de *Mamignot* Normanno in Angliæ expugnatione obtigit, cuius è filio nepos Walkelinus castrum Douerense contra Stephanum Regem propugnauit, & filiam superstitem vnicam reliquit, quæ fratre defuncto, suis nuptijs opulentam hæreditatem dictam *Honorem de Mamignot* in *Saiorum* familiam intulit.

Depford.

* Holy Trinitie House.

Mamignot.

Hinc Tamisis *Grenouicum* adit, vulgò *Greenewich*, id est, *Sinus viridis*, (fluminis enim sinus *Wic* Germanicè dicitur) Danicæ classis statione, & Danica in Ealphegum Archiepiscopum Cantuariensem (quem anno Christi ciɔxii. exquisitis tormentis trucidârunt) immanitate olim notissimus. Cuius mortem cum caussa sic descripsit, qui sub id tempus vixit Ditmarus Mersepurgius Libro Chron. octauo. *Percepi à relatu Seuualdi factum miserabile, ac idcirco memorabile, quòd perfida Northmannorum manus, Duce adhuc Thurkilo, Cantuariæ ciuitatis egregium antistitem Ealphegum nomine, cum cæteris caperet, & vinculis & inedia ac ineffabili pœna, more suo nefando, constringeret. Hic humana motus fragilitate pecuniam eis promittit, & ad hanc impetrandam inducias posuit, vt si in his acceptabili redemptione mortem momentaneam euadere nequiuisset, semetipsum gemitibus crebris interim purgaret, hostiam domino viuam ad immolandum. Transactis tunc omnibus designatis temporibus, vorax piratarum Charibdis domini famulum euocat, & sibi promissum celeriter persolui tributum minaciter postulat. Et ille, vt mitis agnus præsto sum, paratus ad omnia, quæ in me nunc præsumitis facere, Christi amore, vt suorum merear fieri exemplum seruorum. Non sum hodie turbatus. Quòd vobis mendax videar, non mea voluntas, sed dira effecit egestas. Corpus hoc meum, quod in hoc exilio supra modum dilexi, vobis culpabile offero, & quod de eo faciatis, in vestra esse potestate cognosco: animam autem peccatricem creatori omnium, vos non respicientem, supplex committo. Talia loquentem prophanorum agmen vallauit, & diuersa hunc ad interficiendum arma congerit. Quod*

Greenwich.

Normanni ijdem qui Dani.

cum

cùm eorum dux Thurkil à longè vidisset, celeriter occurrens, ne quæso sic faciatis, inquit, aurum & argentum & omne quod hic habeo, vel vllo modo acquirere possum, excepta naui sola, ne in Christum domini peccetis, libente animo vobis omnibus trado. Tam dulci affatu infrenata sociorum ira, ferro & saxis durior, non mollitur, sed effuso innocenti sanguine placatur, quem communiter capitibus boum & imbribus lapidum atque lignorum infusione protinùs confundunt. Nunc verò Regijs ædibus celeberrimus est locus, quas Humfredus Dux Glocestrensis ædificauit, *Placentiamque* dixit: Henricus VII. magnificè adauxit, Fraterculorũ Mendicantium ędiculam adiunxit, & perfecit turrim illam quam inchoauit ille Dux Humfredus in edito colle, vnde in sinuosum flumen, & viridantia prata subiecta patet prospectus perquàm lætissimus. Quæque nunc auctior & ornatior plurimum nouo eius incolæ Henrico *Howard* Northamptoniæ Comiti se debere non potest non agnoscere. Sed *Greenwico* huic longè maximum decus est nostra ELIZABETHA, quæ hîc fœlicissimis auspicijs in lucem ædita, vniuersæ Britanniæ, imò vniuerso terrarum orbi tantam lucem regiæ virtutis splendore affudit, vt omni laude maior satis celebrari non potuerit. Sed de *Grenouico* hæc etiam Lelandi Antiquarij carmina percurre:

Ecce vt iam niteat locus petitus
Tanquam sydereæ domus cathedræ.
Quæ fastigia picta? quæ fenestræ?
Quæ turres vel ad astra se efferentes?
Quæ porro viridaria, ac perennes
Fontes? Flora sinum occupat venusta
Fundens delicias nitentis horti.
Rerum commodus æstimator ille,
Ripa qui varijs modis amœna,
Nomen contulit eleganter aptum.

Nihil aliud habeo quod hîc adnotem nisi (vt bene merentium memoria per me non intercidat) quòd Guilielmus Lambardus, vir vt summa doctrina, ita singulari pietate, ad sustentandos pauperes hîc ædes extruxit quas *Collegium Pauperum Reginæ Elizabethæ* nominauit. Huic a tergo *Eltham* secessus item regius adiacet, vix trium milliarium hinc diuerticulo, quam Antonius *Beccus* Dunelmensis Episcopus, & Hierosolymitanus Patriarcha extruxit, Æleonoræque Reginæ Edwardi Primi vxori donauit, cùm *Vesciorum* hæreditatem interuertisset, ad quos locus iste priùs spectauit. Episcopus enim ille, quem vltimus Baro de *Vescy* fiduciarium hæredem sibi scripsit, vt hæreditatem Guilielmo de *Vescy* filiolo illegitimo traderet, vix bona fide cum pupillo egisse traditur.

Eltham. *Liber Dunelmensis.*

Infra *Grenwicum*, Tamisis diuulsis aggeribus quàm plurima terræ iugera oppressit, quocum annos iam plures, nonnulli immensis sumptibus luctati, vix molibus agendis, adiacentes agros contra irruentes vndas tueri possunt. Prouenit hîc copiosè Cochlearia nostris *Scuruygrasse*, quam medicorum nonnulli Plinij Britannicam esse volunt, quo nomine ego illius iam memini, sed audi Plinium: *In Germania trans Rhenum castris a Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis solus, qua pota, intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus soluerentur. Stomacacem medici vocabant, & Sceletyrben ea mala. Reperta auxilio est herba quæ vocatur Britannica, non neruis modò & oris malis salutaris, sed contra anginas quoque & serpentes, &c. Frisij quà castra erant, nostris demonstrauere illam. Miror que nominis causam, nisi forte confines Oceano Britanniæ velut propinqua dicauere.* Aliam tamen & quidem probabiliorem nominis rationem adfert in suo Nomenclatore eruditissimus Hadrianus Iunius, quem si placeat adeas, *Britannicæ* enim vocabulum me a cursu hîc deflexit.

The breach. *Scuruygrasse.* Britannica herba. Vide in Insulis Britan. de Armamentario Britannico.

Tamisis deinde ripis suis coarctatus *Darentum* flumen obuium habet, qui e Suthreia demissus leni alueo vndas ducit haud procul a *Seuen-oke* a septem eximiæ magnitudinis quercubus, vt ferunt, denominatum, ad Oττan-ꝼoꝛꝺ, nunc *Otford* Danicæ stragis anno MXVI. consciam, Regijsque ædibus superbam, quas Warhamus Archiepiscopus Cantuariensis tanta magnificentia sibi, & suis successoribus construxit, vt ad amoliendam inuidiam, cum Henrico Octauo commutare necesse habuerit Cranmerus successor proximus.

Seuenok. *Otford.*

proximus. *Lullingston* vbi castrum olim fuit sedes familiæ nobilis eiusdem nominis, in- Lullingston.
feriùs *Darento* apponitur, qui ad ostium *Darentford*, vulgò *Dartford*, amplum & fre- *Dartford.*
quens forum suo nomini adsciscit, sub quo *Crecca* riuulus vna commiscetur; ad cuius vadum *Creccanford*, nunc *Creyford*, Hengistus Saxo octauo a Saxonum ingressu anno, signa cum Britannis contulit, cæsisque ducibus, tanta strage protriuit, vt ab illis nihil sibi deinceps metuerit, & regnum in Cantio securus constituerit.

A *Darento* ad *Medweagi* ostium nihil suspicit Tamisis præter opidula, quæ tacitus prę- terire, nullum famæ rerumue dispendium. Inter ea primas tamen ferunt *Graues-end*, no- Graues-end.
tum, si quod aliud Angliæ opidum, vtpote statio inter Cantium & Londinum, vbi vtramque ripam propugnaculis communiuit Henricus Octauus. Huic à tergo paulò Barones de
interiùs adiacet *Cobham* sedes iam diu Baronum de *Cobham*, è quibus vltimus Ioannes Cobham.
Cobham Collegium hic, & castrum ad *Couling* fundauit, filiamque reliquit vnicam vxorem Ioannis de *La-Pole* Militis, quæ vnicam etiam genuit filiam Ioannam pluribus enuptam. Peperit autem illa solummodò Reginaldo *Braybrok*. Maritus verò tertius Ioannes de *Oldcastle* dum rebus in religione innouandis studeret, suspendio & igne perijt. Reginaldi verò *Braybrooke* vnica filia Ioanna contraxit nuptias cum Thoma *Brooke* de Comitatu Somersettensi, a quo nunc Sextus erat Henricus *Brooke* Baro *Cobham*, qui, quòd suis optatis fortuna in omnibus non responderit, impotentis animi effrænatione abreptus, fidem in principem clementissimum exuit, extremique supplicij sententiam subijt: superest tamen regiæ clementiæ exemplar æternum.

A *Graues-enda Ho* regiuncula quasi Chersonessus inter Tamisim & Medweagum flu- Ho.
mina intersita hic longè in Ortum se emittit, situ minùs salubri; in qua *Cliffe* opidum sa- 1603. Ho.
tis amplum a cliuo cui insidet ita nominatum. An tamen sit illud *Clives at Ho* Synodo *Medwey.*
celebre in tenella ecclesiæ Anglicanæ ætate cum alijs affirmare non ausim, cùm ratione Cliff.
situs ad Synodum habendam sit locus parùm commodus, & illud *Clives at Ho* in Merciorum regno fuisse videatur. *Medwege* fluuius, nunc *Medway* (Britannicè, nisi me veritas fugit, *Vaga*, cui *Med* Saxones addiderunt) fontes habet in Anderida sylua, quæ *Wealde*, *Weald.*
id est, *Regio nemorosa* dicta, & meridianam huius agri partem latè occupat. Primùm Pens-herst.
dum tenuis est *Pens-hurst* præterfluit antiquæ familię *Sidneiorum* sedem, quę a Guiliel-
mo de *Sidney* Camerario Regis Henrici Secundi genus repetit. E qua fuit Henricus Sidney.
Sidneius celeberrimus ille Hibernię Prorex qui ex filia Ioannis *Dudley* Ducis Northum- Vicecomes
brię Comitisque Warwici Philippum & Robertum progenuit, Robertum primùm ti- Insulæ.
tulo Baronis *Sidney de Pens-hurst*, posteà Vicecomitis *Insulæ* honoratissimum reddidit
Rex noster Iacobus. Philippus autem mihi non sine piaculo tacendus, qui magnum hu- Vide in *Barkshire.*
ius familię sydus, magna spes hominum, expressissimum virtutis exemplum, & literati orbis amor, acriter ad Zutphenum Geldriæ cum hoste congressus fortiter occubuit. Hic Philippus Sidney.
ille Sydnæus est quem vt Deus ideo natum voluit, vt priscorum specimen nostro seculo ostenderet; ita ex improuiso ad se vt cœlo quàm terris digniorem reuocauit, & nobis subduxit. Eripit vtique se ex oculis subitò perfecta virtus, & optimi neutiquam diurnant. Placidè, si fas sit loqui, Sydnæe quiescas, nos te non lachrimis, sed admiratione decorabimus. Quicquid in te (vt de optimo illo Britanniæ Præside optimus scriptor loquitur) amauimus, quicquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, in fama rerum. Multos velut inglorios & ignobiles obliuio obruit, Sidneius posteritati narratus superstes erit. Ἀγαθοὶ enim, vt canit ille Græcus, Κρείσσονες εἰσὶ μόρου.

Hinc *Medway* fl: *Tunbridg* respergit, vbi vetus est castellum quod Richardus de *Clare* Tunbridg.
construxit, qui commutationis iure pro *Brionio* in Normannia accepit. Eius enim auus Godfredus naturalis Richardi Primi Ducis Normanniæ filius, Aucensis, & Brionij Comes erat. Cùm etenim diu de Brionio disceptatum fuisset, *Richardus*, vt scribit Guilielmus Gemiticensis, *pro repetione eiusdem castri in Anglia accepit opidum* Tunbrige. *Asserunt enim* * *Leucam Brionij cum funiculo circumcirca fuisse mensuratam & eodem fune in* *The Lowy of Tunbridg.
Angliam delato ad Tunbrige *tantundem spatij in metiendo recepisse*. Veruntamen *Manerium*, vt vocant, de *Tunbrige* eius successores Glocestriæ Comites clientelari iure ab Archiepiscopis Cantuariensibus ea lege tenuerunt, vt Archiepiscoporum in *inthronisatione* Senescalli, & eorum liberi ipsis in tutela essent. Inde *Medway* delabitur non procul

Mereworth. à *Mereworth*, vbi ædes instar castelluli quæ ab Arundeliæ Comitibus ad *Neuillos* Abergeuenniæ & *Le Despenser* Dominos deuenerunt, quorum hæres rectâ lineâ est Maria *Fane*, cui & hæredibus Iacobus Rex primo quod tenuit Parliamento *nomen, stylum, titulum, honorem, & dignitatem Baronissæ Le Despencer restituit, dedit, & concessit &c.* Baronissa Le Despenser. *quòdque heredes successiuè sint Barones Le Despenser in perpetuum.* Ex literis patentibus. Ad *Maidston* iam properat *Medweagus*, quam cùm Saxones *Medwegiston*, & Medpeageᵹton dixerint, Vagniacæ. VAGNIACAS esse illas credo, quas Antoninus memorat, & Ninnius in suo vrbium catalogo, *Caer Megwad* corruptè, pro *Medwag* vocat: nec sanè distantiæ ratio repugnat, hinc à Nouiomago, inde à Durobroui, de qua mox agemus. Sub posterioribus Imperatoribus, vt in tabula Peutegeriana nuper a M. Velsero ędita videre est, Madus. MADVS dicitur. Sic sensim voluentibus annis sensim immutantur nomina. Opidum hoc est frequens & cultum, magnáque longitudine extentum. In medio Archiepiscoporum Cantuariensium palatium, a Ioanne *Vfford* Archiepiscopo inchoatum, & a Simone *Islip* absolutum habet; alter item publicus totius huius agri carcer hic constituitur, immunitatésque plurimas Reginæ ELIZABETHAE fert acceptas, quæ *Maiorem* summum magistratum instituit, Portgreuius. pro *Portgreuio*, quem priùs habuit; quod adnoto, quia antiquum hoc sit Saxonicum vocabulum, & apud Germanos etiamnum rectorem denotet, vt *Markgraue, Reingraue, Landtgraue*, &c.

Hic sub Vagniacis, ab oriente Sole fluuiolus Medwegæ consociatur, qui ab *Leneham* Dorolenum. Leneham. surgit, quæ Antonino, coniecturâ probabili, DVROLENVM est, perperam in nonnullis exemplaribus DVROLEVVM. *Durolenum* enim *Lenum aquam* Britannis sonat, & præter nominis reliquias, distantia etiam à DVROVERNO, & DVROBROVI, hoc esse Durolenum comprobat; vt taceam situm ad viam Consularem Romanorum, quæ olim à Douer (vt author est Higdenus Cestrensis) per medium Cantium duxit.

Bocton Malherb. In vicinia ad *Bocton Malherb* iam diu habitauit nobilis familia *Wottonorum*, è qua nostra memoria effloruit & Nicholaus *Wotton* Legum Doctor qui Henrico Octauo, Edwardo Sexto, Mariæ & Elizabethæ RRRR. a consilijs sanctioribus, nouies ad exteros principes legatus, ter ad pacem inter Anglos, Gallos & Scotos delegatus longum vitę stadium magna piæ prudentiæ laude decurrit; & Edwardus *Wotton* eius è fratre pronepos, quem ob multiplicem rerum vsum Elizabetha Regina Aulæ Regiæ Censorem con- Wotton Baro. stituit, & Iacobus R. Baronem *Wotton de Merlay* creauit.

Leedes castle. Nec aliud oppositum habet hic fluuius quod memorem præter *Leedes* Castrum, Creuequer familia. quod fuit *Creuequerorum* nobilium opus, qui in antiquis Chartis de *Creuecuer*, & *Crepito corde* nominantur. Posteà Bartholomæi Baronis de *Badilsmer* inauspicata erat sedes, qui illud perfidè contra EDVVARDVM Secundum, à quo dono acceperat, communiuit; sed postea meritas perfidiæ pœnas suspendio soluit. Rem totam, si placet, legas ex historiola Thomæ *De-la-More* viri nobilis qui eadem tempestate vixit, quamq; nuper in lucem ædidi. *Anno* CIↃ. CCC. XXI. *venit Isabella Regina ad castrum de* Leedes *circa festum Michaelis, atque ibi pernoctare voluit, at verò non est permissa ingredi. Hac re Regis animo offenso, vt in suum contemptum acta, conuocatis vicinis ex Essexia & Londino nonnullis Castrum iussit obsideri: Castrum tenuit Bartholomaus de* Badilsmer, *in quo relicta vxore & filijs, ipse cum reliquis Baronibus ad res Hugonum De-spenser euertendas profectus fuerat. Interim inclusis de salute desperantibus, Barones cum suis* Kingston *vsque peruenerunt rogantes per intermissos Episcopos Cantuariensem, & Londinensem, & Comitem Pembrochia, vt obsidionem Rex solueret, polliciti se post proximum Parlamentum Castrum Regi in manus tradituros. Rex verò perpendens non posse diu obsessos resistere, exasperatus eorum contumacia, Baronum petitiones audire noluit: quibus in alias partes conuersis, postea non modico labore Castro potitur, reliquis in eo repertis suspensis, vxorem cum filijs ad Turrem Londinensem misit.*

Ailesford. Sic *Leno* fluuiolo recepto *Medweagus* per vberrima arua, & *Allington* castrum, vbi splendidas ædes restaurauit Th. *Wiat* senior, Eques auratus splendidè doctus, decidens *Ailesford* peruenit, Saxonicè Eaᵹlerꝼoꝛd, Henrico Huntingdonensi *Elstre*, Ninnio *Epifford*, qui prodidit Britannicè *Saissenaeg-haibail* etiam dictum à Saxonibus ibi deuictis, vti *Anglesford* alij eodem sensu vocarunt. Guortimerus enim Britannus Guortigerni filius Hengistum & Anglo-Saxones hic aggressus est; quos incompositos, cùm

secundum

secundum impetum sustinere non possent, ita fugauit omnes, vt de illis actum fuisset; nisi Hengistus declinandi periculi gnarus, in Tanetum insulam se recepisset, donec inuictus ille Britannorum impetus deferueret, & integra subsidia è Germania aduenirent. Ceciderunt hoc prælio duces partium, Catigernus Britannus, & Horsa Saxo, quorum hic ad *Horsted* non procul hinc sepultus loco nomen reliquit: ille magnifico elatus funere contumulatus creditur prope *Ailesford*, vbi quatuor illa vasta saxa erecta, alijs transuersarijs superimpositis ad formam Britannici eius monumenti, quod *Stongheng* dicitur. Hoc enim imperitum vulgus à Catigerno *Keith coty house* hodiè vocat. Nec tacendum in proximo *Boxley*, vbi Monasterium anno CIƆCXLV. posuit Guilielmus de *Ipre* Flandrensis Comes Cantij monachis eò a Claraualle Burgundiæ translatis: & haud procul ab altera è regione ripa *Birling* sedet, Baronia olim *Maminotorum*, deinde *Saiorum*, quorum tandem hæreditas per fœminas ad familias de *Clinton*, *Fienes*, & *Aulton* deuenit. *Horsted.* Catigerni sepulchrum. *Boxley.* Birling.

Orientali Medweagi ripæ (cùm præteruectus sit *Halling* vbi ædes successoribus suis posuit Hamo de *Heath* Episcopus Roffensis) paulò superiùs vetusta ciuitas apponitur, Antonino DVRO-BRVS, DVRO-BRIVAE, & alibi rectiùs, DVROPROVAE, vel DVRO-BROVAE. Bedæ *Durobreuis*, & inclinante Romano imperio, ita temporis progressus hoc nomen contraxit, vt ROIBIS nominaretur, vnde addito Ceaꞅꞇeꞃ (quod à Latinorum *Castro* deflexum maioribus nostris ciuitatem, vrbem, siue castrum significauit) hꞃoueceaꞅꞇeꞃ dicebatur, nobisque contractiùs nunc *Rochester*, & Latinè *Roffa*, à *Rhoffo* quodam, vt coniectat Beda; sed pristini illius nominis *Duro-brouis* aliquid in se retinere mihi videtur. Nec est cur quis dubitet de nomine, cùm præter Itinerariam rationem, & Bedæ authoritatem, *Durobrouis* in Charta fundationis Ecclesiæ Cathedralis expresè vocetur. Hoc tamen admoneo, in impressis Bedæ libris *Daruernum* legi, vbi in manuscriptis *Durobrouis* concipitur. In conualle sedet, muris malè firmis ex parte cincta, *situ*, vt inquit Malmesburiensis, *nimiùm angusta*, vnde olim Castellum potiùs quàm vrbs habebatur. *Castellum* enim *Cantuariorum* vocat Beda. Sed nunc ad occasum, orientem, & meridiem magnis tumet suburbijs. Casibus defuncta est non paucis. Anno Christi DCLXXVI. ab Æthelredo Mercio prostrata, & deinde à Danis sæpius direpta. Templum magnificum erexit Æthelbertus Rex Cantij, quod & dignitate Episcopali illustrauit; Iusto primo episcopo designato: verùm cùm hoc vetustati cederet, Gundulphus circa annum MLXXX. restaurauit, & presbyteris expulsis monachos induxit, quibus iam eiectis, Decanus, VI. Præbendarij, & Scholastici sunt subrogati. Iuxta templum flumini impendet castrum opere, & situ satis munitum, quod Odonem Episcopum Baiocensem, & Cantij Comitem extruxisse fama refert. Verùm Guilielmus Primus proculdubiò construxit, Legitur enim in libro *Domesday*; *Episcopus de Rouecester tenet in Elesforde pro escambio terræ in quo castellum sedet.* Certum tamen est Odonem Episcopum, cùm ex ancipiti rerum mutatione penderet, hoc contra Guilielmum Rufum tenuisse, & tandem rerum necessariarum inopia coactum, non tantùm castrum tradidisse, sed etiam de gradu deiectum solum vertisse. Verùm de restauratione huius castri habe ex *Textu Roffensi*. *Cùm Rex Guilielmus Secundus confirmare noluisset donum Lanfranci de Manerio de* Hedenham *in Comitatu Buckingham: factum ecclesiæ Roffensi, nisi Lanfrancus & Gundulphus Episcopus Roffensis darent Regi* 100. *libras denariorum. Tandem interuentu Roberti filij Hammonis, & Henrici Comitis Warwici Rex concessit quatenùs pro pecunia, quam pro concessione Manerij exigebat, vt Episcopus Gundulphus quia in opere cementario plurimùm sciens & efficax erat, Castrum Regi Roffense lapideum de suo construeret. Tandem ægrè consentientibus episcopis coram Rege, Gundulphus Episcopus castrum de suo integro totum custamine fecit.* Paulóque pòst Rex Henricus Primus, *Ecclesiæ Cantuariensi, & Archiepiscopis eius custodiam, & Constabulationem in posterum possidendam concessit*, vt habet Florentius Wigorniensis, *& in eodem turrem sibi construendi licentiam*. Ex quo tempore vna, & altera obsidione fatigatum fuit, sed tum maximè, cùm Barones armorum strepitu totam Angliam concuterent, & Simon de *Monteforti* acerrimè, sed frustrà oppugnaret, pontemque sublicium rescinderet. Pro quo saxeum arcuato opere spectatissimum è Gallorum manubijs substruxerunt posteà Ioannes *Cobham*, & Robertus **Knowles*, qui ab infimo gradu ad summum honoris fastigium bellica virtute conscendit. Sub hoc ponte *Medweagus* violentus, & torrens æstuat, & eluctatur, statimque sedatior

Halling. Durobreuis. In Tabula antiqua Welsero ædita Roibis. *Rochester.* *Ceaster* quid. Textus Roffensis antiquus eius ecclesiæ liber m.s. **Canolius* Gallis dicitur.

Classis Regia.

nauale se exhibet classi omnium quas Sol vidit bellico apparatu instructissimæ, & in omnia momenta paratissimæ, quam Serenissima nuper Regina Elizabetha ad suorum tutelam, & hostium terrorem maximis impensis ædificauit, ad eamque defendendam propugnaculum in ripa apposuit.

Vpnore.

Toliatis insula.

Shepey.

Minster.

Nunc *Medweagus* lætior,& latior crispantibus vndis spectatu amœnissimus fœcundos agros subluit, donec *Shepey* insulæ obiectu diuisus (quam Ptolemæi TOLIATIN esse suspicamur) duobus in Tamisis æstuarium ostijs infertur, quorum occidentale *West-swale:* orientale, quod Sheppeiam à continenti abscidisse videtur, *East-swale* dicitur, Bedæ autem *Genlad*,& *Tenlett*. Hæc ab ouibus, quarum greges numerosos pascit, *Shepey*.i.*Ouium insula* a maioribus nostris dicta, frugum vbertate singulari, sed syluis indiga, XXI. milliaria in ambitu colligit. Ad littus Septentrionale Monasteriolum, *Minster* nunc vocant, habuit a Sexburga Ercomberti Cantiani Regis vxore anno DCCX. constructum, sub quo nuper Brabantus quidam è saxis littore repertis bitumen & calcanthum fornacibus excoquere cœpit. Castellum ad Occasum prætendit elegantissimum & munitissimum, quod Rex Edwardus Tertius posuit, vt ipse scribit, *situ amœno, ad terrorem hostium, & solatium populi*, cui *Burgum* adiunxit, & in honorem Philippæ Hannoniæ Reginæ *Queenborrough*, i. *Reginæ Burgus*, appellauit. Cui nunc Constabularius præest D. Edwardus *Hobeius* mihi obseruandus, qui illustre ingenium eruditis studijs inprimis excoluit. Ad Ortum *Shurland* sedet, olim *Cheineiorum*, nunc Philippi Herberti filij secundogeniti Henrici Comitis Penbrochiæ, quem vno eodemque die Baronem *Herbert de Shurland*, & *Montis Gomerici* Comitem Rex Iacobus creaui.

Queenborrough.

Shurland.

Milton.

Sittingborn.

Tonge.

Familia de *Badilsmer*.

Pertinet hæc insula ad Centuriam de *Midleton*, à *Midleton* opido denominatam, quod nunc *Milton*. Villa olim hæc Regia, & longè maioris quàm hodie famæ, etsi Hastingus Danicus pyrata vt officeret, castrum in proximo an. DCCCXCIII. firmauerit. *Sittingburne* diuersorijs refertum, & *Tong* castri reliquiæ in vicinia cernuntur, quæ sedes fuit antiqua Guncellini de *Badilsmer*, viri magnæ nobilitatis, cuius filius Bartholomæus Guncellinum genuit, qui ex hærede Radulphi *Fitz Bernard*, Domini de *Kingsdowne*, Bartholomæum procreauit illum seditiosum, de quo dixi, qui ex Margareta *Clara* suscepit Ægidium sine sobole demortuum, Margeriam Guilielmi *Roos* de *Hamlak*, Matildem Ioannis *Ver* Comitis Oxoniæ, Elizabetham Guil. *Bohun* Comitis Northantoniæ, posteáque Edmundi de *Mortuomari*, & Margaretam Ioannis *Tiptoft* coniuges, a quibus principum & procerum pulcherrima fuit propagatio.

Feuersham.

Feuersham inde vidimus situ percommodo, vberrima enim huius regionis pars circumiacet, & sinum ad res inuehendas & euehendas habet opportunum, vnde inter vicina opida hodiè inprimis floret. Olim etiam floruisse videtur, cùm hîc prudentum regni conuentum egerit Rex Æthelstanus, legesq; condiderit anno reparatæ Salutis DCCCCIII. Stephanusq; ille qui regnum Angliæ sibi vsurpauit, Cluniacensibus monasterium posuerit, in quo ipse, vxor Matildis, & Eustachius filius fuere contumulati. Iuxtà, vt alibi per hunc agrum, hinc inde putei magnæ profunditatis reperiuntur, qui ore angusto, sed inferiùs capaci spatio, distinctas habent quasi cameras, cùm suis è creta columnis. De his variæ feruntur opiniones. Ego autem nihil quod opiner, habeo, nisi putei illi fuerint, è quibus cretam albam ad stercorandos agros effoderunt olim Britanni, vt docet Plinius. *In centenos enim*, vt inquit ille, *pedes puteos egerunt ore angustatos, sed intus spatiantes*, cuiusmodi hi ipsi sunt quos dicimus; nec alibi sanè quàm in cretaceo solo inueniuntur. Nisi quis existimet, quòd Anglo-Saxones in eundem vsum, in quem Germani, a quibus orti sunt, eiusmodi specus defoderunt. Solebant enim illi, vt author est Tacitus, *subterraneos specus aperire, eosq; insuper multo fimo onerare, suffugium hyemi & receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt: & si quando hostis aduenit, aperta populatur; Abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt quòd quærenda sunt.*

Putei in Cantio cur facti.

Reculuer.

Regulbium.

Inde aperto littore, quod cochleis & ostreis fœcundum, ostreorumque frequens viuarijs, *Reculuer* cernitur, Saxonicè, Reaculf, sed Romanis olim & Britannis REGVLBIVM, vt Notitiarum libro vocatur, qui Tribunum cohortis Primæ Vetasiorum in excubijs hîc sub littoris Saxonici Comite (sic enim tunc temporis Maritima hoc tractu ora vocabatur) egisse memorat; & hanc sanè suam antiquitatem effossis Imperatorum Romanorum

rum

rum testatur Æthelbertus Rex Cantij cùm Cantuariam Monacho Augustino concessisset, in hac sibi palatium extruxit, *Basso* Saxo monasterio ornauit, è quo Brightwaldus octauus Cantuariensis ecclesiæ Archiepiscopus euocatus erat. Hinc *Raculf-minster* etiam a monasterio dictum fuit, cùm Edredus Edmundi senioris frater ecclesiæ Christi Cantuariæ donaret. Hodie verò nihil aliud est, quàm viculus rusticus, & si quid nominis habet, ex monasterio illo habet, cuius sacræ turres Pyramidales vsui sunt nauigantibus, ad tænias quasdam, & breuia in Tamisis ostio euitanda. Vt enim canit ille in Philippeide:

> *Cernit oloriferum Tamisim sua Doridi amara*
> *Flumina miscentem.*

Nunc ad *Tanet* insulam deuenimus, quam tenui intercurrente alueo, à continente disterminat *Stoure* fl. Bedæ *Wantsum*, qui duobus in syluestri regione, quam *The Weald* vocant, disparatis fluuiolis coalescens, quàm primùm solidus fertur, *Ashford* & *Wy*, emporiola nota inuisit. Quorum vtrumque sua habuit sacerdotum Collegia, hoc à Ioanne *Kemp* Archiepiscopo Cantuariensi, qui hic natus; illud à R. *Foggo* Equite aurato constructum, & *Wie* etiam suum fontem habuit: in quem mirificam gratiam precibus cuiusdam Normanni Monachi infudit Deus, si credamus Rogero de *Houeden*, quem adeas si admiranda te delectant. Inde *Chilham*, siue vt alij vocant *Iulham*, vbi castri antiqui rudetum est, quod Fulbertus quidam de *Douer*, construxisse memoratur, cuius stirps mascula citò desiit in fœmina hærede, quam in matrimonium cum hoc castro & latifundijs accepit Richardus Regis Ioannis filius naturalis, illique natæ duæ filiæ, Lora vxor Guilielmi *Marmion*, & Isabella vxor Dauidis de *Strathbolgy* Comitis Atholię in Scotia, materq; illius Ioannis Comitis Atholiæ qui maiestatis sępiùs lęsæ damnatus, tandem, vt tanto esset conspectior quanto genere nobilior, patibulo quinquaginta pedum alto Londini suspensus, semiuiuus capite truncatus, corporisque truncus immani nimis & raro apud nos supplicij genere in ignem proiectus. Bonis autem in fiscum redactis, Rex Edwardus Primus hoc castrum cum *Centuria de Felebergh* Bartholomæo de *Badilsmer* munificè donauit, qui ab ijsdem statim ob proditionem, vt modò memini, itidem excidit.

[Margin notes: Stoure fl. — Pag. 457. Chilham. — Fulbertus de Douer. — 1306.]

Constans fama apud incolas est Iulium Cæsarem in secunda contra Britannos expeditione hic castrametatum fuisse, & inde *Iulham*, id est, *Iulij statio*, vel *domus* dictum: & ab illis, nisi me fallo, facit ipsa veritas. Prodit enim Cæsar ipse, cùm noctu à littore XII. millia pass. confecisset, ad flumen primùm cum Britannis conflixisse, ibique cùm eos in syluas coniecisset, castra muniuisse: vbi crebris arboribus succisis locum egregiè naturâ, & operâ munitum habuerunt Britanni. Hic enim locus XII. a littore mill. exactè abest, nec aliud est interpositum flumen, vt necesse fuerit, ad hunc castris primis peruenisse: in quibus decem etiam dies suos continuit, dum classem tempestate afflictam reficeret, & subduceret. Sub hoc opido, tumulus viridanti cespite vestitus ostenditur, quo conditum multis retrò ante seculis *Iul-laber* ferunt, quem alij Gigantem, alij veneficam fuisse somniant. Ego verò, cùm aliquid antiquæ memoriæ eo nomine latere existimârim, propemodum mihi persuaserim Laberium Durum Tribunum militum hic situm, quem interfecerunt Britanni in itinere ab illis, quæ dixi, castris, & inde *Iul-laber* tumulum dictum fuisse.

[Margin note: Laberius Durus Trib.]

Quinto hinc milliari *Stour* diuiso alueo, DVROVERNVM primariam huius prouinciæ vrbem rapidè alluit, nomenque fecit. *Durwhern* enim fluuium rapidum Britannis denotat. Ptolemæo pro *Durouerno* DARVERNVM, Bedæ & alijs DOROBERNIA, Saxonibus Cant-para-byriz, id est, *Vrbs populi Cantiani*, Ninnio, & Britannis *Caer Kent*, id est, *Vrbs Cantij*, nobis *Canterbury*, Latinis *Cantuaria* dicitur. Vrbs peruetusta, Romanoque sæculo proculdubio illustris, *Nec adeo magna* (vt inquit Malmesburiensis) *nec exiliter parua, quæ & terræ positione, soli affinis maxima vbertate, & integro murorum ambitu, fluuijs irrigua, nemorum opportunitate inclyta, prætereà maris vicinitate piscium fæcunda.* Heptarchia Saxonica efflorescente, regni Cantij caput, & sedes Regia fuit, donec Ethelbertus Rex eam cum *iure Regali* Augustino & Archiepiscopo gentis Anglorum consecrato elargitus esset, qui habitationem sibi & successoribus hic constituit. Et licet Metropolitica dignitas cum pallij honore (indumentum erat illud Pontificum superhumerale ex pelle ouilla, in memoriam eius qui oberrantem ouem quæsiuit, & inuentam

[Margin notes: Durouernum. — Canterbury. — Augustinus Anglorum Apostolus.]

Pallium quod. uentam humeris superposuit, crucibus intextum, & de corpore S. Petri desumptum) Londini a S.Gregorio PP. fuerit constituta; in Augustini tamen honorem huc fuit translata. Scribit enim ad Leonem PP. Kenulfus Rex Merciorum. *Quia beatæ memoriæ Augustinus qui verbum Dei Anglorum genti ministrabat, & gloriosissimè præfuit Ecclesijs Saxoniæ in ciuitate Dorobernia diem obijt, & corpus illius in Basilica B. Petri Apostolorum principis (quam successor eius Laurentius sacrauit) conditum fuisset: visum est cunctis gentis nostræ sapientibus, quatenùs illi ciuitati Metropolitanus honor haberetur, vbi eius corpus tumulo conditum est qui his partibus fidei veritatem inseruit.* Verùm siue Archiepiscopalis sedes & Metropolitica dignitas gentis nostræ sapientum authoritate. i. *Parlamentaria*, vt ad nostra tempora loquar; siue ab ipso Augustino dum in viuis erat vt alij volunt, hic instituta fuerit; Pontifices Romani qui proximè sequuti sunt, ita stabilierunt, vt ab ea diuelli nefas *anathemate & gehennali igne* luendum decreuerint. Iam inde incredibile est, quantum floruit cùm Archiepiscopali dignitate, tùm meliorum literarum schola, quam Theodorus septimus Archiepiscopus instituit: & quamuis Danico bello conquassato, & fortuitis incendijs magna ex parte subinde absumpta, semper tamen renata est splendidior.

Anno 793.

A Normannorum ingressu, cùm Gulielmus Rufus, vt est in Tabularijs Monasterij S. Augustini, *Dedisset ciuitatem Cantuariæ Episcopis ex solido, quam tenuissent anteà ex beneficio*, religionis nomine, & præsulum benignitate, inprimis Simonis *Sudbury*, qui mœnia restaurauit, non modò respirauit, sed eò splendoris quasi subitò accreuit, vt priuatorum ædificiorum pulchritudine omnes Britanniæ ciuitates adæquârit, sacrarum verò ædium magnifica structurâ, & frequentiâ celeberrimas quasque superârit. Inter has duæ maxime enituerunt, Christi scilicet, & S. Augustini, vtrumque Benedictinis monachis oppletum: Christi autem templum in medio quasi vrbis sinu, tanta maiestate se in cœlum erigit, vt procul etiam intuentibus religionem incutiat. Augustinus ille, quem dixi, hoc Romanorum fidelium opere, vt author est Beda, antiquitùs factum recuperauit, Christo sacrauit, sedesque successoribus fuit, in qua septuaginta tres iam perpetua serie sedêrunt Archiepiscopi. E quibus Lanfrancus & Guilielmus *Corboyl* superiorem Ecclesiæ partem, & qui successerunt, inferiorem, quum illud vetustius opus incendio concidisset, ad eam qua nunc cernitur amplitudinem maximis impensis, quas superioribus sæculis pia superstitio suggessit, perduxêrunt. Plurimi enim summi, medij, infimi confertim huc cum amplissimis donarijs, ad visendum Thomæ Becketti Archiepiscopi tumulum confluxêrunt. Qui ab aulicis hoc in templo trucidatus, quòd se Regi pro libertate Ecclesiastica asserenda peruicaci animo opposuisset, à Pontifice Romano in Martyrum album relatus, diuino honore colebatur, tantisq; muneribus onerabatur, vt thecæ, in qua conditæ fuerunt eius reliquiæ, vilissima pars aurum fuerit. *Gemmis raris*, vt inquit, qui vidit, Erasmus, *& prægrandibus collucebant, nitebant, fulgurabant omnia, templum etiam vniuersum plusquam Regijs opibus vndique luxuriauit*, Christique nomine quasi obliterato. in S. Thomæ transijt. Nec vlla alia re æquè celebratum fuit, ac huius memoriâ, ac sepulturâ; licèt aliorum sepulchra non immeritò iactet, inprimis Edwardi Principis Walliæ cognomento *Nigri*, herois bellica laude ad miraculum præstantissimi, & Henrici IIII. Regis Angliæ potentissimi. Verùm tot seculis accumulatas opes Henricus Octauus dispersit, monachosq; dispulit: pro quibus in hoc Christi templo Decanus, Archidiaconus, Præbendarij XII. & verbi diuini sex præcones sunt collocati, qui verbum diuinum in circumuicinis locis disseminent. Alterum templum huius pertinacissimè æmulum sub vrbem ad Orientem sedem habuit, S. Augustini nomine notum, quod ipse Augustinus, & Ethelbertus Rex eius hortatu Petro & Paulo posuerunt, vt sepultura esset, tùm Regum Cantij, tum etiam Archiepiscoporum, (nondum enim in vrbe sepelire fas erat) maximisque opibus locupletârunt, concessa Abbati officina monetaria, cum iure pecuniam signandi. Nunc verò maxima parte suis ruinis inuoluta, reliqua in ædes regias conuersa, quantum fuerit intuentibus facilè ostendit. Ipse verò Augustinus in eiusdem porticu sepultus erat, cum hoc vt testatur Thomas *Spot*, epitaphio:

S. Augustines, vulgo S. Austens.

Inclytus Anglorum præsul pius, & decus altum,
Hic Augustinus requiescit corpore sanctus.

Sed

Sed vt Beda habet, cui potior habenda fides, cum hac inſcriptione multò vetuſtiori.

Hic requiescit dominus Augustinus Dorovernensis Archiepiscopus primus, qui olim huc a beato Gregorio Romanae vrbis pontifice directus, et a Deo operatione miraculorum suffultus, et Ethelbertum regem ac gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Christi perduxit, et completis in pace diebus officii sui defunctus est septimo Kalendas Iunias, eodem Rege regnante.

Vnà cum illo in eadem porticu conſepulti erant ſex proximè ſuccedentes Archiepiſcopi, & in horum ſeptem memoriam, ſcilicet Auguſtini, Laurentij Melliti, Iuſti, Honorij Deus-dedit, & Theodoſij, hi verſiculi marmore inſculpti.

Septem sunt Angli Primates et Protopatres,
Septem Rectores, septem coeloque Triones;
Septem cisternae vitae, septemque lucernae;
Et septem palmae regni, septemque coronae,
Septem sunt stellae, quas haec tenet arca cellae.

Nihil attinet de altera eccleſia, huic vicina, dicere, quæ, vt habet Beda, à Romanis condita fuit, Martinóque ſacrata, in qua ante Auguſtini aduentum Bertha è regia Francorum ſtirpe Ethelberti vxor Chriſtianis ſacris intereſſe ſolebat. De caſtro ad Auſtrale vrbis latus fatiſcentibus nunc propugnaculis, cùm non admodum magnam præ ſe ferat antiquitatem, nihil occurrit, quod memoria dignum, niſi à Normannis conſtructum fuiſſe. De ſedis Cantuarienſis dignitate, quæ olim longè ampliſſima fuit, nihil dicam, niſi vt ſuperioribus ſeculis in Romana hierarchia, Archiepiſcopi Cantuarienſes totius Britanniæ Primates, Pontificis Romani Legati, & veluti alterius, vt dixit Vrbanus II, orbis Patriarchæ erant: ſic cùm fugata eſſet Pontificum authoritas, in Synodo, anno CIↃDXXXIIII. decretum, vt illo titulo depoſito, *Primates, & Metropolitani totius Angliæ* dicerentur. Quam dignitatem nuper geſſit Reuerendiſſimus in Chriſto pater, D. Ioannes *Whitgift*, qui & Deo vitam, & Eccleſiæ operam omnem ſanctè conſecrauit, maximóque bonorum omnium deſiderio anno CIↃDCIIII. in Chriſto obdormiuit, cui Richardus *Bancroft*, vir in Rep. Eccleſiaſtica conſtabilienda præſtanti & animi, & conſilij magnitudine datus ſucceſſor. Cæterùm Polus Borealis ſupra Cantuariæ Horizontem grad. LI. ſcrup. XVI. attollitur, Longitudo verò XXIIII. partib. LI. ſcrup. definitur.

Primas & Metropolitanus totius Angliæ.

Stour iam aquis in vnum collectis *Hackington* præterfluit, vbi Lora Leiceſtriæ Comitiſſa fœmina eo ſeculo longè honoratiſſima, animo à voluptatibus auocato ſe ab omni hominum cœtu recluſit, vt Deo ſoli vacaret. Quo tempore Baldwinus Cantuarienſis Archiepiſcopus Eccleſiam hic S. Stephano, & Thomæ Cantuarienſi inchoauit; ſed Romani Pontificis authoritate prohibitus ne fraudi ea eſſet monachis Cantuarienſibus, deſtitit. Loco tamen iam inde Stephani nomen permanſit, Rogeruſque *Manwood* Eques auratus *Baro Scaccarij* primarius, in municipali noſtro iure, doctrinæ exquiſitæ, cuius beneficentiæ egeni incolæ multum debent, maximo nuper fuit ornamento: nec minori hodie eſt filius eius Petrus *Manwood* Eques Balnei auratus, de quo cùm virtutem colat, literas, literatoſque foueat, non poſſum non niſi cum honore meminiſſe. Deinde *Stour* per *Fordich* (qui paruus *Burgus de Forewich* Guilielmi Primi libro dicitur) laudatis truttis inſignem ad *Sturemouth* fertur; vbi duo itinera diſpenſatis aquis ſibi aperit, noménque relinquens, *Wantſume* dicitur, Thanaton ab Occaſu & Auſtro inſulam faciens, ab alijs enim partibus Oceano abluitur. Hanc Solinus ATHANATON, & THANATON alijs exemplaribus dixit, Britanni *Inis Ruhin* (teſte Aſſerio) fortaſsè pro *Rhutupin* ab vrbe Rhutupina adiacente, Saxones Tanet, & Tanetland, nos *Tenet*. Terra tota eſt ex creta albicanti, frumentarijs campis fœlix, & vberi glebâ, octo mill. in longitudine extenditur, quatuor in latitudine patet, familiarumque olim ſexcentarum habebatur, pro quo in Beda mendoſè legitur *milliarium ſexcentorum*. Quòd verò Solinus nullo ſerpi angue

Hackington

S. Stephens.

Fordich.

Thanatos inſula. *Tenet*.

Quæ Anglicè *An Hide* & ex 100. conſiſtit, vt creditur, *Acris*, Latinè olim *Familia*, *Manſa*, & *Manens* dicta fuit.

hanc

hanc insulam scribat, & terram hinc asportatam angues necare, iam falsum deprehenditur. Proinde Etymologia illa ἀπὸ τοῦ θανάτου. i. à serpentium morte deducta planè labascit. Hic primam excensionem fecerunt Saxones, hîc sedes permittente Vortigerno primùm fixerunt, hîc illis perfugium, hîc magnas eorum strages ædidit Guortimerus Britannus, cùm ad *Lapidem tituli* (sic in Ninnio vocatur locus, quem *Stonar* eo ferè sensu nunc vocamus, & portum fuisse constat) præcipitatâ fugâ in myoparones coegerit. Quo etiam loco (inquit ille) iussit se sepeliri, ad compescendos, vt existimauit, Saxonum furores; quemadmodum Scipio Africanus, qui ita sibi sepulchrum statui præcepit, vt Africam prospectaret, ratus vel hoc etiam Pœnis terrori futurum. Hic etiam ad *Wippedfleete*, à Wippedo Saxone interfecto sic dictum, Britannos multis prælijs attritos fudit Hengistus. Augustinus multis pòst annis in hanc terram conscendit, cuius benedictioni regionis fœcunditatem ascripserunt sacerdotes creduli, Monachúsque Gotcelinus exclamanit. *Fœlix tellus* Tanet, *suâ fœcunditate, sed fœlicissima tot deiferorum aduenarum, imò tot ciuium supernorum hospitio.* Egbertus Rex Cantianorum tertius vt Domneuam matronam quam iniurijs prius onerauerat deliniret, latifundium hic concessit, in quo illa LXX. virginibus velatis monasterium posuit, cui præfuit Mildreda ob sanctitatem inter sanctas relata, & Reges Cantij plurima contulerunt, sed inprimis Withredus, qui, vt morem eius æui adnotem ex ipsius Donatione, *ad cumulum confirmationis cespitem terræ*, quam donauit, *super sanctum altare posuit.* Posteà Danorum direptionibus ita hæc insula fuit afflicta, qui hoc Domneuæ monasterium, omni crudelitatis genere polluerunt, vt non ante pacata Normannici Imperij tempora refloruerit.

Lapis tituli.

596.
Minster.

Neque hic tacendum quod in singularem incolarum laudem cedit, præcipuè eorum qui iuxta stationes *Margat*, *Ramsgate*, & *Brodstear* habitant. Sunt enim viri summè industrij, qui quasi Amphibij, & mari & terra victum quærunt, cum vtróque elemento rationem habent, & piscatores & aratores, & Agricolæ & nautæ; quíque stiuam in agro sulcando, ijdem clauum in nauigando tenent. Pro ratione anni retia nectunt* asellos, haleces, scombros, &c. piscantur, nauigant, merces exportant: iidem agros stercorant, arant, seminant, occant, fruges demetunt, & recondunt, in vtrumque instructissimi, sic illis labor in orbem agitur. Cúmque subinde hic naufragia fiant, obiacent enim littori formidolosa illa nauigantibus vada, & * puluini, quæ *The Godwyn*, (de quo suo loco in insulis) *The Brakes*, *The foure foote*, *The Whitdick*, &c. vocitant; strenuam in mercibus recuperandis operam nauare solent.

Diligentia singularis.

*Codde.

*Shelues.

Ad Australe *Wantsumi* ostium, quod alueum mutâsse credunt, è regione insulæ apposita fuit vrbs, quæ Ptolemæo RHVTVPIAE, Tacito PORTVS TRVTVLENSIS, pro *Rhutupensis*, si B. Rhenanus nos non fallit, Antonino RHITVPIS PORTVS, Ammiano RHVTVPIAE STATIO, Orosio RHVTVBI *portus & ciuitas*, Anglis, teste Beda, *Reptacester*, alijs *Ruptimuth*, Alfredo Beuerlacensi *Richberge*, hodie *Richborow*; sic in vno eodémque nomine variando lusit tempus. Vnde hoc enatum nomen in confesso non est. Veruntamen cùm à sabulo loca huic vicina *Sandwich*, & *Sandibay* denominentur: & *Rhyd Tufith* Britannicè *Vadum sabulosum* sonet, inde, si auderem, libentèr deducerem. In deiectu collis vrbs exporrecta videbatur. Arx æditiori loco Oceano imminebat, qui ita iam arenis inuectis excluditur, vt à milliari vix eam salutet. Longè celeberrima fuit, Romanis rerum potientibus. Hinc è Britanniâ in continentem frequens traiectus, ad hanc Romanæ classes appulêrunt; Lupicinus à Constantio in Britanniam ad coercendas Scotorum & Pictorum excursiones missus, Herulos, Batauos, & Mœsicorum numeros hîc exposuit. Theodosius etiam Theodosij Augusti pater (cui statuas, testante Symmacho, equestres ob Britanniam pacatam Senatorius ordo decreuit) cum suis Herculijs, Iouijs, Victoribus, Fidentibus (hæ Romanorum erant cohortes) huc delatus est. Posteà cùm Saxones piratæ sublatis commercijs maria bello intercluderent, & littora nostra crebris latrocinijs infestarent, Legio Secunda Augusta, quæ à Claudio Imperatore è Germania traducta, plurimos annos Iscæ Silurum in Walliâ consederat, huc translata, Præpositúmque suum hîc habuit sub Comite littoris Saxonici. Quam præposituram fortasè gessit Clemens ille Maximus, qui in Britanniâ à militibus Imperator salutatus Gratianum interfecit, & posteà Aquileiæ à Theodosio occisus. Hunc enim Ausonius Rhutupinum latronem in his versiculis de Aquileia dixit.

Rhutupiæ.

Portus Trutulensis.

Richborrow.

Clemens Maximus.

Maximus

Maximus armigeri quondam sub nomine lixa.
Fœlix quæ tanti spectatrix læta triumphi,
Fudisti Ausonio Rhutupinum Marte latronem.

Alium etiam Rhutupiarum præsidem Flauium Sanctum obliuione in Parentalibus suis vindicauit idem Poëta, de quo cecinit.

Militiam nullo qui turbine sedulus egit,
Præside lætatus quo Rhutupinus ager.

Sunt qui Rhutupini nomine Britanniam omnem intelligi volunt.

Claudium Contentum patruum, qui ingentem pecuniam fœnori inter Britannos occupatam, & vsuris multiplicatam extraneis morte præreptus liquit, hîc etiam situm funebri carmine prosequitur Ausonius.

Et patruos Elegeia meos reminiscere cantus,
Contentum, tellus quem Rhutupina tegit.

Post Saxonum aduentum floruerunt etiam Rhutupiæ. Ethelberti enim Cantij regis Regiam fuisse memorant scriptores, Bedáque ciuitatis nomine insigniuit. Iam inde deficere cœpit, nec nomen vsquam legitur, nisi apud Alfredum Beuerlacensem, qui Alcherum cum Cantuaritis Danos spolijs implicatos, ad hanc, *Richberge* tunc dictam, fudisse prodidit. Nunc verò vestigia eius omnia tempus erasit, vtque nos doceat Vrbium perinde ac hominum fata volui, hodie aruum est, in quo platearum tractus cùm seges succreuerit, se intersecantes videas. (Vbicunque enim plateæ duxerunt, rarescit seges) quas vulgò *S. Augustines crosse* appellant. Et semiruta quædam arcis mœnia solùm supersunt, quadratâ formâ sabulo tenacissimo materiata. Ἀκρόπολιν esse dijudices, situ adeò sublimi vliginosam in Taneto planitiem despicit, quam Oceanus se paulatim subtrahendo destituit. Vrbis autem area nunc aratro proscissa nummos Romanorum aureos, & argenteos, vetustatis sua indicia sæpenumerò egerit, prolémque suam paulò inferiùs ostendit, quam à sabulo Sonopyc dixerunt Saxones, nos verò *Sandwich*. Hoc è quinque portuum, quos vocant, numero, ad Septentriones & occasum mœnibus, aliàs aggere, flumine, & fossa munitum, olim Danorum furores, superiori ætate Gallorum ignes sensit; nunc incolis satis frequens, licèt portus ex aggestis arenis, & magna naue oneraria Pauli IIII. PP. in ipso alueo depressa, non sit maioribus nauigijs ferendis iusta altitudine.

Sandwich.

Sub Rhutupijs Ptolemæus CANTIVM promontorium, quasi extremum huius anguli verticem statuit, quod corruptè nonnullis exemplaribus NVCANTIVM, & ACANTIVM, & Diodoro CARION, nobis hodie *The Foreland* dicitur. Verùm omnia hæc circumquaque littora a Rhutupijs *Rhutupina littora* Poëtis dicuntur. Hinc Iuuenalis cùm Curtium Montanum delicatulum ventriconem satyricè insectaretur, de ostreis ex hoc littore Romam delatis:

Cantium Prom.

The Foreland.

Rhutupina ostrea.

—— nulli maior fuit vsus edendi
Tempestate meâ, Circæis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rhutupinóue edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu.

Et Lucanus:

Aut vaga cùm Thetis, Rhutupináque littora feruent.

A Cantio promontorio in Austrum per aliquot milliaria crebro colle exurgens procurrit littus. Sed cùm ad *Sandon*, id est, *tumulus arenarius*, & *Deale* castra vicina peruenerit, quæ Henricus VIII. patrum memoriâ extruxit, subsidet, planumque & apertum mari obiacet. Ad *Deale* illud, *Dole* Ninnius vocat (& verè opinor, iacentem enim & apertam ad mare, vel flumen, planitiem sic hodiè appellant Britanni nostri) Cæsarem appulisse constans est fama, Ninniusque suffragatur, qui barbarè scripsit: *Cæsar ad Dole bellum pugnauit:* Tabula item pensilis in Castro Douerensi, hoc idem comprobauit, fidemque etiam facit Cæsar ipse, qui aperto & plano littore se terram conscendisse, difficiliq; pugna à Britannis exceptum memorat. Vnde Lelandus noster in Cygnea Cantione:

Sandon.
Deale.
Vbi Cæsar appulit.

Iactat Dela *nouas celebris arces,*
Notus Cæsareis locus trophæis.

Ille enim (à cursu paulatim digredi liceat) omnibus, vt è Seneca habet Pomponius Sabinus, terra marique captis, Oceanum respexit, quasi orbis Romanus non sufficeret, alium cogitauit, classéque mille nauium (sic ex Cota scribit Athenæus) vel vindictæ de Britannis,

Cæsaris in Britanniam ingressus. Vide pag. 16. 17. &c.

Britannis, qui Gallis opem tulerunt, sumendæ, vt Strabo; vel Britannicarum Margaritarum spe, vt Suetonius; vel gloriæ cupiditate, vt alij tradunt, inflammatus, anno ante Christum natum LIIII. & rursus sequenti, Britanniam ingressus est. Cùm anteà, non vt fabulatur Rogerus Bachonus, speculis in ora Gallica dispositis, & arte Catoptrica quæ latentes species multiplicat; sed per speculatores, vt ipse, & Suetonius contestantur, portus & nauigationem explorasset. Quid hîc gesserit ipse satis fusè literis mandauit, & nos supra summatim ex illo, & ex amissis Suetonij monumentis de Scæua, cuius virtus in bello ciuili Dyrrachij clarissimè emicuit, quemque natione Britannum fuisse Poeta noster Iosephus in Antiocheide minùs verè prodidit, in his de Britannia versibus:

In libro de arte & natura.

Hinc & Scaua satus, pars non obscura tumultus
Ciuilis, Magnum solus qui mole solutâ
Obsedit, meliorque stetit pro Cæsare murus.

Verùm Cæsaris in nostra regione gesta ex ipso & ex illis quæ suprà scripta, petas. Nec enim ego grandæuum illum Britannum conueni, quem M. Aper (apud Quintilianum) in hac insula vidit, qui se fatebatur pugnæ interfuisse qua Cæsarem arma inferentem arcere littoribus aggressi sunt, nec historiam iam conscribere in animo habeo.

Pag. 26.

Thorax Veneris.

Huic littori satis longo tractu cumuli, velut aggeres, subsunt, quos ventus conuertisse nonnulli suspicantur: ego verò munitionem, seu potiùs naualia castra esse existimo, quæ Cæsar decem dierum labore, ne nocturnis temporibus intermissis, confecit, vt in ea afflictas naues subduceret, contráque tempestates, & Britannos, qui eas frustrà sunt adorti, tutaretur. Audio enim ab accolis hunc aggerem *Romesworke* vocari, quasi Romanorum opus. Eóque magis credo Cæsarem hic appulisse, quòd prodat septimo hinc milliari (sic enim legit antiquus liber a Fl. Constantino viro Consulari emendatus) mare ita montibus angustis contineri vti telum ex locis superioribus in littus adigi possit. Certè statim a *Deale* cautium eminentia (*moles magnificas* vocat Cicero) Crythmo quam *Sampetram* vocant, fœcunda per septem plus minùs milliaria ad *Douer* procurrit, vbi dehiscit, & se transeuntibus aperit: eáque loci est natura, vt perinde ac Cæsar scribit, inter duos colles mare admiserit, & continuerit. Hoc cautium diuortio DVBRIS interiacet, cuius Antoninus meminit, Saxones Doffa dixêrunt, nos *Douer*. Inditum nomen scribit ex Eadmero Darellus, quia clausus & impeditus erat. *Cùm enim*, inquit, *antiquis temporibus valdè eo loco portuosum mare se diffunderet, necessitate vrgente, sic effectum est, vt arctioribus quibusdam limitibus constringerent.* Guilielmus Lambardus tamen nominis rationem a *Dufyrrha*, quod Britannicè locum accliuem significat probabiliùs deduxit. Opidum quod inter cautes considet (vbi portus ipse olim fuit, quum mare se insinuaret, vti ex anchoris & nauium tabulis erutis colligitur) portus opportunitate, quæ iam ferè nulla est, & in Galliam traiectu magis celebratur, quàm sua vel elegantiâ, vel frequentiâ. Celeberrimus enim est traiectus, cautúmque olim lege erat vt nemo qui religionis gratiâ peregrè proficisceretur, alibi traijceret; & ex quinque portubus censetur, olimque tenebatur XXI. naues ad bellum apparare eadem forma qua *Hastings*, de qua diximus. Quà Oceanum iam glarea interiecta exclusum spectat, mœnibus præcinctum fuit, quorum pars aliqua superest. Templum habuit Martino sacrum a Whitredo Cantij rege fundatum, Militum etiam Templariorum ædes, quæ iam disparuerunt, sedemque præbet Archiepiscopi Cantuariensis Suffraganeo, qui cùm grauioribus Archiepiscopus negotijs districtus sit, quæ ordinis sunt, non quæ iurisdictionis episcopalis gerit. E colle, seu potiùs rupe, quæ à dextra, omni ferè ex parte confragosa in admirandam altitudinem quà mare despectat, exurgit, castellum amplissimum instar vrbeculæ, opere munitissimum, & turribus frequentissimum subiecto freto quodammodo minatur: *Clauem & repagulum Angliæ* vocat Matthæus Parisiensis. Vulgus hominum à Iulio Cæsare constructum somniat: a Romanis primò conditum ex lateribus illis Britannicis in sacello, quibus illi vsi sunt in suis substructionibus, arbitror. Præcipitante in occasum Romano Imperio, Numerum Tungricanorum, qui inter auxilia Palatina numerabantur, hic in præsidio collocârunt, è quorum apparatu sagittæ illæ magnæ videntur, è basiliscis solitæ emitti, quas pro miraculis iam ostendunt castellani. Ab Anglo-Saxonum ingressu, vsque ad confectum eorum

Naualia Cæsaris castra.

Darellus.

Sempetra.

Dubris. Douer.

Suffraganeus Archiepiscopi Cantuariensis.

Numerus Tungricanorum.

imperium,

imperium, nusquam, ne verbulum de hoc castro, siue opido legerim, nisi in schidis quibusdam ex tabula pensili hic asseruata, descriptis, quæ memorant Cæsarem, cùm ad *Deale* appulisset, & ad *Baramdowne*, (hæc equitabilis est planicies adiacens, & explicandis copijs opportuna) Britannos profligâsset, Douerense castrum inchoasse, Aruiragum postea contra Romanos muniuisse, portúmque obturasse. Arthurum deinde, & eius milites, nescio quos rebelles hîc deuicisse. Cæterùm paulò ante Normannorum aduentum, vnicum Angliæ munimentum habitum fuit, eóque nomine, Guilielmus Normannus Haroldum iureiurando adegit, vt hoc castrum cum puteo sibi in manus traderet, cùm regnum affectaret: compositisque Londini rebus nihil prius habuit, quàm hoc communire, nobilibúsque latifundia in Cantio assignare, ea lege, vt præstò cum certa militum manu ad hoc propugnandum forent, quod nunc tamen annua pecunia redimitur. Cùm enim Hubertus de *Burgo* constitutus erat Constabularius huius castri, verbis antiqui scriptoris vtor, *Ille perpendens quòd non esset tutum pro castro quolibet mense habere nouos custodes ad Wardam, procurabat per assensum Regis & omnium militum quòd quilibet miles mitteret pro Warda vnius mensis decem solidos; & quòd inde stipendiarentur certi homines electi & iurati, tàm milites, quàm pedites, ad castrum custodiendum.* Fertur Philippum Augustum Galliæ regem dixisse, cùm Lodouicus filius res nouas in Anglia moliretur, vrbésque quasdam cœpisset: *Ne in Anglia filius habet, vbi vel pedem ponat, si Douerense castrum in potestatem non redegerit;* vtique quod totius Angliæ munitissimum & Gallo opportunissimum. In altera rupe, quæ est è regione, & æquato fere iugo, ædificij cuiusdam perantiqui supersunt reliquiæ. Quidam, nescio qua persuasus ratione, *Cæsaris Aram* dixit; sed Ioannes Twinus Cantuariensis, senex eruditus qui adolescens illud magna ex parte integrum vidit, Pharum fuisse mihi affirmauit, quæ nocturno nauium cursui ignes ostenderet. Cuiusmodi altera ex aduerso ad Bononiam Galliæ extitit à Romanis posita, & longo pòst tempore à Carolo Magno restaurata, (vt testatur Regino, apud quem corruptè *Phanum* pro *Pharum* legitur) quæ nunc Gallis *Tour d' Order*, Anglis *The old man of Bullen*, vocatur. Sub hac rupe patrum memoriâ Henricus Octauus Rex potentissimus maximo labore, & infinitis impensis, defixis in ipso mari trabibus ingentibus, stilis colligatis, arborum, saxorumque cumulo iniecto molem, seu pilam, nos *The Peere* vocamus, eduxit, qua tutiùs naues subsisterent. Sed optimi regis studium inhorrescentis Oceani furor citò deuicit, operisque compages crebis fluctibus verberata se laxauit. Ad quam instaurandam Regina Elizabetha magnam pecuniæ vim erogauit, & Parlamentaria authoritas singulis Anglorum nauibus, quæ merces exportant, & important, vectigal in septennium imposuit.

Castleward mutatum.

Pharus.

Douer Peere.

Hæc ora maritima ab Europæ continente freto disiungitur, vbi maria terram perfodisse credunt nonnulli, Solinus *Fretum Gallicum* appellat, Tacitus & Ammianus *Fretum Oceani*, *& Oceanum fretalem*. Gratius Poeta *Freta Morinum dubio refluentia ponto.* Belgæ *Dehofden*, a duobus promontorijs. Nos, *The Strait of Calleis.* Galli *Pas de Callais.* Hic enim locus est, vt inquit nostri temporis Poeta,

The strait of Calais, or Narrow seas.

——————gemini quà ianua ponti
Faucibus angustis, latéque frementibus vndis
Gallorum Anglorumque vetat concurrere terras.

Horrendis, vt verè inquit Marcellinus, *hoc fretum attollitur æstibus, rursusq; in speciem complanatur camporum: bis inter duos Luna exortus affluens, bisq; remeans.* Attollente enim se Luna ad Meridianum, & sub Horizonte in opposito iam demersa, supra modum hic intumescit Oceanus, & immensa aquarum moles tanto cum murmure in littora irruit, vt non sine causa ille dixerit, *Rhutupináque littora feruent.* Et *Oceanum barbaris fluctibus frementem* dixerit D. Paulinus, vbi loquitur de terra Morinorum quam *orbis extremam* vocat.

Epist. 2 ad Victricium.

Oboriatur hîc disquisitio homine erudito qui ingenio & otio abundat, non indigna, an vbi hoc fretum iam Galliam & Britanniam interluit, isthmus fuerit, quæ olim regiones illas coniunxit, & posteà vel diluuio vniuersali, vel fluctibus irruentibus, vel terræ motu dirupta aquas peruias admiserit. Equidem orbis terrarum faciem tùm diluuio, tùm

An Britannia continenti olim iuncta.

tùm longo æui vetustate, & alijs de causis fuisse variatam; vtque insulas terræ motu, vel subducentibus se aquis terris adiunctas fuisse nemo dubitet: ita etiam terræ motu, & irruentibus vndis a continenti insulas fuisse auulsas ex authoribus fide dignissimis certo est certius. Vnde Pythagoras apud Ouidium:

Vidi ego quod quondam fuerat solidissima tellus,
Esse fretum; vidi factas ex æquore terras.

Strabo enim ex rebus præteritis futuras conijciens, isthmos & perfossas, & perfodiendas conclusit. *Vides*, inquit Seneca, *totas regiones à suis sedibus reuelli, & trans mare iacere, quod in confinio fuerat; vides & vrbium fieri gentiumq́ discidium, cùm pars naturæ, concitata est de se, vel aliquod mare ingens spiritus impegit, quorum mira, vt ex toto vis, est. Quamuis enim parte sæuiat, mundi tamen viribus sæuit. Sic & Hispanias à contextu Africæ mare eripuit. Sic hac inundatione quam poetarum maximi celebrarunt, ab Italia Sicilia* resecta est.* Vnde Virgilius:

Nat. Quæst. 6.

* Reiecta.

Hæc loca vi quondam, & vasta conuulsa ruina
(Tantum æui longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, cùm protinùs vtraque tellus
Vna foret, venit medio vi pontus & vndis,
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaq́ & vrbes
Littore diductas angusto interluit æstu.

Plinius item docet Cyprum a Syria, Euboeam, a Bœtia, Besbicum a Bithinia, cùm partes essent Continentis, fuisse abruptas; at Britanniam ita a Continenti auulsam fuisse nemo veterum dixerit; innuunt tantùm illi Virgilij & Claudiani versiculi cum Seruij coniectura, quos in ipso huius operis limine protulimus. Opinantur autem Dominicus Marius Niger, & Ioannes Twinus vir eruditissimus, & quisquis ille fuerit qui hos de Sicilia versus ad Britanniam distorsit.

Pag. 1.

——————Britannia quondam
Gallorum pars vna fuit, sed pontus & æstus
Mutauere situm, rupit confinia Nereus
Victor: & abscissos interluit æquore montes.

Cùm igitur hac in parte ex certa scriptorum authoritate firmamentm sit nullum, viri eruditi similitudines in eiusmodi fretis comparando ad veritatem indagandam, hæc & huiusmodi pensiculatè perpendenda proponunt.

An eadem sit vtroque in littore terrę natura. Quæ hîc sane reperitur, vtrumq; enim littus rupibus eminentibus eadem quasi materia, & colore quà angustissimum est consurgit, vt perruptæ videantur.

Quanta sit freti latitudo. Certè ipsæ angustiæ non multo magis patent quàm vel fretum Gaditanum aut Siculum: sc. XXIIII. milliaria vt primo intuenti reciprocantibus, vtrinque fluctibus insanientis Oceani terras diremptas fuisse suspiceris. Nam terræ motibus subsedisse vix audeo suspicari, cùm terræ-motibus hæc nostra Septentrionalis plaga admodum raris, nec illis vnquam magnis conquassetur.

Quanta sit profunditas. Vt Siculum fretum LXXX. passuum, ita hoc nostrum vix XXV. orgyarum profunditatem non excedit, cùm vtrinque mare sit multò profundius.

Cuiusmodi sit fundus, arenosus, grumosus, limosus, & an arenarum puluini in freto passim iaceant. Nullos autem iacere præter vnum eundemque in medio canali a nautis accepi, qui descrescente æstu, vix tribus orgyijs altus.

Frowen Shoale.

Postremò an aliquis in alterutro littore locus nomen habeat in antiqua lingua a diruptione, auulsione, separatione vel huiusmodi; vt Rhegium ad fretum Siculum a Græco ῥήγνυω .i. *rumpo*, nomen habet, quòd eò loci vndarum impetu Sicilia ab Italia fuerit dirupta. Nullus autem mihi cogitanti occurrit, nisi *Vitsan* in littore Gallico nomen habere quis autumet a *Gwith*, quod diuortium linguâ Britannicâ significat.

Qui Britanniam Galliæ fuisse continentem post diluuium illud vniuersale volunt, ex lupis qui apud nos olim, vt hodie in Scotia, & Hibernia frequentes, argumentantur. Qui, inquiunt, in insulis esse poterant, cùm cuncta quæ non erant in arca, deleta fuerunt animalia, nisi longo pòst tempore terra fuisset peruia, & insulæ nullæ. Beatum Augustinum exercuit hæc quæstio, ad quam ille, *Lupi & cætera animalia possunt credi ad insulas natando transisse, sed proximas* (vt cerui quotannis è Italia in Siciliam pabuli gratia) *Sunt autem quædam tam longè posita à continentibus terris, vt ad eas nulla videtur natare potuisse bestiarum. Quòd si homines eas captas secum adduxerunt, à venandi studio fieri potuisse incredibile non est: quamuis iussu Dei, siue permissu, etiam opere angelorum negandum non sit potuisse transferri. Si verò è terra exortæ sunt secundum originem primam, quando dixit Deus: Producat terra animam viuam: multò clarius apparet, non tam reparandorum animalium causâ quàm figurandarum variarum gentium propter ecclesiæ sacramentum in arca fuisse omnia genera, si in insulis quò transire non possunt, multa animalia terra produxit.* Hæc ille, nec aliquid perfectiùs politiùsque hac in re quis proferre possit. Mihi proposuisse sufficiat, lector perpendat. Qui maximè perspiciat in hac re quid est verissimum, mihi sane & sagax & perspicax habebitur. De Ciuit Dei. L. 16. c. 7.

Ex aduerso in continente consederunt MORINI, sic antiqua Celtarum lingua dicti quasi maritimi, siue maris accolæ. Eorum regio nunc *Conte de Guines*, & *Conte de Bolonois* dicitur, duosq; olim nominatissimos habuit locos, GESSORIACVM, & ITIVM, vnde Cæsar commodissimum è Gallia in Britanniam esse traiectum prodidit, plurimiq; fuisse credunt, quod nunc *Callais* vocant, sed magnus ille & eruditus Hospitalius Galliæ Cancellarius, rei antiquariæ peritissimus asserit Caletum minimè vetustum esse, tantúmque viculum fuisse, cuiusmodi Galli *Burgados* vocant, priusquam Philippus Comes Bononiensis, mœnibus incinxerit, non multis antè annis, quàm Angli expugnauerint. Nec vspiam legas aliquos inde in Britanniam soluisse ante illa tempora Itium igitur alibi quærendum existimo, ad *Vitsan*, scil. inferiùs prope *Blacness* quod nos *Whitsan* vocamus, verbo ab Itio non abludente. Huc enim omnes ex hac insula transmisisse, & inde in eadem soluisse, ex historijs nostris obseruamus, vsque adeo vt Ludouicus Iunior Rex Franciæ, cùm Thomam Cantuariensem religiosa peregrinatione inuiseret, apud Sanctum illum demisissimè supplex intercessit, vt inter *Vitsan*, & *Douer* nemo naufragio periret: quasi hinc inde eo tempore commodissimus fuerit traiectus, nec alibi sane hoc fretum magis coarctatur. Quamuis existimandum sit nauigantes in transmittendo non nauigationis compendium, sed portuum opportunitatem vtroq; in littore spectasse. Sic quamuis fretum angustissimum sit inter *Blacness* Galliæ, & *The Nesse* Angliæ: nunc tamen traijciunt inter Dubrin, & Caletum, superioribus seculis priusquam obstrueretur Portus *Vitsan*, inter illum, & Dubrin, anteà verò inter Rhutupias, & Gessoriacum, vnde Claudius Imperator, & alij quos dixi duces in Britanniam transmiserunt. GESSORIACVM hoc Plinius *Portum Morinorum Britannicum* vocare videtur, fortasse ob traiectum inde in Britanniam, Ptolemæus, apud quem in locum Itij prorepsit, *Gessoriacum nauale*, qua etiam significatione, Britanni *Bowling Long* vocitant. Nam Gessoriacum fuisse maritimum illud opidum, quod Ammianus BONONIAM, Galli *Bolongne*, Belgæ *Beunen*, nos *Bolen* vocamus, asseueranter contra Boethium Scoticum & Turnebum affirmarim; cùm ex B. Rhenani authoritate, qui * tabulam militarem antiquam vidit, in qua scriptum *Gessoriacum, quod nunc Bononia*, tùm itineraria ratione, quæ exactè respondet distantiæ, quam inter *Ambianos* & *Gessoriacum* interposuit Antoninus. Sed quod instar omnium est, pyraticam Carausij factionem, quam * Gessoriacensibus muris inclusam, & captam retulit Panegyricus Constantio A. dictus: alter ad Constantinum Maximum eius filium, ad * Bononiam fuisse deuictam commemorat, vt Bononia, & Gessoriacum sit necessariò vnum idemque opidum, vetustiúsque nomen sub eo tempore exoleuisse videatur. Nec enim iudicandum est tantos authores ad tantos principes, in huius loci notatione (recenti tùm memoria) aberrauisse. Sed quid mihi cum Gallia? Certe horum memoriam libentiùs vsurpaui, quòd maiorum nostrorum virtus sæpissimè hac in ora emicuit, qui Caletum, & Bononiam Gallis extorserunt, quorum hanc supplicanti Gallo post octennium pacta pecunia reddiderunt, illud verò, annos CCXII. Gallo fremente, tenuerunt. Nunc ad Britanniam secundo æstu reuehamur.

Morini.

Itius Portus.

Breuissimus inter Galliam & Britanniam traiectus.

Gessoriacum.

Bononia Galliæ.

Tabula Peutegeriana nunc ædita a M. Welsero.

Pag. 172. æditione Basiliensi. & Pag. 251.

A Dubri cautes ex creta, veluti ſerie cohærentes, per v. milliaria perpetuum habent dorſum vſque ad *Folkſtone*, quod olim floruiſſe Romanorum numiſmata quotidie inuenta perſuadent ; quo autem nomine incertum. Ex illis turribus fuiſſe probabile eſt, quas Romani ad Saxones arcendos (Theodoſio Iuniore regnante) *per interualla* (vt inquit Gildas) *ad meridianam Britanniæ plagam in littore collocârunt*, Anglo-Saxonibus religionis nomine celebre fuit, à monaſterio quod Eanſwida Eadbaldi regis Cantij filia virginibus conſecrauit : nunc verò viculus eſt, eiúſque partem maximam abraſit Oceanus. Baronia tamen fuit familiæ de *Abrincis*, a quibus ad Hamonem de *Crenequer*, & per eius filiam ad Ioannem de *Sandewico*, cuius è Ioanne filio neptis Iuliana eandem Ioanni de *Segranio* in dotem attulit.

Folkſtone. Barones de Folkſtone.

Conuerſa inde ad Occaſum littorum fronte, propè *Saltwood* caſtrum Cantuarienſium Epiſcoporum, quod Guilielmus Courtenæus Archiepiſcopus Cantuarienſis adauxit, & *Oſtenhanger* vbi Edwardus Baro *Poinings* prole illegitima fœcundus, ſplendida inchoauit ædificia ; ad quartum milliare *Hith* ſedet, è quinque portubus vnus, vnde & illud nomen aſſumpſit, quod Saxonibus portum ſiue ſtationem ſonat ; licèt nunc vix illud nomen ob arenas accumulatas tueatur, quibus mare longiùs excluditur. Nec tamen ita diu eſt, ex quo primùm emicuit, ex occaſu ſcilicet *Weſthythi*, Opidulum illud eſt ad Occaſum vicinum, portuſque fuit, donec hinc ſe mare proauorum memoria ſubmouerit. Originem autem vti & *Weſthithum*, Limo debuit viculo adiacenti, qui olim celeberrimus erat portus, donec arenæ quas mare euomit, obſtruxiſſent. Antoninus, & Notitiarum Liber PORTVM LEMANIS vocârunt, Ptolemæus λιμὴν, quod cùm apud Græcos ſignificatiuum ſit, Librarij vt viderentur defectum ſupplere, καινὸς λιμὴν ſcripſerunt, Latiniq; interpretes *Nouum portum* conuerterunt: cùm loci nomẽ *Limen*, vel *Leman* fuerit, vti hodie *Lime*. Stationem hic ſub Comite littoris Saxonici Præpoſitus numeri Turnacenſium habuit. Viáque hinc Militaris ſaxis conſtrata ad Cantuariam pertingit, quam Romanorum fuiſſe opus facilè dijudices, vti etiam caſtrum proximè vicinum (*Stutfall* vocant) quod in deiectu collis, decem quaſi iugera incluſit, mœniúmque reliquiæ ſuperſunt Britannicis lateribus, ſilicibus,, calcéque cum arena & grumis intrita ſic compactæ, vt nec dum vetuſtati ceſſerint. Nunc verò licèt portus non ſit, dignitatis tamen priſtinæ vmbram non tenuem retinet, *Guardianus* enim portuum hic ad *Shipway* ſolemne inijt iuſiurandum, vbi primùm magiſtratum init, & hic de cauſſis inter portuum incolas ſtatis diebus agi ſolebat.

Saltwood. Hith ſiue Hide. Portus Lemanis. Lime. Stony-ſtreet.

Nonnulli exiſtimârunt magnum flumen hoc in loco ſe exoneráſſe, quòd vnus & alter ſcriptor de *Lemano* fluuio, & *Lemanis oſtio* meminerint, ad quod Danica claſſis anno ſalutis DCCCXCII. appulſa fuerit. Sed falſos eos in loci deſcriptione opinor, tùm quòd nullus hîc fluuius niſi tenuis admodum, qui ſtatim deſpectus emoritur : tùm quòd Huntingdonenſis Archidiaconus preſſæ fidei author, illam claſſem ad *Lemanem portum* appulſam ſcribat, nec verbum de flumine habeat. Niſi quis ſentiat (quocum ego ſentire non auſim) *Rother* flu. qui ſub *Rhie* Oceano commiſcetur, hâc defluxiſſe, curſumque paulatim immutáſſe, cùm campeſtris illa planities *Rumney Marſh* terræ accreſceret. Hæc enim campeſtris regiuncula, quæ à Lemani XIIII. mill. in longitudine, VIII. latitudine, occupat numeratque opida duo, parœcias XIX. iugera plus minùs 44200. luxurianti viriditate ſaginandis pecoribus aptiſſima, maris beneficio terræ paulatim accreuit. Vnde maris donum appellare non immeritò poſſim, perinde ac Ægyptum fluminis Nili donum vocarit Herodotus, & vir perquam eruditus Hollandiæ paſcua, Boreæ & Rheni dona dixerit. Mare namque vt paria faceret, quod alibi hac in ora hauſerit, hîc reddidit, vel recedendo, vel limum ſubinde apponendo ; vt nonnulla loca quæ auorum memoria mari incubuerint, vno & altero milliari à mari iam diſiungantur. Quanta ſit ſoli vbertas, quàm numeroſa armenta paſcat, quę huc ſaginanda ex vltimis Angliæ partibus mittantur: quanta arte aggeribus contra Oceani inſultus communiatur, non facilè credat, qui non propiùs conſpexerit. Vt melius etiam adminiſtretur Rex Edw. IIII. conſtituit vt *corpus* eſſet *incorporatum* ex Baliuo, iuratis, & Communitate. Saxonico ſæculo huius incolæ * Mepſcpape *Viri paluſtres* dicti erant, & nominis ſanè ſignificatio cum loci natura optimè conuenit. Nec ego Æthelwerdum antiquum illum ſcriptorem cupiat, cùm prodit *Cinulphum*
795. *Merciorum regem vaſtâſſe Cantium, & regionem quæ Merſc-warum* dicitur. Et alibi. *Herbythum*

Rumney Marſh. Petrus Nannius. *Marſhmen.

thum Ducem à Danis in loco Merse-warum truncatum fuisse, si hanc ipsam palustrem regiunculam non innuerit. *Rumney*, siue *Romeney*, & olim *Romenal*, quod è nomine Romanorum opus fuisse coniectant nonnulli, huius tractus præcipuum est opidum, & e numero quinque portuum cuius membra censentur *Vetus Romeny* & *Lid*, quæ iunctim quin- Rumney.
que naues bellicas, ea qua antè diximus forma, apparare tenentur. Sedet æditiori tumulo Vid. pag 226.
è glarea & sabulo, portumq; ad occasum habuit satis capacem, & ad plerosq; ventos commodum, priusquàm mare se subduxisset, Incolæ, vt est in Regis Guilielmi Primi libro, *fuerunt quieti pro seruitio maris ab omni consuetudine, præter latrocinium, pacem fractam, & Feristell.* Floruitque tunc temporis inprimis, in custodias enim XII. erat diuisum, quinque habet ecclesias parochiales, Prioratum, & Nosocomium. Verùm regnante Anno 1287.
Edwardo Primo, cùm Oceanus ventorum violentia exasperatus hunc tractum operuisset, latèque hominum, pecorum, ædificiorumq; stragem dedisset; & *Prombill* viculo frequenti pessundato, etiam *Rother*, qui hic priùs se in Oceanum exonerauit, alueo emouit, ostiumque obstruxit, nouo in mare aditu compendio per *Rhiam* aperto: ita vt sensim hoc opidum deseruerit, quod iam inde decreuit, & pristinæ frequentiæ & dignitatis multum amisit.

Sub hoc, terra in Ortum euecta longiùs procurrit, (*Nesse*, quasi nasum vocamus) cui Lid.
insidet *Lid* satis frequens, quò incolæ de *Prombill* post illam inundationem comigrârunt. Denge-nesse.
Et in ipso extremo promontorio quod *Denge-nesse* vocant, vbi nihil nisi glarea & scrupi, Ilices aculeatis suis folijs perpetuò virentibus in formam syluæ humilis per mille passus & vltra lætissimè proueniunt. Inter scrupos autem illos prope *Ston-end*, cumulus maiorum lapidum conspicitur, quem vicini tumulum Sanctorum Crispini & Crispiniani esse vocant, quos in hoc littus naufragio eiectos, & in cœlestem patriam hic euocatos perhibent. Inde se reducens rectà in occasum littus fertur pisarum inter scrupos ferax, quæ racematim numerosa congerie sua sponte succrescunt, & parùm à pisis campestribus sapore differunt, ad *Rotheri* vsq; ostium procurrit, quo alicubi a Southsexia Cantium disterminatur

Huius decursum a Southsexiæ parte superius paucis persequuti sumus. A Cantij parte, *Newenden* habet, quod fuisse portum illum diu quæsitum, quem Notitiarum liber
ANDERIDAN, Britanni *Caer Andred*, Saxones Andredesceaster nuncupârunt, fere Anderida.
persuadeor: primùm quòd incolæ vetustissimum fuisse opidum, & portum asseuerant: de- *Andredcester.*
inde quòd ad *Andredswald* syluã, cui nomen fecit, situm habeat: postremò quòd *Brittenden*, .i. *Britannorum vallem*, Saxones dixisse videantur, (vti etiam Segontium de quo antea) vnde *Selbrittenden* toti Centuriæ adiacenti nomen. Romani, vt hanc oram contra Saxones piratas tuerentur, numerum Abulcorum, cum eorum Præfecto, hic statuêrunt. Postea tamen Saxonum furore penitus deletum concidit, Hengistus enim, cùm Britannos è Cantio omninò exturbare in animo haberet, maximéque sua interesse existimaret, si maioribus copijs turmas adaugeret; AEllam e Germania cum magna Saxonum manu euocauit. Qui dum magno impetu Anderidam hanc oppugnaret, Britanni e sylua proxima insidiantes, ita eum exagitârunt, vt cùm tandem post multas vltrò, citroq; illatas clades, partitis copijs, & Britannos in syluis fudisset, eodemque tempore in opidum irrupisset, ita ad vindictam barbari animus exarsit, vt occisis incolis funditùs euerterit. *Locus verò desolatus multis post sæculis transeuntibus*, (vt inquit Huntingdonensis) *ostendebatur*, donec sub Edwardo Primo fratres Carmelitæ e Carmelo Palestinæ recèns profecti, qui solitaria quærebant loca, hic monasteriolum ex impensis Thom. Albugeri Militis posuerint, opidúmque statim enatum, quod ratione veteris opidi diruti, *Newenden*, id est, *Nouum in valle opidum*, dici cœpit. *Rother* flumen inferiùs dispertitis aquis insulam *Oxney* gramine luxuriantem amplectitur, & prope ostium *Apuldore* habet, vbi pi- Oxney.
ratica Danorum & Normannorum colluuies quæ sub Hastingo Gallica littora infestauerat, prędis onusta terram conscendit, castrumque erexit, quos tamen AElfredi Regis virtus ad pacis conditiones compulit. Apuldore.

Iuxta in syluestri regione sunt *Cranbroke*, *Tenterden*, *Benenden*, & alia vicina opida, in quibus lanificij, siue rei pannariæ laus inprimis floruit iam inde ab Edwardi III. temporibus, qui propositis præmijs, & plurimis concessis immunitatibus Belgas in Angliam Res pannaria primùm in Anglia.
anno regni sui decimo euocauit, vti nostros artem illam panni lanei contexendi edocerent, quæ hodie inter Reip. nostræ columina meritò numeratur.

Comites Cantij.

Nunc vt Cantij Comites suo ordine percenseam, (omissis Saxonibus Godwino, & alijs, qui non hæreditarij, sed officiarij Comites erant) Odo vterinus Guilielmi Primi frater, primus habetur è Normannico sanguine Cantij Comes, simulque Baiocensis Episcopus, vir ingenio prauo, turbidoque, & rebus nouandis semper intento, vnde post grauissimam, quam concitârat seditionem, suis sedibus, & fortunis in Anglia à nepote Guilielmo Ruso eiectus. Deinde cùm Stephanus Angliæ vsufructuarius bellicosos homines beneficijs sibi astringeret, Guilielmum Iprensem Flandrum eo honore exornauit, qui *violentus Cantij incubator*, vt Fitz-Stephanus vocat, cum lachrimis emigrare ab Henrico Secundo coactus. Henrici etiam II. filius, quem in Regem pater coronauerat, eadem de caussa Philippo Flandriæ Comiti, Cantij etiam titulum adiunxit, cùm res nouas in patrem moliretur, sed hic tantùm titulo, & promisso tenus Cantij Comes erat. Vt enim habet Geruasius Dorobernensis: *Comes Flandriæ Philippus suum pro posse spospondit auxilium iuueni Regi, faciens homagium cum iuramento. Cui pro seruitio suo promisit Rex cum toto Cantio,* 1000. *librarum reditus, Castellum quoque de Roffa, cum Castello de Doueria.* Non longo pôst tempore Hubertus de *Burgo* optimè de Repub. meritus, suo quasi merito eundem honorem ab Henrico III. accepit, vir patriæ verè amans, & qui omnia officia, quæ à ciue optimo patria exigere possit, inter medias aduersantis fortunę procellas cumulatè præstitit; honore tamen exutus diem obijt: iacuitq; hic titulus vsque ad

Anno E. 2.15.

Edwardi II. tempora. Ille enim fratri suo iuniori Edmundo de *Woodstock* contulit, qui nepotis sui Edwardi III. tutor, falsæ & iniquæ inuidiæ tempestatem subijt, securi percussus, quòd in fratrem depositum, fraternum animum nunquam obscurè tulerit, & illum iam è medio sublatum, (quod tamen illi omninò ignotum) è custodia liberare cogitauerit. Filij tamen duo Edmundus & Ioannes successêrunt suo ordine, quibus sine sobole mortuis, hunc honorem eorum soror, ob venustatem dicta *The faire maide of Kent*, superstes, in equestrem *Holandorum* familiam transtulit: Thomas enim *Holand* eius maritus dictus erat Cantij Comes, quem eo honore sequutus est Thomas eius filius, qui obijt anno vicesimo Rich. Secundi, cui successerunt bini eius filij, Thomas qui Dux Surrię creatus, statimque dum res nouas in Regem Henricum Quartum moliretur, obtruncatus; & post

S Brieu. Tho. Walsingham.

eum Edmundus qui Angliæ Archithalassus, dum *Fanum Brioci* in Britannia Armorica oppugnaret, accepto vulnere, anno salutis MCCCCVIII. occubuit. In his cùm hæc dignitas exacta periodo intercidisset, patrimonio inter sorores diuiso, Rex Edwardus IIII. primùm Guilielmum *Neuill* Dominum de *Fauconberg*; eoque extincto, Edmundum *Grey* Dominum de *Hastinges*, *Weifford*, & *Ruthyn* Cantiani Comitis titulo adauxit, qui Georgium filium successorem habuit. Ille ex Anna *Wideuile* coniuge prima Richardum Comitem Cantij progenuit, qui sine sobole diem clausit cùm hæreditatem profudisset; ex secunda autem vxore Catharina filia Guilielmi Herberti Comitis Penbrochię Henricum *Grey* Equitem suscepit, cuius è filio Henrico nepos Reginaldus in Comitem Cantij à Regina ELIZABETHA Anno MDLXXII. erectus erat. Illiq; sine prole defuncto Henricus eius frater successit omnibus veræ nobilitatis ornamentis vir longè honoratissimus.

Habet hæc prouincia parœcias 398.

DOBVNI.



DOBVNI.




Egiones, quæ hinc Oceanum Britannicum, illinc Sabrinianum fretum, & Tamisim fluuium interiacent, obambulauimus omnes. Nunc reliquas instituto ordine perlustremus, & transmisso flumine, ad Tamisis fontes, Sabrinæque æstuarium reuecti, DOBVNOS *videamus, qui olim, vbi nunc* Glocestershire, *&* Oxfordshire, *habitârunt. Horum nomen factum à* Duffen *Britannica dictione credimus, quòd maxima ex parte loca iacentia & depressa sub collibus insidebant, vnde in vniuersos nomen transijt, & ab eiusmodi sanè situ* Bathieia *in Troade*, Catabathmos *in Africa*, Deep-dale *in Britannia nomina acceperunt. Hoc vt credam, faciliùs à me impetraui, cùm videam Dionem hos populos eadem planè significatione* BODVNNOS *dixisse, si literæ non transponantur.* Bodo *enim vel* Bodun *profundum antiqua Gallorum lingua (quam eandem cum Britannica fuisse demonstrauimus) significare author est Plinius, vnde* Bodincomagus *vrbs, vt habet ille, vbi maxima Padi altitudo,* Bodiontij *populi, qui vallem profundam, nunc* Val de Fontenay *ad Lemanum lacum incoluêrunt, vt* Bodotriam *profundissimum in Britannia æstuarium tacitus prætermittam. De his Bodunis nihil è prisca memoria legendo erui, nisi A. Plautium Proprætorem in Britanniam a Claudio missum, horum partem in fidem accepisse, qui Cattuellanis parebant (finitimam enim illi regionem tenuerunt) præsidiúmque circiter annum à Christo nato quintum & quadragesimum imposuisse vt Dio prodidit.*

Duffen Britannicè profundum, siue depressum.

Bodo quid Britannis & Gallis.

Cæterùm cùm Saxones rerum in Britannia potirentur, Dobunorum nomine extincto, pars horum & circumuicini nouo Germanico nomine Wiccij *vocabantur, vnde tamen (nisi cum bona lectoris venia) coniectare vix ausim. Si verò* Wic *Saxonibus fluminis sinum sonat, &* Vignones *Germaniæ populi sic dicantur, quòd maris & fluuiorum sinus accolerent, (hoc enim asseuerat B. Rhenanus) minimè absurdum erit, si inde* Wiccios *nostros deducerem, qui Sabrinæ ostium, quod admodum sinuosum, circumcoluêre.*

Wiccij.


GLOCESTRIÆ
Comitatus olim sedes
DOBVNORUM
HONI SOIT QUI MAL Y PENSE
HEREFOR
VIGOR NIÆ
PARS
MONVME
THENSIS
PARS
Ledbury
Newent
Dean mag.
Munmouth
The forest of Dean
Sabrina flu:
Berkley
Durisley
Wotton
Chepstow
Chippin Sodburye
Old Sodbury
Aust
The salt marsh
BRISTOL
SOMERS:
PARS
Sabrina flu:
Kinges rode





WARW: PARS
GLOCES: PARS
Perlhore
Euesholme
Tewkesbury
Winchcombe
OXON:
Stow
Cheltenham
Glocester
GLOCES: PARS
Burford
PARS
Lechlade
BERC: PARS
Crekelade
Tetbury
Minchinhampton
WILTONIÆ PARS
Scala Milliarium.
1
10
Sedbury

GLOCESTER-SHIRE.



Locesterſhire, Saxonicè Gleauceſter-ſcyre, quæ primaria Dobunorum ſedes erat, ab Occaſu Monumethenſem & Herefordenſem Comitatum, à Septentrione Wigornienſem, ab Ortu Oxonienſem & Warwicenſem, à Meridie Wiltonienſem, nec non & Somerſettenſem ſpectat. Regio amœna & fertilis, ab Ortu æſtiuo in occaſum brumalé porrecta. Orientalior pars collibus exſurgens *Cotteſwold* vocatur. Media in fertiliſſimam ſubſidet planitiem, Sabrináque nobiliſſimo flumine, qui glebis quaſi vim vitalem infundit, irrigatur. Occidentalior pars trans Sabrinam tota ſyluis obumbratur. Sed quid ego hæc? hunc mihi laborem ſubleuabit Guilielmus Malmesburienſis qui pleno ore hanc regionem laudat, & deſcribit. Eius igitur verba ex libro de Pontificibus accipe. *A primaria ciuitate regio* Vallis Gloceſtriæ *dicitur, terra omnis frugum opima, fructuum ferax, hic ſola naturæ gratiâ, illic culturæ ſolertiâ, vt quemuis tædioſum per ſocordiam prouocet ad laboris illecebram, vbi centuplicato fœnore reſponſiua ſit copia. Cernas tramites publicos veſtitos pomiferis arboribus, non inſitiuæ manus induſtriâ, ſed ipſius humi naturâ. Ipſa ſe terra ſponte ſubrigit in fructus, eóſque ſapore, & ſpecie plurimùm cæteris præſtantes, quorum plures ante annum mareſcere neſciunt, vt dominis vſque ad nouos ſucceſſores præſtent officium. Regio pluſquàm alia Angliæ prouincia vinearum frequentiâ denſior, prouentu vberior, ſapore iucundior.* Vites, & vinum. *Vina ipſa bibentium ora non triſti torquent acredine, quippe quæ parum debeant Gallicis dulcedine. Villæ innumerabiles, eccleſiæ præſtantes, vici frequentes.* Sabrina. *Quibus omnibus accedit ad gloriam fl. Sabrina, quo nullus in hac terra alueo latior, gurgite rapacior, amne piſcoſior. In eo quotidianus aquarum furor, quem vel voraginem, vel vertiginem vndarum dicam neſcio, fundo ab imo verrens arenas, & conglobans in cumulum, cum impetu venit, nec vltra quam ad pontem pertendit. Nonnunquam etiam ripas tranſcendit, & magna parte circuitâ, terræ victor regreditur. Infœlix nauis ſi quam a latere attigerit. Nautæ gnari cùm vident illam* Higram, *(ſic Anglicè vocant) venire, nauem obuertunt, &* Higra. *per medium ſecantes, violentiam eius eludunt.*

Quod verò de centuplicato terræ fœnore dicit, à veritate multum abeſt: nec tamen ego cum querulis illis, & deſidioſis agricolis quos perſtringit Columella, ſolum nimia prioris æui vbertate defatigatum, & effœtum exiſtimârim. Hinc tamen, vt alia taceam, non eſt cur miremur, tot loca in hac regione à vinetis *Vineyards* vocari, cùm vinum protulerit, & certè ex incolarum potiùs ſocordia, quàm cœli intemperie videatur, quòd hodiè nullum ferat. Cur verò alicubi in hoc Comitatu (vt in Statutis noſtris legitur) priuata conſuetudine, quæ in legem inualuit, damnatorum patrimonia regi ſolummodo in annum, & diem cedant, eoq; tempore exacto contrà quàm in reliqua fit Anglia, proximis hæredibus, viderint Politici, nec enim noſtri inſtituti eſt inquirere. Nunc tres, quas dixi, partes, ſuo ordine perluſtremus.

Foreſt of Deane Occidentalior pars trans Sabrinam (quam Silures olim tenuerunt) ad Vagam ſiue *Wye* fl. Walliæ & Angliæ limitem, tota profundis ſyluis occupatur. *Deane Foreſt* hodiè nos vocamus, Latinorum alij *Syluam Danicam*, à Danis, alij cum Giraldo, *Danubiæ Syluam.* Ego verò, ſi a *Deane* opidulo adiuncto hoc nomen factum non fuerit, truncato vocabulo, *Deane* ab *Arden* dictam ſuſpicarer. Ardena. Qua dictione & Galli, & Britanni pro ſylua olim vſi videantur, cùm duæ longè maximæ ſyluæ, altera in Gallia Belgica, altera apud nos in agro Warwicenſi, vno eodemque nomine *Arden* appellentur. Saltus enim hic erat longè denſiſſimus, & ſuperioribus ſæculis itinerum anfractibus, & vmbrarum horrore ita opacus, & formidoloſus, vt incolas ferociores, & ad latrocinandum audaciores redditerit. Regnante enim Henrico VI. ita Sabrinam latrocinijs oppreſſerunt, vt ad eos coërcendos leges Parlamentaria authoritate latæ fuerint. Ferrum. Verùm ex quo opulentæ ferri venæ hic fuerint repertæ, ſyluæ illę condenſæ paulatim rareſcere inceperunt. In hoc ſaltu, ad flumen ſatis antiquæ memoriæ fuerunt *Tudenham*, & *Wollaſton*, quas Gualterus, & Rogerus fratres Giſleberti de *Clare* circum annum MCLX. Wallis extorſerunt, & his contiguum *Lidney*, Lidney. vbi Guilielmus *Winter Vice-Admirallus* Angliæ, & Eques auratus celeberrimus

berrimus ędes exstruxit elegantes. Sed antiquissimæ memoriæ est ABONE, siue AVONE ab Antonino memoratum, quod prisco illo nomine non omninò viduatum, *Auenton* hodiè dicitur, viculus sane exiguus, sed qui exactè ad IX. milliaria, vt ille notat, à VENTA SYLVRVM, siue *Caer Went*, Sabrinæ adsidet. Cumq; *Auon* flumen Britannis denotet, non absonum erit, si à flumine sic dictum putemus. Eadem enim planè significatione, vt alia omittam, nos *Waterton*, *Bourne*, & *Riuerton*, Latini *Aquinum*, & *Fluentium* habuerunt. Eoque magis hoc nomen à flumine inditum iudico, quòd ad hunc locum flumen traijcere solebant, vnde opidum è regione oppositum eidem Antonino TRAIECTVS dicitur, sed corrupto proculdubio numero. Milliaria enim IX. inter Traiectum & ABONE interponit, cùm flumen vix II. mill. pateat. Intercidisse verò, vel potiùs in viculum abijsse tum videatur, vel cùm inferiùs traijcere inciperent, vel cùm Athelstanus Britannos Wallenses hinc exturbaret. Ille enim primus vltra Vagam siue *Wye* fl. (teste Malmesburiensi) eos submouit. Cumque ante eius tempora Sabrina Anglos, & Wallos, siue Cambros disterminaret, ille Vagam limitem constituit, vnde Nechamus noster, Abone. Auenton. Traiectus.

Inde vagos Vaga Cambrenses, hinc respicit Anglos.

Haud procul à Vaga inter nemorosa auia *Breulais* castrum plusquam semirutum cernitur, Maheli natu minimi filij Milonis comitis Herefordiæ fato insigne. Ibi enim auida eius consilia, efferam crudelitatem, & alieno imminentem auaritiam (his nominibus malè apud scriptores audit) vltio diuina assequuta est. Nam, vt Giraldus scripsit, á Gualtero de *Clifford* in hoc castro hospitio susceptus, ædibus deflagrantibus, lapide à turre summa in caput impacto, animam exhalauit. Breulais.

Nec aliud est in hoc saltuoso loco quod adnotem, nisi Herbertum qui sororem Mahelis illius Herefordiæ Comitis duxerat, vxorio iure Dominum de *Deane* dictum fuisse, a quo originem repetit inclyta illa Herbertorum familia, è qua Domini de *Blanleueny*, & recentiori ęuo *Herberti* Huntingdonię & Penbrochię Comites, & alij. Vnde etiam (si D. Powello in historia Cambrica credamus) oriundus est Antonius *Fitz Herbert*, quem iurisconsultorum fuisse consultissimum, & *Placitorum* Tribunal, e quo aliquandiu ius dixit, & elaboratissimi de iure nostro municipali libri æditi contestantur. Sed illum ex equestri *Fitz-Herbertorum* stirpe in Comitatu Derbiensi ortum esse alij, & quidem veriùs, si quid ego video, deduxerunt. Vide in Com. Derby. Antonius Fitz-Herbert Iurisconsultus.

Sabrina flumen, HAFFREN Britanni vocant, cùm longum iter angustiori alueo confecerit, vbi primùm hunc agrum ingreditur, Auonam flumen, aliúmque riuulum ab Oriente excipit, quibus intersidet *Tewkesbury*, Saxonice Theocsbury, alijs *Theoci Curia*, a Theoco qui heremeticam ibi vitam duxit, donominatum. Amplum & elegans opidum, tribus pontibus ad tria flumina peruium, laneis pannis conficiendis, & sinapi quod acrimonia plenum altissimè penetrat, celebre: sed celeberrimum quondam monasterio antiquo quod Odo & Dodo fratres fundauerunt anno DCCXV vbi Aulam priùs habuerunt, vt testati sunt hac inscriptione: Seuern. Tewkesbury. Sinapis.

HANC AVLAM REGIA DODO DVX CONSECRARI FECIT IN ECCLESIAM.

Quod longo tempore & hostili furore euictum restaurauit Robertus *Fitz-Haimon* Normannus, pio sane consilio, vt pro parte sua resarciret damnum quod Baiocensis in Normannica ecclesia tulerat, quam eius liberandi caussa ignibus iniectis absumpserat Rex Henricus Primus, pœnitentiáque ductus reædificauit. *Non facilè*, inquit Malmesburiensis, *memoratu, quantùm hoc Monasterium exaltauit Robertus Fitz-Haimon, vbi & ædificiorum decor rapuit aduentantium oculos, & monachorum charitas allexit animos.* In hoc ipse & successores eius Glocestriæ Comites fuere sepulti, qui castrum suum de *Holmes* dictum in proximo habuerunt, quod nunc ferè euanuit. Nec minus famæ accedit ex prælio Lancastrensi familiæ funesto, in quo anno MCCCCLXXI. Lancastrensium plurimi cæsi, plures capti & obtruncati, eorum res ita accisa, spesque attenuata, sublato Edwardo Regis Henrici VI. filiolo vnico, cui indignissimè cerebrum hîc dispersum; vt iam inde contra Edwardum IIII. signa non extulerint. Vnde de hoc opido I. Lelandus. Fitz-Haimon.

Ampla foro, & partis spolijs præclara Theoci
Curia, *Sabrina quà se committit Auona*

Fulget

Fulget, nobilium sacrisque recondit in antris
Multorum cineres, quondam inclyta corpora bello.

Inde *Deorhirst*, de quo Beda, Sabrinæ impendet humiliori situ, vnde magna damna perfert cùm fl. ita insurgat, vt se non capiat. Monasteriolum olim habuit, quod à Danis dirutum, tandem reuixit sub Edwardo Confessore, qui, vt in eius testamento legimus, *Locum religiosum ad Deorhirst, & eius regimen S. Dionysio prope Lutetiam assignauit.* Paulò tamen post, vt inquit Malmesb. *Antiquitatis inane simulachrum erat.* Huic mediamnis in Sabrina obiacet, Oleneag, & *Alney* Saxonicè, nunc *The Eight*, id est, *Insula.* Hinc celebris, quòd cùm assiduis prælijs & Angli, & Dani comminuti fuissent: misso in compendium bello, vtriusque gentis fata Edmundo Anglorum, & Canuto Danorum regibus commissa fuerint, qui singulari certamine de summa Imperij in hac insula depugnárunt. Sed post ancipitem æquo Marte pugnam, pax conuenit, & regnum inter eos dispertitum: verùm Edmundo statim neque sine suspicione veneni sublato, vniuersam Angliam occupauit Danus.

Monomachia.

Sinuoso volumine a *Deorhirst* defluit Sabrina, & statim se diffindens, vt amnicam insulam viridantibus pratis lætissimam efficiat, primariam Comitatus præterfluit vrbem, quam Antoninus CLEVVM, & GLEVVM dixit, Britanni *Caer Gloui*, Saxones Gleaucerꝼꞇep, nos *Glocester*, vulgus Latinorum *Glouerniam*, alij *Claudiocestriam*, a Claudio Imperatore, vt fabulantur, qui sic denominaret, quum Genissam filiam nuptijs hîc Aruirago Britanno locásset. De quo Iuuenalis,


Glocester. Gleuum.

Regem aliquem capies, vel de temone Britanno
Excidet Aruiragus.

Quasi alias ille filias quàm Claudiam, Antoniam, & Octauiam ex tribus vxoribus tulisset, & Aruiragus ea ætate innotuisset, cuius nomen Domitiani tempore vix primò exauditum. Sed valeant qui contabulatis mendacijs antiquitatem superstruunt. In Ninnij potiùs sententiam irem, qui a Glouuo Vortigerni regis atauo denominatam scribit, nisi longo ante tempore *Gleuum* ab Antonino dictum fuisset (quod & distantia a *Corinio*, & nomen comprobent.) Sed vti *Gleauecester* Saxonum, a *Gleuo* promanauit, ita *Gleuum* anologicè a Britannorum *Caer Glowi*, quod a dictione *Glow* profluxisse suspicor, quæ Britannis *pulchrum* & *splendidum* sonat, vti *Caer Glow* sit idem, quod *vrbs pulchra*, qua etiam significatione Græci suam *Callipolim*, *Callidromon*, *Callistratiam*, & Angli *Brightstow*, atque in hoc ipso agro *Faire-ford*, .i. *Vadum pulchrum*, &c. habuerunt. Extructa fuit a Romanis, & Silurum quasi ceruicibus imposita. Coloniáque eo deducta quæ COLONIA GLEVVM dicta: vidimus enim fragmentum antiqui saxi in mœnibus Bathoniæ prope portam borealem sic inscriptum:

Glocestria Romanorum Colonia.

*Decurio.


*DEC COLONIÆ GLEV
VIXIT ANN. LXXXVI.

Vrbs Sabrinæ exporrecta imminet, quà flumine non alluitur, murus firmissimus alicubi opponitur, Templorum numero, & ædium descriptione sane est elegans. In Australi parte castrum e saxo quadrato consurrexit, iam maxima ex parte plusquam caducum. Guilielmi Primi temporibus extructum, sedecemque domus eò loci (vt in Censuali Angliæ libro legimus) ad castrum construendum demolitæ fuerunt. De quo litem Henrico Secundo Rogerum filium Milonis Constabularij Glocestrię intentásse, fratremque eius Gualterum omni iure quod in hanc vrbem, & castrum habuit, excidisse Robertus de *Monte* scripsit. Ceaulinus Rex Occidentalium Saxonum primus Britannis circa annum reparatæ salutis DLXX. vi & armis extorsit. In Merciorum potestatem posteà cessit, sub quibus magno cum honore floruit, monasteriúmq; amplissimum Ethelredi Mercij permissu Osricus Rex Northumbrorum virginibus posuit, quibus Kineburga, Eadburga

burga, & Eua Merciorum Reginæ successiuè præfuerunt. Edelfleda etiam illa clarissima Merciorum Domina templo, in quo ipsa sita est, hanc vrbem adornauit, Nec longo pòst tempore, cùm Danicis deprædationibus vniuersa regio exhausta esset, virgines illæ sacræ sunt eiectæ, & *Dani* (vt habet Æthelwerdus author ille antiquus) *attegias fixerunt in opido* Gleuu-cester *vario ictu*. Qua tempestate cùm illa templa antiquiora subuersa fuissent, Aldredus Eboracensis Archiepiscopus, & Episcopus Wigorniensis, monachis aliud (quod nunc principem locum obtinet, & Decanum cum sex præbendarijs habet) construxit. Verúm illud superioribus seculis nouum decus accepit. I. enim *Hanley*, & T. *Farley* Abbates Capellam B. Virginis addiderunt, N. *Morwent* occidentale frontispicium, quod sanè pulcherrimum, è fundamentis erexit, G. *Horton* Abbas borealem partem transuersam, Abbas *Trowcester* claustrum nitidissimum, & Abbas *Sebrok* campanile præcelsum adiunxit. Australe verò latus ex oblationibus populi ad sepulchrum Regis Edwardi Secundi restauratum etiam fuit, qui hîc sepultus monumento alabastrino: & non procul ab illo infelix Robertus *Curt-hose* Guilielmi Primi filius natu maximus Dux Normanniæ medio choro in tumulo ligneo. Supra chorum verò in fornice huius ecclesiæ paries in semicirculum angulosum eo artificio construitur, vt si quis admodum submissa voce ad vnam eius partem loquatur, & alter applicet aurem ad aliam partem satis longè distantem, facillimè vnamquamque syllabam exaudiat. Guilielmo Primo regnante, & anteà, ferro conflando ciues præcipuè operam dedisse videantur. Nec enim, vt est in libro Angliæ Censuali, aliud fere tributum, quàm quasdam ferri *Icras*, baculosque ferreos in vsum classis Regiæ, & pauculos mellis sextarios reges imperárunt. A Normannorum ingressu calamitates nonnullas pertulit, ab Edwardo Henrici III. filio, dum bello Baronico Anglia fumaret, direpta, & deinde fortuito igne pene absumpta. Sed longa pace fouente, iam rediuiua floret, duabusque Centurijs adiunctis Comitatus factus qui *Comitatus Ciuitatis Glocestriæ* nominatur. Episcopalique sede patrum memoria adauxit Henricus VIII. qua olim dignitate præclaram fuisse asserit Galfredus Monumethensis, & asserenti fidem non derogo, cùm *Cluuiensis* Episcopus inter Britannorum præsules connumeretur, quod nomen a Cleuo, vel *Glow* deductum coniecturæ meæ, hanc Gleuum esse Antonini, quodammodo firmamentum subiungit. 878.

Sabrina cùm iam Glocestriam reliquerit, diuisasque aquas collegerit, alterno maris accessu, recessúque plenior, more sæuientis pelagi exurgit, Oceanúmque crebro sinuosus flexu petit. Nihil verò in itinere visit quod memoria dignum, nisi quà *Cam* amniculum recipit, *Cam-bridge* rusticanum viculum, *cuius pontem quum ordine literato*, vt Æthelwerdus scribit, *Dani cum opimis spolijs transmeâssent, exceperunt illos graui prælio Occidentales Saxones, & Mercij in* Wooddnesfeld, *vbi tres eorum reguli ceciderunt.* Heatfden, Cinuill, & Inguar. *Cam-bridge.*

Eodem littore non multò inferiùs sedet *Barkley*, Saxonicè Beopkenlau castro munitissimo, *Maiore* (qui summus est magistratus) & Dominis suis Baronibus de *Barkley* antiquæ nobilitatis notissimum; è quibus, regnante Henrico VII. Guilielmus Baro *Barkley* fuit Vicecomes *Barkley*, Marchio *Barkley*, Comes Nottinghamiæ, & Marescallus Angliæ; sed cùm nullam ille progenuit prolem, hi tituli vnà cum illo euanuerunt. Qua arte Godwinus Cantij Comes vir ad faciendam iniuriam instructissimus in huius loci possessionem se miserit, si intelligere velis, paucula hæc ex Gualtero Mapæo qui ante annos CCCC. floruit legas, nec lectu sanè indigna videantur. *Berkleia prope Sabrinam est villa* 500. *librarum. Monialium erat ibi monasterium, quibus Abbatissa præfuit nobilis & formosa. Godwinus Comes in dolo subtili satis, non ipsam, sed sua cupiens, in transitu ei reliquit nepotem suum iuuenem elegantissima forma, tanquam infirmum, donec reuerteretur, instruxitque ipsum iacentem ne conualesceret, donec visitantes ipsum, & ipsam & quascunque posset moniales fecisset de honestis onustas; & vt plenam valeret ab iis assequi iuuenis visitationis gratiam, anulos, & zonulas ei dedit ipsis in fraude largienda. Is igitur voluptatis iter vltroneum libenter ingressus, quòd facilis descensus Auerni, facilè docetur, & in id quod sibi sapit, sapienter desipit. Penes ipsum resident omnia fatuis optanda virginibus, pulchritudo, deliciæ, diuitiæ, affabilitas, & solicitus est singulum locum habere. Diabolus Palladà igitur expulit, Venerem intulit, fecitque Saluatoris & Sanctorum Ecclesiam execrabile Pantheon, & delubrum lupanar, & sic agnas conuertit in lupas. Tumentibus igitur multa-* *Barkley. Vide Bristow in Somersetshire pag. 173.* *Godwini fraus.*

rum

rum vteris, iam relanguens & victus voluptatis evictor euolat, Domino suo victrices aquilas mercede dignas iniquitatis illicò refert. Ille regem impigrè adit, Abbatissam, & suas pragnantes, & omnibus prostitutas edocet, exploratoribus missis omnia probat. Berkleiam ipsis petit eiectis, & à Domino suo accepit, vxorique Guedæ reliquit, sed *quia de hoc Manerio*, sic habet liber * Censualis Angliæ, *pro destructione Abbatiæ ipsa aliquid comedere nolebat, emit pro illa* Vdecester *vt inde viueret, donec ad Berklay maneret.* Sic malè parta mens bona semper auersatur. Quomodo Rex Edwardus Secundus vxoris artibus regno exutus, in huius loci castro Adami Episcopi Herefordensis scelerata versutia sit sublatus, qui hæc verbula sine interpunctionibus ad eius custodes scripsit: *Edwardum occidere nolite timere bonum est*, vt pro sensus varietate, & illi cædem patrarent, & ipse se commodè excusaret, malim ab Historicis petatis, quàm à me expectetis. Sub hoc *Auen* fluuiolus mare subintrat, ad cuius fontes vix octo mill. pass. à littore in collibus prope *Alderley* viculum lapides cochlearum, & ostrearum specie enascuntur, quæ siue viua aliquando fuerint animantia, siue naturæ ludicra, quærant Philosophi naturæ venatores. Fracastorius verò Philosophorum ętate nostra Coryphæus, animantia fuisse minimè dubitat in mari enata, & in montes vndis delata. Montes enim à mari fuisse egestos affirmat, arenâ primùm in tumulos coniectâ, maréq; inundâsse vbi nunc montes exsurgunt, eodemque recedente insulas & montes fuisse detectos. Sed hæc extra curriculum.

* Domesday booke.

Subdola Episcopi versutia. Edw. Secundi cædes.

Cochleæ lapideæ.

Traiectus.

TRAIECTVS cuius meminit Antoninus, è regione Abonis, vbi Sabrinæ æstuarium traijcere solebant, olim erat vt conijcimus ex nomine apud *Oldbury* .i. si interpreteris, *Vetus Burgus*, vt nos hodie ad *Aust* viculum paulò inferiùs. Hic *Aust-cliue* olim vocabatur, cliuus enim est confragosus & in magnam altitudinem æditus. Memoria sanè dignum est quod hoc loco factum fuisse scribit Mapæus ille quem dixi. *Edwardus Senior*, inquit, *ad* Aust-cliue, *Leolinus Walliæ regulus ad* Bethesley *egerunt, & cùm ad colloquia Leolinus minimè descenderet, nec Sabrinam traijceret, Edwardus ad Leolinum transijt. Videns autem ipsum, & agnoscens Leolinus proiecto pallio solenni, nam se foro parauerat, vsque ad pectus ingressus est aquam, & cymbam amplectens ait. Sapientissime Rex, tua humilitas meam vicit superbiam, & sapientia triumphauit ineptiam, collum ascende, quod contra te fatuus erexi, & sic intrabis terram quam tibi hodie tuam fecit benignitas, acceptúmque humeris super pallium suum sedere fecit, & iunctis manibus sibi fecit* * *hominium.* In eodem etiam littore *Thornbury* iacet, vbi fundamenta magnifici ædificij educta visuntur, quod extructurus erat Edwardus Dux Buckinghamiæ vltimus, anno, vt testatur inscriptio, vndecimo supra millesimum quingentesimum. Septem hinc milliaribus prępfluenti Sabrinę *Auen* infusus Glocestrenses & Somersettenses diuidit, nec procul ab eius ripa *Puclechurch* cernitur, olim villa Regia *Puclekerks* dicta, in qua Edmundus Angliæ Rex, dum litibus dirimendis inter Dapiferum suum, & *Leone* hominem profligatissimum, se interponeret, transfossus occubuit.

Austcliue.

Superbia humilitate deuicta.

* homage.

Thornbury.

Puclechurch.

Huic vicina sunt *Winterbourne*, quæ suos Dominos habuit *Bradstonos* nomine, a quibus Vicecomites *Montis-acuti*, Barones de *Wentworth*, &c. genus deducunt, *Acton* quæ equestri familiæ de *Acton* nomen fecit, cuius hæres enupta Nicholao *Pointz* Equiti aurato tempore Edwardi Secundi, eandem posteris reliquit. *Derham* viculus, Saxonicè Deopham, vbi cruento admodum prælio Ceaulinus Saxo tres Britannorum regulos, *Commeail, Condidan*, & *Fariemeiol*, cum alijs occidione occidit, & agri illius possessione Britannos omninò exuit. Amplissima valla castrorum munimenta, & hinc inde tanti belli monumenta expressissima etiamnum eò loci supersunt. Baronia hæc fuit Iacobi de *Nouo Mercatu* qui tres filias progenuit enuptas Nicholao de *Moelis*, Ioanni de *Boteraux*, & Radulpho *Russell*, cuius posteri locupletati ex matrimonio cum hærede nobilis familiæ de *Gorges*, nomen *Gorges* sibi assumpserunt.

Bradestoni.

Acton Ireton.

Pointz.

Derham.

Marianus.

Iacobus de Nouo Mercatu.

Magis ad Septentriones *Duresley* conspicitur, antiqua *Barkleiorum* possessio, qui hinc de *Duresley* dicti, fundatores fuerunt Monasterij de *Kingeswood* Ordinis Cisterciensium in proximo: & haud ita procul ad Ortum *Beuerston* castrum quondam *Cournaiorum*, & *Ab-Adamorum*, qui sub Edwardo Primo floruerunt, postea *Barkleiorum* ordinis equestris.

Beuerston.

Ab-Adam.

Hactenus quæ trans Sabrinam, & ad Sabrinam sita sunt in hoc Comitatu cursim perstrinximus: nunc ad orientalem partem progrediamur, quam collibus attolli diximus,

Cotswold.

Cotswold

Cotswold scil. quę à collibus & ouilibus sic dicta. Montes enim & colles *Woulds* olim dixerunt Angli, vnde Glossarium antiquum Alpes Italiæ *The Woulds of Italie* interpretatur. In his candidissimi ouium greges maximo numero pascuntur, ceruice prolixa, & quadrato corpore propter situm gracilem, & collinum, vt vulgò creditur, quarum lanæ mollissimæ in maximo apud omnes gentes honore habentur. Sub horum collium latere antiquioris notæ quasi in vna vicinia hæc celebriora loca cernuntur. Cotswold. *Wold* quid Anglis.

Campden, vulgò *Camden* mercatus satis celebris, vbi (vt author est Ioannes Castoreus) Saxonici generis Reges omnes anno Salutis DCLXXXIX. conuenerunt, & in commune de bello contra Britannos consuluerunt: quodq; tempore Guilielmi *Conquestoris* possessio erat Hugonis Comitis Cestriæ, & ab eius posteris ad Rogerum de *Somery* per Nicholaam de *Albeniaco* tandem deuenit. Iuxtà quod est *Weston* non antiquæ memoriæ, sed iam ob speciosas ædes à Radulpho *Sheldon* sibi & posteris positas quæ longè prælucent, memorandæ. *Campden.* Inquisitio 1. Edwardi 1.

Hales Monasterium nuper florentissimum à Richardo Cornubiæ Comite & Romanorum Rege exædificatum, & alumno suo Alexandro de *Hales* in spinosa illa Scholasticorum Theologia coryphæo laudatum. *Hales.*

Sudley, olim *Sudleagh* castrum elegantissimum, nuper sedes Ægidij *Bruges* Baronis de *Chandos*, cuius auum Ioannem Maria Regina Baronem de *Chandos* creauit, quòd ex antiqua familia de *Chandos* originem duxit, è qua effloruit regnante Edwardo Tertio Ioannes *Chandos* Vicecomes de *Sancto Saluatore* in Gallia ab omni rei militaris laude fœlicissimus. Olim verò nobiles qui hinc de *Sudley* nominati incoluerunt, ex antiquissima Anglica prosapia, scilicet Goda AEthelredi Regis filia prognati, cuius filius Radulphus Medantinus Herefordiæ Comes genuit Haraldum Dominum de *Sudley*, cuius soboles hic diu floruit, donec deficientibus masculis, hæres cum Guilielmo *Butler* ex familia de *Wem* nuptias contraxit, illique peperit Thomam, ille verò genuit Radulphum Thesaurarium Angliæ, ab Henrico Sexto creatum Baronem de *Sudley* qui hoc castrum nouis ędificijs instaurauit. Cuius sorores in familias de *Northbury*, & *Belknape* enuptæ fuerunt, per quas breui in varias familias possessiones sunt distractæ. *Sudley.* Barones de Chandos. Barones de Sudley.

Toddington etiam proximè est huic vicinum vbi *Tracij* generis vetustate clari diu floruerunt, qui sibi Barones de *Sudley* per-benignos olim senserunt. Quomodo autem in primo religionis dissidio in Guilielmum *Traci* huius loci Dominum iam mortuum animaduersum fuerit cadauere effosso, & publicè cremato ob verbula in testamento quæ hęresim, vt ea tempora iudicârunt, resipuerint. Quomodo etiam olim alter Guilielmus de *Traci* Thomæ Cantuar. Archiepiscopi cæde manus cruentauerit, Ecclesiastici fusè scripserunt, nec instituti est mei huiusmodi enarrare. *Winchelcombe* hic etiam opidum satis frequens, vbi Kenulphus Mercius monasterium erexit, & quo consecrauit die, Edbrichthum Cantij Regem quem captiuum tenuerat, gratis ad suos demisit. Vix credas in quanta celebritate hoc Monasterium iampridem fuerat ob reliquias regis Kenelmi pueri septennis, quem soror, vt hæreditatem interuerteret, clanculùm e medio sustulit, & in Martyrum catalogum maiores retulêrunt. Territorium huic adiacens quondam per se Comitatus, siue Vicececomitatus censebatur, legimus enim in antiquo manuscripto codice ecclesiæ Wigorniensis. *Edric cognomento* Streona, *id est*, Adquisitor, *qui sub Rege primitùs AEthelredo, & posteà aliquandiu sub Cnut, siue Canuto omni Anglorum regno praeerat, & quasi subregulus dominabatur, Vicecomitatum de Winchelcombe, qua per se tunc erat, Vicecomitatui Glocester adiunxit.* Inferiùs *Brimesfield* iacet quæ suos olim Dominos habuit *Giffordos*, quibus vxorio iure lauta a *Cliffordis* obuenit hæreditas, & statim per hæredes fœminas ad Dominos *Le Strange de Blackmer*, *Audleios*, & alios decidit. Toddington. Tracij. *Winchelcumbe.* Brimesfield. Giffordi Barones.

Hæc inter colles; sub collibus verò iuxta limitem Comitatus orientalem vidimus celebrem illam Roman. viam *Fosse* noto nomine dictam, quæ à Warwicensibus primùm descendit per *Lemington* vbi statio Romanorum videatur fuisse ex Romanis numismatis ibi sæpe erutis, quorum nonnulla mihi pro humanitate impertijt Edw. Palmerus antiquitatis sedulus cultor cuius maiores hic diu floruerunt, & deinde per *Stow on the Would* ventis ob sublimen situm nimis expositam, & *North-Leach*, cognominem fluuiolo alluenti, ad *Cirencester*, quam *Cornus* fluuius inter colles magna molarum opportunitate in austrum Fosseway. Cirencester.

Corinium. effusus allabitur, nominíque adoptat suo. Vetustæ inprimis memoriæ hæc vrbs est, Ptolemæo CORINIVM, Antonino DVROCORNOVIVM, id est, *Cornouium Aqua*, exactè ad XV. à Gleuo siue *Glocestria*, vt ille annotat, lapidem, Britanni *Caer Cori*, & *Caer Ceri*, Anglo-Saxones Cypen-ceaster dixerunt, nos hodiè *Circester*, & *Circiter*. Mœnium ruinæ peramplum fuisse declarant, quæ duo vtique milliaria, vt ferunt, in ambitu collegerunt. Inclaruisse comprobant Romanorum nummi, pauimenta tessellata, & marmora inscripta subinde effossa, quæ cùm in ignaros inciderint, non minimo antiquitatis damno comminuta periérunt, & viæ illæ Romanorum consulares quæ hic transuersè se interfecârunt, quarum illa quæ ad GLEVVM siue *Glocester* duxit conspicuo aggere adhuc extat vsque ad *Birdlip hill* & diligenter intuenti saxis constrata videtur. Britannici annales hanc vrbem a Gurmundo, nescio quo tyranno Africano, strategemate per passeres incensam deflagrâsse produnt, vnde *Passerum Vrbem* Giraldus vocat, & ex illis Nechamus,

Via Romanorum miliaris

Vrbs vires experta tuas Gurmunde per annos
Septem.

Quis fuit hic Gurmundus planè ignoro. Incolæ sub vrbem molem ostendunt, quam Gurmundum iecisse ferunt, *Grismunds* tamen *turrem* vocitant. Marianus antiquæ fidei historicus Ceaulinum hanc Britannis abstulisse memorat, quo tempore eorum exercitus ad *Deorham* fudisset, & Gleuum in potestatem redegisset. Longo pòst tempore Occidentalibus Saxonibus paruit. Legimus enim Pendam Mercium a Cinegliso Saxonum Occidentalium Rege profligatum cum hanc ingentibus copijs circumsideret. In Merciorum tamen potestatem cum vniuerso agro tandem deuenit, & ad Anglicam vsque monarchiam permansit. Sub qua luctuosam, affligentibus Danis, fortunam subijt, a Gurmone fortasse illo Dano, qui & *Guthrus*, & *Gurmundus* ab historicis vocatur. Nunc autem vix quarta pars intra mœnia habitatur, reliqua sunt agri compascui, ruinæque cœnobij à Saxonibus, vt ferunt, primùm extructi, & ab Henrico II. restaurati. In quo multos ex familia Baronum de *S. Amando* sepultos accepimus. Castrum verò quod habuit regia authoritate anno primo Henrici III. dijectum fuit. Lanificio maximum quæstum faciunt incolæ, & Richardi Primi singularem in se benignitatem prædicant, qui cœnobium locupletauit, & ipsos, vt asserunt, septem adiacentibus Centurijs præfecit, *ad tenendum ad feodi firmam*, vt causas cognoscerent, & mulctas, aliaque ex causis illis cognoscendis emolumenta sibi ipsi haberent. Rex etiam Henricus IIII. nonnulla indulsit priuilegia ob operam strenuè prçstitam in Thomam *Holland* Comitem Cantij, Ioannem *Holland* Comitem Huntingdoniæ, Ioannem *Montacute* Comitem Sarisburiæ, Thomam *De-Spenser* Comitem Glocestriæ, & alios qui ab eo suis honoribus spoliati in eius caput conspirârunt, & hic ob opidanis intercepti partim interfecti, partim capite obtruncati fuerunt.

Isis fl. quod postea Tamisis.

Corinio relicto, Corinus flu. Isidi ad sextum milliare se consociat. ISIS enim vulgò *Ouse*, vt Glocestrensis origine esset, ex huius agri australi limite, iuxta *Torleton* viculum haud procul à via illa celebri *Foss-way* venis perennibus manat. Hic ille Isis, qui posteà recepto Tama, *Tamisis*, composito vocabulo dicitur, fluminum Britannicorum regnator, de quo non immeritò dicere liceat, & serere Britanniam, & rigare, quod de Euphrate in Oriente dixerunt veteres. Poeticam verò fontis descriptionem ex Tamæ, & Isis connubio subiunxi, quam siue admittas, siue omittas minimi refert.

Lanigeros quà lata greges Cotswaldia pascit,
Crescit & in colles faciles, visura Dobunos,
Haud procul à Fossa *longo spelunca recessu*
Cernitur, abrupti surgente crepidine cliui:
Cuius inauratis resplendent limina tophis,
Atria tegit ebur, tectúmque Gagate Britanno
Emicat, alterno solidantur pumice postes.
Materiam sed vincit opus, ceduntque labori

*Foss way.

Artifici

Artifici tophus, pumex, ebur, atque Gagates.
Pingitur hinc vitrei moderatrix Cynthea regni
Passibus obliquis voluentia sydera lustrans:
Oceano tellus coniuncta marita marito
Illinc cælatur, fraternaque flumina Ganges,
Nilus, Amazonius, tractúsq; binominis Istri,
Vicini & Rheni: sed & his intermicat auro
Vellere Phrixæo diues, redimitaq; spicis
Clara triumphatis erecta BRITANNIA *Gallis, &c.*
Vndoso hic solio residet regnator aquarum
ISIS, *fluminea qui maiestate verendus*
Cæruleo gremio resupinat prodigus vrnam,
Intonsos crines vluis & arundine cinctus,
Cornua cana liquent, fluitantia lumina lymphis
Dispergunt lucem, propexa in pectore barba
Tota madet, toto distillant corpore guttæ:
Et salientis aquæ prorumpunt vndique venæ.
Pisciculi liquidis penetralibus vndiq; ludunt,
Plurimus & cygnus niueis argenteus alis
Peruolitat circum &c.

Quod ad Glocestriæ Comites attinet, quidam Guilielmum *Fitz-Eustace*, tanquam Glocestriæ
primum Comitem nobis obtruserunt, quis hic fuit nondum legendo comperi, nec vn- Comites.
quam natum fuisse credo. Quod verò comperi, lectori non subducam. Sub Norman-
norum ingressum, Bithricum Saxonem Glocestriæ Dominum fuisse legitur, quem Ma- Hist. Monast.
tildis Guilielmi Normanni vxor spretæ iniuria formæ exulcerata (eius enim nuptias pri- Tewkesbury.
ùs aspernatus erat) infestissimè exagitauit, & cùm in vincula tandem coniecisset, eius
possessiones a victore Rege Robertus *filius Haimonis* Corbulensis, vulgò *Fitz Haimon* Fitz-Haimon
dictus accepit, qui in prælio *conto tempora ictus hebetatus ingenio, non pauco tempore qua-* Guil. Malmes.
si captus mente superuixit. Huius filiam Mabiliam (quæ alijs Sybilla) Robertus Henrici
Primi filius nothus in vxorem duxit, primusq; Glocestriæ Comes factus, vulgo scripto-
rum *Glocestriæ Consul* appellatur, vir si quis alius eo seculo, excelso atq; inuicto animo,
& qui nunquam rebus asperis de gradu deiectus pro sorore Matilda contra Stephanum
Angliam occupantem res magnas & arduas magna cum laude gessit. Ille hunc honorem
Guilielmo filio reliquit, cuius tres filiæ in totidem familias hanc dignitatem intulerunt;
maxima natu Isabella Ioannem Regis Henrici Secundi filium hoc titulo ornauit, sed is
posteà cùm regni compos esset, illam repudiatam pro 20000. *Marcis* dedit Galfrido de
Magnauilla filio Galfredi filij Petri Comitis Essexiæ, quem Comitem Glocestriæ dixit. Pat. 15. Ioan.
Illo sine sobole mortuo, Almaricum * Ebroicensem Glocestriæ Comitem instituit, vt- R. 4.
pote filium Mabiliæ, quæ filia erat Guilielmi illius minima natu. Sed Almarico sine pro- * *D' Eureux.*
le itidem defuncto, ad Amiciam filiam natu minorem deuenit hæreditas, quæ Richardo
de *Clare* Comiti Hertfordiæ elocata Gilbertum de *Clare* Glocestriæ Comitem pepe- Glocestriæ &
rit, cuius filius Richardus, nepos Gilbertus secundus, & pronepos Gilbertus tertius, qui Hertfordiæ
in prælio ad *Sterling* in Scotia cecidit, ordine successerunt. Attamen dum hic Gilber- Comites.
tus tertius adolesceret, Radulphus de *Monte Hemerij*, qui clandestinis nuptijs Gilberti se-
cundi viduam, Regis Edwardi Primi *filiam in vxorem duxerat, Comitis Glocestriæ ti- * Ioanna
tulum aliquandiu gessit, cúmq; Gilbertus annum ætatis XXI. explesset, eum exuit, & in- *D' Acres* dicta
ter Barones accensebatur. Post Gilbertum tertium sine liberis demortuum Hugo *De-* quia Aconi nata.
spenser vulgò *Spenser* iunior a scriptoribus dictus est Comes Glocestriæ, eò quod primo- Tho De la
genitam eius Gilberti tertij sororem duxerat. Verùm illo a Regina & proceribus in odi- Mare in vita
um Regis Edwardi Secundi, cui erat in delicijs, suspenso, hunc honorem Hugo de *Au-* E. 2.
deley, qui alteram duxerat sororem gratia Edwardi III. accepit. Post eius obitum in
Ducatum hunc titulum erexit Rex Richardus Secundus, tresque Duces, vnumque Co-
mitem interpositum habuit, quibus omnibus equum se præbuit Seianum. Thomam Glocestriæ
de Duces.

de *Woodstocke* Comitem *Buckinghamiæ*, filium natu minimum Regis Edwardi III. Glocestriæ Ducis titulo primùm euexit, statimque detrusit Rex ille Richardus Secundus. Illum enim magna molientem Caletum ex improuiso abreptum plumeo lecto iniecto suffocari curauit, cùm sub sua manu priùs confessus fuisset (vt in Rotulis Parlamentarijs habetur) se regiam authoritatem extorto a Rege diplomate sibi arrogasse, ad Regem armatum accessisse, opprobrijs laceràsse, viros doctos de fide renuncianda consuluisse, atque de Rege deturbando cogitàsse. Ob quæ, iam mortuus Parlamentaria authoritate læsæ Maiestatis damnatus. Illo extincto, idem Rex Thomæ *Despenser* Comitis Glocestriæ titulum contulit, qui paulò pòst non meliori quàm Hugo proauus fato, ab Henrico IIII. exturbatus, ignominiosè degradatus, & Bristoliæ securi percussus. Secundum Glocestriæ Ducem creauit Humfredum fratrem Rex Henricus V. qui *Regum filius, frater, & patruus, Dux Glocestriæ, Comes Penbrochiæ, Magnus Angliæ Camerarius* (his enim titulis vsus est) de Republica & literis optimè meritus fraude muliebri apud *S. Edmundi Burgum* sublatus. Tertius & vltimus erat Richardus frater Regis Edwardi IIII. tertius qui postea Richardi III. nomine regnum, sublatis scelere nepotibus, occupauit, & post biennium iusto prælio cum vita amisit; sensitque quod scelere quæsita potentia non sit diuturna.

Richardus Tertius Rex Angliæ.

De hoc postremo Glocestriæ Duce, primisque eius regni auspicijs liceat mihi Historici personam paulisper induere, quam & mox, quia satis tueri non possum, exuam. Cùm ille regni *Protector* iam declaratus nepotes suos Edwardum V. Regem Angliæ, & Richardum Ducem Eboraci tenellos in potestate haberet, regnum sibi aucupaturus benignitate in plurimos profusa, summa grauitate cum comitate singulari aspersa, solida prudentia, iustitiæ æquabilitate, nec non subdolis artibus omnium omninò animos, præcipuè autem iuris-prudentum sibi conciliauit; & effecit vt nomine Ordinum regni supplex sibi exhiberetur libellus, quo maximoperè contenderent, vt ad publicum Regni bonum & populi salutem regnum capesseret, patriam labentem exciperet, corruere non sineret, quæ (naturæ iure, & legum authoritate proculcatis) bellis intestinis, rapinis, homicidijs, & nullo non miseriarum genere conflictata contabuerat, ex quo Edwardus IIII. frater eius matrimonium infaustum cum Elizabetha *Grey* vidua philtris pellectus, sine procerum assensu, sine matrinonij publicatione, clandestinò, non in facie ecclesiæ, contra laudatissimam Ecclesiæ Anglicanæ consuetudinem contraxisset. Quodque grauius, cùm iam anteà ille sponsalia cum Domina Æleanora *Butler* Comitis Salopiæ filia præcontraxisset: vnde illegitimas fuisse illas nuptias, & vnà liberos ex illis procreatos illegitimos esse, & regni minimè capaces certò certius constaret. Adhæc cùm Georgius Dux Clarentiæ frater Secundus Edwardi IIII. Parlamentaria authoritate læsæ maiestatis esset damnatus, eiusque liberi omni iure successionis inde exclusi, nemini non compertum esse quòd Richardus ipse solus & certus regni superesset hæres. Quem in Anglia natum Angliæ bono seriò consulturum certò norunt, nec de eius natalibus & *filiatione* dubitare possent: cuius etiam prudentiam, iustitiam, animi magnitudinem, res belli fortissimè pro Reipub. salute gestas, & regij generis splendorem, vtique è regio Anglorum, Gallorum, & Hispanorum semine exploratè perspicerent. Quare, his & huiusmodi, etiam atque etiam diligenter perpensis, ipsum in Regem illo scripto, & vno omnium consensu libentes lubentesque elegerunt, precibusque & lachrymis prostrati eius fidem implorantes obtestati sunt, vt regna Angliæ, Franciæ, & Hiberniam ipsi iure hæreditario, & ipsorum electione delata assumeret, & pro pietate patriæ iacenti salutarem dextram porrigeret. Omnem illi fidem, obsequium, studium prolixè polliciti, si faceret; sin minus, se vltima quæque experturos potiùs quàm indignissimæ seruitutis laqueos, quibus iam explicati erant, denuò subituros. Hic libellus supplex ipsi exhibitus priusquam regnum capesseret, posteà etiam in publico ordinum regni conuentu oblatus erat, & approbatus & eorum authoritate scitum & declaratum (congerie verborum vt assolet) iure diuino, iure naturali, Angliæ legibus, & nunquam satis laudata consuetudine Richard. legitima electione, consecratione, & coronatione fuisse & esse Regem Angliæ &c indubitatum, & ad liberos ex eius corpore prognatos regnum Angliæ &c. iure spectare. Vtq; ex ipso autographo loquar *authoritate Parlamenti pronuntiatum, decretum, & declaratum erat*

omnia

omnia & singula in prædicta. Billa contenta esse vera, & indubia, ac idem Dominus Rex de assensu trium Statuum regni, authoritate prædicta pro vero & indubio pronuntiat, decernit, & declarat. Hæc paulò fusiùs, exposui vt intelligatur quid & quanta Principis potentia, simulata virtus, Iuridicorum strophæ, spes blanda, timor sollicitus, nouarum rerum studium, & speciosi obtentus in prudentissimo Ordinum regni conuentu contra fas & ius efficere potuerint. Cęterùm hic Richardus non vt Galba capax imperij, nisi imperâsset, habendus, qui omnium expectationem imperium nactus fefellit: sed dignissimus regno nisi malis artibus, & scelere ad regnum grassatus esset, adeo vt inter malos viros sed bonos principes prudentum consensu fuerit connumeratus. Sed ego Chorographus deposita iam persona hęc historicis relinquo.

Parœciæ 280. in hoc Comitatu comprehenduntur.



PARTE OF WARWIK SHIRE
PARTE OF NORTHAMTON SHIRE
PARTE OF GLOCES: TER SHIRE
PARTE OF BARKSH:
PARTE OF WILTSHIRE
Banburye
Chippingrton
Wodstok
Whichwood forest
OXFORD
Burford
Witney
Abbington
Faringdon
Lachlade
Hyworth
Stow on the would
Duckelington
Longworth
Hynton
Buckland
Clanfeld
Bampton
Shifford
Cumner
Langley
Charlebury
Stonsfeld
Yarnton
Begbrok
Somerton
Adderbury
Bloxham
Milcombe
Cropredy
Hornton
Claydon
Chippenwarden
Edgcote
Middleton cheyney
Drayton
Hanwell
Wroxton
Broughton
Wickham
Swacliffe
Wiggington
Hokenorton
Sutton
Cheriton
Wilford
Berton
Lemington
Bradwell
Oddington
Bleddenton
Kenkham
Westcot
Churchhill
Shipton
Fyfeld
Windrush
Windrush flu
Holewell
Kencot
Bradwell
Langford
Kemskot
Farsford
Kempsforde
Temisis
GLOC PARS
BARK PARS
1
5
Christophorus Saxton descripsit.

OXONIENSIS

Comitatu, vulgo Oxfordshyre qui pars olim DOBUNORUM

SHIRE OF NORTHAMTON SHIRE

Brackly
Buckingham
Mixbury
Finmere
Fingwick
Cotesford
Shelswell
Neunton
Chitwood
Pounden
Stratton audley
Caversfeld
Bucknell
Edgcott
Merlesgibben
Blackthorn
Piddington
Burcester as Bicister
Amersden
Arncote
Morton
Wendlebury
Weston
Charleton
Fencote
Mercote
Bernwood forest
Addington
Horton
Bostall
Oakley
Noke
Wodeaton
Beckley
Elsfeld
Marston
Stanton S. Johns
Halton
Worminghall
Shabbington
Ickford


PSHIRE OF BUCKINGHAMSHIRE

Crandon
Haddenham
Tame
Drayton
Towser
Hinton
Emmington
Crowell
Belew
Waterstoke
Whatley
Milton
Cuddesdon
Sydenham
Tetsworth
Haseley
Aston rowen
Chinner
Lewkenor
Garsington
Ridnage
Sandford
Chissellhampton
Stadham
Weston
Shernborn
Stokechurch
Newnham
Warmont
Berrick
Britwell
Watlington
Drayton
Clifton
Dorchester
Warboro
Swincombe
Fawley
Wittenham
Wallingford
GALLENA
Crowmersh
Bix brand
Grenland
Medneham
Merlow
S. Morton
Newnham
Nuffeld
Bix gebon
Hurley
Remenham
Henley
Cholsey
Ipsden
S. Stoke
Checkenden
Greys court
Aston
Moulsford
Harpsden als Harding
Woodcote
Rotherfeld pypp
Shiplake
Waregrave twiford
Goring
Whitchurch
Cavertsham
Sunnyng
Streetley
Bassildon
Pangborn
Mapledercham
Tidmershe
Purley
Redinge

IRE

5 10

Gulielmus Hole sculp:





OXFORD-SHIRE.



Xoniensis ager, Saxonicè Oxenfordscyre, vulgò *Oxford-Shire*, quem etiam ad Dobunos spectâsse diximus, Glocestrensi ad occasum coniungitur, ab Austro quà in maximam latitudinem excurrit, Iside flumine à *Barkshire* excluditur, ad Ortum Buckinghamiensi agro definitur, ad Septentriones, qua in conum quasi desinit, hinc Northantoniensi, illinc Warwicensi includitur. Regio fertilis est & opima, plana aruis & pratis sunt exculta: colles crebris syluis obsessi, nec frugibus tantùm, sed omni genere animantium, quæ venatu & aucupio ad cibum capi solent, vbique referta, fluuijs etiam piscosis irrigua. ISIS enim, qui posteà TAMISIS, longo decursu Australe latus subluit, *Cherwell* piscosus fluuiolus cùm Northantonienses ab Oxoniensibus aliquandiu seiunxerit, placidè mediam regionem intermeat, & quasi in duas dispertit partes. Partemque Orientalem Tama suis aquis irrigat, feracemque reddit, donec ab Iside vterq; cum influentibus riuulis excipiatur.

Rodcot bridge. Bablac. Isis cùm Wiltonienses perstrinxerit, statim atq; Oxonienses adit, Rodcottano ponte coërcitus *Bablac* præterfluit, vbi Robertus Verus ille potentissimus Oxoniæ Comes, Dubliniæ Marchio, & Dux Hiberniæ, qui vt in summa fuit potentia apud Regem Richardum Secundum, ita summa inuidia apud proceres; nullam potentiam, vt inquit ille, potentem esse nos docuit. Ibi enim leui prælio à proceribus deuictus, in flumen se con-
1387. ijcere & tranare coactus, suæ fortunæ catastrophen exhibuit: solum enim statim vertit, & extorris obijt. De quo in Connubio Tamisis & Isis.

Aper symbolum familiæ Verorum.

Hic Verus notissimus apro
Dum dare terga negat virtus, & tendere contra
Non sinit inuicta rectrix prudentia mentis;
Vndique dum resonat repetitis ictibus vmbo,
Tinnitúque strepit circum sua tempora cassis,
Se dedit in fluuium, fluuius lætatus & ille
Hospite, suscepit saluum, saluumque remisit.

Burford. Iacentibus agris inde sæpius innatans Isis Windrusho fluuiolo primùm augetur, qui e *Cotteswoldis* profluens ad ripas *Burford* videt, Saxonice Beorford, vbi Cuthredus Occidentalium Saxonum Rex, tunc Merciorum beneficiarius, cùm acerbissimas AEthelbaldi Mercij exactiones diutiùs ferre non posset, qui suorum succum & sanguinem exhaurire cœpit, signa contra eum extulit, & fugauit: vexillo eius capto, in quo aureum draconem depictum fuisse memorant authores. Inde *Minster Louell* præteruehitur, sedem olim Baronum Louellorum de *Tichemersh*, qui à Lupello Normanno nobili exorti multis seculis floruerunt, & opulentis nuptijs cum hæredibus de *Tichemersh*, Dominorum *Holand*, *D'eyncourt*, & Vicecomitum de *Bellomonte* aucti. Desierunt verò in Francisco Vicecomite *Louell* Camerario Richardi Tertij, à Rege Henrico VII. proscripto, & in prælio ad *Stoke* pro Lamberto ementito principe occiso, cuius soror erat Frideswida Henrici primi Baronis *Norris* auia. Hinc *Whitney* perfundit Windrushus antiquum oppidum, & ante Normannica tempora Episcoporum Wintoniensium, cui adiacet *Coges* caput Baroniæ de *Arsic*, cuius domini è familia Comitum Oxoniæ prognati multos ante annos sunt extincti. Iuxta quod *Wichewood* saltus latè patet, qui quondam latiùs patuit. Nam *Rex Richardus Tertius deafforestauit magnum agrum de Wichewood inter Woodstocke & Brighstow, quem Edwardus Quartus foresta incorporauit*, vt testatur I. Rossus Warwicensis. Windrusho recepto ad *Einsham* defertur Isis, Saxonicè Eignesham, villam olim Regiam inter amœnissima prata consitam, quam Cuthwlfus Saxo deuictis Britannis primus abstulit, AEthelmarus vir nobilis monasterio ornauit. Quod AEthelredus Rex Angliæ anno Salutis CIↃV. confirmauit, & *libertatis priuilegium* (ex ipso Autographo loquor) *cum signaculo sanctæ crucis confirmando consignauit*. Nunc autem in

(Margin notes: Barone Louell. — Whitney. Barones de Arsic. — Einsham.)

in priuatas ædes conuersum Comitem Derbiensensem Dominum agnoscit. Sub hoc in Isidem *Euenlode* fluuiolus emittitur è *Cotteswoldia* etiam prolapsus, qui in ipso agri limite, non longè à ripa antiquum monumentum relinquit, vasta scilicet saxa in orbem disposita, quæ *Rolle-rich stones* vulgus appellitat, hominésque olim fuisse qui in saxa stupenda metamorphosi riguêrunt, somniat. Horum qualemcunque delineationem iam olim expressam hic exhibemus. Informia enim sunt, inæqualia, longique temporis vetustate multùm imminuta, & exesa. Omnium celsissimum quod extra coronam Ortum spectat *Regem* vocitant, quia Regem illum Angliæ fore, si modò *Long-Compton* (viculus eo nomine subiacet) semel vidisset, quem pauculis progressus passibus videas: aliaq; quinq; ex altera parte contigua *Equites*, reliquos *Exercitum* fuisse comminiscuntur. Sed ecce. *Rolle-rich stones.*



Hæc victoriæ alicuius monumentum ego crediderim, & forte à Rollone Dano, qui posteà rerum in Normannia potitus. Quo enim tempore ille cum suis Danis, & Normannis Angliam deprædationibus exagitaret, Danos cum Anglis prælium iuxtà ad *Hokenorton* conseruisse legimus, & posteà iterùm dimicâsse ad *Scierstane* in *Huiccis*, quem etiam iudicârim lapidem esse illum terminalem in proximo, qui quatuor Comitatus distinguit, hoc enim Saxonica illa dictio *Scierstane* planissimè innuit. *Hochnorton* verò ille de quo dixi, ob rusticitatem incolarum superiori seculo cessit in prouerbium, vt inde natum dicerent, quasi Suillium, qui moribus sit agrestioribus. Nulla re olim magis innotuit quàm miseranda Anglorum cæde in prælio contra Danos sub Edwardo Seniore. Baronia fuit postea D'Oiliorum honoratæ & antiquæ familiæ Normannicæ, quorum in Angliam primus ingressus est Robertus *D'Oilye*, qui ob operam strenuè præstitam hunc vicum, plurimasque terras a Guilielmo *Conquestore* accepit, nonnullasque dedit fratri suo iurato Rogero Iuereio, quæ dictæ fuerunt Baronia de *S. Valerico*. Verùm cùm Robertus ille sine prole mascula diem obijsset, successit in hoc frater eius Nigellus, cuius filius Robertus Secundus fuit fundator Monasterij *Osney*. Tandem verò hæres huius familiæ *D'Oily* enupta fuit Henrico Comiti Warwicensi, cui peperit Thomam Comitem Warwici, sine prole defunctum regnante Henrico Tertio, & Margaretam quæ etiam sine sobole obijt, licèt duos habuerit maritos, Ioannem Marescallum, & I. de *Plessetis* vtrumque Warwici Comitem, Tunc verò (ex ipsa largitionis Charta loquar) Rex Henricus III. *Hochnorton, & Cudlington concessit Ioanni de Pessetis, siue Plessy, quæ fuerunt quondam Henrici D'Oily, & quæ deuenerunt in manum Regis post mortem Margaretæ quandam Com. Warwici vxoris prædicti Ioannis, tanquam Eschaeta de terris Normannorum, habendum & tenendum donec terræ Angliæ & Normanniæ fuerint communes.* Ex hac tamen antiqua & celebri stirpe equestris D'Oliorum familia etiamnum in hoc Comitatu superest.

Hochnorton. Lib. Osnienfis. D'Oily. Baronia de Sancto Valerico. Regiftr. Mon. de Osney. 37 H. 3.

Nihil

Woodstocke

Nihil aliud memorandum præterfluit *Euenlode*, sed cursu satis longo confecto amniculum admittit, ad quem sedet *Woodstock* Saxonicè ƿudeſtoc, id est, *Locus syluestris*, vbi Etheldredus Rex olim ordinum conuentum habuit, & leges tulit. AEdes hic sunt regiæ magnificentiæ plenæ ab Henrico Primo constructæ, qui etiam viuarium amplissimum saxeo muro incinctum adiunxit, quod primum fuisse in Anglia viuarium scribit Ioannes Rossus, licèt *Parcus syluestris bestiarum* semel atque iterum in Censuali Angliæ libro legatur. Verùm iam inde in eum numerum excreuêrunt, vt plura fuerint in Anglia, quàm in reliquo orbe Christiano habeantur, eò vsque venandi studium maiores nostros prouexit. Referunt historici nostri Henricum II. cùm Rosamundam Cliffordiam deperiret, quæ forma adeò eximia & liberali erat, vt eius pulchritudo omnes ex principis animo deleret mulieres, & iam *Rosa mundi* vulgò diceretur: ad eam ab importuna Iunone sua occultandam, Labyrinthum in his ædibus multis ambagibus, occursu, recursúque inexplicabili inædificasse, qui tamen hodiè nusquam apparet. Opidum ipsum cùm nihil habeat quod ostentet, Homerum nostrum Anglicum Galfredum Chaucerum alumnum suum fuisse gloriatur. De quo & nostris Poëtis Anglicis illud verè asseram, quod de Homero, & Græcis eruditus ille Italus dixit:

Viuarium in Anglia primum.

Labyrinthus.

Galfredus Chaucer.

Hic ille est cuius de gurgite sacro
Combibit arcanos vatum omnis turba furores.

Ille enim extra omnem ingenij aleam positus, & Poëtastras nostros longo post se interuallo relinquens:

iam monte potitus,
Ridet anhelantem dura ad fastigia turbam.

Godstow.

Isis cùm *Euenlodum* iam admiserit, diuiso alueo in plurimas, & amœnissimas insulas distrahitur, ad quas *Godstow*, id est, *Dei locus*, virginum cœnobiolum erat, quod Ida vidua opulenta extruxit, & Ioannes Rex instaurauit, annuóque censu dotauit, vt virgines illæ sacræ suis suffragijs (ea enim persuasio iam omnium animos occupârat) Henrici II. patris & Rosamundæ animabus subuenirent. Illa enim ibi cum hoc Epitaphio Rythmico sepulta:

Hæc iacet in tumba Rosa mundi, non Rosamunda,
Non redolet, sed olet, quæ redolere solet.

Banbury.

Nec dum in vnum se colligit Isis, cùm Cherwellum qui agrum hunc quasi intermeat, è Northantonensi prouincia obuium habeat, Hic *Banbury* quondam Banesbyrig primùm perfundit, ad quod Kinricus Visisaxo Britannos pro aris & focis fortiter dimicantes memorabili prælio olim fudit: & superiori seculo Richardus *Neuill* Comes Warwicensis, dum à Lancastrensium partibus staret, Eboracenses ita profligauit, vt statim etiam ipsum Edwardum IIII. consilij inopem ceperit, & abduxerit. Nunc autem conficiendo caseo notissimum, castrum ostendit, quod Alexander Lincolniensis Episcopus (ad Lincolniensem enim cathedram spectat opidum) construxit, qui cùm latè potiùs, quam lęte habitare voluit, plurima sibi mala ex insanis substructionibus accersiuit. Sub hoc, vt obiter notem, Romanorum Imperatorum numismata reperta vt etiam alibi in vicinis agris, ad loci vetustatem asserendam faciunt.

Nec hic omittendum quod proximum est *Broughton* sedes Richardi *Fienes* siue *Fenis* cui & hæredibus de corpore Potentissimus Rex Iacobus anno regni sui primo *recognouit & confirmauit nomen, stilum, titulum, gradum, dignitatem, & honorem Baronis de Say & Sele*; vtique, qui a Iacobo *Fienes* Barone de *Say* & *Sele* & Magno Angliæ Thesaurario tempore Regis Henrici Sexti, recta linea genus deduxit. Iam inde longo a *Banburia* decursu nihil præter cultissimos agros & lætissima prata cernit Cherwellus. In quibus consident *Islip* olim *Ghistlipe* Edwardi Regis illius quem ob pietatem, & continentiam *Confessoris* nomine dignati sunt maiores locus natalis, vt ipse testatur in Autographo quo hoc suum Manerium Ecclesiæ Westmonasteriensi dedit, & *Hedindon* quam in Baroniam Thomæ *Basset* Rex Ioannes donauit.

Islip.

Hedindon.

Cherwellum

Cherwellum, hic ab Ortu influit riuulus, qui *Burceſter*, Saxonicè Buꞃenceaꞅꞇeꞃ, & Burceſter.
Beꞃnaceaꞅꞇeꞃ, præterfluit, antiqui nominis opidulum, ſed vbi nihil antiquum obſeruaui,
niſi Gilbertum *Baſſet*, & Egelinam de *Courteniaco* vxorem eius in honorem S. Eadbur-
gæ, regnante Henrico Secundo, hîc cœnobiolum conſtruxiſſe; & non ita pridem Ba- Alcheſter.
rones *Le Strange de Knocking*, loci Dominos extitiſſe. Sed ad Occaſum adiacent deſertæ
ſtationis antiquæ paucæ reliquiæ, *Alcheſter* vocant, fortaſſe quaſi *Aldcheſter* .i. *vetus
opidum*, per quod via militaris à *Wellengfordia*, vt credunt vicini, ad *Banburiam* duxit,
Akemanſtreat way illis appellata, cuius agger in planitie de *Otmore*, quæ hibernis aquis Barhonia olim dicta
ſæpe ſuperfuſa, per aliquot milliaria adhuc extat manifeſtiſſimus. *Akeman-ceſter.*

Vbi verò cùm Iſide confluit, & amœniſſimæ inſulæ aquarum diuortijs ſparguntur,
in campeſtri planitie eminet celeberrima Academia OXONIA, Saxonicè Oxenꝼoꞃꝺ,
vulgo *Oxford*, Athenæ noſtræ nobiliſſimæ, Angliæ μουσεῖον, & ἔρεισμα, imò Sol, Oculus, Oxonia.
& anima, literarum & ſapientiæ clariſſima ſcaturigo, vnde religio, humanitas, & do- *Oxford.*
ctrina in omnes regni partes vberrimè diffunduntur. Vrbs egregia, & nitida ſiue priua-
torum ędificiorum elegantiam, ſiue publicorum dignitatem, ſiue ſitus ſalubritatem, &
amœnitatem ſpectes. Planitiem enim ita obuallant nemoroſi colles, vt hinc peſtilenti
Auſtro, illinc tempeſtuoſo Zephiro excluſo, tantùm ſerenantem Eurum, & Aquilonem
corruptionis vindicem admittant, vnde ab hoc ſitu *Belloſitum*, quondam dictum fuiſſe
produnt ſcriptores. Nonnulli hanc *Caer Vortigern*, & *Caer Vember* Britannicè appella-
tam, & neſcio quos Vortigernos, & Mempricios extruxiſſe opinantur. Quodcunq; ve-
rò Britannicis temporibus fuerit, Saxones Oxenꝼoꞃꝺ dixerunt, & ea plane ſignificatio-
ne, qua Græci ſuos *Boſphoros*, & Germani ſuam *Ochenfurt*, ad Oderam habent, à boum
ſcilicet vado, quo etiam ſenſu Britannis noſtris hodie *Rhid-ychen*, nominatur. Lelandus
tamen probabili coniectura ab *Ouſe* fluuio, qui Latinè Iſis, nomen deducit, & *Ouſford*
vocatum fuiſſe arbitratur, cùm Inſulæ amnicæ quas Iſis hic diſpergit, *Ouſney* dicantur.

Prudens antiquitas (vt in annalibus noſtris legitur) hanc vrbem etiam Britannico ſæ-
culo Muſis conſecrauit, quas Græcoladâ, (quæ iam tenue in Comitatu Wiltoniæ opidu-
lũ) huc tanquam in fœlicius plantarium tranſtulerunt. Scribit enim Alexander Necham:
*Iuris ciuilis peritiam ſibi vendicat Italia: ſed cæleſtis ſcriptura & liberales artes ciuitatem
Pariſienſem cæteris præferendam eſſe conuincunt. Iuxta vaticinium etiam Merlini viguit
ad Vada Boum ſapientia, tempore ſuo ad Hiberniæ partes tranſitura.* Verùm cùm inſequens Lib. 2. de na-
ætas Saxonica vrbium euerſionibus continenter decurreret, communem temporum in- tura rerum.
clinatione ſortem ſubijt, & longo ſanè tempore ſolummodò Frideſwide reliquijs cele-
bris fuit, quæ in Sanctarum numerum ob vitæ integritatem, eo inprimis nomine relata
quòd ſolennibus votis ſe Deo deuouiſſet, & Algarus princeps, dum eius nuptias am-
biret, non ſine miraculo, oculis (vt ſcribunt) captus fuiſſet. *Hæc*, vt apud Guilielmum
Malmesburienſem legitur, *virginei triumphi compos hic ſtatuit monaſterium, in quod cùm
tempore Ethelredi, Dani neci adiudicati confugiſſent, pariter cum domibus inſatiabili ira* Frideſwida.
*Anglorum abſumpti ſunt. Sed mox regis pænitentia purgatum ſacrarium, reſtitutum mona-
ſterium, veteres terræ redditæ, recentes poſſeſſiones additæ, tandémque locus datur à Rogero
Sarisburienſi Epiſcopo excellentis literaturæ Canonico, qui multos ibi Canonicos regulariter
victuros Deo exhibuit.* Sed his omiſſis ad Academiam redeamus. Danica vtcunq; ſeda- 886.
ta tempeſtate pientiſſimus Rex AElfredus Muſis iamdiu exulantibus ſua adyta reſtituit,
tribus conſtructis Collegijs: Grammaticis vno, Philoſophis altero, & Theologis tertio.
Verùm hoc pleniùs intelligas ex his verbis veterum Annalium Noui Monaſterij Win-
toniæ. *Anno Dominicæ incarnationis* MCCCVI. *anno ſecundo aduentus ſancti Grimbaldi in
Angliam incepta eſt Vniuerſitas Oxoniæ: primitùs in eadem regentibus, ac in ſcholis Theolo-
gica legentibus, ſancto Neotho Abbate, nec non in Theologia doctore egregio, & S. Grim-
baldo ſacræ paginæ ſuauiſſimæ dulcedinis excellentiſſimo profeſſore, in Grammatica verò &
Rhetorica regente Aſſerio Monacho, & in arte literatoria viro erudituſſimo. In Dialectica
verò, & Muſica, & Arithmetica legente Iohanne monacho Meneuenſis eccleſiæ, in Geome-
tria, & Aſtronomia docente Ioanne monacho, & Collega S. Grimbaldi viro acutiſſimi inge-
nij, & vndicunque doctiſſimo, præſente glorioſiſſimo & inuictiſſimo Rege AElfredo, cuius in
omni ore, quaſi mel indulcabitur memoria:* Statim, vt legitur in optimo manuſcripto illius

Aſſerij

Aſſerij exemplari qui eodem tempore hic bonas literas profeſſus eſt, *Exorta eſt peſſima ac teterrima Oxoniæ diſcordia inter Grymboldum, doctiſſimóſque illos viros, quos ſecum illuc adduxit, & veteres illos ſcholaſticos quos ibidem inueniſſet: qui eius aduentu leges, modos, ac prælegendi formulas ab eodem Grymboldo inſtitutas, omni ex parte amplecti recuſabant. Per tres annos haud magna fuerat inter eos diſſenſio, occultum tamen fuit odium, quod ſumma cum atrocitate poſteà erupit, ipſa erat luce clarius. Quod vt ſedaret, rex ille inuictiſſimus AElfredus de diſſidio eo nuntio & querimonia Grymboldi certior factus, Oxoniam ſe contulit, vt finem modumque huic controuerſiæ imponeret, qui & ipſe ſummos labores hauſit, cauſas & querelas vtrinque illatas audiendo: Caput autem huius contentionis in hoc erat poſitum: Veteres illi ſcholaſtici contendebant antequam Grymboldus Oxoniam deueniſſet, literas illic paſſim floruiſſe, etiamſi ſcholares tunc temporis numero erant pauciores quàm priſcis temporibus, pleriſq; nimirum ſæuitia ac tyrannide paganorum expulſis. Quinetiam probabant & oſtendebant, idq; indubitato veterum Annalium teſtimonio illius loci ordines ac inſtituta à nonnullis pijs & eruditis hominibus fuiſſe ſancita, vt a Diuo Gilda, Melkino, Ninnio, Kentigerno, & alijs qui omnes literis illic conſenuerunt, omnia ibidem fœlici pace & concordia adminiſtrantes, ac Diuum quoque Germanum Oxoniam aduenisse annique dimidium illic eſſe moratum, quo tempore per Britanniam iter fecit aduerſus Pelagianorum hereſes concionaturus, ordines & inſtituta ſupra mirum in modum comprobauit: Rex ille inaudita humilitate vtramque partem accuratiſſimè exaudiuit, eos pijs ac ſalutaribus monitis etiam atque etiam hortans, vt mutuam inter ſe coniunctionem, & concordiam tuerentur. Itaque hoc animo diſceſſit rex, quoſque ex vtraque parte conſilio ſuo eſſe obtemperaturos & inſtituta ſua amplexuros ſperans. At Grymboldus hæc iniquo animo ferens, ſtatim ad monaſterium Wintonienſe ab AElfredo recèns fundatum proficiſcebatur. Deinde tumbam Wintoniam transferri curauit, in qua propoſuerat poſt huius vitæ curriculum oſſa ſua reponenda, in teſtitudine quæ erat facta ſubter cancellum eccleſiæ Diui Petri in Oxonia, quam quidem eccleſiam idem Grymboldus extruxerat ab ipſo fundamento, de ſaxo ſumma cura perpolito.*

Hanc rediuiuam fœlicitatem paucis poſt annis vna, & altera calamitas excêpit. Dani enim, regnante Etheldredo, prædatorio incendio eam inuoluêrunt, ſtatímque Haraldus *Leuipes* barbara immanitate ita in eam ſæuijt ob quoſdam è ſuis tumultu interfectos, vt triſtiſſimum ſtudioſorum exilium ſubſequutum fuerit, & Academia luctuoſo ſpectaculo quaſi intermortua ad Guilielmi Normannici vſque tempora iacuerit. Quem aliqui expugnaſſe falsò ſcribunt, ſed *Oxonia* pro *Exonia* in exemplaribus perperam concepta illis impoſuit. Tunc tamen ſedem fuiſſe ſtudiorum ex his Ingulphi verbis, qui ea ætate floruit, intelligatur. *Ego Ingulphus conſtitutus primùm Weſtmonaſterio, poſtmodùm Oxonienſi Studio traditus, cum in Ariſtotele arripiendo ſupra multos coætaneos profeciſſem, &c.* Quæ enim nos Academias vocamus, illa ętas *Studia* dixit, vt mox docebimus. Verùm hoc tempore ita exhauſta fuit, vt cùm intrà & extrà murum (ex Cenſuali Guilielmi Conqueſt. libro loquor) ædes plus minùs DCCL. fuerint præter XXIIII. manſiones Murales, quingentæ ex illis cenſui ſoluendo non eſſent. Vtque eius libri verbis loquar, *Hæc reddebat pro theloneo, & gablo, & alijs conſuetudinibus per annum Regi quidem viginti libras, & ſex ſextarios mellis, Comiti verò Algaro decem libras.* Paulò pòſt Robertus de *Oili* nobilis Normannus (de quo ſupra diximus) cùm in militiæ præmium latifundia in hoc agro à Guilielmo victore accepiſſet, caſtrum ad occiduam vrbis partem magnis aggeſtis mo-
1074. libus extruxit, & in eo eccleſiam S. Georgij parochialem, in quam cùm Stephano Rege
Regiſtr Monaſt. de *Oſeney.* arctiſſimè obſidente Matildem Imperatricem in hoc caſtro, Parochianis ingreſſus non pateret, Capella S. Thomæ in vicinia extructa fuit. Mœnibus etiam nouis, vt creditur, ipſam vrbem incinxit, quæ nunc ſenſim expugnat vetuſtas. Robertúſque eius è fratre
Oſny. Nigello nepos Regis Henrici Primi à cubiculis *Oſeney* cœnobium ampliſſimum (vt ex parietinis videre eſt) in mediamni ſub caſtro perſuaſione Edithæ filiæ Forni vxoris eius,
1129. quæ priùs fuerat amaſia Regis Henrici Primi, fundauit.

Eodem tempore, vt legitur in Chronico illius cœnobij Oſneienſis, *Robertus Pulenius ſcripturas diuinas quæ in Anglia obſoluerant apud Oxoniam legere cœpit. Qui poſteà cùm ex doctrina eius eccleſia tam Anglicana, quàm Gallica plurimùm profeciſſet, à P. Lucio Secundo vocatus & in Cancellarium S. Romanæ eccleſiæ promotus eſt.* In eandem etiam ſententiam

tentiam scribit Ioannes Rossus Warwicensis. *Procurante Rege Henrico Primo lectura Theologiæ quæ diu cessauerat Oxoniæ reflorere cœpit, & nouam Aulam ibi ædificauit, quam in conuentum Carmelitarum Rex Edwardus Secundus tandem conuertit.* Verùm longè anteà in hac Aula Regia in lucem editus erat ille verè * θυμολέων Richardus Primus Rex Angliæ vulgò *Leoninus*, animi excelsi & erecti plenissimus, Reip. Christianæ, Anglorum gloriæ, & paganorum terrori natus. In cuius mortem Poeta eo seculo minimè malus lusit. Rich. Cœur de Lion.

Viscera Carceolum, corpus Fons seruat Ebrardi,
Et cor Rothomagum, magne Richarde, tuum:
In tria diuiditur vnus, qui plus fuit vno,
Nec superest vno gloria tanta viro.

Hic Richarde iaces, sed mors si cederet armis,
Victa timore tui, cederet ipsa tuis.

Sic ædificijs recreata vrbe, huc quasi ad doctrinæ & virtutis mercatum confluere cœperunt plurimi, & refloruerunt literæ, operâ inprimis Roberti illius Pulenij viri ad Rempub. literariam promouendam nati, qui nihil non egit vt aridæ quasi vrbis visceribus obstructos Musarum fontes denuò aperiret, fauente inprimis Henrico I. Henrico II. & Richardo eius filio, de quo modò dixi. Pulenij verò conatus adeo fœliciter cessit, vt regnante Ioanne, tria millia studiosorum in hac vrbe fuerint, qui omnes ad vnum hinc partim *Readingum*, partim *Cantabrigiam* demigrârunt; quòd in studiosam hanc hominum nationem ciues iniquiores viderentur; sed pacato tumultu, post breue tempus sunt reuersi. Tunc autem, & subsequenti tempore, vt Deus vrbem hanc Musis, ita optimos Principes, & Præsules huic vrbi magno numero progenuit, qui ornandis, fouendísque literis melioribus liberalitatem impertiuerunt maximam. Cùm enim Henricus Tertius salutata Frideswida, quod piaculare anteà creditum, superstitiosam formidinem exemisset, qua Principes, ne Oxoniam ingrederentur, superstitiosi quidam aliquantisper deterruissent, & frequentia hîc Comitia ad componendas cum Baronibus controuersias habuisset; superiorum regum priuilegia confirmauit, & ipse nonnulla irrogauit. Tantáque iam erat eruditorum copia, vt longè plurimi diuinis, humanísque artibus instructissimi, cùm in ecclesiam, tùm Rempublicam hinc fuerint propagati, Matthæúsque Parisiensis *Vniuersitatem Oxoniensem secundam à Lutetia ecclesiæ scholam, imò Ecclesiæ fundamentum* disertè appellârit. *Vniuersitatis* enim nomine iam anteà honorârant Pontifices Romani, quo titulo non aliam præter Parisiensem, hanc Oxoniensem, Bononiensem, & Salamanticnam in suis decretis eo tempore dignati sunt. Et in Concilio Viennensi sancitum erat, *Scholas linguæ Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldaicæ in Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi, & Salamantino Studijs* (vtique celeberrimis) *erigendas, vt peritia linguarum illarum posit per instructionis efficaciam obtineri. Vtrique Catholici sufficientem habentes illarum linguarum peritiam, duo vniuscuiusq; linguæ periti eligerentur. Quibus quidem in Oxoniensi, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ & Walliæ Prælati, Monasteria, Capitula, Conuentus, Collegia exempta & non exempta, & Ecclesiarum rectores in stipendijs competentibus prouiderent.* Ex hisce verbis obseruare quis potest, & Oxoniam Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ & Walliæ scholam fuisse præcipuam, & quæ nos hodie Academias & *Vniuersitates* vocamus, appositè olim *Studia* dicta fuisse, vt B. Hieronymus *Galliarum Studia florentissima* vocauit. *Vniuersitatis* autem nomen circa Henrici Tertij tempora pro Schola publica inualuit, & nisi me mea fallat obseruatio, non pro loco, sed ipsâ studiosorum societate. Sed hæc forsan extra callem. Clementinarum Quinto. Studia. Vniuersitas. Ad Rusticum Monachum.

Iam boni Mæcenates vrbis interiora, & suburbana augustissimis Collegijs, Aulis, & Gymnasijs, & ea rursum reditibus opimis animare cœperunt, (maxima enim Academiæ pars erat anteà in suburbijs extra portam Borealem) Regnante Henrico Tertio Ioannes *Balliol* de Castro Bernardi qui obijt 1269. pater Ioannis *Balioli* Regis Scotorum Collegium Balliolense fundauit, & denominauit, statimque Gualterus *Merton* Episcopus Roffensis Collegium quod in agro Surriensi posuerat, anno 1274. Oxoniam transtulit, locupletauit, & Mertonense Collegium dixit; & Guilielmus Archidiaconus Dunelmensis opus illud Ælfredi, quod *Vniuersitatis* nunc vocant Collegium, nouis operibus restaurauit. Quo tempore studiosi, quòd Ottonem Pontificis legatum, siue potiùs Collegia. Liber Mailros.

 hirudinem

hirudinem ad exsorbendum sanguinem Anglicum emissum duriusculè exceperint, sacris erant interdicti, & indignis modis tractati. Iamque, vt scribit Armachanus, triginta millia studiosorum hic censebantur. Sub Edwardo Secundo Gualterus *Stapledon* Episcopus Exoniensis Exoniense Collegium, Aulámque Ceruinam, & ipse Rex eum imitatus
1318. Collegium Regium, vulgò *Orial*, & Aulam S. Mariæ posuit. Quo tempore Hebraica
Registr. Mon. Hide. lingua hic cœpit legi per Iudæum conuersum, *cui pro stipendio quisque ex clero Oxoniensi pro singulis* Marcis *sacerdotij sui vnum contulit denarium.* Posteà Philippa Regina Edwardi Tertij vxor Collegium Reginæ, siue Reginale, vt vocant, & Simon *Islip* Archiepiscopus Cantuariensis Cantuariense extruxit. Tunc studiosi rebus ad vota fluentibus insolescentes diuisis factionum nominibus, Septentrionales, & Australes ad intestina, & insana inter se arma conclamârunt; vnde Septentrionales Stanfordiam secesserunt & scholas ibi aperire cœperunt. Sed pauculos post annos, cùm Phœbus Musis lætiùs illucens has Martis nebulas dispulisset, redierunt, latæque leges ne quis Oxoniensis Stanfordiæ profiteretur, quod huic vrbi fraudi foret. Tunc temporis Guilielmus *Wiccam* Episcopus Wintoniensis Collegium admodum magnificum quod *Nouum* dicunt, excitauit, in quod è suo Wintoniensi collegio optima ingenia quotannis transferuntur. Richardus etiam *Angeruil* Episcopus Dunelmensis *Philobiblos* dictus, Bibliothecam in publicum studiosorum vsum instruxit. Eiusq; successor Tho. de *Hatfield* Dunelmense Collegium monachis Dunelmensibus, & Rich. *Fleming* Lincoln. Episcopus Lincolniense locauit. Benedictini etiam monachi id tempus Collegium Glocestrense collata pecunia condiderunt, in quo vnus & alter monachus è singulis Benedictinorum Cœnobijs alebatur, qui posteà apud suos bonas literas profiterentur. Iam vt Canonicos S. Fridefwidæ taceam, quatuor pulcherrima Fratrum cœnobia in suburbijs surrexerant, in quibus & multi non vulgariter eruditi floruerunt. Insequente seculo cùm regnaret Henricus Quintus, Henricus *Chicheley* Archiepiscopus Cantuariensis bina, & ea egregia ædificauit collegia, quorum alterum *Omnium animarum* memoriæ, alterum Diuo Bernardo dedicauit. Nec longo interiecto tempore Guilielmus *Wainflet* Episcopus Wintoniensis Collegium Mariæ Magdalenæ opere eximium, situ percommodum, & ambulacris admodum a-
Schola Theologica. Bibliothecæ. mœnum erexit. Eodemque tempore Schola Theologica elegantia extructa est, vt illud Xeuxidis ei iure inscribi possit, *Inuisurum faciliùs aliquem, quàm imitaturum*; atque Bibliothecam in eius superiori parte institutam centum viginti nouem selectissimis libris, quos magnis impensis ex Italia comparauit, exornauit Humfredus ille *Bonus* Dux Glocestriæ bonarum literarum summus admirator. Sed hos quorundam priuata auaritia publico vsui iampridem inuidit. Nunc verò, quod fœlix faustumq; sit, ex equestri ordi-
Thomas Bodley. ne vir clarissimus Thomas *Bodley* huius Academiæ alumnus, magno sumptu, & studio nunquam satis laudato eodem in loco optimis libris vndique conquisitis nouam instruit Bibliothecam, vt denuò habeat Academia publicum sapientiæ armamentarium, & ipse
Plinius L.b 35. c.2. gloriam quæ omnium seculorum memoriâ efflorescat. Cúmque veteri prudentissimorum instituto ex auro, argento, aut ære in Bibliothecis illi dicati fuerint, quorum cura illę institutę, & quorum immortales animę in ijsdem loquuntur, vt ęui vetustas contra homines non valeret, & mortalium desideria, quia omnes scire cupiunt qualis fuerit aliquis, lenirentur: Academiæ Cancellarius vt suę simul memorię consuleret, Thomæ illi *Bodleio* optimè de Repub. literaria merito, imaginem cum hac inscriptione ibidem dicauit:

THOMAS SACKVILLVS DORSETTIÆ COMES, SVMMVS ANGLIÆ THESAVRARIVS, ET HVIVS ACADEMIÆ CANCELLARIVS
THOMÆ BODLEIO EQVITI AVRATO, QVI BIBLIOTHECAM HANC INSTITVIT, HONORIS CAVSSA PIE POSVIT.

Henrico

Henrico VII. regnante, vt adhuc meliùs literarum honori consuleretur, Guilielmus *Smith* Episcopus Lincolniensis Collegium *Aenei nasi*, quod optimus ille & pius senex Dominus Alexander *Nowell* Sancti Pauli Londini Decanus prouentibus auxit, & Richardus *Fox* Episcopus Wintoniensis Collegium Corpus Christi nominatum exædificauit: illosque subsequutus Thomas *Wolseus* Cardinalis Eboracensis (vbi Frideswidæ monasterium erat) omnium amplissimum & elegantissimum inchoauit, quod Henricus VIII. adiuncto Cantuariensi Collegio, magnis reditibus ditauit, & * *Aedem Christi* dixit. Potentissimusque idem princeps pecunia e suo ærario deprompta, ad vrbis dignitatem Episcopum, & ad Academiæ ornamentum publicos professores instituit. Nostra itidem memoria, vt nouis etiam beneficijs Musas complecterentur, Thomas *Pope* vir ordinis equestris Dunelmense collegium, & Thomas *White* ciuis Senatorque Londinensis, & equestris item ordinis, Bernardi Collegium (quæ suis ruderibus sepulta iacuerunt) excitarunt, nouis ædificijs instaurarunt, latifundijs locupletarunt, & nouis nominibus exornarunt. Hoc enim S. Ioanni Baptistæ, illud sacrosanctæ Trinitati dicarunt. Maria etiam Regina publicas scholas à fundamentis ædificauit. Et nuperrimè Hugo *Prise* Legum Doctor noui Collegij in honorem Iesu fundamenta fœlicibus auspicijs iecit. His Collegijs quæ numero sunt XVI. & Aulis prætereà VIII. eleganti structura, opimis reditibus, & instructis bibliothecis ita floret Oxonia, vt reliquas orbis Christiani Academias superet omnes. Bibliothecis vero animatis (sic enim merito doctissimos cum Eunapio vocare licet) maximarum artium disciplinis, & reipublicæ literariæ Politia concedat nulli. Sed quid hæc? non vllius præconij indiga Oxonia, tanta eius, vt Pliniano verbo vtar, superfluit claritas; nec ego in altricis meæ laudes prodigus lasciuire videbor. Sat sit de Oxonia dicere, quod de Athenis Pomponius. *Clarior est quàm vt indicari egeat.* Sed pro coronide habe initium historiæ Oxoniensis è Procuratorum libro. *Contestantibus plerisque Chronicis, multa loca per orbis climata varijs temporibus variarum scientiarum studijs floruisse leguntur. Omnibus autem inter Latinos extantibus studijs Vniuersitas Oxoniensis fundatione prior, quadam scientiarum pluralitate generalior, in veritatis Catholicæ professione firmior, & priuilegiorum multiplicitate præstantior inuenitur.* Mathematici Oxonienses hanc suam vrbem XXII. partibus à Fortunatis insulis abesse, Polum vero Borealem LI. gradibus, I. scrupulis sublimem attolli obseruarunt.

* Christ-Church.

Cùm vero sub Oxonia *Isis* & *Cherwellus* in vnum alueum aquas consociàrint, *Isis* solidus, & concitatior in Austrum fertur, vt quem diu quæsierat, *Tamam* inueniat Nec multa emensus est milliaria, cùm ecce *Tama* e Buckinghamiensi agro effusus occurrit, qui vbi primùm hunc agrum subintrat, *Tamam* mercatorium opidum nomini adoptat suo, quod inter flumina situ admodum grato intersidet. *Tama* enim partem Septentrionalem alluit, & duo influentes riuuli, alter ab Ortu, ab Occasu alter includunt: Satisque floruit ex quo H. Episcopus Lincolniensis viam publicam quæ infra fuit, per medium opidum regnante Henrico Tertio deduxit. Alexander ille munificus Lincolniensis Episcopus, qui loci Dominus erat, cùm eius in castris extruendis profusio ab omnibus subaccusaretur, ad eluendam maculam, vt innuit Neubrigensis, monasteriolum iuxtà extruxit, multisq; post annis *Quatremanni* qui superiori seculo magni erant in hoc tractu nominis, Xenodochium alendis pauperibus fundârunt. Verùm vtrumque iam euanuit, & pro his Ioannes *Gulielmiades*, siue *Williams* Miles (quem ad Baronis dignitatem titulo Baronis *Williams de Tame* Maria Regina euocauit) scholam pulcherrimam, & Xenodochium tenue instituit.

Tama fl. *Tame.* Claus. H. 3 5. Baro Williams. *Tame.*

Inde *Tama* prope *Ricot* ædes elegantes defertur, quæ olim ad *Quatremannos* illos spectârunt, quorum stirps mascula cùm defecisset, venditionibus subinde alienatæ a *Fouleris* & *Heronis*, demum ad Dominum illum Gulielmiadem sunt deuolutæ, & per eius filiam ad Dominum Henricum Norrisium, quem Elizabetha Regina Baronem Norrisium de *Ricot* dixit, virum cum generis claritate conspicuum, à *Louellis* enim (qui maximas Angliæ familias cognatione attigerunt) genus ducit, tùm bellicosissima prole, quod Belgica, Lusitania, Britannia Armorica, & Hibernia contestentur, longè clarissimum. Demum *Tama Dorcestriam* adijt, quę nobis *Dorchester*, Bedę *Ciuitas Dorcinia*, Lelando *Hydropolis*, sed nomine ex suo ingenio deprompto, satis tamen appositè, cùm *Dour* aquam Britannis denotet. Hanc à Romanis olim habitatam fuisse eorum nummi sæpiùs eruti persuadent

Ricot. Baro Norris. *Dorchester.*

persuadent, & annales nostri Episcopali sede diu celebrem fuisse produnt, quam Birinus Occidentalium Saxonum Apostolus constituit. Cùm enim Cinigillum Occidentalium Saxonum Regulum baptismi fonte abluisset, quem Oswaldus Nordanhumbrorum Rex è sancto lauacro suscepit, *Donauerunt*, vt inquit Beda, *ambo reges eidem Episcopo hanc ciuitatem ad faciendam inibi sedem Episcopalem*. Birinus iste, vt apud Bedam etiam videre est, sanctitatis opinione ad miraculum eo tempore claruit, vnde de illo Poëta satis vetustus qui eius vitam carmine descripsit.

Dignior attolli quàm sit Tyrinthius heros,
Quàm sit Alexander Macedo; Tyrinthius hostes
Vicit, Alexander mundum, Birinus vtrunque.
Nec tantùm vicit mundum Birinus, & hostem,
Sed sese bello vincens, & victus eodem.

Hanc sedem post CCCCLX. annos, (ne, quod Canonibus prohibetur, in tam modica ciuitate Episcopi nomen vilesceret) Remigius, regnante Guilielmo Primo, Lincolniam transtulit. Quo tempore *Villa hac Dorcestria*, (vt inquit Malmesburiensis qui tunc floruit) *exilis, & infrequens erat, maiestas tamen ecclesiarum magna, seu veteri opere, seu sedulitate noua.* Iam inde sensim deficere cœpit, & nuper via publica hinc deflexa, ita elanguit, vt quæ ciuitas fuerat, vix opidi nomen tueatur: satisque iam habet, quòd in adiacentibus campis rudera suæ magnitudinis indicia ostendere possit. Sub hoc *Tama*, & *Isis* confluentes, quasi in manus conueniunt, & connubio iunguntur, vtq; vndis, sic nomine coeunt, vt *Ior* & *Dan* in terra sancta, *Dor* & *Dan* in Gallia, vnde *Iordan*, & *Dordan*. TAMISIS enim iam inde composito vocabulo nominatur. Quod primus obseruâsse videtur ille, qui Historiarum Eulogium conscripsit. De Isis connubio hoc in loco en carmina ex Poemate eodem titulo, quæ si placet, vel legas, vel negligas.

Tamæ, & Isis confluentes.

Hic vestit Zephyrus florentes gramine ripas,
FLORAQVE nectareis redimit caput ISIDIS *herbis,*
Seligit ambrosios pulcherrima GRATIA *flores,*
Contexit geminas CONCORDIA *læta corollas,*
Extollitque suas tædas Hymenæus in altum.
Naiades ædificant thalamumq; thorumq; profundo,
Stamine gemmato textum, pictisque columnis
Vndique fulgentem. Qualem nec Lydia Regi
Extruxit Pelopi, nec tu Cleopatra marito.
Illic manubias cumulant, quas Brutus Achiuis,
Quas Brennus Græcis, rigidus Gurmundus Hibernis,
Bunduica Romanis, claris Arthurius Anglis
Eripuit, quicquid Scotis victricibus armis
Abstulit Edwardus, virtusq; Britannica Gallis.
Hauserat intereà sperati coniugis ignes
TAMA *Catechlanûm delabens montibus, illa*
Impatiens nescire thorum, nupturaque gressus
Accelerat, longique dies sibi stare videntur,
Ambitiosa suum donec præponere nomen
Possit amatori. Quid non mortalia cogit
*Ambitio? notamque suo iam nomine * villam*
Linquit, Norrisijs geminans saluete, valete.
Cernitur & tandem Dorcestria prisca petiti
Augurium latura thori, nunc TAMA *resurgit*
Nexa comam spicis, trabea succincta virenti,
Auroræ superans digitos, vultumque Diones,
Pestana non labra rosa, non lumina gemmæ,
Lilia non æquant crines, non colla pruina,

* Tame.

Vtque

Vtque fluit crines madidos in terga repellit,
Reddit & vndanti legem formamq; capillo,
En subitò frontem placidis è fluctibus ISIS
Effert, & totis radios spargentia campis
Aurea stillanti resplendent lumina vultu,
Iungit & optata nunc oscula plurima TAMAE,
Mutuáq; explicitis innectunt colla lacertis,
Oscula mille sonant, connexu brachia pallent,
Labra ligant animas: tandem descenditur vnà
In thalamum, quo iuncta FIDE CONCORDIA *sancta,*
Splendida conceptis sancit connubia verbis.
Vndiq; multifori strepitat nunc tibia buxi,
Flucticolæ Nymphæ, Dryades, Satyriq; petulci
In numeros circùm ludunt, ducuntq; choreas
Dum pede concutiunt alterno gramina læti,
Permulcent volucres syluas modulamine passim,
Certatimq; sonat lætùm reparabilis ECHO.
Omnia nunc rident, campi lætantur, AMORES
Frænatis plaudunt auibus per inania vecti:
Personat & cythara quicquid vidêre priores
Pronuba victura lauro velata BRITONA
Hæc canit vt toto diducta BRITANNIA *mundo*
Cùm victor rupes diuulserit æquore Nereus,
Et cur Neptuni lapidosa grandine natum
Albionem vicit nostras delatus in oras
Hercules illimes libatus Thamisis vndas,
Quas huc adueniens aras sacrauit Vlysses,
Vtq; Corinæo Brutus comitatus Achate
Occiduos adijt tractus, vt Cæsar anhelus
Territa quæsitis ostendit terga Britannis, &c.

Paucísque interiectis versiculis,

Dixerat, vnito consurgit & vnus amore
Lætior exultans nunc nomine TAMISIS *vno,*
Oceanúmque patrem quærens iactantior vndas
Promouet.

Hinc Tamisis *Benson*, olim *Bensington* adit, quam *Villam Regiam* vocat Marianus, prođitque Ceaulinum eam Britannis anno salutis DLXXII. abstulisse, Occidentalésque Saxones ad ducentesimum inde annum tenuisse. Tunc enim Offa Mercius in rem famámq; suam arbitratus vt illi nihil cis flumen haberent, expugnauit, suiq; iuris fecit. Hodie verò tantùm viculus censetur, vicinasq; habet regias ædes quondam elegantes, nunc verò nimio plus fatiscentes, vtique minùs salubres ob halitus stagni adiuncti. Has ab vlmis *Ewelme*, vulgo *New-elme* dictas, quas construxit Guilielmus *De la Pole* Suffolciæ Dux, qui accepta in vxorem Alicia vnica Thomæ Chauceri filia, amplissimam hîc hæreditatem creuit, & præter has ædes, ecclesiam etiam elegantem in qua Alicia illa sepulta iacet & Xenodochium nitidum extruxit: verùm Ioannes Lincolniæ Comes eius è filio Ioanne nepos huius familiæ fœlicitatem funditùs quodammodo euertit. Dum enim res nouas contra Henricum Septimum moliretur, proscriptus omnibus honoribus & his possessionibus excidit, quæ in patrimonium Regium transcriptæ, statimque ille in prælio occubuit. Postea Henricus Octauus has in *Honorem* instituit *Manerijs* quibusdam adiunctis, & inter alia *Wallengfordia* quæ priùs ad Cornubiæ Duces diu spectauerat. Benson. Ewelme.

Hinc magno circumducto ambitu Tamisis in se ferè reflectitur, *Centuriam de Henley* amplexus collibus surgentem, & syluis densiorem, quam ANCALITES tenuisse, qui se in Cæsaris fidem permiserunt, suspicantur nonnulli. In hac sunt *Greies Rotherfield* ædes quas quondam Walterus *Grey* Archiepiscopus Eboracensis Guilielmo *Grey* nepoti dono dedit, cuius hæreditas per Baronem de *D'eincourt* ad *Louellos* deuoluta fuit. Nunc Ancalites. Grey de Rotherfield.

Baro Knolles. habitatio est Guilielmi *Knolles* Aulæ Regiæ Thesaurarij quem Rex noster Iacobus titulo & honore Baronis *Knolles* de *Rotherfeld* ob fidelem operam Reginæ Elizabethæ præstitam, & sibi præstandam exornauit. Henley. Iuxta *Henley*, olim *Hanleganz* ad Tamisim in ipso Comitatuum confinio se ostendit, cuius incolæ maximam partem nauicularij subuehendo Londinum ligno, & distrahendo frumento quæstum præcipuum faciunt; nec antiquiora commemorat, quàm quòd *Molinios* Dominos olim habuit, à quibus per *Hungerfordos* qui duarum Nundinarum ius opido ab Henrico VI. impetrârunt, ad illustrissimam *Hastingorum* familiam hæreditariò deuenit. Xiphilinus. Quà verò Tamisis sub hoc nunc sublicio ponte coniungitur, olim saxeum fuisse arcuato opere ferunt. An verò hîc fuerit pons ille per quem Dio meminit Romanos transisse, cùm Britannos hoc tractu insequerentur, qui inferiùs flumen tranauissent, non facilè quis dixerit.

Ab *Henley* colles *Chilternici* perpetuo dorso in Aquilonem procurrunt, & Oxoniensem hunc agrum à Buchingamiensi disterminant, ad quorum radices plura subsunt opidula, Shirburne. inter quæ notissima sunt *Watlington* Mercatus tenuis, olim Roberti *D'oly*, & *Shirburne* quondam *Quatremanorum* castellulum, nunc verò *Chamberlanorum* sedes, è Tankeruillæ Comitum familia, qui cùm olim Normanniæ Camerarij fuissent, eorum posteri, prisco illo nomine *Tankeruillorum* obliterato, *Chamberlani*, id est, *Camerarij*, ex munere quod maiores obierunt, nominati fuerunt.

Oxoniæ Comites. Oxoniensis Comitatus titulus diu floruit in familia de *Vere* quæ genus a Guinarum Comitibus, cognomen a *Vere* Zelandiæ opido repetit. Amplitudinis in Anglia initium ad Henricum Primum refert qui Albericum de *Vere* ob eximiam prudentiam varijs ornauit beneficijs; vt Angliæ *Cameraria*, & præfectura Ciuitatis Londini: filioq; eius Henricus *filius filia Regis Henrici rectus hæres Angliæ & Normanniæ*, (hoc enim vsus est titulo) vt a Stephano qui regnum sibi vsurpauerat diuerteret, sibique deuinciret, concessit & reddidit *Camerariam* quam intestino bello amiserat, obtulitq; quemlibet horum quatuor Comitatuum, Docestriæ, Wiltoniæ, Bercheriæ, & Oxoniæ titulum, tandemq; & Matildis & Henricus filius iam regno potitus suis seorsim Chartis Oxoniæ Comitem, creârunt. Inter posteros, ne singulos sua serie enumerem, maximè inclaruerunt Robertus de *Vere* qui maxima apud Richardum Secundum gratia, Marchionis Dubliniæ, & Ducis Hiberniæ nouis & inauditis honoribus auctus, quibus, vt ait ille, nihil sibi, sed busto titulos, & vulgo fabulam reliquit. Breui etenim pòst tempore procerum inuidia de gradu deiectus, extorris miserrimè vitam peregit. Ioannes qui magna in rebus bellicis scientia, & integerrima in Lancastrensem familiam fide, contra Edwardum IIII. subinde in acie conflixit, *Montem S. Michaelis* aliquandiu propugnauit, & Henrico VII. in regno obtinendo inprimis adfuit. Ioannes item alter regnante Henrico VIII. in omnibus vitæ partibus tam temperans, tam plenus religionis, & bonitatis, vt BONI cognomen reportauerit, qui proauus fuit Henrici iam Comitis ex hac stirpe XVIII. & auus Francisci, & Horatij *Vere* fratrum, qui singulari rerum bellicarum scientia, & rebus fortissimè & fœlicissimè in Belgio gestis antiquæ nobilitati plurimum splendoris addiderunt.

Ecclesias Parochiales 280. complectitur hic Comitatus.

CATTIEVCHLANI.



CATTIEVCHLANI.



Obunis ad Ortum contermini sunt, quos Ptolemæus pro exemplarium varietate CATTIEVCHLANOS, CATTIDVDANOS, CATHICLVDANOS, *& Dio* CATTVELLANOS *vocat Ex his quod fuerit verißimum nomen haud facilè dixerim. Liceat tamen quæso, coniecturam, qua aliquandiu animus mihi grauidus hac de re fuerit quasi abortu hîc effundere. Ego hos olim* CASSIOS *fuisse dictos existimaui, ab his* Cassijs *eorum principem Caßiuellaunum, siue Caßibelinum denominatum, & à Caßiuellauni nomine hunc ipsum populum* Cattuellanos, Cathuellanos, *&* Cattieuchlanos *à Græcis appellatum.* CASSII *enim inter Britanniæ gentes à Cæsare memorantur, quos certo certius est his in locis consedisse, & à quorum nomine regiuncula in hoc tractu non minima* Caishow *etiamnùm appellatur. Cùm autem Caßiuellaunus huic tractui cum imperio præfuerit, vt ex Cæsare videre est, & in eius nomine Caßiorum appellatio planißimè se prodat: satis probabile videatur, Caßiuelaunum sic dictum, quasi Caßiorum principem. Id ni esset, cur hunc Caßiuellaunum vocârit Dio* Suellan *pro* Vellan, *& Ninnius Britannus non Caßibelinum, sed Bellinum, quasi illud esset proprium vel viri vel dignitatis nomen? Nec nouum videatur si principes olim à sua gente nomina sortiti fuerint. Catti in Germania suum* Cattimarum, Teutones *suum* Teutomarum, *&* Teutobochum, *Daci* Decebalum, *Gotti* Gottisonem *habuerunt. Et quid impedit quò minùs nostri Caßij suum* Casſibelinum *haberent? Cùm* Belinus *protritum fuerit in hac insula nomen, & nonnulli putârint Cunobellinum qui inter Icenos regnauit, quasi Icenorum Belinum fuisse nuncupatum. Ab hoc igitur Caßiuelauno si Græci scriptores* Cattwellanos, Cattieuchlanos, *&c. non detorserint, ego in hac re me omninò cæcutire fateor.* Cassij. Bellin.

Vnde autem Caſsiorum *nomen hic populus induerit, mihi minimè compertum, nisi fortè à virtute bellica. Seruius enim Honoratus viros bello strenuos antiquis Gallis (qui eadem cum Britannis lingua vsi erant)* Geſſos *dictos prodit, vnde* Cethilou, *Britannicam dictionem bellicorum semen interpretatur Ninnius. Bellica autem laude hos floruisse manifestum est, continentia enim ante Cæsaris aduentum cum vicinis bella gesserant,* DOBVNORVM *partem in suam potestatem redegerant: Britanni horum principem bello contra Cæsarem vniuersis copijs præfecerant, longè etiam latéque imperium & nomen protulerant. Vniformi etenim Caßiorum, siue Cattieuchlanorum appellatione insigniti erant, qui nunc tres agros siue Comitatus occupant: scilicet* Buckinghamſhire, Bedfordſhire, *&* Hertfordſhire, *de quibus iam ordine, paucis, quia pluribus non poſſumus, dicendum.* Dio.


PARTE OF NORTH:
AMTON
SHIRE
PARTE
OF
OXFORD
OX:
FORD
SHIRE
PARTE
OF
BARK
SHIRE
Brackley
Buckingham
Newport
Stony Stratford
Wallingford
Alesburye
THE VALE OF ALESBVRYE
Tame
Watlington
Highwickham
Henley
Tamesis flu.
Christophorus Saxton describ: Gulielmus Hole sculp:



PARTE OF BEDFORD
SHIRE
BUCKINGHĀ
Comitatus, in quo olim insederunt
CATTIEUCHLANI
Woburne
Leghton
Dunstable
Eaton
Kensworth
Market
Tring
Berkhamsted
Hemsted
PARTE OF
HARTFORD
SHIRE
Watford
Abbotslangley
Latimers
Chesham boies
Agmundesham
HART PARS
Chalfunt Sct Giles
Chalfunt Sct Peters
Beaconsfeld
Hedsor
Fulmere
Vxbridg
Cowly
Collum
Draton
Denham
Iver
Burnham
Stokepoges
Colbroke
PONTES
Madenhead
Braye
Datchet
Horton
Wraysbury
Windsor
Old Windsor
Stanes
Eghm
PARTE
OF
MIDDLE
SEX
SHIRE

BVCKINGHAM-SHIRE.



Vckinghamshire, cùm fagis sit passim feracissimus, quas Anglo-Saxones *Bucken* vocant, à fagis primarium opidum *Buckingham*, & inde totus ager denominatus videatur. Regio enim fagifera in Germania *Buchonia* vocatur, & apud nos opidum in Norfolcia *Buckenham* dictum, fagis circumsitum esse accepimus. Hic ager minori latitudine conclusus à Tamisi ad Septentriones longitudine sua procurrit. A Meridie Bercheriam Tamisi flumine seclusam, ab Occasu agrum Oxoniensem, à Septentrione Northantonensem, ab Ortu primùm Bedfordiensem: indè Hertfordensem, & posteà Mediosaxones prospicit. Solo est passim vberi, incolis refertissimus qui rei pecuariæ inprimis operam nauant. In duas partes diuiditur, quarum altera ad Meridiem & Ortum montana, seu potius collina *Chilterne*, Saxonicè Cylтepn; altera huic subiecta ad Septentriones *The Vale*, id est, *Vallis* dicitur.

Chiltern. *Chiltern* a creta quam veteres Angli *Cylt*, siue *Chilt* dixerunt, ex soli natura nomen inuenit. Tota enim collibus ex argillacea creta albicantibus surgit, fageis lucis & syluis vestita, arboribusque olim planè inuia, donec Leofstanus Abbas *S. Albani* succideret, eò quòd latronibus essent perfugium. In hac quà collium radicibus Tamisis flexuoso meatu allabitur, *Marlow* sedet, non contemnendum opidulum, nomine à creta *Marle* vulgò dicta sumpto, qua dispersa per arua sic lassatis glebis vitam inter hos colles impertiunt, vt post annum agricolæ imperium nunquam recusent, sed cumulatiore mensura quod accipiunt, reddant. Prope hoc in Tamisim æditur fluuiolus per iacentia loca sibi iter aperiens, & qua flectitur, *High Wickam*, vel rectiùs *Wicombe*, opidum sibi impositum habet, & inde forsitan nominatum, cùm Germani Saxones fluminis & maris flexum *Wick* vocent, plurimaque inde nominata loca in Anglia occurrunt. Hoc amplitudine sua & ædificiorum elegantia maximis in hoc agro opidis adæquandum; in eo verò quòd *Maiorem* pro summa magistratu habeat, plerisque meritò anteponendum. Sub ingressum Normannorum Wigodus de *Wallengfordia* Dominus erat tùm *Burgi de Wicombe*, *tum villæ forinsecæ* (ex Inquisitione antiqua loquor.) Post cuius mortem Rex Henricus Primus hanc regio patrimonio adscripsit. Ioannes autem Rex tandem *villam forinsecam*, diuisit inter Robertum de *Veteri Ponte*, & Alanum *Basset*. Wichcombiæ ad Boream æditissimus huius regionis locus eminet, vnde *Pen* Britannicum nomen etiamnum retinet. Caput enim & eminentia illis *Pen* dicitur, vnde Alpes Penninæ, & Apenninum, & plures apud nos montes nomen inuenerunt. Huic vicina est *Bradenham* situ percommodo & salubri, quæ iam habitatio est primaria Baronum de *Windesor* (de quibus in *Bark-shire* iam diximus) ex quo patrum memoria Gulielmus Dominus *Windsor* hîc sedem sibi constituerit.

Wickam. Pen. Bradenham.

Vide in Bark-shire. Colbroke. Pontes. * Wallingford.

Fluuiolo illo admisso, Tamisis prouoluitur per Ætonam bonarum literarum plantario celebrem, quod posuit, vt iam ante dixi, optimus ille & pientissimus Princeps Henricus Sextus. Post pauca milliaria Tamisim influit *Cole*, qui Buchinghamienses & Mediosaxones hic intermeans opidum *Colbroke* denominat, quod PONTES fuisse quorum meminit Antoninus, vtrinque distantia à * Gallena & Londino testatur. Nec vspiam alius est locus quà via a Gallena Londinum ducit, cui Pontium nomen aptiùs conueniat. *Cole* enim hic in quatuor alueos finditur, qui totidem pontibus ad itineris commoditatem coniunguntur, à quibus nomen factum ipsa nominis notio edocet, vti à pontibus *Gephyra* Boëtiæ, & *Pontes* Galliæ, vnde *Ponthieu* Comitatus, nominantur. Qui comitatus (vt obiter adnotem) Regibus Angliæ iure Æleonoræ Edwardi Primi vxoris obuenit, quæ materno iure ex asse eiusdem hæres fuerat. His diuortijs *Cole* amœnas insulas circumfundit, in quas Dani anno Christi DCCCXCIIII. se fuga receperunt, cùm Ælfredus illis instaret, locique ingenio se tutati sunt, donec Anglus rei frumentariæ inopia coactus obsidionem reliquerit. *Eure*, siue *Euer* viculus ad hæc diuortia conspicitur, quem cùm Rex Ioannes Ioanni *filio Roberti* Domino de *Clauering* dedisset, iuniores eius filij è loco nomen sibi assumpserunt, Hugo scilicet, vnde Barones de *Eure*, & Robertus à quo familia

Comitatus Pontiui. Eure. Barones de Eures vulgò.

de

de *Eure* in *Axholme* est propagata. Interiùs duo sunt loca quæ præterire non libet, *Stoke Pogeis* à suis olim Dominis dicti de *Pogeis* denominata, & ab illis hæreditariò ad *Hastingos* deuoluta, è quibus Edwardus Baro *Hastings* de *Loughborrough* ptochotrophium, eiusque è fratre nepos Henricus Comes Huntingdoniæ perpulchras ædes hîc posuerunt. Et *Fernham*, si me non fallo, illa ipsa quæ *Fernham Roiall* dicta, quam olim Barones *Furniuall tenuerunt per seruitium inueniendi Domino Regi die Coronationis suæ ad manum suam dexteram vnam cirothecam, & ad supportandum dexterum brachium Regis eodem die dummodò regalem virgam in manu suâ tenuerit.* A *Furniuallis* per Thomæ *Neuilli* filiam ad *Talbottos* Salopiæ Comites deuenit, qui etsi commutationis iure hoc *Manerio* Regi Henrico VIII. cesserint, honorarium tamen hoc munus sibi & posteris reseruârunt.

Stoke Pogeis. Fernham Roiall. Liber Finium.

Cole iste alium etiam riuulum superiùs ab Occasu infusum secum defert, ad quem primùm *Missenden*, vbi Cœnobium quod *D'Oilios* fundatores, & nobiles cognomine de *Missenden* benefactores agnouit: & inde in conualle *Amersham*, Saxonicè Aȝmunðeſham vidimus, quæ nec structurâ, nec frequentiâ, sed Domino suo Francisco *Russellio* Bedfordiæ Comite superbiuit, qui expressum veræ pietatis & nobilitatis exemplum bonis omnibus charissimus vixit. Verùm Comitum Bedfordiæ sedes præcipua *Cheyneis* dicitur, quæ magis est ad Ortum, vbi & Ioannes primus ex hac familia Comes, & Franciscus ille eius filius contumulantur. Cui in proximo adiacet *Latimers*, a Dominis suis Baronibus *Latimeris* illis antiquioribus, priùs *Isel-hamsted* dicta, vbi Edwinus *Sandys* Miles, qui filiam vnicam Baronis *Sandys* in vxorem accepit, ædes incolit elegantes.

I. Rossus. Amersham. Cheneys. Latimers.

Vix tertium hinc ad Septentriones milliare emensi fuimus, cùm ad Chilternicorum collium dorsum peruenimus, quod totam regionem ab Occasu brumali in Ortum æstiuum transuersam intersecat per multos viculos, inter quos nominatissima est *Hamden*, quæ antiquæ & numerosæ hoc in tractu familiæ nomen fecit. In ipso verò collium ad Ortum angulo accliuem situm *Assheridge* secessus olim regius occupat, vbi Edmundus Cornubiæ Comes Richardi Romanorum Regis filius Cœnobium noui, tunc temporis, instituti religiosis, *Bonos homines* vocant, quos ille primus in Angliam induxit excitauit, qui cæruleum vt fratres Eremitani induti. Ex hoc collium dorso longè latéque patet prospectus in subiectam vallem, quam alteram agri partem diximus. Hæc tota ferè campestris est, solo item argillaceo, tenaci, & fœcundo, pabulosis pratis innumeros ouium greges pascit, quarum mollia, & tenuissima vellera ab Asiaticis vsque gentibus expetuntur. Sed syluis nuda nisi ad Occiduum latus, vbi præter alias *Bernewood*, circa quam anno à Christo nato DCCCCXIIII. Danorum furor impotentiùs sæuit, túmque fortè concidit *Burgus* ille antiquus, vt Romani nummi inuenti testantur, qui posteà regia erat villa Edwardi Confessoris. Nunc autem pagus est rusticus, & pro *Buri-hill*, *Brill* contractiùs appellant. In hac valle licèt opidis & pagis sit confertissima, perpauca tamen sunt quæ referre conuenit, eáque aut ad *Tamam*, aut ad *Isam* siue *Vsam*.

Assheridge. The Vale. Brill.

Non procul à *Tama* qui Meridionalem vallis partem irrigat, surgente colliculo insidet emporiolum amplum, satis frequens, multiplici & amœnissima pratorum & pascuorum viriditate incinctum, vulgò *Ailesbury*, vnde vallis vniuersa *The vale of Ailesbury* nominatur. Saxones Aeȝleſburȝe dixerunt, cùm Cuthwulfus Saxo illud ad annum Salutis DLXXII. expugnaret: nomen enim Britannicum, quo prius innotuit, æuo disperijt. Eadithâ alumnâ suâ inprimis olim illustre fuit, quæ cum à Frewaldo patre impetrauerat, vt hoc sibi in dotem diceret, mundo, maritóque à religiosis persuasa statim valedixit, & suscepto velo, sanctitatis opinione, in illo feracissimo Sanctorum sæculo, ad miracula vsque, cum Eadburga sorore claruit; è cuius nomine inter colles viculus est, qui *Edburton*, adhuc appellatur. Guilielmi Primi temporibus *Manerium* erat *regium*; Et nonnullæ hîc terræ *virgatæ* à Rege donabantur ea lege vt possessor (obseruate delicatuli) *literitium*, id est, *stramen, si Rex eò veniret, ad Regis lectum inueniret*. Regnante Edwardo Primo Equites quidam de *Ailesbury* dicti qui crucem argenteam in clypeo cyaneo pro insignibus gestabant, Dominos fuisse nescio quàm verè perhibentur. Certum est eos fuisse eo æuo melioris notæ, & qui ex nuptijs cum hærede *Caihagnorum* (hi olim Domini de *Midleton Cahaignes*) opimam adierunt hæreditatem, quæ tandem per vxores ad *Chaworthos*, siue de *Cadurcis*, & *Staffordos* deuenit. Nunc autem maxima celebritas est è re pecuaria,

Ailesbury.

Baldwinóque

Baldwinóque Iusticiario plurimum debet, qui non solùm publicis ædificijs ornauit, sed etiam viam pulcherrimam quà iter impeditius erat, per tria plùs minùs milliaria muniuit. Hic circumquaque ouium greges velleribus onusti maximo numero, magno dominorum emolumento lætissimè pascuntur, præcipuè ad *Querendon* Henrici *Lee* Georgiani ordinis Equitis longè clarissimi, *Eythorp* olim *Dinhamorum*, nunc Equestris familiæ *Dormerorum*, & *Winchindon* Equestris itidem familiæ *Godwinorum*, &c.

Quarendon.

Inferiùs ad *Tamam* nihil aliud memorandum occurrit, nisi *Cheardesley* (quod multi putant) sit locus qui Saxonicè *Cerdick-slega* dictus fuerit a Cerdicio Saxone, qui grauissimo prælio ibi cum Britannis concertauit. Cui vicinum est *Credendon*, nunc *Crendon*, quod caput fuit *Honoris de Giffard*, sic enim latifundia quæ obtigerunt Gualtero *Giffard* in expugnatione Angliæ dicebantur. Qui factus Comes Buckinghamiæ, vt creditur, *Notesley* monasterium construxit; cognatúsque verò illius Hugo de *Bolebec* à quo per fœminam Comites Oxoniæ sunt orti, de illo non paruas hic tenuit possessiones. Castrique de *Bolebec* ruinę in parochia de *Whitchurch* in proximo cernuntur.

Crendon.

Notesley.

Vicecomites Bolebec.

Vsa, siue *Ousa*, olim *Isa*, & *Isis* secundus qui Septentrionalem agri partem lentus pererrat, in Comitatu Northamptonensi ortus statim a fontibus vbi hunc agrum adhuc tenuis subintrat, præterfluit *Bitlesden*, quam loci Dominus Robertus de *Mapertshall* Osberto de *Clinton* Camerario Regis Henrici Primi aulico inprimis potenti ne ob canem Regis venaticum surreptum furti pœnam lueret, donauit. Ille autem eidem cum cognata sua in vxorem reddidit, qua tamen flagrante sub Stephano Rege bello intestino excidit, accepitq; Roberti Comitis Leicestriæ beneficio Ernaldus de *Bosco* qui anno Christi MCXXVII. monasteriolum Cistertiensibus ibidem fundauit. Inde *Buckingham* totius Conuentus caput inuisit, quod, vt habet Marianus, vallo & turribus vtraque ripa anno DCCCCXV. Edwardus Senior contra Danorum irruptiones communiuit. Nec magni tamen nominis primis Normannorum temporibus videatur, cùm regnante Edwardo Confessore, *se*, (vt est in Guilielmi Normanni libro) *pro vna tantùm hida defenderit*, *& viginti sex Burgenses* habuerit. Opidum verò situ subsidet depressiori, sed magna molarum opportunitate incingit *Ousa*, nisi à Septentrione, Castrum in medio aggestis molibus nullis ferè iam reliquijs quasi interdiuidit, maior pars opidi ad Septentrionem in qua est domus ciuica, pars altera ad Meridiem minor, in qua cernitur Ecclesia, nec illa antiqua, in quo feretrum fuit Sancti Rumaldi qui natus in *Kings Sutton* viculo vicino, inter diuos à maioribus relatus.

Bitlesden.

Registr. Monasterij.

Hinc *Ousa* in Aquilonem placidè contendit, & magis ad Ortum à flumine iuxta nemora cernitur *Whaddon* olim *Giffordorum* habitatio, qui hæreditarij custodes erant *Chaceæ de Waddon* sub Comite Vltoniæ & à quibus ad *Pigottos* deuenit, qui abalienârunt. Ædes ibi nunc sunt bellicosæ familiæ Baronum *Grey* de *Wilton*, qui *Manerium* vicinum *AEton* dictum *tenuerunt per seruitium custodiendi vnum Gersalconem Domini Regis*, vnde illa Greiorum familia Falconem chirothecæ insidentem pro symbolo vsurpat. Parumque hinc adest *Saulden* vbi ædes admodum venustas sibi & suis extruxit I. *Fortescue* Eques honoratissimus iuxtà ac eruditissimus, qui ob prudentiam Scaccarij Cancellarius & Reginæ Elizabethæ, Regisque Iacobi a secretioribus consilijs. Ab altera fluminis parte haud procul a ripa vicina sunt *Leckhamsted* habitatio *Tirellorum*, *Lillingstone* vetustæ familiæ *De-hairell* vulgò *Dairell*, & *Luffeld* vbi monasterium olim à Roberto Comite Leicestriæ positum, sed monachis peste consumptis derelictum. Superiùs autem ad fluminis ripam australem celeberrimum est *Stony-Stratford*, a saxis, strata publica, & vado sic dictum, AEdificia enim è saxo structili surgunt quod copiosè in proximo ad *Cauersham* effoditur, situm est ad stratam publicam *Watlingstreet* vulgò dictam, quæ militaris fuit Romanorum via adhuc vltra opidum suo aggere conspicua, vadumque habet sed iam vix vadosum, opidum est satis magnum duasque ostendit ecclesias & in medio Crucem sed minùs elegantem in memoriam AEleonoræ Hispanæ vxoris Edwardi Primi exornatam insignibus Angliæ, Castiliæ & Legionis, nec non Comitatus Pontiui, cuius illa hæres fuerat, Atque vbi vadum olim fuit saxeo ponte *Vsa* fl. continetur qui violentiùs in agros irruere solitus cùm hibernis aquis excitetur. Verùm ad alteram ripam quæ celsior surgit, opidum olim sedisse ipsi incolæ ferunt; vbi in proximo est *Passham* locus a traijciendo denominatus vt olim traiectus fuisse videatur, quem contra deprędantes

Whaddon.

Barones Grey de Welton.

Stony Stratford.

tes Danos tenuit Rex Edwardus Senior dum *Torcestriam* communiret, sed hic traiectus esse desijt postquam pons ad *Stony Stratford* extructus fuisset. Ad hoc si LACTORODVM, quod Antoninus nominat, fuisse coniectarem: coniecturæ præter situm ad viam militarem, & distantiæ rationem, adstipulatur etiam è Britannica lingua, vetusti nominis LACTORODI petita significatio. Quæ cum recentiori hoc Anglico nomine optimè conuenit; vtrumq; enim a saxis, & a vado in vtraque lingua erat impositum. *Vsa* hinc *Woluerton*, priscæ familiæ de *Longauilla* sedem, & *Newport Painell* allabitur, quod à Fulcodio *Paganello* eius Domino denominatum, & ab eo ad Barones *Somerios* de *Dudley* qui suum hîc castrum habuerunt, deuolutum. Inde per *Terringham* quod & nomen & sedem clarissimæ vetustæque familiæ dedit, ad *Oulney* mercatum mediocrem defertur, & huc vsque & paulo vberiùs per *Vsam* limitem pertingit Comitatus Buckinghamiæ.

Lactorodum. *Leach* Britannicè saxa, *Ri* & *Ryd* vadum sonat.

Woluerton. Newport Paynell.

Primus Buckinghamiæ Comes, quantum ego hactenus obseruârim, fuit Gualterus cognomine *Giffard* Osberni de *Bolebec* viri inter Normannos celeberrimi filius, qui in Charta Henrici Primi inter testes citatur nomine Comitis Buckinghamiæ. Hunc sequutus est eius filius eodem nomine, qui in libro Monasterij Abbindonensis, Gualterus *Comes Iunior* dictus obijt anno MCLXIIII. Et regnante Henrico Secundo, Richardus ille *Strangbow* Comes Penbrochiæ quæ a sorore & hærede Gualteri *Giffard* Secundi genus duxit, hoc titulo in nonnullis publicis instrumentis est vsus. Longo pòst tempore iacuit hic titulus quasi obsoletus, donec anno MCCCLXXVII. Richardus Secundus hunc honorem patruo suo Thomæ de *Woodstocke*, de quo inter Duces Glocestriæ iam diximus, contulerit. Ex huius filia enupta Edmundo Comiti Staffordiæ natus est Humfredus Staffordiæ Comes, quem Buckinghamiæ Ducem creauit Henricus Sextus, pro quo vitam animosè in prælio ad *Northampton* profudit. Illi successit ex Humfredo filio nepos Henricus qui Richardo Tertio tyranno viam ad regnum muniuit, statimque eundem deturbare machinatus est, eò quod *Bohunorum* hæreditatem ad ipsam iure hæreditario spectantem restituere noluerit: sed interceptus capite luit, seróque sensit quòd tyranni gradus per quos ascenderunt sæpissimè amputant. Huius filius Edwardus in integrum Henrici Septimi gratia restitutus pessimis artibus Wolsæi Cardinalis Henrici VIII. gratia excidit, & maiestatis læsæ damnatus, quòd inter alia ariolum de Successione regni consuluisset, summo cum bonorum desiderio securi fuit percussus. Quòd cùm Carolus Quintus Imperator audisset, dixisse fertur, pulcherrimum Angliæ damam a Lanij cane fuisse deuoratum, vtique Cardinalis ille lanij fuerat filius. Iam inde huius familiæ dignitas attenuata ita defloruit, vt posteris titulus Baronum de *Stafford* solummodò superfuerit.

Liber Prioraby *Markyat*.

Recensentur in hac regiuncula Parœciæ 185.


NORTH
HAMTO
NIÆ
PARS
NORTHHAMPTON
Higham Ferres
Wellingboro
Oulney
Newport Paganell
Stonystretforde
ISANAVARIA
BVCKIN
GHAM
PARS
Woburn
Tuddington
Leghton
BEDFORD
Kimbalton
Stanwick
Coumgton
Hargraue
Chelston
Tilbrok
Shelton
Nether Deane
Rushden
Newton
Archester
Doddington m
Wolaston
Grinden
Strixton
Easton
Harrold
Londen
Bradfelde
Clyfton
Emmerton
Hardmere
Astwood
Chechley
Sherington
N Crawley
Tickforde
Moulsoe
Wauden
Bowbrik hill
Brikhill pua
Brikhill mag
Lynchlade
Groue
Slapton
Edlesbore
Studham
Carlton
Turvey
Kempston
Elstowe
Wotten
Cranfelde
Merston
Houghton
Holcote
Salforde
Milbrok
Ampthill
Lidlington
Aspley
Husburn crawley
Ridgemont
Flitwick
Euersholt
Woburn ab
Tingraue
Woodende
Pottesgroue
Badlesden
Hockley
Chalgraue
Eggington
Stanbridge
Tilesworth
Totternall
Billington
Eaton
Dunstable
MAGIOVINIVM
Whipsna
Felmersham
Chellington
Pavenham
Bletnesho
Thurley
Rauensden
Wilden
Mylton
Goldington
Clapham
Oakley
Sharnbrok
Souldrop
Woodhill
Riseley
Keyson
Bolnhurst
Colmworth
Swyneshead
Pertenhal
Stoughton pua
Caysoe
Yeldon
Melchborne
Higham pk
Wellington
Podington
Farndysh
Bosyate

BEDFORD

Comitatus olim pars

CATHIFVCLANORVM

CANTABRIGIÆ PARS

HÆRT FORDIÆ PARS

Grafham, Pirrye, Offordes, Diddington, DONIÆ, Southhoe, Paxton mag., Paxton pua, Stoughton mag., Halewston, Toseland, St. Neott PARS, Bushmeade, Eaton, Eynsbury, Abotesley, Berkforde, Rockesden, Warsley, Gransden mag., Stowe, Tetworth, Temsforde, Gransden pua, Gamlingay, Hatley, Berforde, Enerdon, Potton, Cokinghatley, Crawden, Blunham, Willyngton, Hatley mag., Cuphill, Sutton, Wornleghton, Sandye, Cardington, Eiworth, Clepton, Tadlow, Nor hill, Biglesward, Old werden, Dunton, Stratton, Southhill, Haunes, Langford, Shefforde, Edworth, Heneworth, Chicksand, Clyfton, Astwick, Ashwell, Royston, Claphill, Caurcot, Henlowe, Arlesey, Newneham, Mouldon, Cambleton, Stotfelde, Wrast, Radwell, Flitton, Mepsall, Stanton, Norton, Holewell, Baldock, Gravenhurst, Shitlington, Highamgobien, Hicklingforde, Berton, Perton, Hexton, Hichin, Stretley, Sundon, Lulye, Biscott, Lygraue, Waldenreges, Luton, Suittret, Dunstable, Chaddington, Kensworth, Merket

Scala Miliarium

1 2 3 4 5

Christophorus Saxton descrip:

Wilhelmus Kip. Sculpsit

BEDFORD-SHIRE.



Edfordiensis ager, vulgò *Bedford-shire*, alter est è tribus Comitatibus quos Cattieuchlanos occupâsse diximus. Ab Ortu Meridieque Cantabrigiensi atque Hertfordiensi, ab Occasu Buchinghamiensi, à Septentrione, Northantonensi, & Huntingdonensi coniunctus, *Vsaque* interfluente in duas duas partes diuisus. Quà Septentriones spectat fertilior est, & nemorosa: altera ad meridiem, quæ multò maior, solo est tenuiori, sed non omninò ingrato: Hordeum enim plenum, album, & crassum affatim profundit. In medio syluis nonnihil densior, sed ad Ortum magis siticulosa, & arboribus nuda.

Barones Mordaunt. *Vsa*, vbi hunc agrum ingreditur, primùm *Turuy* inuisit ædes Baronis *Mordant*, qui hanc dignitatem Regi Henrico VIII. acceptam tulerunt. Ille enim Ioannem *Mordant* virum prudentem qui duxerat filiam & alteram hæredum H. *Vere* de *Addington*, Baronem *Mordant* creauit: Deinde *Harewood* viculum olim *Harelesfwood* præterlabitur vbi Sampson cognomento *Fortis* Sanctimonialibus ædem sacram posuit, & vbi anno salutis reparatæ MCCCXCIX. paulò ante motus illos, & ciuiles turbas quibus Anglia diu diuulsa fuit, hic fluuius restitit, & cedentibus vtrinq; aquis, iter in ipso alueo per tria milliaria non sine admiratione peruium fuit. Postea *Odill*, siue *Woodhill*, olim *Wahull*, subluit quæ suos etiam Barones de *Wahull*, antiqua nobilitate perillustres, & castrum quod nunc hæreditariò ad *Chettwoodos* deuenit, habuit. Vnde *Vsa* non minùs tortuosus, quàm ipse Meander fertur per *Bletnesho*, vulgò *Bletso*, quæ sedes olim *Pateshulorum*, posteà *Bellocamporum*, nunc illustris familiæ de *S. Iohn*, quæ olim sua virtute amplissimas in Wallia possessiones, & nostro tempore Elizabethæ fœlicissimæ memoriæ gratiâ Baronum dignitatem consecuta est. Ad quos deuenit per Margaretam de *Beauchamp* hæredem, quæ primò nupta Oliuero de *S. Iohn* à quo hi Barones stemma deducunt, & secundò Ioanni Duci Somersetti, cui illa peperit Margaretam Comitissiam Richmondiæ fœminam nunquam satis laudatam, à qua regia Anglorum familia.

Vide Hypodigma pag. 153. Aqua diuisa.

Bletso. Barones St. Iohn de Bletnesho.

Bedford Hinc Bedfordiam, Saxonicè Bedanforo primarium opidum, vnde & regioni nomen, adproperat & ita dissecat *Vsa*, vt duo viderentur opida, nisi ponte saxeo committerentur. Situs amœnitate, & sua vetustate, magis quàm elegantia aut amplitudine (licèt quinque ecclesias numeret) prædicandum. LACTODORVM tamen Antonini fuisse cum alijs non audeo affirmare, cùm ad viam militarem Romanorum non sedeat quæ certissimus index ad stationes & mansiones ab Antonino memoratas reperiendas; nec Romanorum numismata hîc vnquam effossa. *Lifwidur* siue *Lettidur* Britannicè dictum legi; verùm ex Anglico nomine conuersum videatur. *Lettuy* enim Britannis diuersoria publica sonat, & *Lettidur* diuersoria ad flumen, vt *Bedford* Anglis *lectos & diuersoria ad vadum* sonat. Cuthwulfus Saxo circa salutis nostræ annum DLXXII. sub hoc aperto Marte ita Brittannos fregit, vt iam inde viribus impares plura sibi opida dediderint. Nec Saxonibus neglectum fuisse videtur, cùm Offa potentissimus Merciorum Rex hîc sibi (vti legimus in Florilego) sepulturam delegerit, cuius tumulum *Vsa* cùm incitatior & sublimior ferretur, eluuione abripuit. Danicis posteà bellis prostratum Edwardus Senior reparauit, vrbeculámque ad australem ripam adiecit, quam *Mikesgate*, (vt optimum Houedeni exemplar habet) illa ætas vocauit. Tempore Regis Edwardi Confessoris, vt est in libro illo quem Rex Guilielmus Primus scripsit cùm Angliæ lustrum conderet, *Pro dimidio Hundreda se defendebat in expeditione, & nauibus. Terra de hac villa nunquam fuit hidata.* Grauiora deinde sub Normannis pertulit, cùm enim Paganus de *Bellocampo* tertius dictus Baro de *Bedford* castrum construxisset, nulla intestini belli coorta est tempestas quæ in illud, dum steterit, non intonuit. Stephanus, cùm violato iureiurando Angliæ regnum interciperet, primus ingenti cæde expugnauit, posteà cùm Barones arma in Ioannem Regem induissent, Guilielmus de *Bellocampo* eius dominus, & ex partium ducibus, illis in manum tradidit: sed vno & altero pòst anno, Falco de *Breaut* obsedit statimque à Baronibus deditione, & a Rege dono accepit. Ingratus tamen ille noua

be

belli molem denuò in Henricum I I I. excitauit, dirutis sacris ædibus castrum firmasset, & vicinam regionem plurimis damnis affecit, quoad Rex obsideret, & post sexagesimum diem, victâ rebellium pertinaciâ, hanc seditionis nutriculam in potestatem redigeret.

Lectori minimè ingratum fore spero, si rationem oppugnationis huius castri ex scriptore qui tunc vixit & vidit adnotauero, vt intelligamus quibus operibus, & machinis ea ætas in hominum perniciem ferè perinde ac nostra, ingeniosa, vsa fuerit *Ex parte*, inquit, *Orientali fuit vna Petraria, & duo Mangonella quæ quotidie turrim infestabant, & ex parte Occidentis duo* Mangonella *quæ turrem veterem contriuerunt, & vnum* Mangonellum *ex parte Australi, & vnum ex parte Aquilonari quæ in muris sibi proximis duos introitus fecerunt. Præter hæc erant ibi duæ machinæ ligneæ arte fabrili supra eminentiam turris & castri erectæ ad opus balistariorum, & exploratorum. Erant etiam ibi pleræque machinæ in quibus balistarij, & fundibularij in insidijs locabantur. Præterea erat ibi machina quæ vocabatur* Cattus *sub qua fossores subterreanei ingressum & egressum habebant, dum muros turris & castri suffoderunt. Captum est autem castrum per quatuor insultus. In primo capta est Barbicana, in secundo forinseca Ballia, tertio insultu cecidit murus iuxta turrim veterem per mineatores, vbi per rimam magno cum periculo interiorem Balliam occupârunt. Ad quartum insultum ignis per mineatores turri subijcitur, ita quòd fumus prorupit, & fissa turris, ita quod rimæ in latum apparebant, & tunc hostes se dediderunt,* De his *Mangonellis, Petrarijs, Trabuccis, Bricolis, Espringoldis*, & quod maiores nostri, *The Warrwolf* vocârunt, quibus ingentia saxa magna violentiâ, ante Bombardas excogitatas, eiaculati mœnia valida perruperunt: multa hic attexerentur, nisi a nostro aliena essent proposito. Sed pergit author meus. *Falco in excommunicatione mansit donec restitueret Regi castrum de Plumton & Stoke-Curcy, & vasa aurea, & argentea & pecuniam quæ habebat, & inde Londinum ductus est. Interim iussum est Vicecomiti turrim & Balliam exteriorem demoliri. Interior verò Ballia amotis propugnaculis & fossatis vndiq; complanatis, Guilielmo de Bellocampo ad inhabitandum remansit, lapides concessi sunt Canonicis de* Newenham *& Chaldwell, & Ecclesiæ S. Pauli Bedfordiæ.* Nec aliud tamen magis hîc visendum quàm huius vestigia ad Orientale opidi latus flumini impendentia. Machinæ bellicæ.

Bedfordiæ vtrinque subfuerunt elegantissima cœnobiola, ab Austro *Helenstow*, nunc *Elstow*, Helenæ Constantini Magni matri, & virginibus sacris à Iuditha Waltheofi Comitis Huntingdoniæ vxore consecratum: ab ortu *Newenham*, quod à fano Sancti Pauli intra Bedfordiam, Roisia Pagani de *Bellocampo* vxor transtulit.

Non longum iter ab hoc confecit *Vsa*, cùm vestigia diruti castri apud *Eaton* quæ sedes fuit altera illius familiæ de *Bellocampo* inuiserit, Bedfordiensibus valedicit, proximè *Bissemed* vbi Hugo de *Bellocampo*, & Rogerius frater eius monasteriolum Canonicis S. Augustini, vt ex Bulla Pont. Romani constat, fundârunt. Hæc vltra *Vsam*, qui a meridie tamen priùs anonymo * amniculo augetur, ad cuius confluxum *Temesford* Danorum statiuis, & castro notum, quod tunc construxerunt, cùm suis Hybernis hanc regionem premerent, & propugnaculum Britannicum (vti creditur) euerterent, cuius locus nunc *Chesterfield* & *Salndy* dictus Romana numismata vetustatis suæ signa sæpe exhibet. Nec dubito è situ, quin hæc fuerint SALENÆ illæ quas Cattieuchlanis adscribit Ptolemæus, si *Salndy* sit verum nomen, quod mihi nonnulli affirmârunt. *Potton* Mercatulum omitto, cùm nihil de illo occurrit, quàm quòd *I. Kinaston* Thomæ Comiti Lancastrensi olim cùm terris adiunctis dono contulerit. Nec est cur pluribus memorem quæ ad hunc amniculum assident, videlicet *Chicksand* vbi Paganus de *Bellocampo* cœnobiolum extruxit, *Shelford* mercatum, *Bigleswade* equorum nundinis, & ponte lapideo celebratum. Vnde parùm abest *Stratton* sedes quondam Baronum *Latimer*, posteà *Enderbeiorum*, & ab illis hæreditariò *Pigottorum*. A Eton. * Ivel nonnullis dicitur. Salenæ. Potton. Chicksand Stratton.

Ad quintum milliare ab huius amniculi fontibus, in ipso ferè agri vmbilico, colli apponitur *Ampthill*, domus ampla, regiæ, & castri æmula, viuarijs vndique circumsita, à Ioanne *Cornwale* Barone de *Fanhop*, regnante Henrico Sexto, è Gallorum manubijs constructa, cuius bona vt legi, cùm Edwardus I I I I. publicasset, quòd à Lancastrensi familia steterat; & ipsum seu potiùs, vt inquit ipse *Fanhop*, has ædes læsæ maiestatis egisset, Ampthill.

Ff

set, protinus Edmundo *Grey* Domino de *Ruthin*, & posteà Cantij Comiti concessæ fuerunt; à cuius nepote Richardo ad Henricum VIII. Regem deuenerunt, qui eas, vt loquuntur Cæsarei iuris periti, sacro patrimonio, vt nostri iurisprudentes, Coronæ adiunxit, & latifundia adnexa *Honorem de Ampthill* dixit. Hinc magis ad Septentriones iacet *Haughton Conquest* à familia clara & vetusta quæ diutissimè incoluit sic dicta. Ad Occasum *Woburn*, vbi nunc Schola est tenuis à Fr. Bedfordiæ Comite posita, olim monasterium floruit insigne ab H. de *Bolebec* extructum sub quo ad *Asspely Gewiz* terram esse quæ lignum in saxa conuertit perhibent, & in eius argumentum scalam gestatoriam ex ligno, in illa terra aliquandiu obrutam, totamque saxeam effossam in monasterio illo spectatam audiuimus. Magis ad Ortum *Tuddington* conspicuas ædes ostendit quas H. Dominus *Cheney* nuper construxit, vbi etiam olim Paulinus *Peuer* aulicus, & Regis Henrici Tertij, Dapifer, vt testatur M. Paris, *ædificium adeò palatio, capella, thalamis & alijs domibus lapideis, & plumbo coopertis, pomerijs & viuarijs communiuit, vt intuentibus admirationem parturiret.* Haud longè hinc progressi iuxta *Hockley in the hole*, via lutosa itinerantibus hiberno tempore admodum molesta, inter agros optimis fabis redolentes, quæ suâ redolentiâ odoram illam canum vim non sine venatorum indignatione prorsus hebetant, per albicantem collem in *Chiltern* ascendimus; statimque *Dunstable* deuenimus, quod in solo cretaceo situm, incolis satis frequens, & diuersorijs plenum, quatuor habet plateas ad quatuor mundi plagas in quibus singulis, cùm solum sit siccissimum, quatuor in publicum vsum sunt lacunæ, quæ quamuis pluuiali solummodò aqua alantur, nunquam deficiunt. Fontium verò venæ non inueniuntur nisi puteos in viginti quatuor cubitorum altitudinem agant. In medio Crux siue potius columna visitur Angliæ, Castiliæ, & Pontiui insignibus insculpta & statuis decorata, quam Rex Edwardus Primus in Æleonoræ coniugis memoriam vt alias nonnullas posuit, quacunque eius funus exequiali pompa Westmonasterium deduxit. Hoc fuisse illam stationem quam Antoninus Imperator in suo Itinerario MAGIONINIVM, MAGIOVINIVM, & MAGINTVM, appellat, non est cur quispiam dubitet, aut alibi quærat. Nam præterquam quòd ad viam militarem Romanorum adsidet, Cæsarum nummi in agris circumuicinis à subulcis subinde reperiuntur quos *Madning monye* ad huc vocant, & parùm abest ad ipsum Chilternicorum collium descensum sepimentum militare in orbem circumductum, cuiusmodi Britannorum opida fuisse prodit Strabo, quod nouem iugera continet, & *Madning-bowre* & *Madin-bowre* appellitant; in quo nomine parùm variato MAGINTVN se planissimè ostendit. Sed cùm MAGINTVM, vel belli, vel æui iniuria cecidisset Henricum Primum hîc opidum reædificâsse, ædesq; Regias ad *Kingsbury*, & coloniam ad latronum audaciam reprimendam, qui viam obsederant, collocâsse, priuata historia monasterioli, quod ipse ad coloniæ suæ ornamentum fundauit, planè contestatur. Sed habe ipsa verba ex historia illa priuata, licèt eius seculi barbariem redoleant. *Nota quod area illa vbi via Watling & Ikening conueniunt, per Henricum Regem Angliæ Seniorem primitùs sartabatur ad militiam cuiusdam famosissimi latronis* Dun *nomine, & sociorum suorum refrenandum. Et ab ipso* Dun *dictus locus* Dunstable *vocabatur. Dominus Rex ibidem Burgum* Dunstable *condidit, fecitq́, sibi iuxta illum locum regiam mansionem. Burgenses liberi erant per totum, sicut cæteri Burgenses regni Regis. Rex habuit in eadem villa nundinas & mercatum. Postea fundauit Ecclesiam, & authoritate Eugenij* III. *Papæ posuit ibi Canonicos Regulares, & dictos religiosos de toto Burgo feofauit per Chartam, & eis plurimas contulit libertates.*

Nunc de Bedfordiæ Dominis, Ducibus & Comitibus. Primùm fuerunt Barones Bedfordiæ è familia de *Bello campo*, qui regibus Angliæ die inaugurationis iure hæreditario erant Eleemosynarij. Quorum hæreditas cùm iam per filias in *Mowbraiorum* nomen, *Wake* & *Fitz-Ottes*, &c. dispertita fuisset, Edwardus III. Engelramum de *Coucy* Suessionum in Gallia Comitem cui filiam elocârat, primum Bedfordiæ Comitem creauit. Posteà Henricus Quintus Bedfordiam in Ducatus titulum euexit, tresque Duces habuit, primum Ioannem Henrici IIII. filium tertium, qui Gallos nauali prælio ad Sequanæ ostium, & postea Franciæ *Regens* terrestri ad Vernolium fortissimè profligauit, Rothomagi sepultus, & vnà cum illo bellica Anglorum in Gallia fœlicitas, Cuius monumentum

Haughton Conquest. Woburn. Terra lignum in saxum conuertens. Dunstable. Magiouinium. Bedfordiæ Duces, Comites, & Barones.

numentum cùm Carolus Octauus Rex Galliæ inuiseret, nobili adstanti qui demoliri suasit, Requiescat, inquit, iam mortuus in pace, quem viuum in bello Gallia pertimuit. Secundus Bedfordiæ Dux erat Georgius *Neuill* puerulus filius Ioannis Marchionis *Montis-acuti*, quos eò honorum statim atque euexisset, etiam deiecit Rex Edwardus Quartus, idq; authoritate Parlamentaria; patrem ob perfidiam cùm ab eo defecisset, filium in patris inuidiam: prętexebatur tamen quòd ad Ducis dignitatem tuendam ob inopiam impar esset; magnatesque ab opibus minùs instructi vicinis semper sint graues atque iniquiores. Tertius erat Iasper de *Hatfeld* Comes Penbrochiæ a nepote Henrico Septimo quem ex maximis periculis eripuisset, eo titulo exornatus, qui senex & cœlebs è vita migrauit.

Patrum verò memoria in Comitatus titulum recidit, cùm Rex Edwardus Sextus Ioannem *Russell* Bedfordiæ Comitem creauit, cui successit filius Franciscus, vir ea pietate & nobili naturæ facilitate, vt nunquam magnificè quicquam in eius dicam laudem, quin id eius virtus longè superauerit. Successorem autem ille reliquit Edwardum è filio Francisco nepotem auitis laudibus succrescentem.

Habet hæc prouinciola paræcias 116.



HERTFORDIÆ Comitatus A Cattieuclanis olim inhabitatus.
The names of the Hundreds of this mappe
1 Caishe Hundred
2 Dacorum Hundred.
3 Hitch halfe Hundred
4 Broad water Hundred
5 Odsey Hundred
6 Edwinstree Hundred
7 Braghinge Hundred
8 Hertforde Hundred
Scala Milliarum
Iohannes Norden perambulauit & descripsit
Wilhelmus Kip Sculpsit.
PARTE OF BEDFORD SHIRE
PARTE OF BVCKING HAM SHIRE
Hitching
Dunstable
MAGINTVM
Luton
Iumgo
DVROCOBRIVA
Hemsted
Berkhamsted
Tringe
Verlam
VEROLAMIVM
St Albans
Watforde
Rickmansworth



PARTE OF CAMBRIDGE SHIRE
Royston.
Barley
Newsels
Chesill m:
Chesill p:
PARTE OF
Minsingbery
Abbotbery
Cokenhatch
Mecsden
Clauering
Barkway
Reede
Thayselde
Kelshull
Buckland
Ashwell
Odsey grannge
Calkott
Newnham
Sanden
Wallington
Hideball
Radwell
Norton
Bigraue
Baldock
Willion
Letchworth
Greatley
Ruchden
Quickswood
Bradfelde
Goderd
Clothall
Kingeswoodbery
Yardley
Walkerne
Bouington
Cheffelde
Frachesende
Holmeley
Ashton
Steuenedge
Ansabery
Langley
Brodewater
Shephall
Knebworth
Datchworth
Walton
Wulmergreene
Cudicot
Welwine
Ayete laurence
Ayete p:
Tewing
Digeswell
Gobbins
Staplesforde
Watersforde hall
Bransfelde
Seale
Pansanger
Hartforde
Merseden
Hartingfordbery
Ludwickhall
Brokehall
Holewell
Hatfelde
Harpesfelde hall
Albans
Beaumondes
Sopwell
Skepehide
Nasthide
Tittenhanger
Colney
North Mims
Newbarne
Salisbery
Shenley
Welde
Rydge
Elstree
Burnehall
Sidlomaca
High Bernet
SVLLONIACÆ
Brokeley hills
Parte of broad Water
Totteredge
PARTE OF MIDDLESEX
Buntingford
Throcking
Layston
Alswike
Aspenden
Tames
Westmill
Puckeridge
Mundonfurniuall
Mundonfrewell
Dane ende
Collierseende
Sawcombe
Berwicke
Woodhall
Highcrosse
Tunwell
Temple
Standen
Braughing
Quinebery
Graunsend
Aldberye
Amberyhall
Fryers
Hadhamonash
Bartram
Hadham m:
Satridge
Cassalbery
Newhall
Thundridge
Bleakwayre
Widforde
Wadesmill
Ruckresse
Ware p
Ware
Hunsdon
Haly
Amwell
Holey
Amwell p:
St Margret
Stansted
Stanthecle
Roydon
Hodesdon
Barkhamsted
Bedwell
Rayforde
Broxeburne
Wormeley
Hatfelde Wood
Peppes
Ponsburne
Newgatestrete
Chestron
Numery
Bell barr
Gabbins
Numhall
Potters barr
North hawe
St Giles
Cuffeldgate
Woodgrene
Pettercles
Gladmore heath felde
Thyobalde
Waltham crosse
Enfelde chace
Enfelde house
Enfelde
Hadley
E Barnet
Edmunton
Hormed
Burntpelham
Beaches
Stokenpelham
Mannenden
Helihamhall
Ferneham
Burchanger
Potnierhall
Strotford
Waymerecast
Hadham p:
Hockerell
Spelbrooke
Stortford mannor
Borley
Tednambery
Hidehall
Sabesworth
Geldesden
Newplace
Pessobery
Eastwike
Harlowe
Peruden p
Briggens
Peruden m
ESSEX
Nasinge
Waltham Abbey
Waltham chace
Forest
North
South
East

HERTFORD-SHIRE.



Gro Bedfordiensi ab Ortu & partim à Meridie adiacet *Hertfordshire*, quem tertium ex illis diximus, qui ad Cattieuchlanos spectârunt. Occidentale latus claudunt Bedfordienses, Buckinghamienses, Australe Mediosaxones, Orientale Saxones Orientales, & Septentrionale Cantabrigiensis. Frumentarijs agris, pascuis, pratis, nemusculis, & limpidis fluuiolis fœlix: veterum verò locorum claritate etiam cum vicinis de palma contendit, vix enim alius in Anglia Comitatus est qui plura vetustæ memoriæ ostendat.

Roiston. Chronica Dunstaplíæ. * Alijs vxor Richardi de *Clara.* In ipso Septentrionali limite quà Cantabrigiensem Comitatum attingit, sedet *Roiston* opidum notum sed non antiquum. A Normannicis enim temporibus emicuit. Roisia namque mulier ea ætate celeberrima (*quam Norfolciæ Comitissam fuisse credunt nonnulli) Crucem ad viam regiam eò loci statuit, vnde *Crux Roisia* diu dicta fuerit, donec Eustachius de *Marc* Cœnobiolum in honorem S. Thomæ adiunxerit: tunc enim diuersoria sunt extructa, & paulatim opidum surrexit, quod pro *Crux Roisia*, *Roiston*, id est, *Roisia opidum* appellatum, cui nundinas statis temporibus, & forum venale concessit Rex Richardus Primus, quod nunc distrahendo Byni est celeberrimum, & frequentissimum. Vix enim credi possit quot frumentarij, Propolæ, & etiam Dardanarij statis Mercatus diebus huc confluunt, & quot equis onerarijs viæ vndiquaque tum compleantur.

Thurfeld. *Berners.* *Roistoniæ* ad Austrum inter collium summitates *Tharfeld* imminet, habitatio peruetustæ familiæ de *Berners* quę ab Hugone de *Berners* genus repetit, cui in præmium fortitudinis in Normannica victoria latifundia in *Euersdon* in Comitatu Cantabrigię a R. Guilielmo *Conquestore* concessa. Tantaque dignitate eius posteri floruerunt, vt Ioannes *Bourgchier* qui rectam familiæ hęredem in vxorem duxit, cùm ad Baronis honorem ab Edwardo IIII. promoueretur, de *Barners* fuerit cognominatus.

Nucelles. Familia de *Rossa.* Barones de *Scales.* *Nucelles* huic sunt confines, olim familię *Rossarum* siue de *Rochester*, sed tota dignitas est ex suis postea incolis Baronibus de *Scales* e Norfolcia oriundis, sed *Rossa* hęredibus. Etenim Roberto de *Scales* Rex Edw I. pro opera in Scotico bello strenuè nauata terras annui tunc *valoris* 300. Marcarum donauit, eumque ad Parlamenta inter Barones euocauit. Eorum scutum sanguineum sex conchilijs argenteis ornatum plurimis in locis vidimus. Floruerunt vsque ad Regis Edwardi Quarti tempora, quando vnica familia filia & hæres enupta Anthonio *Wideuile* Comiti de *Riparijs*, siue *Riuers*, quem virtutis gloria, & sororis cum Rege coniugium extulit, atque inimicorum inuidia indignissimè oppressum ad exitium depressit, Rex enim Richardus Tertius innocentem capite truncauit. Cùm autem illa sine prole obijsset, hæredium tempore Regis Henrici Septimi inter Ioannem Comitem Oxoniæ qui per *Howardos* & Willielmum *Tindale* Militem qui per *Bigodos de Felbrigge consanguinei proximi*, & cohæredes comperti, fuit dispertitum.

Ashwell. Inferiùs ad Ortum est *Ashwell*, id est, *Fons inter fraxinos*, vicus rusticus, amplus, & ædificijs frequens, depressiori situ in Septentrionali agri confinio locatus, vbi celeberrima est fontium scaturigo è saxo abrupto, siue crepidine quæ proceris fraxinis vndique vmbrosa, vnde tanta vis aquarum perennibus venis emanat, vt statim intra ripas collecta rotandæ molæ sufficiat, & quasi subitò in iustum flumen conualescat. Ex his fontibus & fraxinis, vt certissimum est Anglo-Saxones nouum hoc nomen *Ashwell* indidisse: ita in ea fui quondam opinione Britannos antiquos, qui teste Gilda, montes, fluuios, fontes, & lucos diuinis cumulârunt honoribus, ab eadem re, eodem sensu *Magioninium* nominâsse, & fuisse illud quod Antoninus MAGIONINIVM vocauit. Sed dies certiora iam docuit, nec pudet opinionem hac in re immutare, cùm me meus error minimè delectet. Ad huius tamen antiquitatem asserendam facit vallum amplum quadrata forma adiunctum quod Romanis nummis sæpiùs effossis cuius fuerit opus ostendit, & in eo libro quo Angliæ lustrum ante quingentos annos Guilielmus Primus condidit, disertis verbis *Burgi* nomine insignitur. Magis ad austrum albicanti solo *Baldocke* forum vidimus, de quo vti de vicino *Hitching*, nihil antiquum legitur.

Inde in agro culto & florenti *Wimondley* sedet, antiquum & celebre prædium, quod honoratissimo

honoratissimo apud nos iure, (*Grand Sergeantie* Iurisperiti nostri vocant) tenetur, nimirùm vt possessor Regibus Angliæ quo die inaugurantur primum ministret scyphum, & sit quasi regius pocillator. Quem honorem ratione huius prædij primis Normannorum temporibus nobiles *Fitz-Teca* dicti gesserunt, à quibus per filiam ad Argentonios deuenit. Hi à Dauide de *Argentonio* Normanno viro militari qui sub Guilielmo Primo meruit, & nomen & stemma duxerunt, & in huius rei memoriam tribus scyphis argenteis in clypeo rubro pro insignibus iam diu vsi sunt. Verùm deficiente tandem prole mascula Henrici Sexti tempore, Elizabetha *Argenton* quæ solidam hæreditatem creuit, Guilielmo *Alington* Equiti marito amplissima hæredia cum hac dignitate attulit, à quo septimus est Ægidius Alingtonus huius familiæ hæres, adolescens moribus suauissimis, & indole verè generosa, qui, vt spero, generis claritatem nouo virtutum splendore illustrabit. Grand sergeantie. Fitz-Tecæ. Argentonij. Alingtonij.

In proximo iuxta viam publicam inter *Steuenhaugh*, & *Knebworth* sedem claræ familiæ *Littonorum*, quosdam tumulos satis magnos aggestos vidimus, cuiusmodi peremptis militibus, Duce primum cespitem imponente, prisci Romani extruere soliti. Nisi quis ad limitum rationem pertinuisse malit: eiusmodi enim colliculi olim ad terminos designandos aggesti fuerunt, quibus cineres, carbones, calcem, testas contusas &c. subiecerunt, vt fusiùs alibi docebimus. In Comitatu Northampton.

Sub hoc magis in Meridiem *Lea* fl. olim maioribus nostris Ligean, fontes habet, qui leni aquarum ductu primum per *Whetthamsted* frumento, vnde nomen factum, feracem defertur, quem Ioannes de *Loco Frumentario* inde ortus & nominatus, vir sub Henrico VI. celeberrimus, eruditionis merito honestauit. Inde *Brockett hall* equestris familiæ *Brockettorum* sedem & *Woodhall* habitationem Butlerorum, qui à Barone de *Wem* prognati *Gobionorum* hęreditatem nuptijs adierunt, præterfluens, *Bishops Hatfield* ferè accedit in deiectu collis positum, in cuius superiori parte sunt ædes nunc regiæ, quondam Episcoporum Eliensium, quas Ioannes *Morton* Episcopus Eliensis pulcherrimè instaurauit. Quadraginta enim *hidas* in hoc loco Rex Eadgarus ecclesiæ Eliensi donauit. Posteà *Hertfordiam* subluit, quæ in nonnullis Bedæ exemplaribus *Herudford* nuncupatur, vbi agitur de Synodo ibi celebrata anno Salutis DCLXX. Quod nomen alij *Rubrum Vadum*, alij *Ceruorum Vadum* interpretantur. Hoc Regis Guilielmi Conquestoris tempore, vt in Censuali Angliæ libro legitur, *pro decem hidis se defendit, ibique fuerunt viginti sex Burgenses.* Nunc autem est infrequens, & ex eo maximè celebratum, quòd antiquum. Agro vtpote vniuerso nomen suum communicauit, & caput censetur Comitatus. Castrum habet ad *Leam* fl. ab Edwardo Seniore, vt creditur, constructum, primùm à *Clarensi* familia ad quem spectauit, adauctum. Gislebertus enim de *Clare* circa Henrici Secundi tempora, *Herudfordiæ* huius habitus erat Comes, & Robertus *Fitz-Walter* qui ex eadem Clarensi familia, cùm Stephanus Angliæ castra sibi vndique raptaret, liberè ipsi Stephano (vt in Matthæo Parisiensi legitur) huius castri custodiam ad se antiquo iure spectasse affirmauit. Posteà patrimonio regio accreuit, & Rex Edwardus III. Ioanni Gandauensi filio, tunc Richmondiæ Comiti, qui posteà Lancastriæ Dux, hoc *castrum, villam, & Honorem de Hertford, concessit, vbi* (sic habent ipsa Donationis verba) *iuxta status sui exigentiam hospitari, ac decenter morari posset.* Whetthamsted. Woodhall. Bishops Hatfield. Hertford.

Hinc *Lea* ad *Ware* statim prolabitur, ab obice ad sistendas aquas quas maiores nostri *Weare*, & *Ware* dixerunt, nominata. Hæc paulatim Hertfordiæ primùm plurima damna intulit, & posteà sua frequentia quasi obscurauit. Baronum enim bello contra Ioannem Regem exardescente, hæc domino suo Barone de *Wake* confisa, viam Regiam ad se deflexit, cùm anteà viculus esset * nec curribus illàc transire liceret, extenta per pontem catena, cuius claues penes Hertfordiæ *Ballinum* erant. Quo ferè tempore Gilbertus Marescallus Penbrochiæ Comes inter Angliæ proceres facilè Princeps equestre ludicrum, quod Torneamentum vocant, sub *Fortunij* nomine Regię authoritati illudens quà Torneamenta inhibita, hîc indixit. Quò cùm magna nobilium multitudo confluxisset, ipse fortè fortuna dum decurreret, equo sternaci fracto fræno excussus, & conculcatus miserè expirauit. Torneamenta hęc publicę erant inter nobiles armorum exercitationes, & plusquam præludia, instituta, si Munstero credimus, anno salutis DCCCCXXXIIII. quę & suas habuerunt leges, quas apud ipsum habeas; tantaque insaniâ & nobilium cæde Ware. * Inspeximus Henrici VI. 1241. Torneamenta.

Newbrigensis lib.5.c.4. Matth. Paris anno 1248.

de vbiq; sed maximè in Anglia ex quo Stephanus Rex induxerit, longo tempore habita, vt diuersis ecclesię decretis fuerint interdicta, sub pœna vt in ijs occisi ecclesiastica carerent sepultura; & ab Henrico nostro Tertio de prudentum consilio lata lege vt transgressorum hæredes paterna hæreditate excluderentur. Contra legem tamen ita salutarem hæc praua & exitiosa consuetudo diu inualuit, nec ante Edwardi Tertij tempora omninò exoleuit.

Inter hęc duo opida *Hertfordiam* & *Waram* quę vix duobus milliaribus distant, duobus à Septentrione fluuiolis augetur *Lea*; Asserius *Mineram* & *Beneficiam* vocat. *Beneficiam* esse coniectarim ad quem *Benington* adsidet, vbi nobilis familia de *Bensted* suum habuit olim castellulum; vt *Mineram* illum alium ad quem *Pukerich*, quod forum mercatorium & nundinas Regis Edwardi Primi beneficio, & Guilielmi *Le Bland* operâ habet. Cui à tergo se offert *Munden Furniuall*, vel vt hoc nomine memoretur, quòd suum Dominum habuit Gerardum de *Furniuall* (à quo & nomen deportauit) filium natu minorem Gerardi *Furniuall* de *Sheffeld*. Sed ad *Leam* fl. & *Waram* redeamus, quò Danos myoparonibus suis delatos, propugnaculum excitâsse prodit ille Asserius, quod cùm Ælfredus Rex expugnare non potuisset, tribus effossis canalibus ita *Lea* aquas diuertit, ne illi nauigia reducerent, vt iam inde accolis nulli penè vsui fuerit, donec iampridem restituto alueo, ad merces, annonam, &c. deuehenda factus sit commodior. A *Wara* non multùm progressus est, cùm riuulum (*Stort* vocant) ab Oriente in se recipiat, qui primùm per *Bishops Stortford* decurrit, exiguum opidum exiguo castro ęditiori mole aggestae in insula quondam munitum, quod Rex Guilielmus Primus Episcopis Londinensibus donauit, vnde ab Episcopis denominatio facta, Rex autem Ioannes in odium W. Episcopi subuertit. Inde *Hunsdonam* pręteruehitur, quę Baronis titulum prębuit Henrico *Cary* gratiâ Elizabethę Reginę cui fuit à cubiculo, vtique qui, pręterquam quòd è Regia Somersettensium Ducum familia fuerit oriundus, etiam eiusdem Reginę ex matre Maria *Bolenia* fuit consobrinus. Hoc riuulo sic admisso, *Lea* iam lętior ad *Tamisim* properat, & quasi gratulabundus *Theobaldenses* ædes vulgò *Tibaulds*, salutat, quas si structuram spectes, ad omnem elegantiam, si hortos, & ambulacra lucis conuestita ad omnem amœnitatem construxit Nestor Britannicus honoratissimus Baro *Burghley* summus Anglię Thesaurarius, cui inprimis hic fluuius se alueum restitutum debere libenter agnoscit.

Furniuall. Bishops Stortford. Castle of Waymore. Baro Hunsdon. Theobalds.

Sed ad vetustiora & interiora regrediamur. Ab *Hertfordia* in Occasum ad XII. milliare fuit VEROLANIVM, vrbs olim celeberrima, Tacito VERVLAMIVM, Ptolemęo VROLANIVM, & VEROLAMIVM. Hæc satis hodie nota iuxta fanum S. Albani in *Centuria Cassio* (quam CASSII quorum meminit Cæsar, proculdubiò tenuêrunt.) Saxonibus Wætlinga-ceaster à via Regia *Watlingstreat*, & Werlam-ceaster. Nec dum vetustum illud nomen deposuit, *Verulam* enim vulgò dicitur, licèt pręter mœnium rudera, tessellata pauimenta & Romana numismata subinde effossa nihil supersit. Colli molliter ad ortum decliui apposita fuit, mœnibus obsepta firmissimis, vallo duplici & fossis profundis ad Austrum, & ad Ortum riuulo rigata qui olim in magnam paludem stagnauit, vnde coniectura fuit hoc Cassibelini fuisse opidum syluis paludibúsque munitum, quod Cęsar expugnauit, nec enim alia in hoc tractu palus, quòd sciam, extitit. Neronis ætate MVNICIPIVM censebatur, vnde in Ninnij vrbium Catalogo *Caer-Municip* dicitur, vt non dubium sit quin hoc illud fuerit CAER MVNICIPIVM quod Hubertus Goltzius in veteri inscriptione reperit. Municipia autem erant opida iure ciuium Romanorum donata, noménque factum à muneribus capiendis, id est publicis in Repub. curationibus: habuerúntque quod ad ordines pertinet, Decuriones, Equites, & plebem, quod ad consilium publicum, Senatum & populum, quod ad magistratus & Sacerdotes, Duum-viros, Trium-viros Iuricundo, Censores, Ædiles, Quæstores & Flamines. An tamen cum suffragio, vel sine suffragio hoc fuerit municipium non facilè quis dixerit. Municipium enim cum suffragio vocabant, cui capere honores licebat, vt illud alterum cui non licebat, sine suffragio. Sub eodem Nerone, cùm Bunduica siue Boodicia Icenorum Regina acerrimo in Romanos odio bellum illis conflâsset funestissimum, à Britannis, vt habet Tacitus, erat excisum. Hinc scripsit Suetonius, *Accessit tantis ex principe malis clades Britannica, quâ* duo præcipua opida, magna ciuium Romanorum, sociorúmque cæde direpta.* Refloruit nihilominus, & ad summam celebritatem peruenit,

Verolanium. S. Albans. Cassibelini opidum. Municipia. * Verulam, & Maldon.

peruenit, nummósque antiquos hîc, vt videtur, signatos vidimus cum inscriptione TASCIA, & altera parte VER. Quod eruditissimus venerandæ Antiquitatis indagator Dauid Powelus Sacræ Theologiæ Doctor Tributum Verulamij interpretatur. *Tase* enim vt ille mihi author est, Tributum, *Tascia* Denarius Tributi, & *Tascyd* præcipuus Tributi collector, Britannicè sonat. Sed ipsum nummum tu etiam vide, quem & iam anteà exhibuimus. *Tase quid significat.*



Hos aliqui ante Romanorum aduentum cusos esse volunt, sed non ego credulus illis. Nummos enim Tributarios fuisse semper existimaui, qui in caput, & agros impositi quotannis à Romanis exigebantur, vti anteà dixi. Antequam enim Romani aduenerint, Britannos pecuniam signâsse vix credam. Memini tamen, quod de illis scribit Cæsar. *Vtuntur autem nummo æreo, aut* annulis ferreis, ad certam pondus examinatis, vbi antiqui libri *Lanceis ferreis* habent, pro quo substituunt Critici *Laminis ferreis*. Sed ad institutum se recipiat oratio. Eandem telam hîc retexere non est animus. Nulla autem re æquè celebre Verolamium erat, quàm quòd ciuem sanctitate & fide in Christum singulari protulerit Albanum, qui, cùm Dioclesianus Christianam religionem exquisitis supplicijs ex hominum memoria delere moliretur, inuicta animi constantia mortem pro Christo primus in Britannia oppetijt. Vnde Stephanus noster, & Britanniæ Protomartyr appellatur, Fortunatúsque Presbyter cecinit, *Britannorum nummi. Alij annulis.* *Vide pag. 70.* *Albanus Martyr.*

Albanum egregium fæcunda Britannia profert.

Et Hiericus Gallus, qui ante septingentos annos floruit, de eodem, & percussore eius non sine miraculo, excæcato: *In vita S. Germani.*

Millia pœnarum Christi pro nomine passus,
Quem tandem rapuit capitis sententia cæsi.
Sed non lictori cessit res tuta superbo,
Vtque caput Sancto, ceciderunt lumina sano.

In huius opprobrium, & Christianorum terrorem, vt in antiquo eius Agone habetur, Verolamienses eius martyrium marmori inscripserunt, mœnibusque inseruerunt: sed postea cùm tyrannorum immanitatem Martyrum sanguis vicisset, Christiani ecclesiam *mirandi*, vt inquit Beda, *operis* in eius memoriam posuerunt, & tanta religionis opinio Verolamio accessit, vt hîc Synodus anno mundi redempti CCCCXXIX. haberetur, cùm Pelagiana hæresis per Agricolam Seueriani episcopi filium in hàc insulâ repullulâsset, Britannicásque ecclesias ita maculâsset, vt ad veritatem asserendam Germanum Antisiodorensem, & Lupum Tricassinum è Gallia euocarent; qui refutata hæresi se venerabiles Britannis reddiderunt, inprimis Germanus, qui plurima per hanc insulam templa sibi sacrata habet, & iuxta prostratæ huius vrbis mœnia, Germani sacellum etiamnum nomine etsi profano vsu superest, quo loci ille pro suggestu verbum diuinum effatus erat, vt antiquæ fani Albani membranulæ testantur. Qui (vt Constantius tunc temporis florens in eius vita scribit) S. Albani sepulchrum aperiri iussit, *& in eo quasdam sanctorum reliquias recondit, vt quos vnum receperat cœlum, sepulchri quoque vnius teneret hospitium.* Quod ad eius æui mores considerandos obiter adnoto. Nec ita multò pòst in Saxonum potestatem deuenit, sed graui & diuturna obsidione Vther Britannus, cognomento *Pendragon* ob serpentinam prudentiam, recepit: quo sublato in eorum demùm manus recidit. Ex Gildæ enim verbis, Saxones suo tempore hanc vrbem tenuisse facilè colligitur, *Deus*, inquit, *clarissimas sanctorum lampades nobis accendit, quorum nunc corporum sepulturæ, & passionum loca, si non lugubri barbarorum diuortio quàm plurima ob scelera nostra ciuibus adimerentur, non minimum intuentium mentibus ardorem diuinæ charitatis incuterent,* *S. Germans Chappell.*

Sanctum Albanum Verolamiensem, &c. dico. His bellis cùm Verolamium concidisset, Offa rex Merciorum potentissimus è regione eius, circa annum Salutis DCCXCV. in loco quem *Holmehurst* dixerunt, monasterium amplissimum in S. Albani memoriam, vel, vt in ipsius Charta legitur, *Domino nostro Iesu Christo, & S. Albano Martyri, cuius reliquias in spem prosperitatis præsentis & futuræ beatitudinis diuina ostendit gratia,* construxit; statimque opidum vna surrexit quod ab eo *S. Albans* vocant. Ipseque Offa, & qui successerunt Angliæ reges possessiones amplissimas assignauerunt, & priuilegia a Pontificibus Romanis impetrauerunt amplissima, quæ è Florilego nostro attexam, vt profusam principum in ecclesiam liberalitatem intuearis. Sic igitur ille scribit. *Dedit Offa rex potentissimus Protomartyri Albano villam suam dominicam, quæ viginti fermè milliaria à Verolamio distat, &* * Vneslaw *nuncupatur, & tantundem per circuitum, sicut vsque hodie scripta regis testantur, quæ in præfata basilica continentur. Quæ videlicet basilica, tanta libertate priuilegiata refulget, vt ab Apostolica consuetudine, & reditu, qui* Romscot *dicitur, cùm neque Rex, neque Archiepiscopus, vel Episcopus, Abbas vel Prior, aut quilibet in regno ab illius solutione sit immunis, ipsa quidem sola quieta est. In presbyteros autem, & laicos totius possessionis suæ Abbas vel Archidiaconus monachus sub ipso constitutus, ius pontificale exercet: ita vt nulli Archiepiscopo, vel Episcopo, aut Legato, nisi summo Pontifici subiectionem impendat. Hoc quoque sciendum est, quòd Offa rex magnificus, tempore, quo beati Petri vicario Romanæ vrbis pontifici reditum statutum, id est,* * Rom-scot, *de regno suo concessit, ipse à pontifice Romano impetrauit, vt ecclesia Beati Albani Anglorum Protomartyris, eundem* Rom-scot *ab omni Hertfordensi prouincia, in qua sita est ecclesia sæpe dicta, fideliter colligeret, & collectum in vsus proprios retineret. Vnde vt ipsa ecclesia, sicut à rege omnia iura regalia, ita habet Abbas loci illius, qui pro tempore fuerit, pontificalia ornamenta.* Hadrianus etiam IIII. Pontifex Romanus in vicinia natus indulsit Abbatibus huius monasterij, vt (ex ipso Priuilegio loquor) *sicut Beatus Albanus Anglorum Protomartyr esse dignoscitur: ita Abbas monasterij ipsius inter Abbates Angliæ primus omni tempore dignitatis ordine habeatur.* Nec quicquam quod vsui vel ornamento esse poterat omiserunt Abbates, qui stagnum amplissimum sub Verulamio ingesta terrâ obstruxerunt. Loco tamen *Fishpole* nomen etiamnum hîc in platea quadam opidi remansit. Iuxta quam cùm nostrâ memoriâ anchoræ fuerint effossæ, crediderunt nonnulli, corrupto Gildæ loco inducti, Tamisim aliquando hàc alueum egisse. Sed de hoc stagno, siue piscina habe quæ vetus scripsit historicus; *Alfricus Abbas piscinam magnam & profundam Ecclesiæ S. Albani nimis nociuam ac vicinam, quæ Fish-pole dicebatur, magno pretio comparauit. Erat autem Regum piscaria fueruntque regij ministri & piscatores molesti cœnobio, & oneri cœnobitis. E qua ille aquam aliquando deriuauit, & in aridam redegit.*

* Wineslow fortè.

* id est, de singulis ædibus denarius.

Anchoræ effossæ.

Si quanta Romanorum numismatum copia, quot imagines ex auro & argento conflatæ, quot vasa, quot columnæ marmoreæ, quot epistylia, quótque antiqui operis miracula hic eruta fuerint, ex vulgi relatione percensere velim, omnem fidem superaret oratio. Ex antiqui tamen historici fide paucula accipe. *Ealredus Abbas, regnante Eadgaro, antiquas cryptas subterraneas Verolamij perscrutatus, euertit omnia, vias cum meatibus subterraneis solidè per artificium arcuatis, quorum quidam subtus aquam erant quæ quondam maxima ex parte ciuitati fuit circumflua, diruit, & obturauit. Erant enim latibula latronum & meretricum. Fossata ciuitatis, & quasdam speluncas, ad quas malefici tanquam ad perfugia fugerunt, explanauit. Tegulas verò integras, & lapides quos inuenit aptos ad ædificia seponens, iuxta ripam asseres quernos cum clauis infixis pice nauali delinitos inuenerunt, nec non naualia armamenta, vtpote anchoras rubigine semirosas & remos abiegnos.* Paulò pòst. *Eadmerus successor, operi quod Ealdredus incepit, institit, fossorésque eius in mediâ vrbe antiquâ palatij fundamenta diruerunt, & in muri concauo tanquam in armariolo, in libros inciderunt asseribus quernis & sericis ligaminibus, quorum alter vitam Albani linguâ Britannicâ descriptam habebat, reliqui Gentilium ritus. Cùm profundiora terræ aperuerint, antiquas tabulas lapideas, tegulas & columnas inuenerunt, vrceos item, amphoras fictili opere & tornatili compositas, vasa quoque vitrea mortuorum cinerem continentia &c. demum ex his Verolamij reliquijs nouum S. Albano monasterium extruxit Eadmerus.* Hæc ad antiquitatem & dignitatem, nunc etiam habe si placet, ad Verolamij laudem pro Corollario Alexandri Nechami inde ante annos CCCC. oriundi Hexastichon.

Circa annum Christi 960.

Vrbs

Vrbs insignis erat Verolamia, plus operosa
Arti, natura debuit illa minus.
Pendragon Arthuri patris hac obsessa laborem
Septennem sprevit cive superbo suo.
Hic est martyrij roseo decoratus honore
Albanus, civis, inclita Roma, tuus.

Et alibi,

Hic locus ætatis nostræ primordia novit
Annos fœlices, lætitiæque dies.
Hic locus ingenuis, pueriles imbuit annos
Artibus, & nostræ laudis origo fuit.
Hic locus insignis, magnósque creavit alumnos,
Fœlix eximio Martyre, gente, situ.
Militat hic Christo noctéq; diéq; labori
Invigilans sancto religiosa cohors.

Hodiè Verolamio in agros converso *Fanum S. Albani* ex eius ruinis eductum floret, opidum elegans & amplum, templumque Monasterij illius superest, magnitudine, elegantia, & vetustate suspiciendum, quod cùm monachi deturbarentur 400. libris monetæ nostræ ab opidanis redemptum ne solo æquaretur, in parochialem ædem fuit conversum: pulcherrimumque habet ex ære solido Baptisterium, in quo regum Scotorum liberi sacrà aquà ablui solebant. Quod è Scotici belli manubijs Richardus *Leus* Eques Cuniculariorum Præfectus cum hac superba inscriptione consecravit. S. Albans. Baptisterium è manubijs Scoticis.

CVM LÆTHIA OPIDVM APVD SCOTOS NON INCELEBRE, ET EDINBVRGVS PRIMARIA APVD EOS CIVITAS INCENDIO CONFLAGRARENT, RICHARDVS LEVS EQVES AVRATVS ME FLAMMIS EREPTVM AD ANGLOS PERDVXIT. HVIVS EGO TANTI BENEFICII MEMOR NON NISI REGVM LIBEROS LAVARE SOLITVS, NVNC MEAM OPERAM ETIAM INFIMIS ANGLORVM LIBENTER CONDIXI. LEVS VICTOR SIC VOLVIT. VALE, ANNO DOMINI. M. D. XLIII. ET ANNO REGNI HENRICI OCTAVI XXXVI.

Sed ad rem. Vt hunc locum in religionis aram consecravit vetustas, sic etiam Mars in belli aream statuisse videatur. Vt enim alia taceam, cùm Anglia sub familia Lancastrensi, & Eboracensi quasi exhausta vitalibus, bello domestico rueret, bis in ipso opido inter partium Duces reciproca fortunæ varietate dimicatum fuit. Primùm Richardus Dux Eboracensis gravi clade Lancastrenses hic affecit, capto Henrico Sexto Rege, & melioris notæ plurimis interfectis. Quarto pòst anno Lancastrenses, duce Margareta Regina, secundo prælio vsi, Eboracenses hìc profligârunt, regémque in libertatem vindicârunt. 1456.

Circa hoc opidum (vt vallum quod *Oister-hils* vulgus vocitat, ego Ostorij Propr. castra existimo omittam) erexerunt Abbates pio consilio virginibus sacris cœnobiolum ad *Sopwell*, leprosis *Hospitalis S. Iuliani*, infirmis mulieribus alterum dictum *S. Maria de*

Prè

Prex .i. *de Prato*, propè quod prædium habuerunt opimum *Gorambert* vbi Nicholaus Baconus Magni Sigilli Angliæ custos ædes posuit se dignas. Huic adiacet *Redborn* id est, si interpreteris *Aqua Rubra*, cùm tamen aqua præterfluens non magis rubeat quàm Mare Rubrum. Locus olim celebris reliquijs Amphibali Martyris qui S. Albanum Christiana fide imbuit, & Christi causâ mortem sub Dioclesiano subijt, hîc repertis. Hodie notus quòd ad viam publicam & militarem quam *Watlingstreat* dicimus, adsideat, & *Wenmer* riuulum in proximo habeat qui nunquam ebullit & insurgit sine præsagio difficultatis annonæ vel difficillimi temporis, vt vulgò creditur. Prope hanc non sine ratione opinemur fuisse DVRO-CO-BRIVAS stationem cuius meminit Antoninus, quamuis distantia reclamet. Etenim vti *Redborn* nostrâ linguâ, ita *Dur-coh* Britannicâ vnum idemque sonat, scilicet *Aquam Rubram*. Et loca sane antiqua ex inscriptionibus antiquis, itinerum ductu, nominum ratione, & similitudine, fluuijs, & lacubus adiectis rectissimè conijciantur, quamuis Itinerarij numeris non exactè respondeant, qui facillimè corrumpantur, & viarum compendia mutentur. Certè fieri non potest quin DVR-CO-BRIVAE fuerint, vbi via illa Romana hanc aquam transierit, sub *Flamsted* scilicet, ibi enim iuxta viam scaturigo est satis magna ad septimum à Verolamio milliare pro quo XII. librariorum incuria irrepsit, quæ statim adhuc tenuis viam intersecat & licèt hic sit sine nomine, infra S Albani opidum *Col* nominatur. BRIVA autem illud quod plurimis locorum nominibus adiunctum est, *pontem*, vel *traiectum* Britannis priscis & Gallis significâsse existimo, cùm ad flumina solummodò reperiatur. In hac insula vna & altera fuit *Durobriua*, id est, si me non fallo, *Aquæ traiectus*, in Gallia *Briua Isara*, nunc *Pontoise* vbi Isaram, *Briua-Odera*, vbi Oderam, *Samarobriua* (hoc enim verum est nomen) vbi Somam flu: olim traiecerunt.

Redborn.

Wenmer etiam dicitur.

Duro-Cobriua.

Briua quid.

Paulò suprà *Flamsted* in colle cernitur, quam tempore Edwardi Sancti Leofstanus Abbas S. Albani dedit tribus Militibus, Turnoto, Waldeso, & Turmano, vt regionem vicinam contra latrones defenderent. Sed Guilielmus Conquestor illis eripuit, deditq; Rogero de *Todeneio*, siue *Tony*, Normanno clarissimo, cuius fuit *Baronia*, sed per filiam ad *Beauchampos* Comites Warwicenses tandem translata fuit.

Flamsted.

Hinc descendi Austrum versus ad *Hemsted* Mercatorium opidulum *Hehanhamsted* dictum, (cùm Offa Rex Monasterio S. Albani donaret) inter colles ad fluuiolum positum, qui statim alteri confluit per *Berkhamsted* decurrenti. Vbi Angliæ proceres qui iam de nouo Normannorum iugo excutiendo, suasore Fretherico Abbate S. Albani cogitârunt, conuenerunt, & Guilielmus *Conquestor*, vt habetur in vita eiusdem Fretherici, eos accessit cùm sibi timeret, *ne regnum quod tanti sanguinis effusione adquisierat turpiter amitteret. Et post multas desceptationes præsente Archiepiscopo Lanfranco, Rex pro bono pacis iurauit super omnes reliquias Ecclesiæ S. Albani, tactisque sacrosanctis Euangelijs, ministrante iuramenta Abbate Fretherico, bonas & approbatas antiquas regni leges, quas sancti & pij Angliæ reges eius antecessores & maximè Rex Edwardus statuit, inuiolabiter obseruare.* Verùm plurimos eorum procerum ille possessionibus statim malè mulctauit, & hoc opidum Roberto Moritonij & Cornubiæ Comiti donauit, qui, vt ferunt, castellum hîc duplici fossa & vallo muniuit, in quo Richardus Rex Romanorum & Comes Cornubiæ honorum & annorum plenus ad potiorem vitam migrauit. Cuius prole deficiente, tandem Edwardus Tertius hoc castrum cum opido in Edwardum filium primogenitum bellicosissimum illum Principem, quem Cornubiæ Ducem creauit, transcripsit, vnde etiamnum est Ducum Cornubiæ hæredium. Castrum autem nunc nihil aliud est, quàm lacera mœnia, & strages lapidum informis, super quod in colle Edwardus *Cary* ordinis Equestris & Regi à pretiosis ex familia *Cariorum* in Comitatu Deuoniæ ædes splendidas, & longe amœnissimas nuper struxit. In ipso autem opido nihil visendum præter Scholam quam bonis literis *I. Incent* S. Pauli Londini Decanus hinc oriundus dicauit.

Hemsted.

Berkhamsted.

Magis ad Austrum *Kings Langley* sedet domus olim Regia, in qua natus & inde denominatus Edmundus de *Langley* filius Regis Edwardi Tertij & Dux Eboracensis, vbi cœnobiolum erat fratrum Prædicatorum, in quo misellus Rex Richardus Secundus qui sceleratè regno & vita spoliatus sepulturæ primùm datus, sed paulò post Westmonasterium translatus, pro regno æreo tumulo compensatus. E regione ferè huius alterum etiam est *Langley*, quod quia ad Abbates S. Albani spectauit *Abbots Langley* dictum. In quo natus

Kings Langley.

Abbotts Langley.

tus est Nicholaus cognomine *Breakspere*, posteà Pontifex Romanus Hadrianus IIII. dictus, qui Norwegos Christianam fidem primus docuit, ciues Romanos ad priscam libertatem anhelantes repressit; cui etiam Fredericus Primus Imperator Romanorum stapiam de equo descendenti tenuit, & demùm musca in os inuolans spiritum præclusit. *Watford* & *Rickemanesworth* inferiùs vidi opida mercatoria, de quibus nihil antiquius legi, quàm quòd Offa Rex S. Albano elargitus erat, vti etiam *Caishobery* Wattfordiæ proximum. Quo in loco Richardus Morisonus Equestris ordinis vir apprimè doctus, & legationibus sub Henrico Octauo & Edwardo Sexto apud maximos principes functus ædes inchoauit, quas Carolus filius eleganter ad fastigium perduxit.

Hadrianus IIII. P.P.

Wattford.

Caishobery.

Magis ad Ortum rectà duxit via militaris Romanorum á Londino Verolamium per *Hamsted-heath*, *Edgeworth*, & *Ellestre*, iuxta quam, eâdem distantiâ, qua Antoninus in suo Itinerario collocat SVLLONIACAS, scilicet mille passus, à Londino XII. à Verolamio IX. antiquæ stationis supersunt vestigia, & plurima rudera effodiuntur in colle quem *Brockley-hill* hodiè vocant. Cùm autem Romani hic imperare desierint, barbarie paulatim irrepente dum omnia Saxonico bello fumarent, hæc via, vt reliqua omnia, diu neglecta fuit, donec paulò ante Normannorum aduentum Leofstanus Abbas S. Albani restituerit. Ille enim, vt in eius vita scribitur, *opaca nemora quæ à limbo* * *Ciltriæ vsque Londoniam, præcipuè vbi strata regia quæ Watlingstrata dicitur, fecit resecari, salebras explanari, pontes fabricari, abrupta viarum in planitiem redigi tutiorem.* Sed ante annos trecentos hæc via quodamodo relicta fuit, aliâ Episcoporum Londinensium licentiâ per *High-Gate* & *Bernet* apertâ. Hoc foro pecuario nunc celebre esse incipit, sed celebrius prælio cùm bello inter Lancastrenses & Eboracenses Anglia in sua viscera auderet quicquid ambitiosa perfidia iuberet. Signis enim infestis ad *Gledesmore* iuxtà ipso Paschatis die acerrimè pugnatum est, & vario diu Marte quòd spississima nebula terris incubuit. Tandem verò, fœliciter victoria Regi Edwardo Quarto cessit: occiso Richardo *Neuill* Comite Warwicensi, quem vt fortunæ indulgentia praeferocem & regibus infestum fecit, ita mors Angliam longa bellorum ciuilium formidine liberauit.

Sulloniacæ.

*Chiltern.

Bernet.

Comites habuit hic Hertfordensis ager ex familia de *Clara*, qui sæpiùs tamen à *Clara* in Suffolcia præcipua eorum sede Comites de *Clara* fuerunt nuncupati. Primus, quòd scio, fuit Gilbertus qui titulo Comitis Hertfordiæ in Charta Regis Stephani testis adhibetur. Rogerus item de *Clara* tempore Henrici Secundi Comes Hertfordiæ in *Libro rubro Scaccarij* nominatur, similiter eius successores quos suo loco videas. Verùm cùm iure hæreditario, & Principis gratiâ Comitatum Glocestriæ consequuti fuerint vtroque titulo coniunctim vsi sunt & ad Parlamenta nomine Comitum Glocestriæ & Hertfordiæ euocati. Richardusque de *Clara* qui anno MCCLXII. obijt, disertè a Florilego Westmonasteriensi Glocestriæ & Hertfordiæ Comes appellatur, vbi hoc eius Epitaphium memorat.

Comites Hertfordiæ.

Vide Comites Glocestriæ & in Suffolcia.

Hic pudor Hippolyti, Paridis gena, sensus Vlyssis,
AEneæ pietas, Hectoris ira iacet.

Patrum verò memoriâ Henricus VIII. Edwardum de *Sancto Mauro* siue *Seymor* Comitis Hertfordiæ titulo exornauit, qui etiam posteà Dux Somersetti. Illique successit in hoc Comitatu eius eodem nomine filius, vir longè honoratissimus, & bonarum literarum amator singularis.

Parochias habet hic Comitatus 120.

TRINOBANTES.



Cattieuchlanis adiuncti erant, qui Cæsari TRINOBANTES, Ptolemæo & Tacito TRINOANTES, in illis regionibus, quæ nunc mutato nomine Midlesex, & Essex vulgò appellantur. Vnde vetustum illud nomen, ne ariolari quidem ausim, nisi sit è Britannica Tre-nant, quæ opida in valle sonat. In vallem enim ad Tamisim hæc regio quasi tota subsidet. Veriùm huic coniecturæ meæ non adblandior. Qui tamen Gallouidiam Scotiæ totam vallibus depressam insederunt, Britannicè olim Noantes & Nouantes dicti fuerunt, & ad Rhem vallem Gallicè Le Vault, populus olim Nantuates appellati, & sedem & nomen habuerunt: vt hæc coniectura æquè probabilis videatur, ac illa aliorum; qui Trinobantes, à Troia, quasi Troiam Nouam ambitiosè deduxerunt. Sed valeant illi, & sibi placeant. Hi Cæsaris ætate propè firmissima harum regionum ciuitas erat (Ciuitatem enim semper vocat ille populum eodem iure vtentem) regnumque in ea tunc obtinuit Imanuentius, qui cum à Cassibelino interficeretur, Mandubratius eius filius fugâ mortem vitans, ad Cæsarem in Galliam profectus, eiusque fidem sequutus, cum illo in Britanniam rediit. Quo tempore Trinobantes nostri per legatos Cæsarem petierunt, vt Mandubratium ab iniuria Cassibelini defenderet, atque illum in ciuitatem mitteret, qui præesset, imperiúmque obtineret: quod cùm factum, obsidibus XL. datis, se in eius fidem primi Britannorum permiserunt. Mandubratius iste, vt hoc obiter notem, Eutropio, Bedæ & recentioribus semper Androgeus dicitur. Vnde verò nata hæc nominis diuersitas me planè latet, nisi verum sit, quod à viro Britannicæ historiæ & linguæ benè perito accepi, scilicet hoc nomen Androgeus illi ob scelera, & proditionem impositum fuisse: sceleris enim significatio in eo se planissimè exhibet, & inter tres Britanniæ proditores in Triadum libro sceleratissimus habetur, quòd Romanos in Britanniam primus vocârit, patriamque prodiderit. Post Mandubratium cùm iam ardenti ciuili bello, Britannia Romanis neglecta esset, & suis Regibus, & legibus relicta, Cunobilinum hac in parte regnum administrâsse certum est, cuius vnum & alterum nummum hîc tibi exhibemus, etsi ipsos & alios iam antea exhibuimus.

Vide pag. 70. de nummo signato TASC NOVANEI.

Ciuitas quid apud Cæsarem.

Androgeus.

Vide pag. 70.



Admimus

Adminius huius filius à patre pulsus cum exigua manu ad C. Caligulam transfugit, seque dedidit: quod iuuenis imperatoris animum ita inflauit, vt quasi vniuersâ traditâ insulâ, magnificas Romam literas miserit: monitis sæpe latoribus vt non nisi in æde Martis, & frequente Senatu Consulibus traderent. Cunobilino defuncto, Aulus Plautius Claudij Imperatoris auspicijs hanc regionem adortus est. Togodumnum alterum Cunobilini filium interfecit, alterum nomine Catacratum deuicit, de quo etiam, vt est in Fastis Capitolinis, ouans triumphauit, tanto honore (authore Suetonio) vt Claudius illi in Capitolium eunti, & redeunti latus texerit: statimque ipse legionibus huc transuectis, in prouinciam paucis mensibus redegit. Iam inde a bellis conquieuerunt Trinobantes, nisi quod imperante Nerone occultis coniurationibus cum Icenis ad Romanorum iugum excutiendum conspirârint: verùm hanc seditionem multo cum Britannorum sanguine (vt habet Tacitus) citò restrinxit Suetonius Paulinus. Romano imperio tandem in Britannia confecto, Vortigernus Britannus Saxonibus in redemptionis pretium, cùm illum captiuum detinerent, hanc regionem cum alijs tradidit, vt author est Ninnius, diuque suos Reges habuit, sed Cantiorum, vel Merciorum beneficiarios, è quibus Sebertus anno DCIII. Christo primus nomen dedit, & Suthredus vltimus ab Egberto deuictus an. DCCCIIII. regnum Occiduis Saxonibus reliquit. Sed hæc alibi fusiùs: iam ipsas regiones videamus. Suetonius.


MIDDLESEX
OLIM A TRINOBANTIBVS habitata
PARTE
HARTFOR
SHIRE
Heath
Hye
PARTE
OF
BVCKING
HAM
SHIRE
Burnham
Breakspeares
Harfelde
Denham
Vxbridge
Cowley
Colnbroke
PONTES
Colham
Draton
Harlington
Stanwell
Bedfont
Feltham
Hanworth
Littleton
Stanes
Eton
Dachet
Wraysbury
Windsore
PARTE
OF BERKE SHYRE
Egham
PARTE
Thorpe
Chertsey
Windsore
Shepperton
Otlandes
Walton
Sunbury
Kenton
New howse
Toddington
Norcote
Dormans well
Nortwoode
Osterley
Heston
Cranfordbridge
Cranforde
Hanwell
Northolt
Harrow
Kenton
Wembly hill
Woodhall
Pinner
Rislip
Icke nham
Swakleys
Northolt lodge
Hillingdon
Twyknam
Gr. Bre



Waltham
Enfeylde Chase
Enfylde
FORREST OF WALTHAM
1590
PARTE OF ESSEX
Chigwell
Chingford
Woodford
Walthamstow
Wanfted
Leyton
Theobald
Whitweb
Enfyldhouse
Ponders ende
Edmondton
Tottenham
Newington
Hackney
Stratford
Stepney
Blackwall
Lymehouse
Isle of doges
Charleton
PARTE OF KENT
Grenewich
Detforde
Newington
Southwarke
Lambeth
Battersey
Clapham
Wansworth
Putney
Mortlake
Barnes
Shene
Richmond
Petersham
SURREY
Kingston
Hampton
Kingstonwyke
Hampton Court
AUGUSTA LONDINUM
LONDON
Islington
Hogsden
Shoreditch
Clerkenwell
St Gyles
Kensington
Knightsbridge
Chelsey
Brempton
Hamersmith
Fulham
Pancrace
Kentishtowne
Hamsted
Highgate
Halloway
Hornsey
Crouch ende
Muswell hill
Frearnbarnet
Whetstone
E Barnet
Hadley
H: Bernet
Totteridge
Finchley
Hendon
Hendonhouse
Willesdon
Paddington
Marebone
Tyborne
Hyde parke
W Acton
E Acton
Elinge
Gr: Brentford
Li: Brentford
Syon
Chiswyke
Turnham greene
Hammersmith
RTFORD
RE
SVRREY
Caracters distinguishinge the difference of places
Market townes
Parrishes
Hamlets or Villages
Howses and palaces of king I
Howses of Nobilitye
Gentlemens howses
Castles and fortes
Monestaries or Religious howses
Bushops Seas
Hospitalls
Places where battles have bene
Decayde places
Lodges in forrests chases &c
Mills
Scala Miliarum
Johannes Norden descripsit

MIDLE-SEX.



Idlesex à medijs Saxonibus nomen habet, quòd eius incolæ inter Saxones Orientales, Occidentales, Australes, & quos illa ætas Mercios dixit, intermedij fuerint. A Buchinghamiensibus *Colo* fluuiolo ad Occasum, ab Hertfordensibus ad Septentrionem noto limite, ab Essexia ad Ortum *Lea* flumine, à Surreia & Cantio ad Austrum Tamisi disterminatur. Angustioribus spatijs circumscripta, quà longissima, xx. mill. quà arctissima x i i. mill. patet. Summa cœli temperie & soli indulgentia, ædibus & vicis magnificis vndique nitida, plurimaque sunt vbique memoranda. Ad *Colum* flu: vbi primùm hunc agrum influit, vidimus *Breakespear* vetustas ædes familiæ eodem cognomine, è qua Hadrianus IIII. Pontifex Romanus fuit, de quo modò diximus, inde *Haresfeld*, olim *Herefelle* Richardi filij Gisleberti tempore Gulielmi *Conquestoris* possessio. Magis ad Austrum *Vxbridge* recentius opidum, diuersorijs frequens in longum protenditur. Inferiùs est *Draiton* à Baronibus *Pagett* instauratum, *Colham* quæ à Baronibus *Le-Strange* ad Derbiæ Comites deuenit, & *Stanwell* familiæ de *Windesore* ab ipso Normannorum ingressu ad patrum vsque memoriam habitatio. Nec magno hinc interuallo Tamisim duplici ostiolo *Colus* postquam insulas sparserit, illabitur. Ad quem, vt nostræ ætatis Poeta Germanus lusit,

Breakspeare. Hadrianus 4 Papa. Haresfeld. Vxbridge.

Tot campos, syluas, tot regia tecta, tot hortos
Artifici dextrâ excultos, tot vidimus arces,
Vt nunc Ausonio Tamisis cum Tybride certet.

Stanes. *Stanes*, Saxonicè Stana, in primo statim ad Occasum limine se offert, vbi ponte sublicio Tamisis coniungitur. Nomen verò accepit à saxo terminali quod olim hic erectum erat ad designandam iurisdictionem quam Ciuitas Londinum in flumine habet. Iuxta hoc saxum, pratum est celeberrimum *Runingmead*, vulgò *Renimed* in quo proceres Angliæ conuenerunt frequentes anno MCCXV. ad exigendas libertates à Rege Ioanne, De quo in Connubio Tamæ & Isis, de Tamisi præterfluente :

Runingmead.

Subluit hic pratum quod dixit Renimed *Anglus,*
Quo sedêre duces armis, annisque verendi,
Regis Ioannis cuperent qui vertere sceptrum,
Edwardi sancti dum leges iuraque vellent
Principe contempto tenebroso è carcere duci:
Hinc sonuere tubæ plusquam ciuilia bella,
Venit & hinc refugus nostras Lodouicus in oras.

Pag. 113. Inde *Coway stakes* ad *Lalam* præterit, vbi Cæsarem Tamisim transmisisse diximus, Britanniq; ripam, & vadum sudibus, vnde nomen, præstruxerunt. Hinc prolapsus *Harrow* monticulum huius agri editissimum suspicit, cui ad austrum eximia fœcunditate agri longo tractu subiacent, præsertim circa *Heston* viculum, è cuius purissimo polline panes Regibus Angliæ in delicijs iam diu fuerunt. Vnde parùm abest *Hanworth* vbi regiæ ædiculæ quas Henricus Octauus impensè coluit, vtique suis voluptatibus dedicatas. Posteà *Hampton Court* allabitur Regiam, in veræ magnificentiæ admirationem à Thoma Wolsæo Cardinale ad opes ostentandas, cùm alioqui prudentissimus præ insolentia sui impotens esset, extructam, & ab Henrico Octauo auctam & perfectam, quæ quinque peramplas areas cultissimis cinctas ædificijs opere admodum specioso includit. De qua Lelandus.

Harrow hill. Hanworth. Hampton Court.

Est locus insolito rerum splendore superbus,
Alluiturque vaga Tamisini fluminis vnda,
Nomine ab antiquo iam tempore dictus Auona.
Hic Rex Henricus taleis Octauius ædes

Erexit,

Erexit, qualeis toto Sol aureus orbe
Non vidit.

Et in Tamæ Isisque Connubio.

Alluit Hamptonam celebrem qua laxior vrbis
Mentitur formam spacijs; hanc condidit aulam
Purpureus pater ille grauis, grauis ille sacerdos
Wolsæus, fortuna sanos cui felle repletos.
Obtulit, heu tandem fortunæ dona dolores.

Magno iam flexu in Septentrionem cursum intendit fluuius per *Gistlewoorth*, sic enim olim vocabatur, quæ nunc *Thistlewoorth*, Vbi olim Richardi Regis Romanorum & Comitis Cornubiæ fuit palatium, quod seditiosi ciues Londinenses incenderunt. *Thistlewoorth.*

Sion inde cœnobiolum cernitur à sanctissimo illo monte denominatum, quod Henricus Quintus cùm monachos alienigenas expulisset, Brigidianis virginibus construxit, vti alterum in opposita fluminis ripa *Bethelem* dictum Carthusianis eodem tempore posuit. In hoc *Sione* ad gloriam Dei tot virgines, sacerdotes, & laicos fratres parietibus discretos constituit, quot Apostolorum, & discipulorum Christi numerum æquarent, quibus cùm satis superq; redituum contulisset, lege cauit, vt illis contenti nihil amplius à quoquam acciperent: quicquid autem ex annuo prouentu superesset, pauperibus erogarent. Sed patrum memoria religiosis exturbatis in secessum Ducis Somersetti fuit conuersum, qui dirutâ ecclesiâ nouas ibi ædes inchoauit. *Brentford* huic contiguum est, cui *Brent* amniculus nomen fecit, ad quem MCXVI. Edmundus cognomento *Ferreum latus* Danos, quos à Londini obsidione gradum referre coegerat, ita adortus est, vt effusis habenis fugam non sine magna clade capesserent. Huc vsque à *Stanes* quicquid viam publicam, quę per *Hounslow* ducit, & Tamisim interiacet *Forresta, siue Warrena de Stanes* dicta fuit, donec Henricus Tertius vt in eius Charta legitur, *deforestauit & de-warrenauit*. *Fulham* Anglo-Saxonicè Fullonham, id est, *Volucrum domus*, inde cernitur, cui maximo honori sunt Londinensis Episcopi ædes suburbanæ. Et *Chelsey* à puluino arenario in Tamisi fluuio dictum, magnificis ædificijs ab Henrico Octauo, Gulielmo *Powlett* primo Marchione Wintoniæ & alijs exornatum. *Sion. Shene.* *Brentford.* *Fulham.* *Chelsey quasi Shelsey.*

Verùm inter hæc omnia LONDINVM totius Britanniæ Epitome, Britannicique imperij sedes, *Regumque Angliæ Camera* tantùm eminet, quantùm, vt ait ille, inter viburna cupressus. Tacito, Ptolemæo, & Antonino LONDINIVM, & LONGIDINIVM dicitur, Ammiano LVNDINVM, & AVGVSTA: Stephano in vrbibus ΛΙΝΔΟΝΙΟΝ, Cambrobritannis nostris *Lundayn*, Saxonibus priscis Londen-ceaster, Londen-byrig, Londen pic; exteris *Londra*, & *Londres*, incolis *London*, fabulosis scriptoribus *Troia Noua*, *Dinas Belin*, id est, *Vrbs Belini*, & *Caer Lud*, à Luddo Rege, quem & instaurâsse, & denominâsse volunt. Sed hæc recentia nomina & origines, vnà cum Erasmi coniectura, qui à Lindo Rhodiorum deduxit, eorum admiratoribus libenter relinquimus. Ego verò, cùm Cæsar & Strabo authores sint, Britannos antiquos syluas, & nemora, quę deiectis arboribus obstruxerant, vrbes, siue opida vocauisse, eosque eiusmodi nemora, Britannica lingua *LLhwn* appellari audiuerim: in eam penè concessi opinionem, vt Londinum inde dictum existimauerim, quasi *Vrbs* per excellentiam, vel *Vrbs nemorosa*. Sin veritas in hoc me fugit, liceat mihi bona cum venia conijcere (nec quis me inconstantię hic insimulet) quòd vnde celebritatem, inde & appellationem sit consequuta, à nauibus scilicet, quas Britanni sua lingua *Lhong* vocant, ita vt Londinium sonet *Nauale*, vel *Vrbs Nauium*. Vrbem enim *Dinas*, vnde Latini *Dinum* deflexerunt, nuncupant Britanni. Hinc est quod alicubi LONGIDINIVM dicitur, & in Nænia antiquissimi Bardi Britannici *Lhongporth*, .i. *Nauium portus*, & hoc ipso vocabulo, Bononia Galliæ, quæ Ptolemæo *Gessoriacum Nauale*, in Britannico Glossario *Bolung Long* vocatur. Vrbes enim plurimæ à nauibus nomina tulerunt, vti *Naupactus*, *Naustathmos*, *Nauplia*, *Naualia Augusti*, &c. Sed ex his nulla meliori iure Naualis nomen sibi assumere possit, quàm Londinum nostrum. Ab vtroque enim elemento vrbs est fœlicissima, solo læto, & affluenti omnium rerum copiâ, cliuo molliter surgenti, Tamisi adposita, qui placidissimus rerum in orbe nascentium mercator, statis horis Oceani æstibus superbus, alueo tuto, *Londinum.* *Britannorum opida.* *Dinas.*

præalto,

præalto, & nauium quamlibèt magnarum capacissimo, tantas Orientis & Occidentis opes quotidiè inuehit, vt cum orbis Christiani Emporijs de secunda palma hodie contendat, stationemque præbeat nauibus cùm fidissimam, tùm pulcherrimam, syluam interlucat am dicas, tot nauium malis, velisque vndique obumbratur.

Quis primus fuerit conditor obduxit vetustas, & perpaucæ sanè sunt vrbes, quæ suos authores nôrunt, cùm è paruo sensim excreuerint. Verùm vti aliæ, ita hæc nostra, fabulosa origine Troianis se imputauit, Brutum illum Æneæ magni abnepotem conditorem credit. Quicunque autem condiderit, vitali genio constructam fuisse ipsius fortuna docuit, & antiquitate suspiciendam esse innuit Ammianus Marcellinus, qui suo tempore, ante annos nimirum mille & ducentos, vetustum opidum appellarit: & cum eo Cornelius Tacitus, qui Neronis tempore *copia negotiatorum, & commeatu maximè celebre* fuisse prodidit. Hoc solùm, illo tempore eius gloriæ defuit, quòd nec Municipij, nec Colonię
Præfecturæ. nomine insigniretur. Nec certè in rem Romanorum fuisset, si vrbs mercimonijs florens Coloniæ, vel municipij iure frueretur: Præfecturam itaque, vt opinor, constituerunt. Sic enim vocabant opida in quibus nundinæ agebantur, & ius dicebatur, ita tamen vt Magistratus suos non haberent, sed præfecti quotannis in ea mitterentur, qui ius dicerent, quod in publicis negotijs, nempe census, tributorum, vectigalium, militiæ &c. à Rom. Senatu peterent. Hinc est quòd Londinum Tacito, Panegyristæ, & Marcellino opidum solummodò uocetur. Quamuis autem non meliori fuerit conditione, fortunâ tamen (si qua alia) ampla, opulenta, & secunda, perpetuo ferè tenore sub Romano, Saxonico, & Normannico imperio vsa est, vix vnquam magnis calamitatibus conflictata. Nerone imperante, cùm Britanni libertatem resumere, duce Boodicia, conspirassent, Londinenses neque fletu, neq lachrymis Suetonium Paulinum retinere potuerunt, quin adscitis in auxilium ciuibus, inde moueret, & vrbem nudam hosti relinqueret, qui statim paucos oppressit, quos vel imbellis sexus, vel fessa ætas, vel loci dulcedo detinuerat. Nec minorem a Francis cladem pertulisset, si non præstò fuisset diuinum ex improuiso auxili-
C.Carausius. um. Cùm enim C. Alectus, C. Carausium Menapiæ ciuem dolo sustulisset, qui maris
Panegyricus Constantio Cæs. dictus, & falsò Maximiano inscriptus. nostri inclementiâ, difficillimis Dioclesiani in Oriente bellis, & Francis, socijsque naualibus audacissimis fretus, Britanniæ, Batauiæque reditus interuerterat, Augustique titulum (vt nummi eius hîc sæpissimè eruti demonstrant) sex annos gessisset: Alectum itidem iam tertio anno purpuram in Britannia vsurpantem M. Aurelius Asclepiodatus prę-
Franci cæsi. lio delesset, Franci illi qui pugnæ superfuerunt, Londinum conuolantes, iamiam vrbem prædaturi erant: nisi Tamisis, qui nunquam Londinensibus defuit, Romanos milites per errorem nebulosi maris à classe abiunctos peropportunè intulisset. Illi enim barbaros tota vrbe confecerunt, & non solùm ciuibus in cæde hostium dederunt salutem, sed etiam in spectaculo voluptatem. Tunc concidisse produnt Annales nostri L. Gallum ad amniculum, qui vrbem ferè mediam interluebat, & ab eo *Nantgall* Britannicè, *Walbroke* anglicè dictum, quod nomen manet in platea, sub qua cloacam esse subterraneam ad expur-
Londonstone. Miliarium. gandam sordium colluuiem accepimus, haud procul à saxo illo *London stone*, quod *Miliarium* fuisse, cuiusmodi Romæ in foro erat, à quo omnium itinerum sumebatur dimensio, existimamus, cùm in media vrbe sit, quà in longum procurrit. Nec dum Londinum communitum fuisse credimus. Paulò pòst tamen Historiæ nostræ Constantinum Maxi-
Helenæ nummi sub mœnibus sæpe reperti. mum rogatu Helenæ matris primùm mœnibus e lapide structili, & latere Britannico obsepsisse tradunt, quæ suo ambitu tria plùs minùs milliaria colligunt: ita vt vrbem formâ fere quadratâ, sed non æquilaterâ includerent, cùm ab Occasu in Ortum longior sit, ab
Mœnia. Austro ad Septentriones contractior. Horum mœnium pars quæ Tamisi prætendebatur perpetua fluminis alluuione penitus concidit, eius reliquias Henrici Secundi tempore apparuisse scripsit, qui tunc vixit, *Fitz-Stephanus*. Reliqua pars superest, ad Septentriones firmior, quæ non multos ante annos operâ Iotcelini *Maioris* instaurata repentinam
1474. quasi induit iuuentutem. Ad Occasum verò & Ortum, licèt olim ex Iudæorum demolitis ędibus renouârint in suis bellis Barones, tota tamen sunt lacera, & fatiscentia. Londinenses enim, vti veteres illi Lacedæmonij, præmunitas vrbes, quasi mulierculas rum habitacula rident, vrbémque suam satis munitam credunt, quæ viris non saxis præcingitur.
Portæ. Patent hæc mœnia septem portis, præcipuis (minores verò sciens omitto) quæ nouatæ, noua etiam assumpserunt nomina. Ad Occasum duæ sunt, *Ludgate*, à Luddo Rege, siue *Fludgate*,

Fludgate, Lelandi opinione, à fluuiolo subiecto, (vt porta Fluentana Romæ) quæ nuper à fundamentis denuò extructa, & *Newgate* omnium pulcherrima à nouitate, priùs *Chamberlangate*, quæ publicus est carcer. Ad Septentriones quatuor, *Aldersgate* ab antiquitate, vel ab Aldricio Saxone, vt alijs placet, *Creplegate* à claudorum hospitio quondam adiuncto, *Moregate*, à palude vicina nunc in agrum & ambulacrum amœnum conuersa, primùm à Francerio Prætore anno MCCCCXIIII. patefacta, *Bishopsgate* ab Episcopo, quam Germani Hanseaticæ societatis mercatores & instaurare, & difficilioribus temporibus propugnare ex pacto, vt accepimus, tenebantur. Ad Ortum vna sola est *Aldgate* à vetustate dicta, vel *Elbegate*, vt alij volunt. Ad Tamisim duas etiam portas præter illam ad pontem extitisse credunt, *Belings-gate*, nunc Cothon recipiendis nauibus, & *Dourgate*, id est, *Aquaria porta*, vulgò *Dowgate*. 1586. Easterlings.

Quà murus etiam ad flumen desinit, munimenta fuerunt firmissima, quorum alterum ad Ortum superest, vulgò *Turris Londinensis*, Britannicè ab albedine *Brin-gwin*, & *Tourgwin*. Arx sanè nobilissima, mœnibus lætè incincta, turribus excelsa, vallo latisque munita fossis, nobili etiam armamentario, & domibus aliquot ita instructa, vt opidum æmuletur: meritóque putes duo illa castella, quæ ad hanc Orientalem vrbis partem fuisse prodidit *Fitz-Stephanus*, in hanc vnam coaluisse. Ad Occidentalem vrbis partem alterum extitit munimentum, quà *Fleete* amniculus (vnde *Fleetestreete*) nunc despectus, olim nauiger (vt in *Chartis Parlamentarijs* legi) Tamisi confluit. Hanc arcem Palatinam *Fitz-Stephanus* dixit, incendioque haustam Guilielmo Primo regnante produnt. E cuius ruinis tùm magna pars templi Paulini extructa, tùm in ipsius areâ cœnobium Fratribus Dominicanis (vnde *Blackfriers* locum nominamus) fundauit Robertus *Kilwarby* Archiepiscopus Cantuariensis, vnde magnitudinem facilè coniectes. Extiterunt eo tamen loco, sub Rege Henrico Secundo, *duo* (vt author est in Otijs Imperialibus Geruasius Tilburiensis) *Pergama, muris & aggeribus constructa castra, quorum alterum Bainardi, alterum Baronum de* Montfitchett *ex iure erat successionis*. Verùm nihil hodiè ex ijs reliquum est, suspicantur tamen nonnulli ædes Penbrochianas horum fuisse particulam, quas *Bainards Castell*, à nobili viro Guil. *Bainard* Domino de *Dunmow* olim possessore appellamus, cuius successores *Fitz-Walteri* hæreditario iure erant ciuitatis Londini Antesignani. Turris.

Nec munita solùm illo tempore fuit, sed etiam Flamine sublato, & Christiana religione sub optimo Imperatore confirmata, Episcopus in eius locum substitutus. Concilio enim Arelatensi, quod Anno Salutis CCCXIIII. sub Constantino M. celebratum erat, Londinensem Episcopum interfuisse constat, Subscripsit enim, vt videre est in Tomo primo Conciliorum, *Ex prouincia Britannia, ciuitate Londinensi* RESTITVS *Episcopus*, quem cum successoribus ad S. Petri in *Cornehill* sedisse affirmant nonnulli. Inde verò ea dignitate floruit Londinum, vt AVGVSTA dici cœperit, eoque nomine sub Valentiniano Imp. inclaruit. Ammianus enim Marcellinus libro XXVII. *Tendensque ad Londinium vetus opidum, quod Augustam posteritas appellauit*. Et libro XXVIII. *Ab Augusta profectus quam veteres appellauere Londinum*. Vnde cùm à Constantini Maximi tempore officina monetaria in hac fuerit instituta, (legimus enim in eius nummis, quos in honorem Constantij patris signauit, & alijs, P. LON. S. id est, *Pecunia Londini (signata)* qui huic præfuit sub Comite sacrarum largitionum, in Notitiarum libro, *Præpositus Thesaurorum Augustensium in Britannia* vocatur. Hoc nomen AVGVSTA, plenum erat summa dignitate, plenum maiestate nomen; Conditores enim & restauratores vrbium cùm vrbes potentes, florentes & pollentes futuras aut sperarent, aut optarent, auspicata nomina indiderunt. Sed inter auspicatissima nullum magnificentius, nullum auspicatius quàm AVGVSTA. Augusti enim nomen optimus ille & maximus Imperator Octauianus sibi non sine iudicio doctissimorum asciuit. *Augustus*, inquit Dio, *quasi hominis natura amplior cognominatus est. Quæ enim honore dignissima ac sanctissima* AVGVSTA *dicuntur*. Nec sine Romanorum Augustorum licentia summi honoris ergó hoc nomen habuit Londinum. Quam imponendi nominis licentiam concedendam annotat in illo versu Virgilius: Episcopatus. Vide Baronium de hoc Concilio. Londinum Augusta dicta. Officina Monetaria. Augusta nomen honoratissimum. Lib. 54.

Vrbem appellabant, permisso nomine, Acestam.

Sed vt hoc honorarissimum nomen deleuit dies, ita vetustius illud *Londinum* confirmauit.

mauit. Dum hoc gauderet nomine parùm abfuit, quin à prædonibus feditiofis vaftaretur, fed Theodofius Theodofij Aug. pater, illos fpolijs implicatos trucidauit, *merfamque*, vt ait Marcellinus, *anteà difficultatibus ciuitatem in ouantis fpeciem lætiſsimus introijt.* Indeque mouens Britanniam grauiffimis malis obfitam fua virtute ita euoluit, vt illum *Britannicum Ducem*, (tefte Symmacho) *ftatua equeftri, inter prifca nomina confecrarint Romani.* Non longo pòft tempore confecto Romanorum in Britannia imperio, publico infulæ fato in Saxonum poteftatem deuenit; quomodo verò è fcriptoribus non conftat. Vortigernum captum, vt fe redimeret, Hengifti Saxoni tradidiffe opinor, cùm ad Orientales Saxones fpectaret, quorum regionem Hengifto ea lege Vortigernum addixiffe meminerunt fcriptores. Quo tempore Ecclefia etiam grauiffima quæque pertulit, paftores aut necati, aut fugati, greges abacti, opibufque omnibus facris & profanis direptis, Theonus vltimus è Britannis Londinenfis Epifcopus *Sanctorum reliquias*, vt inquit author meus, *ad memoriam, non ad fuperftitionem occultabat.* Quamuis autem eiufmodi fuerit ea Saxonum ætas, qua veriffimè Martem fua arma concuffiffe dicas, emporium nihilominus fuit Londinum tefte Beda, *multorum populorum terra marique venientium.* Pofteà autem cùm pacis benignior aura huic defatigatæ infulæ afpiraffet, Saxonefque Chriftianæ religioni inferuire cœpiffent, rediuiuo fplendore reflorefcere incœpit. Æthelbertus enim Rex Cantij (fub quo Sebertus quafi beneficiarius hoc tractu regnauit) templum hic Diuo Paulo pofuit, quod fubinde reftauratum in maximum & magnificentiffimum excreuit, reditibufque opulentum, vnde præter Epifcopum, Decanus, Præcentor, Cancellarius, Thefaurarius, Archidiaconi quinque, Præbendarij XXX. & alij aluntur. Orientalem huius templi partem, quæ recentior videtur, & operofa eft, cryptoporticumque habet pulcherrimam, (quæ & ipfa eft S. Fidei ædes facra) ex ruinis arcis illius palatinæ quam dixi, circa annum MLXXXVI. fubftruxit Mauritius Epifcopus, cum anteà miferabili incendio abfumpta fuiffet. De qua Malmesburienfis. *Tanta eft decoris magnificentia, vt meritò inter præclara numeretur ædificia: Tanta Cryptæ laxitas, tanta fuperioris ædis capacitas, vt cuilibet populi multitudini videatur poffe fufficere. Quia igitur Mauritius erat mentis immodicus, laboriofi operis impenfam tranfmifit ad pofteros. Deniq; cùm Richardus fucceffor eius omnes reditus ad Epifcopatum pertinentes ædificationi Bafilicæ tranfcripfiffet, aliunde fe fuofque fuftentans, propemodum nihil efficere vifus eft, totumque cenfum ad hoc bene prodigus exhauriebat, & parùm in effectum prodibat.* Occidentalis pars, vti tranfeptum, fpatiofa eft, fublimis columnis ingentibus, & concameratione è faxo pulcherrima confpicua. Quà verò hæ quatuor partes fe decuffant, ampla & excelfa furgit turris, cui impofita fuit pyramis plumbo obtecta, in immanem altitudinem ædita (à terra enim pedes DXXXIIII. in altitudinem afcendit) quæ anno MLXXXVII. ignem cœleftem prouocauit, arfitque non fine magno totius vrbis damno, fed reftaurata nuperrimè nobis pueris de cœlo iterum tacta deflagrauit, nec hactenus reædificata. Dimenfionem etiam huius tam magnificæ ftructuræ ex antiquo fatis fcriptore fubiungam, vt legas fi placeat. *Longitudo Ecclefiæ B. Pauli continet 690. pedes, latitudo eiufdem 130. pedes, altitudo occidentalis teftudinis ab area 102. pedes, altitudo teftudinis nouæ fabricæ ab area. 88. pedes, Altitudo fabricæ lapideæ Campanilis à plana terra 260. pedes. Altitudo fabricæ ligneæ eiufdem Campanilis 274. pedes, &c.*

Londinum in Saxonum poteftate.

Reliquiæ ad memoriam occultatæ.

610.
D. Pauli templum.

1561.

Templum Dianæ.

Dianæ templum olim hoc loco extitiffe coniectârunt aliqui, & funt quæ fidem eorum coniecturæ adiungunt: Antiquæ ædes adiacentes in ecclefiæ Archiuis, *Dianæ Camera* vocantur, & in cœmiterio, regnante Edwardo Primo, incredibilis vis bubalinorum capitum effoffa fuit, vt eft in noftris Annalibus, quæ tunc cum admiratione tanquam Gentilium facrificia fufpexit multitudo, & Tauropolia in Dianę honorē fuiffe celebrata nôrunt eruditi. Nos etiam ipfi pueri cerui caput pilo præfixum, quod Dianæ facrificijs conuenire videbatur, magna cum pompa, & Cornicinium boatu in ipfo templo circumgeftatum vidimus. Ceruumque illum quem illi de *Baude* in Effexia pro terris quibufdam præftabant, vt accepimus, huius ecclefiæ facerdotes facris veftibus induti, & capita corollis è floribus redimiti ad gradus Chori recipere foliti. An hoc in vfu fuerit antequam *Baudi* ceruum præftare tenerentur, nefcio, certè Dianæ cultum, & gentilium errorem magis quam Chriftiam religionem hic ritus redolere videatur. Et ab illis fane nonnullos ritus peregrinos in Chriftianam religionem promanâffe non eft cur quis ambigat. Quos primi

mi Christiani vel sequax superstitionis sit genus humanum admiserunt, vel vt Gentiles ad verbum Dei cultum paulatim allectarent, in principio tolerârunt.

Cæterùm ab hoc templo condito, sedes fuit Episcoporum Londinensium, primumque habuit Episcopum sub Saxonibus, (quinquagesimo anno post Theonum Britannici generis exturbatum) Melitum Romanum ab Augustino Cantuariensi illo consecratum, in cuius Augustini honorem, contrà quàm Gregorius Papa iusserat, Archiepiscopatus insignia, & Metropolitana sedes Londino Cantuariam translata fuerunt. Conduntur in hoc templo, (vt S. Erkenwaldum, & Episcopos taceam) Sebba Rex Orientalium Saxonum qui regno se abdicauit, vt Christo vacaret, Ethelredus siue *Egelredus*, qui hoc regnum *potiùs oppreßit, quàm rexit, Janus in principio, miser in medio, turpis in exitu: ita parricidio cui conniuentiam adhibuit immanis, fuga & mollitie infamis, & morte miserabilis.*

Sepulti in templo Paulino.
Circiter 680.
1016.
Guil. Malmesb.

Henricus *Lacy* Comes Lincolniæ, Ioannes Gandauensis Dux Lancastriæ, Simon de *Burly* Eques clarissimus, I. de *Bellocampo Custos quinque Portuum*, I. Dominus *Latimer*, Ioannes *Mason* Eques, Guil. *Herbert* Comes Penbrochiæ, Nicholaus *Bacon* magni Angliæ sigilli custos vir alto consilio, limatoque iudicio, Philippus *Sidney*, Fr. *Walsingham* Equites clarissimi, &c. Et Christoph. *Hatton* magnus Angliæ Cancellarius, cuius sacræ perpetuæque memoriæ magnificum, & tanti viri amplitudine dignissimum monumentum Guil. *Hatton* nepos ex antiqua *Newportorum* familia, (quem in nomen & stirpem Hattonorum inseruit) officiosè posuit.

Præter hoc non aliud, quod sciam, Saxonum opus Londini extat, nec enim altam pacem diu agitârunt, cùm breui Orientalium Saxonum opes frangerent Saxones Occidentales, Londinumque in Merciorum potestatem cederet. Vix sopitis intestinis bellis, noua ex Aquilone prorupit tempestas, Danica scilicet, quæ miserè hanc regionem lacerauit, vrbemque conquassauit. In suam enim potestatem redegerunt Dani, sed recepit Ælfredus, instauratamque Æthelredo genero Merciorum Comiti tradidit. Vastatores tamen illi posteà obsidione capere sæpius conati sunt, præcipuè verò Canutus, qui effosso canali Tamisim auertere molitus: sed semper operam luserunt, ciuibus fortissimè hostilem impetum propulsantibus. Terror nihilominus ab illis non paruus impendit, donec Guilielmum Normannorum, quem Deus ad Angliæ imperium natum voluit, gratanter acceperint, & Regem salutârint. Iam inde posuere venti, fugere nubes, & verè aurea sæcula illuxerunt; insignem nullam calamitatem subiuit, Principum indulgentia immunitates consequuta est maximas, *Regum Camera* dici cœpit, mercimonijsque ita refloruit, vt Guilielmus Malmesburiensis, qui eo ferè tempore vixit, *Vrbem nobilem, opimam, ciuium diuitijs constipatam, negotiatorum ex omni terra venientium commercijs frequentatam* dixerit; & *Fitz-Stephanus* qui eo seculo vixit, eo tempore Londinum CXXII. Ecclesias Parochiales, & XIII. Conuentuales numerasse, & facta hominum armigerorum ostensione, quadraginta millia peditum, equitum viginti millia sub signis eduxisse prodiderit. Tunc surgentibus tectis vndique accreuit, & exspatiantia ad portas longè se protulerunt suburbia, præcipuè verò ad Occasum, qua frequentissima sunt, in quibus XII. sunt ædificia, *Hospitia* vocant, iuri nostro municipali consecrata: è quibus quatuor splendida admodum & ampla, ad forum siue *Curiam*, vt vocant, spectant: reliqua ad *Cancellariam*. In his nobiles adolescentes tanto numero iuris studio sedulò vacant, vt nec Andegauis, nec Cadamo, nec ipsis Aurelijs studiosorum frequentiâ concedat, vt I. *Fortescu* in suo de Angliæ legibus libello testatur. Quatuor illa primaria sunt Templum interius, Templum medium, *Graies Inne*, & *Lincolnes Inne*.

Municipalis Iuris Collegia.
Innes of the Courts.
Templum nouum olim dictum.

Duo illa priora sita sunt eo loci vbi olim regnante Henrico Secundo, Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus ecclesiam *Militibus Templarijs* consecrauit, quam ad formam Templi iuxta sepulchrum Domini Hierosolymis extruxerant. Habitârunt enim in parte Templi iuxta sepulchrum, vnde appellatio facta, voueruntq; Christianam religionem, & peregrinos sepulchrum Domini inuisentes contra Mahometanos tutari: Vnde illos gratissimis animis prosecuti sunt omnes, munificentiâ principum possessiones & facultates vbique longè maximas acquisiuerunt, magna pietatis opinione floruerunt. Plurimique nobiles apud eos tumulati fuerunt, quorum imagines visuntur in hoc Templo tibijs in crucem transuersis (sic enim sepulti fuerunt, quotquot illo sæculo, nomina bello sacro dedissent, vel qui vt tunc temporis sunt locuti, *Crucem suscepissent.*) E quibus fuerunt * Guilielmus pater, Guilielmus, & Gilbertus eius

Templum vetus vbi nunc *Southampton house* in Holborne.
Templarij.
In altero horum tumulo literis fugientibus legi, Comes Penbrochiæ, & in latere, Miles eram Martis, Mars multos vicerat armis.

eius filij, omnes Marescalli Angliæ, Comitesque Penbrochiæ. Verùm anno Salutis MCCCXII. hic ordo impietatis damnatus, & Pontificia authoritate omninò sublatus erat, possessiones verò *Hospitalarijs Militibus S. Ioannis* Parlamentaria authoritate sunt assignatæ, ne in pios vsus erogata contra donatorum voluntatem in alios vsus distraherentur. Certum tamen est ex scriptis antiquis hunc locum post exactos Templarios fuisse sedem Thomæ Comitis Lancastriæ, & *Spensery* qui Regi Edwardo Secundo fuit in delicijs, posteà Audomari de *Valentia* Comitis Penbrochiæ, demumque in duo Iurisconsultorum collegia conuersum fuisse. De cæteris nihil mihi legenti occurrit: fama obtinet alterum Dominorum *Greiorum*, alterum Comitum Lincolniæ fuisse habitationem.

Statutum de terris Templariorum 17. Edward 1.

Iuxta hæc *Domum Conuersorum* Rex Henricus Tertius ad eos alendos qui à Iudaismo ad Christianam veritatem conuersi fuerunt, inter nouum & vetus Templum instituit, quam posteà ad scrinia & archiua reponenda destinauit Rex Edwardus Tertius, vnde *The Rowles* hodie dicitur.

The Rowles.

Hæc suburbia continuatis ædibus, & superbis secundum Tamisim procerum habitationibus ad Westmonasterium procurrunt. Ædificia verò celeberrima sunt *Fons Brigidæ*, vbi regiam ad Carolum Quintum Imperatorem excipiendum posuit Henricus Octauus, nunc ergastulum. Ædes *Buckhurstia* quondam Episcoporum Sarisburiæ, Carmelitarum, *Templa* quæ dixi, AEdes *Essexiana* à Domino *Paget*, *Arondellia*, *Somersettenses* à *Seimero* Duce Somersettensi extructæ. Deinde vt alias omittam, *Sabaudia* à Petro Sabaudiæ Comite, qui incoluit denominata, quam à fratribus *Montis-Iouis* AEleonora vxor Henrici Tertij emit, & filio Edmundo Lancastriæ donauit, cuius posteris diu fuit sedes, donec Henricus Septimus pauperibns sacrauerit. *Dunelmenses* ab Anthonio *Bek* Episcopo Dunelmensi, & Patriarcha Hierosolymitano conditæ, & Eboracenses ita nuper appellatæ, olim Bathonienses. Sed quid hæc nomino? εἰμὶ ὅλως οὐδενός, ἀλλὰ τύχης.

Nulli certa possessio, sed omnia fortunæ.

Westminster.

His suburbijs *Westmonasterium*, quondam plus mill. pass. abiunctum, Vrbi Londino ita adiungitur vt eius pars videatur, cùm tamen ipsa per se ciuitas sit, & suis seorsim gaudeat magistratibus, & priuilegijs. *Thorney* hæc olim à spinis, nunc *Westminster* ab occiduo situ, & monasterio dicitur. Templo enim, foro iudiciario, & Regià longè est celeberrima. Templum regum Angliæ inauguratione, & sepultura inprimis est insigne, Apollinis delubrum eò loci olim extitisse author est Sulcardus, & Antonio Pio imperante, terræ motu corruisse, ex cuius reliquijs Sebertus Rex Orientalium Saxonum alterum D. Petro erexit, quod à Danis deiectum renouauit, & pauculis monachis Dunstanus Episcopus concessit. Sed posteà Edwardus Rex cognomento *Confessor* sibi in sepulturam, & Benedictinis monachis in monasterium ex decimis omnium suorum redituum de integro construxit, & patrimonijs tota Anglia dispersis ditauit. Sed audi qui tunc vixit historicum. *Intendit Deo deuotus Rex locum illum cùm vicinum famosæ & opulentæ vrbi, tum satis apricum ex circumiacentibus fœcundis terris & viridantibus prædijs atque proximo decursu principalis fluuij ac toto orbe ferentis vniuersarum venalium rerum copiosas merces subiectæ ciuitati. Potissimùm autem ob amorem principalis Apostoli quem affectu colebat vnico & speciali, elegit ibi habere sibi locum sepulchri, præcepit deinde ex decimis omnium redituum suorum initiari opus nobilis ædificij, quod deceret Apostolorum principem, quatenùs propitium sibi pararet dominum post huis vitæ cursum labilem, & pro gratia pietatis suæ, & pro oblatione prædiorum & ornamentorum quibus eundem locum disponit nobilitare. Ad Regis itaq; præceptum opus nobiliter cœptum fœliciter apparatur, nec impensa siue impendenda pensantur: dummodo Deo & Beato Petro dignum & acceptum præbeatur.* Formam antiquę illius structurę, si placeat, ex antiquo manuscripto habe. *Principalis area domus altissimis erecta fornicibus quadrato opere, parique commissura circumuoluitur, ambitus autem ipsius ædis duplici lapidum arcu ex vtroque latere hinc inde fortiter solidata operis compage clauditur. Porrò crux templi quæ medium canentium Domino chorum ambiret, & sui geminâ hinc inde sustentatione media turris celsum apicem fulciret, humili primùm & robusto fornice simpliciter surgit, deinde cochlais multipliciter ex arte ascendentibus plurimis intumescit, deinceps verò simplici muro vsque ad tectum ligneum plumbo diligenter tectum peruenit.* Verùm post annum CLX. hanc Edwardi fabricam subuertit Henricus Tertius, nouamque Ecclesiam speciosâ structurâ, multiplici marmorearum columnarum ordine, tecto laminis plumbeis conuestito, quinquaginta annorum ope-

re exædificauit, quam Abbates ad Occasum plurimùm auxêrunt, Henricúsque Septimus in suam & suorum sepulturam, ad Ortum, sacrarium admirandæ elegantiæ, (*Orbis miraculum* vocat Lelandus, omnem enim elegantiam in illo aceruatam dicas) adiecit, in quo sepulchrum eius splendidissimum & maximum ex ære solido cernitur. Expulsis posteà monachis, ad varias subinde vices reuoluta fuit primùm Decanum habuit & Præbendarios, mox Episcopum vnicum Thomam *Thurlbey*, qui ecclesiæ patrimonio dilapidato cessit, & Decano reliquit. Statim monachi cum suo Abbate à Maria Regina reducti, quibus paulò pòst authoritate Parlamentaria eiectis, in Collegiatam Ecclesiam, imò Ecclesiæ plantarium conuertit Serenissima Elizabetha, Præbendarios instituit duodecim, tot emeritos milites, scholasticos quadraginta (alumni Regij dicuntur) qui suo tempore ad Academias promouentur, & inde in Ecclesiam, & Rempublicam transferuntur, &c. Quibus omnibus Decanum præfecit, quam dignitatem nuper summa cum laude gessit D. G. *Goodman* vir optimus, & integerrimus, de me, & meis studijs optimè meritus.

Contumulantur in hoc templo (vt illos etiam pro dignitatis & temporis quo obierunt ratione adnotem) Sebertus Primus Rex Orientalium Saxonum, Haroldus Nothus filius Canuti Dani, Rex Angliæ, S. Edwardus Rex & *Confessor*, eiusque vxor Editha, Matildis vxor Henrici Primi, filia Malcolmi Regis Scotorum, Henricus Tertius, Edwardus Primus eius filius. Æleonora filia Ferdinandi Tertij Regis Castellæ & Legionis illius vxor. Rex Edwardus Tertius, & Philippa Hannonia eius coniux, Richardus Secundus & Anna consors soror Wenzelai Imperatoris, Henricus Quintus cum coniuge Catharina filia Caroli Sexti Regis Galliæ, Anna vxor Regis Richardi Tertij filia Richardi *Neuill* Comitis Warwici. Henricus Septimus cum vxore Elizabetha, & matre Margareta Richmondiæ Comitissa, Rex Edwardus Sextus, Anna Cliuensis vxor quarta Henrici Octaui, Maria Regina: Et quæ non sine laude & lachrimis loquenda, Angliæ Amor, Diuæ memoriæ Serenissima nuper Domina nostra ELIZABETHA, heroicis virtutibus, prudentia & animi magnitudine supra sexum, rerumque & linguarum scientiâ Princeps incomparabilis magnifico monumento, quod Rex Iacobus piè posuit, deposita. Sed Heroinę tantę quantulum illud est monumentum? quę ipsa sibi monumentum quàm magnificentissimum, & amplissimum. Quanta enim illa, RELIGIO REFORMATA, PAX FVNDATA, MONETA AD SVVM VALOREM REDVCTA, CLASSIS INSTRVCTISSIMA APPARATA, GLORIA NAVALIS RESTITVTA, REBELLIO EXTINCTA, ANGLIA TOTOS XLIIII. ANNOS PRVDENTISSIME ADMINISTRATA, DITATA, ET MVNITA, SCOTIA A GALLIS LIBERATA, GALLIA SVBLEVATA, BELGICA SVSTENTATA, HISPANIA COERCITA, HIBERNIA PACATA, ORBISQVE TERRARVM SEMEL, ATQVE ITERVM CIRCVMNAVIGATVS seræ posteritati cum laude & admiratione contestentur.

Principes sepulti in ecclesia Westmonasteriensi.

Elizabetha Regina.

Ex Ducibus & Comitibus Edmundus Comes Lancastriæ filius minor Regis Henrici III. Auelina de *Fortibus* Comitissa *Albemarliæ* eius coniux, Guilielmus & Audomarus de *Valentia* è familia *Lusigniana* Comites Penbrochiæ, Alphonsus, Ioannes, & alij Edwardi Primi liberi, Ioannes de *Eltham* Comes Cornubiæ filius Edwardi Secundi, Thomas de *Woodstock* Dux Glocestriæ filius natu minimus Edwardi Tertij cum alijs eius liberis, Æleonora filia & hæres Humfredi *Bohun* Comitis Herefordiæ & Essexiæ, vxor Th. de *Woodstocke*, Filiolę Edwardi Quarti, & Henrici Septimi, Henricus filiolus bimestris Henrici Octaui, Sophia Regis Iacobi filiola primo ætatis diluculo extincta, Philippa Ducissa Eboracensis, Lodouicus Vicecomes *Robsert* Hannonius, iure vxorio Dominus *Bourchier*, Anna filiola & hæres Ioannis *Moubray* Ducis Norfolciæ desponsata Richardo Duci Eboracensi filio minori Regis Edwardi Quarti, Ægidius *Daubeney* Camerarius Henrici Septimi, & consors ex familia *Arundellorum* in Cornubia, Vicecomes Wellensis, Francisca *Brandon* Ducissa Suffolciæ, Maria eius filia, Margareta *Douglas* Comitissa Lennoxiæ auia Iacobi Regis Britanniæ, cum Carolo filio, Winefrida *Bruges* Marchionissa Wintoniæ, Anna *Stanhop* Ducissa Somersetrensis & Iana filia, Anna Cecilia Comitissa Oxonię filia Baronis *Burghley* Summi Anglię Thesaurarij cum matre Mildreda *Burghley*, Elizabetha *Berkley* Comitissa Ormondię, Francisca *Sidneia* Comitissa Sussexiæ, Tho. *Butler* Vicecomes *Thurles* filius & hæres Comitis Ormondię.

Prætereà Humfredus *Bourchier* Dominus *Cromwell*, Humfredus *Bourchier* alter, filius & hæres Domini *Berners* qui ambo in prælio ad *Bernet* ceciderunt, Nicholaus Baro *Carew*, Baronissa Powisiæ, Thomas Baro *Wentworth*, Thomas Baro *Wharton*, Iohannes Dominus *Russell*, Thomas *Bromley* Cancellarius Angliæ, Douglasia *Howard* filia & hęres Vicecomitis *Bindon* vxor Arthuri *Gorge*, Elizabetha filia & hæres Edwardi Comitis Rutlandiæ vxor Guilielmi Cecilij, Ioannes *Puckering* custos magni sigilli Anglię, Francisca *Howard* Comitissa Hertfordiæ, Henricus & Georgius *Cary* pater & filius, Barones de *Hunsdon* Reginæ Elizabethę Camerarij. Corculum Annę Sophię filiolæ Christopheri Harlæi, Comitis Bellomonti Galliarum Regis in Anglia Legati, vrnula aurea supra pyramidem reconditum, Carolus Comes Deuonię Brorex Hiberniæ. Quiq; minimè tacendus Poetarum Anglorum princeps Galfredus *Chaucer*; & qui ad illum ingenij fœlicitate, & diuite Poesos vena proximè inter Anglicos Poetas accessit Edm. *Spenser*. Alijque Ecclesiastici ordinis & melioris notæ quamplurimi.

In proximo alterum etiam duodecim Canonicorum Collegium erat S. Stephano sacrum, quod regia sanè magnificentia, & amplissimis possessionibus ita restaurauit, vt construxisse videatur Edwardus Tertius, cùm Galliam suis victorijs permensus esset, *reducens*, vt in fundationis Charta legitur, *in deuotæ considerationis examine profusa Christi beneficia, quibus ex sola miserationis suæ dulcedine in opportunitatibus nos præuenit, à varijs nos licèt immeritos liberando periculis & dextra suæ potentiæ contra nobis aduersantium impetus, cum victoriosis successibus magnificè defendendo, ac alijs in tribulationibus & perplexitatibus quibus plurimùm inuoluti fuimus, cum insperati superinfusione remedij consolando.* Huic adiunctum erat Palatium antiqua Regum Angliæ habitatio à tempore S. Edwardi Confessoris, quod regnante Henrico Octauo igni fortuito deflagrauit. Amplum sanè & magnificum fuit hoc Palatium, *ædificium eo æuo incomparabile cum antemurali & propugnaculis*. Eius enim reliquiæ sunt Camera illa in qua Rex, proceres, & magnates cùm Comitia Parlamentaria habeantur, conueniunt, & proxima in qua Comitia inchoare soliti sunt maiores, dicta *Camera depicta S. Edwardi*.

Fitz-Stephens.

Quod, & quàm cruentum, tetrum, atrox, pernitiosum, dijs hominibusque inuisum flagitium feræ quædam hominum formâ indutę, architecto Francisco *Catesby* suffossione, & subiecta his ædificijs pyrij pulueris vi magna, in Principem, patriam, & omnes regni ordines nefando religionis obtentu nuper molirentur, animus meminisse horret, attonitusque stupet vel cogitare, in quàm ineluctabiles tenebras, & luctificas clades florentissimum regnum ex improuiso coniecissent. Sed quod in re leuiori antiquus Poeta, nos in hac dolenter efferamus.

Proditio Fr. *Catesby*.

Excidat illa dies æuo, ne postera credant
Secula, nos certè taceamus, & obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

His contigua est *Aula Alba* in qua hodie *Requestarum Curia*. Cui subiuncta est Aula omnium maxima, quod totius Angliæ Prætorium. In hoc fora iudiciaria constituuntur, scilicet *Bancus Regius*, *Communia placita*, *Cancellaria*; atque in locis circumuicinis *Camera Stellata*, *Fiscus Regius*, *Curia pupillorum*, *Curia Ducatus Lancastriæ &c.* In quibus statis temporibus (*Termes* vocamus) quotannis caussæ cognoscuntur. Cùm ante Henrici Tertij tempora primæ iustitiæ forum vagum esset, aulamq; Regiam comitaretur. Verùm ille in *Charta Magna* legem tulit. *Communia Placita non sequantur Curiam nostram, sed teneantur in aliquo certo loco.* Quod tamen sunt qui intelligunt, vt *Communia Placita* in suo seorsim foro iam inde & non in *Banco Regio*, vt priùs, tractarentur. Hoc quod nunc habeamus Prætorium Richardus Secundus extruxit, vt videre est ex eius insignibus in saxo, & lacunaribus (cùm Aulam vetustiorem quam Guilielmus *Rufus* eò loci construxerat, diruisset) suæque habitationi dicauit, tunc enim Reges ipsi caussas audire soliti. Sunt enim illi ΔΙΚΑΣΠΟΛΟΙ, *quorum os*, vt habet Regius Scriptor, *in iudicio non errabit*. Verùm hoc Palatium pòstquam deflagrauit anno MDXII. desertum iacuit, & Henricus Octauus paulò pòst sedem Regiam ad ædes vicinas non ita pridem Cardinalis Wolsæi transtulit, quas *White Hall* vocant, id est, *Aula alba*. Domus hæc est verè

Westminster hall.

Guil Lambertus.

prouerb. c. 16.

Regia,

Regia, hinc viuario, quod & alteram Regiam coniungit, *S. Iames* dictam ab Henrico VIII. positam, illinc Tamisi conclusa. Hanc Poeta quidam *Leucaum* ab albedine dixit:

> *Regale subintrant*
> *Leucæum reges (dederant memorabile quondam*
> *Atria, quæ niueo candebant marmore, nomen)*
> *Quod Tamisis prima est cui gloria pascere cygnos*
> *Ladeos, rauco prenus subterluit æstu.*

In proximo prope *The Mues*, ita dictum quòd rei accipitrariæ olim dicatum, nunc Equile Regium est pulcherrimum, stat monumentum in memoriam pientissimæ Principis Æleonoræ ab Edwardo primo charissimo marito positum, stabitque eius pietas sempiternis seculis consecranda. Illa enim filia Ferdinandi III. Regis Castiliæ, Edw. I. Angliæ Regi in vxorem data, cum illo in terram sanctam profecta vbi cum ex insidijs, *a Mauro quodã gladio venenato ille percussus esset, & medicorum remedijs non tam alleuaretur, quàm alligaretur, nouam atque inauditam, sed amore & pietate plenam illa adhibuit medelam: plagas enim mariti toxico infectas, quæ ipsius veneni vi claudi non poterant, lingua dietim lingebat, sugebatque humorem venenosum, sibique liquorem dulcissimum. Cuius vigore, dicam veriùs fidei vxoriæ virtute, sic omnem materiam veneni attraxit, vt integratis vulnerum cicatricibus ille plenè curatus, illa incolumis euaserit. Quid igitur huius mulieris fide rarius audiri? quid mirabilius esse potest? vt vxoris lingua fide & dilectione maritali peruncta, venena à dilecto marito expulerit, quæ ab electo medico trahi non valuerunt: & quod plurima exquisitaque non effecerunt medicamenta, vna vxoris pietas expleuit.* Hæc de Westmonasterio coniunctim cum Londino, (etsi vt dixi per se sit Ciuitas & iurisdictione seiuncta) quòd perpetuis ædificijs ita sit coniuncta, vt vna eademque ciuitas videatur. The Mues. Charing Crosse. Pietas coniugalis. Rodericus Toletanus libro primo.

Ad Occiduam etiam vrbis partem alia pulchra ædificiorum serie procurrunt suburbia *Holburn*, siue potius *Oldborn*, in quibus sunt Iuris Municipalis studio collegia nonnulla dicata, & Episcoporum Eliensium habitatio Episcopis digna quam Ioanni de *Hotham* Eliensi Episcopo sub Edwardo Tertio debent. Ad Septentriones item accreuerunt suburbia in quibus Iordanus *Briset* vir pius & bene nummatus Domum *Militibus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymis* construxit, quæ in magnam amplitudinem instar Palatij excreuit, Ecclesiamque habuit perpulchram, turrimq; sacram tanta elegantia in altum extructam, vt vrbi fuerit, dum stetit, ornamento singulari. Hi prima institutione tam fuerunt demissi, dum pauperes, vt eorum Præfectus diceretur, *Seruus Seruorum pauperum Hospitalis Hierosolymis*, vti *Templariorum*, qui paulò post exorti. *Humilis minister Pauperum Militum Templi.* Adeò tamen pietate & virtute militari res eorum per pios Principes & priuatos ex hoc humili gradu surrexit, vt copijs circumfluxerint longè maximis. Habuerunt enim hij circa annum MCCXL. in Orbe Christiano nouemdecim millia prædiorum siue Maneriorum, vt Templarij nonem millia (quorum reditus in Anglia cesserunt postea etiam Hospitalarijs) Amplissimæque hæ fortunæ viam ad magnos honores ita muniuerunt, vt eorum *Prior* in Anglia Primus Baro censeretur, & omnium rerum abundantià honorificè circumflueret, donec Henricus VIII. prauis vsus consilijs horum latifundia sibi arripuerit, vt etiam monasteriorum, quæ pijssimo instituto ad Dei gloriam consecrata, & in sacerdotum eleemosynis, pauperum refectione, captiuorum redemptione, & Ecclesiarum reparationibus per Ecclesiæ scita fuerunt expendenda. Iuxtà vbi nunc splendida visitur ædificiorum corona, floruit opulenta Carthusianorum ædes a Gualtero *Many* Hannonio qui summa cum laude sub Edwardo III. bello Gallico meruit, posita, celeberrimumque fuit eo loco anteà cœmiterium, in quo grassante peste anno MCCCXLIX. Londino sepulta fuerunt plusquam quinquaginta hominum millia, quod inscriptione ibi in ære posteris fuit testatum. Holborne. S. Iohns Hospitalarij. Templarij. Matthæus Paris. Charterhouse

Ad Circium magna itidem subsunt Londino suburbia, speculaque fuit olim, siue militaris prætentura, vnde loco nomen ex Arabico vocabulo *Barbacan*, cessitque dono Edwardi III. in sedem *Vffordorum*, à quibus per *Willoughbeios* ad Peregrinum *Bertey*, Dominum *Willoughby* de *Eresby*, virum omnibus modis generosissimum & verum Martis alumnum deuenit. Nec minora ad Aquilonem, & Subsolanum procurrunt suburbia, in quorum Barbacan. Galeottus Martius.

quorum campis dum hæc ſcriberemus, eruta ſunt multa vaſa ſepulchralia, ſigilla, & vrnæ, in quibus Claudij, Neronis, Veſpaſiani, &c. nummuli. Vialæ etiam vitreæ, vaſcula fictilia, in quibus liquidum ſupererat, quod vel libamentum ex vino & lacte exiſtimarem, quo in cremandis corporibus vſi ſunt priſci Romani, vel odoriferos illos liquores, quorum Statius meminit:

Vidaque liquores
Arſuram lauere comam.

Hunc locum cremandis, condendiſque corporibus deſtinârunt Romani, qui ex lege XII. Tabularum cadauera ex vrbibus efferebant, & iuxta vias publicas, & militares ſepeliebant. Hæc quà vrbs terram ſpectat.

Pons. Quà verò flumen labitur, ad ripam eius auſtralem amplum illum *Burgum de Southworke*, cuius meminimus, ponte etiam coniunxerunt ciues, primum ſublicio eo loco quo anteà in traijciendo, pontone, pro ponte vtebantur. Poſteà, regnante Ioanne, è viuo ſaxo opere admirando nouum pontem XIX. fornicibus præter verſatilem illum ſuſpenderunt, elegantiſſimiſque ædificijs ad inſtar plateæ ita continuàrunt, vt inter Europæ pontes facilè primas & magnitudine, & elegantiâ ferat.

Vide de *Southwork* pag 217. in *Sudrey*.

In hoc *Burgo de Southwerke*, quæ memoria digna, extiterunt nobile cœnobium monachorum inſtituti Benedictinorum *Bermondſey* dictum Saluatori noſtro ab Aldwino *Child*, ciue Londinenſi olim ſacratum, & ædes magnificæ à Carolo Brandono Suffolciæ Duce, ædificatę, quę breues Domino delicię, paulò pòſt dirutę. Extant adhuc Hoſpitale S. Thomę ad infirmos alendos a ciuitate Londini reſtauratum, imò fundatum, Eccleſia Prioratus Beatę Marię quia trans Tamiſim fl. ratione vrbis Londini *S. Marie Ouer-Rhe* appellata, a Guilielmo *Ponte del Arche* Normanno Canonicis poſita, ędes Epiſcoporum Wintonienſium a Guilielmo *Giffard* Epiſcopo circa annum CIↃCVII. ſucceſſoribus extructæ. A qua ſecundum Tamiſis ripam continua in Occaſum domorum ſeries procurrit, vbi patrum memoriâ fuerunt Lupanaria, ſic enim Latini meretricum cellulas, in quibus earum turpitudo venalis proſtituta fuit, appellant: quia illa vt lupæ ſua rapacitate, ad ſe miſeros raperent. Verùm hæc interdicta fuerunt ab Henrico Octauo, quo tempore libidine & luxuria Anglia maximè laborauit, quæ apud alias gentes quæſtus gratiâ ſub ſpecioſo prætextu vt humanæ infirmitati conſuleretur, paſſim exercentur. Nec ab his proſtibulis locum hunc *The Stewes* noſtra lingua vocatum opinor, ſed a viuarijs quæ hic ſunt ad ſaginandos Lucios & Tincas, & ab olido & paluſtrique nidore purgandos inſtituta. Luciorum ventres hic cultro apertos vidimus ad pinguedinem oſtentandam, coeuntque protinùs patentia vulnera tincarum contactu, & earum glutinoſa illuuie ſolidantur. Inter hæc locus eſt inſtar theatri ad vrſos & tauros a canibus agitandos, & canum cathenariorum diſpoſitæ caueæ, quibus tanta vis & pertinax mordacitas, vt tres vrſum, quatuor leonem comprehendant, & verè ille olim cecinerit de noſtris canibus. *Taurorum fracturi colla Britanni.* Vt ille, qui dixerit Arcadicis (qui ex leonibus procreati creduntur) eſſe acriores.

S. Sauiour. Suffolk-houſe. S. Thomas Hoſpitall.

Stewes.

Band-dogs or Maſtiues.

Quo tempore Burgus hic Londino ponte ita coniunctus, non ſolùm amplificata vrbs erat, ſed etiam optima Reipub. forma deſcripta, ciues in corpora, ſiue Collegia diſtributi. Vrbs ipſa in XXVI. regiones, diuiſa, conciliumque Reipub. penes totidem ſenes conſtitutum, qui ex ętate, noſtra lingua *Aldermen*, id eſt, *Senatores* dicuntur, quorum ſinguli ſingulis regionibus præeſſent, & cùm antiquitùs pro ſummo magiſtratu *Portreue*, .i. *Vrbis Præfectum* habuiſſent, duos *Balliuos* inſtituit Richardus Primus, pro quibus ſtatim Ioannes Rex conceſſit, vt *Maiorem* ſiue Prætorem annuum magiſtratum ſuis ſuffragijs è XII. primarijs corporibus eligerent, duoſque Vicecomites, *Shirifs* vocant, quorum alter Regius, Vrbanus alter dicitur, nominarent.

Ciuium Collegia. Tribus. Wardes.

Maior, ſiue Prætor.

1411. 1445. Burſa. 1567. *Royall Exchange.*

Hâc reipub. formâ conſtituta, incredibile eſt quantum publicis, priuatiſque operibus creuit, creſcitque (reliquis Angliæ vrbibus decreſcentibus.) Nam, vt taceam domum Senatoriam *Guildhall* a Tho. *Knowles* Prætore pulcherrimè conſtructam, *Leadenhall* amplum & nitidum opus à Simone *Eire* excitatum, vt publicum eſſet horreum ad annonam laxandam. Periſtillium ſiue Ianum medium, *Burſam* vulgus, Regina Elizabetha *Excambium Regium* dixit, ad negotiatorum vſum, & vrbis ornamentum à Thoma *Greſham*

bam ciue equestris ordinis positum. Magnificum illud quidem, siue ædificij structuram, siue gentium frequentiam, siue mercium copiam spectes. Qui etiam summus doctrinæ admirator ædes quas habuit in vrbe spatiosissimas bonis studijs consecrauit, institutis ibidem bonarum literarum sex professoribus, vz. Theologię, Iurisprudentię, Medicinę, Astronomię, Geometriæ, & Musicæ cum liberalibus salarijs, vt Londinum esset non tam mercium omnigenúm, quàm artium optimarum instructissima officina. Vt Hanseaticæ societatis domum omittam, & aquas subterraneis cuniculis, & syphonibus in omnes vrbis regiones corriuatas, illisque recipiendis elegantissima castella, nouum etiam aquæductum, quo Petri Mauritij Hydragogi Germani solers industria rota è Tamisi aquas in magnam vrbis partem tubulis certo libramine dispositis nuper deduxit: Templis vndique & ędibus sacris ita fulget, vt RELIGIO, & PIETAS sibi delubrum hîc colocâsse videantur. Ecclesias enim CXXI. numerat, quot nec ipsa Roma ostendit, prȩter Nosocomia, & Xenodochia, alitque orphanos plus minus 600. in Paidotrophio, quod Christi Ædes dicitur, & pauperculos collata stipe circa MCCXL. &c. Longum esset si sigillatim persequerer optimas leges, & instituta quibus temperatur, Senatorij ordinis dignitatem, in Principem obsequium & fidem, ciuium humanitatem, ædium nitorem, fœlicissimorum ingeniorum prouentum, suburbanos hortos delicijs, & herbis exoticis refertissimos, classem numerosam, & instructissimam, mercium omnigenarum vim incredibilem (ducenta millia pannorum laneorum prȩter alia vna Antwerpia quotannis hinc accepit) & omnium quę ad humanę vitę cultum, necessitatemque spectant, redundantem copiam. Verè enim ille H. Iunius in Philippeide. Greshames Colledge.

tectis opibusq́, refertis
Londinum, & si fas, numeroso ciue superbum,
Larga vbi fœcundo rerum vndat copia cornu.

Et I. Scaliger in suis vrbibus:

Vrbs animis, numeroque potens, & robore gentis.

Alius hos quoque de Londino procudit versiculos, si legere non dedigneris. Connubio Tamæ & Isis.

LONDINVM *gemino procurrit littore longè*
AEmula maternæ tollens sua lumina Troiæ,
Clementer surgente iugo dum tendit in ortum:
Vrbs peramœna situ, cœlóque solóq́, beata,
Vrbs pietate potens, numeroso ciue superba,
Vrbsq́, Britannorum quæ digna BRITANNIA *dici.*
Hæc noua doctrinis Lutetia, mercibus Ormus,
Altera Roma viris, Chrysæa secunda metallis.

Hos etiam in Londini laudem Henricus Huntingdonensis regnante Stphano, lusite.

Ibis & in nostros diues Londonia versus
Quæ nos immemores non finis esse tui,
Quando tuas arces, tua mœnia mente retracto
Quæ vidi, videor cuncta videre mihi.
Fama loquax & nata loqui, moritura silendo,
Laudibus erubuit fingere falsa tuis.

Alius item olim sic ludibundus cecinit.

Hæc vrbs illa potens cui três tria dona ministrant,
Bacchus, Apollo, Ceres, pôcula, carmen, ador.
Hæc vrbs illa potens quam Iuno, Minerua, Diana,
Mercibus, arce, feris, ditat, adornat, alit.

Grauius autem amicus noster V. Cl. Ioannes Ionstonus Aberdonensis, in Academia Regia Andreapolitana S. Theologiæ Professor.

VRBS AVGVSTA, *cui cœlumq́, solumq́, salumq́,*
Cuiq́, fauent cunctis cuncta elementa bonis.

Mitius haud vsquam cœlum est, huberrima Tellus.
Fundit inexhausti germina læta soli.
Et Pater Oceanus Tamisino gurgite mistus
Conuehit immensas totius orbis opes.
Regali cultu: sedes clarissima Regum,
Gentis præsidium, cor, anima, atq; oculus.
Gens antiqua, potens virtute & robore belli,
Artium & omnigenum nobilitata opibus.
Singula contemplare animo, attentusq; tuere,
Aut Orbem aut Orbis dixeris esse caput.

Sed hæc & huiusmodi fusiùs & accuratiùs persequutus est Ioannes *Stowæus* ciuis Londinensis & Chronographus celebris in sua quam nuperrimè edidit Londini perlustratione. Nunc charissimæ patriæ valedicam, si priùs annotauero inclinationem cœli LI. gradibus, XXXIIII. scrupulis, distantiam ab vltimo Occidente XXIII. part. XXV. scrup. definire. Fidiculam naturæ Veneris Mercurijque stellam esse Topicam, quæ Horizontem perstringit, nunquam subit: & Caput Draconis verticalem ab Astrologis censeri.

Redcliffe. A Londino Tamisis *Redcliffe* à rubro cliuo sic dictum nitidum opidulum, & nautarum habitationem rigans, ferè in gyrum magno flexu se circumducens *Leam* fl. Comitatus huius ad Orientem limitem admittit, cui nihil in hoc Comitatu memoria dignum adsidet. *Edmorton.* Nec enim *Edelmton* præter nomen à nobilitate deductum, quicquam ostendit, nec *Waltham* *Waltham Crosse.* nisi crucem in funebrem Æleonoræ Reginæ Edwardi Primi vxoris pompam erectam, vnde denominatur. Solùm *Enfeld* ædes Regiæ hîc visuntur, à Thoma *Louell* Georgiani Ordinis Equite aurato, Henrico Septimo consilijs intimis vt ex insignibus colligere licèt, constructæ. Quibus viridissimo arborum vestitu, & ferarum vena- *Enfeld Chace.* tione celebris saltus *Enfeld Chace* adiungitur, possessio olim Magnauillanorum Essexiæ Comitum, deinde Bohunorum qui illis successerunt, nunc verò ad Ducatum Lancastriæ spectat, ex quo Henricus Quartus Rex Angliæ Humfredi Bohuni vltimi alteram filiam & hæredem in vxorem duxerit. Visunturque adhuc in medio ferè hoc saltu rudera antiquæ domus quam *Magnauillanorum* Essexiæ Comitum fuisse vulgus perhibet.

Ad Septentrionalem Midlesexiæ limitem via Romanorum militaris vulgò *Watling-street* hunc agrum ingressa, à Verolamio antiquo Londinum per *Hamstedheath* (è quo pulcherrimæ vrbis, & amœnissimi ruris facies despectatur admodum speciosa) rectà duxit. Non quà nunc itur per *Highgate*, hęc enim via licentia Episcoporum Londinensium ante annos plùs minùs CCC. vt iam dictum, fuit aperta, Illa autem antiqua, vt ex *Edgeworth.* antiquis S. Edwardi Confessoris Chartis constat, transijt prope *Edgeworth* memorię *Hendon.* non admodum antiquę, & *Hendon* quod Dunstanus Archiepiscopus ad rem monasticam promouendam natus pauculis *Bizantinis aureis* emptum Monachis S. Petri Westmonasterij donauit. Hi erant aurei Imperatorij nummi apud Bizantium, siue Constantinopolim à Græcis imperatoribus cusi, quo autem valore nescio. Fuerunt etiam argentei *Bizantini nummi.* similiter *Bizantij*, & *Bizantini* simpliciter dicti, quos duos solidos valuisse in antiquis instrumentis subinde obseruaui. Verùm hæc alij scrutentur, mihi incœptum iter persequendum.

Parœciæ 73. plùs minus in hoc agro, extra vrbem numerantur, in vrbe, libertatibus, & suburbijs 121.

ESSEX.



PARS altera Trinobantum ab Orientali situ, & Saxonibus qui occupârunt Anglo-Saxonicè Eaꞅt-ſeaxa, & Eaꞅt-ſex-ꞅcipe, Normannicè *Exsseſa*, vulgò *Eſſex*, ampla, lata, frugifera, croci fœcunda, nemoroſa, & opulenta inprimis eſt regio: hinc Oceano, inde fluminibus piſcoſis quaſi coronata, quæ & ſua commoda affatim ſuppeditant. Ad Septentriones *Stour* flumen à Southfolcia diuidit, ad Ortum Oceanus ſe inſinuat, ad Auſtrum Tamiſis iam grandis à Cantio ſecludit, vti ad Occaſum *Ley* fluuiolus à Medio-Saxonibus, & qui in eum influit *Stort*, ſiue *Stour Minor* ab Hertfordenſibus. In hac autem deſcribenda pro inſtituti ratione, primùm quæ ſunt ad *Ley*, & Tamiſim celebriora, deinde quę ſunt interiùs, & ad oram maritimam memorabo.

Ad *Ley* Saxonicè Lyȝean, ſatis longè latèque ſaltus expanditur venationi dicatus, feris quibus primas ob magnitudinem, & pinguetudinem deferunt, refertus; olim *Forreſta de Eſſex* ob excellentiam dictus, nunc *Waltham Forreſt* ab opido *Waltham*, quòd Saxonicè Wealtham, .i. *Sylueſtris habitatio*. Sedet hoc ad *Ley*, quà inſulas diuiſo alueo ſpargit, nec originem admodum vetuſtam repetit. Conſeneſcente enim Saxonum imperio, Touius quidam opibus, & authoritate pollens, & vt in priuata loci hiſtoriola legitur, *Stallerus, .i. Vexillifer Regis propter abundantiam ferarum ſylueſtrium primus fundauit, & LXVI. viris inſtituit*. Illo defuncto, Athelſtanus filius fortunarum ſuarum ſtatim naufragium fecit, Edwardusque *Confeſſor* Haroldo Comitis Godwini filio hanc villam donauit, & protinùs monaſterium excitatum eſt, quod Haroldi illius & opus, & tumulus. Cùm enim ad Regium faſtigium hominum errore, & ſua ambitione obrepſiſſet, hoc in S. Crucis honorem poſuit, in hoc vota pro victoria contra Normannos concepit, & ſtatim ab illis occiſus, à matre quæ infimis precibus à victore corpus impetrauerat, in hoc tumulatus. Nunc autem Baronem ſuum habet Edward. *Deny* a R. Iacobo euocatum. Huic in ſurgenti colle inpendent ædes *Copthall* & longè ſpectantium oculos paſcunt, olim *Fitz-Auchers*, nuper Thomæ Heneagi Equitis aurati habitatio, qui eas ad ſummam elegantiam perduxit. Ad hoc etiam flumen fuit ſine dubio DUROLITUM vetuſtæ memoriæ opidum cuius meminit Antoninus Auguſtus, ſed quo in loco ſignatè oſtendere non poſſum. Vetuſta etenim huius Comitatus loca, ſemel præmoneo, obſcuritate ita inuoluta latent, vt ego qui alibi aliquid viderim, hîc planè cæcutiam. Sin coniectare liceat, DURÓLITUM exiſtimarem fuiſſe quod antiquæ appellationis notâ retentâ *Leiton* hodie dicitur, id eſt, *opidum ad Ley*, vti *Durolitum* Britannicè *Aquam Ley* denotat: viculus eſt hodie ſparſim habitatus, ad quintum à Londino lapidem, pro quo XV. in Antoninum librariorum incuria irrepſit. Hic fluminis traiectum olim fuiſſe locus vicinus *Ouldford* dictus, id eſt, *Vadum antiquum* fidem facit, in qua cùm parùm abfuiſſet quin Matildis Regina vxor Henrici Primi ſubmerſa eſſet, illa curauit vt paulò inferiùs fluuius ad *Stretford* pontibus coniungeretur. Vbi diuortijs factis tripartitus fertur, & amœniſſimè viridantia prata circumluit, in quibus monaſterioli reliquias vidimus, quod Guilielmus de *Monte-Fixo*, ſiue *Montfichet* magni inter Normannos nominis Baro anno MCXI. conſtruxit, ſtatimque *Ley* in vnum ſe recolligens in Tamiſim placidè exoneratur, vnde *Leymouth* locus appellatur.

Tamiſis verò, qui iam in immenſum auctus multarum aquarum agmina hâc ſecum rapit, ſolummodò quæ meminiſſe conuenit, *Berking* videt, Bedæ *Berecing*, ſacris virginibus ab Erkenwaldo Londinenſi epiſcopo ſacratum: vbi Tamiſi confluit *Roding* fluuiolus qui multis viculis affuſus nomen impertit ſuum, vt *Heigh Roding*, *Eithorp Roding*, *Leaden Roding*, *&c.* ex quibus vnum & alterum Eccleſiæ Elienſi dedit olim Leofwinus vir nobilis ad expiandum, quod ſummo cum ſcelere commiſerat, matricidium; & inde *Angre* vbi præalto in colle caſtri ſunt indicia à Richardo *Lucy* ſummo Angliæ Iuſtitiario regnante Henrico Secundo conditi, cuius familiæ alteram ex hæredibus Ioannes Rex Rich. de *Ripariis*, ſiue *Riuers* (qui habitauit ad *Stanford Riuers* in proximo) vxorem dedit.

Ab huius *Rodingi* oſtio per ſolum depreſſius, & pleriſque locis ſubinde demerſum vnde

Waltham Forreſt.

Waltham Abbey, vel Sanctæ Crucis.

Baro *Deny*.

Copthall.

DUROLITUM.

Berking.

Rod.m.fl. Liber Elienſis.

Chipping Angre.

de



PARTE OF CAMBRIDGE SHIRE
Royston
Barkway
PARTE OF HARTFORDE SHIRE
Bisshopsterforde
Ware
Hoddesdon
Walden
VTLISFORD
FRESH WELL
Hauerill
Clare
Thaxted
Dunmow
DVNMOW
Braynter
Halsted
HARLOW
Hatfeld
Chelmesforde
CHELMESFORDE
ONGER
Eppingstrete
Waltham Abbey
WALTHAM
PARTE OF MIDDLE SEX
LONDON
BEACONTRE
Rumforde
Hauering Libertie
Barkinge
Burntwood
BARSTABLE
Billericay
Horndon
CHAFORDE
Grenewich
Dertforde
Grauesende
PARTE OF KENT



ESSEXIA
COMITATVS, QVEM
Olim TRINOBANTES tenuerunt
Continens in se opida mercatoria
XX. Pagos et Villas CCCCXIIII. vna
Cum singulis hundredis et flu:
minibus in eodem
Scala Miliarium
1 2 3 4 5 6
William Kip Sculpsit
OCEA
NVS
TAMISIS ÆSTVARIVM
PARTE OF SVFFOLKE
Sudbury
Ipswich
Harwich
Colchester
Cogshall
Maldon
Manitre
Raleghe
TENDERING
LEXDEN
DENGYE
ROCHEFORD
CANVE INSVL
GRANE INSVL
SHEPYE INSVL
Medway flu
Crouch flu

Marshes. de graues halitus vicinorum valetudini nimiùm sunt infesti, ad *Tilbury* Tamisis approperat, iuxta quod Specus excisi. specus quidam sunt in cliuo cretaceo altitudinem x orgyarum adacti ore satis angusto, & è saxo affabrè constructo, introrsùs spatiosi hac forma, quam qui subiuit, sic mihi descripsit,



In Cantio pag. 236. Tilbury. De quibus nihil mihi aliud occurrit nisi quod iam anteà dixi, *Tilbury* autem, Bedæ *Tilaburg*, ex pauculis ad Tamisim constat casis, antiquitùs tamen Ceadæ Episcopi sedes erat, cùm circa annum Salutis DCXXX. Orientales Saxones per Baptismum in Christi Connennos insula. Canney. Ecclesiam insereret. Posteà per loca alicubi iacentia, & minùs salubria delatus fluuius reciprocanti aqua CONVENNON insulam quæ etiam COVNOS (de qua Ptolemæus) a continente abscindit. Hæc nondum nomine abscessit suo, sed *Canney* appellatur, Essexiæ littori à *Leegh* ad *Hole hauen* per v. mill. obiecta iacet, cuius aliqua pars ad Collegiatam Westmonasteriensem Ecclesiam pertinet. Adeò verò humilis, vt sæpe vniuersa inundetur præter editiores tumulos, in quibus tutus est ouibus receptus. Oues enim plus minùs 4000. pascit, saporis admodum delicati, quas adolescentulos muliebri officio cum tellulis clunibus alligatis mulgere, & caseos ouillos conficere in casearijs illis tuguriolis quæ ibi *Wiches* vocant, vidimus.

Huic insulæ adsident suo ordine primùm *Beamfleet*, *fossatis altis & spaciosis*, vt inquit Beamfleet. Florilegus, & castro ab Hastingo siue Hasteneio Dano munitum quod Ælfredus Rex expugnauit. Inde *Hadleigh* quondam Huberti de *Burgo*, postea Thomæ Woodstochij castrum, ruinis iam deformatum, & demum *Leegh* opidulum elegans, strenuisque nautis refertissimum, illique vicinum *Pritlewell*, vbi cellam monachis Sweno de *Essex* olim construxit. Vbi terra in promontorium se proijcit, quod *Blacke-taile Poynt*, & *Shoberry-*Shobery. *Nesse* dicitur, a *Shobery* viculo imposito quæ olim Vrbs fuit Sceobiріg dicta. In veteri-Anno. 894. bus enim Anglorum Annalibus legitur, *Dani à Beamfleot fugati vrbem quæ lingua Anglorum Sceobirig in East-saxonia sitam adeunt, firmamq; sibi munitionem ibi constituerunt.* Hic ripis vtrinque deficientibus in Oceanum Tamisis vasto ostio euoluitur. Quod Ptolemæus TAMESAE, & corruptè in alijs exemplaribus, IAMESAE æstuarium, nos vulgò *The Temes mouth* appellamus.

Rochford. Introrsum autem *Rochford* quæ huic Centuriæ nomen fecit, locum habet, nunc Baronum de *Rich*, olim verò Dominos suos antiquæ nobilitatis eodem cognomine habuit. Domini Rochford. Quorum hæreditas ad *Butler* Ormondiæ & Wiltoniæ Comitem tandem deuenit, & ab illis ad Thomam *Bollen*, quem Vicecomitem *Rochford*, & posteà Wiltoniæ Comitem Henricus Octauus creauit, è cuius propagine serenissima Regina ELIZABETHA, & Barones Hunsdoniæ effloruerunt.

A Tamisis ripa interiùs cernuntur suo ordine hęc loca celebriora ab Occasu in Ortum.

Hauering

Hauering antiquus Regum secessus ab annulo quem peregrinus Regi Edwardo Confessori à Diuo Ioanne (vt scribunt) missum eo loci tradidit, denominatus, *Hornechurch* quod *Cornutum Monasterium* olim dictum Cornua enim plumbo efformata ad Orientalem Ecclesiæ partem prominent. *Rumford*, cui gloria a foro suario & ædibus adiunctis *Giddy-hall*, quæ fuerunt Thomæ illius *Coci* Prætoris Londinensis, cui magnæ congestæ opes periculum creârunt maximum. Innocens enim læsæ maiestatis pro tribunali accusatus, & *Markhami* Iudicis æquitate iniquissimo tempore absolutus, grauissimè tamen facultatibus ferè omnibus direptis fuit mulctatus. *Brentwood* & *Engerston* olim *Engheaston* non nisi suis mercatibus & diuersorijs nota. Hauering. Rumford. Vide Annales 1467. Brentwood.

Hîc hæreo, & an coniecturam quam mihi parturijt animus nunc quasi abortu effundam subdubito. Cùm in hoc tractu vrbs fuerit CAESAROMAGVS, & illa proculdubio Romano æuo celebris, hoc enim vel nomen euincat, quod *Cæsaris vrbem* significat, vt DRVSOMAGVS Drusi vrbem. Quæ & in honorem Augusti constructa videatur. Scribit enim Suetonius *Reges amici atque socij singuli, quisque in suo regno* CAESAREAS *vrbes in honorem Augusti condiderunt.* Quid si dixero iuxta hanc *Brentwood* CAESAROMAGVM fuisse, non me lector vt aruspex aruspicem cum videat, rideat? certè coniecturæ meæ firmamentum ex distantiæ ratione habeo nullum, cùm numeri apud Antoninum sunt corruptissimi, qui tamen à COLONIA, & CANONIO satis conueniunt. Nec hic situm ad viam militarem Romanorum in argumentum vocare possum, cùm illa nusquam in hoc Comitatu apparet: nec vmbra quidem nominis CAESAROMAGI nisi pertenuis hic superest in nomine Centuriæ quæ olim *Ceasford* nunc *Cheafford Hundred* dicitur. Sane vt veterum vrbium nonnullis vetusta nomina parùm variantur, alijs omninò immutantur, ita sunt quibus vna & altera syllaba tantum remanet, sic CAESARAVGVSTA Hispaniæ nunc variatur in *Saragosa*, CAESAROMAGVS Galliæ nomine penitus amisso nunc *Beauois* dicitur, & CAESAREA Normaniæ *Cherburg*, vix vna syllaba superstite, Sed quid his ludens immoror? Si in hac vicinia non sit CAESAROMAGVS, indagent alij, inuenire certè ingenij non est mei, quamuis auritis & oculatis retibus acquisitè indagauerim. Cæsaromagus, qui in Tabula Itineraria Baromagus.

Sub his vidimus *South-Okindon* vbi habitauit familia *Le Bruin* siqua alia olim in hoc tractu celebris, è cuius duabus hæredibus fœmellis sæpiùs enuptis Carolus *Brandon* Dux Suffolciæ, *Tirelli*, *Bernery*, *Harlestoni*, *Heueninghami*, & alij descenderunt. Masculi autem ex illa familia adhuc in agro Southantonensi supersunt. *Thorndon*, vbi ædes speciosas erexit Ioannes *Petre* Eques auratus, qui nunc Baro *Petre* de *Writtle*. Habitatio quondam fuit claræ familiæ *Fitz-Lewis*, quorum vltimus, siqua fides vulgo, incensis fortuito ædibus nuptiali festiuitate miserè incendio perijt. *Burghsted* contractè *Bursted*, .i. *Burgi locus*, quo nomine plurima loca vetustiora insignierunt maiores. Hoc CAESAROMAGVM fuisse suspicatus sum, quodcunque olim fuerit, hodie tantum rusticorum est viculus iuxta *Billericay* forum satis frequens. Nec non *Ashdown* olim *Assandun*, id est, interprete Mariano, *Mons Asinorum*, vbi prælium funestum olim commissum erat, in quo Edmundus cognomento *Ferreum latus*, Danos initio prospera pugna contudit: sed mox versâ fortunâ proditione ita fuit ab illis profligatus, vt plurimos Angliæ proceres desiderârit. In cuius prælij memoriam Canutum Danum posteà ecclesiam eo loci instituisse legimus, cùm vbicunque pugnâsset, pœnitentia ob effusum sanguinem percitus ædiculas sacras erigeret. S. Okindon Bruin. Thorndon. Baro Petre. Ashdown.

Ab his *Ralegh* non multum abest opidulum non inelegans, *Raganeia* videtur in libro illo *Domesday*, qui meminit castri quod hic Suenus construxit. Vbi (etiam legitur) *vnus est parcus & VI. Arpenni vineæ, & reddit XX. modios vini si bene procedit.* Quod adnoto tùm propter Arpennen Gallicam dictionem, tùm propter vinum in hac insula confectum. Fuit hic Suenus vir magni nominis, & magnæ nobilitatis, filius Roberti filij *Wimaere*, pater autem Roberti de *Essex*, ex quo natus erat Henricus ille de *Essexia* qui iure hæreditario regis signifer, quique quòd in velitatione contra Wallos animum, & signum simul abiecerat, proditionis insimulatus, singulari certamine victus, & in claustrum contrusus, amplissimo patrimonio Regis Henrici Secundi fiscum adauxit, Baronia verò iam inde diu erat in Regum possessione donec Hubertus de *Burgo* à Rege Ioanne obtinuerat. Arpennis. Vinum. Radulphus de Dicero. Familia de *Essex*.

Inde ad Septentriones retroacta paulatim littora duo insinuantis Oceani accessus admittunt:

mittunt: hunc *Crouch*, alterum *Blakewater* (qui olim *Pant*) accolæ vocant. In *Crouch* aquarum diuortijs quatuor insulæ disperguntur, viriditate gratæ, sed alluuionibus paludescunt; inter quas nominatissima sunt *Wallot*, & *Foulnesse*, .i. *Auium Promontorium* quod suam habet Ecclesiam, & cùm mare maximè refluxerit equo adiri possit. Inter hæc intersidet Centuria *Dengy*, quondam *Dauncing* gramine lætissima & re pecuaria diues, sed solo & cœlo minùs salubri, vbi caseareis operibus omnia feruent, virique muliebri officio oues mulgent, vnde casei illi inusitatæ magnitudinis conficiuntur, qui non modò per Angliam, sed etiam per exteras regiones ad saturandos agrestes, & opifices distrahuntur. *Dengy* primarium huius est hodiè opidum à Danis vt incolæ credunt sic dictum, quod nomen toti Centuriæ contulit, cui vicinum est *Tillingham* donatum ab Ethelberto primo Christiano Anglo-Saxonum Rege Monasterio S. Pauli Londini: & superiùs ad boreale littus floruit vrbs priscæ memoriæ quam *Ithancestre* maiores nostri dixerunt. Scribit enim ex Beda Radulphus Niger. *Ceada Episcopus baptisauit Orientales Saxones iuxta Maldoniam in ciuitate Ithancester qua erat in ripa Pant fluminis, quod currit iuxta Maldoniam in Dengy prouincia, sed modò illa ciuitas submersam fl. Pant*. Locum digito signare non possum, flumen tamen *Froshwell* hodie dictum priùs *Pante* fuisse nominatum minimè dubito, cùm alter ex eius fontibus *Pantswell* nuncupetur & Monachi de *Coggeshall*, sic dixerunt. Sunt qui asserunt hanc *Ithancester* in extremo Centuriæ de *Dengy* Promontorio impositam fuisse, vbi hodie *S. Peters vpon the wall*, id est, *ad aggerem*. Per hoc enim littus aggeribus contra Oceanum irruentem vix agros tuentur accolæ. Cæterùm hanc *Ithancester* OTHONAM fuisse quodammodo credo vbi Numerus Fortensium cum suo Præposito, inclinante Romano imperio, sub Comite Littoris Saxonici contra pyraticas Saxonum deprædationes stationem egit. Ab OTHONA enim ad ITHANA deflexio non est duriuscula, & situs ad sinum in quem plura flumina exonerantur, huic vsui erat percommodus. Hic etiam adiungere libet quod huius Centuriæ custodiam Edwardus Confessor Ranulpho *Peperking* concessit Charta breui, quam libenter hîc apponam, vt nos qui omnes iuris apices excutimus, videamus quàm candida & aperta illa ætas fuerit. Sic verò illa se habet e Regijs in *Scaccario* tabularijs, sed sæpiùs describendo verba nonnulla facta sunt molliora.

Foulnesse. Dengy hundred. Essex cheese. Ithancester. Othona. *Peuerell Normanni vocarunt. Inter Record. de Term. S. Hilarij E.2.17. penes Thes. & Camerarium Scaccarij.

Iche Edward Koning
Haue yeuen of my Forest the keeping
Of the hundred of Chelmer and Dancing
To Randolf Peperking and to his kindling
With heorte, and hinde, doe, and bocke,
Hare, and foxe, catt, and brocke,
Wilde fowell with his flocke,
Partrich, fesant hen, and fesant cock:
With greene and wilde stob and stock.
To kepen and to yemen by all her might,
Both by day, and eke by night,
And hounds for to holde
Good and swift, and bolde:
Fower grehouns, and six racches,
For hare and fox and wild cattes.
And therefore ich made him my booke,
Witnes the Bishop Wolston,
And booke ylered many on,
And SWeyne of Essex our brother,
And teken him many other,
And our stiward Howelin
That bysought me for him.

Hæc candida erat illius ætatis fides & simplicitas, quæ in pauculis lineis & pauculis crucibus aureis omnia fidei firmamenta posuerunt. *Ante Normannorum enim ingressum*, vti apud Ingulphum legitur, *Chirographa firma erant cum crucibus aureis, alijsque signaculis: sed Normanni cum cerea impressione per vniuscuiusque speciale sigillum sub intitulatione*

tulatione trium vel quatuor testium conficere Chirographa instituerunt. Conferebantur anteà multa prædia nudo verbo, absque scripto vel charta, tantùm cum Domini gladio, vel galea, cum cornu vel cratera, & plurima tenementa cum calcari, cum strigili, cum arcu, & nonnulla cum sagitta.

Sigilla apud Anglos primùm in vsu.

In *Blackwater* sinum, quem Borealem huius Centuriæ latus claudere dixi, & optimis ostreis scatet, quæ *Walisfleot* vocamus, confluunt duo flumina quæ magnam agri partem alluunt, *Chelmer* & *Froshwell*. *Chelmer* fl. ex interiori regione quæ syluis vestita effluens decurrit primùm per *Thaxsted* mercatorium opidulum in colle perquam amœnè situm, & *Tiltey* vbi cœnobiolum Mauritius filius *Gilberti* olim posuit, ad *Estannes* ad *Turrim* nunc *Eston*, quam incoluerunt Domini de *Louanio* dicti, vtique Godfredo fratre Henrici eius nominis Sexti Brabantiæ Ducis prognati, qui huc missi ad *Honorem de Eya conseruandum*, ad sextam vsque progeniem Barones habiti sunt. Sed sub Edwardo Tertio deficiente prole mascula, per filiam hæreditas & dignitas ad Gulielmum *Bourgchier* demigrauit, cúius posteri breui Comites fuerunt Essexiæ. Inde *Dunmow* quod olim *Dunmawg*, in libro Angliæ censuali *Dunmaw* dictum, opidum situ peramœno in colle modicè prona prolabitur. Vbi Iuga quædam Monasterium Anno MCXI. fundauit. *Sed Guilielmus Bainardus de quo Iuga tenebat*, (sic scribitur in priuata Monasterij illius historia) *villam de* Parua Dunmow, *per feloniam amisit Baroniam suam, & Rex Henricus Primus illam Roberto filio Richardi filij Gisleberti Comitis de* Clare, *& hæredibus suis cum Honore Castri Barnardi Londini dedit. Qui Robertus tunc fuit Dapifer Regis Henrici.* Hæc ipsissima sunt authoris verba, nec mihi fas existimo ea interpolare, quamuis in illis sit ἀναχρονισμὸς, qui in optimis historicis aliquando occurrit. Nondum enim ex illa familia fuit Comes de *Clare*.

Thaxsted.
Tiltey.
Domini de Louanio.
Dunmow.

Nunc paulùm vtrinque à flumine paulisper digrediamur. Hinc haud procul *Plaisy* sedet Gallicè sic dicta à placendo, quondam *Estre*, quæ Constabulariorum Angliæ vltimis Saxonum annis, & posteà (vt liber Eliensis testatur) habitatio. Ad quam duo magnæ authoritatis principes, Thomas de *Woodstock* Dux Glocestriæ, Comesque Essexiæ, & Ioannes *Holand* Comes Huntingdoniæ, Regis Richardi Secundi frater vterinus qui de honore Ducis Exoniæ deturbatus, cùm inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium modum tenere non potuerint, fata complêrunt. Ille enim ob præcipitem contumaciam hinc inopinatò Caletum abreptus & suffocatus: hic ab Henrico IIII. ob seditionem hoc ipso loco securi percussus, vt ipsius Woodstochij manibus pœnas dedisse videatur, cuius exitij author habebatur. Inde *Chelmer* non longè a *Leez* defluit cœnobiolo quondam à *Gernonis* condito, quod hodie sedes Baronum *Riche*; qui Richardo *Rich* viro prudentissimo Angliæ Cancellario sub Rege Edwardo Sexto hanc dignitatem acceptam ferunt. Pauloque inferiùs sedet *Hatfeld Peuereli* a possessore suo Ranulpho * *Peperello* sic dicta, qui in vxorem habuit illa ætate forma supra omnes venusta filiam Ingelrici viri inter Saxones prænobilis, quæ Collegium hic posuit quod nunc quasi dirutum, & in fenestra ecclesiæ cuius pars tantula adhuc superest, tumulata iacet. Hæc marito peperit Guilielmum *Peuerell* Castellanum Doueriæ, Paganum *Peuereli* Dominum de *Brun* in Comitatu Cantabrigiæ, & Regi Guilielmo Conquestori, cuius erat pellex, Guilielmum *Peuerell* Nottinghamiæ Dominum. Sed ad *Chelmerum* redeamus, qui iam *Chelmersford*, vulgò *Chensford* petit (vbi ex distantia à CAMALODVNO antiquum CANONIVM fuisse videatur) Hoc satis amplum est opidum in ipso quasi Comitatus medio inter duo flumina quæ concordibus aquis se hic coniungunt intersitum, *Chelmerum* ab Ortu, & aliud ab Austro, cui si nomen *Can* (vt aliqui volunt) CANONIVM fuisse non est cur dubitemus. Patrum memoria monasteriolo à Malcolmo Rege Scotorum constructo fuit celebre, nunc tantùm *Assisis*, sic vocant fora in quibus caussę totius agri bis quotannis coram Iudicibus ventilantur insigne. Reflorere verò incœpit cùm Mauritius Episcopus Londinensis, ad quem spectauit, pontes hic construxerit regnante Henrico Primo, viamq; deflexerit, quæ antea per *Writle* amplitudine suę parochię notissimum duxit, quod Rex Henricus Tertius Roberto *Brus* Domino Anandiæ in Scotia, cuius vxor ex hæredibus erat Ioannis vltimi Cestriæ Comitis, cùm noluerit Cestrię Comitatum inter colos muliebres distrahi, concessit: Edwardusque Secundus Humfredo de *Bohun* Comiti Herefordiæ & Essexiæ, cùm *Brusij* posteri a fide defecissent, donauit.

Barones Riche.
Hatfeld Peuerell, aliàs Perekine.
* Liber S. Martini London
Chensford.
CANONIVM.
Writle, olim *Estre*.

nauit. Nuperrimè autem cùm Iacobus Rex primis regni auspicijs honorem Baronum pluribus impertiret, Ioannem *Petre* Equitem clarissimum Baronem *Petre de Writle* creauit. Cui pater erat Gulielmus *Petre* vir perspectæ prudentiæ & exquisitæ doctrinæ, non tam memorandus ob munera quæ in Republica obiuit amplissima, vtique qui R. Henrico Octauo, Edwardo Sexto, Mariæ, & Elizabethæ à sacris fuit consilijs, & sæpiùs ad exteros Principes Legatus; quàm quòd bonis studijs innutritus de bonis literis in Academia Oxoniensi bene, & de egenis vicinis apud *Engerston* piè meruerit.

Froshwell fl. qui veriùs *Pant*, & demum *Blackwater* dictus, fonte exili prope *Radwinter* quod fuit Baronum *Cobham* emissus, cùm longo decursu nihil viderit præter *Bocking* sacerdotium opimum, *Cogshall* a Stephano Rege Cluniacensibus positum, & *Hwittam* ab Edwardo Seniore rege DCCCCXIIII. ædificatam, quæ etiam Eustachij Comitis Boloniensis, (vt ferunt) *Honor* erat; *Chelmerum* obuium habet, qui solidus haud procul a *Danbury* in colle satis ædito, quæ diu habitatio fuit insignis familiæ *Darciorum*, delatus, *Woodham-Walters* præterfluit vetustam Dominorum *Fitz-Walters* sedem, quorum altissima cum antiquitate, coniuncta fuit nobilitas; à Roberto filio iuniori Rich. filij Gisleberti Comitis repetita, sed superiori sæculo in *Ratcliffforum* stirpem per filiam translata, qui ad Comitum Sussexiæ dignitatem prouecti *New hall* ædes magnificas partim hinc dissitas iam incolunt. Hæ olim ad *Butleros* Ormondiæ Comites spectârunt, deinde ad Thomam *Bollen* Comitem Wiltoniæ, à quo permutatione facta Rex Henricus VIII. accepit, maximis impensis adauxit, nouoque nomine *Beau-Lieu* appellauit, quod nunquàm tamen apud populum inualuit.

Woodham-Walters. Barones Fitz-Walters. New hall. Lelandus in Cygneam Cantionem.

Deinde *Chelmer* alijs confluentibus aquis insula amnica diuisus, nomineq; suo reiecto alijs *Blacke-water* alijs *Pante* dictus vetustam illam Romanorum Coloniam CAMALODVNVM quæ hoc littus illustrauit, salutat, CAMVDOLANVM Ptolemæo, Antonino CAMVLODVNVM, & CAMOLVDVNVM dicitur: sed *Camalodunum* genuinum esse nomen, Plinius, Dio, & marmor antiquum persuadent. In hac vrbe indaganda, Deus bone, quàm lusciosi fuerint nonnulli, cùm se suo nomine proderet, & cæcutientibus illis se perspicuè exhiberet, nubemque submoueret! Plurimi in Occidentali Insulæ parte peruestigârunt, vti optimus ille qui Antiquitatis Solem in manibus gestare sibi videbatur, alij in vltima Scotia, alij *Colchester* in Lelandi verba iurati, esse affirmârunt, cùm nomine vix mutilato pro *Camaloduno* hodie *Maldon* dicatur, Saxonicè Maledune, & Mealdune, maxima dictionis parte etiamnum integra, & superstite. Nec hoc solummodò expressum nominis vestigium persuasit; verùm etiam distantia à Mona apud Plinium, & ipse situs in antiqua Tabula Itineraria, probationem præstant vel apertissimam. A Deo CAMVLO nomen huic CAMVLODVNO inditum fuisse vix suspicari ausim. Martem tamen sub hoc *Camuli* nomine fuisse cultum, & vetus saxum Romæ in ædibus Collotianis, & aræ repertæ CAMVLO DEO SANCTO ET FORTISSIMO inscriptæ comprobant, & in nummo antiquo Cunobellini, cuius hæc fuit Regia, vt iam meminimus, figuram galeatam cum hasta quæ Martis videatur, cum literis CAMV. aspeximus. Verùm cùm nummus iste non iam sit ad manum, alios eiusdem Cunobellini hic tibi expressos exhibemus, qui ad hanc Camalodunum spectare videantur.

Camalodunum. Maldon. Camulus Deus.

Vide pag. 62. 70. & 71.




Præfuit

Præfuit imperante Tiberio, huic Orientali Insulæ parti, tresque suscepisse filios videtur, Adminium, Togodumnum, & Catacratum. Adminius a patre pulsus, & a Caio Caligula receptus cùm ille ridicula ista expeditione in Batauiam venit, vt sui terror inde Britanniam afflaret: Togodumnum verò iusto prælio deuicit, & interfecit Aulus Plautius, & de Catacrato quem fugauit, vt dixi, ouans triumphauit. Hic ille Plautius est, qui C. Berico exule Britanno suasore, (nunquam non suggerentibus se belli caussis,) primus post Iul. Cæsarem Britanniam sub Claudio tentauit, quem Claudius ipse statim transmissis legionibus, cum omni Imperij mole, & elephantis, (quorum ossa inuenta fucum quàm plurimis fecerunt) subsequutus, transmisso Tamisi, Britannos qui in ripa aduenientem exceperunt, in fugam coniecit, facilèque hanc regiam Camalodunum cepit. Ob quæ BRITANNICI nomine filio imposito, sæpiusque ipse Imperator salutatus, sexto quàm profectus erat mense, Romam rediit. Sed hæc supra fusiùs persequutus sum, nec libet hîc repetere.

Vide pag. 19.
Claudius in Britannia.

Camaloduno sic in Romanorum potestatem redacta, Coloniam ibi valida veteranorum manu constituit Claudius, nummosque in rei memoriam signatos cum inscriptione COL. CAMALODVN. E quibus colligitur anno Imperij eius XII. Anno scilicet a Christo nato quinquagesimo secundo. Et ob veteranos Legionis XIIII. Geminę Martiæ Victricis, quos Tacitus Britanniæ domitores vocat, in eam deductos, COLONIA VICTRICENSIS in antiqua Inscriptione appellatur, sed eccam.

Vide pag. 73
Colonia Camaloduni.



Colonia verò, si hoc scire interest, cœtus hominum qui vniuersi deducti in locum certum ædificijs munitum quem certo iure obtinerent. Plerumque deducebantur veterani, tum vt ipsis esset prospectum, tum vt subsidio essent aduersus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum. Magnaq; erant coloniæ dignatione, cùm vrbis Romæ quasi paruæ essent effigies & simulachra. Suosque magistratus habuerunt, maiores & minores, de quibus cùm alij dixerunt, non est cur ego hisce, aut huiusmodi immorer. In hac prima Romanorum in Britannia Colonia constitutum erat Diuo Claudio templum, *Aram æternæ dominationis* vocat Tacitus, cuius in suo Ludo meminit Seneca. *Parum est*, inquit, *quòd templum in Britannia Claudius habet, quod nunc barbari colunt, & tanquam Deum orant.* Delecti sunt etiam in eius honorem sacerdotes, sodales nimirum Augustales, qui religionis specie Britannorum fortunas effundebant. Sed post decem annos versa fortuna, concidit hæc Colonia. Cùm enim veterani in hos captiuos agros deducti, impotentiùs in misellum populum sæuirent, extincta bellorum incendia maiore flamma eruperunt. Britanni, Bunduica, (quæ & Boodicia,) duce, Coloniam hanc nullis munimentis septam impetu diripuerunt & incenderunt, templum in quo se miles conglobauerat, biduò expugnârunt. Legionem Nonam in auxilium aduentantem fuderunt, & vt semel dicam, septuaginta ciuium, & sociorum millia occidêrunt. Hanc stragem varia prodigia prædixerunt. Victoriæ simulachrum in hac vrbe retrò conuersum, & delapsum, in curia externi fremitus auditi, vlulatibus insonuit theatrum, ædes sub Tamisis aqua visæ, cruentoque aspectu inundauit subiectum æstuarium, quod nunc (nescio quam ob caussam

Seruius.
Tacitus de hac Colonia.
Ara, & templum Claudij
80000. habet Dio.
Prodigia.

Idumanus. *Blackwater* vocamus, id eſt, *Aqua nigra*, vti Ptolomæus IDVMANVM dixit, quo etiam nigredinis ſignificatio ſubeſt, *Y du* enim nigrum Britannis ſonat) E fauillis tamen excitarunt Romani, eius enim meminit multos poſt annos Antoninus. Saxonico tamen imperio vix memoratur, tantùm Edwardum Ælfredi filium *Maldunam* Danica rabie con-
914. uulſam inſtauraſſe, caſtroq; firmâſſe tradidit Marianus. Guilielmus Normannus Angliæ deuictor, vt in eius Commentario legitur, *Centum Octoginta domos in hac habuit, quas Burgenſes tenuerunt, & octodecim manſuras vaſtatas.* Hodie verò populi opulentia & ſua magnitudine inter primaria Eſſexiæ opida meritò cenſetur, *Burguſq; de Maldon*, à Iuriſperitis noſtris nominatur, Statio ſatis commoda, incolis pro magnitudine ſatis frequens quæ vna tantùm eſt platea mille plùs minùs paſſus in longitudine protenta.

Ad Anſam. Coloniarum termini. Sex mill. paſſ. interuallo à CAMALODVNO ſtatuit Antoninus locum, quem AD ANSAM dixit. Suſpicatus ſum hunc aliquem fuiſſe Coloniæ Camaloduno terminum, qui Anſæ ſimilitudinem referret. Legeram enim apud Siculum Flaccum, *Agri Colonis adiacentes varijs terminis definiebantur, in limitibus conſtituti erant pro terminis res aliæ, atque aliæ, alibi Hermulæ, alibi ſeriæ, alibi ſpatulæ, alibi Rhombi, & alibi ſecundum Vitalem, & Arcadium, termini erant Lagenares, vel orculares, id eſt, lagenæ & orculæ.* Cur igitur non & Anſa pro termino: cùm *Ad Anſam*, non *Anſæ* ſuo more dixerit Antoninus? Quanta religione hi termini olim poſiti fuerint, ex eodem Siculo Flacco paululùm digrediens, adſcribam. *Cùm enim terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram collocabant, proximè ea loca quibus foſſis factis defixuri eos erant, vnguento velaminibuſque & coronis eos coronabant: in foſſis autem quibus poſituri eos erant, ſacrificio facto, hoſtiaque immaculata cæſa, facibus ardentibus, in foſſa coopertis ſanguinem inſtillabant, eóque thura & fruges iactabant; fauos quoque & vinum, aliaque quibus conſuetudo eſt terminis ſacrum fieri, in foſſa adiciebant, conſumptiſque omnibus dapibus igne, ſuper calentes reliquias collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant, adiectis etiam quibuſdam ſaxorum fragminibus circumcalcabant quo firmiùs ſtarent.* Vbicunq; autem loci hæc AD ANSAM fuerit, ad priorem ſententiam de verbi notione me refero. Nimirum *Ad Anſam* vel terminale ſignum fuiſſe, vel ſtationem tantùm, aut diuerſorium aliquod ad viam ſub eiuſmodi interſignio, idque ex diſtantia prope *Coggeſhall.* Nec aliaquàm ſigna terminalia, vel diuerſoria erant quæ eâdem loquendi formulâ Romano ſæculo, *Ad Columnam, Ad fines, Ad tres Tabernas, Ad Rotam, Ad ſeptem fratres, Ad Aquilam minorem, Ad Herculem, &c.* nominabantur: & proindè hanc accuratiùs quærere nihil aliud eſſet quàm ventos venari.

Hinc reducta littora mare magno & amœniſſimo ſinu accipiunt, qui optimorum illo-
Oſtrea. rum oſtreorum feraciſſimus, quæ nos *Wallfleot* vocamus. Et ne littora noſtra ſuâ gloriâ fraudentur, hæc illa eſſe exiſtimamus littora, quæ, vt habet Plinius, Romanis culinis ſeruiebant, cùm Britannicis oſtreis tertium à Cizicenis locum tribuat Mutianus his ſuis ipſius verbis: *Cizicena maiora Lucrinis, ſuauiora Britannicis.* Verùm nec illo tempore, nec poſteà cùm Sergius Orata Lucrina nobilitaret, Britannica, vt inquit ille, *ſeruiebant*
Lib.9.c.54. *Romanis littora*; adeò vt primas Britannicis oſtreis tribuiſſe videatur. Nec alia ab his oſtrea eſſe puto, quæ *mira* Auſonius vocauit, in hoc ad Paulinum verſiculo:

Mira Caledonius nonnunquam detegit æſtus.

Sed de his & horum viuarijs hoc in littore ſcribant illi qui palato docti culinarum cenſuram peragere nôrunt.

In hunc ſinum præter alia, *Coln* fl. ſe immittit, qui in Boreali agri parte è diuerſis fontibus coaleſcens, allabitur *Hedningham* ſiue *Hengham*, vulgò *Heningham* elegans olim caſtrum, & Oxoniæ Comitum antiquam habitationem. Cui ad alteram ripam oppoſitus eſt *Sibble Heningham* locus natalis (vt accepi) Ioannis *Hawkwood* (Itali *Aucuthum* corruptè vocant) quem illi tantoperè ob virtutem militarem ſuſpexerunt, vt Senatus Florentinus propter inſignia merita equeſtri ſtatua, & tumuli honore in eximiæ fortitudinis, fideique teſtimonium ornauit. Res eius geſtas Itali pleno ore perſonant, & Paulus Iouius in Elogijs celebrat. Sat mihi ſit Iulij Feroldi Tetraſticon adijcere.

Hawkwood

Hawkwood Anglorum decus, & decus addite genti
Italicæ, Italico præsidiumque solo.
Vt tumuli quondam Florentia, sic simulachri
Virtutem Iouius donat honore tuam.

Hinc *Coln* fluuius per *Hawsted* quæ fuit sedes familiæ *Bourgchierorum*, è qua Robertus *Bourgchier* fuit Angliæ Cancellarius tempore Edwardi Tertij, & ab eo honoratissima Comitum & Baronum effloruit propago. Inde per *Earles Coln* a Comitum Oxoniæ sepultura sic dictam, vbi Albericus de *Vere* monasteriolum posuit, & religionem induit, COLONIAM (cuius meminit Antoninus, quam & aliam esse à Colonia Camaloduno facit) accedit. An à Colonia huc deducta, vel à Colno flumine nomen sit factum, Phœbus dixerit : à flumine malim ego, cùm viderim opidula plura illi imposita, *Colne* dici, vt *Earles Colne*, *Wakes Colne*, *Colne Engaine*, *Whites Colne*, à Dominis denominata. Hanc Britanni *Caer Colin*, Saxones Colecearter, nos *Colchester* vocamus. Vrbs est elegans, frequens, & amœna, collis supercilio ab Occasu in Ortum porrecta, muris incincta, Ecclesijs quindecim exornata, præter amplum illud templum quod Diuo Ioanni Eudo *Dapifer* Henrici Primi consecrauit, nunc in ædes priuatas conuersum. In media vrbe castrum eminet vetustate collapsurum, quod Edwardum Ælfredi filium excitasse scribunt historici, cùm *Colcestriam* bellis deformatam repararet. Floruisse verò hanc vrbem vel maximè Romanis temporibus infinita vis antiquorum nummorum quotidie eruta planissimè docet: in nullos tamen Gallieno antiquiores incidimus, erant enim Tetricorum, Victorinorum, Posthumi, C. Carausij, Constantini, & qui subsequuti sunt, Imperatorum. Ciues Fl. Iuliam Helenam Constantini magni matrem suam alumnam fuisse asserunt ex Coelo rege natam : & in memoriam crucis ab illa repertæ, crucem nodosam inter quatuor coronas interpositam publico in digmate gerunt. Vnde de illa, & hac vrbe Neckamus noster, etsi Apolline minùs fauente.

Colonia.
Colchester.
1105.
Helena Constantini M. mater.

Effulsit sydus vitæ, Colcestria lumen
Septem climatibus lux radiosa dedit.
Sydus erat Constantinus, decus imperiale,
Seruijt huic flexo poplite Roma potens.

Mulier illa sanè fuit sanctissimis moribus, & infracta animi constantia in religione Christiana propaganda, vnde in antiquis inscriptionibus PIISSIMA, & VENERABILIS AVGVSTA passim nominatur. Sub hoc, vbi *Coln* flu. mari immiscetur, S. Osithæ extat opidulum, cuius antiquum nomen *Chic* aboleuit regia illa virgo Ositha, quæ tota Deo defixa, à Danicis piratis ibi confossa Sanctæ honores apud maiores obtinuit, & in eius memoriam ædem sacram posuit Richardus Episcopus Londinensis circa annum MCXX. quam Canonicis regularibus impleuit. Nunc verò sedes est primaria honoratissimorum Dominorum *Darcy*, qui de *Chich* dicti, quos ad amplissimam Baronis dignitatem Rex Edwardus Sextus prouexit.

S. Osithe.
Chic
Barones Darcy de Chiche.

Hinc vastè proiectum littus ad *Nesse* promontorium, Anglo-Saxonicè Eadulphesnesse, protuberat. Quid hoc in loco repertum fuit, habe ex verbis & fide Radulphi de *Coggeshall*, qui ante annos CCCL. scripsit. *Temporibus Regis Richardi in littore maris in villa quæ vocatur* Edulfinesse *inuenti sunt duo dentes cuiusdam Gigantis tantæ magnitudinis, vt ducenti dentes quos nunc habent homines, ex his secari possent. Hos apud Cogshall & vidimus, & admirando contrectauimus.* Et nescio quid aliud Giganteum primis R. Elizabethæ annis à nobili R. *Candish* iuxta hunc locum effossum. Nec diffitebor ego quin fuerint homines qui ob molis magnitudinem & roboris firmitatem, miraculo erant ; quos Deus, vt habet B. Augustinus, extitisse voluit, vt doceret tam pulchritudinem corporum, quàm staturæ magnitudinem in bonis non esse numeranda, cùm non minùs pijs, quàm impijs sint communia. Suspicari tamen liceat quod Suetonius scripsit, prægrandia immanium belluarum membra & alibi, & hoc etiam regno inuenta, *Gigantum ossa* vulgo dicta & habita fuisse.

Nesse.
Gigantes.
Gigantum ossa.

Ab

Ab hoc promontorio paulatim reflectitur littus, ad *Stouri* ostium, anno DCCCLXXXIIII. nauali bello inter Anglos & Danos memorandum: vbi nunc *Harewich* tutissima statio, vnde & nomen: nam hape-pic Saxonicè *stationem vel sinum vbi exercitus agit*, denotat. Iste *Stourus* est qui Essexiam & Suffolciam pro limite intermeat, & ab hac parte præter opimos agros nihil alluit. Sed non procul ab eius fonte est *Bumsted* quem per *Baroniam tenebat*, familia de *Helion*: & quà hæc regio Cantabrigienses spectat, *Barklow* quatuor iam tumulis aggestis notum ostenditur, cuiusmodi, occisis militibus, quorum reliquiæ non faciles erant repertu, vt aliqui volunt, extruxit antiquitas. Verùm cùm quintus & sextus ex his iampridem defoderentur, tria, vt accepimus, è saxo sepulchra, & in illis confracta hominum ossa sunt inuenta. Aggestos verò post prælium ibi contra Danos commissum rustici ferunt. Ebulum enim quod sanguineis baccis hîc circumquaque copiosè prouenit, non alio nomine quàm *Danes-bloud*, id est, *Danicum sanguinem*, etiamnum appellitant, ob multitudinem Danorum, qui ibidem ceciderunt.

Harewich. *Barklow.* Tumuli antiqui. Vide pag. 221. *Danes-bloud.*

Walden à croco denominatum *Saffron Walden* emporium paulò est inferiùs inter agros blandissimo croco ridentes, præclarum olim *Magnauillanorum* castello, quod nunc fere disparuit, & monasteriolo adiacenti, in quo *Magnauillani* fundatores sepulti. Galfredus de *Magnauilla*, primus quasi vitam dedit huic loco. Matildis enim Imperatrix hisce verbis, ex eius diplomate transcribo, dedit illi *Neuport* (hoc vicinum est opidum haud exiguum) *pro tanto quantum reddere solebat die qua Rex H. pater meus fuit viuus & mortuus, & ad remouendum Mercatum de Neuport in castellum suum de Waledena cum omnibus consuetudinibus quæ priùs mercato illi meliùs pertinuerunt, in theloneo, passagio, & alijs consuetudinibus, & vt viæ de Neuport quæ sunt iuxta littus aquæ dirigantur ex consuetudine ad Waledenam super forisfacturam meam, & Mercatum de Waldena sit ad diem Dominicam, & ad diem Iouis, & vt feria habeatur apud Waledenam, & incipiat in vigilia Pentecostes, & duret per totam hebdomadam Pentecostes.* (Iam inde ab isto mercatu *Chepping Walden* diu est dicta. In libro etiam Waldenensis huius monasterij) *Waldenam* ille *vt totius honoris sui & Comitatus caput & sedem sibi suisque constituit. Locus vbi monasterium construxit erat aquis irriguus, quæ ibi iugiter manentes oriuntur, nullo tempore deficientes. Solis orientis radios tardiùs recipit, occidentis verò citiùs amittit, montibus ex vtraque parte obiectis.* Nunc *Audley end* loco illi nomen est, à T. Audlæio Angliæ Cancellario, qui monasterium in suam habitationem commutauit. Hic Baro *Audley* de *Walden* ab Henrico Octauo creatus vnicam reliquit filiam & hæredem Margaretam vxorem secundam Thomæ *Howard* Ducis Norfolciæ, è qua Thomam, Guilielmum, Elizabetham, & Margaretam progenuit. Thomam verò illum rei naualis gloriâ celebrem Regina Elizabetha ad Comitia Parlamentaria anno MDLXXXVII. inter regni Barones euocauit titulo *Domini Howard de Walden*. Nuperque Rex Iacobus gladio Comitatus Suffolciæ cinxit, & sibi Camerarium constituit. Prope cuius ædes ad *Chesterford*, multò vetustior vrbecula erat, iuxta *Icaldune* in ipso agri termino, quam nunc ab Burgo antiquo, *Burrow banke* rustici vocitant, vbi intermortui opidi solummodò supersunt vestigia, & ipsorum mœnium expressus tractus. VILLAM tamen FAVSTINI fuisse, quam Antoninus in hoc tractu locat, non dixero, & quanquam

Walden. *Mandeuilles* vulgo vocantur. Baro Audley de Walden. Burrow bank.

Ingrati lati spatia detinet campi,
Et rure vero, barbaroque lætatur:

Non tamen ausim vel somniare hanc esse illam *Faustini Villam*, quæ istis & alijs versibus à lepidissimo Martiale inter Epigrammata depingitur. Croco satiuo hîc, vt dixi, agri circumquaq; sunt blandissimi, mense enim Iulio, 3. quoq; anno, cum bulbi fuerint eruti, & post viginti dies, ingestâ glebâ reconditi, sub finem Septembr. florem cyaneum fundunt, è cuius medio tria flammea stamina croci (*Chiues* nos vocamus) dependent, quæ benè manè ante solis exortum decerpuntur, & è flore extracta, lento igne siccantur. Tantusque est prouentus, vt è singulis iugeribus octoginta, vel centum plus minùs croci, dum humidum est, pondo colligantur, quæ siccata ad viginti pondo conficiunt. Quodq; magis mireris, solum quod tres continuos annos crocum protulit, hordeum sine stercoratione annos octodecim affatim profundet, denuóque crocum non recusabit.

Crocum.

Magis

Magis ad Austrum *Clauering* locum habet, quod Rex Henricus Secundus cum titulo Baroniæ dedit Roberto *Fitz Roger*, (à quo familia de *Euers* stemma deducit.) Huius posteri cum longo iam tempore nomina è paterno prænomine accepissent, more illo antiquo, vt Ioannes *filius Roberti*, *Robertus filius Ioannis*, &c. Tandem iubente Rege Edwardo Primo, hinc nomen *Clauering* assumpserunt. Sed de his in Northumbria. *Stansted Montfitchet* hîc etiam se exerit, quod tacitus non prætermittam cùm habitatio siue Baronia olim fuerit familiæ de *Montefixo*, vulgò *Montfitchet*, qui tres quos vocant *Chevernos* aureos scuto rubro gestârunt, summęque censebantur nobilitatis. Quinque autem solummodò rectâ linea floruerunt, demùmque hereditatem adierunt tres sorores Margareta vxor Hugonis de *Bolebec*, Auelina vxor Guilielmi de *Fortibus* Comitis Albemarlæ, & Philippa vxor Hugonis *Playz*. Huius posteri ad auorum vsque memoriam floruerunt, & in filia desierunt nupta Ioanni *Howard* Equiti aurato, à cuius filia per Georgium *Vere* Barones *Latimeri* & *Wingfeldij* profluxerunt. Parùmque inferiùs *Hallingbury* habitatio Baronum Morleiorum conspicitur: de quibus plura in Norfolcia. Illique contiguum est vallum antiquum militare, inde *Walbery* nominatum, magisque ad Ortum *Barrington hall* vbi incolit clarissima familia *Barringtonorum* quam regnante Stephano, Barones de *Montefixo* possessionibus adauxerunt, & patrum memoriâ nuptię cum altera filia & hęrede Henrici *Poli* Domini *Montisacuti*, filij & hęredis Margaretę Comitissę Sarisburię ex sanguine regio clariorem reddiderunt. Barones de Clauering. Vide in Northumbria. Barones Montfitchet. Insignia Montfitchetiorum. Playzi. Hallingbury. Barrington.

A Normannorum aduentu Matildis Imperatrix Anglorum Domina (eo enim vsa est titulo) Galfredum de *Magnauilla*, vulgò *Mandeuill*, filium Guilielmi ex Margareta hærede Eudonis *Dapiferi* primum Essexiæ Comitem, vt sibi hominem potentem & bellicosum beneficijs obstringeret, creauit. Qui in illa sub Rege Stephano temporum confusione turbulentam vitam pugnando profudit. Ille verò pro sceleribus, vt est in antiquo scriptore, *publicam anathematis non immeritò incurrit sententiam, in qua apud opidulum Burwell letaliter in capite vulneratus est. Illo autem in discrimine mortis vltimum trahente spiritum, quidam superuenere Templarij qui religionis suæ habitum cruce rubra signatum ei imposuerunt, ac deinde iam mortuum secum tollentes, & in pomerio suo veteris scilicet Templi apud London. canali inclusum plumbeo in arbore suspenderunt.* Hunc sequuti sunt duo filij Galfredus & Guilielmus sine prole sublati. Postea Galfridum * *Filium Petri* de *Ludgershall*, Angliæ Iustitiarium virum prudentem & grauem accepta magna vi pecunię ad hunc honorem extulit Rex Ioannes. Ille enim in vxorem duxerat Beatricem filiam natu maximam Guilielmi de *Say* qui natus è sorore Galfredi illius de *Magnauill* primi Comitis Essexiæ. *Vir*, vt scribit author vetustus, *nummosus & locuples valdè, qui Eliensem Episcopum Regis Iustitiarium precio maximo cum prece dato conuenit, Comitatumque illum quem vice vxoris suæ, filiæ scilicet Willielmi fratris Galfredi de Say primogeniti hæreditario iure sibi vendicabat, interpellando expostulauit. Qui illum in plenariam sesinam admisit pecuniam promissam exegit, quam in breui integram Plenariamq; regijs thesauris inferendam ab eo recepit. Sic admissus, sicque scriptis Regis confirmatus tenuit, possedit, & homagia Militum suscepit.* Huius Galfredi *Filij Petri* duo filij, Galfredus & Guilielmus ascito sibi nomine *Magnauill* siue *Mandeuill*, hoc honore gauisi sunt: ille in hastiludio iuuenis periit, hic à Ludouici Franci partibus contra Ioannem Regem stetit, & sine prole è vita migrauit. Istis sine prole defunctis subrogatus est Humfredus de *Bohun* Herefordiæ Comes, & Angliæ Conestabularius; Sic enim scribit ex Waldensi monasterio Chronographus. *Anno 1228. sexto Idus Ianuarij Guilielmus de Mandeuill Comes Essex obijt, &c. Eodem anno Humfredus de Bohun Comes Hereford, & Constabularius Angliæ desponsauit Matildem filiam Galfredi Comitis Essex, & sic successit.* Ex Archiuis tamen Henricum de *Bohun* patrem huius Humfredi hæredem illam duxisse certò constat. Sed error sanè facilè subrepsit, cùm in eius seculi scriptis prænomina tantùm maiusculis literis notentur, vt H. pro Henrico, vel Humfredo; G. pro Gilberto, vel Galfredo, &c. Ex huius posteris masculis Comites Herefordiæ & Essexiæ multos annos successerunt, quos inter Herefordiæ Comites memorauimus, cùm ipsi se Herefordiæ & Essexiæ Comites scripserint. Vltimi *Bohunorum* filia primogenita Æleonora Thomæ de *Woodstock* Duci Glocestriæ in vxorem cum Essexiæ titulo data Annam filiam peperit, quæ in primum maritum Edmundum Comitem *Staffordiæ*, à quo Duces Buckinghamiæ, in secundum Guilielmum Comites Essexiæ. Regist. Walden. * Fitz Piers, siue Fitz Peter. Regist. Mon. Walden. Vide Comites Herefordiæ.

Bourchier

Bourchier, cui Rex Henricus Quintus dedit Comitatum *Ew* in Normannia accepit. Hic Henricum *Bourchier* ex illa genuit, quem Rex Edwardus Quartus Comitatus Essexiæ honore inuestiuit, Ille alterum Henricum è filio nepotem successorem habuit, qui equo sternaci senex excussus expirauit, Anna filia vnica relicta. Qua neglecta Henricus Octauus statim Thomam *Cromwell*, quo administro in Pontificia authoritate profliganda vsus erat, vt maiore cumluaret honore, Essexię Comitem, Magnum Anglię Camerarium, & Georgiani Ordinis Equitem auratum simul fecit, quem anteà ob solertiam Præfectum Rotulorum, sibi Secretarium, Baronem *Cromwell de Okeham*, *Vicarium Regis Generalem in Spiritualibus*, priuatique Sigilli Custodem constituerat; & hęc omnia quinque annorum curriculo. Sed quinto Comitatus mense hanc fabulam vitę cruento exitu, vt pleriq; maximarum rerum administri, capite plexus peregit. Idemque Rex Guilielmum *Parr*, cui Annam filiam vnicam & hęredem Henrici *Bourgchier* in vxorem dederat, etiam Comitis Essexię dignatus erat titulo. Demùm verò *Parro* sine liberis defuncto, Gualterus *D'Eureux* Vicecomes Herefordię, cuius proauia erat Cecilia *Bourgchier*, soror Henrici *Bourgchier* quem modò dixi, Reginę Elizabethę gratia hanc Comitis Essexię dignitatem accepit, filioque Roberto reliquit, qui eximijs naturę dotibus, summa optimę Principis subnixus gratia ad honorem ita pleno gradu progressus est, vt vniuersa Anglia illum maximis maiorum laudibus cumulatissimè æquaturum, imò superaturum sperauerit.

Sed proh dolor, dum ipse aura populari abreptus spes suas anteire properauit, in exitium se præcipitauit: vt multi qui spretis quæ tarda cum securitate, præmatura cum pernicie maluerunt. Filiolum autem eius Robertum in integrum, & paternum honorem authoritate Parlamentaria Iacobus noster Rex serenissimus regia benignitate restituit.

* *
*

Computantur in hac regione Parochiales Ecclesia 415.

ICENI.



ICENI.



EGIONEM *Trinobantibus proximam, quæ postea* East-anglia *dicta, & Suffolciam, Norfolciam, Cantabrigiensémque agrum, cum Huntingdonensi complectitur, occupárunt olim* ICENI, *alibi perperam* TIGENI, *Ptolemæo corruptiùs* SIMENI: *quos etiam confuso vocabulo* CENI-MAGNOS, *apud Cæsarem fuisse dictos iampridem existimaui: & vt ita existimarem, fecit ipsa arctissima affinitas, quæ inter hæc nomina* ICENI, *&* CENI-MAGNI *intercedit, fecitq. Taciti & Cæsaris consensus. Ille enim Cenimagnos se Romanis dedidisse scribit, quod item Icenos fecisse his verbis memorat Tacitus:* Volentes amicitiam nostram accesserunt; *sed quod maximum est in libro MS. pro* CENI-MAGNI, CENI, AGNI *diuiso vocabulo concipitur, pro quibus si non audaculus viderer,* ICENI, REGNI *substituerim ego. Nec alicubi certè Cenimagnos in Britannia comperias, si à Regnis & Icenis diuersi fuerint. Cæterùm Iceni nominis hoc in tractu reliqua sunt vestigia plurima, vt* Ikensworth, Ikenthorpe, Ikborrow, Iken, Iksning, Ichlingham, Eike, *&c. Consularisque illa via, quæ hinc duxit, superioris sæculi Chronographis* Ichenild-Streat, *quasi* Icenorum strata, *passim nominatur. Quæ nominis sit ratio, ita me veritas amet, vt coniectare non* Ichenild-Streat. *ausim, nisi quis à cuneata regionis forma deducat, & in modum Cunei Oceano incumbere dicat. Cuneum enim suo idiomate* Iken *vocant Britanni, eodem etenim nomine locus in Wallia ad* Lhintegid *lacum,* Lhan-yken, *ab illa forma dicitur, & eodem sensu regiuncula in Hispania* SPHEN, *id est,* Cuneus, *vt author est Strabo, vo-* Sphen. *catur, quæ minùs tamen quàm hæc nostra ad cunei similitudinem accedere videtur.*

Gens hæc erat, vt inquit Tacitus, valida, & postquam se Romanorum in fidem permisisset, ad Claudij tempora prælijs non concussa. Tunc enim cùm Ostorius Proprætor flumina castris communiret, & Britannis arma detraheret, contractis copijs se opposuerunt: sed perrupto à Romanis aggere quo se obsepserant, non sine clade magna deuicti. Quâ pugnâ multa sanè, & clara facinora fecere, & M. Ostorius legati filius seruati ciuis decus meruit. Hoc bello sic sopito, vix XIII. *agebatur annus, cùm* Prasutagus. *noua bellorum tempestas his initijs exorta. Prasutagus Rex Icenorum, vt calamitatem à sua gente, vel suis priuatis incommodis redimeret, Neronem Imperatorem hæredem scripsit, tali obsequio (vt Tacitus pro me paucula loquatur) ratus regnum, & domum suam procul iniuriâ fore, quod contra vertit: adeo vt regnum per Centuriones, domus per seruos velut capta, vastarentur. Iam primùm vxor Boodicia, quæ etiam* Boodicia.

Bunduica dicitur, verberibus affecta, & filiæ stupro violatæ sunt. Præcipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, auitis bonis exuti, & propinqui regis inter mancipia habiti. Qua contumelia, & metu grauiorum (quando in formam prouinciæ cesserant) arma rapiunt, commotis ad rebellionem Trinobantibus, & qui alij nondum seruitio assuefacti, resumere libertatem occultis coniurationibus conspirant, acerrimo in veteranos odio incensi. Hinc funestissimum bellum exarsit, cui faces addit Senecæ auaritia, qui sub id tempus quadringenties sestertiûm, (trecenta scilicet millia librarum nostratium) maximis vsuris cumulatum acerbiùs exigebat. Hoc bello, vt summatim dicam, Boodicia illa, quam Leænam dolosam Gildas vocare videtur, Prasutagi vxor octoginta millia Romanorum & sociorum occidione occidit, Camalodunum Coloniam, & Verulamium municipium excîdit. Legionem IX. fudit, Catum Decianum procuratorem fugauit, sed tandem iusto prælio à Paulino Suetonio fracta, inuicta animi constantia, vt Tacitus scribit, hausto veneno; vt Dio, morbo diem obijt. Dum hoc bellum flagraret, scribit è Dione Xiphilinus Britannos VICTORIAM sub ANDATIS nomine, quam alibi Græcus codex Andrasten vocat, inprimis coluisse, & in eius luco summa cum immanitate captiuos immolâsse, quod tamen hodie nomen pro Victoria non agnoscunt Britanni, nec ego quid velit, video, nisi vt Latini Victoriam à vincendo, Sabini Vacunam ab euacuando, & Græci ΝΙΚΗΝ, ἀπὸ τοῦ μὴ εἴκειν. id est, non cedendo nominârint, sic Britanni Anarhaith ab euertendo appellârint; hoc enim nomine exitiabilis euersio illis significatur. Sed hæc obitèr & per transennam. Iam inde altum est de Icenis apud authores silentium, nec quicquam legendo erui potest, nisi quod Romani, præcipite iam eorum imperio, nouum magistratum oræ maritimæ per has, & alias regiones ad Saxonum deprædationes cohibendas præfecerunt, quem Comitem littoris Saxonici per Britanniam vocârunt, vt iam antè diximus.

Senecæ in Britannia vsura.

Dio.

Andates, siue Andrastes. Victoria Dea.

In Cantio.

Cum autem Saxones iam suam in hac insula Heptarchiam confirmâssent, in Orientalium Anglorum regnum cessit hæc prouincia, quam ab Orientali situ sua lingua Eastangle-ryc dixerunt, id est, Orientalis Angliæ regnum, Vffamque primum regem habuit, vnde Vffkines successores diu dicti, qui nunc Merciorum, nunc Cantianorum regum beneficiarij fuisse videntur. Quorum soboles cùm in Edmundo Sancto defecisset, Dani regionem peruaserunt, & miserum in modum annos plus minùs quinquaginta omni bellorum calamitate dilaniârunt, donec Edwardus Senior, illis debellatis, suo occidentalium Saxonum imperio tandem adiunxerit. Deinceps verò suos Præsides habuit, quem honorem primis Normannorum temporibus gessit Radulphus quidam è Britannia Armorica oriundus, homo infido ingenio, qui dum nuptias magno apparatu celebrauit, nefaria opprimendi Guilielmi Normanni consilia cum multis iniuit, sed frustrà silentium & fides inter tot conscios sperabatur. Indicio enim facto, ille honore exutus, & proscriptus, alijque securi percussi. Sed hæc fusiùs ab historicis tractanda, nunc ipsa loca, quod est nostri instituti, adeâmus. Cuiusmodi horum fuit regio, ecce tibi Abbo Floriacensis qui anno Christi DCCCCLXX. floruit, his verbis depinxit: *Hæc pars quæ* Eastangle *vocatur, cùm alijs, tùm eo nobilis habetur, quòd aquis pene vndique alluitur, quum à Subsolano & Euro cingitur Oceano, ab Aquilone verò immensarum paludum*

Eastangle.

Vffkines.

Radulphus Eastangliæ Præses.

In vita S. Edmundi.

*paludum vligine, quæ exorientes propter æqualitatem terræ à meditullio fermè totius Britanniæ per centum & eo ampliùs millia cùm maximis fluminibus descendunt in mare. Ab ea autem parte, quà Sol vergit in Occasum, ipsa prouincia reliquæ insulæ est continua, & ob id peruia: sed ne crebra irruptione hostium incursetur, * aggere ad instar altioris muri, fossa humo præmunitur. Interiùs vbere satis gleba, admodum læta hortorum, nemorumque amœnitate, gratissima ferarum venatione, insignis pascuis, pecorum & iumentorum non mediocriter fertilis. De piscosis fluminibus reticemus, cùm hinc eam, vt dictum est, lingua maris allambit, inde paludibus dilatatis stagnorum ad duo, vel tria millia spatiosorum innumerabilis multitudo præterfluit. Quæ paludes præbent pluribus Monachorum gregibus optatos solitariæ conuersationis sinus, quibus inclusi non indigeant solitudine heremi.*

* *Rech dike, vel Diuels dike.*

Hæc Abbo.




Mm 2 *SOVTHFOLKE,*


SVFFOLCIÆ
Comitatus (cuius Populi olim iceni Dicti) Continens in se oppida mercatoria XXV Pagos et Villas CCCCLXIIII. Vna cum singulis Hundredis et fluminibus in eodem
Auctore Christophero Saxton.
PAR
The names of the hundreds of this mappe
1 Lackford hũ.
2 Thingow hũ.
3 Risbridge hũ.
4 Baber hun.
6 Blackborn hũ 7 Stow
8 Cosford hũ.
9 Bosmere & Cleydon.
10 Samforde hun.
11 Tredlinge hũ.
12 Hertsmere hun.
13 Hoxon hun.
14 Loes hundred
15 Wilforde hun.
16 Plomesgate hun.
17 Blithing hun.
18 Wangforde hun.
19 Mutforde hun.
20 Carlsforde hũ.
21 Colnes hun.
OF
FOLK
SITOMAGVS
Thetford.
Brandon
Mildnall
Litleport
Ely
Newmerket
Burye
Wulpet
Lancham
Sudburye
Hauerill
Clare
PARTE OF CAMBRIDGE SHIRE
PARTE OF ESSEX



Popul
Norwich
Hierus fluvius
GARIANONVM
Yarmouth
Yarmouth haven
Leftoft
Beccles
Bungey
Harleston
Halesworth
Sowowlde
Dunwich
Buddesdale
Framlingham
Saxmundham
Debenham
Nedham
Aldebroughe
Orforde
Orforde haven
Woodbridge
Ipswich
Hadley
Bawdsey haven
Orwel haven
Harwich
Mannitre
Dover court
Scala Milliarium

SOVTH-FOLKE, *siue* SVFFOLKE.



Vffolcia, quæ primò dicenda, Saxonicè Suð-folc, id est, *Populus Australis*, ratione Norfolciæ, ab Occasu habet Cantabrigienses, ab austro *Stour* fluuium, qui ab Essexia diuidit, ab Ortu Oceanum Germanicum, à Septentrione duos fluuiolos *Ouse minimum*, & *Waueney* qui ex eodem quasi fonte in diuersa fluentes, à Norfolcia distermi-nant. Regio satis ampla, portuosa, solo nisi ad Orientem, admodum pingui, vtpote ex argilla & marga composita, vnde lætissima vbique
Casei. arua, & vberrima saginando pecori pascua, caseique magno numero conficiuntur, qui in omnes Angliæ partes, magno cum incolarum commodo, distrahuntur. Imò etiam in Germaniam, Galliam, & Hispaniam, vt author est Pantaleon Medicus, qui hos nostros cum Placentinis, & colore & sapore conferre non dubitauit, sed non erat ille ex Apicij schola delicatulus. Nec desunt syluæ, & viuaria quàm plura nobilium ædibus adiuncta feris repleta.

Diuiditur hæc politicè in tres partes, quarum vna *The Geldable*, quòd ex ea tributum exigitur: Altera *Libertas S. Edmundi*, quia ad eius monasterium spectauit: Tertia *Libertas S. Etheldredæ* dicitur, quia ad Eliense cœnobium pertinuit, cui concesserunt olim reges nostri quædam territoriola cum *Sacha*, & *Socha*, vt inquit liber Eliensis, *sine vlla exceptione Ecclesiasticæ aut secularis iurisdictionis*. Verùm nos Chorographicè hanc obeamus, & ab Occasu exorsi, potiora loca perlustremus.

Quà Occasum & Cantabrigienses spectat, in ipso limite *Ixning* sedet, maioris olim, quàm hodiè famæ. Etheldreda enim virgo regis Annæ filia in Diuas relata suis natalibus, Radulphus huius Eastangliæ Comes, sua in Guilielmum Normannum conspiratione, & Heruæus primus Episcopus Eliensis viâ, quam hinc ad *Ely* muniuit, olim nobilitarunt. Nunc verò vicinitate *Noui fori*, quod *Newmarket* dicimus, quò certatim res ve-
New-market Nouus mercatus. nales vndique comportantur, decrescere cœpit. Recentius hoc esse nomen ipsum innuit: ita verò positum est, vt Australis pars ad Cantabrigiensem, Septentrionalis ad Suffolciensem Comitatum spectet, & vtraque suam habet ecclesiolam, quarum hæc *Ixning*, illa *Ditton* siue *Dichton* matrem agnoscit. De hoc verò nihil aliud mihi legenti occurrit, quàm quod sub Henrico Tertio alteram huius partem Robertus de *Insula* siue *L'isle in liberum maritagium* cum Cassandra filia Richardo de *Argentomo*, à quo *Alingtonij*, dederit.

New-market heath. Hic circumquaque longè patet planities *Newmarket heath* inde nominata, arenosa, & sterili, virenti tamen terra, in qua fossa illa admiranda videtur, quam quasi à Diabolo du-
Diuels Dike. ctam *Deuils dike* vulgus vocat, cùm certum sit ex istis fuisse, quibus, vt prodit Abbo, contra hostiles irruptiones incolæ se præmunierunt, vt fusiùs cùm ad Comitatum Cantabrigiensem peruenerimus, docebitur. Interim tamen monendus hic est lector minimam omnium harum fossarum ad alterum hinc milliare conspici inter *Snail-well* & *Moulton* perductam.

S. Edmunds Bury. Villa Faustini. Interiùs opidum est S. Edmundi celeberrimum, quod Saxonico sæculo Beoeɲicſ-ȝueoɲð, & Britannico, vt videtur, VILLA FAVSTINI, cuius meminit Antoninus, sic enim existimauit Talbottus vir antiquitatis benè peritus, & in hac Angliæ parte versatissimus: distantiæ etiam ratio tam ab *Icianis* quàm à *Colonia* apud Antoninum satis con-
Gueord siue Werth. uenit, vtq; *Villa* Latinis nobilis cuiuspiam domum in fundo locatam significat, ita Gueoɲð idem Anglis denotauit. Abbo enim ille *Bedericſ-gueord*, *Bederici cortis*, id est, *villa* interpretatur. Prætereà Angli, vim verbi in suam linguam transfudisse videantur: etenim vt Faustinus Latinè prosperitatis sensum in se habet, ita Germanicè *Bederic*, vt scribit literatissimus ille Hadrianus Iunius, vbi Betoricis nomen, qui apud Strabonem Melonis Sicambri filius erat, fœlicitatis & fauore plenum interpretatur. Sin diuersi hi fuerint libenter me nescire fateor, quis ille Faustinus, & quis hic Bedericus. *Faustini* illius *villam* quam
Bericus Britannus. Martialis libro Epigrammatum tertio depingit non fuisse certò scio. Et Berici eius fuisse, qui è Britannia exturbatus, vt author est Dio, Claudio imperatori bellum in Britannos mouere persuasit, si dicerem, ipse mihi neutiquam crederem. Quæcunque verò fuerit,

si *Faustini villa* non sit, celebris tamen memoriæ fuisse videtur, quum enascente in hoc tractu religione Christiana Sigebertus Rex ædem sacram hîc posuerit, & Abbo *Villam regiam* vocarit. Verùm cùm Edmundi Christianissimi Regis corpus, quem Dani exquisitis supplicijs trucidâssent, huc transtulisset populus, & in eius honorem *permaximam miro ligneo tabulatu ecclesiam* construxisset: *Edmundi Burgus* vulgò *S. Edmondsbury*, & contractè *Bury* dici cœpit, mirúmque in modum floruit, præcipuè verò ex quo Canutus Rex vt patris Sueni sacrilegam in hanc ecclesiam impietatem expiaret, nouo opere instaurauerit, opibus referserit, coronam suam S. Martyri obtulerit, monachos cum suo Abbate induxerit, prædia multa & magna, & inter alia ipsum opidum integrum donauerit. Cui ipsi Monachi per suum Seneschallum præfuerunt & ius dixerunt. Vnde Ioscelinus de *Branklond* huius loci Monachus. *Homines tam extra Burgum, quàm infra nostri sunt, & omnes infra* Bannam Leucam *eadem libertate fruuntur.* Postea Heruæus è Normannico genere Abbas muro, cuius pauculæ supersunt reliquiæ, cinxit. Pontifices Romani maximis immunitatibus dotârunt, & inter alia concesserunt, *Vt nulli Episcopo locus ille subderetur in aliquo, in legitimus Archiepiscopi nutum spectaret.* Quod adhuc obseruatur. Iámque monachi diuitijs circumfluentes nouum magnifica structura templum erexerunt, & indies nouis ædificijs auxerunt, dúmque, Edwardo Primo regnante, sacelli noui fundamenta ponerent; *Inuenti sunt* (vt inquit Euersdenus huius loci monachus) *muri veteris cuiusdam ecclesiæ rotundæ ita constructæ, quòd altare quasi in medio fuerit, & credimus* (inquit) *illam fuisse, quæ ad opus S. Edmundi primò fuit constructa.* Quale verò sit hoc opidum & quantum fuerit Monasterium dum steterit, audi, qui vidit, Lelandum. *Sol non vidit vrbem situ elegantiorem, sic molli delicata pendet in cliuo, & riuulus ad Orientem defluit: aut cœnobium illustrius, siue quis dotationem, seu amplitudinem, aut magnificentiam incomparabilem æquis rationibus expendat. Diceres planè Cœnobium vrbem esse: tot portæ, partim etiam aneæ, tot turres, & templum, quo nullum magnificentius, cui alia * tria egregio opere nitentia vno & eodem cœmiterio sita subseruiunt.* Si quantæ fuerint opes requiras, non facilè quis dixerit, quot donaria vni Edmundi Mausolæo appensa, & sexaginta supra mille quingentas libras quotannis ex reditibus & latifundijs collegit. Si tumultus inter ciues & monachos (qui ciuibus per suum *Seneschallum* præfuerunt) subinde exortos, & quanta cum rabie ad mutuam internecionem concurrerint, sigillatim narrarem, omnem fidem superaret narratio. Verùm huic operi tanto tempore surgenti, & opibus tot annos congestis finem attulit Henricus Octauus cùm Monasteria subrueret ab ijs persuasus qui priuatas rationes, & suam opulentiam Principis & patriæ, imò & Dei gloriæ specioso restaurandæ religionis obtentu prætulerunt. Pristinæ tamen vetustatis non deforme cadauer iacet, sed ruina sanè splendida, quam quicunque intueatur, & admiretur, & simul commiseratur. Iacturam, vt hoc etiam obiter adnotem, si vnquam aliâs in homine, hoc in loco fecit Anglia maximam. Verus enim ille pater patriæ Humfredus Dux Glocestriæ, iusti peruicax, & qui illustre ingenium altioribus studijs excoluerat, cùm regnum viginti quinque annis sub Henrico Sexto summa cum laude ita gubernasset, vt nec boni quod quererentur, nec mali quod calumniarentur haberent, hîc è medio sublatus inuidia Margaretæ Lotharingæ. Quæ cùm regem Henricum Sextum maritum minuti & angusti animi videret, vt ad se rerum summam traheret, hoc nefarium facinus concepit; verum suo & huius regni malo maximo. Normannia enim cum Aquitania statim amissa, & plusquam ciuilia in Anglia bella erant suscitata.

Malmesburiensis.

Euersdenus.

* Nunc tantum duo.

Humfr. Dux Glocestriæ.

Iuxta hunc *Edmundi Burgum* cernitur *Rushbrok* sedes claræ & equestris familiæ *Iermінorum*, nec longè *Ikesworth* vbi Prioratus antiquus fuit à Gilberto *Blund* magnæ nobilitatis viro, Domino de *Ikesworth* fundatus, cuius stirps mascula rectâ lineâ defecit in Guilielmo qui cecidit in prælio ad *Lewes* tempore Henrici Tertij, duásque sorores Agnetam Guilielmi de *Creketot* & Roisiam Roberti de *Valonijs* coniuges hæredes reliquit.

Ikesworth. Blund.

Magis ad Boream sedet *Fernham S. Genovefæ*, ideò memorandum quòd ibi Richardus *Lucy* Iustitiarius Angliæ Robertum Leicestriæ Comitem hîc grassantem iusto prælio cœpit, & plusquam decem millia Flandrorum quos in patriæ perniciem ille euocauerat, occidione occidit. Duas hîc in proximo ædes admodum elegantes vidimus, alteras à *Kitsonis* equestris dignitatis ad *Hengraue* possessionem olim Edmundi de *Hengraue* Iurisconsulti sub Edwardo Primo celeberrimi, alteras ad *Culfurth* à Nicholao *Bacon* Equite

Fernham. 1173.

Hengraue. Culfurth. N. Bacon.

nuper

N. Bacon. Lidgate. Ioannes Lidgate.

nuper extructas filio Nicholai illius *Bacon magni sigilli Angliæ Custodis*, qui ob singularem prudentiam & solidissimum iudicium altera è destinis huius regni suo tempore meritissimè est habitus. Nec procul dissitus est *Lidgate* viculus, qui hoc nomine neutiquam tacendus, quòd in lucem Ioannem *Lidgate* monachum ædiderit, cuius ingenium ab ipsis Musis effictum videatur, ita omnes Veneres & elegantiæ in suis Anglicis carminibus renident. Hæc ad Occiduam Suffolciæ partem sunt memoriæ celebrioris.

Stoke Clare.

Ad Austrum, *Stour* fluuius statim à fonte in amplam paludem *Stourmere* vocant, stagnare vidimus, sed mox intra ripas se colligens, primùm *Clare* præterfluit, vicum nobilem, qui præter dirutam arcem, quam ostendit, *Clarorum* nomen honoratissimæ familiæ, quæ a Gisleberto Comite Normanno descendit, & Ducatus titulum Leonello Edwardi Tertij filio impertiuit, qui cùm vxorem ex illa familia oriundam duxisset, Ducis Clarentię titulum à patre accepit. Ille enim ab hoc loco Clarentiæ Dux est dictus (vt priùs Comitis Gisleberti posteri, Comites de *Clara*) qui ad Albam Pompeiam in Italia mortuus cùm secundis nuptijs Galeacij Vicecomitis Mediolanensis filiam sibi iunxisset: & in Collegiata hîc ecclesia inhumatur, vti etiam Ioanna de *Acres* filia regis Edwardi Primi quę Gilberto secundo de *Clara* Glocestriæ Comiti enupta. Expectet fortasse hîc lector vt Comites qui de *Clara* dicti, & Clarentiæ Duces subijciam, cùm honoratissimo semper loco in hoc regno fuerint, & sanè paucis subijciam ne quis desideret. Richardus filius Gisleberti Comitis * Aucensis in Normannia stipendia fecit Regi Guilielmo cùm in Angliam ingrederetur, ab eoque donatus est villis de *Clare, & Tunbridge*. Hic genuit quatuor filios Gislebertum, Rogerum, Walterum, & Robertum à quo *Fitz-Walteri* descenderunt. Gislebertus ex filia Comitis de *Claro monte* habuit Richardum qui ei successit, Gislebertum, à quo Richardus ille Comes Penbrochiæ & expugnator Hiberniæ, & Walterum. Richardus primogenitus à Wallis occisus reliquit duos filios Gilbertum, & Rogerum: Gilbertus autem sub Stephano Rege fuit Comes Hertfordiæ, ille tamen & eius successores sæpiùs Comites de *Clara* ab hac primaria eorum sede & vulgò dicti, & ipsi se scripserunt. Huic sine prole defuncto successit Rogerus frater, cuius filius Richardus Amiciam filiam & vnam hæredum Guilielmi Comitis Glocestriæ sibi matrimonio iunxit, cuius iure eius posteri Glocestriæ erant Comites, quos suo loco vide. Verùm mascula eorum prole tandem deficiente, Leonellus tertius Regis Edwardi Tertij filius (qui Elizabetham filiam & ex asse hæredem Guilielmi de *Burgo* Comitis Vltoniæ ex Elizabetha *Clara* prognati duxerat) à patre nouo titulo Ducis Clarentiæ honoratur. Cùm ille autem vnicam tantùm filiolam Philippam Edmundi de *Mortuomari* Comitis Marchię vxorem suscepisset, Rex Henricus Quartus Thomam filium minorem Clarentiæ Ducem instituit, qui Normanniæ præfectus Scotorum & Gallorum in se ruentium impetu in Andibus, nulla suscepta prole cecidit. Satis longo post tempore Edwardus Quartus hunc honorem Georgio fratri contulit, quem post graues inimicitias & acerba odia in gratiam receperat; tandemque tamen in carcere extinxit in dolio vini Cretici, (vt fama obtinet) immersum. Vtique hominibus natura insitum est vt quos timuerint, & quibuscum de vita contenderint, hos, licèt sint fratres, semper oderint.

[Margin: Comites Claræ. — Augy. — Guil. Gemiticensis lib. 7. c. 37. — Rob. Montensis. — Duces Clarentiæ. — 1421.]

Sudbury.

A *Clara* per *Long Melford* Hospitale pulcherrimum ab optimo viro Guil. Cordallo ordinis Equestris, & ab Archiuis nuper positum, ad *Sudbury*, id est, *Australis Burgus*, accedit *Stourus*, & ferè circumlambit, quem huius agri quondam præcipuum fuisse, & ratione Norwici, id est, *Vicus Septentrionalis*, hoc nomine signatum credunt. Nec dum vicinis inferior censeri æquo animo ferat. Est enim populosus, & pannis conficiendis opulentus, *Maioremque* pro summo magistratu habet qui singulis annis ex *Aldermannis* septem eligitur. Haud multum hinc abest *Edwardeston* non magni nunc nominis, sed quę olim Dominos & incolas summi honoris habuit de *Monte Canisio*, vulgò *Mont-Chensy* dictos, è qua familia Guarinus duxit filiam & vnam hæredum potentissimi illius Guilielmi Marescalli Comitis Penbrochiæ, atque ex illa suscepit Ioannam filiam quæ maritum Guilielmum de *Valentia* è familia Lusigniana in Gallia Comitis Penbrochiæ titulo adauxit. Guarinus autem ille *Mont-Chensy*, vt vir erat honoribus amplissimis, ita fortunis maximis, adeò vt Angliæ Crassus eo seculo haberetur, *Testamentum enim eius ad ducenta millia Marcarum transcendit*. Post pauca milliaria *Bretono* fluuiolo augetur *Stour*, qui non longo decursu duo alluit antiqui nominis opida. Ad fontes *Bretenham* cernitur, opidulum

[Margin: Edwardeston Barones de Montchensy. — Minor histor. Matth. Paris.]

opidulum exile, vbi vix vlla vrbis facies videtur, quod tamen COMBRETONIVM esse, cuius hoc in tractu Antoninus meminit, nominis tum affinitas, tum significatio persuadet. Vt enim *Bretenham* Anglis *domum vel mansionem ad Bretonum*: sic *Combretanium* Britannis *vallem*, aut depressiorem ad *Bretonum* locum denotat. Sed hæc perperam in Peutegerianis schedis COMVETRONVM, & AD COVECIN dicitur. Hinc parùm ad Ortum *Nettlested* conspicitur, vnde *Wentworthi* fuerunt, quos Baronum dignitate ornauit Rex Henricus Octauus: vicinumque est *Offton* .i. *Offæ* Regis Merciorum opidum, vbi in colle argillaceo rudera iacent antiqui castri quod Offam posuisse ferunt, cùm Æthelbertum Eastanglorum regem sceleratè sustulisset, eiusque regnum occupâsset. Infrà hanc *Hadley*, Saxonicè Ƕeaðleᵹe sedet, laneis pannis conficiendis hodiè insigne. Ab historicis nostris olim memoratum, quòd *Guthrum*, siue *Gormo* Danos hic sit sepultus. Cùm enim Ælfredus illum eò adegisset, vt Christo nomen daret, & baptismum susciperet, has Orientalium Anglorum regiones illi assignauit, vt (authoris mei verbis vtor) *sub fidelitate regis iure foueret hæreditario, quas persuaserat latrocinio.*

Combretonium. Bretenham. Barones Wentworth. Hadley. Guthrum, siue Gormo Danus.

Hinc *Bretonus* petit *Stour*, qui consociatis aquis non longè a *Bentley* vbi *Talmachi* generis claritate & vetustate insignes longo sane tempore efflorerunt, defluens post pauca milliaria, prope *Arwerton* olim claræ familiæ *Baconnorum*, nunc *Parkerorum* ædes, qui paternam originem à Baronibus *Morley*, maternam à *Calthropis* celebri inprimis familia genus deducunt, Oceanum subit; ipsoque ostio, *Orwell* siue *Gipping* fl. vnà euoluitur. Hic in ipso quasi huius agri vmbilico exoritur: è duobus fontibus, altero prope *Wulpett*, altero ad *Gipping* viculum. *Wulpet* opidum est mercatorium & Latinè sonat *Luporum fossa*, si Neubrigensi credamus, qui non minùs speciosam fabellam de hoc loco contexuit, quàm sit ipsa Luciani vera narratio: nimirum duos pusiones colore viridi, ex Satyrorum genere, longo per subterraneos meatus itinere confecto, ex altero terrarum orbe, scilicet ab Antipodibus, & terra *S. Martini* hîc emersisse, de quibus si plura velis, ipsum authorem adeas, qui tibi, vt inquit ille, omnibus risionibus ridenda propinabit. Nescio an hîc memorem in quam vanam spem auri inueniendi ad *Norton* vicinum cupiditas credula Regem Henricum Octauum pellexit: sed suffosiones loquuntur. Inter *Gipping* verò & *Wulpett*, in ædito colle supersunt vestigia antiqui castri *Hawghlee* quod duo plus minus iugera complectitur. Hoc nonnulli Castrum *Hagoneth* dictum esse contendunt quod fuit Radulphi de *Broc*, & MCLXXIII. è Roberto Comite Leicestrensi captum & subuersum.

Bentley. Arwerton. Wulpet. Norton. Hagoneth.

Ad eundem fluuium cernuntur *Stow* & *Needham* mercatoria opidula, nec procul à ripa *Hemingston* in qua tenuit terras Baldwinus *Le Pettour* (notato mihi nomen) *per Serjantiam*, loquor ex antiquo libello, *pro qua debuit facere die natali Domini singulis annis coram Domino Rege Angliæ, vnum saltum, vnum suffletum, & vnum bumbulum*, vel vt alibi legitur, *per saltum, sufflum & pettum*, .i. si intelligo, vt saltaret, buccas cum sonitu inflaret, & ventris crepitum ederet. Ea fuit illorum temporum aperta & læta hilaritas. Notaturque quòd ad hoc *feodum Manerium* de *Langhall* spectauit. Propiùs ostium *Ipswich*, olim *Gippewich* vrbeculam humiliori situ vidimus, quæ huius Comitatus quasi ocellus, portu satis commodo, vallo & aggere olim præmunita, mercimonijs frequens, magna habitatorum multitudine referta, templis quatuordecim ornata, ædibus amplis & magnificis exculta. Quatuor religiosorum ædes nunc euersas prætermitto, & collegium magnificum quod inchoauit Thomas Wolsæus Cardinalis hîc ex Lanio natus, cuius vastus animus nimis alta semper spirauit. Corpus Politicum (vt accepi) constat ex duodecim Burgensibus (*Portmen* vocant) è quibus pro summis magistratibus quotannis eliguntur duo *Ballini*, totidemque *Iusticiarij*, ex XXIIII. alijs. Quod ad antiquitatem attinet quantum obseruare potui, nomen ante Danicam irruptionem, quam experta fuit, non auditum. Anno Salutis DCCCCLXXXXI. Dani tanta immanitate hunc locum, & omnem maritimam regionem deprædati sunt, vt Siritio Archiepiscopo Cantuariensi, & Angliæ proceribus pacem ab illis decem librarum millibus redimere consultissimum videretur. Nihilominùs vix nonus agebatur annus, cùm hoc opidum iterum diripuerint, statimque Angli prælio fortiter eos exceperint, sed vnius (vt habet Huntingdonensis) Turkilli meticulosâ fugâ, (leuibus enim momentis maximè fiunt in bello inclinationes) nostris in fugam coniectis, victoria è manibus excidit. Edwardo Sancto regnante,

Tenura lepida. Ipswich.

vt est in Censuali Angliæ Commentario, *De hac Regina Edeua duas partes habuit, & Comes Guert tertiam partem, Burgensesque erant* DCCC. *reddentes consuetudinem Regi.* Cùm verò Normanni Angliam occupassent, castrum hic erexerunt, quod contra Stephanum vsufructuarium Angliæ regem Hugo *Bigod* aliquandiu propugnauit, sed demùm dedidit: hoc nunc ita disparuit, vt rudera non supersint. Sunt qui volunt fuisse in parochia proxima de *Westfeld* vbi rudera castri cernuntur, & olim vetus *Gippwic*, vt ferunt, consedit. Demolitum tunc credimus, cùm *Waleton* castellum vicinum solo complanaret Henricus Secundus. Hoc enim seditiosis perfugium erat, & ad hoc exposita tria millia Flandrorum, quos in illum euocauerant Angliæ proceres, cùm Henricum filium immaturo consilio æquata potestate regem designasset; iuuenisque, cui inter præcipitium & summum nihil medium erat, regnandi cupiditate furens, nefarium in patrem bellum indixisset. Quamuis hæc castra iam euanuerint, littus tamen hoc satis defenditur immani dorso (*Langerston* vocant) quod per duo plùs minùs milliaria, vt inquit ille, summo mari non sine magno nauigantium periculo & terrore longè incumbit, vsui tamen est piscatoribus ad pisces exsiccandos, & spatiosum portum *Orwell* quodammodo præmunit. Hæc ad Australem huius agri partem.

Walton. — *Langerston.*

Hinc incuruatum littus (hæc enim plaga Orientalis tota mari obuersa est) in Septentriones procurrens, mox * *Debeno* fluuiolo se aperit, qui fontes habet iuxta *Mendlesham*, cui ius mercatus, & Nundinarum ab Edwardo Primo loci Dominus H. *Fitz-Otho*, siue *filius Othonis* sculptoris cunctorum acquisiuit, per cuius hæredes non minima possessio ad *Boutetorts* Dominos de *Wily* in Wigorniensi Comitatu decidit, & ab illis denuò regnante Richardo Secundo ad *Freuill*, *Burnell*, & alios. Hic *Debenus* fl. primùm affunditur & nomen facit *Debenhamiæ* mercatorio opidulo, (quod *Depenham* alij rectiùs dici volunt,) quòd ex argillaceo & humidiori solo viæ circumquaque sunt profundiores & impeditiores. Inde defluit per *Vfford* Roberti de *Vfford* Suffolciæ Comitis quondam sedem, & huic alterâ ripâ oppositam *Rendelis-ham*, id est, interprete Beda, *Rendili mansio*, vbi Redwaldus Orientalium Anglorum Rex plurimum egit, qui primus ex sua gente Baptismatis fonte Christo renatus erat: posteà tamen ab vxore seductus, *in eodem fano, & altare*, vt inquit Beda, *ad Christi religionem, & arulam ad Dæmoniorum victimas habuit.* Swidelhmus etiam Rex Orientalium Anglorum à Cedda episcopo posteà hoc loco sacro baptismi lauacro fuit ablutus.

* *Thredling* alij vocant. — Boutetort. — *Rendelesham.*

Hinc *Debenus* fl. ad *Woodbridg* descendit opidulum nitidis ædificijs excultum vbi statis temporibus Conuentus pro libertate S. Etheldredæ habentur, & post pauca emensa milliaria ab Oceano ad *Bawdsey* portum suscipitur.

Iam littus sensim in Ortum proreptans ad *Ori* fluminis ostium, quod iuxta *Fremlingham* quondam *Bigodorum* castrum profunditur, statimque ad occiduum eius latus quasi in lacum diffunditur: Castrum hoc est pulcherrimum, aggere, fossa, & muro magnæ crassitudinis in quo tredecim turres, firmatum, interiúsque ædificijs in vsum commodissimis instructum. Hinc anno Salutis MCLXXIII. cùm seditiosus filius Regis Henrici Secundi in patrem arma caperet, Robertus Leicestriæ Comes cum mercenarijs Flandris latè regionem infestauit. Hinc etiam anno MDLIII. Maria Regina regnum auspicata est frendente contra Henrici VIII. filias Northumbriæ Duce Dudleio. *Parham* opidulum deinde flumen accedit, cuius Dominum Guilielmum *Willoughby* Baronis dignitate ornauit Rex Edwardus Sextus, & posteà *Glemham* quæ vetustæ & celebri familiæ nomen imposuit præterlapsus ad *Oreford* cui nomen facit, in mare descendit. Amplum & frequens hoc fuit opidum, castróque è russescente saxo munitum, quod olim ad *Valoinios*, & posteà ad Willoughbæos pertinuit, sed de Oceani ingratitudine hodie conqueritur, qui sensim se subducit, & portus commoditatem inuidere cœpit: nec aliud est quod de *Orefordia* dicam, nisi placeat hæc paucula Radulphi de *Coggeshall* vetusti scriptoris verba percurrere. *Tempore Henrici Regis, cùm Bartholomæus de Glanuile custodiret castellum de Orefood, contigit vt piscatores hominem syluestrem inter retia sua comprehenderent, qui speciem humanam omnibus membris prætendebat, capillos habebat, barbam prolixam, & pineatam, circa pectus nimiùm pilosus erat & hispidus, qui tandem clam aufugit ad mare & nusquam comparuit.* Vt verum sit, quod vulgus dicit: Quicquid nascatur in parte naturæ vlla, & in mari

* *Winchell* alijs dicitur. Framlingham. — Parrham. Barones Willoughby de Parrham. Oreford.

mari esse: & non omninò commentitium, quod de Tritone in Lusitaniæ littore, & marino homine in freto Gaditano scripsit Plinius. Tritones, & monstra marina.

Non multo superiùs tuto & peramœno situ interiacet inter vallem *Slaughden* quà mare ab Ortu diuerberat, & flumen ab Occasu *Aldburgh* .i. si interpreteris, *Burgus antiquus*, vel vt alij volunt *Burgus ad Ald fl.* statio nautis & piscatoribus satis commoda, & inde satis frequens, Oceanum qui alijs hàc orâ opidis infestior, propitium agnoscit. Iuxtà cùm ex cœli iniuria segetum spicæ per Angliam anno MDLV. suffocatæ essent, pisâ nullâ terrâ circumfusa inter saxa, Autumno incunte, non sine miraculo enata, annonam laxâsse ferunt incolæ. Prudentiores, legumina naufragijs in littus reiecta subinde illic renasci solita esse referunt, vt nullus sit miraculo locus. Verùm huiusmodi sua sponte quotannis inter scrupos in Cantij littore enasci iam antè diximus. Aldburg. Pisa è rupibus enata.

Hinc littora legentes ad X. milliare *Dunwich* offendimus, Anglo-Saxonicè *Dunmoc*, cuius Beda meminit, vbi Fœlix Burgundus qui Orientales Anglos à Christo deficientes ad fidem reduxit, anno Salutis DCXXX. episcopalem sedem fixit, eiusq; successores non paucis annis vniuersæ Orientali Angliæ præfuerunt. Sed Bisus à Fœlice quartus, cùm ætate ingrauescente, & aduersa valetudine, tantæ prouinciæ minimè par esset, in duas sedes diuisit: altera verò in hac permansit, alteram in *North Elmeham* opidulo constituit. Rege Guilielmo Primo regnante, CCXXXVI. *Burgenses habuit, pauperes* 100. *valebat* 50. *libras, & sexaginta millia* * *allectum de dono:* sic in Censuali Angliæ tabula legitur. Superiori sæculo fuit hæc ciuibus frequens, & officinâ monetariâ celebris, & Henrico Secundo regnante, vt scribit Guilielmus Neubrigensis, *vicus insignis, varijs opibus refertus.* Quo tempore, cùm nouis motibus arderet Anglia ita munita erat, vt terrori fuerit Roberto Leicestrensi Comiti qui has partes latè persultabat. Nunc verò peculiari naturæ inuidiâ, quæ sine vllo fine maris auiditati indulget, fluctuum violentiâ maximam partem abrepta, & Episcopis multa ante secula sedem suam aliò transferentibus, in solitudinem quasi redacta iacet. Paulò superiùs *Blith* flumen se in mare exonerat, ad cuius ripam exiguum opidulum *Blithborow* vidimus, quod non alio, quàm sepulturâ Annæ regis Christiani nomen meruit, quem Penda Mercius iusto prælio interfecit. Ecclesia Canonicorum collegio illustratum fuit à Rege Henrico Primo qui eandem S. Osithę Canonicis concessit. Mercatum habet beneficio Ioannis Domini *Clauering*, cui hoc ius cum nundinis Rex Edwardus Secundus dedit. Luculentum sane ille patrimonium hoc in tractu habuit; vtique genus a filia & hærede Guilielmi de *Casineto*, siue *Cheney* duxit, qui Baroniam de *Horsford* in Comitatu Norfolciæ tenuit, & Monasteriolum ad *Sibton* erexit. Dunwich. * Halecum. Blithborrow. Regist. Mon. de Sibton.

Procurrit hìc longiùs in Ortum proiectum promontorium *Easton-nesse*, quod totius Britanniæ maximè Orientale iudicatur, Ptolemæo Ἐξοχὴ, siue EXTENSIO dicitur. Et ne dubites hoc esse quod nos *Easton* vocamus, noueris *Eysteney* idem esse Britannis, quod Græcis Ἐξοχὴ, & Latinis Extensio, quamuis & hoc nomen æquè probabiliter nostrâ linguâ a situ Orientali inditum videatur. In Australi parte huius promontorij *Southwold* in planitie, mari littore aperto obiacet, opidum non infrequens portus beneficio quem *Blith* fl. ibi se exonerans præbet, & accedente æstu ita vndis circumfusum vt insula videatur & non esse superfusum mireris. Adeò vt illud Ciceronis in mentem mihi reuocârit; *Quid æstus maritimi Hispanienses & Britannici, eorumque certis temporibus vel accessus, vel recessus? sine Deo fieri non possunt*, qui suos vndis circumscripsit limites. Interiùs *Wingfeild* cernitur vbi semiruta mœnia castri cernuntur, quod familiæ in hoc tractu numerosæ, & equestri gloria & antiqua nobilitate admodum insigni nomen fecit, sedesq; fuit: & *Dunnington* quæ suum Dominum Ioannem *Phelipps* ostentat patrem Guilielmi illius qui in vxorem duxit filiam & hæredem Baronis *Bardolph*, cuius itidem filiam & hæredem Ioannes Vicecomes *Beaumont* in coniugem accepit. Sed nunc veteris familiæ *Roussorum* est habitatio. Nec multùm hinc abest *Huntingfeild* qui Baronem eo nomine notum, Edwardo Tertio regnante, habuit, & huic vicinum *Heueningham* sedes equestris familiæ de *Heueningham*, quæ admodum vetustam repetit originem, parumq; abest *Halesworth* quondam *Healsworda* antiquum *Argentoniorum*, nunc *Alingtoniorum* opidum, cui Richardus *Argenton* ius Mercaturæ a rege Henrico Tertio impetrauit. Extensio Promontorium. Eastonnesse. Lib. 2. de natura Deorum. Wingfeild. Phelipps. Huntingfeld. Henningham. Halesworth.

A Septentrione duos fluuiolos *Ouse* scilicet minorem, & *Waueney* hanc prouinciam à

Norfolcia

Norfolcia disiungere diximus, qui è palustri loco ad *Lophamford* fontibus parùm inter se disparatis emanantes, in diuersa per vadosos sinus cursus agunt. Ad *Ouse* qui in Occasum fertur, nihil memoria dignum hac in parte se exhibet. Ad *Waueney* qui in Ortum tendit, primum *Hoxon* olim *Heglisdon* cernitur, martyrio Edmundi regis nobilitatum. Ibi enim Christianissimum regem quòd Christo non renunciaret, immanissimi Dani (vt Abbonis verbis vtar) *ad arborem religatum toto corpore sagittarum telis confodiunt, multiplicantes acerbitatem cruciatus crebris telorum iactibus, quum vulnera vulneribus imprimebant, dum iacula iaculis locum dabant.* Atque vt medij temporis Poeta de illo cecinit.

Edmundi Regis Martyrium.
Hoxon.

Iam loca vulneribus desunt, nec dum furiosis
Tela, sed hyberna grandine plura volant.

Quo loco posteà ædes erant Episcopi Norwicensis admodum elegantes, donec illi pro monasterio S. Benedicti non ita pridem commutârint. In proximo ad *Brome* longo iam tempore habitauit equestris familia *Cornwalleys*, ex quibus Ioannes fuit Seneschallus familiæ Edwardi Sexti principis, & Thomas eius filius, qui ob prudentiam & fidem fuit à consilijs Mariæ Reginæ, eiusque aulæ *Controrotulator*. Inferiùs *Eay* sedet, id est, *Insula*, sic dicta, quòd sit vndique aquis irrigua, vbi monasterij S. Petro sacri, & vetusti castri, quod ad Robertum *Mallet* Normannicum Baronem spectauit, rudera, ruinæ, & hinc inde fatiscentia mœnia ostenduntur. Cùm autem ille sub Rege Henrico Primo dignitate excidisset, quòd a Roberto Normanniæ Duce contra Regem steterit, Rex hunc *Honorem* Stephano Comiti Bononiensi donauit, qui postea Rex Angliæ vsu fructuarius, filio Guilielmo *Warenæ* Comiti reliquit. Cùm autem ille in expeditione Tholosana perijsset, Reges ipsi occupârunt, donec Rex Richardus Primus Henrico eius nominis quinto Brabantiæ, Lotharingiæ Duci cum nepti Stephani Regis e filia (quæ Monialis fuerat) dederit. Longo pòst tempore cùm iam ad Reges Angliæ recidisset, Edwardus Tertius Roberto de *Vfford* Suffolciæ Comiti (vt accepi) contulit. Nec tacendum *Beding feld* in proximo quod claræ & vetustæ familiæ nomen indidit, quæ plurimum claritatis ab hærede familiæ de *Tudenham*, accepit. Inde per *Flixton* pro *Felixton*, à Fœlice primo Episcopo, vt multa alia in hoc agro, denominatum; ad *Bungey* decurrit *Waueney* fluuius, & quodammodo circumfundit, vbi castrum & arte, & natura firmauit Hugo *Bigod* cùm seditionum quasi tempestate Angliam agitarent seditiosi Barones. De quo quasi inexpugnabili ille gloriari solitus.

Cornwalleys.
Eaye.
Liber Inquisitionum.
Bedingfeld.
Flixton.
Bungey.

Were I in my Castle of Bungey
Vpon the riuer of Waueney,
I would ne care for the king of Cockeney.

Nihilominus posteà ne deleretur grandi pecunia, & obsidibus datis ab Henrico Secundo redemit. Inde haud multum à ripa, *Mettingham* cernitur, vbi in planitie castrum quadratum, & in eo Collegium extruxit loci Dominus Ioannes cognomine de *Norwich*, cuius filiam & tandem familiæ heredem Robertus ille de *Vfford* Suffolciæ Comes in matrimonium cum lauta hæreditate accepit.

Mettingham.

Iam *Waueney* mare propiùs accedens dum duplicem in Oceanum viam sibi frustrà molitur, alteram cum Gariene fl. alteram per lacum *Luthing*, peninsulam effecit non exiguam, quam alij *Louingland*, alij *Luthingland* veriùs vocant. A *Luthing* Lacu longo & diffuso qui a littore Oceani orsus in Garienem fl. emittitur. In cuius ingressu *Lestoffe* angustius opidulum mari impendit, in exitu *Gorlston*, vbi diruti cœnobioli turrim vidimus, quæ alicubi est vsui nauigantibus. Introrsum ad Garienem sedet *Somerley* habitatio olim, vt mihi retulerunt, *Fitz-Osbertis* a qua ad equestrem & claram familiam *Ierneganorum* deuenit. Superiùs vbi *Garienis* & *Waueney* aquas commiscent suas, *Cnobersburg*, id est, (interprete Beda) *Cnoberi vrbs* floruit, nos *Burghcastell* hodie vocamus. *Quod* (vt inquit Beda) *syluarum & maris vicinitate amœnissimum erat castrum, in quo monasterium à Furseo Scoto extructum*, cuius suasu Sigebertus Rex Orientalium Anglorum vitam monasticam amplexatus se regno abdicauit, qui posteà ex hoc monasterio inuitus extractus, vt suis animum in prælio contra Mercios adderet, vnà cum suis interijt. Nunc eò loci solummodo

Luthingland.
Lestoffe.
Somerley.
Cnoberi vrbs.

summodò sunt lacera mœnia, quadrata quasi forma, è silice & lateribus Britannicis constructa, omniaque vepribus & dumis obsita, inter quæ Romanorum numismata subinde eruuntur: adeò vt ex munimentis illis videatur quæ ad Saxonum pyraticam propulsandam ad Garienem flumen statuerunt Romani: vel potius ipsum GARIANONVM vbi Stablesiani Equites stationem habuerunt.

Comites & Duces habuit Suffolcia è varijs familijs: Sunt recentiores qui *Glanuillos* hoc titulo olim inclaruisse produnt, sed cùm nulla certa nituntur authoritate, quia error obuius, & in publicis regni tabularijs nihil de illis comperi, donec certiùs docuerint, ignoscant, si non credidero. Interim tamen *Glanuillorum* familiam in hoc tractu admodum insignem fuisse agnosco. Nec ante Regis Edwardi Tertij tempora aliquem titulo Comitis huius prouinciæ ornatum hactenus ex testibus fide dignis didici. Ille autem Robertum de *Vfford*, virum multâ domi bellique gloriâ, filium Roberti Seneschalli Aulæ Regiæ sub Edwardo Secundo, è Cecilia de *Valonijs* Domina de *Orford*, Suffolciæ Comitem dixit; Huic successit filius Guilielmus, cuius cùm quatuor filij præmatura morte ipsi superstiti prærepti essent, & ipse subitanea morte in Comitijs Parlamentarijs dum sententiam *Communitatis regni* relaturus esset expirasset, Robertusque *Willoughby*, Rogerus Dominus de *Scales*, & Henricus de *Ferrarijs* de *Groby* propinquiores eiusdem hæredes hæreditatem diuisissent: Richardus Secundus Michaelem *De-la-Pole* è * mercatore ad hunc titulum, & dignitatem Cancellarij Angliæ prouexit. *Qui mercimonijs magis, vtpote mercator mercatoris filius, quàm militia occupatus*, vt habet Tho. Walsingham. Filius enim ille fuit Guil. *De-la-Pole* qui primus fuit Maior *Kingstoni super Hull*, & ob opes *Baneretti* dignitate ab Edwardo III. ornatus. Sed quum tot prosperis confluentibus hominis ingenium tantæ fortunæ minimè capax esset, solum vertere coactus extorris obijt. Nec nobilitati huius derogat mercatura, nobilium enim filios mercaturæ operam dedisse quis ignorat? Nec inficiabor illum quamuis mercatorem nobili genere fuisse ortum. Michaël eius filius restitutus genuit Michaëlem prælio Agincortensi cæsum, & Guilielmum quem Henricus Sextus ex Suffolciæ Comite, primùm Suffolciæ Marchionem creauit, *sibi & hæredibus masculis de corpore suo. Et quod ipse & hæredes de corpore gestent auream virgam in sui summitate columbam habentem in die coronationis Regum Angliæ, & virgam eiusmodi eburneam in coronatione Reginarum Angliæ.* Posteà eundem optimè meritum ad honorem & titulum Ducis Suffolciæ euexit. Vir sane erat ille magnus, & eximius, cùm pater enim & tres fratres vitam Gallico bello patriæ fortiter profudissent, ipse, vt habetur in Tabulis Parlamentarijs XXVIII. Henrici Sexti, in eodem bello totos triginta quatuor annos militauit, annos septemdecim continuos e militia domum non reuersus, semel captus cùm adhuc tantùm ex Equestri esset ordine, viginti millia librarum monetæ nostræ ad se redimendum dependit, Regi fuit a consilijs annos quindecim, & Garteriani Ordinis socius annos triginta. Hinc vt maximâ apud principem gratiâ, ita ob id maiori apud plebem flagrauit inuidiâ, & leuiculis de causis quæ parùm liquebant, in exilium actus, dum Galliam peteret ab aduersarijs in mari interceptus, securique percussus. Filium reliquit ille Ioannem, qui Edwardi Quarti sororem in vxorem duxit, genuitque ex ea Ioannem Lincolniæ Comitem, qui cùm regni hæres à Richardo Tertio declaratus fuisset, ambitio eius se continere non potuit, quæ illicò prorupit contra Henricum Septimum ad suam ipsius perniciem, qui bello intestino statim cecidit, ad patris interitum, qui dolore confectus animam ædidit, & totius familiæ ruinam, quæ simul extincta concidit. Edmundus enim eius frater qui Suffolciæ Comes dictus in Henricum Septimum qui pœnitentia sepiùs quàm pœna contentus ipsi criminum grauissimorum gratiam fecerat, in Flandriam profugus res nouas moliri cœpit, sed paulò post in manus Henrici qui vitam sanctè promisit, à Philippo Austriaco Burgundiæ Duce, contra ius hospitij (vt tunc clamitarunt) traditus, in carcerem conditus; & ab Henrico Octauo qui patris promisso se teneri non existimauit, cùm Galliam primùm cogitaret, ne ipso absente aliquid domi turbaretur, morte affectus. Richardus tamen frater eius iunior in Gallia exul Ducis Suffolciæ titulum vsurpauit, qui vltimus quod scio, ex hac stirpe masculus in Papiensi prælio quo Rex Galliarum Franciscus Primus captus, MDXXIIII. strenuè inter confertos hostes occubuit. Cui

Suffolciæ Duces & Comites.

Inq. 5. Rich. 2.

* Lelandus in Com. in Cygneam cantionem.

Walsinghamus pag. 358.

Regist. Mon. de Melsa. Vide Hullum in Comitatu Ebor.

ob virtutem ipse hostis Dux Burbonius funus fecit apparatissimum, attratusque interfuit. Posteà verò Henricus Octauus Carolum *Brandon*, cui Mariam eius sororem Lodouici XII. Galliarum regis viduam in vxorem dederat, Ducis Suffolciæ titulo ornauit, cui successit Henricus filiolus, & illi Carolus frater, quibus sudore Britannico anno MDLI. extinctis, Henricum *Grey* Dorcestriæ Marchionem qui Franciscam eorum sororem duxerat, Edwardus Sextus eo titulo adauxit, sed ille non diu vsus, ob affectatum pro filia regnum sub Maria regina obtruncatus, Suffolciensium Ducum erat vltimus. Iam inde iacuit Suffocliæ titulus donec nuperrimè Iacobus Rex Thomam Baronem *Howard de Walden*, Thomæ *Howard* Ducis Norfolciæ filium secundogenitum quem sibi a cubiculo ob perspectam fidem & virtutem constituerat, Anno Regni sui primo Suffolciæ Comitem creauerit.

* *
*

Habentur in hoc agro Paræcia 575.

NORTH-FOLKE.



The names of the hundreds of this mappe
1 Smithdon
2 Gallowe
3 Grenehowe
4 Holt Hu
5 N Erpyngham
6 Tunsted
7 Happinge
8 W Flegg
9 E Flegg
10 Frebridge citra li
11 Brothercros
12 Haynesforde
13 S Erpyngham
14 Taverham
15 Blofelde
16 Frebridge in Mershe lād
17 Clackclowse
18 S Grenehowe
19 Laundiche
20 Forehowe
21 Humbleyarde
22 Hensted
23 Clavering et Loddon
24 Grimeshow
25 Wayland
26 Shropham
27 Depewade
28 Gilteros
29 Dis
30 Ersham
31 Mitforde
O C E A N
BRANODVNVM
Burnham market
Snetsham
Walsingham
Fakenham
Holt
Clay
Linn
THE WASHE
MERSHE LANDE
Wisbich 16
Swafham
Downham
E Derham
Watton
Hingham
Thetforde
SITOMAGVS
Littleport
CAMBRIDGE
Ely SHIRE
PARTE OF
LACKFORD HV
Mildnell
PARTE OF SVFF
Ouse magna flu
Owse parva flu
The old podick
The new podick
Saltern lode
Maden lode
Crike lode
Brandon
Wangforde
Lakenhreath
Hockeld
Elden
Bernham


NORFOLCIÆ
comitatus, quem olī
ICENI Insederunt. Continens in Se opida
Mercatoria XXVI. Pagos et villas DCXXV. vna
Cum Singulis hundredis et fluminibus in eodem.
Auctore Christophore Saxton.
William Kip Sculpsit
Scala Milliarum
2 4 6 8 10
Cromere
N Walsham
Wursted
Hicklinge
Alesham
Repcham
NORWICH
Yermouth
GARIENIS flu Ostium
GARIANONVM
LOVINGLAND
Leistoffe
Beckles
Bungay
Harleston
Halesworth
Sowowlde
Bliboro
Walderswick
Dunwiche
Wimundham
Hingham
Bucknham
Dis
Aye
Sct Micheall
Winterton nesse

NORTH-FOLKE.



Orfolcia, vulgò *Northfolke*, id est, si Latinè interpreteris, *Borealis populus*, Suffolciæ ad Boream prætenditur, à qua duobus illis, quos dixi, fluuiolis *Ousa* minimo, & *Waueneio* in diuersa fluentibus seiungitur, ab Euro & Septentrione littora magno fremitu diuerberat Oceanus Germanicus, qui admodum piscosus, à Zephiro *Ouse* maior, flumen diuortijs suis ludens à Cantabrigiensibus secludit. Regio est ampla, ferè omnis campestris, nisi qua faciles assurgunt colles, admodum opulenta, ouium gregibus refertissima, cuniculisque inprimis ferax, & populosis pagis distincta plurimis (præter opida enim mercatoria XXVII. villas, & pagos sexcentos viginti quinque exhibet) aquis irrigua, syluis non omnino indiga; Solum pro locorum diuersitate varium, alicubi pingue, luxurians, & succulentum, scilicet in *Mershland*, & *Flegg*; alibi, maximè quà Occasum spectat tenue, leue, & sabulosum, alibi argillosum, & cretaceum. Verùm soli bonitatem vel ex eo colligas, vnde Varro colligere iubet, quòd incolæ optimè niteant, vt taceam ingenia versutissima, & in iure nostro municipali acerrima : adeò vt fœcundissima Iurisconsultorum altrix & olim, & nunc habeatur, atque etiam ex infima plebe non pauci reperiantur, qui, vt ait ille, si nihil sit litium, lites tamen ex iuris apicibus serere calleant. Sed ne dum breuis esse velim, digressionibus longior fiam ; ab his ad loca stilum conuertam, & ab Australi latere exorsus, potiora & antiquiora paucis percurram.

Ad *Ouse* minimum, vbi *Thet* fluuiolus è Suffolcia profusus confluit, loco inferiori apponitur vetusta illa quam memorat Antoninus Vrbs SITOMAGVS, corruptè in antiquæ Tabulæ fragmentis SIMOMAGVS, & SINOMAGVS, nunc *Thetford*, Saxonicè Ðeoτforo, manente prioris nominis parte cum Germanica adiectione, quæ *Vadum* sonat. Vt enim Sitomagus Britannicè vrbem ad *Sit* fl. qui nunc *Thet*, denotat (*Magum* etenim vrbem significasse docet Plinius) sic *Thetford* Anglicè vadum *Theti* denotat, nec multùm absonant hæc nomina *Sit* & *Thet*. Raris nunc est habitatoribus, licèt satis ampla, olim verò frequens & celebrata, & præter alia vetustatis indicia, molem ostendit in magnam altitudinem aggestam, duplicique vallo munitam & mœnibus, vt ferunt, olim firmatam, quam Romanorum fuisse opus credunt nonnulli, vel potiùs Saxonicorum regum, vt volunt alij, sub quibus longo tempore fuit florentissimum. Sed Sueni Dani rabie, qui anno MIIII. igni dedit, & VI. pòst anno nouo Danorum furore direptum dignitatem amisit omnem. Ad quam restituendam Arfastus Episcopus sedem Episcopalem *Elmhamo* huc transtulit, & qui huic subrogatus Guilielmus ad eam exornandam nihil non fecit, adeò vt sub Rege Edwardo *Confessore* Burgenses censerentur DCCCCXLVII. & Guilielmi *Conquestoris* tempore DCCXX. *Mansura*, quarum CCXXIIII. fuerunt vacuæ, summusque magistratus *Consul* diceretur. Verùm cùm Herbertus cognomento *Losenga*, quoniam totus ex adulatione compositus, qui tertius malis artibus, & pretio in hunc honorem irrepsit, cathedram hinc *Norwicum* deportásset, quasi confecta, iterum elanguit: nec Cluniacensium cœnobio quod illius operà extructum, Episcopi absentiam solari potuit. Cœnobium autem illud extruxit Hugo *Bigod*. Sic enim ille in fundationis autographo scribit. *Ego Hugo Bigod Dapifer Regis henrici, ipso concedente, & consilio Herberti Episcopi Norwici constitui monachos Cluniacenses in Ecclesia S. Mariæ quæ fuit sedes Episcopalis Thetford, quam eis dedi, & posteà fundaui aliam magis idoneam ad vsus ipsorum extra villam.* Tunc tamen maxima pars vrbis quæ in citeriori ripa fuerat, paulatim concidit, altera pars licèt multum decreuerit, ante vnum tamen & alterum sæculum septem templis, præter tria monasteriola, effloruit, quorum alterum constructum ferunt in memoriam Anglorum & Danorum qui hìc occubuerunt. In proximo enim historici nostri Edmundum illum sanctissimum Regem paulò ante interitum, horis ampliùs septem cum Danis non sine horrenda strage dimicásse produnt, & æquo Marte tandem discessisse ; ita vtrisque alternans belli fortuna omnem sensum excusserat.

Ad *Waueney*, qui alter est è fluuijs limitaneis, & in Ortum fertur, haud procul à fontibus *Buckenham*, & *Keninghall* visuntur. Hoc, cui ab Icenis nomen relictum videatur,

Sitomagus. Thetford.

Magus.

Keninghall. Buckenham.

honoratissimæ

honoratissimæ *Howardorum* familiæ sedes est, quorum gloria maior est, quàm quæ à Bucchanani inuidia infringatur. Illud verò, cui a fagis, quas *Bucken* Saxones vocârunt, nomen factum ex istimo, castrum est longè pulcherrimum & munitissimum, quod a Guilielmo *D'Aubigny* siue *Albineio* Normanno cui *Conquestor* dederat, conditum, per eius posteros qui Arundeliæ Comites erant, ad *Tatsallos*, & ab illis per *Caly*, atque *Cliftones* ad *Kneuettorum* familiam tandem descendit. *Kneuettorum* hæc peruetusta est familia, & iam inde a Ioanne *Kneuet* Angliæ sub Edwardo Tertio Cancellario clarissima, & magnis nuptijs honorata quasi ramos longè diffudit. Præter enim hos de *Buckenham*, hinc orti sunt clarissimi Equites Henricus *Kneuet* de *Wiltshire*, & Thomas *Kneuet* de *Ashellwell-Thorp*. Opidulum illud est vicinum quod a *Thorpu* iam olim equestris ordinis per *Tilneios* & Dominos *Bourchieros* de *Berners* tandem ad Thomam illum *Kneuet* hæreditariò est deuolutum. Tenetur verò *Buckenham* illa ea lege vt domini sint pincernę in inauguratione Regum Anglię. Vt (nec alienum sit notare) in *Carleton* viculo adiuncto Radulphus de *Carleton* & alius quispiam, *terras tenuerunt per seruitium deferendi pastillos centum halecum de primis ad Dominum Regem vbicunque fuerit in Anglia*. Verùm fluuius hic statim *Disce* nunc *Dis* subluit opidulum non ignotum, quod Rex Henricus Primus Richardo de *Lucy* elargitus est, & ille statim in VValterum *Filium Roberti* transtulit cum filia, è cuius posteris Robertus *Fitz-Walter* ab Edwardo Primo Mercatum huic loco obtinuit. Inde quamuis *Waueney* sit opidis redimitus, ex illis tamen ne vnum quidem vetustatis nomine glorietur, nisi *Shelton* quod remotius est & antiquę inprimis *Sheltonorum* familiæ nomen impertijt: sed priusquam mare accedat, GARIENI flumini se admiscet, qui Britannis *Guerne*, Anglis *Gerne*, & *Iere*, ab alnis proculdubiò sic Britannicè dictis, quibus obumbratur. E medio huius regionis emergit, non procul à *Gernston* viculo quem denominauit, vicinumque habet *Hengham* qui suos Barones de *Rhia* etiam dictos habuit, à Ioanne Marescallo (nepote Guilielmi Marescalli Comitis Penbrochiæ ex fratre) oriundos, cui Rex Ioannes terras Hugonis de *Gornaco* proditoris cum filia & cohęrede Huberti Domini de *Rhia* contulit. A *Marescallis* verò ad *Morleios*, & ab illis per *Lonellum* ad *Parkeros* nunc Dominos de *Morley* temporis vicissitudine transmigrauit. *Skulton*, aliter *Burdos* dictum parùm hinc abest, quod eo iure tenebatur vt Dominus in coronatione Regum Angliæ primarius esset, quem vocant *Lardiner*. Magisque ad Orientem *Wimundham* conspicitur, nunc contractè *Windham*, sepulturâ *Albineiorum*, qui Comites Arundelliæ, clarum, quorum progenitor Guilielmus de *Albineio* Pincerna Regis Henrici Primi ecclesiam hîc posuit, & Monasterio S. Albani in cellam dedit. In cuius sacra turri quæ celsa surgit, Guilielmus *Kett* altera fax Norfolciensium furorum anno MDXLIX. sublimi suspensus. Nec hic silendum quod ad quintum milliare abest *Attilborrough* antiquæ familiæ *Mortumariorum* sedes, qui alij ab illis de *Wigmor*, aureum clypeum lilijs nigris inspersum gesserunt, & Collegiatam ecclesiam hic fundârunt, quæ iam disparuit. Horum hęreditas per matrimonium *Ratcliffis* nunc Sussexię Comitibus, familię de *Fitz-Ranulph*, & Radulpho *Bigot* quondam accreuit. Sed ad flumen reuertamur.

Kneuettorum familia.

Baro Bourchier de Berners.

Dis.

Shelton.

Gariens fl.

Barones de Rhia, vel Hengham.

Windham.

Attilborough.

Mortumari.

Gariensis autem ille non longum in Subsolanum cursum tenuit, cùm *Wentsum* riuulum (alij *Wentsar* vocant) ab Austro aquas suas infundat: ad quem prope fontes vallum est quadratum ad *Taiesborrough* quod continet acras XXIIII. Romanorum videatur castrametatio si non sit illud quod in antiqua Tabula Chorographica à M. VVelsero ædita AD TAVM dicatur. Superiùs ad eundem VENTA ICENORVM florentissima huius populi olim vrbecula sedit, sed nunc vetusto nomine amisso, *Caster* appellatur. Nec mirum ex tribus Britanniæ *Ventis* hanc solùm nomen amisisse, cùm se penitùs amiserit. Pręter parietinas enim quæ suo ambitu quadrato XXX. plùs minùs iugera complectuntur, & habitati soli indicia, pauculosq; Romanorum nummos subinde fossoribus se exhibentes, nihil superest. Verùm ex hac posterioribus sæculis ortum habuit *Norwicus*, ad tertium hinc lapidem, prope *Garienus* & alterius fluuij anonymi (*Baridenum* aliqui vocant) confluentes, qui longo decursu recurrentibus sæpè ripis flexuosus hâc Garienem per *Attilbridge* petit, & ad Boream *Horsford* relinquit, vbi vepribus & dumis sepultum iacet castrum Guilielmi de *Casineto*, siue *Cheney* qui regnante Henrico Secundo, inter Angliæ proceres inprimis floruit.

Venta Icenorum.

Caster.

Horsford.

Hors quod Saxonibus significauit.

NORVVICVS ista vrbs celeberrima, nobis *Norwich*, Saxonicè Norþpyc, id est, *Sinus Aquilonaris*,

Norwich.

Aquilonaris, si *Wic* Saxonicè fluminis sinum significet, vt docet Rhenanus: hoc enim loco sinuoso anfractu deuoluitur flumen: vel *Statio Aquilonaris*, si *Wic* vt contendit Hadrianus Iunius, stationem securam, vbi coniunctioribus ædificijs habitatur, denotet; vel castellum Septentrionale, si *Wic* castellum sonet, vt Alfricus noster Saxo affirmauit. Si verò *Norwic* à Venta deflexum cum quibusdam opinarer, quid aliud quàm a veritate ipse me deflecterem? Nec enim alio iure sibi VENTAE nomen arrogare potest, quàm vel *Basilea* AVGVSTAE, vel *Baldach* BABILONIAE; vt hæc etenim è Babiloniæ, illa ex Augustæ occasu exorta: ita *Norwicus* noster è Venta illa antiqua serò emicuit; quòd Britannicum eius nomen apud authores *Caer Guntum* probat, in quo, vt in *Wentsum* siue *Wentsar* flu. *Venta* nomen se planissimè prodit. Nec enim hoc vocabulum *Norwich*, ante bella Danica vspiam nostra legentibus sese offert. Tantùm abest, vt vel Cæsar, vel Guitelinus Britannus condiderit, quod fabulantur illi, qui omnia creduli amplectuntur, iudicij trutina nihil pensant. Verumenimuerò nunc suis opibus, frequentia, ædificiorum elegantia, templorum pulchritudine, & numero (Parœcias enim plus minus XXX. complectitur) ciuium sedulitate, in principem fide, in exteros humanitate, inter celeberrimas Britanniæ vrbes meritò connumeranda. Ab Æquatore LII. partibus, XL. scrupulis, à Fortunatis insulis XXIIII. partibus LV. scrup. peramœno situ in collis deiectu sedet, forma oblongiori, à meridie in Septentrionem mille quingentos passus protenta, latitudine autem dimidio minore, ad Meridiem se sensim quasi in conum contrahente. Mœnibus validis (in quibus crebræ dispositæ turres, & vndecem portæ) vndique obsepta, nisi ad Ortum qua flumen (cùm sinuoso flexu quatuor pontibus peruium Septentrionalem vrbis partem interluerit) profundo alueo, & præcipitibus ripis defendit. In ipsa huius vrbis quasi infantia, cùm Etheldredus vir mentis & consilij inops regnaret, Sueno Danus, qui Angliam magnis copijs peruasit, primùm diripuit, & posteà iniecto igne succendit. Reuixit tamen, &, vt in libro quo Angliæ lustrum condidit Guilielmus Primus, tempore Edwardi Confessoris MCCCXX. *Burgenses* in ea numerabantur: Quo tempore, vt ex eodem libro loquar, *reddebat* XX. *libras regi, & Comiti* X. *libras, & præter hæc* XX. *solidos, &* IIII. *præbendarios, &* VI. *sextarios mellis, & vrsum, & sex canes ad vrsum: modò verò reddit* LXX. *libras pensas Regi, & centum solidos de Gersuma Reginæ, & asturconem, &* XX. *libras blancas Comiti, &* XX. *solidos de gersuma ad numerum*. Regnante autem Guilielmo illo, funestæ seditionis flamma, quam Radulphus *Eastanglia* Comes in regem accenderat, hìc adhæsit: Cùm enim ille fugâ sibi consuluisset, vxor cum Britonibus Armoricanis hoc in loco grauissimam vsque ad extremam famem obsidionem sustinuit, quæ tamen eò demùm adacta, vt solum verteret, & ita accisa hæc vrbs vt vix DLX. *Burgenses* relinquerentur, vt in illo Censuali libro legimus. De hac deditione meminit in sua ad Guilielmum Regem epistola Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis his verbis, *Regnum vestrum purgatum est spurcitia Britonum, castrum* Norwich *redditum est, & Britones qui in eo erant, & terras in Anglica terra habebant, concessa eis vita cum membris, iurauerunt quòd infrà quadraginta dies de regno vestro exirent, & ampliùs sine vestra licentia in illud non intrarent.* Iam inde ex hoc calamitatum diluuio se paulatim recolligere cœpit, & Herbertus Episcopus, cuius fama ob Simoniacas sordes ad metas hæserat, Episcopalem sedem *Thetfordiâ* huc transtulit, Ecclesiamque Cathedralem ad Orientalem, & inferiorem vrbis partem quam speciosam exædificauit, in loco prius *Cowholme* dicto, (iuxta castrum) cuius primum lapidem ipse regnante Guilielmo *Ruso*, Anno a Christo nato MXCVI. cum hac inscriptione posuit.

Augusta Rauracorum.

DOMINVS HERBERTVS POSVIT PRIMVM LAPIDEM IN NOMINE PATRIS, FILII, ET SPIRITVS SANCTI. AMEN.

Posteà a Paschali Papa procurauit *matricem Ecclesiam Norfolciæ & Suffolciæ stabiliri & confirmari*, prædijs munificè locupletauit quæ sexaginta Monachis alendis sufficerent, qui sua habuerunt claustra elegantissima. Verùm illis exturbatis Decanus, sex Præbendarij, alijque substituti. Ecclesiâ sic constructâ & Episcopali sede positâ. *Vicus iam*, vt inquit Malmesburiensis, *erat mercimonijs, & populi frequentiâ insignis. Annoque decimo septimo*, vt in antiquis membranis legimus, *Regis Stephani*, *Norwicus de nouo fundata*,

vt villa populata, & Communitas facta, Stephanumque Regem Guilielmo filio in *Appennagium*, vt vocant, siue hæreditatem concessisse è tabulis publicis certissimum. A quo statim Henricus Secundus extorsit, sibique retinuit, quamuis Henricus eius filius *Rex Iunior* dictus, cùm regnum affectaret, Hugoni *Bigod* Norfolciæ Comiti quem in suas partes pertraxerat, prolixè pollicitus fuisset. *Bigodus* tamen Regis iuuenis signa sequutus, qui regni spem oblatam intra iuris & æqui terminos continere non poterat, hanc vrbem grauissimè afflixit: castrumq; illud excelso colli iuxta templum in ipsa vrbe instaurasse creditur, quod fossa immanis altitudinis incinctum, inexpugnabile ea ætate fuisse videbatur. Lodouicus tamen Francus, cuius in verba seditiosi Angliæ Barones contra Ioannem iurauerant, facilè deditione cepit. *Bigodum* verò hoc castrum restaurasse credimus, quòd Leones salientes eadem forma in saxo exsculptos vidimus, qua vsi sunt olim in sigillis *Bigodi*, è quibus etiam erat, qui cruce in sigillo vsus fuit. Hæc in prima quasi Norwici ætate.

Subsequente verò sæculo maxima incrementa cepit, ciuibusq; opulentissimis floruit, qui ab Edwardo Primo libello supplice in Comitijs Parlamentarijs contenderunt, vt vrbem suam mœnibus communirent, quod posteà ad summam vrbis firmitatem & dignitatem præstiterunt. Prætoremque pro Balliuis, quos priùs habuerant, vt quotannis deligerent, anno MCCCCIII. ab Henrico Quarto impetrârunt: Domum Ciuicam perpulchram in ipsa media vrbe prope forum quod statis diebus omnibus ad vitam necessarijs refertissimum est, extruxerunt. Et certè nonnihil Belgis debet, qui tyrannidem Ducis Albani & sanguinarium Inquisitionis concilium pertæsi huc magno numero confluxerunt, & opificium leuidensium quorundam pannorum primi intulerunt. Sed quid ego his immorer, cùm hæc omnia, Pontificum historiam, magistratuum seriem, & perditissimi rebellis *Ketti* in hanc rabiem Alexander Neuillus vir natalibus, & literis clarissimus pulcherrimè descripserit? Hoc tantùm adijciam, quòd anno MDLXXXIII. aquas ex fluuio per tubulos instrumento Hydragogico in altissimas vrbis partes subduxerunt ciues. Dicam tamen hic scribere possim tum Polydoro Virgilio Italo, tum Angelo Capello Gallo, vt pro tribunali venerandæ Antiquitatis respondeant, cur antiquos nostros ORDOVICES alio quasi sub sole iacentes, hanc *Norwicum* incoluisse affirmârint. Eandem etiam litem Caio nostro intenderem, nisi optimo & eruditissimo seni innatum patriæ amorem oculos hac in re perstrinxisse certò nouerim. Nec ampliùs habeo quod de Norwico adiungam, nisi placeat hos I. Ioannis Ionstoni Scoto-Britanni versus de eadem percurrere.

Vrbs speciosa situ, nitidis pulcherrima tectis:
Grata peregrinis, delitiosa suis.
Bellorum sedes, trepido turbante tumultu
Tristia Neustriaco sub duce damna tulit.
Victis dissidijs postquam caput ardua cœlo
Extulit, immensis creuit opima opibus.
Cultus vincit opes, & cultum gratia rerum
Quàm bene si luxus non comitetur opes.
Omnia sic adeò sola hæc sibi sufficit, vt si
Fors regno desit, hæc caput esse queat.

A *Norwico*, Garienis in suum nomen aquis aduenis adscitis tortuosè voluitur, *Ruffo* pisce admodum fœcundus, quo nomine cùm Asperum Anglicè significetur, Aspredinem Ioannes Caius Latinè nominauit. Toto enim corpore asper est, pinnis spinosus, locis gaudet arenosis, Percæ forma & magnitudine, colore per summa fuscus, per ima cùm pallore flauus: duplici per maxillas semicirculorum ordine notatus, oculo ex dimidio superiori fuscus, ex inferiori subaureus, pupilla niger: linea per dorsi longitudinem exporrecta, & veluti filo transuerso corpori affixa singularis: notis per caudam atque pinnas nigris maculosus, quæ pinnæ cum ira subest, inhorrescunt: cum animi conquiescunt, residunt. Caro Aspredini quæ Percæ, & friabilitate & salubritate laudata. A Ruffo. De rariorum animalium historia.

Cùm *Gariensis Claxton* vbi castrum in orbem constructum, quod Thomas *Gawdy Miles in communi banco Iustitiarius* nuper instaurauit, præterierit, & iam mari proximus in

Austrum descendit, vt marinis fluctibus molliùs illabatur, lingulamque facit, quam hinc ipse, inde mare allambit. In hac lingula littore apertissimo *Yarmouth* vidimus, Saxonicè Gap-muð, & lie-p-muð, id est, *Garienis Ostium*, portum opidúmque elegantissimum, loci ingenio, & solerti opera permunitum. Quamuis enim aquis pene circumualletur, ab Occasu flumine, quod versatili ponte insternitur, ab alijs partibus Oceano, nisi ad Septentriones, quà continens est: mœnibus tamen satis firmis quæ cum flumine formam quadrilaterem oblongiorem efficiunt, pulcherrimè includitur; in quibus præter turres, ad Ortum moles eminet, vnde tormentis maioribus in mare subiectum, quod vix quinquaginta passibus abest, longè latéque effulminatur. Templum verò vnicum habet, & illud amplum, excelsaque pyramide conspicuum, iuxta Septentrionalem portam ab Herberto Episcopo Norwicensi extructum, sub quo ad illud ampliandum, educta visuntur egregij operis fundamenta. Hoc GARIANONVM illud vetus, vbi olim Equites Stablesiani contra barbaros excubarunt, haud affirmárim. Nec *Castor* viculum proximum (qui sedes quondam fuit Ioannis *Fastolf* Militis celeberrimi) antiquitatis nomine apud incolas celeberrimum, licèt *Garienem* fl. ostium alterum sub eo habuisse fama teneat. Sed vt GARIANONVM fuisse ad *Burgh castle* in Suffolcia quod in altera ripa vix duobus abest milliaribus, mihi persuasi: ita & *Yarmouth* ex eius ruinis emersisse, & *Caster* illud fuisse ex Romanorum castris ad *Garienis* etiam ostium iam occlusum facilè credo. Nam perinde ac Caurus in Batauiam e regione tyrannidem exercet, & agglomeratis arenis medium Rheni ostium obturauit: iidem Aquilo hanc oram affligit, & arenas conuerrens, hoc ostium obstruxisse videatur. Nec tamen fraudi erit, si *Yarmouth* nostrum Garianono antiquo adiunctum, *Garianonum* dixerim, cùm Garienis, qui illi nomen fecit, nunc alueo mutato, sub hoc, quod etiam nomine signauit, Oceanum subintret. Non possum enim non fateri hoc nostrum *Yarmouth* recentioris esse memoriæ. Quum enim Garianonum illud vetus intercidisset, nec essent qui littus defenderent, Cerdicus bellicosus Saxo hic terram conscendit, (vnde locus hodie incolis *Cerdiksand*, & historicis *Cerdikshore* dicitur) cùmq; Icenos grauissimo bello exercuisset, hinc in occiduas plagas soluit, vbi Occidentalium Saxonum regnum instituit. Nec longo pòst tempore pro Garianono, nouum opidum posuerunt Saxones in agro illo fluido, ad Occidentalem fluminis ripam, quod *Yarmouth* dixerunt: sed cùm minùs salubri esset situ, ad alteram ripam tunc *Cerdiksand* ab eodem Cerdico dictam, demigrárunt, nouum hoc opidum condiderunt, in quo Edwardi Confessoris tempore septuaginta, vt est in Angliæ Notitia, floruerunt *Burgenses*. Mœnibus deinde circa annum reparatæ Salutis MCCCXL. firmauerunt, breuique ita opibus & potentiâ valuerunt ciues, vt nauali bello *Lestoffenses* vicinos, & *Portuenses* (sic quinque portuum incolas dixerunt) sæpiùs non sine magnâ vtrinque strage aggressi fuerint. Illis enim infensissimi fuerunt forsitan, quòd quinque portuum numero, & priuilegijs exclusi fuissent, quibus *Garianonum* vetus, & maiores sui sub Comite Littoris Saxonici olim gaudebant. Sed hanc ferociam compressit tandem regia authoritas: vel vt alij existimant, eorum animos contudit pestis illa tristissima, quæ hoc opidulo VIIM.D. vno anno absumpserit, quod testatur Tabula Chronographica antiqua in templo appensa, vbi bella etiam cum *Portuensibus*, & *Lestoffensibus* notantur. Iam inde verò animus fractior fuit, nec ita ab opibus firmi rei mercatoriæ, & halecum (quas vulgò vocant, docti Chalcides, & Leucomænidas esse existmant) capturæ, quæ in hac ora totius orbis est vberrima, gnauiter incumbunt. Incredibile enim videatur, quantæ & quàm frequentes nundinæ hîc ad festum Michaelis habeantur, & quanta vis halecum, aliorumq; piscium distrahatur. Quo tempore *Portuenses* veteri instituto Balliuos suos *Commissionarios* constituunt, & huc mittunt, qui vt ex ipsorum diplomate, siue *Commissione* loquar, cum opidi magistratibus, *tempore liberæ feriæ, Curiam, quantum ad Nundinas pertinet, regant, regalem iustitiam faciant, & pacem Regis conseruent*. Portus verò qui subest, & incolis & Norwicensibus percommodus est; sed ne obstruatur, non sine magnis sumptibus cum Oceano colluctantur. Qui vt paria secum faceret, & quod alibi hoc littore hausit, redderet, modicam insulam hîc aggestâ terrâ nuper effecit.

Hoc etiam ostio alter fl. nonnullis *Thyrn* dictus vnà cum *Gariene* effunditur, qui effluens iuxta *Holt* à nemore sic dictum, & mercatu notum, cum eo quinque plùs minùs milliaribus distans, longo decursu quasi gradum confert per *Blickling* nunc sedem antiquæ & insignis

Yarmouth. Garienis ostium. Garianonum. Pagina 340. Cerdicus Saxo. Cerdicksand. Guil. Worcester. Halecces. Thirn fl. Blickling.

signis familię de *Clere*, quę olim ad *Ormesby* incoluit, & *Ailesham* forum non infrequens, *Ailesham.*
vbi prædia habuit olim Comes *Atholiæ* in Scotia, & dirutum monasterium *Benedicti*
de Hulmo, vulgò *S. Benet in the Holme*, id est, *in Insula amnica*, quod Canutus Danus *S.Benets.*
construxit, & firmissimis mœnibus propugnaculisque Monachi posteà ita armàrunt, vt
potiùs castrum quam claustrum videretur. Adeò, vt Guilielmus *Conquestor* expugnare
non potuerit, donec Monachus ea lege prodidisset, vt Abbas crearetur: quod factum, sed
statim nouus Abbas quia proditor, regis iussu, vt ferunt incolæ, suspensus iustas proditio-
nis pœnas persoluit. Terra verò adeò palustris in hac insula, vt resectis fibris & radicibus
arborum, & arbustorum innatorum, aquis innatet, & quouis trahentem sequatur. Sunt-
q; nonnulli qui ex cochlæis subinde effossis mare eò irrupisse credunt. Inde dilabitur
hic fluuius per *Ludham* Episcoporum Norwicensium ædes, & *Clipsby* quod antiquæ & *Ludham.*
claræ in hoc tractu familiæ nomen contulit, statimque *Gartens* aquas consociat suas. *Clipsby.*

A *Gartenis* ostio littus ad *Winterton* notissimum nautis promontoriolum rectà quasi in
Boream tendit, cui nomen inditum à Brumali situ suspicor. Oceano enim ventorum &
frigoris genitori obiacet qui contra aggeres oppositos violentiùs irruit. Ager tamen cir- *Ager pinguissimus.*
cumuicinus (multorum opinione) totius Angliæ & pinguissimus, & resolutissimus: vt-
pote qui minimum laborem poscit, & fructum reddit maximum. Vili enim equo (quod
de Bizacio Africæ scribit Plinius) & à parte altera iugi, anu vomerem trahente facilè
proscinditur.

A *Winterton* statim conuersa ora in Oceanum sine vlla ferè prominentia recedit longo
tractu & iacenti, vsq; ad *Eccles* ab Oceano ferè absorptam. Inde celsiori littore per *Bron-*
holme quondam monasteriolum à *Glanuillis* locupletatum, fastigiato colli impositum, cu-
ius Crux magna veneratione apud maiores habita: haud procul à *Gimmingham* quod *Gimmingham.*
cum alijs *Manerijs* Thomæ Comiti Lancastriæ, I. Comes Warrenniæ & Surriæ olim *Wauburne.*
dedit, & per *Cromer* vbi Cothonem multis magnisq; expensis, Oceano tyrannicè impug-
nante, vicini frustra sunt moliri, procurrit ad *Wauburnehope* sinum non ita pridem muni-
tum, à *Wauburne* opidulo sic dictum, cui intercessione Oliuarij de *Burdegalia* Mercatum
& nundinas Rex Edwardus Secundus concessit. Huic proximum *Clay*, & è regione fluui-
olo diuisa *Blakeney*, *Nigeria* nostro Balæo, Carmelitarum collegium superiori sæculo *Blakney.*
celebre, a Rob. de *Roos*, Rob. *Bacon*, & I. *Brett* conditum, è quo prodijt Ioannes *Ba-* 1321.
conthorp, à loco natali (quæ nunc Equestris prosapiæ *Heydonorum* sedes est) nomina- *Ioannes Baconthorp.*
tus, vir eo seculo eruditione tam varia & recondita, vt in summa admiratione apud Italos
fuerit, & *Doctor Resolutus* vulgò vocaretur. Vnde de eo Paulus Pansa. *Si Dei Opt. Max.* *Doctor Resolutus.*
penetralia adire suadeat animus, nemo accuratiùs essentiam eius mandauit literis. Si rerum
caussas, si naturæ effectus, si cœli varios motus, ac elementorum contrarias qualitates disce-
re exoptet quisquam, hic se officinam offert. Christianæ religionis arma Vulcanijs munitiora
contra Iudæos solus hic Resolutus Doctor *ministranda tradidit, &c.* A *Wauborn* ora est de-
pressior ad S. Edmundi promontoriolum crebris riuulis interscissa & distincta, à maris
iniuria tumulis arenarijs, *Meales* vocitant, ægrè defensa. *Meales, vel Marles.*

Interiùs *Walsingham* vix quatuor hinc milliaribus abest. Vnde à maris vicinitate *Pa-* *Walsingham.*
rathalassiam vocat Erasmus. Nunc optimi croci prouentu, nuper peregrinatione ad Di-
uam Mariam virginem omnibus Anglis celeberrimus hic erat viculus, quam qui superi-
ori sæculo non inuiserat, & dono salutàrat, in Deos impius videbatur. Sed hanc suis ip-
sius verbis Erasmus qui vidit, tibi describet. *Haud procul à mari passuum ferè quatuor mil-*
libus, vicus est vix alia re victitans, quàm commeantium frequentiâ. Collegium est Cano-
nicorum, sed quibus à Latinis Regulæ cognomen additur, medium genus inter Monachos & *Regulares.*
Canonicos, quos Seculares appellant. Collegium hoc vix alios habet prouentus, quàm ex li-
beralitate Virginis. Nam maiora quædam donaria seruantur: Cæterùm si quid est nummo-
rum aut leuioris precij, cedit in alimoniam gregis & præfecti, quem illi Priorem vocant.
Templum est nitidum & elegans, verùm in eo non habitat virgo: sed illud honoris gratiâ
cessit filio. Illa suum habet templum vt à dextra sit filio. Nec hic tamen habitat, nondum e-
nim ædificium est absolutum, & locus est vndique perflabilis patentibus ostijs, patentibus
fenestris, & in propinquo est Oceanus ventorum pater. In eo templo, quod inabsolutum di-
xi, est sacellum angustum, ligneo tabulatu constructum ad vtrumque latus per angustum o-
stiolum admittens salutatores. Lumen est exiguum, nec ferè nisi ex cereis, fragrat odor sua-

ribus gratissimus. Imò si introspicias, dicas Diuorum esse sedem, adeò gemmis, auro, argentoque nitent omnia. Sed patrum memoria cùm in ecclesiarum opes & possessiones Henricus Octauus oculos & mentem defixisset, hæc disparuerunt omnia. De *Walsinghamia* nihil aliud est quod attexam, nisi Equestrem Walsinghamiorum familiam (vt qui Genealogias rimantur volunt) hinc nomen & originem duxisse: è qua floruit clarissimus Eques Franciscus *Walsingham* Reginæ Elizabethæ à Secretis, vir in maximis regni negotijs vt prudentiâ eximia, ita industriâ singulari. In vicinia verò ad *Houghton* celebris quondam floruit *Neirfordorum* familia, qui nuptijs cum Petronilla de *Vallibus*, quæ circa *Holt*, *Cley* & alibi opimum habuit patrimonium, valde fuerant locupletati. Sed littus reuisamus.

Houghton. Neuford.

Brannodunum. *Brancaster.*

Walsinghamiæ ad Occasum in littore vicinum erat antiquum illud BRANNODVNVM vbi cùm Saxones primùm Britanniam infestarent, Equites Dalmatæ sub Comite Littoris Saxonici præsidium egerunt: nunc verò vicus est rusticanus, nihil præter nominis reliquias retinens, vallumque (Castrum vicini vocant) quod octo plus minùs iugera includit, ostendens, & *Brancaster* nominatur, vbi Romanorum nummi antiqui sæpiùs eruuntur. Percommodè huic loco præsidium impositum fuit, ad *S. Edmundi* enim sacellum vicinum, & *Hunstanton* a S. Edmundo illo constructum, ora ad Austrum reflectitur, Sinumque laxiorem admittit pyratis expositum, in quem plura flumina se effundunt. Nec vel hoc nomine omittendum est *Hunstanton*, quòd sedes fuerit inclytæ & equestris familiæ *Le-Strange*, ex quo, regnante Edwardo Secundo, Ioannes Baro *Le-Strange* de *Knockin*, Hamoni fratri natu minori eam donauerit.

Hunstanton.

Le-Strange.

Capturam accipitrum, copiosam piscaturam, gagaten, & electrum in hoc littore sæpiùs repertum sciens omitto, cum & alibi hoc tractu hæc affatim suppetant. Memoria tamen haudquaque indignum est *Sharnborn* in hac ora, tum quòd secundam huius prouinciæ Christianorum ecclesiam Fœlix Burgundus qui Orientales Anglos ad fidem Christianam, & perpetuæ fœlicitatis dona perduxit, hoc in loco construxerit, (primam enim ad *Babingley* vbi terram conscendit, posuisse perhibent) tùm quòd ex fide antiquarum schydarum creditur, Anglium Dominum huius loci ante Normannorum aduentum, ex sententia ab ipso Guiliel. *Conquestore* pro tribunali latâ hoc prædium contra Warrenium, cui *Conquestor* donauerat, recuperâsse. Quod vrgent qui Guilielmum illum ex pacto & conuentione, non iure belli Angliam occupâsse volunt.

Sharborn.

Fœlix Episcopus.

Sinum illum nostri *The Washes* vocant, Ptolemæus ÆSTVARIVM METARIS, fortè *pro Maltraith* dixit, quo nomine huiusmodi æstuaria alibi Britanni nuncupârunt, nec aliud quàm æstuarium incertum, quale hoc est, illis significat. Huic, quà *Ouse* flumen Oceano obnititur, assidet *Linne*, à diffusis forsitan aquis nominatum, hoc enim *Lhyn* Britannis denotat. Opidum hoc est amplum, profunda fossa, mœnibus latè magna ex parte cinctum, duobusque exiguis fluuiolis diuisum, qui pontibus plus minùs xv. coniunguntur: & quanquam recentius sit, & non ita pridem *Linum Episcopi* dictum, quòd ad Episcopos Norwicenses vsque ad Henrici Octaui tempora spectârit, (e ruinis enim vetustioris emersit, quæ e regione in *Mershland* hodie *Old Lynne*, & *Linum Regis* vocatur) portus tamen securitate qui aditu est facillimus, mercatorum frequentiâ, ædium pulchritudine, & ciuium opulentiâ, si Norwicum excipias, facilè inter Icenos primas vendicat. Immunitatibus etiam gaudet amplissimis quas sanguine suo à Ioanne Rege, dum eius caussam tuerentur, emerunt, qui Prætorem constituit, & suum ipsius gladium præferendum tradidit, & scyphum argenteum inauratum quod adhuc asseruant, donauit. Libertates posteà amissas non sine sanguine etiam ab Henrico Tertio redemerunt, cùm eius signa sequuti infœlici prælio contra proscriptos Barones in Eliensi insula dimicarent, quod liber Eliensis, & Matthæus Parisiensis contestantur.

The Washes. Metaris æstuarium. Lynne.

E regione *Lynni* trans flumen *Mershland* regiuncula palustris (quod nomen indicat) subiacet, fossis & elicibus ad eliciendas & corriuandas aquas vbique distincta, gleba admodum exuberanti, & pecorum læto prouentu, adeò vt in loco quem *Tilney smeth* vocitant, plùs minùs triginta millia ouium pascantur: sed Oceanus allatrando, alluendo, inundando, & lacerando sæpissimè grauissiméque ita exercet, vt vix aggeribus cohiberi possit. Celebriora huius loca sunt *Walpole*, quod loci Dominus Eliensi olim ecclesiæ cum filio donauit, quem ibi Monachum instituit, *Wigenhall* possessio I. Howardi, regnante Edwardo

Mershland.

Tilney smeth.

Walpole.

Edwardo Primo, cuius posteri in honoratissimam & illustrissimam familiam propagati. *Tilney* de quo iam dixi, quæ veteri & Equestri stirpi *Tilneiorum* nomen fecit, & *S. Maria* antiquæ prosapiæ *Caruilsorum* sedes. Tilney. S. Maries.

Oram nunc maritimam legimus omnem, introrsum verò, ad Occiduum agri latus oppida sunt etiam quàm plurima, sed quia recentioris illa memoriæ, paucis percurram. Iuxta Linnum *Rising* castrum ædito colli appositum, & arcis Norwicensis æmulum, olim *Albineiorum*, postea Roberti de *Monte-alto*, qui Hugonis de *Albineio* Comitis Arundeliæ sororem & cohæredem duxit, demumque fuit *Mowbraiorum*, qui ex familia qua *Albiney* prognati, vt accepi, sedes; nunc verò vetustate prolapsum quasi animum efflauit. Inferiùs *Castleacre* vbi Comitum Warrenniæ quondam habitatio, in castro nunc semiruto ad fluuiolum. Qui anonymus exoritur haud procul a *Godwicke* fausto nomine, vbi ædes sunt exiguæ, sed quibus magnum est ornamentum dominus, vir clarissimus ex Equestri dignitate Edwardus *Cooke* raris naturæ dotibus, & in iure Angliæ Municipali vt versatissimus, ita perspicacissimus. Quod Angliæ testatissimum, & cùm Procuratorem Regium quàm plures annos egerit solertissimè, & nunc, cùm è *Communium Placitorum* tribunali summus *Iusticiarius* ius dicit consultissimè; nec minùs certè ex æditis de iure nostro Commentarijs, quibus de suo, & de postero seculo præclarè est meritus. Tenui lapsu hic fluuiolus in Occidentem aquas ad *Lynnum* trahit, per *Neirford* quæ inclytæ familiæ *Neirfordorum* nomen fecit, & *Netrborrough*, vbi prope ædes equestris familiæ *Spilmannorum* in æditiori colle sepimentum militare munitissimum antiquo opere cernitur, situ ad agrum vicinum tuendum opportuno. *Penteney* inde eidem fluuiolo adsidet cœnobiolum quod commune sepulchrum olim erat hoc tractu nobilium. Rising. Castleacre. Godwicke. Neirford.

Huic vicinum adiacet *Wormegay* vulgò *Wrongey*, quod Reginaldus de *Warrena* frater Guilielmi de *Warrena* Comitis Surriæ Secundi habuit cum vxore quæ *de donatione siue maritagio* (vt illo seculo loquebantur) Comitis illius erat, vt legi, per cuius e filio neptim ad *Bardolphos* statim translata fuit, qui summo in honore Barones admodum nobiles diu floruerunt, tribusque quinque folijs aureis in parma cyanea vsi sunt: quorum hæreditatis magna pars vnà cum titulo Guilielmo *Phellips* cessit, & per eius filiam ad Vicecomitem de *Bello-monte* transiuit. Magis ad Ortum apparent *Swaffham* forum celebratum quondam Comitis Richmondiæ possessio, *Ashele Manerium*, cuius iure *Hastingi*, & *Greij* Domini Ruthuniæ mappis quæ mensis insternuntur, & linteis quæ in solenni regum Angliæ inauguratione adhibentur, olim præfuerunt. *North Elmeham*, vbi aliquandiu sederunt Episcopi, cùm in duas diœceses diuisa esset hæc prouincia. *Dereham*, in quo Withburga Regis Annæ filia sepulta, quæ quia à luxuria, & leuitate remotissima, sanctissima virgo à maioribus inter sanctas relata. Cui proxima est *Gressenhall*, atque illi adiunctum *Elsing* olim *Folliotorum*, qui magna dignitate claruerunt, possessiones, quæ dotali iure per filiam Richardi *Folliot* ad Hugonem de *Hastings* è familia de *Abergeuenny* deuenerant, tandemque per filias & hæredes Hugonis *Hasting* postremi, *Gressenhall* Hamoni *Le-Strange* de *Hunstanston*, & *Elsing* Guilielmo *Brown* fratri Antonij *Brown* primi Vicecomitis *Montis-acuti* obuenerunt. In hac etiam parte est *Ic-borough* quod ICIANOS fuisse, quorum Antoninus memorat, opinatur Talbottus. Nec est cur de his plura verba faciam. Nihil mihi iam longius est quàm enumeratis Norfolciæ Comitibus, & Ducibus, Cantabrigienses adire. Wormegay. Bardolphi Barones. Swaffham. Ashele. L'office de Napparyre. Dereham. Gressenhall. Elsing. Folliot. Ichborrow. Iciani.

Radulphum quendam *East-angliæ*, id est, Norfolciæ, Suffolciæ & Comitatus Cantabrigiensi præfecit Guilielmus *Conquestor*, qui statim rebus nouandis, vt dixi, inhians, fuit eiectus. Post aliquot annos, regnante Stephano, Hugo *Bigod* Comes fuit Norfolciæ, nam cùm pax inter Stephanum & Henricum Andegauensem (qui posteà Rex Henricus II.) conuenit, disertè cautum erat vt Guilielmus Stephani filius totum Norfolciæ Comitatum haberet, excepto inter alia *tertio denario vnde Hugo Bigod erat Comes*. Quem tamen denuo Rex Henricus Secundus *Comitem fecit de tertio denario de Norfolc. & Norwic*. Cui anno Henrici Secundi XXVII. defuncto successit filius Rogerus, qui nescio ob quam caussam a Rege Richardo Primo Chartam Creationis nouam impetrauit, illi Hugo filius qui Matildem primogenitam Guilielmi *Marescalli* Comitis Penbrochiæ filiam, & ex hæredibus vnam sibi matrimonio copulauit. E qua suscepit Rogerum Comitem Norfolciæ, Angliæque Marescallum qui luxatis in hastiludio corporis articulis sine Norfolciæ Comites & Duces. Compos. inter R. Steph. & He. Ducem Andegauiæ. Robertus Montensis. vide pag. 120.

prole fatis concessit, & Hugonem *Bigod* Angliæ Iustitiarium in prælio ad *Lewes* occisum, cuius filius Rogerus patruo in Norfolciæ Comitatu & Marescalli dignitate suffectus erat. Qui cùm in Regis Edwardi Primi offensionem insolenti contumacià incurrisset, honores & hæreditatem ferè vniuersam in Regem transcribere coactus est in vsum Thomæ de *Brotherton* Regis filij, quem ex Margareta sorore Philippi *Belli* Regis Franciæ susceperat. Sic enim refert historia ex Bibliotheca S. Augustini Cantuariensis. Anno MCCCI. *Rogerus Bigod Comes Norfolciæ regem Edwardum constituit hæredem suum, & virgam Marescallatus ei tradidit hac conditione, quòd si vxor eius liberos pepererit, sine omni contradictione à parte Regis omnia vt priùs recipiet, & habebit pacificè; & dedit ei Rex* 1000. *libras, & millia libratas terræ pro vita vnà cum Marescallatu & Comitatu.* Cùm autem ille sine prole fato functus esset, Rex Edwardus Secundus Thomam de *Brotherton* fratrem suum ex transcriptione quam dixi, titulis Marescalli & Comitis Norfolciæ honorauit. Eius autem filiam Margaretam quæ dicta *Marescalla* & Norfolciæ Comitissa, enuptaque fuit Ioanni Domino *Segraue*, Norfolciæ Ducissam ad vitam, eodemque tempore Thomam *Mowbraium* Nottinghamiæ Comitem Margaretæ è filia nepotem, primum Norfolciæ Ducem *sibi & hæredibus masculis creauit* Rex Richardus Secundus, cui Comitis Marescalli Angliæ *statum* & *stilum* anteà concesserat. Hic ille est qui Henricum Lancastrium Herefordiæ Ducem in crimen coram rege vocauit, quòd aculeata quædam verbula in Regem effutierat. Cúmque singulari certamine pugnaturi essent, ad ipsa repagula voce præconis regia authoritate pronuntiata erat sententia, vt vterque exularet, Lancastrius in decennium, *Mowbraius* in perpetuum qui Venetijs posteà obijt, filijs duobus in Anglia relictis. Quorum Thomam Comitem *Marescallum* & Nottinghamiæ, (nec alio ille titulo vsus) noua molientem Henricus Lancastrius qui regnum iam occupárat, Henrici Quarti nomine notus, securi percussit. Frater autem & hæres Ioannes fauore Henrici Quinti excitatus & annos iam inde aliquot tantùm Comes *Marescallus*, & Nottinghamiæ itidem dictus, tandem primis auspicijs regni Henrici Sexti authoritate Parlamentaria vi diplomatis à Rege Richardo Secundo concessi, *vt filius Thomæ Ducis Norfolciæ patris sui, & hæres Thomæ fratris, declaratus* erat Dux Norfolciæ. Huic successit Ioannes filius qui obijt anno primo Edwardi Quarti, & illi itidem Ioannes filius qui patre superstite Surriæ & Warrenniæ Comes ab Henrico Sexto creatus erat. Cuius vnicam filiam Annam Richardus Dux Eboraci Regis Edwardi Quarti filiolus duxit, & vnà titulos Norfolciæ, Comitis *Marescalli*, Warrenniæ, & Nottinghamiæ à patre accepit. Cùm autem ille & vxor in teneris annis sublati essent, Richardus Tertius Rex Angliæ hunc titulum Ducis Norfolciæ, & Marescalli authoritatem Ioanni *Howard* contulit, qui *consanguineus & vnus hæredum* Annæ Ducissæ Eboracensis, & Norfolciæ, quam modo dixi, compertus, vtique cuius mater altera filia erat illius primi Thomæ *Mowbray* Ducis Norfolciæ, quemque Baronis honore Rex Edwardus Quartus dignatus erat. Ioannes iste in prælio ad *Bosworth* occubuit dum contra Henricum VII. pro Richardo animosè pugnaret. Huius filius Thomas qui ex creatione Richardi Tertij Surreiæ Comes, in paternum Norfolciæ titulum ab Henrico Octauo restitutus erat, cùm Iacobo Quarto Scotorum rege occiso, Scoticam aciem ad *Floddon* profligásset. In cuius victoriæ monumentum *Howardorum* familiæ concessum est, vt in media area illa argentea transuersa (*Bendam* vocant) quæ in ipsorum clypeo gentilio cernitur, scutum aureum interponeret cum dimidiato Leone rubro, sagittà ora transfixo, intra eiusdem coloris limbum duplicem vtrinque liliatum, quod proximè ad Scotorum Regum insignia accedit. Thomas filius huic successit quem inter reciprocos fortunæ æstus iactatum tempora nostra viderunt, cuius è filio Henrico (qui summam nobilitatem primus inter Angliæ proceres literarum splendore illustrauit) nepos Thomas, læsæ maiestatis reus, quòd nuptias cum Maria Scotorum Regina cogitauerit, Anno Salutis CIƆ D LXXII. capite plexus, Norfolciæ Ducum erat postremus. Ex quo tempore stirps eius aliquandiu ferè intermortua iacuit, nunc autem vitali Regis Iacobi rore irrigata, rediuiua efflorescit.

[Margin: Parliam. 21. Rich. 2.]

[Margin: Rot. Parl. 3. H. 6.]

[Margin: Parlam. 17. Edw. 4.]

[Margin: Scutum honorarium in insignibus Howardorum]

[Margin: Vide in Adagiis Hadr. Iu. Achilleum votum.]

Sunt in hac prouincia Parochiales ecclesiæ plùs minùs 660.

CAMBRIDGE.



LINCOLNIÆ PARS
Spalding
Crowlande
Merket deping
NORTH HAM
Peterburgh
THE ILE
Yaxley
Ramsey
HVN TING DONIÆ PARS
OCIDENS
Huntingdon
S. Iues
Ely
CAMBRIDGE
St. Neot
BED FORDI Æ
Bedforde
Potton
Bigelswade
Shefforde
PARS
Royston
HART
MERI DIES


CAMBRIDGE
Comitatus quem olim
ICENI
Insederunt
NORFOL PARS
SVFFOL PARS
LESSTRIÆ PARS
ORIENS
Scala Miliarium
Christophorus Saxton describ
Wilhelmus kip Sculpsit
Wisbiche
Downcham
ELY
Litleport
Mildnall
Ely
Reche
Newmarket
Hauerill
Lynton
CAMBORITVM
Chesterforde

CAMBRIDGE-SHIRE.



INtrorſus ager Cantabrigienſis, Saxonicè Grentbrigz-ſcyre: vulgo *Cambridge ſhire*, longiùs in Aquilonem productus, Norfolciæ & Suffolciæ obiacet, à meridie Orientalibus Saxonibus, & Hertfordenſibus, ab Occaſu Bedfordienſibus, & Huntingdonenſibus, à Septentrione Lincolnienſibus, & *Vſa* flumine, qui ab Occaſu in Ortum tranſuerſum interſecat, in duas partes diſpertitus.

Byne. Mault.

Inferior & Auſtralis, magis culta, magis conſita, ideóque lætior, non perlibrata planitie, ſed exiguè plana, plurima, imò tota (niſi qua Crocum copioſè progignit) frumentarijs iacet campis, hordeúmq; laudatiſſimum affatim effundit, è quo ad regerminationem madefacto, ligulisq; enatis toſto, *Byne* maximá copiá conficiunt (nos *Mault* vocamus) & ad ceruiſiam coquendam vtimur: quo in vicinas regiones diſtrahendo maximum quæſtum faciunt incolæ. Vlterior, & Septentrionalis pars, quod frequentibus fluminum alluuionibus paludeſcat, & in inſulas diſpergatur, *The Ile of Ely* dicitur, paſcuis vberrimis peruiridis & læta, cæterùm aqua alicubi ſubeunte quodammodo ſuſpenſa, nonnunquam verò inundante, maximam partem adoperta.

Roiſton. Vide in Hertford ꝫ Comitatu. *Caxton.* *Hatley S. George.*

Inferioris partis Occiduum latus perſtringit ex Conſularibus Romanorum vijs altera (*Ermingſtreat* liber Elienſis vocat) quæ Huntingdoniam rectà ducit, per *Roiſton* in ipſo agri limine, opidum notum, ſed tamen nouum, de quo iam antea diximus, & *Caxton* quæ olim Baronia Stephani de *Eſchaliers*, à cuius poſteris regnante Henrico Tertio, deſcendit ad *Freuillos*, & ab illis per *Burgoinos* ad *Ierminos*. Nec *Gamlinghay* procul hinc diſſitum eſt, vbi habitarunt *Auenelli*, quorum hæreditas per nuptias deuenit ad vetuſtam familiam de *S. Georgio*, ex qua plurimi equeſtri dignitate floruerunt à tempore Henrici Primi, ad *Hatley* qui ab illis *Hatley S. George* denominatur.

Shengay. A Commanderye. Burne Barones de Burne. Hiſtoria Barnwellenſis. Rechardus Peuerellorum.

Magis ad Occaſum hanc partem mediam interluit fluuiolus qui ex *Aſhwell* demiſſus ab Auſtro in Boream, vt ſe *Vſæ* committat, varijs anfractibus contendit per *Shengay* vbi lętiſſima huius Comitatus prata, Templariorum Militum olim *Præceptoriam*, quam Sibilla Rogeri de *Monte-Comerico* Comitis Salopię filia, & vxor I. de *Raines* illis anno MCXXX. donauit, nec procul à *Burne* caſtro, quod olim *Picotti* Vicecomitis huius agri, & *Peuerellorum* Baronia, à quibus per filiam honor & poſſeſſiones ad Gilbertum *Peche* deuenerunt, quorum vltimus cùm ſecundæ vxoris filios promouiſſet, Edwardum Primum Angliæ Regem hæredem ſcripſit. Morem enim Romanorum ſub Imperatoribus illo ſeculo Angliæ proceres reuocarunt, ſcribendi ſcilicet principes hæredes, cùm apud principes in offenſa eſſent. Deflagrauit verò hoc caſtrum bello Baronico ſub Henrico Tertio a Rihaldo de *Inſula* ſiue *L'iſle* incenſum; quo tempore Walterus de *Cottenham* vir magni honoris ſuſpendio ob rebellionem perijt. Quo nomine hunc fluuium appellent ſcriptores, controuertitur; alij *Grantam*, *Camum* alij nuncupant: quibus ego potiùs aſſentior, tum quòd obloquior incedat; hoc enim Britannis *Cam* ſonat, vnde obliquus in Cornwallia fluuius *Camel* dicitur: tùm etiam quòd vetus illud opidum CAMBORITVM, quod

Camboritum. Rith quid Britannis, & Gallis ſignificauit. *Grantceſter. Gron quid.*

Antoninus in tertio Britanniarum Itinere memorat, huic adſediſſe, ex diſtantia, nomine & Romanorum nummis hic prope pontem magná copia inuentis mihi ferè perſuaſerim. CAMBORITVM etenim *Vadum ad Camum*, vel *Vadum flexuoſum* ſignificat, nam *Rith* Vadum Britannis noſtris ſignificat, quod eò adnoto, vt Galli facilius videant, quid ſit *Auguſtoritum*, *Darioritum*, *Rithomagus* &c. in Gallia. Sed *Camboritum* noſtrum maluerunt Saxones Grant-ceaſter, & Gront ceaſter vocare, quod nomen etiamnum retinet, ſed vnde factum fuerit, nondum video. A *Gron* Saxonica dictione, quæ locum paluſtrem ſignificat, ſi deducerem forſitan errarem: Aſſerius tamen loca paluſtria in agro Sommerſetenſi ſemel atq; iterum *Gronnas paludoſiſſimas* Saxonico-Latino vocabulo dixit, & vrbem Friſiæ Occidentalis, quæ paluſtri loco ſita, *Croneingen* dici notiſſimum eſt. Sed nominis huius rationem venentur alij. Hæc circa annum Chriſti DCC. *deſolata ciuitatula fuit*, vt inquit Beda, dum memorat, *iuxta muros inuentum fuiſſe locellum de marmore albo pulcherrimè factum, operculoque ſimilis lapidis aptiſſimè tectum.* Nunc autem viculus eſt, cuius partem Henricus *Laceius* Lincolniæ Comes Henrico filio notho

ea

ea lege donauit, vt eius posteri (qui iampridem defecerunt) non aliud quàm Henrici nomen vsurparent: alteram partem Henricus Sextus Rex Angliæ è Lancastrensi familia oriundus, cui Comitis Laceij patrimonium obtigit, Collegio suo Regio in Cantabrigia siue *Cambridge* concessit. Quæ antiqui Camboriti vel pars, vel proles fuit, adeò & situ & nomine est confinis. Cambridge. Nec facilè crediderim *Cam* a *Grant* deflexum, vtpote duriuscula hæc videatur deflexio, in qua prętet vnam omnes literæ absorbentur: existimarim potiùs vulgum antiqui nominis *Camboriti*, vel *Cami* fl. vocabulum retinuisse, licèt scriptores Saxonico nomine *Grantbridge* sæpiùs vsi fuerint. Vrbs hæc quæ altera Angliæ Academia, alter oculus, & ἔρεισμα alterum, clarissimáq; bonarum literarum & pietatis officina ad *Camum* sedet, qui cùm Occidentale eius latus insulis ludens persperserit, ad Ortum conuersus in partes dispertit duas, ponteque coniungitur, vnde recentius hoc nomen *Cambridge* enatum. Vltra pontem Castellum cernitur amplum & vetustum, quod sua iam fata complesse videatur, & Collegium S. Magdalenæ sacrum. Cis pontem, vbi vrbis pars longè maxima iacet, platearum descriptione, templorum frequentia, & XVI. pulcherrimis Musarum sacrarijs, siue Collegijs omnia nitent, in quibus eruditissimi viri magno numero aluntur, maximarumque artium scientia, & linguarum cognitio ita florent, vt literarum, religionis, & totius doctrinæ fontes iure optimo censeantur, qui Ecclesiæ & Reipub. hortos salutaribus aquis suauissimè irrorant. Nec quicquam hîc desideres, quod in florentissima Academia requiras, nisi quòd è palustri situ aliqua est cœli grauitas. Fortasse autem, qui eò loci primùm Academiam instituerunt, Platonis iudicium approbârunt. Is enim cum corporis habitudine vteretur optima, Academiam insalubrem Atticę locum studijs delegit, vt quod redundans esset, & animum grauaretur, loci intemperie supprimeretur. Nihilominùs maiores nostri viri longè prudentissimi hanc vrbem, nec sine Deo Duce, studijs dicauerunt, præclarísque operibus illustrarunt.

Et ne in optimos illos literarum patronos, imò (vt cum Eumenio loquar) liberorum Collegia. nostrorum parentes pessimè ingrati videamur, ipsos, & Collegia, quæ bonis literis consecrârunt, honoris caussâ ex historia Cantabrigiensi summatim memoremus. Cantabrum Hispanum anno ante Christum natum CCCLXXV. Academiam hanc primùm instituisse, & Sebertum Orientalium Anglorum regem anno post Christum DCXXX. restituisse perhibetur. Posteà Danicis procellis subinde euersa diu neglecta iacuit, donec sub Normannico imperio omnia dilucescere incœperint. Iam inde literarum diuersoria, Ioannes Caius. Hospitia, & Aulæ studiosis excitata fuerunt, sed nullis possessionibus dotata. Primum verò Collegium (quod S. Petri Domus vocatur) Hugo *Balsham* Episcopus Eliensis, anno MCCLXXXIIII. extruxit & dotauit, quem sequuti & imitati Richardus *Badew* ab Elizabetha Clara Vltoniæ Comitissa adiutus anno MCCCXL. Aulam Clarensem; Maria de *S. Paulo* Penbrochiæ Comitissa anno MCCCXLVII. Aulam Penbrochiensem; Societas fratrum Corporis Christi MCCCXLVI. Collegium Corporis Christi, quod & S. Benedicti dicitur. Aulam Trinitatis Guilielmus *Bateman* Episcopus Norwicensis circa annum MCCCLIII. Edmundus *Goneuile* anno MCCCXLVIII. & Ioannes *Caius* Medicus nostro tempore Goneuilli, & Caij Collegium. Henricus Sextus Rex Anglię Collegium Regium MCCCCXLI. (cui sacellum adiunxit, quod inter pulcherrima orbis ædificia suo iure sibi locum vendicat) Margareta Andegauensis eius vxor anno MCCCCXLVIII. Collegium Reginale. Robertus *Woodlark* MCCCCLIX. S. Catharinæ Aulam. Ioannes *Alcocke* Episcopus Eliensis Collegium Iesu, anno MCCCCXCVII. Margareta Richmondia Regis Henrici VII. mater, Collegium nec non Christi S. Ioannis circiter annum MDVI. nouis ædificijs nunc splendidè adauctum. Thomas *Awdley* Angliæ Cancellarius Collegium Magdalenæ MDXLII. construxit, quod Christopherus *Wrey* summus Angliæ Iusticiarius & ædificijs & possessionibus modò restaurauit, potentissimusque Rex Henricus Octauus S. Trinitatis Collegium anno Salutis MDXLVI. ex tribus composuit, scilicet ex S. Michaelis Collegio quod Heruæus de *Stanton* regnante Edwardo Secundo struxit, ex Aula Regia ab Edwardo Tertio fundata, & *Fishwici hospitio*. Quod, vt Musis operantes amœmiùs habitent, nunc reconcinnatum, imò de nouo splendidâ magnificentiâ ita exædificatum, curante Thoma *Neuillo* eiusdem Collegij Magistro, & Ecclesiæ Cantuariensis Decano dignissimo: vt Collegium sua amplitudine, ædium descriptione & pulchritudine, vix alteri in orbe Christiano cedat, & ipse ve-

rè

rè ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΗΣ, vel maximo Philoſopho iudice cenſendus, cùm in publica non in priuata tantos ſumptus impenderit. Quodq; bonis ſtudijs, noſtro ſæculo, & nobis gratuler, honoratiſſimus & prudentiſſimus vir D. Gualterus *Mildmay* Eques auratus, & Elizabethæ ab intimis conſi'ijs nouum Collegium in Emmanuelis honorem poſuit, & Franciſca *Sidney* Comitiſſa Suſſexiæ quinque millia librarum ad Collegium extruendum quod *Sidney-Suſſex* diceretur, teſtamento legauit, quod iam abſolutum.

Barnwel. Cœnobiola, & fraterculorum ædes omitto, cùm obſcurioris erant notæ, præter *Barnwell*, quod Paganus *Peuerell* vir bellica virtute inſignis, & vexillifer Roberti Ducis Normanniæ in bello ſacro, regnante Henrico Primo, à templo S. Ægidij, vbi *Picotus* Vicecomes Canonicos inſtituerat, ad hunc locum tranſtulit, & triginta monachos induxit, eò quòd tunc temporis triginta erat annorum. Nominis rationem ex priuata loci hiſtoria, ſi placet, legas. *Paganus* Peuerell *impetrauit ab Henrico Primo locum quendam extra Burgum Cantabrigiæ; De illius loci medio fonticuli ſatis puri, & viuidi emanabant, Anglis Barnwell, id eſt, Fontes puerorum, eo tempore appellati, eò quòd pueri & adoleſcentes ſemel in anno in vigilia natiuitatis Sancti Ioannis illic conuenientes more Anglorum luctamina, & alia ludicra exercebant puerilia, & cantilenis, muſiciſque inſtrumentis ſibi inuicem applaudebant. Vnde propter turbam puerorum & puellarum illuc concurrentium & ludentium, mos inoleuit vt eodem die illic conueniret negotiandi gratiâ turba vendentium & ementium.*

Hiſtoria Barnwellenſis.

Nec à Martis tamen furore, quamuis muſis ſacrata, omninò libera fuit Cantabrigia. Cùm enim Dani paſſim latrocinia agitarent, ſæpiùs hîc hibernârunt, & anno Salutis decimo ſupra milleſimum, cùm Sueno Danus omnia acerbiſſimo tyrannidis terrore opprimeret, nihil famæ, & Muſis donârunt: quod tamen Sullam Athenis feciſſe legimus, ſed totam incendio miſerè deformârunt. Primis nihilominus Normannorum temporibus ſatis frequens erat, legimus enim in Guilielmi Primi Cenſuali libro. *Burgus de Grentbridge in decem cuſtodias diuiditur, &* CCCLXXXVII. *manſiones habet. Sed pro Caſtro deſtructæ fuerunt domus octodecim*, cùm Guilielmus ille Primus Anglos quos nuper vicerat caſtris tanquam frænis ſeruitutis vbiq; coercere ſtatuit. Bello poſteà Baronico proſcripti ex inſula Elienſi plurimum damni intulerunt, ad quorum direptiones cohibendas foſſam altam ad Orientalem vrbis partem duxit Henricus Tertius, quæ etiamnum *Kingſdich* dicitur. Vocat hîc me tacita nonnullorum expectatio, vt de antiquitate huius Academiæ opinionem proferam meam: ſed nihil me interpono, nec enim animus eſt floren-tiſſimas noſtras Academias συγκρίνειν quibus pares non nouerim. Vereor tamen ne Nephelococcygias nobis condiderint, qui huius vetuſtatem longè ſupra veri fidem efferentes Cantabrum iſtum ſtatim poſt Romam conditam, multos videlicet ante Chriſtum natum annos hanc Academiam inſtituiſſe tradiderunt. Hoc certum eſt, quocunque tempore primùm inſtituta fuit, circa Henrici Primi tempora, bonarum literarum ſedes denuò eſſe cœpit: ſic enim in vetuſta Petri Bleſſenſis ad Ingulphum appendice legitur.

Ioffredus factus Abbas Croulandiæ 1109. *Tranſmiſit Abbas Ioffredus ad Manerium ſuum de Cotenham iuxta Cantabrigiam Giſlebertum commonachum & ſacræ Theologiæ profeſſorem cum alijs tribus monachis, qui ſecuti eum in Angliam philoſophicis theorematibus & alijs ſcientijs primitiuis inſtructiſſimi, quotidie Cantabrigiam adeuntes, & conducto quodam horreo publico ſuas ſcientias palàm profitentes in breui temporis excurſu grandem diſcipulorum numerum contraxerunt. Anno verò ſecundo aduentus illorum, in tantum accreuit diſcipulorum numerus, tam ex tota patria, quàm ex opido, quòd quælibet domus maxima, horreum, nec vlla eccleſia ſufficeret eorum receptaculo. Vnde diuerſis in locis à ſe diuiſi & formam Aurelianenſis Studij ſequuti, ſummo mane frater Odo Grammaticus & Satyricus ſingularis pueris & iunioribus ſibi aſſignatis legebat Grammaticam iuxta Priſciani doctrinam & Remigij in eundem. Ad horam verò primam Terricus acutiſſimus ſophiſta Logicam Ariſtotelis iuxta Porphyrij, & Auerrois Iſagogas & commenta adoleſcentioribus tradebat. Ad horam verò tertiam frater Wilhelmus Rhetoricam Tullij, Quintilianique flores perorabat, magiſter verò Giſlebertus omnibus Dominicis diebus & ſanctorum feſtis verbum Dei ad populum prædicabat. Ex iſto itaque fonte paruo qui creuit in fluuium magnum videmus nunc lætificatam ciuitatem Dei, & totam Angliam factam frugiferam, per plurimos magiſtros doctoreſque de Cantabrigia exeuntes ad ſimilitudinem*

litudinem sanctæ Paradisi, &c. Quo autem tempore facta sit *Vniuersitas*, Robertus de *Remington* pro me dicet, *Regnante Edwardo Primo de studio Grantbridge facta est Vniuersitas, sicut est Oxonium, per curiam Romanam.* Sed quid ego imprudens in hanc arenam pedem impono? In qua iampridem duo eruditissimi senes digladiati sunt, quibus ego sanè arma libentissimè submitto, & tantis nominibus honore quàm possum maximo, in omnibus assurgo. Meridianus qui Cantabrigiæ vertici imminet, partibus XXIII. scrup. XXV. ab vltimo Occidente distat. Arcus vero eiusdem Meridiani inter Æquatorem & Verticalem punctum interiectus gradibus LII. scrupulis XI. commensuratur.

Proximè Cantabrigiam ad Ortum brumalem colles eminent æditiores, *Gogmagog-hils* [*Gogmagoghils.*] studiosi vocant, Henricus Huntingdonensis *Amanissima montana de Balsham* dixit à viculo subiecto, in quo, vt ille scripsit, Dani nihil sibi ad immanissimam crudelitatem reliquerunt. In horum summitate militare vallum vidimus amplum sanè, triplici aggere [Vallum militare.] firmatum, & planè eo tempore inexpugnabile munimentum, (vt quibusdam rei bellicæ non imperitis placet) nisi quòd aqua longiùs absit: Æstiua verò fuisse Romanorum, vel Danorum nonnulli existimant. *Vandelburiam* autem appellare videtur Geruasius Tilburiensis. [*Wandlesbury.*] *Sub Cantabrigia*, inquit, *locus erat* Vandelbiria *dictus, eo quòd illic Vandali Britanniæ partes sæua Christianorum peremptione vastantes castrametati sunt: vbi ad monticuli apicem fixere tentoria, planities in rotundum vallata circumcluditur, vnico ad instar portæ aditu patens ad ingressum.* De militari spectro hic obuersante, quod subtexit, quia nugacissimum delirantis vulgi commentum videtur, tacitus prætermitto. Non enim nostri instituti est dulces, vt inquit ille, fabulas nectere, & aures oblectare. In valle sub [Saiston.] his collibus *Salston* cernitur, quod à *Burghis de Burgh Green* per Walterum *De la Pole* & *Ingalthorpas* ad Ioannem *Neuill* Marchionem *Montis-acuti*, & per eius filiam & hæredem vnam ad *Hudlestonos* qui hic claruerunt. Magis ad Ortum primùm *Hildersham* occurrit quondam *Bustlerorum*, nunc per nuptias *Parisiorum*, deinde iuxta nemora *Horsheath* [*Horsheath.*] locum habet, cuius possessio ad antiquas & claras *Argentoniorum*, & *Alingtoniorum* [Vide in *Hertfordshire.*] familias de quibus alibi, longa serie spectabile dignoscitur, vtique *Alingtoniorum* iam habitatio. *Castle Camps*, [*Castle-Camps.*] antiqua etiam *Verorum* Oxoniæ Comitum sedes contigua est, quæ ad Hugonem *Vere* pertinuit (sic habet vetus Inquisitio) *vt esset Regis Camerarius.* Cùm tamen verissimum sit, Henricum Primum Angliæ Regem concessisse Albe- [Camerarius Angliæ. I. Great Chamberlan.] rico de *Vere* hoc munus hisce verbis: *magistram Camerariam totius Angliæ in feodo & hæreditate, cum omnibus dignitatibus, libertatibus, & honorificentijs ad eam pertinentibus, ita liberè & honorificè sicut Robertus Mallet tenuit, &c.* Reges nihilominùs alios atq; alios ad hoc munus obeundum pro arbitrio designârunt. Nec procul fossæ illæ magnę & longæ hinc inde cernuntur, quas Orientales Anglos duxisse certum est ad Mercios cohibendos qui repentinis incursionibus cuncta obuia immaniter populari solebant. Prima [*Flemdike, & alia.*] autem harum incipit ad *Hinkeston* & in Ortum per *Hildersham* versus *Horsheath* quinque plùs minùs milliaria procurrit. Huic vicina secunda *Brentditch* dicitur & à *Melborne* per *Fulmer* ducit. Sed hinc iam pedem retrahamus, de alijs huiusmodi prætenturis suo loco statim dicturi.

Sub ipsam autem Cantabrigiam ad Ortum prope *Sturum* amniculum, nundinæ totius [*Sturbridge faire.*] Angliæ celeberrimæ, siue conuenarum multitudinem, siue mercium copiam spectes, quotannis mense Septembri habentur. In proximo qua iter erat impeditissimum, & itinerantibus molestissimum, pulcherrimam aggesto aggere viam non ita pridem per tria plùs minùs mill. pass. versus *Newmarket*, optimus & integerrimus vir D. G. Heruæus Legum Doctor, & Aulæ Trinitatis Cantabrigiæ Præpositus magnis impensis, sed pio, & laudabili sanè instituto substruxit.

Vbi hic agger desinit apparet tertia fossa antiquitùs ducta quæ ab Orientali *Cami* [Fossæ:] fluminis ripa exorsa per *Fenn-Ditton*, siue rectiùs *Dich-ton* ab ipsa fossa dicta rectà ducit inter *Wilberham magnam* & *Fulburn* vsque ad *Balsham*. Hæc hodie *Seauen Mile Dyke*, vulgò vocatur, quia septem milliaribus à *Newmarkett* abest, olim *Fleam-dyk*. i. *Fugæ fossa*, [Fleam-dyke.] à fuga aliqua memorabili, vt videtur. Ad *Wilberham* illam, olim *Wilburgham* incoluerunt olim Barones de *Insula*, siue *Lisle de Rubeo-monte*, vetustæ nobilitatis, è quibus Ioannes ob virtutem bellicam inter primos Georgiani ordinis *fundatores* ab Edwardo

Tertio accensebatur; supereſtque eius familiæ hæres masculus senectute venerandus, & prole fœcundus Edmundus *L'isle* qui etiamnum huius loci Dominus.

Hinc magis in Ortum ad quintum milliare introrsum quarta prætentura, siue fossa omnium maxima cùm suo vallo cernitur, quam vulgus hominum quasi dæmonum, non Diuels-Dyke. hominum opus demirans *Diuels-dyke* appellitat, alij *Rech-dyke* a *Rech* mercatorio opidulo vbi incipit. Hæc proculdubio illa est de qua Abbo Floriacensis vbi Orientalis Angliæ situm describit, *Ab ea parte quà Sol vergit in Occasum ipsa prouincia reliqua insulæ est contigua & ob id peruia, sed ne crebra irruptione hostium incursetur, aggere ad instar altioris muri, & fossa humo præmunitur.* Per plura enim milliaria planitiem illam quę *New-market-heath* dicitur, quà incursionibus patuit, transuersim secat exorsa ad *Rech*, supra quam palustris est regio & inuia, & desinit iuxta *Cowlidge*, quà via syluis impeditior. Obijt Abbo 1003. Sigebertus Limesque fuit tum regni, tum Episcopatus Orientalium Anglorum. Quis tanti operis author incertum, recentiores scriptores ad Danicum Regem Canutum referunt. Cùm Canutus regnare cœpit. 1018. tamen Abbo ille eius meminerit, qui obijt antequam Canutus rerum in Anglia potiretur, & Chronicon Saxonicum vbi agitur de rebellione Athelwolphi contra Regem Ed- Anno 905. wardum Seniorem *Dicum* simpliciter vocat. Edwardumque Regem quicquid inter *Dicum* & *Vsam* fl. interiacet vsque ad paludes Boreales vastâsse docet, ac Æthelwoldum rebellem, & Eohric Danum tunc prelio ibidem cecidisse. Verùm qui a Canuti tempore scripserunt *Limitem S. Edmundi*, & *Fossatum S. Edmundi* dixerunt, Canutumq; Regem duxisse crediderunt, qui deuotissimus S. Edmundi Martyris cultor maximas immunitates illius locis religiosis (ad expiandam sceleratam patris Swani in eosdem crudelitatem) vsq; ad hanc fossam concessit, Vnde Guil. Malmesburiensis in libro de Pontificibus: *Exactores vectigalium qui aliàs bacchantur fas nefasque iuxta metientes, ibi supplices citra Fossatum S. Edmundi litigationes sistunt.* Et has duas postremò nominatas *S. Edmundi Fossas* appellatas fuisse constat, nam Matthæus Florilegus bellum illud contra Æthelwolphum inter duo *S. Edmundi Fossata* confectum prodidit.

Burwell. Iuxta *Rech* assidet *Burwell*; vbi olim castrum quod difficillimis illis Regis Stephani temporibus, Galfredus de *Magnauilla* Essexiæ Comes qui in alienas possessiones irruendo, magnam famæ iacturam fecit, fortiter oppugnauit, donec sagitta caput transfixus regiones illas longa formidine exsoluit. Vix vno & altero hinc milliari abest *Lanheath* vbi multos iam annos *Cottoni* equestri splendore clari incoluerunt. A qua haud procul Isleham. Peiton. J. distat *Islebam* olim *Bernardorum* hæreditas, quam per nuptias equestris *Peitanorum* familia adijt, qui e mascula *Vffordorum* stirpe (e qua *Vffordi* Suffolciæ Comites) progerminârunt vt insignia gentilitia innuunt: licèt a *Peiton* Suffolciæ opidulo vbi diu insederunt, nomen pro more eius seculi desumpserint.

Kirtling. Barones North. Ad eandem etiam fossam *Kirtling* quæ & *Catlidg* nominatur, situm habet, nunc celebris ædibus primarijs Baronum *North*, quorum primum Edwardum *North* eo honore 977. Maria Regina ob prudentiam decorauit. Olim verò Synodo frequenti notum dum Ecclesiastici de Paschate celebrando acriter inter se digladiarentur.

The Fennes and Isle of Ely Superior & Septentrionalis huius agri portio in insulas amnicas tota dispescitur, & intermeantibus crebris fossis, canalibus & incilibus quasi fascijs distincta, læta viriditate æstiuis mensibus intuentium oculis arridet, hybernis autem tota ferè aquis adoperta longiùs & latiùs quàm oculorum acies metiatur, maris quodammodò speciem mentitur.

Giruij. Qui hanc & reliquam palustrem regionem quæ a Suffolciæ collimitio ad *Wainflet* in Comitatu Lincolniensi per 68. milliaria & myriada iugerum comprehendit in quatuor Comitatibus, scilicet hoc Cantabrigiensi, Huntingdonensi, Northamptonensi & Lincolniensi incoluerunt, Saxonico seculo *Giruij* dicebantur, id est, vt quidam interpretantur, *Paludicolæ*. Genus hominum pro loci ingenio asperum, incultum, reliquis quos *Vplandmen* vocant inuidum, qui grallis sublime vt Gigantes spatiantes rei pecuariæ, piscaturæ, & aucupio omnes incumbunt. Ipsa regio quæ brumali tempore, & aliquando maximam partem anni aquis *Vsæ*, *Grantæ*, *Neni*, *Wellandi*, *Gleni*, & *Withamæ*, cùm satis capaces meatus non habeant, diffusis inundatur; cùm aquæ se in suos alueos receperint, lætissimo gramine & fœno crassiori (*Lid* vocant) ita luxuriat, vt cùm satis superque in vsum demessuerint iniecto igne mense Nouembri vt lætiùs proueniat, comburunt. Quo tempore

pore

pore vliginosum hunc tractum flammis latè vagantibus exardere videas, & admireris. Abundat prætereà cespitibus & caricibus in ignis alimentum, arundinibus ad casas contegendas, alnis etiam, cæterisque fruticibus aquaticis, præcipuè salicibus est feracissima, tùm soli naturâ, tùm quòd contra irrumpentium amnium impetus satæ, sæpiusque cæsæ, innumero hærede, vt Pliniano verbo vtar, profuerunt. E quibus etiam & hic, & alibi corbes texuntur, quas cum Britanni *Baskades* vocent, ego, vt hoc obiter notem, Martialem non intelligo, nisi de his inter Apophoreta intellexerit in illo disticho,

Barbara de pictis veni Bascauda Britannis,
Sed me iam mauult dicere Roma suam.

Prætereà Scordium quod & Trissago palustris dicitur, iuxta fossas copiosè profunditur. Verùm palustres has insulas Fœlix antiquæ memoriæ scriptor his verbis depinxit. *Est immensæ magnitudinis palus, quæ a Grontæ fluminis ripis incipiens, nunc carectis, interdum nigris fusci vaporis laticibus, nec non insularum nemoribus interuenientibus, & flexuosis riparum anfractibus ab Austro in Aquilonem mare tenùs, longissimo tractu protenditur.* Eandemq; carmine Guilielmus Monachus Crowlandensis in vita Guthlaci sic descripsit. Scordium. * A Fenne.

Est apud Angligenas à Gronta flumine, longo
Orbe per anfractus stagnosos, & fluuiales,
Circumfusa palus, orientalisque propinqua
Littoribus Pelagi, sese distendit ab Austro
In longum versus Aquilonem, gurgite tetro
Morbosos pisces vegetans, & arundine densa
Ventorum strepitus, quasi quadam verba susurrans.

Adiunge his, si placet, ex Henrico Huntingdonensi: *Palustris hæc regio latissima est, & visu decora, multis fluuijs decurrentibus irrigata, multis lacubus magnis, & paruis depicta, multis etiam syluis, & insulis florida.* Habe etiam in coronidem Guiliel. Malmesburiensis hæc paucula verba. *Piscium hic tanta copia, vt sit aduenis miraculo, indigenis pro illorum admiratione ludibrio: nec minor aquaticarum volucrum vilitas, vt pro vno asse de vtroque cibo quinque homines, & eò ampliùs non solùm famem pellant, sed etiam ad satietatem se expleant.*

De hac palustri regione exsiccanda quid sano & salutari consilio, vel specioso boni publici prætextu sæpiùs agitatum fuerit, etiam in consilijs Parlamentarijs non libet referre. Verendum autem ne quod in Pontinis Italiæ paludibus exsiccandis sæpiùs accidit, ad pristinum statum redigatur. Adeò vt consultissimum nonnullis videatur quod in re simili monuit Apollinis oraculum. *Rebus diuinitùs constitutis manum non esse inyciendam.* Pausanias in Corinth.

Hoc loci ingenio, & rerum affluentia freti seditiosi quidam, nec solùm Angli contra Guilielmum *Conquestorem*: sed etiam Barones quotiescunque proscriberentur, hinc regibus negotium facesserunt; verùm infœlici semper successu, quamuis ad *Eryth* & ad *Athered*, hodie *Andre*, vbi facillimus est in insulam transitus, subinde propugnacula posuerint. Et adhuc iuxta *Andre* militare vallum spectatur mediocris altitudinis, sed spatiosius, quod *Belsars-hilles*, nescio a quo *Belisario* vocant. Andre Ely.

Pars huius palustris regionis Australior & longè maxima, quæ huius Comitatus censetur, Anglo-Saxonicè Eliᵹ, nunc *The isle of Ely* a primaria insula nominatur. Quod nomen Beda ab anguillis deduxit, vnde nonnulli *Insulam Anguillariam* dixerunt. Polydorus Virgilius a Græco Ἕλος, quod paludem denotat, reperit; alij ab *Helig* Britannico quod salices significat, quibus præcipuè abundat, cùm aliarum arborum sit impatiens. Tombertum quendam Australium Giruiorum principem partem huius regionis Etheldredæ vxori in dotem dedisse legimus, quæ cùm Egfridum Nordanhumbrorum Regem, cui secundò nupserat, reliquisset, vt Christo inseruiret: in primaria harum insula, & propriè Eliᵹ dicebatur, sexcentarumque familiarum tunc censebatur, deuotis virginibus monasterium S. Etheldreda, vulgò S. Audrye.

nasterium construxit, cui & ipsa prima præfuit. Quod tamen primum non fuit in hac palustri regione templum. Liber enim Eliensis Augustinum nostrum ad *Cradiden* Ecclesiam posuisse author est, quam Penda Mercius postea subuertit: & Malmesburiensis prodit Fœlicem Orientalium Anglorum Episcopum ad *Soham*, quæ Norwicensis adhuc iuris est, primam sedem habuisse. *Soham*, inquit ille, *Villa est iuxta stagnum quod volentibus ire in Ely, quondam periculosum nauibus, nunc facta via per palustre arundinetum transitur pedibus. Sunt ibi adhuc indicia diruta à Danis Ecclesiæ, quæ habitatores pariter exustos cum ruinis operuit suis.* Quo etiam tempore illud Etheldredæ monasterium Danico furore corruit, sed restaurauit Ethelwoldus Wintoniensis Episcopus, qui facta cum Rege conuentione, insulam de integro emit, eiectisque sacerdotibus, monachis compleuit, quibus Edgarus Rex, vt in eius diplomate legitur, *concessit inter paludes caussas seculares duarum Centuriarum, & extra paludes quinque Centuriarum cum dimidia in Witchlaw, in prouincia Orientalium Anglorum*, quæ *S. Etheldredæ Libertates* hodie dicuntur. Deinde amplissimis reditibus Reges, virique Principes locupletárunt, inprimis *Brithnothus Comes iam bellum in Danos gesturus* DCCCCXCIX. *dedit Ecclesiæ de Ely Somersham, Spaldwic, Trumpinton, Ratindum, Heisbury, Fulburn, Tmerston, Triplestow, Impetum*, (quòd magnificè illum monachi excepissent) si modò occumberet illo bello. Occubuit verò ille ad *Maldun* quatuordecim diebus cum Danis congressus. Adeòque ditatum fuit hoc Monasterium, vt Abbas (teste Malmesburiense) *mille quadringentas libras suo marsupio quotannis annumerârit.* Richardúsque Abbas vltimus Comitis Gisleberti filius, hisce diuitijs quasi ebrius, & Lincolniensi Episcopo subesse dedignatus, *auratis verbis*, vt scribunt monachi, & exquisitâ diligentiâ cum Rege egit, vt sedes Episcopalis hic constitueretur, quod morte præreptus non obtinuit. Statim tamen Rex Henricus Primus, hoc a Papa consequutus, Heruæum Bangorensem præsulem a Wallis sede sua eiectum primum Episcopum instituit, cui & successoribus Cantabrigiensem agrum, qui ad Lincolniensem præsulem priùs spectauerat, in diœcesim assignauit, & in his insulis iura quędam regalia confirmauit. Lincolniensibus autem Episcopis, quibus hanc insulam & Cantabrigiensem agrum subtraxerat, *Spaldwic manerium* ad damnum resarciendum concessit, vel vt Eliensis liber habet, *Datum est Manerium de Spaldwic Lincolniensi Ecclesiæ in ius perpetuum pro commutatione Episcopalis curæ super pagum Grantbrigensem.* Heruęus iam Episcopus constitutus nihil priùs habuit, quàm suę Ecclesię dignitatem augere: *Vt esset vbique à telonio libera* (Eliensis libri verbis vtor) *impetrauit, de iugo seruitutis, & custodia quam castello Norwici debebat, liberauit:* viam ab *Exning* ad *Ely* per paludes, VI. plùs minùs mill. pass. substruxit, & latifundia non pauca acquisiuit. Successores autem acciso monachorum numero (è septuaginta enim solummodo quadraginta reliquerunt) rerum copia, diuitijsque affatim ad patrum vsque tempora affluxerunt, & dies festos & solennes tanto cum apparatu & pompa celebrárunt, vt reliquis Angliæ Monasterijs laudem omnem præripuerint. Vnde & Poeta illo sæculo non malè cecinit,

Præuisis alijs, Eliensia festa videre,
Est, quasi præuisa nocte, videre diem.

Templum item, quod iam vetustate nutauit, paulatim extruxerunt, & in eam qua nunc cernitur amplitudinem perduxerunt: est enim amplum, excelsum, & elegans, sed procerum & Episcoporum tumulis, non sine summa indignitate comminutis nonnihil deformatum. Nunc autem pro numeroso illo monachorum grege substituti sunt Decanus, Pręberdarij, Ludus Literarius, in quo viginti quatuor pueri erudiuntur, & aluntur. Quatuor ad hoc templum sunt à vulgò decantata, nimirùm * Hypæthrum in ipso templi fastigio quod choro imminet octo columnis singulari arte à Ioanne de *Hothum* Episcopo suspensum. Sub templo ad Septentriones sacellum est Diuæ Mariæ sacrum, eleganti sanè opere à Simone de *Monte-acuto* Episcopo constructum. Ad Austrum magnæ altitudinis moles rotunda aggesta, *The Mont* vocant, cui mola alata imponitur, & vitis, vt ait ille, lętificata, quæ iam exaruit. Quæ hoc rythmo olim complexus est huius loci Monachus.

Marginal notes: Cradiden. — Soham. — S. Etheldredæ Libertas. — Liber Eliensis. — * *The Lantern.*

Hac

Hæc sunt Eliæ, Lanterna, Capella Mariæ,
Atque molendinum, nec non dans vinea vinum.

Ipsa verò *Elye* vrbs est non exigua, nec sua sanè vel elegantia, vel frequentia prędicanda, vtpote ob vliginosum situm, cœlo parùm salubri. In iisdem etiam paludibus alterum fuit ad Occasum æstiualem celebratissimum monasterium à dumorum condensitate & spinis *Thorney* dictum, olim ab Anachoretis *Ankerige*, vbi, vt est in libro Petroburgensi, Sexuulfus vir inprimis religiosus *monasterium cum heremiticis cellulis construxit*. Quod posteà à Danis subuersum Æthelwoldus Wintoniensis Præsul vt rem monasticam promoueret, restaurauit, Monachisque compleuit, & arboribus vndique circumsepsit. Locus, vt habet Malmesburiensis, *Paradisi simulachrum, quod amœnitate iam cælos ipsos imaginetur, in ipsis paludibus arborum ferax, quæ enodi proceritate luctantur ad sydera, æquorea planities herbarum viridantibus comis oculos aduocat, currentibus per campum nullus offensioni datur locus. Nulla ibi vel exigua terræ portio vacat, hic in pomiferas arbores terra se subrigit, hic prætexitur ager vineis, quæ vel per terram repunt, vel per baiulos palos in celsum surgunt. Mutuum certamen naturæ & cultus, vt quod obliuiscitur illa, producat iste. Quid dicetur de ædificiorum decore, quæ solum mirabile quantum inter illas paludes solidum inconcussis fundamentis sustinet? Solitudo ingens ad quietem data monachis, vt eò tenaciùs hæreant superis, quo castigatiùs mortales conspiciantur, Fœmina ibi si visitur monstro habetur, maribus aduenientibus quasi Angelis plauditur. Verè dixerim insulam illam esse castitatis diuersorium, honestatis contuburnium, diuinorum philosophorum gymnasium.* Thorney.

De *Wisbich* Episcoporum Eliensium castro ad tredecimum hinc milliare, quod inter paludes & flumina sedet, & nuper fuit carcer ad Pontificios coërcendos constitutus, nihil habeo quod adiungam, nisi hoc opidum vna cum *Walepole*, monasterio Eliensi olim à possessore datum fuisse, cùm Alwinum filiolum monasticæ vitæ ibi addiceret, Guilielmum Primum Castrum extruxisse, cùm proscripti ex hac palustri regione excursiones facerent, & anno Salutis CIↃCCXXXVI. cùm Oceanus vi ventorum agitatus in hoc littus duos continuos dies incubuisset, latissimam terrarum hominúmque stragem ædidisse. Castrum verò lateritium quod nunc cernitur auorum memoria construxit Ioannes *Morton* Episcopus Eliensis, qui etiam rectâ lineâ in palustri hac regione incile, quod *The New-leame* vocitant, duxit ad subuectationis commoditatem, vt frequentatione hoc suum opidum vberiori quæstu increscceret; quod contrà tamen vertit, nam non magno iam est vsui, & conqueruntur vicini *Auonæ* siue *Neni* cursum in Oceanum per *Clowcrosse* omnino hinc esse impeditum. Wisbich. Walepole. New-leame. Clowcrosse.

Primus Cantabrigiæ Comes habetur Guilielmus frater Ranulphi Comitis Cestriæ, vt legitur in diplomate Alexandri Episcopi Lincolniensis dato MCXXXIX. Posteà illi è regia Scotorum familia qui Comites fuerunt Huntingdoniæ, etiam Cantabrigiæ Comites fuisse existimare licet, cùm ex Archiuis regni constet Dauidem Huntingdonię Comitem *tertium denarium de Comitatu Cantabrigiæ accepisse*. Longo pòst tempore Ioannem Hannonium fratrem Guilielmi tertij Comitis Hollandiæ, & Hannoniæ, eo honoris euexit Rex Edwardus Tertius in gratiam Reginę Philippæ vxoris suæ, quę Ioanni illi sanguine coniuncta. In cuius etiam gratiam, cùm Ioannes ad Gallum defecisset, Guilielmum Marchionem Iuliacensem, qui ex Philippæ sorore natus, eodem titulo adauxit. His verò exteris defunctis, Edwardus Tertius hunc honorem in filium suum quintum Edmundum de *Langley* transtulit, quem cùm *quatuor annos tenuisset* (ex authoritatę veteris M.S. libri loquor penes optimum Antiquarium Fr. Thinnum) *Comes Hannoniæ consanguineus D. Philippæ Reginæ ad Parlamentum veniens ius in eo vendicauit, & placatus recessit.* Edmundo de *Langley* qui postea Dux Eboraci nati sunt filij duo Edwardus Dux Eboraci qui aliquandiu Comitatum Cantabrigiæ tenuit, & in Agincourtensi prælio cecidit, & Richardus qui factus Comes Cantabrigiæ prona Henrici Quinti gratia, & cum consensu fratris Edwardi. Verùm cùm iste perfidè & ambitiosè ingratus exitium optimo illi Principi machinatus, capite plecteretur, Cantabrigiensium Comitum titulus vnà cum illo omninò euanuit, vel latuit inter titulos filij eius Richardi, qui posteà Dux Eboraci in integrum restitutus *vt consanguineus sz. & hæres patrui Edwardi Ducis Eboraci*. Comites Cantabrigiæ. 1399.

Parochiæ 163. in hoc Comitatu continentur.


NORTH
HAMTO
NIÆ
PARS
BEDFOR
DIÆ
PARS
Peterburgh
Yaxley
Oundle
Thrapston
Higham feries
Kimbalton
St. Neot
Bedforde
Marham
Paston
Eye
Sutton
Woodston
Castor
Orton
Elton
Haddon
Chesterton
Stilton
Holme
Denton
Glatton
Sawter
Woodwalton
Winwick
Hammerton
Buckworth
Spaldwick
Ellington
Easton
Brampton
Bugden
Diddington
Southhoe
Paxton
Halewstone
Eaton
Colmworth
Barkforde
Rockesden
Wilden
Temsforde
Reynold
Bersforde
Blunham
Willyngton
Cuphull
Sandye
Enerden
Garnlingay
Tilbrook
Yelden
Melchborne
Raunds
Hargrave
Keston
Catworth mag.
Bythorne
Brynton
Leighton
Moulsworth
Thorpe
Tichmarsh
Achurch
Wigesthorpe
Luddington
Thurnyng
Lutton
Warmington
Tansouer
Cottersteoke
Glapthorn
Benyfelde
Stoke
Pilkaton
Fotheringay
Nassington
Yarwell
Walmsforde
Waternewton
Apthorpe
Newton
Eimshhead
Sulylodge
Thornhaw
Woodcroft
Widrington
Woodston
Stanground
Flaton
Fasset
Trundle mere
Conyngton
Cowcot
Fokworth
Newton
Higham pk
Ryseley
Caysoe
Bushmead
Boulne herst
Rauensden
Nether Skelton
Nether deane
Over deane
Swynesheed
Stoughton
Pertenhull
Grasham
Kemmyngton
Stow
Hemmyngton
Pokbrok
Berwells
Clopton on the woulde
Oldweston
Copingforde
Vpton
Aukenbury
Weybridge forest
Hinchingbrok
HVNTINGDON
Offorde
Toseland
Abotesley
Waresley
Tetworth

HVNTINGDON Comitatus qui *pars fuit* ICENORVM

The new lane
CAN
Whitlesey dike
HE ILE OF
ELY
Vmere
Ramsey
Bury
Chaters
Mepole
TABRI
Ely
Wistow
Broughton
Fenton
Pidley
Sutton
Somersham
Oldehurst
Woodhurst
Bluntsham
Wilton
Hemyngton
St. Iues
Erith
Holywell
Audre
Denny
Roche
Owse flu
Owre
Willingham
Cotenham
Ramton
Hemyngfords
Fenny draton
Fenny stanton
Swasye
Longstanton
Hilton
Cunnington
Papworthannes
Knapwell
CAMBRIDGE
Papworth euerrd
Elsworth
Elsley
PARS
Croxton
Caxton
Burne
Scala Miliarium.
Stowe
Gransden pua
Hatley
Arrington
Hatley mag:
Cokenghatley
Crowden
Wermleghton

Christophorus Saxton descripsit
Wilhelmus Kip Sculpsitt

HVNTINGDON-SHIRE.



Cantabrigienses à dorso contingit ager Huntingdonensis, Saxonicè huntedunes shire vulgò *Huntingdonshire*, eo situ locatus, vt ab Austro Bedfordienses, ab Occasu Northantonenses, vt etiam à Septentrione, quà *Auona* fl. dirimitur, & ab Ortu Cantabrigienses spectet. Regio sementi satis apta, pascendo pecori, ad Ortum quà palustris est, vberrima, alibi collium apricitate, & arborum opacitate amœna, totam enim syluis olim obsitam fuisse prædicant incolæ, & *Forestam* fuisse constat, donec Rex Henricus Secundus primis regni sui temporibus *deforestauerit* vniuersam, vt habetur in perambulatione veteri, *præter Waybridge, Sapple* & *Herthei, qui fuerant bosci Dominici, & remanent Foresta.*

Meridionalem partem *Vsa* fl. quem sæpe dixi alluit, & floribus vestit. Ad quem inter alia obscurioris famæ, tria adsident notissima opida, vbi relictis Bedfordiensibus, hunc agrum subintrârit. Primùm inuisit *Sancti Neoti fanum*, vulgò *S. Needes*, à Neoto viro (S. Needs.) cùm docto, tùm sancto qui in propaganda Christi religione omne vitæ studium consumpsit, cuius corpus à *Neotstok* in Cornwallia huc translatum erat, & in eius honorem Alfricus Elfridi Comitis Palatium in monasterium conuertit. Quod latifundijs plurimis Roisia vxor Richardi Domini de *Clare* statim à Normannorum aduentu locupletauit. Anteà verò hic locus ab Ainulpho viro etiam sancto *Ainulphsbury* dicebatur, quod nomen (Ainsbury.) in eius parte etiam adhuc superest. Sub hoc ad *Hailweston* viculum admodum tenuem duo sunt fonticuli, alter dulcis, alter quodammodo salsus; hunc contra scabiem, (Fontes salutares.) & lepram; illum contra oculorum hebetudinem valere perhibent vicini. Inde haud procul salutat *Vsa Bugden* elegantes Episcoporum Lincolnienfium ædes, & per *Hinchingbroke* (Budgen.) quondam velatis virginibus sacrum quas ab *Eltesley* in Comitatu Cantabrigiensi huc transtulit Rex Guilielmus *Conquestor*, & nunc Equestris familiæ *Cromwellorum* sedem, *Huntingdoniam* accedit, Saxonicè Huntantun Mariano, in sigillo publico *Hunter(Huntingdon.)sdune* .i. *Mons venatorum*, vt interpretatur, Henricus huius Archidiaconus, qui ante annos cccc. floruit, vnde venatorem in insignibus gestat, & nouum vocabulum *Venantodunum* Lelandus noster Latina incude nobis excudit. Præcipuum hoc est totius Comitatus opidum, cui & nomen contulit, *tam situs fulgore*, vt inquit ille Archidiaconus, *quam sui decore, tam paludum vicinitate, quàm ferarum & piscium fertilitate vicinis opidis longè præeminens.* Edwardi Confessoris temporibus, vt ex Angliæ lustro hoc adnotem, *fuerunt in hoc Burgo quatuor Ferlingi, in duobus fuerunt* cxvi. *Burgenses consuetudinem, & geldum reddentes, & sub ijs* c *Bordarij: in alijs duobus Ferlingis* cxi. *Burgenses ad omnes consuetudines, & geldum Regis.* Ad Septentrionalem *Vsæ* ripam æditiori situ sedet longiùs in Aquilonem productum, quatuor templis exornatum, monasteriolumque habuit a Matilde Augusta, & Eustatio *Louetoft* fundatum, cuius parietinas sub opidum ad Ortum vidimus. Ad flumen prope pontem qui è saxo viuo speciosus est, moles & area castri cernitur, quod anno reparatæ Salutis dcccc xvii. Edwardus Senior instaurauit, David Scotus, cui, vt antiquus habet historicus, *Stephanus Rex Burgum Huntingdon in augmentum dederat*, multis operibus adauxit, Henricusque Secundus demùm tùm quòd perfugium seditiosis fuisset, tùm quòd lites de eo sæpiùs seruissent Scoti, & S. *Lizij*, solo ad lites præcidendas adæquauit, cùm importuna illorum contentione irritatus iurasset, quòd nec illi de *S. Lizoo*, nec Scoti ampliùs de illo concertarent. Ex his castri molibus longè patente prospectu, oculis subijcitur pratum (*Portsholme* vocant) *Vsa* flumine circumfusum, amplissimum quidem, & omnium quæ Sol vidit floridissimum, de quo verno tempore verè illud vsurpari potest.

Ver pingit vario gemmantia prata colore.

Ea picturata amœnitate oculis blandissimè arridet. Citeriori ripa è regione Huntingdoniæ (Gormonchester.) stat eius quasi mater, vnde enata fuit, *Goodmanchester* hodie dicta pro *Gormonchester*. Vicus maximus, & agricultura celebratissimus, campo patenti, soluto, & ad Solem

Solem recliui positus. Nec est aliud in Anglia opidum quod plures habeat strenuos colonos, & plura exerceat aratra: Reges enim Angliæ hàc itinerantes olim centum octoginta aratris rusticà quadam pompà eductis, se excepisse gloriantur. Certè inter nostrates, vitam rusticam (quam sapientiæ consanguineam vocat Columella) studiosissimè colunt, siue rei prudentiam, siue impendendi facultatem, agendique voluntatem respicias: *Villam* suo tempore, *non inamabilem*, vocat Henricus ille Huntingdonensis, *olimque nobilem fuisse vrbem*, verè scribit. Nam vt Romanorum numismata sæpe eruta, & itinerariam distantiam taceam; hanc vrbem fuisse illam quæ apud Antoninum DVROLIPONTE perperam pro DVROSIPONTE dicitur, ipsa nominis significatio probet; *Durosi-ponte* enim (ignosce quòd vnam literulam immutârim) idem sonat Britannis quod *Pons ad flumen Ose. Vse* verò, *Ise*, *Ose*, & *Ouse*, hoc flumen promiscuè nominari in confesso est omnibus. Sed antiquato sub Saxonibus nomine vetusto, a Gormone Dano cui has prouincias cùm pax conuenisset, Ælfredus noster concessit, *Gormoncester* vocari cœpit, attestante vetere versiculo: Durosiponte


Gormonis a castri nomine, nomen habet.

Hic ille est de quo I. Picus scriptor antiquus, sic scribit. *AElfredus Rex sic Danos contudit, vt dabant ad libitum obsides, quòd terra exirent, vel Christianitatem reciperent. Quod & factum est: nam Rex eorum Guthrum (quem Gormondum vocant) cum triginta proceribus, & omni penè populo baptizatus, in filium ab AElfredo susceptus, imposito sibi nomine Athelstano. Hic igitur mansit, dataeque sunt sibi prouinciæ Orientalium Anglorum, & Northanhumbrorum; vt eas sub fidelitate regis foueret hæreditariò quas peruaserat latrocinio.* Nec prætereundum est quòd aliqui etiam è priscis illis scriptoribus hanc vrbem *Gumicester* & *Gumicastrum* vocârint, Machutumq; hic Episcopum sedisse asseueranter affirmarint.

Hinc *Vsa* se proripiens, quum Cantabrigienses iam aditurus est, opido satis nitido inter amœnissima prata affunditur, quod *Slepe* olim Anglo-Saxonicè, nunc verò *S. Iues* dicitur ab Iuone Persa Episcopo qui circa annum Christi, vt scribunt, sexcentesimum Angliam magna sanctitatis opinione perlustrauit, diuinum verbum sedulò proseminauit, suumque nomen huic loco, in quo fatis concessit, reliquit. Vnde tamen breui corpus eius *Ramseiam* transtulerunt religiosi. S. Iues.

Hinc vix trium milliarium diuerticulo vidimus *Somersham* speciosam nuper Episcoporum Eliensium habitationem, quam Brithnotus Comes anno DCCCCXCI. Ecclesiæ Eliensi dedit, & Iacobus *Stanley* Episcopus ille in omnem luxum solutus nouis ædificijs adauxit. Paulò superiùs erat *Ramsey* monasterium opulentissimum inter paludes positum, qua stagnant flumina, quum iam mollius solum ibi inuenerint. Loci descriptionem, si placet, ex priuata huius monasterij historia, paucis habe. Ramsey, i. *Arietis insula, à parte Occidentali, nam alias palustria loca humanis gressibus haud peruia longiùs protenduntur, à tellure solidiore duabus ferè balistæ iactibus interiacentibus luteis salebris dirimitur. Qui locus olim segni tantummodò amne naues serena aduectas aura placido iucundi marginis excipiens gremio; nunc graui labore, & sumptu, lignorum, arenæ pariter & lapidum congerie lutosa obstructa abysso, calle solido in eadem parte pedibus aditur, duobus ferè mill. pass. in longum extensa, latitudine paulò strictior habetur, quæ tam alneto quidem, quàm arundineto cum virore calami, & iunci pulchrè in gyrum coronata: multo antequam inhabitaretur arborum genere, potissimùm autem abundanti tota vestiebatur orno. Nunc verò longiori temporis tractu nemoribus ex parte demolitis, terra vberi gleba arabilis cernitur, & opima fructibus, frugibus iucunda, hortis consita, pascuis opulenta, & pratorum gratiâ verno tempore spectantibus arridente, veluti depicta floribus tota insula vario colore coloratur. Ambitur præterea paludibus angulosis, & stagnis multimodi generis piscium, & auium natalium nutritiuis. E quibus vna est* Ramsey Mere *de nomine insulæ dicta, quæ cæteras adiacentes aquas pulchritudine, & fertilitate superexcellens, ab ea parte quà maior insula sylua densior habetur, arenosam ipsius oram pulchrè allambens delectabile videntibus spectaculum præbet, in cuius vastis gurgitibus laxatis tam sagenis, quàm alterius generis retibus immissis, inescatis hamis, & cæteris artis piscatoriæ instrumentis admirandæ magnitudinis lucij, qui* Somersham. Ramsey. Ramsey Mere.

Hakeds. *ab incolis* Hakeds *nuncupantur, persæpè extrahuntur, & indesinenter vbi laberat aquatilium industria venatorum, semper ibi multiplex aquatici generis capitur fœtus, semper tamen quod capiatur, abundat.* Deinde persequitur pluribus, quomodo Ailwinus vir regio sanguine natus, & ob authoritatem & gratiam qua apud Regem pollebat maximam, *Healf-Kouing*, .i. *Semirex*, agnominatus, piscatoris somnio admonitus extruxerit, Oswoldus Episcopus promouerit, Reges & alij reditibus ita adauxerint, vt septem millia librarum nostratium ad alendos sexaginta monachos annuo censu collegerit: sed cùm iam dirutum sit, hæc plus satis nonullis videantur. Adiungam tamen ex eodem authore inscriptionem tumuli Ailwini cùm inusitatum dignitatis titulum præ se ferat.


HIC REQVIESCIT AILWINVS INCLITI REGIS EADGARI COGNATVS, TOTIVS ANGLIÆ ALDERMANNVS, ET HVIVS SACRI COENOBII MIRACVLOSVS FVNDATOR.

Hinc ad *Peterborrow*, quæ decem plùs minus milliaribus abest, Canutus Rex, quia Kingsdelfe. torrentibus & aluuionibus iter impeditius erat, viam, (*Kingsdelfe* historicis nostris vocatur) magnis operibus haud procul à *Wittlesmere* lacu magno constrauit. Vtque hoc *Sawtry* vulgò. monasterium Occidentalem agri partem exornauit, sic mediam *Saltria* Cistercienfium quondam monasterium à secundo Simone de *Sancto Lizio* Huntingdoniç Comite con- Cunnington. structum. A quo parùm abest *Cunnington* quod de *Honore de Huntingdon* (vt municipalis iuris periti loquuntur) tenetur, vbi intra fossam quadratam vestigia expressa cernuntur Saltria. castri antiqui, quod fuit sedes, vti etiam *Saltria*, ex dono Canuti, Turkilli Dani illius Turkillus Danus. qui hîc inter Orientales Anglos egit, Suenumque Danorum regem ad Angliam diripiendam euocauit. Post cuius abitum Waldeofus Siwardi Northumbriæ Comitis filius Huntingdoniæ Comes, qui Iuditham Guilielmi *Victoris* ex vterina sorore neptim duxit, per cuius filiam natu maximam in Regiam Scotorum familiam deuenit. Illa enim secundis nuptijs iuncta fuit Dauidi Huntingdoniæ Comiti, (qui posteà regnum Scotiæ obtinuit) filio iuniori Malcolmi *Can-mor* Regis Scotorum, & Margaretæ vxoris e regia Anglo-Saxonum prosapia: neptis enim fuit illa Regis Edmundi *Ferrei* lateris, e filio Eadgaro *Exule*. Dauidi natus erat Henricus, Henrico Dauid Comes Huntingdoniæ, Per cuius alteram filiam Isabellam descendit *Cunnington*, & alia latifundia iure coniugali ad Robertum *Brus*, a cuius primogenito filio Roberto qui agnomine *Nobilis*, IACOBVS Rex Magnæ Britanniæ rectâ lineâ genus ducit, a Bernardo autem filio iuniore cui hoc *Cunnington* cum *Exton* obtigit, Robertus *Cotton* vir dignitate equestri, qui præter cæteras virtutes bonarum artium admirator & indagator summus, conquisitis vndiq; monumentis venerandæ Antiquitatis hîc instituit armarium, e quo mihi in his tenebris lumen pro singulari humanitate sæpenumero prætulit.

* Mosses. Verùm hæc loca solo depressiore & multos menses demerso, * alibi etiam quasi aquis sublato natante, à lacuum offensa, & palustri grauitate minimè sunt libera. Hic sex mill. Witlesmere lacus. pass. longitudine, tres latitudine diffunditur limpidus & piscosus ille lacus *Witlesmere* in regione admodum palustri, sed cœli grauitatem piscationis vtilitas, pastionis vbertas, & cespitum copia in ignis alimentum facilè, vt aiunt accolæ, compensant. Rex enim Canutus *singulis villis iuxta Mariscum positis proprium Mariscum diuidi iussit per Turkillum* quem modò dixi, *Danum, qui ita diuisit, vt vnaquæque villa tantum de Marisco ipso ad vsus proprios propriè haberet, quantum firma terra cuiusque villæ Mariscum contra se positum tangeret. Sanxitque vt nulla villata in alteriùs Marisco foderet vel falcaret sine licentia, & vt pastura ijs omnibus esset communis, .i. cornu sub cornu, pro pace & concordia inter se tu-* Historiola Eliensis. *enda.* Sed hæc obiter.

Cùm filij & famuli Canuti à *Petriburgo* ad *Ramseiam* euocati per illum lacum traijcerent,

ijcerent, *Irruerunt nequissimi venti, tempestasque turbinosa illis alacriter nauigantibus atq; vocibus amœnis vociferantibus exorta ex omni eos parte circumquaque inuoluit, ita vt de vita illorum aut securitate vel cuiuscunque spe adiutorij deposita funditùs desperarent, sed omnipotentis Dei clementia eos omninò non deseruit, nec atrocissimam voraginem totaliter absorbere permisit: sed quosdam ab illis furentibus fretis ex sua dispensatione misericorditer liberauit, quosdam verò secundum iustum suum occultum iudicium, in illis vndis ab hac luce caduca transire permisit. Et cùm tanti fama discriminis ad Regis notitiam peruenisset, timor eum & tremor vehementer arripuerunt; sed procerum suorum & amicorum consilio releuatus, ad futura in posterum immanis bellua infortunia præcauenda, quoddam fossatum in Mariscis inter Ramesyam, Wittlesyamque adiacentibus militibus atq; famulis spathis & gladijs suis signari & postmodum mundari per operarios ordinauit, vnde, vt ab antiquis prædecessoribus fide dignis accepimus, fossatum illud à nonnullis circumhabitantibus* Swerdesdelf *propter gladiorum consignationem nomen accepit, quidam illud* Cnouts-delf *secundum eiusdem regis vocabulum appellari statuerunt.* Vulgò tamen hodie *Steeds-dike* vocant, limesque inter hunc Comitatum & Cantabrigiensem habetur. Charta fundationis Salutiæ. *Swerdesdelft,* aliud à *Kingsdelf.*

Orientale huius agri latus *Kinnibantum* castrum, nunc *Kimbolton*, olim *Magnauillanorum*, posteà *Bohunorum* & *Staffordorum*, hodie *Wingfeldorum* habitatio condecorat. Sub quo *Stoneley* cœnobiolum erat ad *Bigramis* fundatum. *Awkenbury* parùm hinc abest quam Rex Ioannes dedit Dauidi Comiti Huntingdoniæ, & Ioannes Scotus eius filius Stephano *Segraue*, cuius libentiùs memini, quòd ille inter Aulicos fuit, qui docuit nullam potentiam esse potentem. Ægrè etiam ad eminentem statum conscendit, anxiè constitit, & repente decidit: *In iuuentute enim sua de clerico factus Miles, licèt de humili genere oriundus, strenuitate sua vltimis diebus adeò ditatus & exaltatus est, vt inter primos Regni reputatus, pro Iustitiario Angliæ habitus est, & omnia ferè Regni negotia pro libitu disposuit.* Tandem verò regis fauore omninò excidit delituitque ad mortem in monasterio, *& qui prius a clericatu ad militiam per arrogantiam confugerat, ad clericatus officium reuersus coronam quam reliquerat, inconsulto Episcopo reuocauit.* Parum hinc *Leighton* abest, vbi splendida ædificia Geruasius *Clifton* Eques auratus inchoauit, & *Spaldwicke* adiacet quod Lincolniensi Ecclesiæ ad damnum resarciendum donauit Rex Henricus Primus, cùm Eliensem Episcopatum ex Lincolniensi diocœsi abstractum institueret. Kimbolton. Steph. Segraue. Matth. Paris. Leighton.

Vbi verò fl. *Nen* hunc agrum subintrat *Elton* alluit sedem celebris & antiquæ familiæ *Sapcottorum*, vbi priuata Capella singularis elegantiæ cum vitreis fenestris artificiosissimè depictis extructa ab Elizabetha *Dinhamia* vidua Baronis *Fitz-warin*, in hanc familiam enupta. Sed paulò superiùs his omnibus vetustior vrbecula erat prope *Walmsford* quam Henricus Huntingdonensis *Caer Dorm*, & *Dormeceaster* vocat ad *Nene* fl. & ante sua tempora penitùs excisam memorat. DVROBRIVAE proculdubiò hæc fuit Antonino, id est, *fluminis traiectus*, & nunc eodem sensu *Dornford* dicitur iuxta *Chesterton*, manifestaque vrbis prostratæ indicia præter antiquos nummos exhibet. Ad hanc enim via militaris Romanorum ab *Huntingdonia* rectà ducit, pauloq; super *Stilton* quod olim *Stichilton* dictum, celso aggere conspicitur, & *Erminstreat* antiqua Charta Saxonica vocatur. Hic verò per medium valli quadrati transit, cuius latus boreale mœnibus munitum videtur, reliquis lateribus tantum aggesta terra. Iuxta quod plures capuli è saxo siue sepulchra iampridem effossa fuerunt, in fundo *R. Beuill* ex veteri & clara in hoc agro familia. Vtramque ripam hanc vrbem occupâsse credunt nonnulli, viculumque *Caster* in altera ripa, eius partem fuisse sunt qui opinantur, & opinioni sane fidem adijcit antiqua historia, quæ docet ad *Nene* locum fuisse *Dormundcaster*, in quo cùm Kinneburga monasteriolum ædificasset, primùm *Kinneburge-caster*, & posteà contractè *Caster* vocari cœpit, Kinneburga illa Christianissima Pendæ pagani Regis filia, & Alfredi Nordanhumbrorum Regis vxor, *mutauit imperium in Christi ancillatum* (vt ex antiquo loquar authore) *& huic suo Monasterio tanquam mater sacrarum virginum præfuit.* Quod postea circa annum Salutis CIↃX. Danico furore solo erat adæquatum. Vbi verò fl. iam relicturus est hunc Comitatum *Bottle-bridge* (ita contractè nunc vocatur pro *Botolph-bridge*) antiquas ædes allabitur, quas à R. *Gimels*, *Draitoni* & *Louetti* ad *Schirleiorum* familiam hæreditaria serie transtulerunt. Illisque adiunctum est *Ouerton*, corruptè nunc *Orton* quod Elton. *Walmsford.* Durobriuæ. *Stilton.* *Erminstreat.* *Caster* in Com. *Northampton.* *Bottle-bridge.*

fisco

fisco propter *feloniam* addictum redemit à Rege Ioanne Nigellus *Louetoft*, cuius soror & cohæres enupta Huberto vel Roberto de *Brounford* illi liberos suscepit qui *Louetoft* sibi nomen assumpserunt.

Huntingdoniæ Comites. Huntingdonensis hæc prouincia inclinato iam Anglo-Saxonum imperio Comitem habuit officiarium Siwardum, (nec dum hæreditarij erant in Anglia Comites) verùm prouinciarum præfecti pro vsu eius seculi Comites dicebantur, adiectione Comitatus prouinciæ cui præerant, vti hic Siwardus dum huic agro præesset, *Huntingdoniæ*, cùm paulò post præficeretur Northumbriæ, *Northumbriæ Comes* dictus erat. Huic filius erat Waldeofus qui titulo Comitis huic præfuit prouinciæ gratia Guilielmi *Conquestoris*, cuius è sorore vterina neptem Iuditham duxerat. *Primogenitam autem Waldeofi* (vt habet Guilielmus Gemiticensis) accepit *Simon Siluanectensis, siue de S.* Lizio *cum Comitatu Huntingdoniæ, genuitque filium Simonem. Mortuo autem Simone Comite, Dauid frater sanctæ Matildis Reginæ Angliæ*, (qui postea Rex Scotorum) *duxit vxorem eius, ex qua suscepit filium Henricum.* Variante verò deinde fortuna, & Regum fauore, nunc Scoti, nunc *S. Lizij*, hunc certatim gesserunt honorem, scilicet Henricus Dauidis filius, tum Simon *S. Lizius* Simonis primi filius, post hunc Malcolmus Rex Scotorum Henrici Comitis filius, eo defuncto, Simon *S. Lizius* tertius, qui cùm sine prole obijsset, Guilielmus Rex Scotorum Malcolmi frater successit. Sic enim qui tunc floruit scripsit Radulphus de *Diceto Anno* CIↃCLXXXV. *cum Simon Comes filius Simonis Comitis sine liberis decessisset, Rex reddidit Comitatum Huntingdoniæ cum pertinentijs Guilielmo Regi Scotorum.* Inde Dauid eius frater, Dauidisque filius Ioannes cognomento *Scotus* Cestriæ Comes, qui cùm sine sobole fatis concessisset, & Alexander Secundus qui Regis nostri Henrici III. filiam duxisset, aliquantisper hoc titulo vsus esset, Scoti ingruentibus bellis eo honore & lautissimo in Anglia patrimonio exciderunt. Edwardus Tertius satis longo pòst tempore Guilielmum *Clinton* Huntingdoniæ Comitem creauit: illi suffectus à Richardo Secundo Guiscardus Angolismius, & eo mortuo, Ioannes *Holand* cui Ioannes filius, & Henricus eius filius successerunt, qui singuli fuerunt Exoniæ etiam Duces. Et hic ille Henricus Exoniæ Dux est, quem nudis pedibus mendicantem vidit (vt ipse testatur) Philippus Cominæus, dum constanter a Lancastrensi familia staret, etsi sororem Regis Edwardi Quarti in vxorem duxerat. Inde Thomas *Grey* qui posteà Marchio Dorsettiæ, eo honore paulisper fuit auctus. Certum etiam est ex Archiuis, quod Guilielmus *Herbert* Comes Penbrochiæ *restituit Chartam creationis* qua Penbrochiæ Comes pater factus erat *in Cancellariam cancellandam*, quódque Edwardus Quartus anno regni sui XVII. ipsum in *Huntingdoniæ* Comitem creauerit. Patrum verò memoriâ illum honorem Georgio *Hastings* contulit Henricus Octauus, cui successit Franciscus, illi itidem Henricus filius veræ nobilitatis, & pietatis laudibus vir longè honoratissimus, illique sine prole defuncto Georgius eius frater, Georgio eius è filio nepos Henricus qui eodem titulo hodie lætatur.

[Margin notes: Vide Comites Northantoniæ. — Lib. vltimo cap.16. — Ioannes Forden in Scotochronico lib. 8.c.3.6.& 39. — Matth Paris. 1243. — Vide Duces Exoniæ pag. 148. Cap.50.]

Numerantur in hac regiuncula Parœciæ 78.



CORITANI.



ORITANI *nunc adeundi, qui interiùs ab* ICENIS *longiſsimè per mediterraneam Inſulæ partem diffuſi, ad Germanicum vſque Oceanum egerunt, in illis vtpote regionibus, quæ nunc* Northamptonſhire, Leiceſterſhire, Rutlandſhire, Lincolnſhire, Nottinghamſhire, *&* Derbiſhire *vulgò vocantur. Ab horum Etymologia, ne incognita pro cognitis habere videar, manum abſtinebo. Licèt enim longè latéque diffuſus fuerit hic populus, quod* Gur Tani *Britannis denotat,* CORITANOS *tamen hos ſi inde dictos aſſererem, nonnè aleam luderem? Qui fœlicius hæc poterint, tutiùs coniectent. Ego intereà ſingulos, quos dixi, Comitatus, pro meo inſtituto, ſuo ordine perluſtrabo.*




OXFORDIÆ
WARWICÆ
PARS
BVC
KINGHAMIÆ
PARS
BEDFORDIÆ
PARS
Banbury
Badicot
Adderbury
Clifton
Charwell flu
Soulder
Cropredy
Charwell flu
Bodington
Aston
Hebbingdon
Wulfencote
Wilby
Hilmorton
Chalcomb
Wardlenton
Chippingwarden
Werkworth
Byfelde
Leme flu
Ouencote
Barby
Kingsutton
Midleton cheny
Edgecote
B
Eidon
Cherwelton
Catesby
Staverton
Braunston
Legers Ashby
D
Newbotle
A
Merston
Aino
Charlton
Thorpe mandevill
Woodforde
Culworth Ashby
Faufley
Avona
Dauentree
Badby
C
Welton
Norton
Watforde
Croughton
Hinton
Stene
Fermynghe
Rodston
Grekeworth
Helmeden
Preston caues
Neuenham
Everton
Soulgrave
Brackley
Whitfelde
Astwell
Wapenham
Sisam
Weedon
Blakesley
Morton
Aston
E
Maidforde
Forthingston
Lichbore
Dodford
Whilton
Longbuckby
Weedon
Stow
E Haddon
Brockhole
Nobotle
Flowre
Heiforde
Brinton
Mixbury
Fulwell
Fulmere
Bidleston
Westbury
Lussfelde
Slapton
Brodwin
Altherp
Silston
Coldhigham
Pattishull
Bugbrook
Althorp
H
Harpole
Upton
Holdenby
Brampton
TRIPONTIVM
Towcester
Grenesnorton
F
Kislingbury
Gatton
Duston
Thorpe
S. James
Dallington
Buckingham
Lillingston darrell
Whitlebury
OXON PARS
Alderton
Eston
Blisworth
Milton
Kingsthorpe
Lillingston louell
Paulerspery
Wicken
Grafton
Potters pery
Stoke bruane
G
Rode
Ashton
Collingtrough
Northamton
K
Denshanger
Yardley gobion
Hartwell
Quinton
Wotton
Hardingston
Abington
Weston
Moulton
Overston
Billing m.
Pashenham
Stonistretford
ISANAVARIA
Cosgrave
Castlethorpe
Preston
Houghton
I
Piddington
Billing parva
Wolverton
Hanslope
Stoke golding
Broumfeld
Horton
Denton
Cogenhoe
Whiston
Berton
Eaton
L
Turringham
Raunston
Weston
Newport Paganell
Oulney
Castle Ashby
Yardley hastings
Grendon
Doddington
Wellingborowe
Harrow
P
Clyfton
Lavendon
Easton
Bozeaton
Strixton
Woodhill
Rushden
Higham ferrers
Higham park
Chelston
Newton
Ouse flu
Scala Miliarium
Bedforde
Christophorus Saxton Descripsit
William Kip Sculpsit

NORTHAMTONIÆ COMITATVS DESCRIPTIO IN QVO CORITANI OLIM INSEDERVNT

NOMINA HVNDREDORVM IN HOC COMITATV

A	Sutten	L	Hauforde Shoe
B	Wardon	M	Orl[illegible]bery
C	Falueslev	N	Ruthwell
D	Goldesburgh	O	Higham Ferrers
E	Norton	P	Huck[illegible]ew
F	Towcester	Q	Corby
G	Cleyley	R	N[illegible]forde
H	Newbotle groue	S	P[illegible]brook
I	Wimersley	T	W[illegible]k
K	Spelhoe	V	N[illegible]

LECESTRIÆ PARS

RVTLANDIÆ PARS

LINCOLNIÆ PARS

HVNTINGTONIÆ PARS

CANTABRIGIÆ PA

Newton
Lutterworth
Skawell
Clifton
Swinforde
Lilborne
Stanforde
Creke
S. Kilworth
Claycotton
Yeluertoft
Welforde
Winwik
Cold Ashby
Sulby
Holdesburgh
Thurnby
Sibbertoft
Hothorp
Merston Trusell
Naseby
Creton
Clipston
Haselbech
Cotesbrok
Kelmarsh
N
Farndon
Harborow
Hanging houghton
Bowden mag:
Bowden
Brixworth
Maidwell
Braybrok cast.
Sutton
Dingley
Welham
Draughton
Scaldwell
M
Harington
Weston
Woulde
Daisboro
Bramton
Flaxton
Loddington
Stoke Albone
Ashley
Cransley
Rothwell
Pipwell
Wilbaston
Welland flu:
Walgraue
Broughton
Thorp
Rushton
Carlton
Hanington
Weekley
Cattingham
Pitchley
Q
Ockley m:
Isham
Kettering
Newton
Rokingham ca.
Orlingbery
Werton
Geddington
Ockley pua
Gretton
Berton segraue
Boughton
Rokingham
Grafton
Corby
Haringworth
Burton latimer
Stanion
Seyton
Thingdon
Weldon
Kerby
Slipton
Forrest
P
Cranforde
Brixstoke
Dene
Addington
Addington pua
Addington m.
Twiwell
Laxton
Wakerley
Wodford
Lowik
Benefeld
Denethorp
Irtlebrow
Drayton
Islep
Bulwik
Denford
Sudborow
Lisden
Bletherwik
Finshead
Duddington
Higham ferrers
Ringsted
Aldwinkle
Madenho
S
Cliff
Collnweston
Stanforde
Chelston
Stanwik
Pilketon
Apethorpe
Easton
Thapston
Thorpe
Stoke
Suthwik
Glapthorne
T
Witering
O
Newton
Raundes
Tichmarsh
Achurch
Liford
Cotherstok
Newton
Burghley
Hargraue
R
Barnwell
Nassington
Thurnbo
Bernak
Clopton on the would
Oundle
Fording bey ca.
Yorwell
Vfford
Kelston
Wigsthorpe
Tansouer
W. Depping
Bytherne
Polbrok
Watermewton
Walmesford
Badington
Thurning
V
Hemington
Lutton
Vpton
Helpston
Maxey ca.
Sutton
Etton
Oldweston
Allerton
Marham
Winwik
Luddington
Castor
Woodcroft
Northborogh
Market Deping
Milton
Glinton
Cawcott
Cheriorton
Widerington
Pekirk
Orton
Paston
Yaxley
Fletton
Peterburgh.
Oxney
Singlesak
Eye
Welland flu
Whitlesey mere
Crowland

NORTHAMPTON-SHIRE.



Ger Northantonensis, Saxonicè Norð-hamtun-scyre; & *Northanton-shire*, vulgò *Northampton-shire*, in ipso quasi Angliæ meditullio positus, ab Occasu brumali qua latior est, sensim se contrahendo in Ortum æstiualem protenditur. Ab Ortu Bedfordienses, & Huntingdonenses, ab Austro Buchinghamienses & Oxonienses, ab Occasu Warwicenses, a Septentrione autem Leicestrenses, Rotelandenses, & Lincolnienses *Auona* minori, & Wellando fluminibus discriminati sedent. Orientalem partem ab *Vsa* ad *Dowbridge* militaris Romanorum via quam *Watlingstreat* vocant, percurrit, mediam & Orientalem *Nen* fl. qui a scriptoribus etiam *Ausona* dictus placidè intersecat. Campestris, habitatissima, & nobilium villis excultissima est regio, opidis & ecclesijs refertissima adeo vt nonnullis in locis x x. nonnullis x x x. plùs minùs sacræ pyramides vel turres simul aspectui se offerant. Soli admodum ditis, siue arua, siue pascua respicias: syluis tamen nisi in vlteriori & citeriori parte minus læta. Vbique vero, vt etiam alibi in Anglia, ouibus oppleta & quasi obsessa, quæ, vt Hythodæus ille dixit, *tam mites esse, tamque exiguo ali solebant, nunc, vti fertur, tam edaces, atque indomitæ esse cœperunt, vt homines deuorent, ipsos agros, domos, opida vastent, ac depopulentur.*

Oues.

Vtopia Th. Mori.

In Australi limite, vbi *Vsa* fl. sæpe iam dictus exoritur, molliter surgente loco, quo fontes affatim scaturiunt, *Brakley*, id est, *Filicetum*, insigne olim lanarum emporium, quantum & quàm opulentum fuerit, aduenis ex ruinis & *Maiore* quem pro summo magistratu habet tantummodo ostentat. *Zouchæi* qui loci Domini collegium ibi posuerunt, a quibus ad *Hollandos* & *Louellos* quasi dotalis possessio successione peruenit, sed *Louello* tempore Henrici Septimi proscripto, beneficio Regis acceperunt *Stanlai*. Collegium autem hodie lacerum ad Magdalenenses Oxoniæ spectat, qui pro secessu habent. Nec minima huic loco apud maiores fuit celebritas ex Rumbaldi infantuli memoria, qui (vt in eius vita legitur) regis filius vbi primùm in lucem hic æditus, nescio quæ sancta loquutus, & se Christianum professus, statimque baptisatus expirauit.

Brakeley.

Hinc ad Aquilonem VI. mill. pass. nemorosâ viâ emensi primùm *Astwell* vbi T. *Billing* Primarius olim in *Banco Regio Iustitiarius* celebris habitauit, a quo ad antiquam *Louellorum* familiam hæreditariò deuenit: & inde *Wedon*, & *Wapham* vidimus quas familia de *Pinkeney per Baroniam tenuerunt*, donec H. de *Pinkeny* Regem Edwardum Primum hæredem scripsisset. Quem optimum Principem multi mali hæredem scripserunt, cùm (vt inquit Tacitus) a bono patre non scribitur hæres nisi malus Princeps. Hinc statim TRIPONTIVM, quod memorat sed non suo loco Antoninus, peruenimus: nam hoc illud fuisse quod nunc *Torcester* vocamus, opinor; nec languidæ fidei restant argumenta. Si *Trimontium* Thraciæ a tribus montibus: *Triturrita* Tusciæ a tribus turribus: *Tripolis* a tribus vrbibus nomina traxerint: a tribus pontibus hoc nostrum TRIPONTIVM denominatum fuisse, non est cur dubitem. Ecce tibi in hac *Torcestria*, via Prætoria siue militaris Romanorum quæ planissimè inter hanc & *Stonystratford*, plurimis in locis se ostendit, tribus præcipuis fluuioli diuisi alueis interscinditur, quos olim, vti hodie, pontibus coniunctos fuisse necessitas persuadet. Si verò Britannum consulas quomodo tres pontes Britanni vocant, statim *Tair ponte* audies, & viri boni à quibus hic nummos Romanos accepi, constanter asserunt *Torcester* verum esse loci nomen, & a turribus dictum putant. *Toucester* tamen Marianus vocat, si liber non mendosus, apud quem legimus, hoc anno Salutis DCCCCXVII. adeò munitum fuisse, vt Dani nullo modo expugnare potuerint, Edwardumq. seniorem lapideo muro postea incinxisse: nos tamen quærendo mœnium vestigia vidimus nulla. Sola moles aggesta superest, *Berihill* vocant, in hortis priuatis vndique cerasis consita: & ipsum opidum ita euicit tempus, vt situi, nomini, & antiquis nummis qui subinde hîc reperiuntur debeat, quòd vetustum censeatur. Nihil enim in eo memorandum præter ecclesiam quam habet vnicam, amplam tamen & pulchram, in qua D. *Sponde* eius olim Rector, quem de ecclesia & opido benemeritū ferunt,

Baronia Pinkeneiorum.

Tripontium.

Fl. præterlabentem Toue dictum alii volunt.

in

in sepulchro affabrè extructo conditur. Sed in vicinia eminent apud *Elton* speciosæ ædes Equestris familiæ *Farmerorum*.

Fluuius quo *Torcestria* irrigatur, dum Vsam hinc petit, *Graftonam* quæ nunc *Regis Honor* censetur, præterfluit, olim verò sedes fuit familiæ de *Widdeuil*, è qua Richardus vir notissimæ virtutis, qui quòd Iaquetam viduam Ioannis Ducis Bedfordiæ, filiam Petri Luxenburgici Comitis S. Pauli, sine Regis licentia duxerit, mulctatus fuit mille libris monetæ nostræ, ab Henr. VI. Qui postea tamen eundem honore Baronis *Widdeuil* de *Riuers* extulit. Cum huius filia Elizabetha clandestinas nuptias contraxit Edwardus Quartus, & sane primus regum nostrorũ a *Conquestu*, qui cum subdita matrimonium mijt. Sed inde sibi, & vxoris cognatis Iliadem malorum attraxit, vt in historijs nostris videre licet. Rich. ille *Widdeuil* Dominus de *Riuers*, *Grafton* & *De La Mote*, ab Ed. III. iam genero erectus erat (ex ipsa Creationis charta loquar) *in Comitem de* Riuers *per cincturam gladij, habendum sibi & hæredibus masculis cum feodo viginti librarum per manus Vicecomitis Northampton*. Statimque Constabularius Angliæ cum summo honore constitutus *ad illud officium* (ex autographo loquor) *per se vel sufficientes Deputatos pro termino vitæ occupandum, gerendum & exercendum, percipiendo annis singulis* cc. *libras e Scaccario cum plena potestate & authoritate ad cognoscendum & procedendum in causis de & super crimine læsæ maiestatis, seu ipsius occasione, causasque & negotia prædicta cum omnibus & singulis suis emergentibus incidentibus, & connexis audiendum, examinandum, fine debito terminandum, etiam summarie & de plano sine strepitu, & figura iudicij sola facti veritate inspecta, ac etiam manu regia si opportunum visum fuerit vices nostras, appellatione remota*. Verùm ille his honoribus paulisper vsus in prælio ad *Edgcote* pro genero victus & mox interceptus, fuit obtruncatus.

Grafton. *Widdeuill*, siue *Widuill*. Parl. 27. H. 6. Comites Riuers. 7. Edw. 4. Constabularius Angliæ.

Quamuis autem in huius filijs stirps quasi intermortua desijt cùm Antonius Comes *Riuers* capite a Richardo Tertio truncaretur, & Richardus, alijque eius fratres sine sobole obierent: filiæ tamen pulcherrimas ex se propagines diffuderunt. Ex his enim stirps Regia Angliæ, Marchiones Dorsettiæ, Comites Essexiæ, Comites Arundeliæ, Comites Wigorniæ, Comites Derbiæ, & Barones Staffordiæ quasi progerminârunt.

Graftonæ a tergo obiacet *Sacy Forresta* venationi dicata, magis ad Ortum viculis omnia sunt aspersa, inter quos nominatissimi sunt *Blisworth* sedes *Wakorum* qui ex illustri illa prosapia Baronum de *Wake* & *Estotevile* enati, *Pateshull* quæ clarissimæ quondam familiæ nomen fecit, *Greenes-Norton* a *Greenis* viris superiori seculo ob opes clarissimis denominata, antea nisi me fallo, *Norton Dany*, quod *tenebatur in capite a Rege per seruitium leuandi manum dextram erga regem annuatim in die Natalis Domini, vbicunque fuit in Anglia*. *Wardon* Centuria quæ suos habuit Dominos Guidone de *Reinbudcourt* Normanno prognatos, quorum hæreditas per *Folliottos* ad Guiscardum *Ledets* deuenit, cuius filia Christiana peperit plures liberos Henrico de *Braibrook* marito, maximus verò natu Guiscardus *Ledetti* nomen maternum assumpsit; sed breui per fœminas inter Guilielmum & Ioannem *Latimeros* de *Corby* fratres diuisa sunt ampla latifundia. Ab hoc *Griphini* in hoc Comitatu, ab illo *Latimeri* illi Barones antiquiores in agro Eboracensi genus traxerunt.

Sacy Forrest. Forresta de Salceto. Inq. 44. Ed. 3. Wardon. Latimeri Barones.

Superiùs ad Boream fontes aperit *Aufona* fl. (Auon enim generali vocabulo omnia flumina Britannicè appellantur) quod *Nen* accolis & ab Occiduo latere sæpiùs recurrentibus ripis per mediam quodammodo huius prouinciæ partem iter habet, perpetuoque beat officio. Flumen sanè nobilissimum, & si quid video, a Romanis olim præsidijs munitum. Cùm enim iam citerior Britanniæ pars sub Claudio Imperatore in Romanorum potestatem ita cessisset, vt qui eam incolerent Romanorum socij dicerentur, & vlteriores Britanni sæpiùs in horum agrum effusi omnia violentiùs raperent: ipsique socij faciliùs Romanorum imperia, quàm vitia ferentes, subinde cum vlterioribus illis conspirarent. P. Ostorius (inquit Tacitus) *cinctos castris (Antonam*, Aufonas si ausim, legerim) & *Sabrinam cohibere parat*. Hoc est, ni male capio, munimentis ad fluuios dispositis statuit coercere Britannos vlteriores, & prouinciales, ne mutuas operas in Romanos traderent. Quis fluuius hic sit ANTONA, dixerit nemo. Lipsius nostræ ætatis Phœbus aut hanc nebulam dispulit, aut nubes me sanè obduxit. Ad *Northampton* digitum intendit ille, & ego *Antonam* pro *Aufona* ad quem sita *Northamptona*, in Tacitum subrepsisse opinor. Iuxta

Nen fl. Antona Taciti.

enim Angliæ vmbilicus, siue meditullium habetur, vbi ex vno colle tria enascuntur flumina in diuersum abeuntia, *Cherwell* in Austrum, *Leame* quem statim alter *Aufona* Sabrinam petens suscipit in Occasum, & hic in Ortum. E quibus, hi duo *Aufonæ* ita insulam transuersam secant, vt ex Borealibus insulæ partibus venientibus alter ex his sit necessariò transeundus. Quarè cum Ostorius Sabrinam, & hos *Aufonas* communiuisset, non erat cur è Wallia, vel Septentrionali Britanniæ plaga suis Romanis, & socijs timeret, qui eo tempore proximam insulæ partem solummodò in prouinciæ formam redegerant, vt alibi ipse testatur Tacitus.

Cherwell fl.

Ex his Ostorij castris magna illa munimenta & sepimenta militaria quæ hîc cernuntur ad *Gildsborough*, & *Dantrey* inter duorum Aufonarum fontes, qui in diuersa feruntur, & quà solùm transitus in citeriorem Britanniæ partem sine fluminum obiectu patet, videantur. Illud ad *Gildsborough* magnum & amplum, sed hoc ad *Dantrey* maius & amplius, forma enim quadrata in excelso colle vnde subiecta regio longè latèque despici potest, & ad Ortum molem habens (*Spelwell* vocant) ducenta plùs minùs iugera aggesto vallo includit. Inter quod Romanorum Cæsarum nummos in vetustatis indicia subinde reperiunt rustici. Falsi igitur sunt qui Danorum opus, & inde subiectum opidum *Dantrey* denominatum contendunt quod hodiè diuersorijs notissimum fratrum Augustinensium ædem habuit quam (vt perhibent) H. de *Fawesley* olim posuit.

Gildesborough. Dantrey.

Ad *Aufonæ* fontes, vt eò regrediamur, adsidet *Catesby*, quod nomen fecit vetustæ familiæ, verùm damnatæ iam memoriæ ob atrocissimum teterrimum & omnibus seculis inauditum scelus quod Robertus *Catesby* de *Asbby S. Leger* dedecus gentis, audacia nefariè furens, crudelitatem immaniter anhelans, perniciem patriæ & principi impiè moliens specioso religionis obtentu nuperrimè machinatus. De quo mutescant tempora, ne eius commemoratione, seculi nostri labes posteris appareat, quam nos cum horrore non possumus non ingemiscere, cùm & ipsa muta & inanimata tantâ & tam indignâ concepti sceleris atrocitate commoueri videantur. Iuxta est *Fawesley* vbi diu incoluere *Knightlei* equestri dignitate clari, a *Knightleis* illis antiquioribus de *Gnowshall* in Comitatu Staffordiensi oriundi. Magisque ad Ortum ad *Aufonam* iam pertenuem *Wedon* secundum viam Prætoriam quę Merciorum Regis Wolpheri erat Regia, in Monasterium ab eius filia Werburga sanctissima virgine conuersa, cuius miracula in fugandis hinc anseribus scriptores creduli decantârunt. Hanc verò esse quod in Antonini Itinerario BANAVENNA, BENNAVENNA, & BENNAVENTA dicitur, & semel corruptè ISANNAVENTA, etsi nulla supersit expressa nominis vestigia (vetustate longa omnia obruente, & immutante,) nisi existimarem, veritati sanè vereor ne illuderem; etiamsi anteà contrà senserim. Distantiæ enim ratio a proximis stationibus & mansionibus antiquis exactè conuenit, & in ipso BANNAVENNAE nomine nomen fluminis *Aufon*, cuius prope sunt fontes se quodammodo non obscurè subindicat. Via item militaris hinc rectà in Septentriones interrupto & extrito sæpe aggere, sed maximè ex aduerso viculi *Creke*, vbi ibi necessariò pontibus coniungeretur, alibi autem eminenti aggere vsque ad *Dowbridge* iuxta *Lilborne*.

Catesby.

Fawesley.

Wedon on the street.

Bannavenna, quę perperam *Isannaventa*, & *Isannavaria*.

Paulò magis ad Septentriones vidimus *Althorp* habitationem claræ & Equestris familiæ *Spenserorum* quæ plurimis ijsdemque clarissimis familijs cognatione coniuncta, & è qua nuperrimè quintum non interrupta serie Equitem, Robertum virtutis & bonarum literarum cultorem eximium titulo & honore Baronis *Spenser* de *Wormeleighton* Rex noster serenissimus Iacobus exornauit. In proximo vnicum magnificæ structuræ exemplum *Holdenby* ædes elucent, quas in hæredio proauiæ quæ hæres antiquæ familiæ Holdenbeiorum (maximum & vltimum monumentum iuuentutis suæ, vt ipse posteà solitus dicere) construxit Christophorus *Hatton* Elizabethæ Reginæ à consilijs sanctioribus, magnus Angliæ Cancellarius, & Georgiani ordinis Eques auratus, vir (nec aliquid dicam quod veritati negari possit) pietate in Deum singulari, fide in Rempub. spectatâ, æquitate incorrupta, eleemosynis verò erogandis longè omnium munificentissimus. Quiq; , quod non minimè cedit laudi, dextram salutarem bonis literis libentissimè porrexit. Verùm ille vt piè vixit, piè in Christo obdormiuit; laus tamen literarum lumine illustrata clariùs elucebit, quàm splendidissimo illo monumento tantoque viro dignissimo, quod eius memoriæ maximis impensis in Templo Paulino Londini, Guilielmus *Hatton* Equestris ordinis filius adoptiuus consecrauit.

Althorp.

Baro Spenser.

Holdenby. Christoph. Hatton. Obijt 1591.

Tenui lapsu infra hæc se promouet *Aufona*, statimque à Septentrione amniculo confluente augetur, vbi ad ipsos confluentes ita sedet vrbs a flumine *Northafandon*, contractè *Northamton* dicta, vt hoc ab Occidente, illo à Meridie subluatur. Quam BANAVENTAM illam antiquam fuisse nuper facilè coniectaui, sed erranti coniecturæ sit medicina confessio. Nomen verò factum videatur à situ ad Septentrionalem *Aufonæ* fl. ripam. Vrbs ipsa quæ tota è saxo constructa fuisse videtur, ædificijs sanè est elegans, satis ampla, & mœnibus inclusa, è quibus spatiosa planicies circumquaque oculis subijcitur. Ad Occasum castrum habet vetustum, cui & decori est ipsa vetustas, à Simone de *S. Licio*, qui vulgò *Senlis* eius nominis primo Northantoniæ Comite constructum, qui etiam speciosum templum Diuo Andreæ sacrum sibi in sepulturam adiunxit, & opidum (vt ferunt) instaurauit, Simonque Iunior eius filius monasterium *de Pratis* vulgò *De la Prey* Monialibus extra vrbem posuit. Saxonica Heptarchia iacuisse videtur, nec eius in Danicis deprædationibus vspiam meminerunt scriptores, nisi cùm Swanus Danus impotenti, & efferato animo per Angliam immanissimè fæuiret. Tunc enim (vt prodit Henricus Huntingdonensis) iniecto igne deflagrauit. Edwardo Sancto regnante in hac vrbe fuerunt, vt est in Angliæ Notitia, LX. *Burgenses in Dominio Regis, habentes totidem mansiones: ex his* Gulielmi primi tempore, *quatuordecim vastæ, residuæ erant* XLVII. *præter hos fuerunt in nouo Burgo* XL. *Burgenses in Dominio Regis Gulielmi.* A Normannico imperio Baronum obsidionem fortiter elusit, cùm illi omnia iniurijs, & cædibus infestarent Ioanni Regi priuatis de caussis infensiores, quas tamen religionis & boni publici obtentu ita velabant, vt se *Exercitum Dei & Ecclesiæ Sanctæ* appellauerint: quo tempore vallum illud in proximo, quod *Hunshill* dicunt, ductum ferunt, sed non pari successu Regi legitimo Henrico Tertio, quo seditiosis obsistebat. Cùm enim Barones illi seditionibus innutriti, hinc classicum in illum canerent, perrupto muro facilè expugnauit. Deinceps, vt etiam antea, Comitia Parlamentaria, quòd in Angliæ quasi meditullo sedeat, hic subinde Reges habuerunt, & Anno à Virginis partu MCCCCLX. luctuosum vidit prælium, in quo, diuulsa per seditionem Anglia, Richardus *Neuill* Warwicensis Comes plurimis proceribus cęsis miserrimum Regem Henricum Sextum iam secundò captum miserando spectaculo abduxit. Cæterùm Longitudinem Northamptoniæ XXII. gradibus, XXIX. scrupulis, Latitudinem LII. grad. XIII. scrup. Mathematici nostri descripserunt.

Northamton. 1075. *Regist. S. Andreæ.* *Exercitus Dei.*

Hinc festinat *Aufona* iuxta *Castle Ashby* vbi splendidas ædes inchoauit Henricus Baro *Compton*, quibus adiacet *Yardley Hastings*, ab Hastingis olim Penbrochiæ Comitibus ad quos spectauit, denominatum, ad *Wellingborow* forum, olim *Wedlingborrough*, vbi ab Ortu inuehitur fluuiolus delapsus per *Rushton* & *Neuton* Treshamorum, *Geddinton*, vbi castrum fuit Regium, & superest crux in honorem Æleonoræ consortis Regis Edwardi Primi, *Boughton* familiæ Equestris de *Monte-acuto*, *Kettering* forum non infrequens, iuxta quod *Rouwell* equorum nundinis celebre, per *Burton*, etiam Baroniam (si nomen non me fallit) Alani de *Dinant*. Baroniam enim illi eo nomine dedit Rex Henricus Primus in hoc Comitatu, quòd in monomachiâ pugilem Regis Galliæ ad *Gizors* occiderat, & *Harrouden* cuius Dominum Nicholaum *Vaulx* præfectum Guinarum in Picardia Baronem creauit Rex Henricus Octauus.

Yardley. *Kettering.* *Lib. inquis. in Scaccario.* *Baro. Vaulx*

Aufona hinc adit *Higham Ferrariorum* quondam opidum, à quibus *Higham Ferrers* est denominatum, qui & suum hic habuere castrum cuius rudera prope ecclesiam cernuntur. Verùm eximium huius loci ornamentum erat Henricus *Chicheley* Archiepiscopus Cantuariensis, qui hic pulchrum Collegium in quo clericos seculares, & Præbendarios collocauit, & simul hospitalem pauperibus domum extruxit. Inde *Addington* olim Verorum, & *Thorpston*, vulgo *Thrapston* alluit, huicque oppositum *Draiton* ædes superiori seculo H. *Green*, postea per filiam eius Ioannis & Edwardi *Stafford* Comitum Wiltonię, nunc verò Baronis *Mordaunt*, ad quem a *Greenis* maximi nominis in hoc agro nobilibus hæreditariò deuenit. Inde opidulum elegans ferè circumluit, & denominat, *Oundale*, corruptè pro *Auondale* vocitant, vbi nihil visendum præter templum perpulchrum, & scholam pueritiæ informandæ, cum ptochotrophio à *W. Laxton* Prætore quondam Londinensi positam. Huic vicinum est *Barnwell* castellulum quod nunc nouis ædificijs reconcinnauit Edward. de *Monte-acuto* Eques clarissimus qui ex antiqua *Monte-acutorum*, vt ex insignibus apparet, genus repetit. Possessio olim erat Berengarij *Le Moigne*. i. *Mo-*

Higham Ferrers. *Mat. Parker.* *Oundale.* *Barnwell.*

nachi, non vt aliqui autumant Berengarij Turonensis cuius sententia de Eucharistia olim à P. R. Synodo conuocata damnata. Postea *Fotheringhay* castrum amœnissimis pratis circumsitum salutat, quod Henrico Tertio regnante, cùm munitissima loca nobiles ad defectionem inuitarent, Guilielmus Comes Albemarliæ ex improuiso occupauit, & agrum vicinum latè deuastauit, vt habet Matthæus Paris. Quo tempore ad Huntingdoniæ Comites spectasse videtur. Satis longo post interuallo Edwardus Tertius Edmundo de *Langley* filio Duci Eboracensi quasi in hæreditatem, siue Appennagium (vt vocant) assignauit, qui castrum reædificauit & ædítissimum munimentum quod vulgò *The Keepe* in castris vocant, ad instar pedicæ equestris quæ erat symbolum familiæ Eboracensis, efformauit Edwardus Dux Eboracensis eius filius anno secundo Henrici Quinti & Christi MCCCCXV. vt ex barbaris versiculis ibi inscriptis apparet, perpulchram Ecclesiam Collegiatam fundauit, in qua ipse prælio Agincortensi cæsus, vti etiam Richardus Dux Eboracensis eius è fratre nepos qui apud *Wakefeld* occubuit, eiusq; vxor Cecilia *Neuill* magnifica sepulchra habuerunt, quæ simul cum superiori parte ecclesiæ fuere subuersa. In eorum tamen memoriam duo monumenta in inferiori parte ecclesiæ quæ superest R. Elizabetha erigi iussit. Quæ tamen (ea erat curatorum auaritia) tantis principibus qui Regibus nati, & a quibus Angliæ Reges prognati, parùm digna censentur. Cecilia illa paucis annis quales ludos impotens fortuna (si ita loqui fas sit) ex potentium malis sibi facit, planè perspexit. Vidit enim Richardum maritum regnum iam spe deuorantem, cum filio Rutlandiæ Comite, cruento prælio interfectum, paucosque post annos filium natu maximum Edwardum Quartum ad regiam dignitatem euectum, immaturaq; morte abreptum, cùm fratrem suum Georgium Clarentiæ Ducem priùs sustulisset. Deinde alterum filium Richardum luctuosa nepotum cæde matrisque probro (matrem enim læsæ pudicitiæ publicè insimulauit) ad rerum summam grassantem, sceptróque iam potitum, statim prælio trucidatum vidit: miseriæque ita erant concatenatæ, vt posterior dies semper priore acerbior illuxerit. Quod alteri potentissimæ Principi Mariæ Scotorum Reginæ hic accidit, malim silentio inuolui, quàm memorari: auferat obliuio, si potest, si non, vtcunque silentium tegat. Sub optimis Principibus sunt qui semel authoritate armati priuatis suis consilijs sacrosanctam religionem occultis artibus speciosè obtendere nôrunt; sunt etiam qui religioni, Principis securitati, populique saluti (quæ lex suprema) verè & ex animo consulunt. Nec diffitendum est ipsos optimos principes, vt nauium gubernatores, turbida tempestate quò nolint, aliquando abripi inuitos. Quæ autem illi quoad Reges, faciunt, Deo relinquenda, cuius solius in Reges est imperium.

Fotheringhay.

Cecilia Eboracensis Ducissa.

Rex Richardus Tertius.

Iam Huntingdonenses *Ausona* attingens pontem pulcherrimum ad *Walmesford* subterfluens DVROBRIVAS vrbem antiquissimam præteruehitur, quæ Anglo-Saxonicè *Dormancester* appellata, vt antea diximus, vtramque fluminis ripam in vtroque Comitatu latè occupauit. *Caster* enim viculus qui mill. pass. a flu. abest, eius pars videatur ex tessellatis pauimentis ibi repertis, etsi ecclesiæ parieti hæc legitur recentior inscriptio.

Durobriuæ.

Caster.

XV. KL. MAII DEDICATIO HVIVS ECCLESIÆ MCXXIIII.

Et celebrioris proculdubio fuit notæ, tot enim in aruis adiunctis (quos *Normanton* pro *Dormanton feelds* vocant) Romanorum nummuli eruuntur, vt eorum sementem ibi factam facilè quis existimet, duæque hinc militares viæ conspicuis adhuc aggeribus duxerunt, altera *Fortyfoote-way* a quadraginta pedum latitudine, ad *Stanfordiam*; altera *Long-dich*, & *Highstreet* dicta per *Lollham-bridges* vetustos sanè pontes quorum vndecim arcus æuo iam fatiscentes cernuntur, per *West-Depinge* in Comitatum Lincolniensem. In primo harum viarum diuortio intersidet æditiori situ *Vpton*, vnde & nomen, vbi ædes nitidas cum amantissimis ambulacris habet Robertus *Wingfeld* Eques auratus ex antiqua *Wingfeldorum* familia clarissimorum Equitum feracissima. A DVROBRIVIS *Ausona*, siue *Nen* vrbeculam *Petriburgum* in huius agri angulo adit, vbi in flumine immensæ profunditatis fuisse voraginem *Medeswell* dictam, appositumque opidum, inde *Medeswellhamsted*, & *Medeshampsted* appellatum tradunt scriptores. Quod, vt apud Rob. de *Swapham* legitur, *in optimo loco erat constructum, qui vna ex parte, palude & aquis optimis, in alis*

Lollham bridges.

Vpton.

Petreborough.

alia syluis, pratis, & pascuis plurimis honeratur, ex omni parte formosum, & per terram accessibile præterquam ad Orientalem plagam. Nen *fluuius ex Australi parte* Burgi *præterfluit. In huius amnis medio locus est vt in æstate nullus natantium eius ima adire possit, nec tamen in hyeme vnquam congelatur. Est enim ibi fons vnde ebullit aqua. Hunc locum Medeswell antiqui appellauerunt,* donec Wolpherus Rex Merciorum monasterium ibidem S. Petro consecrauit. Cúmque locus esset palustris *immanissimos lapides* (vt scribit Robertus ille) *in fundamentis iecit, quales octo boum paria vix vnum traherent, quod nos vidimus cùm monasterium esset destructum.* Deinceps PETRIBURGUS, PETROPOLIS, *Peterborow,* & *Burgh* dici cœpit, monasteriumque fuit longè celebratissimum. Verùm quibus initijs ac fundamentis extructum fuerit, operæ pretium existimaui è Roberto illo de *Swapham* authore satis vetusto paucis perstringere. Peada filius Pendæ qui primus Christianus Merciorum Rex, Anno Salutis DCLVI. ad propagandam Christianam religionem fundamenta monasterij ad *Medeshamsted* in Giruiorum regione iecit, quod malis vxoris artibus sublatus perficere non poterat. Peadæ successit Wolpherus eius frater, qui cùm a Christiana religione auersissimus esset, Wolphaldum & Rufinum filios barbara immanitate trucidauit eo quòd Christo se addixissent, ipse autem paucis post annis Christianam religionem amplexus, vt hanc suam impietatem pio aliquo opere elueret, monasterio a fratre incœpto manum admouit, quod ope Etheldredi fratris, Kineburgæ & Kineswithæ sororum perfectum an. DCXXXIII. S. Petro consecrauit, (vnde locus *Petriburgus* dici cœpit) amplissimis prouentibus ditauit, Sexwulfumque virum admodum pium (qui præcipuus operis suasor erat) primum Abbatem instituit. Floruit deinceps hoc monasterium magna sanctitatis opinione annos plùs minùs CCXIIII. ad grauissima illa Danicæ deuastationis tempora, tunc enim monachi interfecti, & monasterium funditùs euersum suis ruderibus annos CIX. quasi inhumatum iacuit. Tandem circa annum DCCCCLX. Ethelwoldus Episcopus Wintoniensis qui in re monastica promouenda totus erat, restaurare cœpit, auxilio inprimis Eadgari regis, & Adulphi regis Cancellarij, qui pœnitentia ductus, quòd filiolus quem vnicum habuit ab eo, & vxore in somno suffocatus esset, vniuersas opes ad instaurationem huius monasterij effudit, mundo valedixit, & instaurati monasterij factus est Abbas. Iam inde multis opibus, & magnis priuilegijs celeberrimum fuit, licèt regnante Guilielmo Normanno, Herwardus Anglus proscriptus ex Eliensi insula congestas opes deprędatus fuerit, contra quem *Mont-Turold* castrum, Turoldus Cœnobiarcha posuit: opulentissimum tamen vsque ad patrum memoriam censebatur: Tunc enim vbique monachos exturbauit Henricus Octauus (caussatus quòd à sanctorum illorum, & veterum monachorum curriculo, & spatio deflectentes, bona ecclesiæ quæ pauperum patrimonium erat, luxu absumerent) & episcopum qui huic agro, & vicinæ Rutlandiæ præesset, Decanumq; & Præbendarios hîc constituit. Ita vt è monasterio facta sit ecclesia Cathedralis, quæ si structuram spectes est ipsa antiquitate pulchra, frontispicium maiestate plenum, claustra satis magna, in quorum vitreis fenestris historia Wolpheri fundatoris cum Abbatum successione exhibetur: Sacellum B. Mariæ amplum & operosum, chorusque speciosus, in quo duæ, si quæ aliæ, infœlicissimæ Reginæ Catharina Hispana, & Maria Scota sepultæ ærumnarum requiem inuenerunt.

Mont. Turoldi.

Sub Petriburgo *Aufona* siue *Nen* qui a fontibus iam quadraginta quinque plùs minùs milliaribus dilapsus; & secum omnes riuulos & aduenas ex imbribus aquas in suum alueum admissas deuehit, variè distrahitur. Cúmque viam non inueniat, plana regionis longè latéque superinfusis aquis hiberno tempore, & aliquando maiorem anni partem ita supernatat, vt vasta æquorum planities cum pauculis extantibus insulis videatur. Caussam autem referunt accolæ, quòd ex tribus alueis quibus tanta vis aquarum deriuari solet, primus qui duxit in Oceanum per monasterium de *Thorney,* & inde seorsim per *Clowscrosse,* & *Crowland,* & alter per incile Mortoni Episcopi Eliensis *The New-leame* dictum, & *Wisbich,* iam diu fuerint neglecti, quódque tertius qui per *Horsey-bridge, Wittlesmer, Ramsey-mere* & *Saltersload* descendit, tantarum aquarum sit minimè capax, vnde in adiacentia grauiùs erumpunt. Peccatumque æquè ab illis conqueruntur qui alueos non purgarunt, & qui in priuatos vsus diuerterunt, vtq; Reatini apud Tacitum, asserunt *optimè*

The Fennes.

rebus mortalium consuluisse naturam quæ sua ora fluminibus, suos cursus, vtq; originem, ita finem dederit. Sed de his satis, superq;.

Hoc in loco angustissima est regio, inter *Ausonam* enim & *Wellandum* fl. qui terminus est alter ad Septentrionem, vix quinque interiacent milliaria. Ad *Wellandum*, qui *Weolod* Æthelwardo veteri scriptori dicitur, prope fontes *Braybrok* est castellum a Roberto *May* alias *de Braybrok* qui Regi Ioanni intimus fuit, extructum, cuius filius Henricus cùm Christianam *Ledet* magnarum opum hæredem duxisset, eius filius natu maior in *Ledettorum* nomen se adoptauit, à cuius e filio repti altera, vt modò dixi, ad *Latimeres* & per illos ad *Griphinos*, quorum nunc est patrimonium, deuenit. Iuxtà inter nemora reliquias pauculas Monasterij olim *De Diuisis* dicti, nunc *Pippwell* vidimus, quod Guilielmus *Butteuillein* Cistertiensibus regnante Henrico Secundo construxit. Inde *Rockingham* quondam Comitum Albemarliç castrum visitur, à Rege Guilielmo *Conquestore*, quo tempore fuit *Vasta*, vt in ipsius Commentario legitur, conditum; vallis, propugnaculis, duplicique pinnarum ordine munitum, collique affixo in nemoroso saltu, qui hinc *Rockingham Forrest* denominatur. Postea *Heringworth* olim *Canteluporum*, nunc Baronum *Zouch* sedem præterfluit, qui ab Eudone filio minore Alani *de la Zouch* de *Ashbye* prognati in amplissimam Baronum familiam succreuerunt, quibus plurimùm honoris accessit ex nuptijs cum vna hæredum de *Cantelupo*, & altera Baronis de *Sancto Mauro* qui etiam ab hærede Domini Zouchæi de *Ashbye*, *Lupellisq;* Dominis de *Castel-Cary* in Comitatu Somersettensi stemma deduxit.

Braybrooke. Domini de *Braybrooke.* Pippwell. Liber Domesday. Barones de Zouch.

In hoc etiam saltu *Deane* vidimus, quondam *Deanorum*, postea *Tindalorum* quæ vel eo nomine memoranda, quòd *Brudenellorum* modò sit elegans habitatio, è quibus Edmundus *Brudenell* Eques auratus non ita pridem defunctus, venerandæ antiquitatis summus fuit cultor, & admirator. Familia etiam de *Engayne* qui antiquæ & honoratę nobilitatis, hic ad *Blatherwic* (vbi nunc *Staffordi* Equestris dignitatis incolunt, qui genus a Radulpho primo Staffordię Comite deducunt) sedem habuit, Castrumque quod *Hymell* vocabatur in monasterium *Finisheued* dictum commutárunt. Stirps eorum mascula ante ducentos annos defecit, filiarum verò prima Ioanni *Goldington*, altera Laurentio *Pabenham*, & tertia Guilielmo *Bernak* viris ex Equestri ordine clarissimis fuit elocata. *Apthorp* hic etiam cernitur sedes Anthonij *Mildemay* Equitis clarissimi, cuius pater VValterus *Mildemay* nuper Elizabethę Reginę a consilijs ob virtutem, prudentiam, pietatem, & in Rempub. literariam benignitatem extruendo Collegium Emmanuelis Cantabrigiæ verè promeruit, vt inter optimos huius seculi connumeretur. *Thornhaugh* in proximo adiacet, olim familiæ de *Sancto Medardo*, nunc honoratissimi viri Guilielmi *Russelli* filij Francisci Comitis Bedfordiæ ex eadem familia oriundi, quem Rex Iacobus ob virtutes, & fidelem operam in Hibernia cui Prorex præfuerat, ad dignitatem Baronis *Russell* de *Thornhaugh* euexit. Nec *Welledon* silendum est opidulum, cùm olim habita fuerit *Baronia*, quæ per Matildem filiam & hæredem Galfredi de *Ridell*, qui submersus erat cum filio Regis Henrici Primi, ad Richardum *Basset* filium Radulphi *Basset* Iusticiarij Angliæ descendit, in cuius stirpe ad Henrici vsque Quarti tempora permansit, tunc enim per fœminas, (masculis deficientibus) *Kneuetti* & *Alesburij* hæreditatem adierunt.

Deane. Barones de Engayn. *Apthorpe.* Thornhaugh. Thornhaugh. Welledon. Bassetti de Welledon.

Ab *Heringworth* Wellandus *Colliweston* inuisit, vbi Margareta Richmondia Regis Henrici Septimi mater ædes decore & elegantiâ conspicuas extruxit. Sub quo lapides tegulares ab omnibus vicinis in ædificiorum vsum magnâ copiâ effodiuntur. *Wittering heath* planities hinc longè in Ortum procurrit in qua memorabili prælio olim fusos fuisse Danos memorant incolæ. Iam Wellandus *Burghley* accedit, ædes speciosissimas, quę consultissimum & honoratissimum virum Guilielmum *Cæcilium* magnum Britanniæ columen, summum Anglię Quæstorem, Elizabethæ Reginæ gratiâ Baronis titulo honorauerunt, & quas ille suis virtutibus ornauit, magnificentissimis ędificijs nuper condecorauit, & *Parcum* (hoc enim verbo vtitur Varro) feris includendis muro è saxo magno ambitu circumdedit. Latomiæ hic subsunt antiquæ ad *Berneck*, è quibus & Petroburgense, & Ramsiense monasterium extructum, *Operosa enim* (Ramsiensis historię verba legis) *Latomorum vires hic frequenter exercentur, semperque superest, in quo alterna requie reparata exerceantur.* Legiturque in Charta Edwardi Confessoris. *Pro quatuor millibus anguillarum*

Lapides tegulares. Burghley. Baro Burghley. Latomiæ. Berneck.

anguillarum in Quadragesima fratres de Ramsey *habebunt, de territorio S. Petri, quantum sibi opus fuerit de lapidibus quadratilibus apud* Berneck, *& de petris muralibus apud* Burch. Sub *Berneck* publica illa Romanorum via quam *Forty footway* à latitudine vicini vocant, à *Caster* ad *Stanford* hunc Comitatum intersecat, & alto aggere eminet præcipuè per syluulam de *Berneck*, vbi speculam ipso aggere impositam habet, & per murum *Parci de Burghley* longè procurrit. Forty-foot way.

Post pauca hinc milliaria *Wellandus* defluens per *Maxey* castrum quondam Baronum de *Wake*, & *Peag-kirke*, vbi in primitiua Anglorum ecclesia Pega fœmina sancta quæ nomen loco reliquit, S. Guthlaci soror cum sacris virginibus pietatis & castitatis documenta vitâ & exemplo præbuit, paludes quas sæpe dixi, accedit. Cumque agger ad australem eius ripam negligatur, adiunctis campis magno cum dispendio incumbit, & suo, canali emotus qui per *Spalding* priùs duxit, *Nen* siue *Aufonam* subintrat & admodum onerat. Maxey. Peag-kirk. Ingulphus.

Auona verò *minor*, qui alter est, vt dixi, è limitibus huius Comitatus ad Septentriones, sed limitis vice tantùm per quinque milliaria fungitur proximè *Wellandi* fontes effusus in Occasum defertur per *Stanford super Auonam* dictum, habitationem familię *Cauorum* e qua clara & numerosa propagata est in adiacenti tractu soboles : & *Lilborne* quondam *Canuillorum*. Quam mansionem olim fuisse Romanorum persuadent situs ad viam Militarem, antiqua valla, & monticulus in conum aggestus, in quam, cùm spe antiquarum opum quidam nuper suffosione penetrârunt, pro auro carbones inuenerunt. Cumq; iam hic fluuiolus *Dowbridge* pontem subierit, Northantonenses delerit Warwicenses inuisurus. Stanford. Caue.

Ex subfossis illis carbonibus, quid si opinor hunc collem pro termino aggestum fuisse? Cum Siculus Flaccus memoret aut cineres, aut carbones, aut testas, aut vitrea fracta, aut ossa subcensa, aut calcem, aut gypsum terminis subdi solere, & S. Augustinus scribat de carbonibus, *Nonne miranda res est, & tanta infirmitas, vt ictu leuissimo frangantur, pressu facillimo conterantur, nulla ætate vincantur, adeò vt eos substernere soleant, qui limites figunt, ad conuincendum litigatorem, quisquis post quantalibet tempora extiterit, fixumq; limitem non esse contenderit.* Eoque magis in hanc opinionem propendeo quòd qui de limitibus scripserunt, monticellos de terra quos Botontinos vocârunt in limitibus collocatos scribunt, adeò vt existimem plurimos ex tumulis & rotundis monticellis quos passim videmus, in hunc vsum fuisse erectos, & cineres, carbones, testas, &c. sub ijs inueniri posse, si terra altiùs effoderetur. Termini veterum. Lib. de Ciu. Dei. 21. c. 4. Hinc Bottings fortè apud nos.

Comitem habuit hic ager primum quod sciam Waldeofum Siwardi bellicosi filium, qui etiam Huntingdoniæ Comes, perfidiæ in Guilielmum *Conquestorem* pœnas capite persoluit duobus tantùm filiabus relictis quas illi Juditha *Conquestoris* neptis ex sorore vterina peperit. Matildem filiam primogenitam Simon de *S. Lizio*, siue *Syluanectensis* a Juditha matre cuius nuptias ambiuit, quia pedibus captus ludibrio reiectus in vxorem accepit, qui Ecclesiam S. Andreæ, & castellum Northantoniæ construxit. Huic successit filius Simon Secundus, qui de maternis possessionibus cum Dauide Scotorum Rege cui mater secundò nupserat, diu litigauit, & Stephani Regis partes sequutus de vita anno CIↃCLII. decessit, cùm hoc elogio. *Iuuenis plenus omnium quæ non licebant, omnium quæ non decebant.* Filius eius Simon Tertius ius suum de Comitatu Huntingdoniæ lite & iudicio contra Scotos persequutus rem familiarem exhausit, Regisque Henrici Secundi beneficio filiam & hæredem Gilberti de *Gaut* Comitis Lincolniæ duxit, demumque recepto Huntingdoniæ Comitatu, Scotis eiectis, diem suum sine liberis obijt Anno CIↃCLXXXV. Multis pòst annis Guilielmum de *Bohun* virum spectatæ fortitudinis Northantoniæ Comitem creauit Edwardus Tertius, cumque frater eius maior natu Humfredus de *Bohun* Herefordiæ & Essexię Comes Angliæque Constabularius bellicoso illo æuo Constabularij oneri ferendo impar esset, Angliæ etiam Constabularium instituit. Huic in Comitatu Northantoniæ filius Humfredus, vti in Comitatibus Herefordiæ & Essexiæ patruo sine prole demortuo succedens duas progenuit filias, alteram Thomæ de *Woodstocke* filio Edwardi Tertij minimo natu, alteram Henrico Lancastrensi Duci Herefordiæ, qui posteà Regnum obtinuit, collocatam. Thomæ autem de *Woodstocke* filia Northantoniæ Comites. Vita Waldeofi.

hunc

hunc autem Northantoniæ titulum cum alijs in *Staffordorum* familiam suis nuptijs intulit. Cum autem illi honoribus posteà spoliati, Edwardus VI. Guilielmum *Par* Essexiæ Comitem, aulicum omnibus numeris absolutum titulo Marchionis Northantoniæ honorauit, qui nostra memoria nulla suscepta prole diem supremum obijt.

Dum autem hæc recognoscimus Sereniss. Rex Iacobus Henricum *Howard* postremi Ducis Norfolciæ fratrem, virum ingenio splendidissimo, eloquentia profluenti, optimis artibus ornatissimum, ad consilia prudentem, & in posterum prouidum ad *statum & stilum* Baronis *Howard de Marnehill*, & honorem Comitis Northantoniæ vno eodemque tempore Anno Salutis CIↃDCIII. euexit.

Pertinent ad hunc agrum Parœchiæ 326.

LEICESTER

Z z



LECESTRIÆ COMITATVS. SIVE Leicestershyre. PARS OLIM CORITANORVM
NOMINA HVNDREDORVM IN COMITATV LECESTRIÆ
A. West Gosticoate Hundred.
B. Sparkenhoe Hundred
C. Guthlakeston Hundred
D. Gartery Hundred.
E. Est Gosticoate Hundred
F. Framland Hundred
DARBIÆ PARS
LECESTRIÆ PARS
STAFFORDIÆ PARS
WARWICÆ PARS
NORT
Trent flu:
Tame flu:
Anker flu:
Sence flu:
Soare flu:
Auon flu:
Watling streete
Hemington
Lockington
Castle Dunington
Isley walton
Wilston
Kegworth
Bredon sup monte
Dysseworth
Hatherne
Tong
Langley
Longwhatton
Santon harold
Worthington
Merill grange
Belton
Dishley grange
Newbold
Collerton
Osgathorp
Thorpe
Knightsthorp
Thrinkston
Shepshead
Garenton
Blackbrook
Loughbor
Ashby de la zouch.
Alton grange
Swanington
Grace dieu
Burley pk
Ouerseale
Ouerton saucy
Packington
Whitwike
Charnwood forrest
Charley
Dunington
Raunston
Hugglescote
Bardon hill
Vluescroft
Woodhouse
Clifton
Stretton
Appleby pva
Normanton
Swepston
Snibston
Appleby
Snareston
Newton
Nethercote
Horse poole grange
Heather
Pickering grange
Thorpe
Comberforde
Seckington
Newton
Tamworth
Shuttenton
Auste
Heggsworton
Shaxton
Oddeston
Ibston
Markfelde
Thornton
Bradgate
Bramcote
Orton sup monte
Belston
Bagworth
Whittington grange
Aminton
Poole
Gopsall
Cunston
Nelson
Barleston
Newtowne
Polesworth
Morebarne
Carleton
Osbaston
Stanton
Groby
Grindon
Tincross
Shepey
Whellesborow
Naneby
Newbold verdon
Willincote
Shepey pva
Temple
Coton
Botcheston
Glenfelde
Holt
Bosworth
Shenton
Desforde
Ratby
Kirby
Sibsdon
Codeby
B
Ratcliff culy
Vpton
Atherston.
Atterton
Peckleton
Leicester forrest
Brantingthorpe als wistcotts
Witherley
Sutton cheny
MANVESEDVM
Fenny Draiton
Dadlington
Kirby malory
Tily
Lubsthorpe
Braunston
Nether Wheataker
Bentley
Stapleton
Caucott
Lyndley
Stoke
Thurlaston
Ouer wheataker
Aunsley
Higham
Barwell
Erlshilton
Normanton turvill
Enderby
Elston
Huncot
Wikin
Elmsthorp
Shistoke
Hinckley
Croft
Nun Eaton.
Pottersmarston
Narborow
Whetston
Sketchley
Burbach
Thorp
Blaby
Stony stanton
Astley
Coton
Sapcotte
Cosby
Aston flamvill
Sharneford
Countisthorp
Ardbery
Sutton
Burton
Thorpe
Copston
Wiston
Broughton Astley
Willoughby waterle
High crost
VENONES
C
Cloudesley bush
Wybtost
Frolesworth
Leare
Dunton basset
Claybroke
Vlsterp
Ashby pva
Ashby mag:
Wethibroke
Newnham
Byteswell
Gilmorton
Monks kirby
Willey
Lutterworth.
Kimcote
Bensford br:
Chester ouer
Church ouer
Misterton
Walcote
Harborow
Cotesbach
Shawell
Swyneforde
Cossorde
Brownsouer
Newton
Catterp
Newbold
Clifton
Lilborne
Stanford
Bilton
Rugby
Hilmerton



NOTTINGHAMIÆ PARS
RVTLANDIÆ PARS
PARS
THAMTONIÆ
Snyte flu:
Welland flu:
Eye flu:
Deane flu:
Auon flu:
Sutton
Normanton
Botesforde
Muston
Granby
Langer
Rodmell
Barston
Bever
Plunger
Stathern
Bever Castle
Harby
Hickling
Over Broughton
Willoughby
Heton
Wymeswold
Dalby wood
Dalby on y would
Burton
Cotes
Prestwold
Walton
Wartnaby
Nether Braughton
Clawston
Hoose
Castwell
Eaton
Knipton
Braunston
Harston
Croxton
Holwell
Abketleby
Scalforde
Godsby
Caudwell
Wikeham
Saltby
Grimston
Saxelby
Welby
Goldsmiths grange
Barrow
Segrave
Shauldby
Ragdale
Sysby
Hoby
Asserby
Stonesby
Waltham on y would
Sproxton
Thrussington
Mount Sorrell
Ratcliffe
Cussinton
Frisby
Rotherby
Kirkby bellers
Eyketleby
Brokesby
Sysonby
Thorp Arnold
Wiverby
Freby
Coston
Saxsterne
Brentingby
Garthorpe
Melton mowbray
Buckminster
Reasby
Rodeley
Byrstall
Quenibore
Gaddesby
Burton lazers
Saxby
Wimondham
Wanlip
E
Barkby
Barkby thorpe
Barsby
Dalby Chaulcomb
Stapleforde
Edmonthorpe
Thistleton
Margret overton
Ashby folvile
Dalby pva
Leesthorpe
Thurmaston
Beby
Crawston
Thorpe sachfelde
Pickwell
Whitsenden
Ashwell
Tighe
Belgrave
Humberston
Leicester abby
Baggrave
Keame
Twiforde
Burrow
Langham
Cotesmore
Leicester
Scraptoft
Hungerton
Crawston
Somerby
Colderton
Berkthorpe
Newbold
Bushby
Quenby
Lowsby
Markfeld
Burdett
Owston
Newbold
Knaufton
Flitteris pk
Okcham
Thurnby
Evington
Engarsby
Tilton
Halsted
Withcok
Braunston
Houghton
Stoughton
Odeby
Stretton ma:
Norton
Frisby
Launde
Skeuington
Tugby
Norton
Loddington
Broke
Lyfeld forrest
Stretton pva
Glen mag
D
Rolleston
Catthorp
Noseley
Wistow
Burton overy
Godeby
Alexton
Belton
Ridlington
Newtonharton
Ilston
Stokerston
Wardley
Foston
Kilby
Fleckney
Carleton
Curlew
Shankton
Hallaton
Kibworthharcourt
Kibworthbeuchap
Blaston
Horninghold
Armesby
Wisterby
Thur Langton
Church Langton
Stantonwivell
Bradley
Smiton
Slauston
Holt
Dryslok
Peatling mag
Shearsby
Saddington
W Langton
Glowston
Bruntingthorp
Langton
Cranow
Medborne
Drayton
Easton
Walton
Knaptoft
Laughton
Gimley
Foxton
Thorplangton
Welham
Bringcast
Rokingham Cast
Mousley
Lubbenham
Weston
Sutton
Bosworth
Thedingworth
Bowden mag
Kilworth
Harburgh
Bowden pva
Howthorpe
Merston trussell
Sibbertoft
1 2 3 4 5
Scala Milliarium
Christophorum Saxton descrip
William Kip Sculp

LEICESTER-SHIRE.



Orthantonensi ad Septentrionem finitima est prouincia Leicestrensis, in eo libro quo Angliæ lustrum condidit Guilielmus Normannus *Ledecesterscyre* dicta, vulgò *Leicestershire*, tota itidem campestris, frugibus opima, sed syluis maximam partem indiga. Ab Ortu Rutlandia, & agro Lincolniensi, à Septentrione Nottinghamiensi & Derbiensi, ab Occasu Warwicensi præcingitur, Occiduam enim partem via militaris Romanorum *Watlingstreat* appellata perstringit, & à Warwicensibus seiungit, & ab Austro, vt modò innui, Northantonensis adiacet Comitatus. Mediam *Soarus* flumen Trentam petens alluit, Orientalem verò *Wrekus* fluuiolus qui *Soaro* demùm commiscetur, placidè pererrat.

Ad Austrum quà hinc *Auona* minori, inde *Wellando* fluminibus disterminatur, nihil quod relatione dignum se offert, nisi ad *Wellandum* dum adhuc recens a fonte & tenuis, *Hauerburg*, vulgò *Harborrow*, pecuarijs nundinis celeberrimum, & quod hinc parùm abest *Carleton*, id est, *Colonorum* opidum, nescio an dignum sit relatu, in quo nati pleriq; omnes peculiari vel soli, vel aquæ, vel alia quapiam abdita naturæ vi absonè & impeditè loquuntur, verbaq; asperrimè ex imo gutture extrahentes, Rhotacismo quodam laborant. Via illa Romana, cuius agger alicubi extritus, alibi planissimè hic se exhibet, rectâ quasi lineâ in Septentriones per Occiduum huius prouinciæ latus tendit. cuius tractum ego à Tamisi in Walliam ad priscæ memoriæ opida inuestiganda (rideas fortasse hanc diligentiam vel impendiosam, vel certè impendiò curiosam) sedulò sequutus sum; nec in Ducem alterum ad ea inuenienda fideliorem sperare potui. A *Dowbridge*, vbi relinquit Northantonenses primùm *Swifto* flumine hæc interrumpitur lento quidem illo, etsi nomine veloci, cui tantùm hibernis mensibus respondet. Pons, *Bransford bridge*, & *Bensford* vocant, quo olim coniunctus hic fuit, longo tempore interscissus in caussa fuit, cur tam celebris via diù minùs frequentaretur, nunc autem publico sumptu restauratur. Huic adiacent hinc ad Occasum *Cesterouer*, sed in Comitatu Warwicensi, vel nomine domini sui Fulconis *Greuill* Equitis cum primis clarissimi memoranda, etsi loci vetustati ipsum nomen attestetur (*Cester* enim non nisi vetustis vrbibus aut castris maiores nostri addiderunt) inde ad Occasum iuxta Swiftum hinc *Misterton* insignis & antiquæ familiæ *Poultenio*rum, inde *Lutterworth* cernitur emporiolum, possessio quondam, vt ferunt, *Verdonorum*, iuxta quod fons est ea frigiditate vt stipulas & lignea breui tempore in saxa conuertat. Huius ecclesiam rexit ille celeberrimus Ioannes *Wickliff*, vir ingenio subacto, & sacris literis versatissimus, qui cùm calamum in Pontificiam authoritatem, & Romanam ecclesiam strinxisset, non solùm grauissimè exagitatus erat dum viueret; sed etiam anno post mortem quadragesimo primo in corpus sæuitum fuit, quod Senensis Concilij mandato exhumatum erat & exustum.

Carleton. *Curlew.* *Wharling.* *Watlingstreat.* *Cester ouer.* Fons lapidum nutritiua vetens. Ioan. Wickliff obijt 1387.

A ponte illo *Bensford* ascendit via antiqua ad *Highcrosse*, sic dictum quòd eo loci Crux in edito quondam extitit, pro qua nunc postis celsior cum suis sustentaculis erigitur. Retulerunt nobis vicini duas præcipuas Angliæ vias hic se transuersim intersecasse, vrbemq; ibi florentissimam extitisse nomine *Cley-cester*, quæ suum Senatum habuit, cuiusque pars *Cley-brook* ad mille fere passus fuerit, & vtrinque ad viam magna e saxo quadrato fundamenta sulcis subesse, Romanorumq; numismata sæpiùs aratris eruta, quamuis supra terram, vt ait Poeta, *Etiam ipsæ periere ruinæ*. Hæc cum distantia a *Banauenta*, siue *Wedon* quæ adamussim respondet & pons ille *Bensford* dictus inducunt, vt hic BENNONES siue VENONES, mansionem quam proximam post BANNAVENTAM locat Antoninus fuisse credam, maximè cùm Antoninus viam hic in duas partes se diffidisse doceat, quod vulgò etiam perhibetur. Ad Ortum enim æstiuum quà Lincolniam itur, *Fosseway* ad RATAS & VERNOMETVM, de quibus statim, & ad Occasum æstiuum *Watlingstreat* in Walliam per MANVESSEDVM rectà ducit, de quo in Comitatu Warwicensi suo loco dicemus.

Cleycester. *Claybrooke.* *Bennones.*

Hinckley, superiùs ad eandem adsidet viam, quæ suum habuit Dominum Hugonem *Grantmaisnill* magnum Angliæ Oeconomum, siue Seneschallum, cùm Guilielmus Rufus

Hinckley.

fus, & Henricus Primus rerum potirentur. Ille autem duas suscepit filias, Petronillam Roberto *Blanchemaines* a manuum candore dicto Comiti Leicestriæ cum *Seneschallia* Angliæ, & Aliciam Rogero Bigotto datam. Ad Orientalem sane partem templi fossæ, & moles in eminentem altitudinem egesta cernuntur, quod Hugonis fuisse castrum ferunt incolæ. Ad tertium hinc milliare sedet *Bosworth* antiquus mercatus, vtpote cui hoc ius vnà cum nundinis obtinuit a Rege Edwardo Primo Richardus *Harecourt*. Sub quo in extremam belli aleam auorum memoriâ cecidit regnum Anglicum. Henricus enim Richmondiæ Comes parua manu Richardum Tertium, qui per summum scelus regnum occupârat, ibi prælio excepit, & dum pro patriæ libertate fortiùs cum suis mori voluisset; fœliciùs tyrannum vicit, & confecit, faustisq; acclamationibus inter medias strages Rex salutatus Angliam tyranni dominatione sua fortitudine vindicauit, & discordijs ciuilibus irrequietam sua prudentia recreauit. Vnde Bernardus Andreas Tholosas Poeta qui tunc vixit, in Oda ad Henricum VII. de Rosis quæ Henrici insignia erant, ludens.

Bosworth. — 1485. — Richard. III. occisus.

Ecce nunc omnes posuere venti
Murmura, præter Zephyrum tepentem,
Hic rosas nutrit, nitidosque flores
Veris amœni.

Alia ad viam memoriâ digna non occurrunt, nisi remotiùs *Ashbye de la Zouche*, nunc Huntingdoniæ Comitum villa amœnissima, quondam Alani *de la Zouch* Baronis, cuius clypeus ruber decem globulis aureis respersus erat. Hic cùm alteram hæredum Rogeri de *Quincy* Comitis VVintoniæ duxisset, opimam hæreditatem vxorio iure hoc in agro creuit. Verùm cùm Ioannem Comitem VVarrenniæ in ius vocasset, qui rem ferro, non legibus decernere voluit, ab eo in aula regia VVestmonasterij anno MCCLXXIX. fuit trucidatus, & post paucos annos nepotis eius filiæ & hæredes hanc hæreditatem suis nuptijs in familias de *Sancto Mauro*, & *Holandorum* transtulerunt. Hoc verò opidum postea ad *Hastingos* deuenit, qui suas ibi ædes satis splendidas habent, & e quibus Guilielmus ius Nundinarum ab Henrico Sexto impetrauit. Nec silentio hic prætereundum *Cole-ouerton* sedes H. de *Bellomonte* ex celebri illa qua Vicecom. de *Bellomonte* familia. Prænomen verò locus inuenit à carbonibus lapideis bituminis indurati natura, qui hic in domini emolumentum tantâ copia effodiuntur, vt vicinis longè latéque ad extruendos focos abundè sufficiant.

Ashby. — Barones Zouch de Ashby. — Hollandi. — Colorton. — Carbones fossiles.

Soarus flu. medium agrum secare diximus, qui non procul ab hac via conceptus, & crebris perennium aquarum riuulis adauctus, leni tractu in Aquilonem lapsus primariam totius agri vrbem ab Occasu & Septentrione subluit, quæ *Lege cestria, Leogora, Legeocester*, & *Leicester*, apud authores vocatur. Hæc magnam vetustatem, nec minorem venustatem præ se fert. Anno Salutis DCLXXX. cùm Sexwulphus Merciorum regnum in Episcopatus iussu Ethelredi Regis describeret, in hoc Episcopalem sedem statuit, ipseque primus sedit Episcopus: sed paucos post annos, sede aliò translata, hæc desijt dignitas, sensimque imminuta opidi amplitudo, donec Edelfleda optima mulier, Anno post Seruatorem natum, DCCCCXIIII. reparauerit, & nouis mœnibus firmauerit, adeò vt Matthæus Parisiensis in Historia Minori scripserit, *Legecestria vrbs opulentissima, ac munitissimo muro indissolubili, qui si fundamento roboraretur, nulli vrbium secunda fuisset.* Sub Normannorum ingressum satis frequens erat, plurimosque habuit *Burgenses*, e quibus duodecim (vt in Guil. primi libro legimus) cum Rege mittere veteri instituto tenebantur, *quoties ad bellum iret. Si verò per mare in hostes ibat, mittebant quatuor equos vsq; Londoniam ad arma comportanda, vel alia quæ opus essent. Reddebat hæc ciuitas Regi per annum* XXX. *libras ad numerum, &* XX. *in ora, &* XXV. *sextarios mellis.* Sed Henrici Secundi temporibus magna miseriarum mole depressa fuit, mœniáque diruta, cùm Robertus cognomento *Bossu*, id est, *Gibbosus*, Leicestriæ Comes res nouas in principem affectaret. Quod his verbis docet Matthæus Parisiensis. *Propter contumaciam Comitis Roberti contra regem recalcitrantis obsessa est, & per regem Henricum subuersa nobilis ciuitas* Leicestria, *& murus qui videbatur indissolubilis, funditùs in circuitu dirutus. Vrbs enim* (vt hoc è minori illa historia adiungam) *muris fundamento carentibus suffossis, & fulcimentibus*

Leicester. — 1173.

minibus tandem combustis, mœnium fragmenta ceciderunt, quæ vsque in hodiernum diem propter cæmenti indissolubilem tenacitem scopulorum retinentat cum integritate magnitudinem. Misera etiam eo tempore ciuium mulctatio, & miserum exilium, qui cùm data pecunia abeundi licentiam redemissent, in S. Albani, & S. Edmundi asyla trepidi conuolârunt. Castrum quoque propugnaculis nudatum erat, quod sanè amplum & firmum fuit. Sub quo pulcherrimum est Hospitale Collegiatum, siue Prochodochium, in cuius Ecclesia Henricus Gomes Lancastriæ, & Henricus Lancastrensis eius filius, qui primus Lancastriæ dux fuerat, sepeliuntur. Dux enim ille cùm iam annorum plenus esset, hoc pio studio alendis pauperibus construxit, & consecrauit, de quo, in sua historia Henricus Knightonus Leicestrensis qui eo seculo vixit. *Henricus Dux Lancastriæ, primus Ecclesiam Collegiatam, & Hospitalem extra portam Australem Leicestriæ construxit, in qua constituit Decanum cum* XII. *Canonicis Prabendarijs, totidem vicarijs, & alijs ministris, centum pauperibus debilibus, & decem fortibus mulieribus, quæ debilibus inseruirent, dictamque Hospitalem sufficienter dotauit.* Ad alteram vrbis partem inter lætissima prata, quæ Soarus irrigat, monasterium fuit, inde de *Pratis* dictum, de quo sic scripsit Knightonus ille. *Robertus le Bossu Leicestriæ Comes fundauit monasterium B. Mariæ de Pratis Leicestriæ, terris, possessionibus & redditibus luculenter dotauit; & ipse in eodem monasterio consensu Amiciæ vxoris Canonicus Regularis factus, quindecim annos in habitu Regulari Deo ibidem militauit, & Canonicus in Domino obdormiuit.* Scilicet vt Canonicali habitu pœnitendo corrigeret, quod in principem hostili animo insurgendo deliquerat. Quod nomen Romanis temporibus gesserit Leicestria, minimè compertum est. *Caer Lerion* in Ninnij Catalogo vocari existimo, sed Leirum fabulosum Regem construxisse, per me, credat qui velit. Antonini verò descriptioni ita exactè congruit situs, à BENNONIS, & VEROMETO, ad militarem viam *Foss* dictam, vt non possim non RATAS, quæ Ptolomæo RAGAE vocantur, existimare, quamuis nec vola nec vestigium nominis RATARVM iam supersit, nisi forte in vallo militari quod *Rawdikes* vocant, passibus ab Australi Leicestriæ porta vix quingentis.

1330. [margin]

1143. [margin]

Ratæ. [margin]

Hîc hæreo, & quam viam vt ducem ad antiqua opida inuestiganda sequar, circumspicio. Ranulphus Cestrensis Monachus *stratam antiquam* hinc *per vasta* Lincolniam duxisse prodit, sed per quæ *vasta* non docet, vulgus perhibet in Septentriones per Nottinghamiensem agrum, Anton. Aug. si quid ego video, in Aquilonem per hunc agrum in Lincolniensem transisse innuere videtur. Et hàc sanè nonnulla antiquæ memoriç loca suis se vestigijs ostendunt, quę suo ordine dicemus, illac verò planè nulla mihi inuestiganti, nescio an alijs, hactenus occurrerunt.

Groby. — Huic vicinum est *Grooby*, opimum & amplum hęredium, siue vt nostri vocant *Manerium*, quod ab Hugone *Grantmaismill*, quem magnis prouentibus ditauerat Guilielmus Primus, per Leicestrenses Comites, & *Quincios* ad *Ferrariorum* familiam deuenit, e qua Domini *Ferrarij* de *Grooby* Baronum honore diu floruerunt, demumque relicta vnica filia Isabella in *Greiorum* nomen matrimonio intulit, à quo rursus proscriptione in patrimonium regium tandem recidit. Sed dum hæc reuisimus, Iacobus Dominus & Rex noster potentissimus in hunc auitum honorem clarissimum Equitem Henricum *Grey* restituit, cùm ante inaugurationem illum Baronem *Grey* de *Groby* creauerit.

Ferrarij & Greij de *Groby*. [margin]

Iam ad *Soarum* flumen regrediamur, qui Leicestriam prçterlapsus primùm *Montsorell* siue potius *Mont-Soare-hill*, ex Normannica & Anglica compositione, nomen prębet, quod nunc tantùm mercatu celebre est, olim verò celeberrimum castro in pręrupto & confragoso colle flumini impendenti, quod priùs Comitum Leicestrię, postea ad Saherum de *Quincy* Wintoniæ Comitem bello Baronico spectauit, hodieque nihil est nisi rudetum. Anno enim CIↃCCXVII. post grauem obsidionem captum, *incolæ tanquam nidum diaboli, speluncam latronum & prædonum solo tenus* diruerunt. Superiùs ad alteram ripam est *Barrow*, vbi calx laudatissimæ firmitatis effoditur. Inde *Soarus* post pauca milliaria in *Trentam* flu. desinit, parùm infra *Loughborrough* mercatorium opidum, quod vnum regnante Maria Baronem Edwardum *Hastings* suo nomine exornauit. Verùm cùm illa, cui fuerat charissimus, in viuis esse desijt, ille rerum humanarum pertæsus mundo viuere noluit, sed vt totus Deo vacaret, in Prochotrophium quod apud *Stoke Pogeis* in Buckinghamiensi Comitatu erexerat, secessit, vbi cum pauperibus Deo vixit, & inter eos

Mont-Sorehill. [margin]

Histor. Minor. [margin]

Loughborrow. [margin]

eos vitæ cursum piè in Christo confecit. Hanc *Loughborrough* Regiam villam Saxonicè Lieȝanbuрȝe dictam, quam Marianus Cuthulfum Britannis anno Christi DLXXII. ademisse tradit, nominis affinitas quodammodo probet. Nunc verò secundum locum à Leicestriâ inter omnia huius Comitatus opida sibi suo iure vendicat, siue amplitudinem, siue structuram, siue etiam syluarum amœnitatem spectes: sub ipso enim Saltus de *Charnwood*, siue *Charley* longè expanditur, in quo *Beaumannour* viuarium cernitur, quod Domini de *Bellomonte*, vt accepi, lapideo muro circumsepserunt. Hi ex familia Francica, (vt vulgò creditur) certè Ioanne Brennensi Rege Hierosolymitano orti, circa Edwardi Primi tempora in Angliam venerunt, & ex nuptijs cum filia Alexandri *Comyn* Comitis *Boghaniæ* in Scotia, cuius mater vna erat hæredum Rogeri de *Quincy* Comitis Wintoniæ, amplissimam hęreditatem adierunt, & in magnam familiam sunt propagati. E qua regnante Edwardo Tertio Henricus per aliquot annos euocatus fuit ad Comitia Parlamentaria nomine Comitis *Boghaniæ*, & Ioannes regnante Henrico Sexto fuit Angliæ Constabularius ad tempus, & primus in Anglia (quod scio) qui Vicecomitis honorem a Rege accepit. Verùm cùm Guilielmus vicecomes vltimus sine sobole obijsset, eius soror Domino *Louell* nupta est, & patrimonium posteà copiosum ob læsam maiestatem in fiscum redactum.

Chernwood Forrest.

Vicounts Beaumont.

Primus Vicecomes honoratus in Anglia.

In hac Septentrionale parte nihil aliud memoratu dignum occurrit, nisi monasteriolum quod virginibus sacris Roisia de *Verdon* posuit, & *Grace-Dieu*, .i. *Gratiam Dei*, nuncupauit, & quà *Trenta* allabitur, *Dunnington* castellum antiquum à primis Leicestriæ Comitibus extructum conspicitur, quod posteà fuit Ioannis *Lacy* Comitis Lincolniæ, qui ius fori mercatorij, & nundinarum ab Edwardo Primo huic obtinuit. Verùm cùm in Baronum proscriptione sub Edwardo Secundo possessiones proscriptæ variè distraherentur, Hugoni *le Despenser* iuniori Rex hoc *Manerium* elargitus est.

Dunnington.

Orientalem agri partem, quæ collina est, & numerosos pascit ouium greges, exornârunt celebrioris notæ duo præcipua loca, VERNOMETVM, siue VEROMETVM cuius meminit Antoninus, & *Burton Lazers* superioribus sæculis admodum celebre.

VERNOMETVM, nomine nunc deperdito, eò loci sedisse videtur, quem hodie *Burrowhill* & *Erd-burrow* vocitant. Inter VEROMETVM enim & RATAS XII. interiacent apud Antoninum milliaria, totidemque ferè inter *Leicestriam*, & hunc locum. Hodiernum etiam nomen *Burrow* à Buрȝh promanauit, quod Saxonibus loca munita denotauit. Sed quod maximum est, eo ipso loco collis vndique præceps nisi ad Euroaustrum attollitur, in cuius summo, opidi diruti manifesta sunt vestigia, duplex fossa, & ipsorum mœnium tractus, quæ octodecim plùs minùs iugera incluserunt. Nunc autem ager est restibilis, & re nulla æquè celebris, quàm quòd hic gymnica quotannis exerceat iuuentus circumuicina. Magnum aliquod Gentilium Deorum fanum extitisse eo loci ex nomine quis coniectet. VERNOMETVM enim antiqua Gallorum lingua, quæ eadem fuit cum antiqua Britannorum, sonat *Fanum ingens*, vt planè docet de Vernometo Gallię opido his versibus Venantius Fortunatus Libro Carminum primo.

Vernometum siue Verometum.

Vernometum antiqua Gallorum lingua quid.

Nomine Vernometum voluit vocitare vetustas,
Quod quasi fanum ingens Gallica lingua sonat.

Burton autem cognominatum *Lazers*, a Lazaretis (sic Elephantiacos, siue leprosos vocarunt) Nosocomium erat, siue Hospitium opulentum, cuius præfecto omnes Lazaretorum in Anglia ædiculæ quodammodo suberant, vt ille præposito Lazaretorum Hierosolymis. Primis Normannorum temporibus collecta per Angliam stipe (*Mowbrays* præcipuam opem ferentibus) constructum ferunt. Quo tempore lepra, quę nonnullis Elephantiasis grauissimè vi contagionis per Angliam serpsit. Tunc enim creditum est morbum illum primum ex Ægypto in hanc insulam demigrâsse, qui subinde se in Europam profudit, primùm Pompeij Magni ætate, postea sub Heraclio, & aliàs, vt ex historijs videre liceat, sed nunquam quod legerim, ante illa tempora, in hanc insulam irrepsit. Verùm præter hæc celebriora loca, omittenda non est prope hanc *Burton*, *Melton Mowbray* forum à *Mowbrays* olim Dominis denominatum, vbi nihil magis conspiciendum

Burton Lazers.

Lepra in Anglia.

Melton.

Skeffington.

ciendum quàm templum speciosum, & remotiùs ad Austrum *Skeffington*, quæ vt claræ familiæ nomen impertijt, ita vicissim ab illa claritatem accepit.

Comites Leicestriæ.

Comitibus suis viris longe clarissimis insignis semper erat hęc Leicestrensis prouincia. Cúmq; hęreditarios habuerit Saxonico tempore Comites, eos sua serie primum enumerabo, vt Thomas *Talbot* rei antiquarię peritissimus e regijs archiuis mihi descripsit. Æthelbaldi Merciorum Regis tempore Anno nostrę Salutis restauratę DCCXVI. Leofricus Leicestrię Comes erat, cui recta linea successerunt Algarus primus, Algarus secundus, Leofricus secundus, Leofstanus, Leofricus tertius qui Conuentrię sepultus, Algarus tertius, cuius filij fuerunt Eadwinus Comes Marchię, Morkarus Comes Northhumbrię, & Lucia filia quę primò Iuoni *Talboys* Andegauensi enupta, postea Rogero de *Romara* vnde Guilielmus de *Romara* Lincolniensis Comes enatus est. Tunc deficiente huius Saxonicæ familię stirpe mascula, Saxonicoq; nomine quasi conculcato, Robertus de *Bellomonte* Normannus, Dominus de *Ponte Andomari*, & Comes *Mellenti* mortuo Simone Comite Leicestriæ, eius Comitatum adeptus est anno Christi MCII. beneficio Regis Henrici Primi, *vir scientia clarus, eloquio blandus, astutia perspicax, prudentia sagax, ingenio versipellis, qui cùm in summo statu gloriæ degeret, alius quispiam Comes ei coniugem abripuit. Vnde in senectute mente turbatus in tenebras mæroris incidit.* Huic successerunt filius cognomento *Bossu*, nepos cognomento *Blanchemaines*, & pronepos *Fitz-Parnell*, omnes prænomine Roberti. Quorum postremus iste *Fitz-Parnell* à Petronilla siue Parnella matre, vltimi Hugonis *Grantmaismill* filia, & cohærede cognominatus, sine prole obijt. Paucis post interiectis annis Simon de *Monteforti* ex notho Roberti Regis Francorum oriundus, qui Roberti *Fitz-Parnell* sororem duxerat hunc honorem gessit. Verùm illo cum suis expulso Anno MCC. hunc honorem consequutus est Ranulphus Comes Cestriæ, non iure hęreditario, sed Principis gratia. Postea tamen Simon de *Monteforti* filius Simonis prædicti hanc dignitatem adeptus est, cùm Almaricus frater eius primogenitus iure suo coram Henrico Tertio cessisset. In hunc tanta, & tam secunda erat Regis Henrici Tertij voluntas, vt illum exulantem è Gallijs vocarit, opibus cumularit, Comitatu Leicestriæ, & sororis nuptijs honorârit; ille autem cùm beneficijs obrutus, nullam referendæ gratiæ facultatem haberet (quæ hominum improbitas est) odisse cœpit, Regem optimè meritum pessimè diuexauit, cúmque seditiosis Baronibus horrendas intestini belli tempestates excitauit, in quibus ipse tandem cecidit. Honores verò & possessiones Edmundus dictus *Gibbosus* Lancastriæ Comes Henrici Tertij filius minor à patre victore accepit. Deinceps verò inter Lancastrensis familiæ titulos diu quasi delituit hic honor, Matildisque Henrici Ducis Lancastriæ filia Guilielmo Bauaro Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, &c. Comiti enupta, Leicestriæ etiam titulum adiunxit, disertè enim in Charta Anni XXXV. Edwardi Tertij vocatur *Guil. Comes de Henhaud & Leicester*, & vt est in *Inquisitione* XXXVI. Edwardi Tertij illa nomine Ducissę Bauariæ *tenuit Castrum, Manerium, & honorem Leicestriæ*. Quà postea sine prole defuncta, reuersus est ille *Honor* ad Ioannem Gandauensem Lancastriæ Ducem qui Blanchiam alteram Matildis sororem duxerat. Iam inde Lancastrensi familiæ coaluit, donec nostra memoria, in illo Roberto *Dudley* resplenduit, quem Leicestrensis Comitatus gladio, anno sui regni sexto cinxit Regina ELIZABETHA, Belgica diuturna bellorum tempestate iactata ad gubernacula tractanda communibus votis vocauit, pauloque post neglexit, quiq; MDLXXXVIII. vitam cum morte commutauit.

Margin notes: Henrici Huntingdon. in Epist. de contemptu mundi verba. — Rotul. in Thes. Scaccarij. — Matt. Paris. — Vide *Fowl-ham* in *Worcestershire*. — In Registro magno Ducatus Lancastriæ.

Intra hunc agrum sunt Parochiales Ecclesiæ 200.

RVTLAND-

RVTLANDIÆ

Omnium in Anglia Comitatu:
um minimus Pars olim.
CORITANORVM.

NOMINA HVNDREDORVM
IN COMITATV RVTLANDIÆ

1 Okham . Hundred
2 Als towe Hundred
3 Martinsley Hundred
4 Wrandick. Hundred
5 East Hundred



RVTLAND-SHIRE.



Vtland, Saxonicè Roτelanδ, Leicestrensi agro quasi includitur, nisi à Meridie quà *Wellando* flu. incumbit, & ab Ortu quà Lincolnienses attingit: non minori soli vbertate, & amœnitate, licèt spatio sit multò minori, vtpote totius Angliæ prouinciola minima. Forma enim ferè circulari circumscripta tantum circuitu colligit, quantum expeditus eques vno die conficere possit. Vnde fabulantur incolæ Regem nescio quem Rutto cuidam tantum terræ donâsse, quantum vno die circumequitare posset: illum autem equitem hunc agrum præfinito tempore circumequitâsse, & inde dono accepisse, suúmque ipsius nomen imposuisse. Sed facessant huiusmodi fabulæ, nolumus fabulæ licentiâ veritatem vulnerari. Quum verò passim rubeat hæc terra, vsque adeò vt etiam ouium vellera rubedine inficiantur, rubrúmque Saxonibus *Roet*, & *Rud* dictum fuerit, nonne *Rutland* quasi *terra rubra*, nominatam suspicemur? *Conueniunt rebus*, vt inquit Poeta, *nomina sæpè suis*. Nomina autem locis vbique gentium à rubedine facta fuisse *Rutlan* castrum Walliæ in rufescente littore extructum, *Rubrum promontorium*, *Mare Rubrum* inter Ægyptum & Arabiam, *Erytheia* Ioniæ, & sexcenta alia satis supérque probent: vt non sit cur deinceps fabulis hac in re fidem adhibeamus. Cæterùm hæc prouinciola seriùs in Comitatum instituta videatur. Nam Edwardi Confessoris tempore Northantonensis agri pars censebatur, & historici nostri qui ante trecentos annos scripserunt, in Comitatuum numero non reposuerunt. Rutlandiæ vnde nomen.

Wash, siue *Gwash* fluuiolus, qui hunc agrum ab Occasu in Ortum quasi medium intermeat, in duas dispescit partes. In citeriori siue Australi *Vppingham* accliui loco sedet, vnde & nomen inditum, non ob aliud memorandum, quàm quòd frequens habeatur mercatus, & scholam elegantem ostendat, quam, vti etiam aliam *Okehamiæ*, ad puerorum ingenia bonis literis excolenda laudabili instituto R. *Ihonson* verbi diuini Minister ex collatitia stipe nuper posuit. Sub hoc verò *Dry Stoke* subsidet quod non reticendum, cùm claræ, & antiquæ sanè prosapiæ *Digbeiorum* habitatio antiqua fuerit. Sed cui sempiternam infamiæ maculam iam inussit Euerardus *Digby* qui cum nefandissimis illis incendiarijs ad Principem, & patriam vno Tartarei fulminis ictu tollendum horrenda consilia sceleratè sociauit. Vppingham. Digby. 1605.

In vlteriori parte trans fluuium inter colles amœna admodum & fœcunda vallis substernitur, *The Vale of Catmose* hodiè dicunt, à *Coet maes* forsitan, quod Britannicè *campum nemorosum* sonat. In huius medio *Okeham* cernitur, quod pari etiam ratione à quercubus nomen assumpsisse videatur, vbi iuxta templum fatiscentia mœnia vetusti castri supersunt, quod Walkelinum de *Ferrarijs* primis Normannorum temporibus extruxisse fama obtinet. *Ferrariorum* autem fuisse habitationem præter famam, ferreæ equorum soleæ quibus pro insignibus olim vsa erat illa familia, portæ, & in aula affixæ satis apertè comprobent. Posteà ad Dominos de *Tatteshall* spectauit, sed cùm Rex Richardus Secundus Edwardum Ducis Eboracensis filium in Rutlandiæ Comitem euexerat, hoc etiam castrum eidem donauit. Patrum verò memoriâ obtigit Thomæ *Cromwell* in sedem, vt legi, Baroniæ, quem ad altissimam dignitatem Henricus Octauus extulit, & statim cùm in inuidiarum procellas multa moliendo se coniecisset, ex improuiso & vita, & honore spoliauit. Okeham. Cromwelli Barones.

E regione ad Ortum valli bellissimo situ impendent *Burly* nunc *Haringtoniorum* ædes magnificæ, qui ex nuptijs cum filia & hærede *Colpeperi*, hæreditatem adeò opulentam adierunt, vt his in locis iam inde fuerint florentissimi, quemadmodum anteà *Colpeperi*, ad quos *Brusaeorum* opimum per N. *Green* patrimonium partim descenderat. *Brusai* verò è præcipua Angliæ nobilitate nuptijs in familiam regiam Scotiæ inserti fuerunt, è quibus per Robertum fratrem natu maximum stirps regia Scotorum, per Bernardum autem fratrem minorem *Cottoni* de *Connington* in Comitatu Huntingdoniæ, de quibus egimus, & hi *Harringtonij* descenderunt. Quo nomine Ioannem *Harrington* Equitem clarissimum titulo Baronis *Harrington* de *Exton* Iacobus Rex exornauit. Burly. Baro Harrington.

In Orientali autem parte ad *Guash* flu. sunt *Brigcasterton*, de quo posteà, & *Riball*, vbi cùm maiores nostros ita fascinâsset superstitio, vt Deorum multitudine Deum verum propemodum sustulisset, Tibba minorum gentium Sancta, quasi Diana ab aucupibus, vtique rei accipitrariæ præses, colebatur. Atque in proximo *Essenden*, cuius dominum Robertum *Cecilium* optimi patris qui Reip. nostræ firmamentum fuit, optimum filium Baronem *Cecill de Essenden* Rex Iacobus nuper creauit.

Aucupij Diua.

Baro Cecill de Essenden.

Hanc prouinciolam Eadithæ vxori testamento legauit Edwardus Confessor, ea tamen lege, vt post eius mortem S. Petro Westmonast. cederet. Hæc enim testamenti sunt verba. *Volò quòd post mortem Eadgitha regina coniugis meæ*, Roteland *cum omnibus ad se pertinentibus detur monasterio meo beatissimi Petri, & reddatur sine tardatione Abbati & monachis ibidem Deo seruientibus in perpetuum.* Hoc tamen eius testamentum induxit Guilielmus Normannus, qui magna parte sibi reseruata, reliquam inter Iuditham Comitissam, cuius filia Dauidi Scotorum Regi nupsit, Robertum *Mallet*, Ogerium, Gislebertum de *Gant*, Hugonem Comitem, Albericum *Clericum*, aliósque diuisit. Westmonasterio verò primùm decimas, posteà solam Ecclesiam de *Okeham* cum appendicibus reliquit.

Rutlandiæ Comites.

Comites numerat non multos hic Comitatus. Primus Rotelandiæ Comes erat Edw. filius primogenitus Edm. de *Langley* Ducis Eboracensis propensâ Regis Richardi Secundi gratia ad vitam patris creatus, & ab eodem posteà Rege Dux Albemarlæ declaratus. Ille scilicet qui consilia nefaria de tollendo Rege Henrico Quarto non sine scelere decoxit, & illicò pari cum leuitate aperuit. Post patris autem obitum Dux Eboraci, inter densissimas hostium turmas in prælio Agincortensi animosè occubuit. In hoc honore satis longo pòst tempore successit Edwardus Richardi Ducis Eboracensis filiolus qui in prælio ad *Wakefield* bello intestino funestissimè exardente, cum patre interemptus. Multis post annis Henricus Octauus Thomam *Mannours* in Rutlandię Comitem extulit, qui amplissimam Baronum *Roos* hæreditatem in circumuicinis regionibus iure Æleonoræ auiæ creuerat. Huic successit Henricus, & illi itidem Edwardus filius, in quem, vt nihil aliud dicam, illud Poetæ verissimè & optimè conuenit.

Nomen virtutibus æquat,
Nec sinit ingenium nobilitate premi.

Verùm ille præpropera morte in cœlestem regionem receptus Ioanni fratri honorem reliquit, qui etiam statim fato euocatus successorem habet filium Rogerum, qui auitę nobilitatis iam specimen insigne præbet.

Ecclesijs Parochialibus 48. *ornatur hæc Prouinciola.*

LINCOLN-

Bbb 2



PARTE
OF
YORKE
SHIRE
Howdon
Hull
ABVS ÆSTVARIVM
Humber
Barton
Burton
The ile of
AXHOLME
Glanforde bridge
Lymbergh magna
Grimsbye
Kirton in lyndsey
Louth
Gainburgh
LINDE SEY
Retford
Lytleburgh
PARTE
Warsop
OF
NOTINGHAME
SHIRE
LINDVM
Lyncolne
KESTEVEN
Beckingham
Newark
Sleforde
Tatershall
Bosten
Dunnington
Grantham
Fokingham
Spalding
Borne
Crowland
PARTE
OF LECESTER
SHIRE
PARTE OF
RVTLAND
SHIRE
Stanford
Merketdeping
PARTE OF
NORTHHAMTON SHI

LINCOLNIÆ

Comitatus vbi olim insederunt CORITANI





Torrington
Crosken
Walpole
Walton
Lyn

PARTE OF NORTHFOLKE

LINCOLNE-SHIRE.



R Vtlandiæ ad Ortum adnectitur Comitatus Lincolniensis, Saxonicè Lincollyscype, Normannis sub primum ingressum literis transpositis. *Nicolshire*, vulgò *Lincolnshire*. Regio amplissima, per sexaginta ferè milliaria in longitudine iacet, Latitudinem alicubi super triginta extendit, alendis frugibus, pascendis pecoribus mitissima, frequentibus opidis exculta, & crebris fluminibus rigata. Quà solem Orientem spectat, supercilio longè circumducto inflexa Oceano Germanico pulsatur, à Septentrione ad ABVM, siue *Humbor* æstuarium pertinet, ab Occasu Nottinghamienses spectat, & à Meridie *Wellando* flumine à Northantoniensibus discluditur. Hæc omnis in tres diuiditur partes, quarum vnam *Holland*, alteram *Kesteuen*, tertiam nostra lingua appellamus *Lindsey*.

Hollandia. *Hollandia*, Ingulpho *Hoilandia*, ad mare est, & perinde vt Hollandia Germaniæ, aquis ita plurimis in locis permadet, vt pressa hauriat vestigium, & pedum pulsu tentata quatiatur; vnde nomen inditum videatur, nisi quis malit cum Ingulpho *Hoilandiam* verum esse nomen, & illud à fœno impositum. Hæc tota Æstuario illi incumbit, quod Ptolemæo METARIS, pro *Maltraith*, dicitur, hodie *The Washes*. Æstuarium hoc est amplissimum & notissimum, intumescente æstu aquis offertum, deferuescente, iter sed admodum periculosum præbet, quod Ioannes Rex suo damno didicit. Dum enim bello Baronico hàc iter faceret, subitò irruentibus vndis, ad *Fosse-dyle* & *Welstreame* omnia impedimenta, & regium apparatum amisit, vt author est Matthæus Westmonasteriensis. Cæterùm hæc regio quam ex aggestis arenis (*Silt* vocant) Oceanum donâsse ferunt incolæ, hinc Oceano, illinc magna confluentium aquarum mole ex superioribus regionibus ita oppugnatur, vt hibernis mensibus perpetuas agant excubias, & contra hos infestissimos hostes se obiectis aggeribus ægrè tueantur. Terra frugum parùm ferax, gramine læta, piscibus & aquaticis volatilibus vberrima; solum verò adeò molle, vt equis sine ferreis soleis vtantur, nec lapillum nisi aliunde aduectum inuenias, cùm tamen pulcherrimas è saxo quadrato habeat ecclesias. Mare longiùs penetrasse ex aggeribus contra irruentes fluctus iam duob. mill. pass. a littore distantibus, & salsis, quos vocant collibus prope *Sutterton* constat. Dulcium verò aquarum maximus vbique defectus, nec nisi ex pluuia in puteis habent, qui si fuerint profundiores statim salsescunt, si minùs profundi, statim exarescunt. Nec arenæ Syrticæ desunt quas attrahendi & constringendi vim admirandam habere & pastores & ouiculæ subinde suo cum periculo sentiunt.

Metaris æstuarium. The Washes. — *Salt-hils.* — *Quicksands.*

Bifariam diuiditur hæc *Hoilandia*, in Inferiorem, & Superiorem: Inferior quæ lutulentas voragines, & impeditissimas paludes, ne ipsis quidem incolis cum suis grallis peruias, habet. Et cùm situ sit depressior hinc tam contra Oceanum, illinc contra aquas quæ superiorem Eliensis insulæ partem opprimunt, oppositis aggerum molibus defenditur. E quibus celeberrimus est *Southy banke* qui ne interrumpatur immensa illa vi aquarum quæ ab australi parte cùm flumina intumescant, & immisso diluuio obruantur, sollicito timore curant. Ad quas tamen exonerandas publico sumptu alueum ad *Clows-crosse* nouum vicini anno CIƆDXCIX. incœperunt. Iuxta hunc aggerem vidimus *Crowland*, quæ etiam *Croylandia* dicta, opidum inter paludicolas celebre, cuius nomen sonat, interprete Ingulpho huius Abbate, *Cruda & cœnosa terra*. Locus (vt scribunt) obuersantium nescio quarum vmbrarum terriculamentis olim infestus, priusquam Guthlacus vir summa sanctitate heremeticam vitam illuc duxisset, in cuius memoriam ad honorem Dei anno Salutis DCCXVI. maximis impensis monasterium fundauit Rex Merciorum Æthelbaldus, religione & opibus admodum illustre. De quo, Fœlicis Monachi satis antiqui versiculos è Guthlaci vita, si placet habe.

Southy-dike, alijs. — *Crowland.*

Nunc exercet ibi se munificentia regis,
Et magnum templum magno molimine condit.
At cum tam mollis, tam lubrica, tam male constans
Fundamenta palus non ferret saxea, pales

Præcipit

Præcipit insigi querciuo robore cæsos,
Leucarumque nouem spatio rate fertur arena;
Inque solum mutatur humus, suffultaque tali
Cella basi, multo stat consummata labore.

Si dæmonas Crowlandicos labijs pendentibus, ore igniuomo, vultu squamoso, vertice grosso, dente fero, mento peracuto, gutture rauco, pelle nigra, scapulis contractis, ventre capaci, lumbis ardentibus, vncis cruribus, clunibus caudatis, &c. qui his locis antea oberrabant, & plurimum molestiæ Guthlaco, & Monachis facessebant, ex illo tibi describerem, tu certè suauiter rideres, ast ego certè multò suauiùs insanire viderer. Veruntamen pro admirando huius loci situ & ingenio à cæteris Angliæ omninò diuerso & pro celebritate monasterij libet his describendis paulisper immorari. Inter altissimas paludes & restagnantes ex cœnosa humo aquas ab omni aditu ita interclusa & circumcisa *Crowlandia* iacet, vt inaccessa sit nisi a Septentrione, & Ortu, idque per angustos aggeres. Venetiarum, si parua magnis conferre liceat, situm assimilem habet, tribus constat plateis quæ aquis intercurrentibus diuisæ, salicibus consitæ, palisque in profundum stagnum demissis extructæ, & coniunctæ ponte triangulari admirando artificio, sub quo ad confluentes aquas suscipiendas puteum in magnam altitudinem adactum retulerunt incolæ. Vbi vltra pontem in solum, vt inquit ille, *mutatur humus*, sedit olim Monasterium illud celebre spatio sanè angustiori, circa quod nisi quà opidum iacet, ita paludescit vt contus ad tricesimum pedem adigatur, & nihil plane sit circumquaque, nisi harundinetum; proximeque ecclesiam alnetum. Incolis tamen satis frequens, qui sua habent pecora remotiùs ab opido, ad quæ emulgenda cymbulis quæ tantùm duobus ferendis pares (*Skerries* vocant) deuehuntur, sed quæstum maximum faciunt ex piscium & auium aquatilium captura, quæ tanta est, vt mense Augusto in vnum rete expansum semel simulque tria millia anatum cogant, & lacunas suas suos agros vocitent. Fruges enim intra quintum milliare non vident. Nomine autem huius capturæ piscium & volatilium CCC. libras singulis annis monetæ nostræ, vt nunc Regi, ita olim Abbati persoluerunt. Dæmones Crowlandici.

Priuatam huius Monasterij historiolam retexere non libet, cùm ex Ingulpho iam ædito vulgò prostet. Iuuat tamen pauculis memorare quod Petrus Blesensis Regis Henrici Secundi Vicecancellarius olim pluribus de noua huius monasterij constructione Anno reparatæ Salut. MCXII. retulit, vt ex vno discamus exemplo quibus rationibus & subsidijs tantæ & tam splendidę sacrorum ædificiorum moles passim consurrexerint. Ioffridus Abbas ab Archiepiscopis & Episcopis Angliæ *Indulgentiam tertiæ partis pœnitentiæ pro commissis iniunctæ cuilibet tam sancti operis adiutori* impetrauit. Cùm hac Monachos circumquaque dimisit qui pecuniam colligerent, à qua cùm satis esset instructus, vt auspicatò à faustis nominibus opus inchoaret, diem S. Perpetuæ & Fœlicitatis quo fundamenta locaret, indixit. Ad quem proceres, & præsules cum plebeijs maximo numero confluxerunt. Re verò sacra peracta & antiphonis modulatis, primum lapidem angularem ad Orientem ipse posuit, deinde singuli proceres suo ordine lapides posuerunt, & super lapides alij pecuniam, alij Syngrapha imposuerunt quibus prædia, titulos patronatus Ecclesiarum, decimas ouium suarum, decimas Ecclesiarum suarum, mensuras tritici, operarios siue lapicidas certo numero, Plebeiorum alij verò pecuniam, alij vno die singulis mensibus operas suas donec opus perficeretur, alij columnas integras, alij columnarum bases, alij murorum partes construere certatim alacri deuotione offerebant. Laudataque pro concione eorum in tam sacrum opus propensa benignitate, Abbas singulis Monasterij sui fraternitatem, & *omnium spiritualium bonorum* in illa ecclesia communionem concessit, lautissimoque conuiuio exceptis benedixit, & hilares ad suos demisit. Sed non diutiùs his immorandum.

A Crowlandia agger salicibus conuestitus inter *Wellandum* fl. & profundos mariscos in Septentriones ducit, in quo ad secundum à *Crowlandia* milliare fragmentum pyramidis vidimus cum hac inscriptione.

AIO HANC
PETRAM
GVTHLACVS
HABET SI-
BI METAM.

Spalding. Superiùs ad eundem fluuium *Spalding* sedet riuulis & incilibus vndique conclusum, opidum sanà elegantius quàm hoc tractu inter aquosas restagnationes expectares, vbi Iuo *Talbois* quem Comitem Andegauensem alibi vocat Ingulphus, cellam antiquam monachis Andegauensibus dedit. Hinc vsque ad *Deping*, quæ decem milliaribus abest, Egelricus Crowlandiæ Abbas, qui posteà Episcopus Dunelmensis, *per medium vastissimæ Forrestæ, & profundissimorum mariscorum*, vt inquit Ingulphus, *de lignis, & sabulo calcetum solidum viatoribus fecit, quod ex eius nomine Elrich-road nominatum erat.* Quod tamen hodie non apparet.

Boston. In superiori *Hoilandia*, quæ magis ad Arctum vergit primùm *Kirk-ton* ab ecclesia quæ sanè perpulchra ita nominata visitur, & deinde vbi *Withama* flu. aggeribus vtrinque conclusis pleno alueo in Oceanum exit, floret *Boston*, rectiùs *Botolphs towne*. A Botolpho enim Saxone sanctissimo qui ad *Icanhoe*, teste Beda, monasterium habuit, nomen deportauit. Opidum celebre vtraque *Withama* ripa positum qui ligneo ponte, eoque sublimi sternitur, portus non incommodi beneficio satis frequens, forum amplum, & ecclesia sua venustate & magnitudine speciosa, cuius turris sacra in eximiam altitudinem ædita itinerantes longè quasi salutat, & nauigantes dirigit. In miserandam, regnante Edwardo Primo, hoc concidit ruinam. Serpentibus enim eo tempore per vniuersam Angliam perditis moribus, militares quidam viri, nundinis frequentibus hastiludium hic indicentes, ementito monachorum, & Canonicorum habitu accesserunt, ignem opido plurimis in locis subiecerunt, præcipiti impetu in mercatores irruerunt, multa rapuerunt, plura cremauerunt, adeò vt nostri historici, auri argentique venas (quod de Corintho deleta scribunt antiqui) in commune tunc fluxisse scripserint. Horum antesignanus Robertus *Chamberlan* cum facinus commissum, & dedecus admissum confessus esset, suspendio perijt: nec tamen vt criminis consortes deferret, vllo modo adduci potuit. Sed meliora tempora Botolphi opidum ex cineribus denuo excitàrunt, & mercatus ille lanarum &c. quem *Wollestaple* vocant, hìc constitutus plurimùm ditauit, Hanseaticæque societatis mercatores attraxit, qui hìc suam *Gildam*, siue domum constituerunt. Hodie & ædificijs elegans, & commercijs diues est, incolæ enim tùm mercaturæ, tùm rei saginariæ strenuè incumbunt. Huic vicina erat *Baronia de Croeun*, siue *Credonio*, è qua familia Alanus de *Croeun* Prioratum de *Freston* posuit, tandemque familiæ hæres Petronilla quę bis nupta, primùm ad *Longocampos*, à quo *Pedwardini*, secundò ad I. de *Vallibus* à quo Barones de *Roos* sunt procreati, hæreditatem non exiguam transtulit. Vltra vix ad sex milliaria extenditur Hoilandia nostra, quam vniuersam Guilielmi Primi largitione accepit Yuo *Talbois* Andegauensis, cuius insolentiam non ferens Herwardus Anglus vir spei bonæ, atque acris animi plenus, filius Leofrici Domini de *Brane*, siue *Burne*, cùm sua, & suorum salus iam ageretur, baltheo militari à Branno Petroburgensi Abbate, cuius stomachus in Normannos etiam eruperat, cinctus, bellum in illum mouit, sæpiùs fudit; demumque captiuum abduxit, & ita redimi passus est, vt ipse in regis gratiam receptus in eius fide, & clientela diem obierit. Hoc enim meruit virtus, quæ & in hoste laudatur. Filia autem eius Hugoni *Enermuæ* Domino *Depingi* enupta eius hæreditatem adijt, quæ postea, vt accepimus, ad Barones de *Wake* deuoluta erat. *Wakorum* enim familia ditata possessionibus *Estoteuillorum* hoc in tractu vsque ad Edwardi Secundi tempora inprimis illustris erat: tunc etenim per fœminei sexus hæredem nuptiarum iure ad Cantij Comitem Edmundum de *Woodstocke* filium Regis Edwardi Primi natu minimum eorum hæreditas deuoluta est. E filijs autem iunioribus antiqua & præclara familia *Wakorum* de *Blisworth* in Comitatu Northantoniensi, quæ adhuc superstes, est propagata.

Prædones monachorum habitu.

Regiftr. de Freston. Barones de Burton Croeune. Herwardus Anglus.

Ingulphus Crowlandensis.

Barones de Wake.

Kesteuen. Altera pars huius regionis vulgò *Kesteuen*, Æthelwardo antiquo authori *Ceostefne sylua* vocatur, *Hoilandia* ab Occasu adiacens cœlo multò salubriori, & solo non minùs pingui.

pingui. Maior hæc est, & pluribus vndique enitet opidis. In limine ad *Wellandum* fluuium *Stanford* sedet, Saxonicè Stean-ford, è saxo structili, vnde & nomen, ædificatum. Stanford. Opidum frequens & varijs immunitatibus ornatum, muroque firmatum, *Geldum*, vt est in libro Censuali, *pro duodecim Hundredis, & dimidio dedit in exercitu, nauigio, & Danegeld, ibique fuerunt sex custodiæ.* Cùm Edwardus Senior australes fluminum ripas contra Danos ex Aquilone irruentes communiret, è regione etiam huius in australi ripa (quæ nunc *Stanford Baron* vocatur) firmissimam arcem construxisse, author est Marianus. Vide Burghley in Comitatu Northampt. Nusquam tamen hodie apparet, nam quod intestino bello Stephanus contra Henricum Andegauensem firmauit, in ipso opido fuisse, & fama obtinet, & ipsius area etiamnum ostendit. Statim verò Henricus ille cùm iam Rex esset Angliæ, dedit *totam villatam de* Stanford *quæ erat in dominico suo, exceptis feodis Baronum & Militum eiusdem villæ, Richardo de* Humez *siue* Humetz *qui Constabularius erat D. Regis, pro homagio & seruitio suo.* Liber Inq. in Scaccario. Eandemque postea *tenuit Guilielmus Comes Warrenæ per voluntatem Regis Ioannis.* Regnante Edwardo Tertio cœpta hîc Academia, & bonarum literarum professio, quod suæ gloriæ inprimis ducunt ciues. Cùm enim Oxoniæ inter studiosos Boreales & Australes omnia litibus feruerent, magnus studiosorum numerus huc concessit, paulò tamen post Oxoniam reuersi Academiæ huic orienti, vt initium, ita finem citò posuerunt: cautúmque deinceps iureiurando, ne quis Oxoniensis publicè Stanfordiæ profiteretur. Academia Stanfordię incœpta. Nihilominùs illa mercimonijs floruit, donec ardente inter familiam Lancastrensem & Eboracensem ciuili bello, Boreales milites irrumpentes cædibus, & incendijs omnia miscuerint. Nec inde verò dignitatem pristinam plenè recuperare potuit. Satisque tamen iam floret, Politia verò constat ex *Aldermano* & XXIIII. *Comburgensibus*, ecclesijs parochialibus plùs minùs septem ornatur, & *Hospitale* ostendit vetus, idque pulcherrimum à Guil. *Brown* ciue fundatum, præter illud nouum cis pontem à Nestore Britanniæ Guil. Cecilio Barone Burghleio nuper extructum, cùm magnificas illas ædes ad *Burghley*, de quibus iam dixi in Comitatu Northantonensi, poneret. Qui hic splendido sepulchro in Parochiali S. Georgij ecclesia conditur. Vir, vt nihil aliud dicam, qui satis naturæ, satis gloriæ, patriæ autem haud satis vixit.

Licèt nonnulla antiquitatis indicia hîc supersint, traiectúmque olim fuisse * via militaris Romanorum, quæ statim te ex opido in Boream proficiscentem excipit, satis declaret: GAVSENNAS tamen quas non procul hinc statuit Antoninus, fuisse, fidem non faciunt. *High dike, vulgò dicta. Gausennæ. Sed quum ad vnum hinc milliare sit viculus *Brigcasterton*, quo vel nomine vetustatis nomen apparet, qua *Guash*, siue *Wash* fl. militarem viam transuersam secat, affinitas nominis *Gwash* cum *Gausennis*, distantia non refragante, iussit vt illas *Brigcasterton* dici existimem, donec tempus veritatem in lucem extrahat. Bridgcasterton. Si opiner *Stanfordiam* ex huius ruinis emersisse, & hanc agri partem à GAVSENNIS *Kesteuen* dici, vt altera pars *Lindsey* a *Lindo* ciuitate, sit quæso opinio mea, iudicium vestrum, has *Gausennas* corruisse creditur, cùm (vt habet Henricus Archidiaconus Huntingdonensis) Picti & Scoti omnem regionem ad *Stanfordiam* vsque diripuissent, vbi Hengistus noster cum suis Anglo-Saxonibus indefessa vi, & eximia fortitudine furentibus barbaris ita iter occlusit, vt plurimis peremptis, pluribus captis, reliqui fugam vndiq; capesserent. Sed ad reliqua pergamus.

In Orientali Kesteuenæ parte quæ ad *Hoilandiam* vergit, tendentibus in Boream ordine succedunt, primum *Deping*, id est, vt author est Ingulphus, Profundum pratum, *vbi Richardus de* Rulos *Guilielmi* Conquestoris *Camerarius Weilondum flumen fossato excludens quod sæpe inundauit, & ædificans super fossatum plurima tenementa, magnam villam fecit.* Deping. Deping fenns. Hoc *Deping*, siue profundum pratum appositè sanè dictum, planities enim quæ subiacet, & plura milliaria ambitu colligit, totius palustris huius regionis est profundissima, & conceptaculum plurimarum aquarum. Quodq; mireris multò inferior alueo *Gleni* fl. qui suis aggeribus incinctus ab Occasu præterlabitur. Deinde *Burne* Edmundi Regis inauguratione & *Wakorum* castro notum, qui ab Edwardo Primo mercatus iura huic opido obtinuerunt. Burne. Magis ad Ortum est *Irnham* Baronia olim Andreæ *Lutterell*. Posteà *Sempringham*, nunc perpulchris ędibus quas Edwardus Baro *Clinton*, qui postea Comes Lincolniæ extruxit, olim religioso ordine Gilbertinorum a Gilberto loci Domino instituto celebre, ille enim vir *plane mirabilis*, vt scribunt, *& in custodia mulierum gratia* Lutterell. Sempringham.

 singularis,

singularis, Anno a Christo nato MCXLVIII. contra Iustiniani constitutiones, quę duplicia monasteria, id est, virorum simul & mulierum vetabant, verùm Eugenij tertij Pontificis Romani authoritate munitus, ex viris & mulieribus sectam instituit, quæ ita excreuit, vt ipse tredecim cœnobiorum huius ordinis fundamenta iecerit, & Gilbertinos fratres DCC. sorores MC. in suis cœnobijs viuus habuerit, verùm pudicitiæ dubiæ. Si Nigello eius æui Satyrico credamus, qui de ijs cecinit.

Gilbertini fratres & sorores.
Scropus.

Harum sunt quadam steriles, quadam parientes,
Virgineoque tamen nomine cuncta tegunt.
Quæ pastoralis baculi dotatur honore,
Illa quidem meliùs, fertiliúsque parit.
Vix etiam quæuis sterilis reperitur in illis,
Donec eis ætas talia posse neget.

Domin' de Folkingham.

Inde *Folkingham* quod nunc etiam *Clintonorum*, olim Baronia *Gauntorum*, qui a Gilberto de *Gandauo Gaunt* nepote Baldwini Comitis Flandriæ sunt prognati, cui magni reditus munificentia Guilielmi *Conquestoris* obtigerunt, *Memorandum*, sic enim legitur in veteri libro manuscripto, *quòd cum Guilielmo* Conquestore *venit quidam Gilbertus de* Gaunt, *cui dictus Guilielmus dedit* Manerium de Folkingham *cum suis pertinentijs & honore eidem pertinenti, & expulerunt quandam mulierem nomine Dunmoch. De dicto Gilberto venit quidam Walterus de Gaunt filius & hæres, & de dicto Waltero venit Gilbertus de Gaunt filius & hæres, & Robertus de Gaunt filius iunior. Et de dicto Gilberto filio & hærede venit Alicia filia & hæres quæ fuit desponsata Simoni Comiti quæ dedit plura tenementa viris religiosis, & obijt sine hærede de se. Et hæreditas descendit Roberto de Gaunt prædicto auunculo suo, & de prædicto Roberto venit Gilbertus filius & hæres, & de prædicto venit alius Gilbertus filius & hæres, & de prædicto venit alius Gilbertus filius & hæres qui dedit* Manerium de Folkingham *cum suis pertinentijs Edwardo filio Henrici Regis Angliæ.* Hic Gilbertus, vt est in *Placitis* è quibus hæc Genealogia probatur, *petijt seruitium versus Will. de Scremby.* Demúmque ex dono principis accepit Henricus de *Bellomonte*, illum enim regnante Edwardo Secundo tenuisse certissimum. Huic vicinum est *Skrekingham* Alfrici secundi Leicestrensis Comitis fato signatum, quem Hubba Danus interfecit. De quo loco videtur Ingulphus loqui, cùm scribit *In Kesteuen cæsi sunt tres reguli Danorum quos sepelierunt in villa quæ ante* Laundon, *nunc vero pro trium regum sepultura* Tre-king-ham *appellatur.* Magisque ad Ortum *Hather*, hoc solùm nomine memorandum quòd *Bussæi*, siue *Buslæi* hîc habitant, qui à Rogero de *Busly* tempore *Conquestoris* genus deducunt. Deinde *Sleford* Lincolniensium Episcoporum castellum ab Alexandro Episc. extructum, vbi sibi etiam ædes extruxit I. *Hussy* primus & vltimus eius nominis Baro, qui cùm imprudens populari tumultui in primo Anglię discidio religionis caussâ, MDXXXVII. se immiscuisset capite luit. Paucis hinc milliaribus abest *Kime* qui nomen fecit nobili familiæ dictæ de *Kima*, loci verò possessio deuenit tandem ad *Vmfranuillos* è quibus tres euocati fuerunt ad Comitia Parlamentaria nomine Comitum *Angusiæ* in Scotia. Illorum autem primum prudentia iuris nostri Municipalis Comitem agnoscere noluit, quod *Angusia* intra Regni Angliæ limites non contineretur, donec ille Regis rescriptum quo ad Parlamentaria Comitia titulo Comitis *Angusiæ* a Rege euocatus fuerat, in medium pro Tribunali protulisset. Ab *Vmfrauillis* deuenit hæc ad familiam *Talbois*, è quibus Gilbertus creatus est ab Henrico Octauo Baro *Talbois*, cuius duobus filijs sine prole defunctis, per fœminas ad *Dimockos*, *Inglebeios*, & alios translata fuit hæreditas. Magis ad Occasum *Temple Bruer* vidimus, id est, vt ego interpretor, *Temple in the heath.* Templariorum enim *Præceptoria* fuisse videtur, dirutę enim Ecclesiæ ad formam *Noui Templi* Londini parietes semiruti ibi conspiciuntur: *Blankeney* huic adiacet, quondam Baronia *D'eincortorum*, qui longa serie à Normannorum ingressu ad Henrici Sexti tempora floruerunt; tunc enim horum mascula linea defecit in Guilielmo qui sorores habuit duas sibi hęredes, alteram Guilielmo *Louell*, alteram Radulpho *Cromwell* enuptam. Huius familiæ libentiùs memini, vt aliqua in parte desiderio Edmundi Baronis *D'eincourt* satisfacerem, qui olim anxiè sollicitus de memoria nominis sui conseruanda

Pl. 27. H. 3. Rot. 13. Linc.
Inq. 4. E. 2.
Skrekingham.
Bussy.
Sleford.
Hussy Baro.
Kime.
Angusiæ Comites.
Temple Bruer.
Barones D'eincourt.
Inq. 21. H. 6.

seruanda cùm prolem masculam non haberet, apud Regem Edwardum Secundum supplex egit, *quia coniecturabat vt cognomen suum & Arma post mortem suam e memoria delerentur, & corditèr affectabat vt post mortem eius in memoria haberentur, vt de Manerijs & Armis suis feoffaret, quemcunque voluerit.* Quod impetrauit, & regio diplomate concessum, nihilominùs cognomen hoc iam penitus, quod scio, desijt, & nisi lux literarum affulsisset, è memoria excidisset. Patent 10. Edw.2.

In Occidentali parte Kesteuenæ, in huius, & Leicestrensis agri collimitio castrum *Beluoir* siue *Beauuoir* sic dictum à bello prospectu (quodcunque olim fuerit nomen) colli satis accliui, & hominum opere, vt videtur aggestæ imponitur. *Todeneium* Normannum huius conditorem, vt etiam monasterioli adiuncti ferunt, à quo per *Albenios* Britones, & Barones *Roos* ad *Manneros* Rutlandiæ Comites hæreditariò deuenit. Quorum primus Thomas, vt accepi, nouis ædificijs excitauit, cùm plures annos quasi ruinis suis sepultum iacuisset. In inuidiam enim Thomæ Domini *Roos* qui Henrici Sexti partes sequebatur, à Guilielmo Domino *Hastings* cui (proscripto Barone *Roos*) Edwardus IIII. cum amplissimis prædijs donauerat, quodammodo dirutum erat. Sed Edmundus Baro *Roos* Thomæ filius auitam hanc hæreditatem denuò beneficio Henrici Septimi recuperauit. Sub hoc inueniuntur Astroites lapides, qui stellulas inuicem connexas representant, in quibus radij eminent singulis angulis quini, & singulis radijs cauitas media subsidet. A Victoria hic lapis apud Germanos nomen inuenit, quòd, vt est apud Georgium Agricolam libro sexto Fossilium, putant illum qui gestauerit, caussam obtinere, & hostes vincere. An tamen hic noster, vt ille Germanicus, in aceto positus, se loco moueat, & in orbem nonnihil torqueat, mihi nondum experiri licuit. Vallis autem quę huic castro subiacet, *The Vale of Beluer*, inde vulgò vocatur, satis ampla est, & longè amœnissima frumentarijs campis, & pascuis admodum læta, & in tribus Comitatibus Leicestrensi, Nottinghamiensi, & Lincolniensi expansa.

Beluior siue *Beuer Castell.* Astroites lapides. *The Vale of Beluer.*

Si non hoc ipso in loco, certè iuxta MARGIDVNVM olim fuisse quod proximè post VERNOMETVM memorat Antoninus, & nomen & distantia à VERNOMETO & PONTE opido, siue *Paunton*, quibus apud Antoninum interponitur, satis dilucidè doceant. A Marga & situ nomen illud antiquum mutuatum videatur. *Marga* enim Britannis genus est terræ qua agros aluerunt, & DVNVM quod collem denotauit, æditioribus solummodò locis conuenit. In hac tamen nominis notatione hæsito, cùm Marga hoc in loco sit rarior (fortasse quia non quæritur) nisi Margę nomine Gypsum vocarint Britanni, quod in vicinia effodi accepimus, cuius vsum in albarijs, sigillisq; Romanis longè gratissimum fuisse in Naturali historia testatur Plinius.

Margidunum. Marga. Dunum.

Hanc agri partem *Withama* fl. lucijs fœcundus, sed exilis perfundit, & a Septentrione circumscribit. Ad sui cognominis viculum ortum habet, non procul a ruinis castri *Bitham*, quod (vt in antiqua Genealogia habetur) Guilielmus Primus Stephano Comiti *Albemarlæ* & *Holdernessiæ* donauit, vt inde haberet, quo filium infantulum siligeneo pane nutriret (cùm *Holdernessiæ* auenaceo tunc tantùm vesceretur) qui nunc tamen vix ibi in vsu: Verùm regnante Henrico Tertio, cùm Guilielmus de *Fortibus* Albemarlę Comes hoc seditiosè propugnaret, & vicinum agrum depopularetur, solo ferè adęquatum fuit. Postea sedes hæc erat, & quasi caput Baroniæ *Coluillorum*, qui diu summo honore floruerunt, defecerunt verò sub Edwardo Tertio, & hæreditatem vxorio iure adierunt *Gernonij*, & *Bassetti* illi de *Sapcot*.

Witham fl. *Bitham.* Matth. Paris. Coluill.

Withama fl. statim a fontibus *Paunton* opidum habet appositum, quod vetustatis nomine se venditat, & tessellata Romanorum pauimenta sæpe effodit, ponteque hic fluuius olim constratus erat; nam AD PONTEM hoc esse, quem septem milliaribus a MARGIDVNO seiunxit Antoninus, nomen *Paunton* cum distantia non solùm a *Margiduno*, verùm etiam a *Croco-calana* facilè conuincit. CROCO-CALANA enim Antonino dicebatur illud opidum quod nobis *Ancaster*, & hodie nihil nisi platea longior est ad viam militarem, cuius vna pars non ita pridem *Vescios*, altera *Cromwellos* Dominos agnouit. In eius ab Austro ingressu, vallum vidimus, Castrumque superiùs fuisse constat, vti ex alia parte ad Occasum æstiua quædam Romanorum castra cernuntur. Britannicum illud nomen a situ assumpsisse videatur, sub colle enim subsidet: & *Cruc maur* Britannis *Collem magnum*, & *Cruc occhidient*, tumulum Occidentalem significâsse apud Giraldum Cambrensem,

Paunton. Pontes. Croco-calana. *Ancaster.*

brensem, & Ninnium legimus, sed quid velit illud *Colana*, viderint alij. Antiquitatis memoriam in hoc opido propagant numismata Romanorum, hypogæa sæpiùs aperta, situs ad viam militarem & quatuordecim illa milliaria quæ inter hoc & Lincolniam interiacent per planitiem herbidam quam *Ancaster-heath* vocamus, tot enim inter *Crococalanam*, & *Lindum* numerat Antoninus. Sed ad flumen.

Grantham. Post *Paunton* visitur *Grantham*, opidum non infrequens, schola a Richardo *Fox* Wintoniensi Episcopo, & templo specioso exornatum, cuius sacra pyramis magnam in altitudinem surgit, & fabulis est famigerata. Sub hoc iuxta *Herlaxton* viculum, æneum

Cassis aurea. vasculum patrum memoriâ, aratro erutum fuit, in quo cassis aurea antiquissimæ formæ gemmis distincta reperta, quæ dono data Catherinæ Hispanæ Henrici Octaui

Somertone Lib. Dunelm. dotariæ. Hinc longo cursu *Withama* in Septentriones fertur, non procul à *Somerton* castro, quod Antonius *Beccus* Episcopus Dunelmensis construxit, Edwardoq; Primo do-

Domini de Bello-monte. nauit, & paulò pôst dono accepit Guilielmus de *Bellomonte* qui circa illa tempora in Angliam venit, & familiam Vicecomitum de *Bellomonte* propagauit, quæ superiori sæculo quodammodo desijt, cùm Vicecomitum vltimi soror & hæres nuberet Ioanni Domino *Lovell* de *Tichmersh*. Sed de hac familia antea in Leicestrensi Comitatu diximus. Paulatimque inde in Euroaustrum vergens fluuius per palustrem regionem infra *Boston* in mare Germanicum se exonerat, cum *Kestevenam* à Septentrione circumscripserit. Qui licèt pronum habet in mare descensum & amplum alueum, ex accrescentibus tamen hiberno tempore aquis, palustrem ad vtramque ripam tractum non sine damno opprimit, quibus tamen verno tempore per emissaria (*Gotes* vocant) liberatur.

Lindsey. Ad alteram *Withamæ* ripam iacet pars huius agri tertia *Lindsey*, Bedæ *Lindisi* ab vrbe primaria nominata, quæ *Hoilandiâ*, & *Kestevenâ* maior vasta fronte in Oceanum procumbit, quo ad Ortum, & Aquilonem diuerberatur, ad Occasum *Trenta* flumine, ad

* Fossedike. Houedenus. meridiem a *Kestevena Withama* illo & * fossa incili seiungitur, quam Henricus Primus per septem milliaria à *Withama* in *Trentam* perduxit, vt Lincolniensibus ad subuehenda

Torksey. Domesday booke. necessaria vsui esset. Quà *Trentam* attingit hæc fossa, *Torksey* Saxonicè Turcesig sedet, opidulum nunc obscurius, olim admodum celebre. Ante Normannica enim tempora (vt in libro quo Angliæ censum descripsit Guilielmus Primus, habetur) ducenti *Burgenses* in hac numerabantur, qui immunitatibus gaudebant non paucis; ea lege, vt legatos Regios si quando hac iter haberent, nauigiolis suis per *Trentam* deueherent, & EBORACVM vsque deducerent. Quà verò hæc fossa *Withamæ* coniungitur, prima & præcipua

Lindum. Lincolne. huius Comitatus ciuitas locum habet, quam Ptolemæus & Antoninus LINDVM, Britanni *Lindcoit*, à syluis (pro quo perperam alicubi scribitur *Luitcoit*) Beda LINDECOLLINVM, & LINDECOLLINAM ciuitatem, an à collino situ, vel quod Colonia fuerit, non ego dixerim. Saxones Linoo collyne, Linocyllanceaster, Normanni *Nichol*, nos *Lincolne*, Latini *Lincolniam* vocarunt. Vnde Alexander Nechamus in Diuina sua sapientia,

Lindisiæ columen Lincolnia, siue columna,
Munifica fœlix gente, repleta bonis.

Denominatum credunt alij à flumine *Withama*, quem vetustiori nomine *Lindim* dictum, sed nulla tamen authoritate suffulti, volunt. Nec ego illis assentior, refragatur enim Nechamus qui fluuium ante CCCC. annos *Withamam* hoc carmine dixit.

Trenta tibi pisces mittit Lincolnia, sed te,
Nec dedignaris, Withama paruus adit.

Malim ego à Britannica dictione *Lhin*, quæ lacum illis notat, deducere. *Withamam* enim ad *Swanpole* sub vrbem diffusiorem fuisse, qui etiam iam satis diffusus, à ciuibus accepi & vt *Lindaw* Germaniæ ad Acronium lacum, *Linternumque* Italiæ, ad lacum taceam: in Britannia nostra video *Tall-hin*, *Glan-lhin*, *Linlithquo*, opida ad lacus. Vrbs ipsa ampla & celebris collis dorso insidet, vbi *Withama* in Ortum se deflectit, & tribus modicis alueis diuisus inferiorem vrbis partem alluit. Antiquum Britannorum LINDVM in ipso collis cacumine in quod difficili ascensu scanditur fuisse, & in Boream vltra portam

tam

tam *Newport* procurrisse expressissima valli & fossarum profundarum indicia etiamnum demonstrant. In hoc Vortimerus bellicosus ille Britannus qui sæpius Saxones profligâret, diem obijt, & contrà quam iusserat hic sepultus. Ille enim spe plenus sibi persuaserat si in littore sepeliretur, ipsius manes Britanniam a Saxonibus defensuros, vt habet Ninius Euoldugi discipulus. Verùm Saxones antiquo hoc *Lindo* diruto, primùm Australem collis partem occupârunt, & ex antiquioris illius ruinis communierunt, postea ad fluuium descenderunt, in loco qui *Wickanforde* dicebatur, ædificarunt, & qua flumine non defenditur mœnibus obsepserunt. Quo tempore, vt inquit Beda, *Paulinus prædicabat verbum prouinciæ Lindissi, præfectumque Lindocollinæ ciuitatis, cui nomen erat Blecca, primùm cum domo sua conuertit ad Dominum. In qua videlicet ciuitate, & ecclesiam operis egregij de lapide fecit, cuius tecto, vel longa incuria, vel hostili manu deiecto, parietes hactenus stare videntur.* Dani deinceps semel atque iterum expugnârunt, primùm prædatoriæ illæ turmæ, à quibus Edmundus *Ferreum latus* extorsit, deinde Canutus, à quo Ætheldredus recepit, cùm è Normannia redux Canutum fortiter hinc exturbaret, Angliamque amissam præter spem recuperaret. Edwardo Confessore regnante erant, ex Censuali Angliæ libro loquor ɪↄ ʟ x x. *mansiones hospitatæ, & duodecim Lageman habentes sacam & socam.* Normannorum verò tempore, vt inquit Malmesburiensis, *vna ex populosioribus Angliæ vrbs erat, emporium terra marique venientium*, & vt libro illo Censuali videre est, eo tempore ᴅ ᴄ ᴄ ᴄ ᴄ. *Burgenses* in hac censebantur, *plurimaque mansiones vastatæ erant,* ᴄ ʟ x v ɪ. *propter Castellum. Reliquæ* ʟ x x ɪ ɪ ɪ ɪ. *vastatæ sunt extra metam Castelli non propter oppressionem Vicecomitis & ministrorum, sed propter infortunium & paupertatem, & ignium exustionem.* Guilielmus Primus ad eius firmamentum & ciuium terrorem in collis supercilio castrum peramplum munitissimum excitauit, & eodem ferè tempore Remigius Episcopus Dorcestrensis ad ornamentum sedem suam Episcopalem *Dorcestriâ* quæ in remotissimo erat diœceseos angulo, & tenue opidum, huc transtulit. Cumque iam Ecclesia illa concidisset, quam Paulinus posuerat, *Remigius ille mercatis prædijs in ipso vrbis vertice, iuxta Castellum* (vt habet Henricus Huntingdonensis) *turribus fortissimis eminens, in loco forti fortem, pulchro pulchram Virgini virginum, fremente Eboracensi Præsule, qui loci ius sibi vendicauit, construxit Ecclesiam, & in ea Præbendarios* x ʟ ɪ ɪ ɪ ɪ. *locauit. Quam posteà* (vt ait ille) *combustione deturpatam subtili artificio reparauit Alexander* ille Lincolniensis munificentissimus Episcopus, de quo Guilielmus ille Malmesburiensis. *Quia ipse pro exiguitate corporis pene portentum hominis videbatur, luctabatur excellere & foris eminere animus.* Et inter alia cecinit eius temporis Poeta.

> *Qui dare festinans gratis, ne danda rogentur,*
> *Quod nondum dederat, nondum se credit habere.*

Nec sanè hi duo, sed etiam Robertus *Bloet*, qui ante Alexandrum sedet, R. de *Beaumeis*, Hugo Burgundus, & successores hoc opus quod non vnius Episcopi esse potuit, ad eam magnificentiam quæ nunc cernitur, paulatim perduxerunt. Certè vt maximo sumptu, ita insigni venustate & artificio raro tota surgit, præcipuè verò propylæum illud ad partem Occidentalem, quod aduentantium oculos ad se quasi rapit, & allicit. In hac Ecclesia etsi plura sunt sepulchra Episcoporum, & aliorum, memoranda tamen solummodò videntur illud æreum in quo optimæ Reginæ Eleonoræ consortis Regis Edwardi Primi viscera conduntur, & illa Nicholai de *Cantelupo*, vniusque & alterius e familia de *Burghersh*, Catharinæ item *Swinford*, quæ fuit vxor tertia Io. Gandauensis Ducis Lancastriæ, materque familiæ Somersettensis, cui consepelitur Ioânna eius filia, vxor secunda Radulphi *Neuill* Primi Westmorlandiæ Comitis quæ maritum prole beauit numerosa.

Lincolniensium Episcoporum diœcesis non contenta angustis illis finibus, quibus in primitiua Saxonum Ecclesia contenti erant Episcopi Sidnacestrenses, qui huic agro præfuerunt, tot regiones complexa est, vt sua magnitudine laborârit, & licèt Henricus Secundus Eliensem prouinciam, & Henricus v ɪ ɪ ɪ. Petroburgensem & Oxoniensem detraxerit; iurisdictione tamen, & Comitatuum numero, totius Angliæ longè maxima etiamnum censetur, & parochiales Ecclesias ᴄɪↄ ᴄ ᴄ x ʟ v ɪ ɪ. Episcopus in sua diœcesi

habet. Episcopi huic sedi, & multi & magni post Remigium præfuerunt, sed instituti non est mei enumerare: Nec enim Roberti *Bloet*, quem Rex Guilielmus Rufus magna pecunia sz. 50000 libris mulctauit, caussatus quòd non optimo iure ipsam vrbem Lincolniam tenuerit: nec munifici illius Alexandri, qui insanis substructionibus ad insaniam delectatus pluribus meminero, nec Hugonis Burgundi, in Sanctos relati, cuius corpus

R. Houeden.

Rex Ioannes *cum suis Comitibus vt obsequium*, inquit author meus, *Deo & Sancto præsuli præstaret*, humeris suis tumulandum portauit. Duorum tamen memoria mihi recolenda,

Obijt 1253.

quorum alter est Robertus *Grosth*e*st*, vir & literis & linguis suprà quàm credi possit, in illa

Matt. Paris, & Anonymus Chronographus.

ætate eruditus, *terrificus Papæ redargutor, regis sui monitor, & veritatis amator, Prælatorum corrector, Presbyterorum director, clericorum instructor, scholarium sustentator, populi prædicator, scripturarum sedulus perscrutator, Romanorum malleus, &c.* Alter est præceptor mihi semper obseruandus reuerendissimus pater Thomas *Cooperus*, de Repub. literaria, & Ecclesia meritissimus, è cuius schola me prodijsse & fateor, & gratulor. Vrbs

The Staple.

etiam ipsa diu floruit, ab Edwardo Tertio in *Stapulam*, quam vocant, id est, in lanarum, coriorum, plumbi, &c. emporium constituta. Quæ quanquam grauioribus malis non sit conflictata, semel incensa, semelque frustrà obsessa à Stephano Rege, qui ibi oppressus, & captus, & expugnata ab Henrico Tertio cùm Barones seditiosi, qui euocâssent Lodouicum Francum ad Regnum Angliæ capessendum contra illum propugnarent, non magnum damnum fecit. Incredibile tamen est, quantum quasi vetustate victa paulatim decreuerit; & ex quinquaginta templis quæ auorum memoria habuit, vix octodecim iam supersunt. Distat, vt hoc etiam adnotem, ab Æquatore LIII. part. scrup. XII. ab vltimo Occidente part. XXII. scrup. LII.

High-dike.

Vt à *Stanfordia* ad *Lincolniam* via illa militaris Romanorum rectà ducit, ita hinc in Septentrionem, sublimi & recto tramite subinde tamen interrupto per X. plùs minùs milliaria procurrit ad viculum dictum *The Spittle in the street*, & vlteriùs. Ad tertium autem a Lincolnia alteram etiam viam militarem *Ould street* dictam, ex hac aggere etiam conspicuo in Occasum diuergere obseruaui, quam ad AGELOCVM proximam a LINDO stationem duxisse opinor. Sed ego cursum quem incepi persequar.

Withama iam Lindum prætergressus defluit haud procul a *Wragbye* membro Baroniæ

Barones Trusbutt. Bardney. Oswaldi vexillum.

Trusbutt dictæ, cuius per Barones *Roos* titulus ad *Manours* qui nunc sunt Comites Rutlandiæ est delatus. Inde nobilis olim cœnobij Beardena siue *Peartaneu*, vulgò *Bardney*, parietinas vidit, vbi Regem Oswaldum tumulatum, vexillumque ex auro & purpura tumulo superimpositum prodit Beda. Non satis habuerunt superioris æui scriptores Christianissimum hunc Heroem Oswaldum celebrare, nisi rebus clarissimis ab eo gestis miracula assuerent ridicula, quæ sciens prætermitto. Manum verò eius hîc incorruptam superfuisse multis seculis crediderunt maiores, scripsitque Poeta satis antiquus.

Nullo verme perit, nulla putredine tabet
Dextra viri, nullo constringi frigore, nullo
Dissolui feruore potest, sed semper eodem
Immutata statu persistit, mortua viuit.

In Appendice Ingulphi.

Hoc Monasterium, vt scribit Petrus Blessensis, *Danorum vesania quondam concrematum & multis annorum cursibus omninò desertum, inclytus & deuotus Comes Lincolniæ Gilbertus* de Gaunt *restaurauit, & cui cum multis possessionibus decimas omnium Maneriorum suorum vbicunque per Angliam gratissimè assignauit. Bano* fluuiolo deinde *Withama*

Hornecastle.

augetur, qui è media Lindseia primùm per *Hornecastle* defluit, quod olim erat Adelizæ de *Condia* & solo æquatum Stephano regnante, posteà Baronia Gerardi de *Rodes*, nunc vt accepi, Carleolensis Episcopi. Inde per *Scriuelby* Manerium *Dimockorum* qui illud

Dimocke. Inq. 23. E. 3. The Kings Champion. Fines Mich. Anno 1. H. 6.

tenent hæreditariò a *Marmionis* per *I. Ludlow* deuolutum, per *seruitium magnæ Serientiæ* (Iurisconsultorum verbis nunc vtor) *videlicet, quòd quandocunque Rex aliquis Angliæ coronari debeat, tunc Dominus huius Manerij qui pro tempore fuerit, vel aliquis nomine suo si idem impotens fuerit, veniet bene armatus pro guerra super vno bono dextrario, in præsentia Domini Regis die Coronationis suæ; & proclamari faciet, si aliquis dicere voluerit, quòd dictus Dominus Rex non habet ius ad regnum suum & coronam suam, promptus erit*

erit & paratus ad defendendum ius Regis, & regni sui & dignitatis coronæ suæ per corpus suum versus ipsum & alios quoscunque. Inferiùs *Banus ad Tatteshall* opidulum regione palustri satis commodè positum, castro de cocto latere, magna ex parte extructum, & Baronibus suis notum, *Withamam* influit. Produnt Eudonem & Pinsonem Normannos nobiles quasi fraterna necessitudine inter se coniunctos Guilielmi Primi munificentiâ possessiones in hoc tractu accepisse plurimas, quas ita inter se diuiserunt, vt *Tatteshall* Eudoni cederet quam per *Baroniam* teneret, à cuius posteris per *Dryby* & *Bernakos* ad Radulphum de *Cromwell* deuenit, cuius filius eodem nomine qui sub Henrico VI. magnus Angliæ Thesaurarius, sine prole è vita migrauit. Pinsoni autem obuenit *Eresby* quæ non longè abest, è cuius prole per *Bekos* hæreditas ad *Willoughbaos* transmigrauit, ad quos etiam dotalia patrimonia perampla accesserunt per vxores non solùm ab *Vffordis* Suffolciæ Comitibus: sed etiam à Dominis de *Welles* qui vnà secum attulerunt magna heredia familiæ de *Engain* antiquæ nobilitatis, & iam inde a Normannorum ingressu, magnæ hoc in tractu potentiæ. Inter hos *Willoughbaos* emicuit regnante Henrico Quinto Robertus *Willoughby*, qui bellicæ fortitudinis ergò Vindocini in Gallia Comes creatus; & ab his ex matre prognatus est Peregrinus *Berty* Baro *Willoughby de Eresby*, vir animi magnitudine, & militari virtute longè clarissimus. Iam mari proximus *Withama* alterum anonymum è Septentrione riuulum recipit, cuius ad fontes *Bollinbroke* castrum humiliori situ è saxo friabili à Guilielmo de *Romara* Lincolniensi Comite extructum, Aliciæ Laceiæ ab Edwardo Secundo ereptum, quòd illo inuito sibi maritum acceperat, & Regis Henrici Quarti natalibus illustratum, qui inde Henricus de *Bollingbroke* cognominatus. Quo tempore inter prædia illa honoraria quæ *Honores* vocantur, censeri cœpit. Hoc verò recepto *Withama* infra *Boston*, vt diximus, mari se tandem confundit.

Tatteshall. Cromwell. Eresby D. Willoughbæi. Domini Welles. Domini de Engain. Lib. Stanlow. Bollingbroke.

A Withamæ ostio magno flexu protuberat littus in mare Germanicum vsq; ad *Humber* æstuarium, frequentioribus vbique æstuariolis lancinatum: rariores autem habet vrbes, quia rari sunt portus, & arenosi puluini passim obiacent. Ex opidis tamen quę hoc littus occupant, memoranda sunt nonnulla, inprimis verò *Wainefleete*, vel hoc nomine, quòd Guilielmum *Wainfleet* Wintoniensem Episcopum Collegij Magdalenensis Oxoniæ fundatorem, de literis virum optimè meritum produxerit. Deinde *Alford* quod mercatum debet Leoni Domino *Welles* qui hoc ius ab Henrico Sexto Rege obtinuit. Familia verò illa de *Welles* admodum antiqua erat & illustris; vltimus autem Regis Edwardi Quarti filiam vxorem habuit, & Vicecomes *Wellensis* ab Henrico Septimo creatus sine prole obijt. Hæreditas verò per fœminas *Willoughbais*, *Dimocis*, *Delalaundis*, *Hois* &c. obuenit. Postea *Louth* frequentatum emporiolum, cui *Lud* fluuiolus nomen impertijt, qui *Cokerington* subluit caput olim Baroniæ de *Scoteney*. Et inde *Grimsby* quod Sabini nostri, qui quod volunt somniant, a Grimo mercatore sic dictum volunt, qui quòd Hauelocum regium Danorum puellulum expositum educauerat, fabellis decantatur cum Haueloco illo pupillo, qui in regis coquina primò lixa, & postea Regis filiæ nuptijs ob heroicam fortitudinem honoratus, nescio quæ facinora gessit, illis dignissima qui anilibus fabulis noctem gaudent protrudere.

Wainfleete. Alford. Barones Welles. Grimsby. Eulogium.

Vix sexto hinc milliari interiùs antiquum apparet castrum, quod hodie *Castor*, Saxonice Ðuanȝ-caster, & *Thong-caster*, Britannice *Caer Egarry*, vtraque in lingua e re nomen habet, a corio scilicet dissecto, quemadmodum *Byrsa* notissima illa arx Carthaginiensium. Perhibent enim Annales nostri Hengistum Saxonem, Pictis & Scotis deuictis, quum amplissimas alibi possessiones accepisset, hoc etiam loco tantum terrę a Vortigerno impetrâsse, quantum bubulo corio in tenuissimas corrigias (*Thongs* nos vocamus) secto circumdare possit, in quo hoc castrum posuit. Vnde quidam qui Britannicę historiæ Epitomen carmine scripsit, Virgilianos versus sic conuertit:

Castor. Thong-caster. Byrsa.

Accepitque solum facti de nomine Thongum,
Taurino quantum poterat circundare tergo.

A *Grimesby* retrahit se littus magno flexu vt *Abum* æstuarium siue *Humber* admittat per *Thornton* olim Collegium in diuinum cultum a Guilielmo *Crasso* Albemarliæ Comite institutum, & *Barton* vbi traiectus est in prouinciam Eboracensem celeberrimus.

Thornton Colledge. Barton vpon Humber.

Iuxta

Iuxtà *Ankam* fluuiolus feculentus, & ideo anguillarum ferax in *Humber* exoneratur, prope cuius fontes est *Merket-Rasin* a foro quod ibi non infrequens sic dictum. Superiùs adsident *Angotby*, nunc corruptè *Osgodby* olim familiæ de *S. Medardo*, à quibus ad *Atrminos* hæreditariò descendit,& *Kelsay* quondam *Hansardorum*,qui magni fuerunt nominis in hoc Comitatu, a quibus ad equestrem stirpem de *Ashcough* iure coniugali deuenit. Deinde verò *Ankam* ponte coniungitur ad *Glanford* tenuem mercatum,quem vulgus, a ponte *brigg* vocant, verò nomine pene obliterato. Proximè hunc intra roborarium *Kettleby* cernitur familiæ Tirwhittorum equestri dignitate præclaræ sedes, olim verò vt ex nomine colligas, Ketelli cuiusdam (quod nomen erat vsitatum Saxonico & Danico seculo) habitatio. *Bye* enim habitatio & *Byan* habitare Saxonicè significat,vnde tot loci & alibi in Anglia,& præcipuè in hoc Comitatu in *Bye* terminantur.

Osgodby. Kelsay. Kettleby. Tirwhitt. *Bye* quid.

Toto hoc tractu statis temporibus, (vt pisces taceam) Deus bone, quantâ copiâ abundant aues, non illæ vulgares quæ summo sunt alibi prætio querquedulæ,coturnices, gallinagines, phasiani, perdices, &c. Sed quas non eloqui est ore Latino, ipsissimæ mensarum deliciæ,& heroum dapes gulæ proceribus expetitæ, *Puittes*, *Godwitts*, *Knotts*, .i. *Canuti aues*, vt opinor, è Dania enim aduolare creduntur, *Dotterells* ob delirantem stultitiam dictæ, quæ imitatrices aues ad lumen candelæ pro aucupis gestu capiuntur, si is brachium extendit,expandunt & illæ alam,si is tibiam,& illæ itidem ; breuiter,quicquid agit auceps, idem facit & auicula, donec reti obuelatur. Sed hæc illis obseruanda relinquo qui vel naturam sedulò venari, vel qui abdomini nati censum gulæ demergere gaudent.

Aues delicatę. Cnotts. Dotterels

Magis ad Occasum in *Humbrum* etiam *Trenta* flumen longo confecto cursu suscipitur quum a *Fossedike* sabulosa ripa hunc agrum terminauerit, delapsus primùm haud procul a *Stow*, vbi Godiua vxor Leoftici Comitis Monasterium construxit, quod ob inferiorem situm *sub collibus*, *sub promontorio Lincolnia* positum dicit H. Huntingdonensis. Inde prope *Knath* habitationem nunc Baronis *Willoughby* de *Parrham*, olim familiæ Baronum de *Darcy*, quibus plurimum cùm honoris,tum possessionis per filiam & hęredem de *Meinill* accessit. Profluxit hæc Darciorum familia ab antiquiori, a quodam scilicet cui nomen Normannus de *Adrecy* siue *Darcy de Nocton*, qui summa æstimatione floruit sub Henrico Tertio, cuius posteri monasteriolum sacrarum virginum ad *Aluingham* in hoc Comitatu dotârunt. Sed dignitas hæc quasi extincta cùm Normannus vltimus in recta linea antiquiori, duas tantùm reliquerit sorores, quarum altera Rogero *Pedwardino*, altera P. de *Limbergho* in vxorem data fuit.

Stow. Knath. Darcy de Nocton, & [illegible]. Fines 17. E.3

Inde *Trenta* ad *Gainesborrow* decurrit, Danicarum nauium statione, & Sueni *Tingskege* Danici tyranni fato nobile opidulum, qui illic postquam regionem diripuisset (authore Matthæo Westmonasteriensi) ab incerto quopiam confossus meritas sceleris pœnas demum persoluit. Multis post sæculis possessio erat Guilielmi de *Valentia* Comitis Pembrochiæ qui ius feriæ ab Edwardo Primo obtinuit, à quo Comite per Atholię Comites Scotos, & *Percios*, profluxerunt Barones de *Bourough* qui hîc habitârunt, de quibus anteà in Surreia. In hac Comitatus parte olim fuit vrbs *Sidnacester* quę sedem episcopis huius tractus præbuit, qui Lindiffarorum dicti fuerunt Episcopi,verùm ita iam disparait, vt cum nomine ipsæ etiam ruinæ perijsse videantur. Nec prætereundum quod in hoc tractu apud *Mellwood* floret clara & equestris familia de S. *Paulo*, *Sampoll* corruptè vocant,quam semper existimaui fuisse ex antiqua Castilionea stirpe Comitum de S. *Paulo* in Gallia : sed Lucemburgica quę gestant insignia aliud innuunt, nimirum è Gallia deuenisse ex quo stirps illa Castilionea de *S. Paulo* (quod ante ducentesimum plùs minús annum accidit) per nuptias Luxenburgicæ fuerit insita.

Gainesborrow. Barones de Borough. Sidnacester. S.Paule.

Super hoc *Trenta*, *Idell*, & *Danus* flumina ita suis aquarum diuergijs (Frontini verbo vtor) ludunt, vt Insulam amnicam *Axelholme*, Saxonice Eaxalholme, quæ Lincolniensis agri pars est, amplectantur. Longitudine x. mil. ab Austro in Septentrionem, latitudine dimidio minor patet. Quà humilior ad flumina, palustris est, & fruticem odoriferum (*Gall* vocant) profundit : in media, quà leuiter surgit, ferax est, & fertilis, linumque magna copia præbet, nec non Alabastritem,qui tamen minùs solidus albarijs & emplastris magis, quam alijs vsibus conuenit. Primarium opidum olim *Axel*, nunc *Axey* vocatur, vnde adiectione Saxonicæ dictionis *Holme*, qua pro insula amnica vsi sunt, nomen

Axelholme. Gall frutex. Alabastrites.

nomen proculdubiò conflatum. Sed opidum vix dici meruit, ita sparsim habitatur : castri tamen aream ostendit, Baronum bello demoliri, quod ad *Mowbraios* qui tunc magnam insulæ partem possederunt, spectauit. Anno MCLXXIII. vt scribit vetus Chronographus *Rogerus de* Mowbraio *à fidelitate Regis Senioris recedens, in insula Axelholme ad Kinard ferry castellum ab antiquo dirutum reparauit. Ad quem multitudo Lincolniensium nauigio transuecta, castellum obsedit, Constabularium & milit*[illegible]*es ad deditionem coegit, & castellum subuertit.* Superiùs est *Botterwic* cuius dominum Edmundum *Sheffeld*, primum ex hac familia Baronem *Sheffeld* de *Botherwic* creauit Rex Edwardus Sextus, qui vitam patriæ contra rebelles Norfolcianos profudit, cùm ex Anna *Vera* Comitis Oxoniæ filia suscepisset Ioannem Baronem secundum, patrem Edmundi, qui nunc floret Georgiani ordinis Eques honoratissimus. Magisque ad Boream est *Burton Stather* ad alteram *Trentæ* ripam, de quo nihil memorandum hactenus legi.

Comites suos Lincolniensis hic ager iactat post Eggam, qui Anno DCCX. floruit, & Morcarum Saxones qui tantùm officiarij erant Comites, Guilielmum de *Romara* Normannum, cui defuncto (nec enim filius qui ante patrem obijt, nec nepos hoc titulo vsi sunt) Gilbertum de *Gant* substituit Stephanus. Eo mortuo Simon de *S. Licio Iunenis*, filius Comitis Simonis (verba Roberti Montensis, qui sub id tempus vixit, legis) *cùm careret terra, dono Regis Henrici Secundi accepit filiam eius vnicam cum honore eius.* Deinde Ludouicus Francus qui a seditiosis Baronibus euocatus in Angliam, alterum Gilbertum è familia de *Gant* gladio Comitatus Lincolniæ cinxit; sed eiecto statim Lodouico, hunc pro Comite nemo agnouit, & ipse vltrò titulum abiecit. Tunc Radulphus sextus Cestriæ comes hunc honorem ab Henrico Tertio Rege consequutus est, qui paulò ante mortem Hawisæ sorori suæ, vxori Roberti de *Quincy* per Chartam Lincolniæ Comitatum dedit *quantum ad se pertinet, vt inde Comitissa existat.* Sic se habent verba Chartæ. Illa itidem contulit Ioanni de *Lacy* Cestriæ Constabulario & hæredibus quos è Margareta filia sua susciperet. Ille verò Edmundum suscepit, qui ante matrem defunctus hunc honorem filio suo Henrico fruendum reliquit, qui vltimus ex ea stirpe Comes fuit. Cùm enim filij eius immatura morte prærepti essent, & tantùm filiola Alicia superesset, illam nouennem Thomæ filio Edmundi Lancastriæ Comitis desponsauit ea lege, vt si *ipse sine hæredibus de corpore suo decederet, aut si illi sine hæredibus de corporibus suis immorerentur, eius Castra, Dominia &c. remanerent Edmundo Comiti Lancastriæ & eius hæredibus in perpetuum.* Alicia verò ex Thoma marito prolem suscepit nullam. Sed cùm Thomas maritus capite plecteretur, illa quæ impudicis moribus labeculam sibi non minimam aspersit, Eubulonem *Le Strange* quocum familiariùs vixerat, in maritum sine * Principis assensu assumpsit, qui hinc irritatus in eius possessiones inuolauit. Quas omnes, cùm Alicia iam grandæua diem obijsset sine sobole, Henricus Comes Lancastriæ nepos Edmundi ex filio secundo amplissimum hoc patrimonium ex forma transcriptionis, quam modò dixi, accepit, quod iam inde Lancastrensi familiæ accreuit. Nomine tamen Lincolniensium Comitum honorauerunt Reges Angliæ, Edwardus Quartus, Ioannem *De-la-pole*, & Henricus Octauus Henricum *Brandon* Suffolciensium Ducum filios, qui ambo sine sobole è vita discesserunt : & Elizabetha Regina Edwardum Baronem *Clinton*, magnum Angliæ Thalassiarcham eodem honore adauxit, quo eius filius honoratiss. Henricus hodie gaudet.

Lincolniæ Comites.


a. H. 2.

Lib. Monast. de Stanlow.

* Edw. 2.

Vide Duces Suffolciæ.

In hoc Comitatu Parochiæ sunt plùs minùs 630.


SEPTETRIO
PARTE OF YORKE SHIRE
PARTE OF DARBY SHIRE
OCCIDENS
PART OF LECESTER SHIRE
MERIDIES
Blyth
Retford
Lyttleburgh
Worksop
Warsop
Maunsfield
Suthwell
Newark
NOTTINGHAM
Lughborough
Trent flu:
Derwen flu:
Soure flu:

NOTINGAMIÆ
Comitatus olim
pars
CORITANORVM

NTRIO

ARTE

OF

Lyncolne

Witham flu.

LINCOLNE

SHIRE

ORIENS

Beckingham

Grantham

Welham flu.

RTE

TER

DIES

Scala

Milia rium



Christophorus Saxton descripsit
Wilhelmus Kip sculpsit

NOTTINGHAM-SHIRE.



Lincolnienſi Comitatui ab Occaſu confinis eſt, qui multò minor, Comitatus Nottinghamienſis, Saxonibus Snottengaham-ſcyre, nobis *Nottingham-ſhire*, à Septentrione Eboracenſi, ab Occaſu Derbienſi,& alicubi Eboracenſi,à Meridie Leiceſtrenſi terminatus. Partem Meridionalem, & Orientalem *Trent* flumen nobiliſſimum, influenteſque riuuli fœcundant: Occiduam partem ſaltus de *Shire-wood*, longè ſe porrigens totam occupat. Hanc quòd arenoſa ſit, *The Sand*: illam quòd argillacea, *The Clay* vocant incolæ, & in has duas partes regionem ſuam diſtribuerunt.

Trenta fl. *Trenta*, Saxonicè Treonta (quam *Triginta* Latinè quidam minoris notæ antiquarij, ob affinitatem Gallici verbi, quo ille numerus deſignatur, appellàrunt) longo itinere emenſo, vbi primùm ſe in hunc agrum intulerit,& primùm *Steanford* vbi multa priſcæ vetuſtatis veſtigia ſupereſſe, & Romanos nummos inueniri accepi, & deinde *Clifton* quæ
Lin fl. familiæ antiquæ *Cliftonorum* & ſedem & nomen dedit,præterfluxerit,*Linum* amniculum ab Occaſu ſuſcipit, qui exoriens iuxta *Newſted*, id eſt,*Nouus locus*, vbi olim Monaſteriolum poſuit Rex Henricus Secundus, nunc vetuſtæ familiæ *Buronorum* ſunt ædes qui à
Byron. Radulpho de *Buron* primis Normannorum temporibus, hoc in agro,& Lancaſtrenſi flo-
Wollaton. rentiſſimo ſunt oriundi, fertur proximè *Wollaton* vbi ædes proſpectu lætiſſimo, & ſummo artificio ſane magnificas maximis impenſis Fr. *Willoughbey* Eques auratus inani opum
Lenton. oſtentatione, noſtrâ memoria extruxit. Deinde *Lenton* alluit, quondam cœnobio quod S. Trinitati poſuit Guilielmus *Peuerell* filius Nothus Regis Guilielmi *Conqueſtoris*, nunc tantùm nundinis frequentibus celebratum. Vbi altera in ripa ad ipſos ferè *Lini*, & *Trentæ* confluentes, decliui ſitu locum habet, quæ nomen Comitatui præbuit,vrbs præ-
Nottingham. cipua *Nottingham*, emollito verbo pro Snottenga-ham. Sic enim Saxones dixerunt à ſubterraneis ſpeluncis, & meatibus quæ in receptacula, & habitationem excauauit antiquitas ſub præruptis illis ſaxis in Auſtrali parte qua *Linum* fluuiolum deſpectat. Vnde Saxonicum hoc Snottengaham interpretatur Aſſerius Latinè *Speluncarum domum*, & Britannicè *Tui ogo bauc*, quod idem planè denotat. Vrbs eſt loci ingenio amœna, hinc ad flumina ſpatioſa procumbunt prata, illinc faciles conſurgunt colles; omnibus etiam quæ ad vitam pertinent copioſa. Hinc *Shirewood* lignum in ignis alimentum (licèt foſſili carbone male olenti multi vtantur) illinc piſces *Trenta* largè ſuppeditat. Vnde barbarum vſurpat verſiculum:

Limpida ſylua focum, * Triginta *dat mihi piſcem.*

* Trent.

Amplitudine denique ſtructura, tribus elegantibus templis, foro longè pulcherrimo, & munitiſſimo caſtro eſt ſanè ſpecioſa. Caſtrum illud prærupta petra ad Occidentale vr-
868. bis latus attollitur, quò loci arcem quondam fuiſſe creditur, quâ Dani freti Ætheredi, & Ælfredi obſidionem pertulerunt, donec illi rebus infectis, obſidionem ſoluerint, & vaſa conclamârint. Cùm enim Dani hanc occupaſſent, *Burthredus Merciorum Rex*, (vt author eſt Aſſerius) *& Mercij nuncios ad Aetheredum Occidentalium Saxonum Regem, & Aelfredum fratrem dirigunt ſuppliciter obſecrantes, vt illis auxiliarentur, quò poſſent contra præfatum pugnare exercitum. Quod & facilè impetrauerunt. Nam illi fratres non ſegnius promiſſione congregato ex omni parte immenſo exercitu*, Merciam *adeunt, & vſque ad* Snottenga-ham *bellum vnanimiter quærentes perueniunt. Cumque Pagani tuitione arcis muniti bellum dare negarent, & Chriſtianis frangere murum non ſuppetebat, pace inter Mercios & Paganos facta, duo illi fratres cum cohortibus domum reuerſi ſunt.* Poſteà verò Edwardus Senior villam *Bridgesford* è regione poſuit,& mœnibus quæ iam corruerunt, ipſam vrbem incluſit; quorum tantùm reliquias ad Occiduam partem vidimus: Paucíſque interiectis annis Edwardi ſcilicet Confeſſoris tempore, vt eſt in Cenſuali illo Angliæ libro, CLXXIII. Burgenſes numerabantur, & *de duobus monetarijs* XL. *Solidi Regi ſoluebantur. Aqua etiam* Trenta, *& Foſſa, & via Eboracum verſus cuſtodiebantur, vt ſi quis impediret tranſitum nauium, emendare habuit per quatuor libras.*

Caſtrum

Castrum autem quod nunc cernitur, & author, & operis magnitudo nobilitant; Guilielmus enim Normanus ad Anglos frænandos extruxit; *naturaque & manu ita munitum erat* (authore Gulielmo Neubrigensi) *vt sola inedia, si defensores idoneos habeat, expugnabile videatur.* Postеaque Edwardus IIII. magnis impensis instaurauit,& splendidis ædificijs adornauit, quibus & manum Richardus Tertius admouit. Nec temporum inclinationibus communem magnis castris sortem subijt; nunquam expugnatum. Frustra semel obsessum ab Henrico Andegauensi, quo tempore ædificia adiuncta succenderunt præsidiarij milites. Semel etiam ex improuiso captum à Roberto Comite de *Ferrarijs* in bello Baronico, qui ciues omnibus fortunis spoliauit. 1175. Reg.Houeden pag. 307. Castellani multa referunt de Dauide Scotorum Rege in hoc captiuo,& Rogero de *Mortuomari*, Marchiæ Comite per subterraneum meatum hic deprehenso,qui,quòd fidem in patriam pre Scoticis nummis vilem habuerit, & alia scelera vasto animo designârit, posteà suspendio perijt. Certè in prima castri area per multos gradus descendimus lumine accenso in cryptam subterraneam, & concamerationes ex ipso saxo excisas, in quarum parietibus scalpuntur historiæ passionis Christi, & alia, manu, vt ferunt, Dauidis Secundi, Regis Scotorum qui ibi in carcerem conditus. In superiori verò castri parte quæ sublime in rupe surgit, per plures gradus in aliam etiam subterraneam cauernam etiam deuenimus quam *Mortimers hole* vocant, quòd in ea delituit Rogerus ille de *Mortuomari*, cùm iam mali conscius sibi malè metueret. *Mortimers hole* Mortimeri latebra. Cæterùm hæc vrbs Polum Borealem LIII. grad. sublimem aspicit, ab vltimo verò Occidente XXII. partes, XIIII. scrup. numerat.

Hinc clementi alueo preterit *Trenta* per *Holme* a dominis *Holme Pierpount* dictam quorũ vetus & nobilis est familia, & ex qua Robertus de *Petra Ponte*, siue *Pierpount* inter regni Barones ad Comitia Parlamentaria ab Edw. III. euocatus erat: Pierpount. Baronia de Shelford. ad *Shelford* præclaræ equestris stirpis *Stanhoporum* sedem, quorum splendor in hoc tractu est magnus & nomen celebre. Baronia verò olim erat Radulphi *Hanselini*, per cuius filias ad *Bardolphos* & *Eueringhamos* descendit. Vnde aquas suas deuoluit ad *Stoke* viculum exiguum, sed non exigua strage signatum, vbi Ioannes *Delapole* Comes Lincolniæ qui regni hæres à Rich. III. destinatus, cum sibi viam ad regnum, Henrici VII. interuentu præclusam videret pro ementito principe hi se contra verum Regem seditiosè opposuit,& cum suis fortiter occubuit. Battaile of Stoke 1487. Haud procul *Suthwell* Collegiata Præbendariorum ecclesia B. Mariæ sacra, non splendida illa quidem, sed firma, antiqua, & celebris surgit. Suthwell. Quam Paulinum primum Archiepiscopum Eboracensem fundasse scribunt, cùm huius agri incolas in *Trenta* flumine sacro baptismate Christo regeneraret. Ex quo tempore Archiepiscopi Eboracenses suum hic palatium peramplum, & tria adiuncta viuaria feris referta habuerunt. Hanc ciuitatem esse quam Beda *Tio-vul-Fingacester* vocat, firmiùs credo, quòd quæ ille de Paulino baptizante in *Trentam* iuxta *Tio-vul Finga-cester* retulerit,hoc in loco facta fuisse priuata huius ecclesiæ historia constanter affirmârit. Tio-vul-Fingacester. Inde ab Ortu *Snite* fluuiolus *Trentæ* illabitur, qui cùm tenuis sit irrigat *Langer* Dominis suis *Tibetotis*, siue *Tiptostis* qui postea Wigorniæ Comites celebrem, Tiptofti. & *Wiuerton* quæ ab *Heriz* viro hoc in tractu quondam claro per *Brettos* & *Caltostos* ad *Chaworthos* deuenit, qui e Cadurcis in Gallia nomen, & a Domino de *Walcheruill* stemma deducunt. Chaworthi, siue De Cadurcis.

Iam *Trenta* se dispescit, & opidum satis amplum subluit *Newarke*, quasi *Nouum opus*, dictum, à nouo castro, Cahors in Quercy. quod *vernantissimum florida constructione castellum*, vt vocat Henricus Huntingdonensis, construxit Alexander munificus ille Lincolniensis Episcopus. Qui, vt antiqui historici verbis vtar, *Cùm esset cordis lautissimi hoc, & aliud expensis profusissimis castellum extruxit. Et quoniam huiusmodi extructio Episcopalem honestatem minus decere videbatur: ad tollendam illius extructionis inuidiam,& quasi expiandam maculam totidem monasteria construens, collegis religiosis impleuit.* Nihilominùs hanc vanam in militari Episcopo opum profusionem sua pœna subsequuta est. Stephanus enim Rex cui nihil prius erat ad nutantem regni statum confirmandum, quàm munitiora loca in suam redigere potestatem, eò præsulem istum carcere, & inediâ adegit, vt hoc, & alterum ad *Sleford* castrum, velit, nolit, sibi tandem in manus traderet. Vide Pag.178 Nec aliud quippiam hîc memorabile accedit, nisi quòd Rex Ioannes impeditissimum turbulentę vitę cursum in hoc confecit. 1216. Hinc fluuius se colligens rectà in Septentriones, viculis consitus defertur, nec memorandum quicquam habet priusquam ad *Littleborrough* peruenerit, exi- Littleborrough.

guum quidem opidum & quod nomini verè respondet; vbi vt hodie frequentissimus est traiectus, ita olim celebris fuit illa *Statio*, siue *Mansio* cuius Antoninus semel atq; iterum meminit, & pro exemplarium varietate & AGELOCVM, & SEGELOCVM appellatur. Hoc in vicinia frustrà iam priùs indagaui, sed nunc inuenisse prona fide credo, tum quòd ad militarem viam sedeat, tum quòd adiacens ager mœnium expressa vestigia ostendit, quàm plurimosque Romanorum Imperatorum nummos aratoribus indies exhibet, quos quia porci eruncando sæpius detegunt, *Swines penies*, .i. *Porcorum denarios* vocant rustici. Qui etiam pro suo captu maiores suos agrum illum lapideo muro contra *Trentæ* aquas hiberno tempore inundantes incinxisse opinantur.

[illegible] ...um.

In Occidua huius agri parte (*The Sand* vocant) quà *Erwash* fluuiolus Trentam petit *Strelley* olim *Strellegh* se ostendit, quæ familiæ *Strelleiorum* Equestri (vulgus *Sturly* vocant) inter huius Comitatus antiquissimas, & clarissimas cognomen sedéq; præbuit. Introrsum *Shirewood*, quam alij *Limpidam syluam*, alij *Præclaram syluam* interpretantur, omnia olim frondibus adoperuit, arborúmque rami complicati ita syluas commiserunt, vt calles vix singulis peruij essent, nunc verò rarior est, infinitas tamen damas, & surgentes in cornua ceruos alit, opidaque habet nonnulla, in quibus *Mansfeld* prælucet, copiosum admodum forum, cuius nomen in argumenti partem arripuerunt aliqui, qui familiæ *Mansfeldiæ* in Germania suam antiquitatem asserunt, primùmque *Mansfeldiæ* Comitem cum Arthuro nostro mensam rotundam celebrasse volunt, & hinc accersunt. Reges verò nostri huc quondam venandi studio allecti se recipere solebant, & vt ex Inquisitione antiqua ipsa verba habeas. *Henricus Fauconberge tenebat Manerium de Cukeney in hoc Comitatu in Sergientia per seruitium ferrandi palfredum Regis quando Rex veniret ad Mansfeld.* Ex hac sylua scatent multi riuuli qui *Trentam* petunt, præcipuus verò *Idle* censetur, ad quem prope *Idleton* Anno Salutis DCXVI. Etheredi potentissimi Nordanhumbrorum regis fœlicitas deprehensa plusquam hæsitauit. Cùm enim anteà fœlicissimè semper pugnasset, hìc versa fortuna cecidit, a Redwaldo Orientalium Anglorum rege debellatus, qui in eius locum Edwinum auito regno exulantem Nordanhumbris præfecit. Defertur hic fluuiolus haud procul à *Markham* viculo quidem tenui, sed qui nomen indidit *Markhamorum* familiæ & vetustate, & virtute quondam admodum insigni, cui maximum decus erat I. *Markham* qui in summo Angliæ Tribunali tanta æquitate iustitiæ clauum tenuit (quod in historijs Anglicis velim legas) vt gloria nullis seculis intermoriatur. Ab hoc sex ad Occasum milliaribus abest *Workensop*, lætissimo Glycyrizę prouentu notum, & Comitis Salopiæ ædibus præclarum, quas extruxit nostra memoriâ Georgius *Talbot* Comes Salopiæ ea magnificentia quę Comite tanto digna, & non inuidenda. Ad *Talbottos* verò à *Louetoftis* primis huius dominis sub Normannis, per *Furniuallos*, & *Neuillum* cum lauta hæreditate deuolutum est. E quibus G. *Louetost* tempore Henrici Primi Monasterium hìc posuit, cuius ruinas ad Orientalem opidi partem inter lætissima pascua vidimus; pars verò Ecclesiæ Occidentalis adhuc superest duabus sacris turribus admodum conspicua. Paulò superiùs ad eundem fluuium *Blithe* mercatum celebrem conspeximus, quem *Bulleium*, vel *Busly* Normannici generis nobilem castro muniuisse accepimus, sed vix rudera eius iam comparent, ita omnia delet temporis vetustas. Monasteriolum verò posuerunt Rogerus *Busly* & Fulco de *Lisieurs*, & hoc vltimum fere est Nottinghamiensis agri ad Septentriones opidum, præter *Scroby* Archiepiscopi Eboracensis opidulum in ipso confinio locatum.

Shirewood. Mansfeld. Idle fl. Markam. Workensop. Glycyrizæ. Blith.

Guilielmus cognomento *Conquestor* huic agro Guilielmum *Peuerell* filium suum nothum non Comitis, sed Domini de *Nottingham* titulo præfecit, cui natus est filius qui ante patrem obijt, & illi itidem filius eiusdem cognominis, quem Henricus Secundus hęreditate exturbauit, quòd Ranulpho Cestriæ Comiti venenum miscuerit. Sub id tempus Robertus de *Ferrarijs*, qui Nottinghamiam diripuit in Donatione quam fecit Ecclesiæ de *Tuttesbury* hoc vsus est titulo, *Robertus Comes iunior de Nottingham*. Sed posteà Comitatum & Castellum de Nottingham cum omni honore de *Peuerell* Ioanni fratri donauit & confirmauit Rex Richardus Primus. Longo pòst tempore hoc titulo Richardus Secundus Ioannem de *Mowbray* insigniuit, qui cum iuuenis sine prole diem obijsset, successit Thomas frater qui à Richardo Secundo Comes *Mareschallus*, & Dux Norfolciæ creatus, statimq; in exilium eiectus, genuit Thomam Comitem Mareschallum capite

Nottinghamiæ Domini, & Comites. Lib. M Linton Math. Paris.p.126. Vide Comites Derbiæ. M. Paris pag. 204. Houeden pag. 373.b. Inq. 6. Rich. 2.

ab

ab Henrico Quarto obtruncatum, & Ioannem *Mowbray*, qui vti filius, & nepos fuerunt itidem Duces Norfolciæ, & Nottinghamiæ Comites. Sed cùm eorum proles mascula defecisset, & Richardus tenellus Edwardi Quarti filiolus Dux Eboraci Nottinghamiæ titulum cum alijs paulisper gessisset, Richardus Tertius Guilielmum Marchionem de *Barkley*, & Henricus Octauus filium suum illegitimum Henricum *Fitzroy*, quorum vterq; nullis susceptis liberis ex hac vita migrárunt, hoc Nottinghamiæ Comitis titulo honorárunt. Nuperq; MDLXXXXVII. Elizabetha eodem honore Carolum Howardum summum Angliæ Thalassiarcham, qui à *Mowbraijs* genus ducit, ob operam (vt est in *Chartâ Creationis*) fortiter fidelitérq; bello nauali contra Hispanos MDLXXXVIII. & Gadium expugnatione CIↃIↃLXXXXVI. nauatam (qui hîc rei nauali, vt Essexiæ Comes terrestri, summo cum imperio præfuit) solemni inuestiturâ exornauit.

Visuntur in hoc agro Ecclesiæ Parochiales 168.


LANCAS: PARS
CESTRIÆ PARS
EBO
The chapell in the firth
Peake forest
Vttoxater
STAF: FORDIÆ PARS
HONI SOIT QUI MAL Y PENSE
VNIVERSI
Derbiensis Comitatus qui olim Coritanorum fuit descriptio

EBORACENSIS PARS

Sheafeld

NOT:

Chesterfeld

ING:

Maunsfeld



Alferton

Wirkesworth

AMIÆ

Darby

PARS

LECES:

Burton sup trent

TRIÆ PARS

Ashbye de la zouche

Scala Miliarium.

1	2	3	4	5	6	7	8

Christo: Saxton descrip: Guiliel: Hole sculpsit

DARBY-SHIRE.



Cciduum Nottinghamiensi m latus claudit Prouincia Darbiensis, Anglo-Saxonicè Deoꝛbi-ꝩcyꝛe, vulgò *Darbishire*, quę & ipsa clauditur ad medium Solem agro Leicestrensi, ad Occidentem Staffordiensi, ad Aquilonem Eboracensi, forma quasi triangulari, sed non æquilatera. Ab apice enim qui ad Austrum, vix sex pass. mil. patet, ita vtrinque exspatiatur, vt quà Septentriones spectat, triginta plùs minùs mill. pass. in latitudine occupet. In duas partes *Deruentione* flumine intercurrente diuiditur, qui è Septentrionali limite profusus, nigrantibus è terra aquis in Austrum deuolutus *Trentam* petit: Trenta enim, quem dixi, apicem Australem interfecat. Pars Orientalis & Meridionalis culta, non infœcunda, & viuarijs frequens est. Pars Occidentalis vltra *Deruentionem*, *Peake* vocamus, tota petrosa, montibus, & aspretis sterilescit, plumbi tamen, ferri, & carbonum prouentu opulenta, & ouibus pascendis satis commoda.

Greisly castle. Greisleiorum familia. In Australi angulo primùm quod memorandum est, se conspectui offert *Greisely* castrum plusquam dirutum, quod vnà cum monasteriolo in honorem S. Georgij posuerunt olim *Greisles* Domini, qui a Gulielmo filio Nigelli de *Greiseley* dicto genus repetentes ab ipsa Normannica Angliæ expugnatione ad hæc vsque tempora magna dignitate floruerunt, quam coniugio cum filia & hærede antiquæ familiæ de *Gasteneys* non parùm iam olim auxerunt. Ad *Doue* fl. qui a Staffordiensibus hunc agrum donec *Trentam* inuehitur, separat, præter viculos rusticanos & *Ashburne* mercatum vbi *Cokainorum* familia diu effloruit & *Norbury* vbi diu incoluit *Fitz-Herbertorum* nobilis & vetusta inprimis familia è qua Anthonius *Fitz-Herbert* de municipalis iuris nostri, scientiâ optimè est meritus, nihil occurrit: a quo parùm abest *Schirley* vetusta possessio celebris familię *Shirleiorum*, qui a Fulchero quodam stemma ducunt, quibus præter vetustatem familię plurimùm honoris, & latifundia accreuerunt ex connubijs cum hæredibus *Breosorum*, *Bassettorum* de *Braslesford*, *Stantonorum*, *Louettorum*, &c. Circumsita autem hîc sunt plurima loca quæ nomen & sedem claris familijs fecerunt, *Longford* scilicet, *Bradburne*, *Kniueton*, vnde *Kniuetoni* illi de *Mercaston*, & *Bradley*, e quibus est S. Lous *Kniuetonus*, cuius studiosæ diligentiæ multum debeo, *Keidelston* vbi *Cursoni*, vti etiam ad *Croxton*, *Radborn* vbi Ioannes *Chandos* Eques auratus loci dominus magna iecit amplæ domus fundamenta, a quo per filiam ad *Polos* qui hîc hodie habitant, hæreditaria successione descendit. Sed hæc illi relinquo qui hunc Comitatum plenè describendum suscepit.

Shirleiorum familia.

Repton. Burthredus Rex. Ad Trentam verò vbi primùm Douum admiserit *Repandunum* cernitur, sic historici nostri vocitant, Saxones Ꞃꝛepanoun, & nos hodie *Repton* vocamus, quod in tenuem viculum ex amplo opido decreuit: olim enim admodum erat celebre, cùm sepultura Æthelbaldi boni illius Merciorum regis, qui suorum fraude occubuit, & reliquorum Merciæ regum; tum Burthredi vltimi Merciorum Regis fortuna, qui cùm prece & pretio regnum viginti annos tenuisset, hîc à Danis imperio exutus, vel potius splendida regnandi miseria exemptus, documento est quàm lubrico stant loco quæcunque pecunia suffulciuntur. Deinde haud procul a Trenta *Melborn* castrum Regium iam ruinas agit, in quo Ioannes Dux Borboniæ in prælio Agincourtensi captus annos nouendecim sub custodia Nicholai *Montgomerij* iunioris fuit detentus. Vix quinque hinc milliarium interstitio ad Arctum *Deruentio* fl. voluitur, qui vt dixi, in extremo agri ad Septentriones limite fontem è montibus *Peak* deriuans, nunc inter saxa collisus, nunc prata viridantia fouens per triginta plùs minùs milliaria iter quasi rectà in meridiem vrget. In tam longo tamen decursu nihil quod suspiciat habet præter *Chattesworth* ædes sanè amplas, elegantes, & suspiciendas, quas Gulielmus *Candish* siue *Cauendish* Eques auratus e nobili, & antiqua familia de *Gernon*, in Suffolcia oriundus inchoauit, & clarissima eius vxor, Elizabetha quæ nunc Salopiæ Comitissa, maximis impensis nuper absoluit.

Melborn.

Chattesworth.

Quà verò Deruentio in Ortum se conuertit & *Little Chester*, .i. *Parua Vrbs*, præterierit, vbi veteres Romanorum nummi sæpe eruuntur, *Darby* cernitur, Saxonicè Noꝛᵹƿoꝛᵹbiᵹ, *& iuxta Danicum linguam*, vt habet Athelwerdus ille vetustus, *Deoraby*, vniuersi

uersi agri caput, quod nomen a Deruentione flumine cui imponitur desumptum vniuerso agro communicauit. Opidum est elegans, nec exiguum, nec infrequens, ad Orientalem partem Deruentio fl. visu perpulchrum tumido & elato defluit alueo sub ponte saxeo pulcherrimo, cui elegans sacellum, quod iam neglectum, maiorum pietas imposuit. Australem partem interfecat limpidus riuulus quem *Mertenbroke* vocant. Ecclesias numerat quinque, quarum maxima omnium Sanctorum memoriæ dicata Campanile habet & altitudine & singulari artificio eximium. In qua Comitissa Salopiæ quam dixi diffidens hæredum amori prouidè sibi sepulchrum, & in proximo Hospitale alendis XII. pauperculis, octo sz. viris & quatuor mulieribus, piè posuit. Memorabilis olim hic locus quòd grassantibus Danis laubulum fuerit, donec Ethelfleda illa victrix Merciorum Domina inopinato impetu trucidatis Danis potita fuisset. Edwardi Confessoris tempore, vt est in libro Censuali, 143. Burgenses habebat, qui tamen ita diminuti erant, vt regnante Guilielmo Primo, solummodò centum superfuerint. *Hi autem ad festum S. Martini reddebant Regi duodecim * trabes Annonæ.* Nunc verò celebritas è iuridicis conuentibus pro vniuerso agro, & ceruisia, quam coquit optima, nos *Ale* dicimus, detorta à Danica voce *Oela*, non ab Alica vt Ruellius deducit. Britanni antiquo verbo *Kwrw* dixerunt, pro quo perperam *Curmi* legitur apud Dioscoridem, cùm dicat Britannos & Hiberos (fortasse Hibernos) pro vino, *Curmi* potu ex hordeo confecto vti. Hoc enim est vinum nostrum hordeacum, quod Iulianus Augustus, Apostata ille lepidè in Epigrammate vocat Πυρογενῆ, ϗ Βρόμον ὁ Βρόμιον. id est, *Spicigenam Bromon, haud Bromium.* Priscus hic est, & peculiaris Anglorum & Britannorum potus, idemque saluberrimus, quamuis Henr. Abrincensis Normannus Regis Henrici III. Poeta falsè his versiculis irriserit. *Thraues of Corne vt videtur. Ceruisia cur Curmi Dioscoridi, Anglis Ale, ab Oel, voce Danica.

Nescio quod Stygiæ monstrum conforme paludi,
Ceruisiam plerique vocant, nil spissius illa,
Dum bibitur, nil clarius est dum mingitur, vnde
Constat quòd multas feces in ventre relinquit.

Veruntamen Gallorum doctissimus non dubitat quin homines hoc potu vtentes si crapulas euitarent, diuturniore vitæ vsura, quàm qui vinum bibunt, fruerentur, & inde esse, quòd apud nos nonnulli ceruisiam potantes ad annum centesimum peruenerint. Quod tamen Asclepiades apud Plutarchum refert ad rigorem cœli qui calorem in corporibus conseruat, cum Britannos CXX. annos vixisse prodiderit. Turnebus de Vino.

Cæterùm huius oppidi opulentia ferè omnis est ex propolia, scilicet ex frumento emendo, & montanis reuendendo, sunt enim incolæ omnes quasi propolæ.

Non longè hinc suas agit aquas *Derwentio*, vbi terras habuit Radulphus de *Montioye* regnante Edwardo Primo, & per *Elwaston* vnde fuit Gualterus *Blunt* quem ad Baronis de *Montioy* dignitatem Rex Edwardus Quartus euexit, cuius posteri literarum ornamentis generis claritatem adæquarunt, & inter illos præcipuè Carolus nunc Comes Deuoniç, Baro de *Montioy*, Hiberniæ Prorex, & Georgiani ordinis sodalis virtute & eruditione ita emicuit, vt neminem anteponas, paucos conferas. Sub hoc *Deruentio* Trentæ confluit, qui mox *Erewash* admittit limitem in hac parte à Nottinghamiensi Comitatu. Huic adsidet *Riseley* Willoughbæorum, è quibus Hugo *Willoughby* ille Equestris ordinis (vt accepi) fuit, qui dum Glaciale mare iuxta *Wardhous* Scandiæ exploraret, vi frigoris cum suis perijt. Prope etiam est *Sandiacre*, vel vt alij volunt, *Sainct Diacre*, sedes nobilis familiæ Greiorum de *Sandiacre*, quorum hæreditatem adijt iure vxorio Edwardus *Hilary*, cuius filius in Greiorum nomen transiuit, & post paucos annos eius altera hæres Ioannem *Leake* Militem, altera I. *Welsh* in maritum assumpsit. Barones Montioye. 1553. Greij de Sandiacre.

In Orientali latere ordine succedunt ad Boream *Codenor* olim *Coutenoure*, castrum quod ad Greios Barones spectauit, qui Domini *Grey* de *Codenor* dicti fuerunt, quorum hæreditas superiori sæculo deuenit ad Zouchæos ex matrimonio, quod Ioan. *de la Zouch* filius secundus Guilielmi Domini *de la Zouch* de *Haringworth* contraxit cum Elizabetha hærede Henrici Greij postremi Domini de *Codenor*. *Winfeld* lautissimum Manerium vbi ædes Radulphus Dominus Cromwell pro illo seculo magnificas regnante Henrico Sexto construxit. *Alffreton* deinde cernitur quod ab Alfredo rege constructum denominatumque Codenor castle. Barones Grey de Codner. Alfreton.

tumque credunt, quod suos etiam Dominos habuit hinc de *Alfreton* cognominatos, quorum secundus Robertus filius Ranulphi monasteriolum de *Bello Capite*, vulgo *Beauchief* in remotissimo huius Comitatus angulo construxit; sed paucis pòst annis, deficientibus masculis, per duas filias eorum hæreditatem adierunt familia de *Cadurcis*, siue *Chaworth*, & *Lathams* in agro Lancastrensi. Pro insignibus erant his gemini, vt vocitant, *Cheuerni* aurei in parma cærulea. Quæ eadem insignia *Musards* Barones de *Staueley* in hoc agro coloribus commutatis gestarunt, qui desierunt Edwar. Primo regnante in *N. Musard*, eiusque soror natu maxima *T. de Freschevill* enupta, cuius posteri etiamnum hîc florent. Superiùs in ipso Comitatus Orientali limite solo aspero est *Hardwic*, quæ claræ in hoc agro familiæ nomen impertijt, è qua Elizabetha Comitissa Salopiæ nunc ibi duo splendida inchoauit ædificia ferè coniuncta quæ a longè intuentibus se sublimi situ amœnissimo offerunt prospectu. Hæc nunc Baronis titulum Guilielmo *Cauendish* eius filio secundo-genito præbet, quem nuper Iacobus Rex honore Baronis *Cauendish* de *Hardwic* honorauit.

Insignia Baronum de Alfreton. Stauely. Hardwic. Baro Cauendish, siue Candish. Chefte. field 1605.

Interiùs cernitur *Chesterfield* in *Scardale*, id est, in *Valle cautibus conclusa*; cautes enim *Skarres* Angli dixerunt. Huic antiquitatem, & ipsum nouum nomen, murorumq; ruinæ astruunt, sed nomen pristinum tempore antiquatum & extinctum iacet; prælioq; tantùm apud authores celebratur inter Henricum III. & Barones, in quo Robertus de *Ferrarus* vltimus ex ea familia Darbiæ Comes captus, honore suo ex Parlamenti authoritate mulctatus, priuatus deinceps vixit, posterique solo Baronum nomine floruerunt. Chesterfeldiæ huic adiacet ad Occasum *Walton* quod a *Bretonis* per *Loudham* ad *Foliambos* magni in hoc tractu nominis hæreditariò deuenit; ad Ortum *Sutton* vbi *Leaks* equestri dignitate diu inclaruerunt.

Walton. Sutton.

Parumque hinc abest *Bolsouer* castrum antiquum paulò ęditiùs positum quod ad Hastingos *Abergeuennæ* Dominos spectauit ex iure commutationis cum Rege Henrico Tertio, qui cùm noluerit Comitatum Cestriæ ad quem spectauerat, inter colos distrahi, sororibus Ioannis Scoti Comitis vltimi alias possessiones hinc inde assignauit.

Pars Occidentalis vltra Deruentionem, quæ tota collibus & montibus eminet, vnde olim Saxonicè Peac-lond, hodie *Peake*, fortasse dicitur, id enim apud nos eminere sonat, Douo citissimo, & lympidissimo flumine (de quo suo loco) à Staffordiensibus secluditur. Hæc licèt cautes asperas & glabras alicubi habet, plures tamen sunt colles & conualles herbidæ quæ armenta & numerosos ouium greges securè pascunt. Nec enim a lupis iam periculum, qui olim hic infesti fuerunt, ad quos fugandos & capiendos quidam hic terras tenuerunt ad *Wormhill* & inde *Woluehunt* dicti, vt ex Archiuis regni planè constat. Plumbi autem est adeò ferax, vt Chymistæ, qui Planetas tanquam criminis reos ad metalla damnant, Saturnum quem plumbo præficiunt, nobis animo esse benigno quòd plumbum concesserit, Gallis infenso quibus denegauit, ridiculo errore tradiderint. Verumenimuerò de hac regione Plinium locutum arbitror, cùm dixerit, *In Britannia summo terræ corio plumbum adeò largè eruitur, vt lex vltrò dicatur, ne plus certo modo fiat.* In his enim montibus lapides plumbarij feraces, vt vocant Metallici, quotidie magna copia effodiuntur, quos in collibus Fauonio obuersis iuxta *Creich*, & *Workesworth* (quod hinc nomen a plumbarijs operibus inuenit) obseruatis temporibus cùm Fauonius flare cœperit, quem omnium ventorum pertinacissimum esse vsu deprehenderunt, magna lignorum vi accensa excoquunt, & effossis canalibus quibus defluat, in massas, *Sowes* vocantur, conflant. Nec plumbum solùm, sed etiam Stibium (in officinis *Antimonium* vocatur) hic in proprijs venis reperitur; quo in tingendis cilijs Græcæ mulieres vsæ sunt, vnde Poeta Ion ὀμματογραφον nominat. Lapides etiam molares hic excinduntur, cotes item ad ferramenta exacuenda, & nonnunquam Fluor quidam candidus in fodinis reperitur (Lapides enim e fodinis qui gemmis sunt similes, *Fluores* metallicis dicuntur) qui per omnia Crystallo est simillimus. Præter illud *Workesworth*, quod relatu dignum, non aliud occurrit nisi *Haddon* ad *Wie* fl. sedes *Vernonũ* annis quàm plurimis, qui vt antiqui ita perillustres hoc in tractu fuerunt, adeò vt Georgius *Vernon* Eques auratus qui nostro tempore vixit, ob magnificentiam, domum bonis apertissimam & laudatam hospitalitatem nomen Reguli in *Peak* apud multitudinem retulerit. Per eius autem filias & hæredes lauta hæreditas ad Ioannem *Mannours* ex familia Comitum Rutlandiæ

The Peake. Lupi. Inq. 2. E. 2. Plumbum. Brigdæus. Antimonium Lapides molares. Cotes. Fluores. Crystallus. Vernon.

Rutlandiæ, & Thomam Stanley e stirpe Comitum Derbiæ translata fuit. Huic adiacet *Bakewell* ad eundem fluuiolum, qui inter hos colles sibi iter in Deruentionem aperit. Badecanwell hoc Saxonibus dictum fuit, Burgúmq; ibi Edwardum Seniorem constituisse author est Marianus. Nescio an a thermis hoc nomen mutuatum fuerit, quas *Bade* & *Baden* antiqui Angli, vt Germani sua lingua nominârunt, vnde *Baden* Germaniæ, & *Buda* Hungariæ. Sanè ad *Wie* scaturiginem non procul hinc nouem fontes calidis aquis ebulliunt, *Buxtonwell* hodie indigitant, quas cùm stomacho, neruis, & vniuerso corpori salubres esse iam vsus docuerit: honoratissimus Comes Salopiensis Georgius ædificijs nuper illustrauit, & denuò nobilissimorum virorum concursu celebrari cœperunt. Quo tempore infœlicissima illa heroina Maria Scotorum Regina Buxtonæ, Cæsaris de *Feltria* versiculos immutans, hoc Disticho valedixit. *Buxton.*

Buxtona quæ calidæ celebrabere nomine lymphæ,
Fortè mihi posthac non adeunda, Vale.

Sed hæc extra curriculum. Antiquitùs tamen thermas has innotuisse Actus, siue Via Romana lapidibus constrata *Bathgate* dicta, per septem hinc milliaria ad *Burgh* viculum ostendit. Iuxta quem colli adfigitur vetustum castrum, quondam Peuerellorum, *The castle in the Peake* vocatum, Latinè de *Alto Pecco* dictum quod Rex Edwardus Tertius cum *Manerio, & Honore* Ioanni Duci Lancastriæ filio suo, cùm restitueret Comitatum Richmondiæ in manus Regis, donauit. Sub hoc specus, siue subterraneus meatus (honorem præfabor) *Diaboli Podex* dictus, magno hiatu patet, multiplicesque recessus habet, in quibus pastorem vidisse latissimam regionem riuulis interfusam, & vastos inertium aquarum conceptus, siue veri ignorantia, siue mentiendi libidine prodidit Geruasius Tilburiensis. Ex huiusmodi tamen fabulis inter Angliæ miracula censetur hæc specus, nec desunt hiusmodi fabellæ de altera in vicinia specu *Elden hole*, in qua nihil mirandum, nisi quòd sit immanis præceps, & profunda. Sed quòd ventorum sint hic spiracula, frustra sunt qui scripserunt, nec alterutri harum conueniunt illi Nechami versiculi de Angliæ miraculis. *46. Edw. 3.* *Diuels arse in Peake.* *Elden hole.*

Est specus Æolijs ventis obnoxia semper,
Impetus è gemino maximus ore venit.
Cogitur iniectum velamen adire supernas
Partes, descensum impedit aura potens.

Sed quę memoranda in hâc ęditâ & asperâ regiunculâ, quidam hoc Tetrasticho complecti voluit.

Miro alto Pecco *tria sunt, barathrum, specus, antrum;*
Commoda tot, plumbum, gramen, ouile pecus.
Tot speciosa simul sunt, Castrum, Balnea, Chatsworth:
Plura sed occurrunt quæ spetiosa minùs.

Darbiæ Domini è Peuerellorum stirpe illi perhibentur quos Nottinghamiæ Dominos iam ante diximus. Postea Rex Richardus Primus Ioanni fratri *Comitatus & Castella de Nottingham, Lancastria, Derbia, &c. cum honoribus ad ea pertinentibus cum honore etiam de* Peuerell *dedit & confirmauit.* Deinde Comites fuerunt è *Ferrariorum* familia, (quantum ego è Registris Monasteriorum de *Tutbury, Meriuall,* & *Burton* colligere possum) Guilielmus de *Ferrarijs* ex *Peuerelli* filia & hærede natus, quem Ioannes Rex propria manu (vt in *Charta* est antiqua) in Comitem Derbiæ cinxit, Guilielmus eius filius, & ab hoc Guilielmo genitus Robertus qui bello ciuili ita hac dignitate excidit, vt ex posteris nulli, quamuis summo splendore vixerint, in integrum honorem restituti fuerint. Plurimas verò huius Roberti possessiones in Edmundum filium suum iuniorē transcripsit Darbiæ Domini & Comites. Simon Dunelmensis. Houenden. Matth. Paris. 204. Chartæ antiquæ 1. Ioan.

Rex Henricus Tertius, & Rex Edwardus Tertius (ex autographo scribo) consilio Parlamenti constituit Henricum de *Lancastria* filium Henrici Comitis Lancastriæ, Derbiæ Comitem *sibi, & hæredibus*, simulque assignauit 1000 Marcas *annuatim in vitam* Henrici Comitis Lancastriæ patris sui. Inde titulus Lancastrensi stemmati coaluit, donec Henricus Septimus eundem Thomæ *Stanley* contulerit qui Margaretam Regis matrem iam ante duxerat,& ex hac familia iam sextus Derbiæ Comes Guilielmus vir longè honoratissimus eo honore lætatur.

Mercij Aquilonares. Hæc de Comitatibus Nottinghamiæ,& Derbiæ,quorum partem incoluerunt illi qui Bedæ ætate *Mercij Aquilonares* vocabantur, quòd vltra Trentam ad Aquilonem consedêrunt, *terramq́*, vt inquit, *familiarum septem millium habuerunt*.

Paræcias includit hic Comitatus 106.

CORNAVII



CORNAVII.



Eragratis iam ordine CORITANORVM *regionibus, qui proximi ad Occiduam Solis plagam fuerunt,* CORNABII *siue* CORNAVII *sunt perlustrandi : quorum* ἐτυμον *excutiant alij ; vim verbi in aliud, atque aliud ducere possum, sed cùm ex illis nullum loci naturæ, populique ingenio respondeat, furcillis malim eijcere, quàm his nostris commentariolis intexere. Quod igitur instituti est, prouincias quas* CORNAVII *ex Ptolemæi descriptione tenuisse videntur, seorsim percurram ; videlicet* Warwicke-shire, Worcester-shire, Stafford-shire, Shrop-shire, & Cheshire. *In quibus nullum Cornauiorum nominis vestigium hodie superest, licèt hoc nomen ad inclinatum vsque Romanorum imperium permansisse videatur. Sub posterioribus enim Imperatoribus* CORNAVIORVM *Numeri & turmæ meruerunt, vt videre est in libro notitiarum.*

(:)

WARWICI comitatus a cornauiis olim inhabitatus

HVNDREDORVM NOMINA

A Hemlinoforde
B Knightlowe
C Barlichway
D Kyneton
E Libertas ciuitatis Couentriæ

VIGORNIÆ PARS

Scala Miliarium

Christophorus Saxton descripsit
William Kip Sculpsit





LECESTRIÆ PARS
Tamcworth
Atherston
Nun Eaton
Hinckley
Colshill
Coventre
Lutterworth
Kenelworth
Rugby
Dunsmere heath
Warwick
Southam
Kyneton
Dauentre
Stretforde super Auen
Shipston
Banbury
NORTH HAMTONIÆ PARS
OXONIÆ PARS

WARWICK-SHIRE.



Arwicensis pagus, qui Anglo-Saxonibus, vti nobis *Warwick-shire*, ab Ortiuo cardine Northantonensibus, Leicestrensibus, & via militari, quam dixi; ab Australi Oxoniensibus, & Glocestrensibus; ab Occiduo maxima ex parte Wigorniensibus, & à Septentrione Staffordiensibus finitus, in duas distinguitur partes, in *Feldon* scilicet, & *Woodland*, id est, *in regionem campestrem, & syluestrem*. Quas *Auona* flumen obliquè per mediam regionem ab Ortu æstiuo in Occasum Brumalem defluens quodammodo seiungit.

Feldon. *Feldon* cis *Auonam* ad Austrum campestri iacet planitie, frugibusq; & virenti gramine læta prospectum amœnitate plenissimum despectantibus è colle quem *Edg-hill* vocant, præbet. Quà verò hic collis iuxta *Warmington* desinit vallum militare rotundum satis magnum vidimus, quod vt ad genus alia opinemur in vsum non longi temporis ingruentibus olim hostibus factum fuisse. Ex rubente autem hic terra *Rodway*, *Rodley*, & pars magna vallis ipsius *The valle of Red-horse* nuncupatur, à forma equi in colle ruffescente iuxta *Pillerton* à rusticis excisa. In hac parte memoranda sunt *Shipston*, & *Kinton*, alterum ouium, alterum vaccarum forum iam olim, vnde & nomina inuenerunt, *Compton in the hole* ita appellatum quòd sub collibus in conualle lateat: suas tamen habet amœnitates, & vnde inclyta familia nomen traxit, è qua Henricum *Compton* ad Baronis dignitatem anno reparatæ Salutis CIↃDLXXII. augustissima Reg. Elizabetha prouexit. *Wormleighton* ouium pastura nobilis, sed nobilius ex quo clarissimum virum Ioannem *Spencer* de quo iam diximus, Baronem *Spencer* de *Wormeleighton* Rex Iacobus creauerit. *Shugbury* vbi Astroites lapides reperiuntur quos loci domini de *Shugbury* dicti, in suum digma gentilitium transtulerunt, *Southam* mercatus haud ignotus, & frequens, nec non *Leamington*, à *Leamo* fluuiolo qui hanc partem pererrat sic dictum, vbi fons salsus ebullit, *Vehindon* nunc *Long Ichingdon*, & *Harbury*. Nec alio sanè nomine hæc duo memoranda sunt, quàm quod inter ea Fremundus Offæ regis filius ex insidijs nefariè olim occisus fuerit; vir magni nominis & singularis in Deum pietatis, cui nihil aliud inuidiam conflauit, quàm quod infœlici tempore, fœlicibus auspicijs hostium audaciam contudisset. Quod tamen eius fatum in maiorem illi gloriam cessit. Nam sepultus ad Offæ patris palatium (*Off-Church* nunc dicitur) posteritati adhuc superstes est, vtpote qui inter indigites relatus diuinos honores apud multitudinem meruit, vitaque eius carmine satis eleganti ab antiquo scriptore descripta, è qua non sit piaculum, hos pauculos versus subiungere de homicida qui regnandi libidine percitus illum sustulit.

[Margin: The vale of Red-horse. Shipston in Com. Wigor. Kynton. Compton. Worme-leighton. Shugbury. Astroites lapides. Leamington. Off-church.]

Non sperans viuo Fremundo, regis honore
Optato se posse frui, molitur in eius
Immeritam tacitò mortem, gladioq; profanus
Irruit exerto seruus, Dominique iacentis
Tale nihil veritum sæuo caput amputat ictu.
Talis apud * Wydford *Fremundum palma coronat,*
Dum simul & sontes occidit & occidit insons.

[Margin: * Alibi Radford.]

Fosse-way. Hæc in *Feldon* siue campestri parte, quam (nec omittere decet) via illa antiqua *Fosse* transuersè intersecat, cuius agger in pascuis iam deuijs cernitur prope *Chesterton* habitationem peruetustæ familiæ *Peitorum*, è qua fuit Guilielmus ille *Peito* Franciscani ordinis, quem Cardinalem & Angliæ Legatum in inuidiam Cardinalis Poli Paulus Quartus P. R. (tantæ inerant animis cœlestibus iræ) frustra creauit, cùm Polum Romam accersisset tanquam deprauatæ religionis reum. Verùm Maria Regina, quanquam Romanæ Ecclesiæ deuotissima, ita se interposuit, imò opposuit, vt *Peito* Angliam ingredi prohiberetur, & Legatina authoritas integra *Polo* relinqueretur. Nescio an hîc memorare intersit quòd regnante Edwardo Quarto, quidam scriptis libris conquesti sint Auaritiam in hoc tractu ouium gregibus tanquam copijs contractis villas frequentes obsedisse, agricolis

[Margin: Peito. Rossus, & T. B. contra villarum destructores.]

gricolis abactis expugnasse, & tanta cum clade excidisse, vt ex illis vir eo æuo doctus cum Poeta exclamarit:

Quid facerent hostes capta crudelius vrbe?

Ad *Auonam* verò flumen vbi adhuc exilis hunc Comitatum subintrat *Rugby* se primò offert lanijs forum frequentissimum, deinde *Newenham Regis* ad alteram fluminis ripam, vbi tres fontes alumine, vt videtur, percolati erumpunt, quorum aqua lacteo colore & sapore, calculo mederi perhibetur: vrinam certè copiosè ciet, vulnera statim consolidat & sanat, cumque sale hausta laxat, cum saccharo astringit. Tunc *Bagginton* quod suum castrum habuit, & ad *Bagottos* nobilem inprimis familiam quondam spectauit. A quo paruo abest interuallo *Stoneley* vbi monasteriolum fundauit Rex Henricus Secundus; & ex opposito castellum olim fuit ad *Auonam*, *Stoneley-holme* dictum, in *Holme-hull* constructum, quod dirutum dum Danica bellorum flamma Angliam sub Canuto inuolueret. Newenham. Fontes salubres. Bagginton. Stoneley. Registrum Mon. de Stoneley.

Præcipuum deinde totius Comitatus opidum allabitur *Auona*, quod nos *Warwicke* vocamus, Saxones Wæpping-wyc, Ninnius & Britanni *Caer Guarnic*, & *Caer Leon*. Quæ omnia nomina, quum à *Guarth* Britannica dictione, quæ præsidium significat, vel à Legionibus quæ locorum defensioni imponebantur, profluxisse videantur; quodammodo persuaserunt (quamuis ego potiùs Scepticus, quàm Criticus in Etymologijs esse malim) hoc illud opidum esse quod PRAESIDIVM Romanis in Britannia dicebatur, vbi, vt est in Prouinciarum Notitia, Præfectus Equitum Dalmatarum sub dispositione Ducis Britanniarum egit. Hæc cohors ex Dalmatia scripta fuit, & vt obiter notem, ea erat prouida Romanorum prudentia, vt in prouincijs externos milites per præsidia disponerent, quibus, cum indigenis ob morum & linguæ diuersitatem nulla potuit esse conspiratio. Nam (vt scribit ille) *Gentes seruitutis frænis non assuetæ, facilè aliàs ab imposita iugo resiliunt.* Hinc militarunt in Britannia ex Africa Mauri, ex Hispania Astures & Vettones, è Germania Bataui, Neruij, Tungri, Turnacenses, è Gallia Lingones, Morini, & aliundè Dalmatæ, Thraces, Alani, &c. vt suis locis dicemus. Sed ad rem. Ne quis existimet Britannos *Guarth* illud à Francis hausisse, cùm origine Hebraica sit (si Lazio credatur) & in ea plurimæ nationes consenserint. Sed hoc Præsidium fuisse, & annalium nostrorum authoritas docet, qui Romanas legiones hîc consedisse memorant, & ipse etiam situs in prouinciæ pene vmbilico innuit; æquali enim spatio hinc ab Orientali *Norfolcia*, illinc ab Occidentali Cambriæ littore disiungitur, cuiusmodi situm PRAESIDIVM Corsicæ opidum in ipsa media insula positum obtinuit. Nec mirum si præsidium, & militum stationem hîc Romani habuerint, cùm *Auonæ* flumini rupe satis prærupta imminéat, & omnis aditus ex ipso saxo sint effossi. Mœnibus & fossis munitum fuisse apparet, castrum verò & natura & opere firmissimum Warwicensium Comitum olim sedem ad Africum prætendit; opidumque ipsum ædificijs speciosis est exornatum, plurimúmque debet Ethelfledæ Merciorum Dominæ, quæ labefactatum anno Christi DCCCCXI. restaurauit. Sub Normannorum etiam ingressum statu erat satis florenti, pluresque (vt vocant) *Burgenses* habuit, e quibus duodecim Angliæ Reges in bellum comitari (sic in Regis Guilielmi Primi libro scribitur) tenebantur. *Qui monitus non ibat, centum solidis Regi emendabat, si verò per mare ibat Rex contra hostes, vel quatuor* Botesuenas, *vel quatuor libras denariorum mittebant. In hoc Burgo Rex habet in dominio suo* CXIII. *Burgenses, & Barones Regis habent* CXII. Rogerus secundus e Normannico sanguine Warwici Comes pulcherrimum Beatæ Mariæ templum in ipso opidi sinu posteà construxit, quod *Beauchampi* siue *de Bello-campo* qui successerunt, suis sepulchris condecorârunt, præcipue verò *Bello-camporum* vltimus Comes Warwicensis Richardus, & Normanniæ Præfectus, qui Rothomagi CIↃCCCCXXXIX. fatis concessit, & magnifico funere elatus in hoc conditur. Warwicke. Præsidium. Milites externi in prouincijs. Horus lib. 4. cap. vlt.

Iuxta *Warwicum* ad Aquilonem *Blacklow* collis cernitur, in quo Petrus de *Gaueston* quem Rex Edwardus Secundus ex humili loco in Cornubiæ Comitem euexerat, à regni proceribus capite obtruncatus fuit. Principis enim gratiâ, & fortunæ indulgentiâ, tantam sibi licentiam vsurpauit, vt cùm Regis animum corrupisset, optimum quemque contemneret, & in omnium fortunas insolenter inuolaret, & homo vafer & veterator Principis & procerum animos dissociaret. Blacklow-hill, alijs Gauersike.

Sub

Guy-cliffe. Sub hoc ad Auonam fl. *Guy-cliffe* alijs *Gib-cliffe* sedet, nunc Thomę de *Bello-fago*, siue *Beau-foe* ex veteri Normannica prosapia habitatio ; & quæ ipsa sedes est amoenitatis. I. Rossus Warwicensis. Nemusculum ibi est opacum, fontes limpidi, & gemmei, antra muscosa, prata semper verna, riui leuis & susurrans per saxa discursus, nec non solitudo, & quies Musis amicissima. Guy of Warwike. Hic Guidonem Warwicensem decantatum illum heroëm post multos exantlatos labores sacellum construxisse, heremeticam vitam duxisse, & tandem sepultum fuisse ferunt. Prudentiores tamen locum illum à Guidone de *Bello-campo* memoria multò recentiori nomen adsumpsisse existimant, & certum est Richardum de *Bello-campo* Warwicensem Comitem sacellum S. Margaretæ hîc instaurasse, statuámq; Giganteam Guidonis illius erexisse.

Charlecott. Plenior hinc *Auona* defertur per *Charlcott* nobilis & equestris familię *Luciorum* habitationem, quæ à *Charlcottis* iam olim ad illos hæreditariò quasi transmigrauit, qui ad pauperes & peregrinos suscipiendos domum religiosam pio instituto ad *Thellisford* posuerunt, *Thelley* enim fluuiolus dictus erat, qui per *Compton Murdac* olim *Murdacorum*, Stratford vpon Auon. nunc equestris familię *Vernatorum*, & hanc *Thellisford* Auonam petit, qui *Stratford* mox allabitur empóriolum non inelegans, quod duobus suis alumnis omnem dignitatem debet, Ioanni de *Stratford* Archiepiscopo Cantuariensi qui templum posuit, & Hugoni *Clopton* Prætori Londinensi, qui *Auona* pontem saxeum quatuordecim fornicibus subnixum, non sine maximis impensis induxit. Hic frater natu minor erat ex antiqua familia quæ à *Clopton* Manerio adiacenti hoc cognomen mutuata, ex quo Walterus de *Cooksfeld* dictus *Marescallus Miles*, ad *Clopton* sibi & suis certam sedem defixerat. Horum hæreditas nostro tempore ad duas sorores cohæredes descendit, quarum altera enupta Georgio *Carew* Equiti clarissimo Serenissimæ Reginæ Annæ Procamerario, quem titulo Baro Carew de Clopton. Baronis *Carew* de *Clopton* Rex Iacobus ornauit, & ego vel hoc nomine memoro, quòd venerandæ antiquitatis sit summus admirator. Nec aliud ad suas ripas præter *Bitford*, Mercatum, & rusticanos viculos videt *Auona* iamiam Wigornienses aditurus.

Woodland. Syluestrem regionem nunc perlustremus, quæ trans *Auonam* fl. ad Septentriones expanditur spatio multo maiori, maximam partem nemoribus insessa, nec tamen sine pascuis, aruis, & varijs ferri venis. Hæc vt hodie *WoodLand*, id est, *Regio Syluestris*, ita etiam Arden. *Arden* antiquiori nomine olim dicebatur, verùm eadem plane, vt ego existimo, significatione, *Arden* enim priscis Britannis & Gallis syluam significâsse videtur, cùm in Gallia syluam maximam ARDEN, opidum in Flandria iuxta alteram syluam *Ardenburg*, & celebratam illam Angliæ syluam truncato vocabulo *Den* nominari videamus, Diana Ardwena. vt DIANAM illam taceam quæ in antiquis Galliæ Inscriptionibus ARDVVENA & ARDOINA, id est, si quid ego video, *Syluestris*, & eadem fuit, quæ Italiæ Inscriptionibus NEMORENSIS nominata. Ex hac Turkillus de *Arden* qui hic floruit, magno honore sub Henrico Primo nomen assumpsit, & propago eius admo dum clara longè per Angliam succedentibus annis est diffusa. Occiduum huius latus *Arrow* fluuius vt se socium Studly. *Auona* coniungat per *Studly* castrum quondam I. filij *Corbutionis* properat. An verò à velocitate sic dictus fuerit, vt *Tigris* Mesopotamiæ (*Arrow* enim nobis sagittam, vt *Tigris* Persis denotat) vel contra à lento cursu quod *Ara* priscis Gallis & Britannis significauit, viderint alij. Coughton. Throckmortoni. Huic adsidet *Coughton*, *Throckmortonorum* Equestris familiæ præcipua sedes, quæ numerosa, admodum clara, & splendidis ingenijs fœcunda in hoc tractu præcipuè floruit, ex quo nuptias cum hærede de *Speney* contraxit. Haud multum hinc Ousley. abest *Ousley*, quæ suis etiam Dominis quondam insignis, *Butleris* scilicet, Baronibus de *Wem*, à quibus hæreditariò ad *Ferrarios de Ousley* dictos, est deuoluta. Quorum hæreditas breui inter I. Dominum de *Greistocke* & Radulphum *Neuill* dispertita fuit. Inferiùs Beauchamps court. ad *Arrow* posita est *Beauchamps-court* à Barone de *Bello-campo de Powik* denominatum, à quo per filiam vnicam Edwardi *Willoughbey* filij Roberti *Willoughbey* Baronis *Broke* ad Greuilli. Fulconem *Greuill* virum & equestri dignitate, & naturæ facilitate clarissimum deuenit, cuius vnicus filius eodem itidem nomine, ita veræ virtuti, & germanæ nobilitati se consecrauit, vt animi nobilitate genus longè exuperet, cuiusque in me maximis meritis etsi dignas gratias nec animus meus aperire, nec illustrare possit ; loquens tacensque tamen gratias & agam, & habebo.

Henley. Sub hoc in *Arrow* influit *Alne*, siue *Alenus*, qui inter syluas cursum agens, *Henley* mercatorium

mercatorium opidulum subluit, cui castrum adiunctum habuit familia de *Monte-forti*, qui magni nominis Nobiles, quod ab amœno in medijs syluis situ *Bell-desert* Gallicò nomine dixerunt, sed hoc nunc suis ruderibus inhumatum disparuit. Genus his erat non ab Almaria *Montefortiorum* familia, sed à Turstano de *Bastanberg* Normanno; hæreditas verò tandem per filias demigrauit ad Barones de *Sudley*, & *Freuilles*. Ad *Arrowi* verò & *Alени* huius confluentes vidimus *Aulcester*, Matthæo Parisiensi *Allencester*, Aulcester.
& rectiùs, quod celebratissimum & antiquissimum esse contendunt incolæ, vnde *Ould-cester* dictum volunt. *Hic* (vt in veteri *Inquisitione* legitur) *erat Burgus Francus Domini Henrici Primi, & idem Rex dedit illum Burgum Roberto* Corbet *pro seruitio suo, & cùm idem Robertus obijt, descendit per descensum Domino Willielmo de* Botereux, *& Domino Petro filio Herberti, & cùm Willielmus de* Botereux *obijt, descendit illa medietas villatæ in manum D. Reginaldi de* Botereux *per descensum sicut hæredi qui nunc tenet, & cùm Petrus* filius Herberti *obijt, descendit illa medietas in manum Herberti* filij Petri. *Qui Robertus dedit illum Roberto de Chaundoys.* Nunc autem è maximo opido in exiguum rerum venalium mercatum decreuit, sed frumentarijs nundinis celebratissimum. Superiùs inter nemora quæ iam rarescunt, sunt *Wroxhall*, vbi monasteriolum siue *Prioratum* posuit Hugo de *Hatton*, *Badesley* olim *Clintoniorum*, nunc *Ferrariorum*, & *Balshall* quondam Templariorum *Præceptoria*, quam illis Rogerus de *Mowbray* donauit, cuius tanta fuit in Templariorum ordinem munificentia, vt communi consilio decreuerint, quòd ipse cuicunque fratrum si quid in ordinis instituta peccasset, & coram ipso crimen agnosceret, remitteret, & condonaret. Militesque ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, quibus Templariorum possessiones in Anglia fuerunt assignatæ (Deo enim sacrata prophanare maiores nostri tunc temporis piaculum existimârunt) concesserunt gratitudinis ergò Ioanni *Mowbray* de *Axeholme* successori illius Rogeri, vt ipse & successores sui in singulis ipsorum conuentibus honore à Regibus secundo semper exciperentur.

Liber in Saccario. Wroxhall. Baddesley. Balshall. Registrum Templariorum & Ordinis S. Ioannis Hierusalem. Vide Stat. de Templarijs.

Magis ad Ortum æstiuum, vbi riuuli coeuntes lacum inter viuaria diffundunt, qui statim ripis coercitus canalem agit *Kenelworth*, olim *Kenelworda* vulgò, sed corruptè *Killingworth* apponitur, & inde denominatur castrum amplissimum, pulcherrimum, munitissimum, viuarijs circumseptum, quod nec Kenulphus, nec Kenelmus, nec Kineglisus construxit, vt somniant nonnulli, sed Galfridus *Clinton* Henrico Primo à cubiculis, & eius filius (vt prolatis tabellis ostendi possit) cùm ecclesiam Canonicis *Regularibus* ibi priùs fundâsset. Verùm huius pronepos Henricus cùm prole careret, Henrico Tertio Regi diuendidit, qui cùm Æleonora sorore Simoni de *Monteforti* Leicestriæ Comiti in dotem assignauit. Statimque inter eos facta animorum alienatione & disiunctione, Simone Comite in bello Baronico post funestissimas turbas sublato, sex mensium obsidionem pertulit, demumque se in deditionem Henrico Tertio commisit, qui hoc castrum in hæreditatem familiæ Lancastrensis adscripsit. Qua tempestate promulgatum hinc edictum quod nostri Iurisperiti *Dictum de Kenelworth* vocitant, quo sancitum fuit, vt singuli qui contra Regem arma tulissent, *soluerent quantum terræ eorum valuerint per quinque annos, &c.* salutari seueritate sine sanguine contra seditiosos qui in publicum exitiosi nihil spei nisi per discordias tunc temporis habuerunt. Nuper verò ex Reginæ Elizabethæ munificentia sedes erat Roberti *Dudlai* Comitis Leicestrensis, qui ad illud instaurandum & ornandum nihil non fecit, adeò vt siue ædificiorum splendorem, siue viuariorum amplitudinem spectes, inter Angliæ castra in tertijs consistere quasi dedignetur.

Kenelworth, vulgò Killingworth. 1266.

Hinc vt ordinem quo iter ipse habui persequar, *Solyhill* vidi, sed in eo præter ecclesiam nihil visu dignum, deinde *Bremicham*, incolis infertum, & incudibus resonans, sunt enim plurimi fabri ferrarij. Pars eius inferior aquis permadet, superior pulchris ædificijs surgit; in cuius non vltima laude posuerim, quòd nobilis & bellicosa Bremichamorum in Hibernia familia hinc suam originem & nomen duxerit. Inde in extremo huius agri ad Boream margine *Sutton Colfeild* loco saltuoso & ingrato Ioannem *Voisy* Episcopum Exoniensem alumnum suum prædicat, qui opidulum iam diu intermortuum (regnante Henrico VIII.) ædificijs, priuilegijs, & ludo literario excitauit. Hinc descendendo in austrum veni ad *Coleshull*, olim *Clintonorum*, & huic vicinum *Maxstock* castrum quod *Limseios* qui Domini de *Woluerley Odingsellos* è Flandria oriundos, & *Clintonos*, qui clarissimi fuerunt in hoc agro, perpetua quasi serie hæreditariæ successionis Dominos agnouit.

Bremicham.

Inferiùs in medio Syluestris huius regionis *Couentrey* sedet, à conuentu dicta, vt credimus, cùm eiusmodi Conuentum nos nostra lingua *Couent* & *Couenn* appellemus, & sæpiùs in historijs nostris, & Pontificum decretis *Conuentria* dicatur; vt in illo, *Vel non est compos sui Episcopus Conuentrensis, vel nimis videtur à se scientiam repulisse.* Sunt tamen qui à fluuiolo illo interfluente & hodie *Shirburn* dicto, & in antiqua *Prioratus* Charta *Cuentford* concipitur nomen desumptum volunt. Vndecunque appellatio sit facta, superiori seculo laneis, & pileis conficiendis ditata, vnicum fuit harum regionum Emporium, & plusquam mediterranea, frequens: vtpote vrbs percommodo situ, ampla, nitida, mœnibus munita firmis, & ædificijs exculta pulcherrimis, inter quæ duo rari operis contigua, & quasi æmula exsurgunt templa, alterum sanctæ Trinitati, alterum Michaëli sacrum. Ex intima tamen antiquitate nihil habet, omnium verò antiquissimum videtur fuisse monasterium siue *Prioratus*, cuius parietinas iuxta illa templa vidimus quod Sanctimonialibus Canutus rex fundauit, quibus paulò post eiectis Anno CIↃXL. ampliauit, & quasi de nouo construxit Leofricus Merciorum Comes *tanto auri & argenti spectaculo* (Malm. verbis vtor) *vt angusti viderentur ipsi parietes Ecclesiæ thesaurorum receptaculis, miraculo porro visentium oculis, ex vna enim trabe 50. argenti marcæ fuerunt erasa.* Tantoque ditauit patrimonio, vt Robertus de *Limseio* Lichfeldensis, & Cestrensis Episcopus huc sedem quasi ad Lydiam arenam transferret: vt, (sic enim scribit Malmesburiensis ille) *ex ipsis Ecclesiæ gazis surriperet, unde Regis manum impleret, unde Papæ occupationes falleret, unde Romanorum auiditati arriperet.* Verùm sedes hæc post paucos annos Lichfeldiam remigrauit. Ita tamen, vt vnus idemque Episcopus *Couentrensis* & *Lichfeldensis* diceretur. Primus huius vrbis Dominus (quod nouimus) fuit Leofricus iste, qui in ciues commotior grauissimis illos tributis oppressit, quæ nulla alia lege laxari voluit, Godiua vxore obnixè intercedente, nisi ipsa nuda frequentissimam vrbis partem obequitaret, quod promississimis suis capillis obtecta, à nemine, si fides sit vulgo, visa præstitit, & Conuentrenses suos multis pensitationibus in perpetuum exsoluit. A Leofrico per Luciam eius ex Algaro filio neptim, in Cestrensium Comitum possessionem peruenit, nupserat enim illa Ranulpho eius nominis primo & tertio ex hac stirpe Comiti Cestriæ, qui easdem, quas habuit Lincolnia libertates, Conuentriæ indulsit, magnamque vrbis partem monachis donauit, reliquam, & *Chilmore* quod prædium est *Dominicum* sub vrbe, sibi & suis reseruauit. Quibus defunctis, cùm nulla mascula prole superstite, hæreditas inter sorores in partes diduceretur, Conuentria ad Rogerum de *Monte-alto*, siue *Mont-hault*, mediatè per Arundeliæ Comites descendit. Cuius è filio nepos Robertus omne ius suum concessit *pro defectu masculorum de corpore, Isabellæ Reginæ matri Regis* (Edwardi sc. Tertij) *tenenda tota vita ipsius Reginæ, & post eius decessum remanere Ioanni de* Eltham *fratri Regis & hæredibus de corpore suo procreatis, pro defectu remanere Edwardo Regi Angliæ &c.* Sic enim habetur in *Fine* anno secundo Edwardi Tertij, Ioannes autem de *Eltham* postea Cornubiæ Comes creatus, & hic locus Cornubiæ Comitatui adiunctus. Iam inde inprimis floruit, Reges varias immunitates dederunt, præcipuè Edwardus Tertius qui Prætorem duosque *Ballinos* eligere permisit, & Henricus Sextus qui, aliquot vicinis oppidulis adiunctis, concessit, vt *Integer Comitatus per se corporatus* (ipsius Chartæ verbis loquor) *in re & nomine esset, distinctusque à Comitatu de Warwick.* Quo tempore pro *Ballinis* duos instituit *Vicecomites*, firmissimisque mœnibus ciues vrbem obuallare cœperunt: in quibus sunt portæ pulcherrimæ, & ad illam quæ *Gofford* dicta, ingens, os spatulare Apri, immanis spectatur, quem vel Guidonem Warwicensem, vel Dianam Nemorensem inter venandum peremisse putes, cùm puteum illum siue stagnum eruncásset, quod hodie *Swansewell Poole*, sed olim *Swinesewell* appellatum fuisse antiquarum *Chartarum* probat authoritas.

Honorius 3. cap. 14. Decret.

Couentriæ Domini. 1050. Florilegus.

De Monte-alto.

Quod ad longitudinem attinet, XXV. partibus, LII. scrupulis, quod ad latitudinem LII. gradibus, XXV. scrupulis definitur. Hactenus de *Conuentria*, quæ tamen non à me, (vt libens agnoscam per quem profeci) sed ab Henrico *Ferrario* de *Baddesley* viro cùm generis splendore, tum antiquitatis cognitione laudatissimo, & verè amicissimo, qui mihi hîc & alibi erranti semper viam comiter monstrauit, & quasi lumen de suo lumine accendit.

Ausley. Iuxta *Conuentriam* ad Boream *Ausley* castrum quondam *Hastingorum* qui Domini Abergeuennæ

Abergeuennæ fuerunt, & *Brand* olim *Verdoniorum* habitatio locantur: ad Ortum *Caloughdon*, vulgo *Caledon* locum habet, antiqua sedes Baronum *Segraue*, à quibus ad Barones de *Berkley* per alteram filiam Th. Mowbraij Norfolciæ Ducis descendit. *Segrauij* hi, ex quo Stephanus Iustitiarius Angliæ fuit, Baronum honore claruerunt, *Chaucumborum* hæreditatem adierunt, quorum etiam insignia iam inde vsurparunt, Leonem scilicet arrgenteum insurgentem & auro coronatum in clypeo nigro. Vltimus verò Ioannes Margaretam Ducissam Norfolciæ Thomæ de *Brotherton* filiam duxit, filiamque progenuit Elizabetham quæ Marescalli Angliæ dignitatem, & Ducis Norfolciæ titulum in *Mowbraiorum* familiam intulit. *Brinklo* etiam non multùm hinc abest, vbi castrum erat antiquum *Mowbraiorum*, ad quod multa circumuicina prædia spectarunt, sed huius etiam rudera temporis vetustas prorsùs erasit, vt etiam Monasterij Combe quod *Camuilli*, & *Mowbraij* possessionibus dotarunt, & è cuius cineribus pulchræ *Harringtoniorum* ædes hoc in loco surrexerunt. In Ortum tendenti statim se *Cester-Ouer*, Greuilliorum de quo ante Obiter egi, iuxta quam via militaris Romanorum *Watlingstreet*, in Septentriones hunc Comitatum a Leicestrensi interdiuidens procurrit per *High-crosse*, de qua iam diximus, prope *Nann-Eaton* quæ olim *Eaton* dicebatur, sed cùm Amicia Roberti *Bossu* Leicestrensis Comitis vxor, vt scribit Henricus Knighton, *Sanctimonialium monasterium fundâsset, in quo ipsa facta Sanctimonialis*, à Sanctimonialibus *Nonn-Eaton* appellari cœpit. Magnaque erat superioribus seculis celebritate ob sanctimoniam sacrarum virginum, quæ ibi precibus assiduæ bene viuendi exemplum præbuerunt. Brand. Caledon. Barones Segraue. Insignia Segrauiorum. Brinklo Castle. Combe Abbay.

Sub hoc *Asteley* Castrum quondam floruit familiæ de *Asteley* sedes primaria, cuius tandem hæres fuit data in vxorem secundam Reginaldo *Grey* Domino de *Ruthin*, è qua prognati sunt *Grey* Dorsettiæ Marchiones, quorum nonnulli in nitidissimo Collegio hic inhumati fuerunt. Asteley. Baro *Asteley*.

Paulò suprà ad *Watlingstreet*, sic militarem Romanorum viam cum vulgo vocamus, vbi ponte saxeo *Anker* fluuius coniungitur MANDVESSEDVM oppidum longè vetustissimum ab Antonino memoratum locum habuit, quod suo nomine non omnino viduatum, nunc *Mancester* dicitur, Ninnij Catalogo Caer *Mancegued*. Quod nomen cum lapidicina adiacet, è qua structiles lapides effodiuntur, à lapidibus effossis, & excisis impositum suspicari liceat. E Britannicæ enim linguæ Glossarijs *Main* lapidis & *Fosswad* prouinciali lingua effodiendi significationem habere docemur, quæ coniuncta antiquum illud nomen MANDVESSEDVM satis expresiè referre videantur. Quantum autem & qualecunq; olim fuerit, viculus hodie perexiguus vix quatuordecim ædiculas numerat, & nihil antiquum præter molem antiquam ostendit, quam *Oldbury*, .i. *antiquus Burgus*, dicunt. Hinc enim *Atherstone* mercatus frequens vbi fraterculorum ædes in Capellam conuersæ, quæ tamen Ecclesiam de *Mancester*, vt matrem agnoscit, illinc *Nonn-Eaton* sua vicinitate exhauserunt. *Atherstoniæ* contiguum *Meri-uall*, .i. *vallis hilaris* vbi Deo & Beatæ Virgini Monasterium erexit Robertus de *Ferrarijs*, in quo ipse corio bubalino intectus sepulturæ traditus. Vltra hæc ad Boream est *Pollesworth*, vbi sacris virginibus Modwena virgo Hibernica insigni sanctitatis opinione cœnobium construxit, quod R. *Marmion* vir nobilis instaurauit, qui suum habuit castrum in vicinia ad *Stippershull*. Iuxtà etiam Saxonico seculo floruit, quod nunc ferè euanuit SECANDVNVM hodie *Seckinton*, vbi Æthelbaldus Merciorum Rex intestino bello Anno Salutis DCCXLIX. a Bearedo transfossus occubuit; & mox Bearedus ab Offa peremptus, eo scelere quo regnum inuasit subitò amisit. Manduessedum. Mancester. Meriuall. Pollesworth. Seckinton.

Warwicenses Comites iam sunt recensendi, vt enim omittam Guarum, Morindum, Guidonem Angliæ tympanum, & eius notæ alios quos fœcunda ingenia vno partu nobis enixa sunt, Henricus Rogeri de *Bello-monte* filius, Roberti Comitis *Mellenti* frater, primus fuit è Normannico genere Comes, qui Margaretam filiam Ærnulfi de *Hesdin* Comitis Perticensis potentissimi viri sibi in vxorem iunxerat. Ex hac familia hunc honorem gesserunt Rogerus filius Henrici, Guilielmus filius Rogeri, qui obijt tricesimo Regis Henrici Secundi; Walleranus frater eius, Henricus filius Wallerani, Thomas filius eius, qui vicesimo sexto Regis Henrici III. mortuus sine sobole, Margeria sorore superstite quæ Warwici Comitissa obijt sterilis, cuius tamen duo mariti primùm Ioannes Marescallus, deinde Ioannes de *Placetis* vxorio iure, & principis gratiâ in Comitum Comites Warwici. Placita H. 3. Rotulo 234.

Warwicensium

VVarwicensium honorem ascenderunt. His autem sine prole ex illa Margeria defunctis, VVallerandus Margeriæ patruus surrogatus est. Illo sine sobole mortuo soror eius Alicia hæreditatem adit. Postea Guilielmus eius filius, *Maledoctus*, *Malduit*, & *Manduit* dictus de *Hanslap* qui sine liberis è vita decessit. Isabella autem Gulielmi *Male-docti* soror Guilielmo de *Bello-campo*, siuè *Beauchamp* Baroni de *Elmesley* collocata VVarwicensem titulum in *Beauchamporum* familiam intulit, Qui (si me non fallo) quod ex Vrsi *d'Abtot* filia fuerunt prognati, Vrsum pro Symbolo vsurparunt, & posteris reliquerunt. Ex hac stirpe sex floruerunt Comites, & Dux vnus, Guilielmus Isabellæ filius, Ioannes Guido, Thomas, Thomas iunior, Richardus, & Henricus, cui nouo exemplo concessit Rex Henricus Sextus vt primus & præcipuus esset Angliæ Comes, & hoc titulo vteretur, *Henricus Præcomes totius Angliæ, & Comes Warwici*, Vectæ insulæ Regulum dixit, posteaque in Ducem VVarwici creauit, & expressis Diplomatis verbis concessit, *vt haberet sedem in Parlamentis & alibi proximam Duci Norfolciæ, & ante Ducem Bucchinghamiæ*. Huic nata est vnica filia Anna quæ in *Inquisitionibus* VVarwici *Comitissa* dicitur, & teneris annis obijt. Successoremque habuit Richardum *Neuill* (qui sororem Ducis illius VVarwici duxerat) virum inuicto animo sed fluitante fide, fortunæ quodammodo pilam. Qui non Rex Regibus fuit superior, vtique qui Henricum Sextum benignissimum sibi Principem regno spoliauit, Edwardum Quartum in solio regio collocauit, deinde deturbauit, Henricum Sextum ad arbitria rerum denuò reuocauit, Angliamque luctuosissimo ciuilis belli incendio inuoluit, quod ipse suo sanguine tandem vix restinxit. Edwardus huius è filia altera, & Georgio Duce Clarentiæ nepos succesit, quem puerulum & insontem in suam & suorum securitatem capite plexit Henricus Septimus. Iacuit deinde ille titulus qui Henrico Octauo formidolosus fuit ob turbas quas Richardus ille *Neuill* regum flagellum dederat; donec Edwardus Sextus Ioanni Dudleio genus a *Beauchampis* repetenti detulerit, qui (vt iam dictus Richardus) vertere sceptra molitus sub Maria Regina profundam ambitionem capite luit. Filij autem eius primùm Ioannes cùm iam pater esset Dux Northumbriæ, recepta consuetudine hoc titulo paulisper est vsus: & postea Ambrosius bellica virtute, & naturæ facilitate ornatissimus Reginæ Elizabethę benignitate illam patris dignitatem nostra memoria recepit, cum magna laude gessit, & sine liberis diem obijt.

Rot. Parl. 23. H. 6.

24. H. 6.

In hoc Comitatu sunt Ecclesiæ Parochiales, 158.


WORCESTER-






STAFFOR
PARS
SALO:
PIÆ
PARS

Compton
Sturton casti
Sturbridge
Pedmore
Kiuer
Whittenton
Churchhill
Ouer Areley
Ouerley
Wood
Dunklin
The forrest
of Wire
Keder muster
Bewdeley
Stone
Rushok
Elmbridge
Milson
Rock
Areley
Hartlebury casti
Vptonwarren
Mamble
Aberley
Astley
Redstonpal
Knighton
Rochford
Dean
Burford
Lyndridge
Shrawley
Ombersley
Drawitch
HEREF: PARS
Esthum
Netherhamly
Ouer hamly
Stanford
Aberley hill
Witley
Holt casti
Hereford pars
Sutton
Kyre
Shelslywelsh
Woodbery hill
Grimley
Hanlip
Claynches
Stoke
Ouer sapie
Nethersapie
Clyfton
Martley
Hallow
Wichinford
S. Iohns
Tedston delamere
Whitborne
Knyghtwick
Cotheridge
Brandsford
Powick
WORCESTER
Stanford
Stockley
Newland
Kemsey
Byshfrome
Acton beauchamp
Cradley
Madresfeld
Clevelode
Eastbache
Mathern
Maluern chase
Stoke
Hanley casti
Vpton
Collwall
Maluern hills
Welland
Eastnor
Lydburye
Birtsmorton
Pendok
Eldersfeld
Bransbe rush
Ridmerlie
Staunton
Corlwood
Leaden flu
Pauntley





PARS





WIGORNIENSIS
COMITATUS SABRINÆ
Fluminis Amœnitate insig-
nis qui olim ad CORNAUIOS
spectarunt, descriptio.
DIÆ
WARW
PARS
SALOPIÆ
PARS
Castle bramyche
Kingesbury
Yardley
Sheldon
Smethik
Edgebaston
Rowley
Wart ley hall
Hales owne
Harborne
Moseley
Helmalon
Norfeld
Soly hull
Eley
Frankley
Kingesnorton
Coston
Witho chap:
Bromesgroue
Hewell grange
Bely
Skiltes
Tradinck
Bursley
Ipsley
Stokeprior
Feckenham Forrest
Studley
Hanbury
Feckenham
Coughton
Bradley
Beauham cour
Alcester
Hymbleton
Rugley
Acrowe
Wetheley
Grafton
Flyford
Bengworton
Rousleneche
Aberton
Nounton
Bishampton
Harmington
Churchelenche
Throgmorton
Norton
Pippleton
N. Littleton
Doffenton
Whitchurch
Alder merston
Eatencon
Pebworth
Middle Littleton
S. Littleton
Newbold
PARS
Treddinton
Armescote
Blakwell
Lenchurch
Vffenton
Piddle
Fladbury
Charlton
Euesholme
Bradforton
Badsey
Church homborn
Imington
Ilmington
Pershore
Wick
Crapthorne
Bengworth
Ashton
Shipton
Tidmington
Befford
Birlingham
Brickleton
Hampton
Hynton
The vale of Euesholme
Defford
Comberton
Ouerton
Willersey
Childsewyckan
Stratton
Paxford
WORCESTRIÆ
PARS
Bredon
Somerffeldaston
Blockley
Kemmerton
WORCES:
PARS
Washborn
Alston
WORCES
Cuttesden
PARS
Euenlode
WORCESTRIÆ
PARS
OXON:
Tewkesburye
GLOCES:
TRIÆ
PARS
PARS
Geldeare
Lexley
WORCES:
TRIÆ

WORCESTER-SHIRE.



Ornaviorvm regio altera mutato nunc nomine, *Wigorniensis Comitatus* Latinè, Wire-ceaꞅꞇeꞃ-ꞅcẏꞃe Anglo-Saxonicè à primario opido, *Worcester-shire* vulgò dicitur, cuius incolæ cum circumuicinis, Bedæ ætate priusquam Anglia in Comitatus describeretur, Wiccii vocabantur. Quod nomen si à sinuoso flumine, quod accolunt, non sit inditum (fluminis enim sinus *Wic*, vt iam diximus, vocarunt Saxones) à salinis factum videatur, quas *Wiches* prisci Angli suâ linguâ nominârunt. Salinæ enim hîc sunt nobilissimæ, plurésque salsi fontes sæpiùs reperti, qui tamen obstructi eò quòd cautum (vt antiquis schydis legitur) vno solummodò loco salem excoqui, vt syluis sit prospectum. Nec mirum vtique sit à salinis loca denominari, cùm plurima passim in singulis regionibus occurrant, & maiores nostri Germani, vt author est Tacitus, huiusmodi loca proximè propinquare cœlo, precésque mortalium à Dijs nusquam propiùs exaudiri religiosè crediderint.

Wiccij. Salinæ.

Hæc regio cui collimitant ab Ortu Warwicenses, à Meridie Glocestrenses, ab Occasu Herefordenses, & Salopienses, atque ab Aquilone Staffordienses, vt vno verbo dicam, cœlum & solum adeò propitium habet, vt salubritate & vbertate vicinis non concedat: pyrorúmque, siqua alia inprimis ferax, quæ licèt delicatulis minùs sunt grata, & fugaciora, ex eorum tamen vinoso succo fictitium vinum *Pyrry* dictum conficiunt, quo plurimùm vtuntur, quamuis sit, vt id genus alia, & frigidum & flatulentum. Nec ab aqua sanè minùs est fœlix, gratissima enim vbique sunt flumina, quæ pisces delicatiores affatim suppeditant. Vt enim quæ obscurioris sunt notæ omittam, per mediam regionem à Septentrione in Meridiem fœcundantem alueum intendit *Sabrina* flumen nobilissimum, & partem Australem perfundit *Auona*, qui à Warwicensibus descendit, vt *Sabrinam* adeat.

Pyrry potus è pyris.

Sabrina primùm in ipso ingressu inter *Kidderminster* & *Beawdley* interlabitur. Hoc à bello situ meritò sic dictum, amœnissimè in decliui colle flumini ad Occasum impendet, nuper suspicienda arborum proceritate in *Wyre* saltu adiuncto, quæ iam ferè euanuêrunt, notum. Vnde Poëta noster antiquarius Lelandus.

Kidderminster. *Beawdley.*

Delicium rerum Bellus locus *vndique floret,*
Fronde coronatus Viriana tempora sylua.

Nunc verò sua tantùm amœnitate & elegantia, nec non regijs ædibus *Tikenhall* quas in Arthuri Principis secessum construxit Henricus Septimus celebratum opidulum. Illud autem *Kidderminster* è regione ad Ortum sed à ripa remotiùs, quod etiam *Kidelminster* dictum, opidum sanè nitidum, & rerum venalium forum inprimis frequens, *Stoure* fluuiolo interfuso diuisum, cui nunc maximo sunt ornamento Ecclesia perpulchra in qua ex insigni *Cocksejorum* stirpe nonnulli inhumati, & speciosæ ædes claræ equestris familiæ *Blountorum* ex illis de *Kinlett* propagatæ: olim verò notissimus hic locus Dominis suis *Bissettis* viris suo sæculo longè amplissimis, quorum hæredia opima demum inter sorores distracta, partim ad Barones de *Abergeuenny* deuenerunt, partim ad leprosarum domum in agro VViltoniensi, quam ex sororibus altera Elephantiasi ipsa affecta Elephantiacis construxit, & suo patrimonio locupletauit. Postea Baronem suum habuit Iohannem de *Beauchamp* qui à Richardo Secundo cui *Seneschallus* erat *hospitij*, diplomate Baro *Beauchamp de Kidderminster* erat creatus, & mox à tumultuantibus cum plebe Baronibus qui Regi charissimos ad reipublicæ malè administratæ rationem reddendam proculcata Regis authoritate vocârunt, in Regis inuidiam cum alijs viris clarissimis damnatus & capite fuit obtruncatus.

Baro *Beauchamp* de Kiddermunster.

Obliquior inde Sabrina *Hertelbury* VVigorniensium episcoporum castrum non procul dissitum salutans, ad *Holt* à sylua densiori sic dictum, quondam *Abtotorum*, posteà *Beauchamporum* castrum se confert, qui à Guilielmo *Beauchamp* cognomine *Barone cæco* propagati in honoratissimam succreuerunt familiam, cuius hæreditas per femellas ad

Hertlebury. *Holt.* Priscis Anglis syluas vel saltus.

Gyse,

Gyse, & *Peniston* tandem deuenit. Hinc defluit *Sabrina* tot fluuiatiles murenas alens, vt viuarium hoc in loco illis fecisse videatur natura, cuiusmodi olim crescente luxu, excogitarunt Romani. *Lampreyes* à Latinorum *Lampetra*, quasi à lambendis petris vocamus; quæ anguillis similes sunt lubricæ & nigricantes, prona tamen parte nonnihil cærulei, vtroque gutturis latere septenis paribus foraminibus acceptam aquam admittunt, cùm branchijs omninò careant. Verno tempore maximè probantur vtique suauissimæ, æstate namque indurescit neruus interior, qui illis pro spina. Delicatiores verò faciunt Itali condimento peculiari, vino enim Cretico necant, nuce myristica os claudunt, foramina totidem Gariophillis adimplent, conuolutamque in spiras additis auellanis tritis, medulla panis, oleo, vino Cretico, aromatibusque ad temperatiores prunas certis momentis in tegano sedulò excoquunt. Sed quid mihi cum re coquinaria, & Apicio. Murenæ *Lampreyes.*

Infra *Holt* Orientalem ripam *Salwarpo* amni aduentanti *Sabrina* patefacit, qui è Septentrionali regionis parte promanans per *Broomesgraue* non vltimæ sortis mercatum defluit, haud procul à *Grafton* inclytæ familiæ Talbottorum sede, quam Rex Henricus Septimus Gilberto *Talbott*, Ioannis Secundi Salopiæ Comitis filio minori donauit; quem etiam ob bellicam virtutem, & eximiam prudentiam in Georgiani ordinis societatem cooptauit, & Caleto in Gallia præfecit. Hinc *Salwarpus* ad *Droitwich* delabitur, (*Durtwich* aliqui vocant, à salinis & subhumido situ, vti Hyetus Boetiæ à lutoso situ dictus) vbi tres fontes gignendo sale fœcundi, fluuiolo salsedinis experte interfluenti diuisi, peculiari naturæ dote scaturiunt, è quibus sal purissimus & candidissimus sex quotannis mensibus, ab æstiuo solstitio ad brumale fornicibus multis circumpositis excoquitur. Quo opere quanta lignorum vis absumitur, *Fekenham forrest* densissimus quondam saltus, & circumuicinæ syluæ, si homines taceant, sua raritate magis magisque indies eloquentur. Si verò Richardum *De la Wich* Episcopum Cicestrensem, qui hinc oriundus, hos fontes suis precibus eduxisse scriberem, vereor ne quibusdam in diuinam prouidentiam iniquior, & ad aniles fabulas propensior viderer. Eò vsque tamen prouecta est maiorum pia credulitas, vt hoc non solùm firmiter crediderint, literisque prodiderint; verùm etiam illi diuinos quodammodo honores eo nomine detulerint: cùm illum ob iuris Pontificij scientiam, & vitæ integritatem in Diuorum numerum Vrbanus IIII solenni Apotheosi retulisset. Verùm ante hunc Richardum natum, de his fontibus sic scripsit Geruasius Tilburiensis, licèt non omninò verè. *In Episcopatu Wigorniensi est villa suburbana* Wichum *nomine, in qua sub monticuli cuiusdam radice, aqua profluit dulcissima. In huius ripa putei numero pauci cernuntur, quorum profunditas modica, & aqua salsissima. Cùm in cacabis aqua bullitur, densescit in salem albissimum, fertúrque ab vniuersa prouincia, quòd à Natiuitate Domini, vsque ad natiuitatem Sancti Ioannis Baptistæ, salsissima scaturit aqua. per alteram verò anni partem subdulcis prorumpit & ad salem inutilis, & quod mirabilius arbitror, cùm ad vsum salis aqua prorumpit oportuni* partem, vix superexcrescit, & cùm tempus aduenit salsuginis nulla vicinitate frangitur aqua fluuialis, nec in aliqua propinquitate maris inuenitur.* Quinetiam in ipsis Regijs tabulis quas *Domesday* dicimus. *In* Wich *sunt octo salinæ Regis & Comitis quæ in ipsa hebdomada qua bulliebant, & exercebant, in die Veneris reddebant 16. bulliones, &c.* Grafton. Durtwich. Fontes salsi. Fekenham Forrest. Richardus de la Wich. * Locus corruptus.

Non quatuor hinc milliaria delatus est *Sabrina*, quin præcipuam prouinciæ vrbem *Worcester* sibi appositam lentior quasi demirans præterfluit, & admiratione sanè non indigna est, siue vetustatem, siue venustatem spectes. Eius vtique meminerunt Antonius sub BRANONII nomine, & Ptolemæus (apud quem librariorum incuria suo loco exulat) sub BRANOGENII, quo nomine etiamnum *Caer Wrangon* Britannis vocatur, Ninnij Catalogo *Caer Guorangon*, & *Caer Guorcon*, Saxonibus posteà Weogare-ceaster, Wegeorna-ceaster, & Wire-ceaster, nescio an à *Wire* nemoroso saltu adiuncto, Latinis *Wigornia*, quo nomine inter primos, ni malè memini, vsus est Iosephus Exoniensis elegantissimus illius æui Poeta (qui Cornelij Nepotis nomine circumfertur) in his ad Baldwinum Cantuariensem Archipræsulem versibus: Worcester. Branogenium.

In numerum iam crescit honor, te tertia poscit
Infula, iam meminit Wigornia, Cantia discit,
Romanus meditatur apex, & naufraga Petri,
Ductorem in medijs expectat cymba procellis.

A Romanis, vt probabile est, condita fuit, cùm ad Trans-Sabrinos Britannos cohibendos secundum Orientalem Sabrinæ ripam, vti ad Rheni meridionalem, vrbes per interualla disponerent. Posita est in loco modicè accliui ad flumen, quod turrigero ponte coniungitur, *olim Romanorum*, vt habet antiqua membranula, *superba mœnibus*, nunc etiam muro satis firmo munita. Sed decus est ab incolis, qui sunt numerosi, humani, & lanificio opulenti, ab ædificiorum nitore, à templorum numero, & maximè à sede Episcopali, quam Sexuulfus Merciorum Episcopus, Anno Christi DCLXXX. constituit, constructa ad Australem vrbis partem Ecclesia Cathedrali, quæ sæpiùs reparata, & ab Episcopis & Monachis paulatìm producta ad Occasum, ferè vsque ad *Sabrinæ ripam*. Speciosum sanè & magnificum est ædificium, monumentis Ioannis Regis, Arthuri Principis Walliæ, & quorundam *Beauchamporum* nobile; doctissimisque viris (Præbendarios vocant) Collegium non minùs inclytum, quam olim fuerat Monachorum Monasterium, aut presbyterorum cœnobium. In hoc enim statim à fundatione collocati erant, vt in reliquis Angliæ cœnobijs, presbyteri coniugati, diùque magna cum sanctitatis opinione Ecclesijs præfuerunt; donec Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis in

Presbyteri coniugati.

Synodo decreuisset, vt deinceps religiosi in Anglia cœlibem vitam traducerent. Tunc enim Oswaldus huius vrbis Episcopus, quo nemo vnquam rem monasticam magis enixè promouit, presbyteros submonuit, monachosq; induxit. Quod Rex Eadgarus his verbis testatur. *Monasteria tam Monachorum, quàm virginum destructa, & penitus neglecta in tota Anglia erant, quæ ego ad Dei laudem pro remedio animæ meæ reparare, & seruorum & ancillarum Dei numerum multiplicare decreui, & iam quadraginta & septem Monasteria cum Monachis, & Sanctimonialibus constitui, & si Christus mihi concesserit vitam tamdiu vsque ad quinquagesimum remissionis numerum, meæ deuotæ Deo munificentiæ oblatione procedere decreui. Vnde nunc in præsenti Monasterium quod reuerendus Episcopus Oswaldus in sede Episcopali* Wiȝeꞃ-ceaꞅꞇeꞃ *in honorem Sancti Dei genetricis Mariæ amplificauit & eliminatis clericorum nænijs, &c. religiosis Dei seruis monachis meo assensu, & fauore suffultus locauit. Ego ipsis monasticè religiosis viris regali authoritate confirmo, & consilio & astipulatione Principum & Optimatum meorum corroboro, & consigno, &c.*

Registr. Ecclesiæ Wigorniensis. Anno 964.

Satisque longo pòst tempore, cùm Danorum incursionibus, & intestinis dissidijs res Ecclesiastica proclinata ita succubuisset, vt pro numeroso religiosorum grege quem hic Oswaldus instituerat, vix duodecim superfuissent: subleuauit, & ad numerum quinquaginta adauxit, nouamque Ecclesiam ædificauit Wulstanus qui huic Ecclesiæ præsidebat Episcopus circa annum mundi redempti CIↃLXXXX. vir vt ea ferebant tempora, minùs literatus, sed tam simplici sine fuco synceritate, & tam seuera vitæ austeritate, vt prauis terrori, bonisque amori fuerit, & post mortem in Sanctorum numerum Ecclesia retulerit. Sed hos Monachos, cùm in omni rerum affluentia, ampliùs quingentos annos, quasi rerum potiti fuissent, Henricus Octauus eiecit, & pro illis Decanum, & Præbendarios substituit, Ludumque literarium ad erudiendam iuuentutem erexit. Proximè hanc Ecclesiam, nudum Castelli nomen, & area manet, quod (vt in Guilielmo Malmesburiensi in libro de Pontificibus legitur) *Vrsus Vicecomes Wigorniæ à Guilielmo Primo constitutus in ipsis penè faucibus monachorum construxit, adeò vt fossatum cœmiterij partem decideret.* Verùm hoc castellum temporis iniquitate, & fortuito incendio plurimos ante annos concidit. Vrbs etiam non semel conflagrauit, anno Christi CIↃXLI. ab

S. Wulstanus.

Marianus. *Huscarles.*

Hardi-Canuto succensa, qui ciuibus infensissimus, quòd *Huscarlas* suos (sic domesticos Danici tributi exactores vocàrunt) peremissent, non modò ignem iniecit, sed ciues omnes occidione occidit, nisi qui in Beuerlez insula amnica suæ saluti consuluerant. Nihilominus, vt in Guilielmi Primi libro legimus, Edwardi Confessoris tempore, *Burgenses plures habuit, & pro XV. Hidis se defendit, quando moneta vertebatur, quisque monetarius dabat viginti solidos ad Londinum pro cuneis monetæ accipiendis.* Anno CIↃCXIII. fortuitum incendium quod castrum absumpsit, etiam summum templum suis flammis inuoluit: Stephano item regnante, intestinis bellis semel atque iterum deflagrauit, grauissimè autem, cùm Stephanus Rex qui hanc vrbem Wallerano Comiti Mellenti malo suo dederat, occupâsset, quo tamen tempore castellum expugnare non poterat. Nihilominus è fauillis semper se pulchriori forma resuscitauit, Politiaque floruit optima, quam duo *Ballivi*, è viginti quatuor Ciuibus electi, duo Seniores, siue *Aldermanni*, duoq; *Camerarij*

Anno XV. Stephani Regis.

merarij administrant, cum communi Consilio quod ex quadraginta octo ciuibus constat. Quòd ad Geographicam rationem attinet. Ab Occidua linea XXI. temporibus LII. scrupulis distat; Polus vero Arcticus LII. gradibus, XII. scrupulis attollitur.

A Wigornia flumen in Austrum proruens *Powicke* præterfluit sedem olim Ioannis *Beauchamp*, quem ad Baronis dignitatem extulit Rex Henricus Sextus, breuique fœmellæ ad *Willoughbaos* de *Broke*, *Reados*, & *Lygonos* hæreditatem detulerunt: Inde *Hanley* quondam castrum Comitum Glocestriæ, & *Vpton* mercatum notissimum, vbi Romanorum numismata sæpenumero eruuntur, inter lætissima & redolentia prata præterlabitur. Non procul hinc à dextra ripa *Maluerne hils* suspicit *Sabrina*, colles sane, siue potius montes magnos & æditos, qui per septem plùs minùs mill. pass. vt gradus subinde consurgunt, hunc agrum ab Herefordensibus dirimentes; quorum supercilio Gilbertus de *Clare* Comes Glocestrensis fossam olim duxit ad disterminandas suas & Ecclesiæ Wigorniensis possessiones, quæ etiamnum non sine admiratione cernitur. Ex opposito ferè eadem distantia ab altera ripa *Bredon hils*, colles multo minores, quasi æmuli tamen se attollunt, inter quos emicat *Elmesly* castrum quondam Vrsi siue Vrsonis *d'Abtot*, per cuius filiam & hæredem Emelinam ad *Beauchampos* hæreditariò deuenit. Ad eorum radices *Bredon* villa subsidet, de cuius monasterio Offa Rex Merciorum, *Ego Offa Rex Merciorum dabo terram septies quinos tributariorum iugera continentem ad monasterium quod nominatur* Breodun, *in prouincia Wicciorum, & ad Ecclesiam Beati Petri principis Apostolorum quæ ibidem in loco sita est, quam Eanwlfus auus meus erexit ad laudem & gloriam Dei viuentis in secula.*

Baronesde Powicke.
Hanley.
Vpton.
Maluern hils.
Bredon hils.
Elmeley castle.
Bredon.
Liber Wigor.

Sub his *Bredonijs* collibus ad Austrum *Washborn* viculus vnus & alter cernitur (vnde cognomen familiæ in hoc tractu peruetustæ & insigni) in particula huius prouinciæ a reliquo corpore quasi diuulsa, cuiusmodi aliæ circumcirca particulæ disperguntur. Sed quænam fuerit caussa non dixerim, nisi fortè qui olim præfecti fuerunt, sua patrimonia vicina regioni cui præfuerant, adiunxerint. *Auona* fl. suprà Sabrinam petens delabitur, qui in hoc agro *Eouesham* irrigat, quod ab *Eoues* subulco Egwini Episcopi Wigorniensis sic dictum scribunt monachi, cùm priùs *Eath-home*, & *Heath-field* nomen esset. Opidum satis elegans surgenti à flu. colli impositum in cuius quasi suburbio *Bengeworth* castrum olim erat, *ad caput pontis quod Guilielmus de* Audeuilla *Abbas contra Guilielmum de* Bello-campo *obtinuit, funditus destruxit, & in cæmiterium consecrari fecit.* Notum est hoc Monasterio quod Egwinus ille ope Regis Kenredi filij Wolpheri Regis Merciorum, circa annum Salutis DCC. construxit, notum item valle subiecta *The Vale of Eusham* inde denominata, quæ sua fœcunditate harum regionum cella penuaria dici meruit, ea terræ benignitas in optimis frugibus vberrimè profundendis. Sed quondam notissimum clade Baronum, & Catilinæ nostri Simonis de *Montefort* Comitis Leicestriæ. Iste enim vir prauo ingenio, & profunda perfidia illud nos docuit, quod alter verè dixit, *Beneficia eò vsque grata esse, dum compensari possint.* Cùm enim in illum omnia quæ potuisset beneficia plena manu contulisset, & sororem in vxorem dedisset Rex Henricus Tertius, non alium fructum, quàm acerrimum odium messuit. Difficillimum enim bellum concitauit, magnam Angliæ partem effusè vastauit, sub prætextu Reipub. restituendæ, & libertatis asserendæ, vt regem in ordinem redigeret, Reipub. statum immutaret, & ex Monarchia Oligarchiam efficeret, nihil non fecit. Sed demum cùm rebus secundioribus aliquandiu vsus fuisset, Edwardi Principis virtute hoc in loco cum multis alijs iusto prælio cecidit, statimque quasi malorum sentina è Repub. exhausta, læta pax, quam ille exclu- 1265
serat, vndique affulsit. Ad eundem fluuium *Charleton* iuxta sedet, olim claræ Equestris familiæ *Hanseere*, nunc autem *Dinleiorum* siue *Dingleiorum* qui ex antiqua Dinleiorum in agro Lancastrensi stirpe oriundi hanc hæreditariò adierunt. Inferiùs in primitiua Anglorum Ecclesia alius etiam locus fuit religiosis cultus, tunc Fleoðanbyriʒ, nunc *Flatbury*, & huic vicina *Pershor*, Saxonicè Peopiꞅcoꞅan, à Pyris nomine facto, quod vt apud Historicum illum optimum Guilielmum Malmesburiensem legitur, *Fundauit, & perfecit tempore Regis Eadgari Egelwardus Dux Dorsettensis minimè parcus animo, sed effuso in largitatem studio. Verùm illud quanto succubuit detrimento? Partem diuitum occupauit ambitio, partem sepeliuit oblinio, maiusculam portionem Reges Edwardus, & Guilielmus contu-*

Eouesham.
Washborn.
Particulæ Comitatuum a reliquo corpore diuunctæ.
Liber Mon. Euesham.
Circa annum 1157.
The vale of Euesham.
Simon de Monte Forti.
Charleton.
Flatbury.
Persor.

lere Westmonasterio. Inde *Auona* placidè delatus per *Strensham* equestris & antiquæ prosapiæ *Russellorum* habitationem in Sabrinam demum aquas infundit suas.

Oswalslow Hundred.

Iuxta hæc ad partem hanc Australem Centuria est *Oswaldslaw*, ab Oswaldo Wigorniensi Episcopo qui ab Edgaro Rege sibi impetrauit, sic dicta, cuius immunitas, dum Angliæ lustrum Guilielmus *Conquestor*, his verbis in acta publica est relata. *Ecclesia S. Mariæ de* Wircester *habet Hundredam, quæ vocatur* Oswaldslaw, *in qua iacent* 300. *Hida, de quibus Episcopus ipsius Ecclesiæ à constitutione antiquorum temporum habet omnes redditiones Socharum, & omnes consuetudines inibi pertinentes ad dominicum victum, & Regis seruitium, & suum: ita vt nullus Vicecomes vllam ibi habere possit querelam, nec in aliquo Placito, nec in alia qualibet caussa. Hoc attestatur totus Comitatus.*

Augustines oke. Anno Christi 603.

Locus est sed incertæ positionis circa hunc agrum, quem Auguꞅꞇyneꞅ-ace, i. *Augustini quercus*, dicitur, ad quam Augustinus Anglorum Apostolus, & Britanni Episcopi conuenerunt: & de Paschate celebrando, verbo Dei Anglis annuntiando, & Baptismo secundum ritum Romanum celebrando rationibus aliquandiu digladiati, discordibus vtrinque animis tandem discesserunt.

Comites Wigorniæ.
* Alijs D'abtot.

Hæc prouincia à Normannicis temporibus, primum Vicecomitem habuit Vrsum siue Vrsonem * de *Abtot*, cui & hæredibus latifundia cum illa dignitate Rex Guilielmus Primus donauit. Illiq; successit Rogerus filius (qui vt habet Guilielmus Historicus Malmesburiensis) *Paternarum possessionum compos graui Regis Henrici Primi indignatione pulsus est, quòd quendam ex ministris Regijs præcipiti furore iussisset interimi.* Verùm hæc Vicecomitum dignitas per Emelinam Rogeri huius sororem in familiam *Bellocamporum* hæreditariò translata fuit. Illa enim enupta fuit Waltero de *Bellocampo* quem Constabularium Angliæ, Milone de Glocestria abdicato, Rex Stephanus constituit. Paucis interiectis annis Stephanus Rex Walleranum Mellenti Comitem, fratrem Roberti *Bossu* Comitis Leicestrensis, primum Wigorniæ instituit Comitem, vrbem Wigorniam illi elargitus, qui postea Monachus factus *Pratellis* in Normannia obijt CIↃCLXVI. Eius filius Robertus qui Reginaldi Comitis Cornwalliæ filiam duxerat, & signum seditionis contra Henr. II. sustulit, Robertique filius Petrus anno CIↃCCIII. rebellis ad Gallum defecit, vsique sunt tantùm titulo Comitis Mellenti, non Wigorniæ, quod hactenus legi. Non enim facilè permisit Rex Henricus Secundus Stephani successor vt quisquam sub eo honoribus ab hoste acceptis frueretur. *Deposuit enim ille* (vt habetur in Annalibus Monasterij *Wauerley*) *imaginarios & Pseudo-Comites, quibus Rex Stephanus omnia ad Fiscum pertinentia minùs cautè distribuerat.* Nec vsque ad Regis Richardi II. tempora quisquam quod sciam Wigorniæ Comitatus titulum gessit. Ille enim Thomæ *Percy* contulit, quem cùm bello intestino Henricus IIII. interemisset, Richardus de *Bellocampo* ab *Abtotis* oriundus hunc honorem à Rege Henrico Quinto postea accepit. Post illum sine prole mascula defunctum, Ioannem *Tiptoft* Hiberniæ Proregem Wigorniæ Comitem creauit Henricus Sextus. Verùm cùm ille statim Edwardi Quarti partes sequutus præpostero obsequio ad Edwardi IIII. principis voluntatem in supplicijs quasi carnifex se accommodasset, ipse capite truncatus sub Henrico Sexto iam restituto carnificinam subijt. Filium tamen eius Edwardum in integrum restituit Rex Edwardus cùm ipse denuò regnum recepisset. Illo autem sine prole mortuo, & hæreditate inter sorores Ioannis illius *Tiptoft* Comitis Wigorniæ diuisâ, quæ maritos habuerunt Baronem de *Roos*, Baronem *Dudley*, & Edmundum *Ingoldesthorp*; Carolus Somersettensis, Henrici Ducis Somersettensis filius naturalis ab Henrico Octauo hoc titulo ornatus erat, cui recta serie successerunt Henricus, Guilielmus & Edwardus qui iam floret, atque inter cæteras virtutis & nobilitatis laudes bonarum literarum studijs impensè fauet.

Robertus de Monte.

Orig. 1. H. 7. R. 36.

Hic ager Paræcias 152. *numerat.*

Kkk 3


SALOPIÆ PARS
Bridgenorth
Morf forrest
Newport
Beaudleau
Kiddermister
WIGORNIÆ PARS
STAFFORDIÆ PARS
Starbridge
Woluer hamton
Breewood
PENNOCRVCIVM
Pencridge
Cank wood
Walsall
Brumicham
Sutton Colfelde
ETOCETV
Lichfelde
Staforde
Pagetbromley
Colshull
WÆRWICIÆ PARS
Tamworth
Burton
Trent flu:
Tame flu:
Stour flu:
Sabrina flu:
Ancker flu:
LECESTRIÆ PARS
DERB
Scala Miliarium
1 2 3 4 5 6
William Kip Sculpsit
A
B
D

STAFFORDIÆ COMITATVS PARS olim Cornauiorum

CESTRIÆ PARS

ÆPARS

Nomina hundredorum.
In hoc comitatu

A	Seysdon	Hundred.
B	Cudlston	Hundred.
C	Pirehill	Hundred.
D	Offlow	Hundred.
E	Totmonslow	Hundred.

STAFFORD-SHIRE.



Anglimediterranei. Ertia Cornauiorum regio nunc *Stafford-shire*, Saxonicè Sꞇaꞇꝼopꝺ-ꞅcẏꞃe, cuius incolæ Bedæ, quia Angliam mediam inhabitârunt, *Angli Mediterranei* vocantur, ab Ortiua plaga Warwicensibus & Derbiensibus, à Meridiana Wigorniensibus, ab Occidua Salopiensibus pręcincta, quasi rhombi forma ab Austro in Septentriones procedit, medio latior, & extremis se angustantibus. Pars Septentrionalis montana & minùs læta, media *Trenta* flumine perfusa lætior, syluis amicta, aruis & pratis variata; vti & Meridionalis, quæ etiam carbones fossiles habet, & ferri venas, suo verò commodo an incommodo nôrint incolæ, & ipsi dixerint.

Ferrum.

Dudley castell. In hac australi parte *Dudley* Castrum Wigorniensibus proximum primùm caput exerit, à Dudone siue Dodone Anglo-Saxone circa annum Salutis DCC. positum & denominatum. Guilielmi Primi tempore, vt in ipsius Censuali libro habetur, Guilielmus *Filius Ausculphi* possedit, postea illis de *Somery* obuenit, quod tandem Richardus *Sutton* Eques auratus cum vxore *Somertorum* hærede accepit, cuius posteri iam inde Barones de *Dudley* dicti in honoratissimam familiam succreuerunt. Post hoc memoratu digna in hoc tractu occurrunt *Chellington* perpulchrę ædes & *Manerium* antiquæ & celebris familiæ *Giffardorum*, quod regnante Henrico Secundo Petrus *Corbuchin* dedit Petro *Giffard*, cui etiam Richardus *Strongbow* ille Hiberniæ expugnator *Tachmelin* & alia in Hibernia donauit. *Vulfrunes-hampton* à Vulfruna pientissima fœmina quæ opidum *Hampton* priùs dictum monasterio auxit, vnde pro *Vulfrunes-hampton* corruptè *Woluerhampton* dicitur; cuius maxima celebritas est ex Collegio adnexo *Custodi*, siue Decano, & Præbendarijs Windesoræ. *Theoten-hall*, id est si interpreteris, *Gentium siue Paganorum ædes*, hodie *Tetnall*, Danico cruore anno DCCCCXI. ab Edwardo Seniore intinctum. *Weadesburg* hodie *Weddsborrow* ab Æthelfleda Merciorum Domina olim firmatum, & *Walsall*, non infimæ sortis mercatus. Iuxta quem *Tama* fl. aquas agit suas qui haud procul exortus per aliquot milliaria Orientalem huius agri partem *Trentam* quærens, pererrat prope *Draiton Basset* sedem *Bassettorum*, qui à Turstino quodam huius loci Domino, regnante Henrico Primo efflorescentes in numerosam & insignem familiam sunt propagati. Hinc enim *Bassetti* de *Welleden*, de *Wiccomb*, de *Sapcott*, de *Chedle* & alij tanquam à stirpe prouenerunt. Horum autem de *Draiton* Radulphus erat postremus, qui Baro celeberrimus sororem Ioannis *Montisfortensis* Ducis Britanniæ duxerat, & sine sobole, regnante Richardo Secundo, diem obijt.

Chellington *Giffards.* — Woluer-Hampton. — Tetnall. — Weddsborrow. — Tama fl. — Draiton Basset. — Basset.

Tamworth. Inde *Tama* pontem ad *Falkesley* (per quem antiqua Romanorum via transijt) penetrans, *Tamworth* Anglo-Saxonicè Tamaweoꞃꝺ subluit, Tamawordinam Marianus vocat, ita agrorum confinio locatum, vt pars altera quæ olim ad *Marmionos* Warwicensis, altera quæ ad *Hastingos* spectauit, huius agri censeatur. Nomen verò factum est à *Tama* præterfluente, & Saxonica dictione Weoꞃꞇh, quæ *Cortim* & *Pradium* significat, & etiam insulam amnicam, vel locum aquis circumfusum denotet, cùm *Keysers-wert*, & *Bomels weort* in Germania *Cæsaris insulam*, & *Bomeli insulam*. Merciorum florente regno, villa hæc erat regia, & vt est in libro Wigorniensi, *locus celeberrimus*. Posteà Danicis bellis collapsam in integrum restituit Æthelfleda Mercia, & Editha Edgari Regis filia, quæ nuptias auersata castitatis opinione in Sanctarum catalogum inscripta, ædiculam virginibus velatis hîc constituit, quam post paucos annos *Marmioni* Normanni, quibus hoc opidum largitus est Guilielmus Primus, ad *Pollesworth* transtulerunt, cùm Collegiatam hîc erigerent ecclesiam, in qua nonnulla eorum cernuntur sepulchra; & castrum elegans construerent, quod ab illis per *Freuillos* ad *Ferrariorum* familiam deuenit, quæ à iuniori fratre Baronum *Ferrariorum* de *Groby* descenderunt. *Marmioni* illi, vt scribitur, honorarij milites hæreditariò Regibus Angliæ erant. Quoties enim nouus Angliæ Rex inauguratur, familiæ huius hæres tenebatur Cataphractarius eques aulam Regiam intrare, & conceptis verbis ad duellum prouocare, si quis Regis iuri se opponere ausit. Et certè Alexandrum *Freuill* sub Edwardo Tertio, per huiusmodi seruitium, vt vocant, hoc

The Kings Champion. Vide in Com. Lincoln. pag. 406. Inqui. 2. E. 3.

hoc castrum tenuisse ex actis publicis constat. Hoc tamen honore in coronatione Richardi Secundi exciderunt *Freuilli*, & per nuptias *Dimocorum* familia in agro Lincolniensi eundem accepit.

Ad *Falkesley* pontem quem dixi, vt pedem referam, via illa militaris Romanorum sæpius iam dicta & dicenda hunc Comitatum subintrat, & rectâ quodammodo lineâ intersecans in Occasum ad Salopienses tendit. Quam curioso quidem oculo perlustraui, vt ETOCETVM quod Antoninus proximam ponit à MANVESSEDO stationem inuenirem, & bonis certè auibus iam inueni, meque anteà totâ viâ aberrâsse ingenuè fateor. Ad eam enim distantiam quam inter MANVESSEDVM & ETOCETVM interponit Antoninus, in cadauer vetustæ vrbeculæ incidi iuxta viam vix mille passus ad Austrum à *Lichfeldia* Episcopali sede notissima. Loci nomen hodie vulgari lingua *Wall* à mœnium reliquijs quæ ibidem supersunt & duo plùs minùs iugera includunt, quæ *Castle-croft* appellant, quasi *Castri campum*. Cui antiquam vrbeculam ad alteram viæ partem adiunctam fuisse, & ante Guilielmi *Conquestoris* tempora deletam ex fama à maioribus tradita referunt incolæ: locumque vbi templum positum è magnis fundamentis conijcientes ostendunt, simulque certissimos vetustatis testes Romanorum Cæsarum numismata producunt. Sed quod inprimis præstat probationem, hinc ducit militaris via pulchro, conspicuo, & continuo ferè aggere donec *Penck* flumine interrumpitur, & saxeo ponte coniungitur ad PENNOCRVCIVM a fluminis nomine facto, ea quam statuit Antoninus intercapedine. Quod nec nomen adhuc deposuit, pro PENNOCRVCIO enim *Penckridg* vocatur. Sed nunc tantùm viculus equorum nundinis celebris quas loci Dominus Hugo *Blunt* siue *Flauus* a Rege Edwardo Secundo obtinuit. Hinc nihil in hoc Comitatu dignum memoratu via illa habet, nisi prope *Weston*, lacum limpidum satis diffusum, sed recto tramite ad *Oken-yate* in agro Salopiensi perducit. Nunc ad mediam partem quam *Trenta* perfundit accedendum, in qua describenda fluminis ductum & flexus a fontibus persequi constituo.

Watling-streat. Etocetum. Wall. Pennocrucium. Penck-ridg.

Trenta qui suo quasi iure tertium sibi locum inter Angliæ flumina vendicat, in superiori huius Comitatus parte, quà Occasum spectat, è duob. vicinis fontibus effluit. Quidam imperiti & malè feriati homines à Gallica dictione *Trente* dictū somniârunt, vnde etiam finxerunt triginta fluuios in illum influere, totidémq; piscium genera in ea natare, quorum nomina rythmo Anglico decantant accolę: nec dubitant huic ascribere quod Tibisco suo tribuunt Hungari, duas scilicet partes aquam esse, tertiam pisces. A fontibus in Meridiem primùm multis ambagibus descendit non procul à *Nouo castro subter Lymam*, respectu antiquioris quod iuxtà ad *Chesterton subter Lymam* olim floruit, cognominatum, vbi antiqui castri plusquam semiruta mœnia vidimus, quod primum ex dono Regis Ioannis fuit Ranulphi Comitis Cestrensis, posteà beneficio Henrici Tertij familiæ Lancastrensis. Inde per *Trent-ham*, quondam *Tricing-ham*, sanctæ illius, & regiæ virginis VVerburgæ cœnobiolum, ad *Stone* mercatorium opidum properat, quod Saxonico sæculo enatum, nomen a saxis inuenit quæ solenni ritu maiores congesserant ad designandum locum, vbi VVolpherus Rex Merciorum paganissimus filios Vulfaldum & Rufinum, quòd Christo nomina dedissent, immani scelere trucidauit. Quò loci cùm posteritas in eorum memoriam Ecclesiolam sacrâsset, opidum statim succreuit, cui ab illis saxis *Stone* nomen inditum fuisse memorat Historia Petroburgensis. Post *Stone* defertur placidè *Trenta* per *Sandon* quæ quondam sedes *Staffordorum* Equitum clarissimorum, nuper verò hæreditariò Sampsonis *Erdeswick* viri clariss. qui venerandæ antiquitatis cultor maximus, & hoc nomine non minùs memorandus, quàm quòd ab Hugone de *Vernon* Barone de *Shipbroc*, variato pro habitationis ratione nomine primùm in *Holgraue*, & postea in *Erdeswick* recta linea mascula descenderit.

Trent. fl. New Castle vnder Lime. Trentham. Stone. Historia Petroburgensis. Erdeswick. Nomina secundum habitationem variata.

Ad hoc in Ortum *Trenta* cursu deflectit, & ab Austro *Canoc* syluam, vulgò *Cankwood* longe latéque diffusam habet, demumque *Sow* flu. sinistra ripa suscipit, qui emergit iuxta *Healy* castrum à Baronibus de *Aldelegh*, siue *Awdley* extructum, quibus Heruæus de *Stafford* locum donauit, vt Theobaldus de *Verdon* ipsum *Aldelegh*, & a quibus familia *Stanleiorum* Comitum Derbiæ; sed hæreditas & nomen ad *Touchettos* descendit in quorum sobole & nomine illa dignitas adhuc elucet. Nec silentio hîc prætereundæ sunt ædes *Gerards Bromley* dictæ tùm ob magnificentiam, tùm quòd sit sedes præcipua

Cankwood. Barones de Audley.

Thomæ

Thomæ *Gerard* quem Baronem *Gerard* de *Gerards Bromly* primo regni sui anno Rex Iacobus creauit.

Sow iste *Trentæ* quasi parallelus æquali distantia fluit per *Chebsey* quæ suos olim Dominos *Hastingos* habuit, nec procul ab *Ecclesball* habitatione Episcopi *Lichfeldensis*, & *Ellenhall*, quæ olim *Noelorum* claræ familiæ sedes erat, qui Monasterium hîc ad *Raunton* posuerunt; & à quibus hæreditario ad *Harcourtos* deuenit, qui ex veteri Normannica nobilitate diù magna dignitate floruerunt. E *Noelorum* tamen masculis Andreas *Noel* de *Dalby* Miles clariss. & Noëli de *Wellesborow* in Comitatu Leicestrensi, alijque adhuc supersunt. *Sow* inde *Stafford* subluit olim *Statford*, & prius *Betheney*, vbi Bertelinus magna sanctitatis opinione heremiticam vitam quondam egit. Et Edwardus Senior ad Septentrionalem fluminis ripam Anno Christi DCCCCXIIII. arcem extruxit. Cùm Angliæ lustrum conderet Guilielmus Primus (vt in eius libro legitur) *Rex in hac habuit tantum* XVIII. *Burgenses in Dominio suo*, & XX. *mansiones de honore Comitis*, *reddebat de omnibus consuetudinibus nouem libras denariorum*. Et in eodem libro. *Rex præcepit fieri Castellum, quod modò destructum est*. Tunc autem, vti etiam nunc, totius agri caput erat, cui maximum tamen decus à *Stafford* castro adiuncto quod Barones de *Stafford* sibi in sedem construxerunt. Sub quo *Penkus* fluuiolus *Sowo* illi commiscetur, qui *Pennocrucio* vetusto opido, de quo diximus nomen fecit. Prope autem *Sowi* & *Trentæ* confluentes intersidet *Ticks-hall* habitatio familiæ *Astonorum* quæ sua antiquitate, & cognatione hoc tractu inprimis celebris.

Noel. Harcourt. Stafford. Capgrauius. Marianus. Tricks hall.

His susceptis aquis *Trenta* medium iam agrum in Ortum placidè secat, *Chartley* castrum duorum milliarium diuerticulo à sinistra ripa seiunctum prospiciens, quod a Ranulpho Cestriæ Comite qui extruxerat ad *Ferrarios* per Agnetem eius sororem, quam Guil. de *Ferrarijs* Comes Derbiæ sibi in matrimonium coniunxerat, deuenit, è cuius prosapia Domini Ferrarij de *Chartley* floruerunt, & Anna vltimi filia hunc honorem quasi dotale patrimonium Gualtero *D'eureux* marito suo attulit, a quo genus Roberto *D'euereux* Comiti Essexiæ, & Domino *Ferrers* de *Chartley*. A dextrâ ripâ eadem ferè distantia inter syluas amœnissimè sedet *Beaudesert*, quondam Lichfeldensium Episcoporum, postea Baronum *Pagettorum* ædes, Guilielmus enim *Paget* qui ob magnam rerum prudentiam domi forisque spectatam, magnam apud Henricum Octauum, & Edwardum Sextum collegit gratiam, & amplissimas possessiones consequutus, ab Edwardo VI. Baro *Paget* de *Beaudesert* creatus erat. Eiusque nepos Thomas quartus Baro iam floret qui sua virtute & artium optimarum studijs familiæ est ornamento, & ipse hoc nomine verborum honore meritò exornandus.

Chartley. Barones Ferrers de Chartley. Beaudesert. Barones Paget.

Lichfeldia inde visitur vix quatuor mill. pass. ab hac dextrâ *Trentæ* ripâ semota, *Licidfeld* Beda vocat, quod Rossus Warwicensis *Cadauerum campus* interpretatur, & plurimos Christianos martyrio ibi sub Dioclesiano affectos refert. Vrbs est humili situ, satis ampla & nitida, in duas partes palude siue aqua lympida minùs profunda diuisa, quæ tamen duobus aggeribus, quibus subsunt sua emissaria, coniunguntur. Australis pars siue citerior multò maior est, & in varias descripta plateas scholam ostendit, & Hospitale S. Ioanni satis amplum pauperibus subleuandis positum. Vlterior, minor est, templo autem spectatissimo insignis, quod pulcherrimo mœnium ambitu instar castelli, & elegantissimis Præbendariorum ædibus, Episcopique palatio redimitum, præcellenti specie tribus è saxo pyramidibus in excelsum surgit, multisque retro ante sæculis Episcoporum sedes fuit. Anno enim mundi redempti sexcentesimo sexto Olwius Nordanhumbrorum Rex, paganis Mercijs deuictis, ad veram Christi religionem propagandam hoc in loco templum condidit, & Duinam primum Episcopum ordinauit, cuius successores eam gratiam à principibus inierunt, vt non modò primas tulerint inter omnes Merciorum Episcopos, amplissimasque possessiones in suos vsus acceperint, *Cankwood* siue *Canoc* syluâ maximâ, vberrimisque prædijs donatis; verùm etiam Archiepiscopum habuit Eadulphum, cui Adrianus PP. pallium donârat, omnesque Merciorum & Orientalium Anglorum Episcopos subiecerat, aureis rationibus ab Offa Merciorum rege permotus in inuidiam Iamberti siue Lamberti Cantuariensis Archiepiscopi qui suam operam Carolo Magno detulit si Angliam inuaderet. Sed cum Offa, & Eadulpho euanuit hæc dignitas Archiepiscopalis. Inter Episcopos autem celeberrimus fuit Ceada ob sanctitatem Diuis adscriptus,

Lichfield. Circa annum 779. Hist. Roffen. S. Ceada.

adſcriptus, qui vt inquit Beda, cùm nondum luxus Epiſcoporum animos peruaſiſſet, *Fecerat ſibi manſionem non longè ab Eccleſia remotiorem, in qua ſecretiùs cum paucis, id eſt, ſeptem ſiue octo fratribus, quoties à labore, & miniſterio verbi vacabat, orare ac legere ſolebat.* Eo ſeculo Lichfield *villa erat exigua, longè à frequentia vrbium. Nemoroſa circà regio, riuulus propè fluit. Eccleſia anguſto ſitu erat, antiquorum mediocritatem, & abſtinentiam præ ſe ferens.* Cùm Synodo CIↃLXXV. prohiberetur Epiſcopales ſedes in villis obſcuris deliteſcere, Petrus Epiſcopus *Licedfeldenſis* Ceſtriam ſuam ſedem tranſtulit. Robertus verò de *Limſeio* eius ſucceſſor eandem ad *Conuentriam* remouit. Pauló poſt Rogerus *Clinton* Lichfeldiam reduxit, & elegantiſſimum templum Anno Chriſti CIↃCXLVIII. in B. Mariæ, & S. Ceadæ honorem inchoauit, caſtrumque quod iam funditùs deletum non apparet, reſtaurauit. Opidum verò patrum memoria à Rege Edwardo VI. nomine *Balliuorum* & *Burgenſium* primùm fuit incorporatum. Polum Borealem LII. gradib, XLII. ſcrup. ſublimem videt, & ab vltimo Occidente XXI. grad. XX. ſcrup. numerat. Guil Malmeſburienſis. A.

Palus iſta Lichfeldenſis intra ripas ſtatìm coërcita, iterumq; diffuſior, ſed ſe in alueum rurſus colligens citò in *Trentam* immergitur, qui in Ortum curſum continuat donec *Tamæ* flumini ab Auſtro obuiat, cum quo *Trenta* conſociatus per loca Alabaſtrite fœcunda curſum in Septentriones deflectit, vt citiùs *Doum* excipiat, & *Burton* Alabaſtrinis operibus, *Ferrariorum* caſtro, antiquo monaſterio ab Vlfrico *Spot* Comite Merciorum fundato, & * Modwenæ Hibernicæ mulieris ſeceſſu quondam inſigne opidum fere circumlambit. De quo Monaſterio liber Abingdonenſis. *Quidam miniſter AEthelredi Regis dictus* Vlfricus Spot *conſtruxit Abbatiam de* Burton, *deditq́, ei omnem hæreditatem paternam appreciatam* 700. *libris & vt hæc donatio rata haberetur, dedit AEthelredo Regi* 300. *Mancas auri pro eius confirmatione, & vnicuique Epiſcopo quinque Mancas, inſuper Alfrico Archiepiſcopo Cantuariæ villam Dumbletonam.* Vt vel hinc intelligamus aurea tunc fuiſſe ſecula, aurumq; etiam in rebus ſacris valuiſſe. In hoc Monaſterio Modwenna, cuius ſanctitas hoc tractu celeberrima ſepulta, tumuloque hi inſcripti fuerunt pro Epitaphio verſiculi: Alabaſtrum. Burton vpon Trent. Que & Mowenna. 1004

Ortum Modwenna dat Hibernia, Scotia finem,
Anglia dat tumulum, dat Deus aſtra poli.
Prima dedit vitam, ſed mortem terra ſecunda,
Et terram terræ tertia terra dedit:
*Auffert Lanfortin quam * terra Conallea profert,* * Tir-Conell
Fœlix Burtonium virginis oſſa tenet.

Iuxta hoc inter flumina *Doum, Trentam*, & *Blithum* (qui *Blithfeild* ſpecioſas ædes antiquæ & claræ familię *Bagottorum* irrigat, & denominat) *Needwood* ſylua ſpatioſa, viuarijſque repleta diffunditur, in qua circumuicina nobilitas hilares venandi labores gnauiter aſſiduèque exercet. Hæc in parte huius agri media. Blith fl. Need-wood forreſt.

Pars Septentrionalis montibus non magnis leuiter intumeſcit, qui hinc exorſi, vt per Italiam Apenninus, per Angliam mediam perpetuum dorſum perpetuis iugis magis magiſq; elatum ad Scotiam vſq; nomine ſæpe mutato, agunt. Hic enim *Mooreland*, inde *Peake*, deinde *Blackſton edge*, poſtea *Crauen*, deinceps *Stanmore*, & demum in cornua ſciſſi *Cheuiot* vocantur. Hæc *Moreland*, ſic dicta quòd in montes & colles celſior ſurgat, & ſit infrugifera, cuiuſmodi loca *Moores* noſtra lingua vocamus, regiuncula ſanè adeò aſpera, ſqualida, & frigida eſt, vt niues diu tueatur, & de ruſticano hîc viculo nomine *Wotton* colli *Weuero* ſubiecto circumferatur apud vicinos hic verſiculus, quaſi Deus locum illum nunquam inuiſerat. Mooreland.

Wotton vnder Weuer,
Where God came neuer.

Obſeruant hîc incolæ, Zephirum ab Occaſu ſpirantem ſemper eſſe pluuioſum, Eurum verò, & Auſtrum qui pluuiarum alibi pincerna ſerenare, niſi ab Occaſu conuertat ſe

ventus

ventus in Austrum, & hoc ad maris Hibernici vicinitatem referunt. Ex his montibus plura in hoc agro emanant flumina, præcipua verò sunt *Doue*, *Hanse*, *Churnet*, *Teyn*, *Blith* & qui singula capit & ad mare defert *Trenta*. *Douus* siue *Doue* cuius ripæ extructæ sunt è solida calce, qua adusta ad stercorandos agros vtuntur, Orientalem huius partem magna ex parte citus perstringit, & à Derbiensibus separat argilloso alueo sine vllo cœnoso puluino cursum per solum quod è calce illa (quam *Limestone* vocant) vnde eam fertilitatem exsugit, vt vel media hyeme prata ex vtraque ripa lætissimè vireant, & si ripas excedat, & pratis supernatet Mense Aprili, ita quasi alter Nilus fœcundat, vt vulgò accolæ lætanter dicant :

Doue fl.

In April Doues flood
Is worth a Kings good.

Hic fluuius spatio duodecim horarum ita intumescit, vt oues & armenta secum rapiat & ferat cum magno accolarum terrore, sed spatio rursus eodem detumescit, & se in suas ripas reuocat ; cùm *Trenta* semel exurgens & ripas superans agris totos quatuor vel quinque dies incumbit. Sed ad flumina influentia. Primus est *Hans*, qui terra absorptus ad tertium milliare erumpit. Inde *Churnetum* fl. socium admittit, qui aquas agit per *De la-Cres* Monasterium à Ranulpho eius nominis tertio Cestriæ Comite constructum, *Leeke* mercatu notum, & *Aulton* Baronum de *Verdon* olim castrum, à quibus per *Furniuallos* ad *Talbottos* Salopiæ Comites descendit. *Tein* amniculus paulò inferius in *Douum* allabitur, qui haud procul à *Cheddle* exortus antiqua *Bassettorum* sede, qui à Bassettis de *Draiton* stemma deducunt, meatu adeò tortuoso serpit, vt intra mille passus quater transmisserim. Prope hunc in cœmiterio de *Checkly* tria saxa instar pyramidum sunt erecta, quorum duo imagunculis insculpuntur, medium verò altissimum. Incolæ tradunt prælium ibi initum inter duos exercitus, quorum alter armatus, alter inermis : & in eo tres cecidisse episcopos, in quorum memoriam hæc fuerunt posita. Quæ historica veritas sub hoc inuoluitur, nondum video.

Hans. Churnett. De-la-Cres. Aulton. Tein. Checkley.

Iam *Douus* ponte è saxo solidissimo constratus *Vtcester*, Saxonicè Vττok ceƿτeƿ, colle molliter accliui, pratis floridis & re pecuaria magis diues quàm structura elegans, subterfluit ; quod frustra nomine coniecturæ adblandienti, Etocetvm priusquam viderim, opinatus sum. Sed iam dies certiora edocuit. Postea cùm iam *Trentam* propiùs *Douus* accidit, *Tutbury* castrum olim peramplum, quod & *Stutesbury* dicitur ex alabastrino colle subiectæ regioni quasi minitans inuisit, ab Henrico de *Ferrarijs* Normanno nobili vnà cum monasteriolo constructum, cui latifundia amplissima in hoc agro donauerat Guilielmus Primus, quibus omnibus tandem excidit Robertus de *Ferrarijs*, Comes Derbiæ, cùm iterum ab Henrico Tertio defecisset. Ille enim cùm post multas quas Baronico bello turbas concitasset, in gratiam cum Rege redijsset, & fidem conceptissimis verbis in officio se permansurum obstrinxisset ; breui tamen homo ingenio irrequieto, vt fortunam quam flectere non potuit, planè frangeret, arma in principem induit, demumque captus, vt ex Actis publicis loquar, *secundum formam obligationis suæ*, hanc fortunarum & dignitatum iacturam longè maximam fecit. Lacus est alicubi in hac regione (si nos non fallit Nechamus) in quam nulla fera vllo modo intrabit, sed cùm locus sit incertus & res incertior, solùm ipsius Nechami versiculos adiungam, quibus pro titulo præfigitur :

Vtcester. Tutesbury.

De Lacu in Staffordia.

In libro de laudibus diuinæ sapientiæ.

Rugitu lacus est euentus præco futuri,
Cuius aquis fera se credere nulla solet.
Instet odora canum virtus, mors instet acerba,
Non tamen intrabit exagitata lacum.

De alio etiam lacu hac in regione sic scribit Geruasius Tilburiensis in Otijs Imperialibus ad Othonem Quartum. *In Episcopatu Conuentrensi, & Comitatu de Stafford ad radicem montis cui* Mahull *nomen indigenæ indiderunt : est aqua in modum paludis amplè diffusa :*

Geruasius Tilburiensis.

diffusa: in territorio villa quam Magdaleam *dicunt. In hac palude aqua est limpidissima, & sylua infinita continua, qua tantam habet in refouendis corporibus efficaciam, quòd quoties venatores ceruos aliasque feras insecuti fuerint vsque ad equorum lassitudinem, si in extremo æstuantis solis ardore aquam gustauerint, ac equis exposuerint hauriendam, amissas currendi vires reparant, vt non cucurrisse arbitreris.*

Cæterùm Staffordiensis titulus à Roberto de *Stafford*, quem Guilielmus Normannus magnis possessionibus accumulauit, ad nostra vsque tempora in eius progenie permanet. Familia si qua alia, clara, & antiqua: sed alternantis fortunæ vices subinde experta, primùm enim Barones erant de *Stafford*, inde Comites, postea Duces *Buckinghamiæ*, & Comites *Staffordiæ*. Nunc verò suo fato ad pristinum Baronum titulum reciderunt, & amplissimæ hæreditates, quas honoratissimis coniugijs adierant, quasi diffugerunt, lætiorque successit securitas, quæ cum fortuna in potentium ædibus cohabitare nescit. Staffordiæ Comites & Barones.

Habentur in hoc Comitatu Parœciæ. 130.

CESTRIÆ PARS

DENBIGH PARS

FLYNT PARS

Whitchurch

Ellismere

Oswestre

Shrowesbury

MONTGOM: PARS

Wellshpoole

Montgomerye



Clune forest

Bishops castell

Clune castell



PARS

RADNOR PARS

Knighton

HERE


SALOPIÆ
Comitatus quem CORNAVII olim incoluerunt descriptio
STAFFORDIÆ PARS
WORCESTRIÆ PARS
Drayton
Newport
Wellington
Wenlok
Shorley
Bridgenorth
Ludlow
Bewdley
Bigwood
Temd flu:
Sabrina flu:
Salopiæ pars
Hales
Worfe
FOR. PARS

SHROPP-SHIRE.



QVarta ex illis regionibus quas CORNAVIOS olim insedisse videntur, ꝺcipýp-ꞅcýꞃe, & ꝺꞃꞃobbe-ꞅcýꞃe Anglo-Saxonibus, nobis *Shroppshire*, & Latinis *Comitatus Salopiensis* dicta, cæteris spatio multò maior, nec vbertate, aut amœnitate minor, ad Orientem solem Staffordienses, ad Occidentem Montgomerienses, & Denbighienses, ad Meridiem Wigornienses, Herefordenses, & Radnorienses, & ad Septentriones Cestrenses attingit. Opidis & castris vndique stipata est frequentissimis, vtpote quæ limitanea fuerit, vel *Ager arcifinius* (vt Siculi Flacci verbo vtar) arcendis finitimis Wallis, vnde maiores no-
The Marches. stri Anglo-Saxonico vocabulo confinia huius Comitatus Walliam versus *The Marches*
Lord Marchers. dixerunt, quòd limites essent inter VVallos & Anglos: nobilesque nonnulli in hoc tra-
Marchiones. ctu, *Barones Marchiæ*, quasi *Domini Limitanei* dicti, qui Palatinam quandam iurisdictionem in suo quisque territorio habuerunt, iusque incolis in suis curijs administrârunt, cum varijs priuilegijs & immunitatibus: interquealia, vt *Breuia* è Regis Curijs locum in quibusdam caussis inter illos non habuerint. Nihilominùs si de ipsa *Baronia*, vel de limitibus *Baroniarum* controuerteretur, Regia Iustitiæ fora erant adeunda. Hi etiam olim *Marchiones de Marchia Walliæ* Latinè nominati erant, vt constat ex Rubeo libro in Scaccario Reg. vbi legitur, quod in Coronatione Æleonoræ Reginæ vxoris Henrici III. *Marchiones* de *Marchia Walliæ videlicet, Ioannes filius Alani, Radulphus de* Mortuomari, *Ioannes de* Mon-
The Canopy. mouth, *& Walterus de* Clifford *nomine Marchiæ, ius Marchiæ esse dicebant hastas argentatas inueniendi & illas deferendi ad sustentandum pannum sericum quadratum purpureum in coronatione Regum, & Reginarum Angliæ.* Sed priuata illa *Dominorum Marchiæ* iura pacis tranquillitas, & Regum authoritas paulatim antiquauit.

Nec tamen (hoc præfari libet) vniuersam hanc regionem ad CORNAVIOS spectasse existimarim, sed solùm *Cis-Sabrinam*; *Trans Sabrina* verò ORDOVICVM fuit, qui latè hic coluerunt, cuius pars aliqua, vt etiam in *Cis-Sabrina*, territoriola nonnulla quæ ad
27. Henr. 8. Dominos limitaneos spectârunt, non ita pridem authoritate Parlamentaria huic agro adiuncta. In has enim duas partes vniuersa commodè distribui potest, Sabrina fl. ab Occasu Æquinoctiali in Ortum Hibernum intersecante.

In Trans-Sabrina limitem Australem *Temdus* fl. Britannicè *Tefidiauc* stringit, cui de-
Clune flu. mùm confluit *Colunus* Britannicè *Colunwy* & contractè *Clun*. Hic interiùs scaturiens,
Bishop Castle. non procul à frequenti opidulo *Bishops Castle* dicto, quia ad Episcopos Herefordenses
Clune Castle. spectarit, quorum diocœsis in hac Prouincia latè patet *Coluno* castrum, vulgò *Clune castle*, nomen impertit, quod *Fitz-Allani* ab Alano *Flaoldi* Normanni filio oriundi, qui postea Arundeliæ Comites, construxerunt, cùm limitanei essent contra Wallos duces, & illos assiduis incursionibus agitarent. Vbi verò cum *Temdo* coit, inter vada incerta intere-
Caer Caradoc. minet antiquæ admodum memoriæ collis, quem *Caer Caradoc* vocant, eò quòd circa an-
Caratacus Rex. Tacitus. num Salutis LIII. Caratacus Britannus Rex clarissimus saxorum vallo præstruxerit, &
Humf. Lhuid. obfirmato animo cum suis contra Ostorium, & Romanorum legionarios defenderit, donec Romanus distracta rudi illa saxorum compage, cuius reliquiæ etiamnum supersunt, irrumpens, Britannos inermes in iuga montium decedere coegerit. Ipse tamen, vxore, filia, & fratribus captis, fuga euasit, sed postea (vt res aduersæ nusquam tutæ) à Cartimandua Regina, cuius fidei se commiserat Ostorio traditus, Romamque deportatus, cùm
Vide pag. 31. Romanos longo & difficili bello exercuisset, veniam à Claudio Cæsare sibi & suis, non degenere prece, sed generosa loquendi libertate impetrauit. Ob hunc collem expugnatum, & Regem captum triumphi insignia Ostorio decreta, nec minùs claram Carataci captiuitatem censuit Senatus, quàm cùm Siphacem P. Scipio, & Persen L. Paulus victos Reges populo Romano ostenderint. Licèt verò nec huius belli, nec huius viri nostræ historiæ sarcinator meminerit, nondum tamen memoria apud vulgum prorsus intercidit. Regem enim in hoc colle debellatum fuisse prædicant, & Triadum libro inter tres nomi-
* cum forti brachio. natissimos in re militari Britannos *Caradauc* * *Vrichfras* primus nominatur, quem hunc ipsum esse Caratacum mihi neutiquam dubitandum videtur.

Ludlow

Ludlow inde, Britannicè *Dinan*, & *Lys-twysoc*, id est, *Principis Palatium*, ad eiusdem Ludlow. *Temdi* cum *Coruo* confluentes colle attollitur, maiore elegantia, quàm vetustate opidum. Rogerus de *Monte Gomerico* primùm castrum pulcherrimum, & munitissimum quod *Coruo* impendet, & inde mœnia, quæ plùs minùs mill. pass. circuitu colligunt, adiecit. Verùm filio eius Roberto proscripto Henricus Primus sibi retinuit, obsessúmque posteà fortiter Stephani Regis insultus pertulit, qui cum grauissima obsidione premeret, Henricus Scotorum Regis filius vnco ferreo equo abstractus, parùm absuit quin intra mœnia Vnci ferri. abreptus esset. Sed præstò illi adfuit ipse Stephanus & singulari animi magnitudine à 1139 tanto periculo exemit. Deinde Rex Henricus II. hoc castrum cum subiecta valle ad Matth. Paris. *Coruum*, quæ vulgo *Cornes-dale* dicitur, Fulconi de *Dinan* elargitus est. Posteà *Laceiorum* ex Hibernia fuit, & per filiam ad Galfridum de *Ieneuile* Pictauensem, vel vt alij vo- Ieneuile. lunt, è familia Lotharingica descendit, à cuius posteris rursus per filiam ad *Mortuomarios*, & inde in sacrum principis patrimonium hæreditariò deuenit. Ipsique posteà incolæ in ipso opidi sinu, æditissimo loco, templum quod vnicum habet, perelegans posuêrunt, Tunc in honore esse cœpit, viciniisque prælucere, & quamuis Stephanus Rex, Simon de *Monteforti*, & Henricus Sextus domesticis bellis afflixerint, semper tamen refloruit, & nunc inprimis ex quo Concilium Limitaneum non dissimile Parlamentis illis Gallicis, instituit Henricus Octauus, cuius Præses hîc plerumque forum agit, quod vix vnquam refriguisse videres, siue ex amplissima quam exercuit authoritate, siue ex mi- *The Councell in* ra Wallorum ad litigandum alacritate. Constat hoc concilium ex D. Præsidente, tot *the Marches.* Consiliarijs quot principi placuerit, Secretario, Attornato, Sollicitatore, & quatuor Comitatuum Walliæ Iusticiarijs.

Inferiùs ad *Temdum* conspicitur *Burford* quæ à Theodorici *Saij* posteris ad Robertum Burford. de *Mortuo-mari*, ab eius itidem posteris ad Galfredum de *Cornubia*, siue *Cornwaile*, qui Cornwaile. genus ad Richardum Cornubiæ Comitem, & Regem Alemannorum retulit, eiusque prosapia ad hæc vsque tempora Baronum nomine, sed non Baronum Parlamentariorum dignitate floruit. *Tenetur verò Burford*, vt Inquisitione legitur, *de Rege ad inueniendos* Inq. 40. E. 3 *quinque homines pro exercitu Walliæ, & per seruitium Baroniæ*. Qui verò, vt obiter notem, integram *Baroniam* tenebant, vulgò Barones olim censebantur, & vt nonnullis doctis in iure nostro municipali placet, Baro & Baronia (vt Comes & Comitatus, Dux & Ducatus, Rex & Regnum) coniugata fuerunt. Baro & Baronia coniugata

Temdo nunc Salopienses relinquente, ad eius ferè ripas Septentrionem versus protuberant colles faciles, *Cleehill* vocant, hordei optimi prouentu laudati, nec sine ferri ve- Cleehill. nis, ad quorum ramentum in *Cleybury* viculo, Hugo de *Mortuo mari* castrum ædificauit, quod statìm ita deleuit Henricus Secundus, quia seditionis fuerit nutricula, vt vix hodiè supersint vestigia: & *Kinlet*, vbi *Blunti* floruerunt, *Bluntorum* certè nomen quod à flauo capillo factum, hoc tractu celebre, familia nobilis, vetusta, & cuius rami longè *Blunt* Normannicè Flaui capilli. diffusi. *Brugmorse*, vulgò *Bridgnorth*, inde vidimus ad dextram Sabrinæ ripam à Burgo & *Morse* saltu adiuncto denominatum, cùm anteà *Burgh* simpliciter diceretur, muris, *Bridgmorse.* fossa, amplo castro, & Sabrina qui in eximiam altitudinem depressus inter rupes defluit, tutum, rupeque situm, è qua viæ in superiorem opidi partem ducentes sunt excisæ. Edelfleda Merciorum Domina primùm construxit, & Robertus de *Belisme* Salopiæ Comes muro circundedit, locique ingenio fretus ab Henrico Primo defecit, vti postea Rogerus de *Mortuo-mari* ab Henrico Secundo, sed infœlici vterque successu, ad deditionem vtroque adacto, & ad ordinem redacto. In huius obsidione (vt in annalibus nostris legitur) Henricus Secundus sagitta petitus, confixus fuisset, nisi Hubertus de *Sancta Clara* vir nobilis, & Regi deuotus sese interponens, & sagittam & mortem pro Rege excepisset. Antea etiam Radulphus de *Pichford* ita fortiter hic se gessit, vt Henricus I. paruum *Brug* in vicinia illi dederit *per seruitium inueniendi sicca ligna ad Cameram* Lib. Inq. *castri de Brug in aduentu Domini Regis*, *Willeley* parùm hinc abest, sedes olim Warnerij Willey, siue de *Willeley*, a cuius posteris per *Harleios* & *Peshall* ad claram familiam de *Lacon* deuenit, Willeley. quæ aucta per nuptias olim cum hærede de *Passelew*, & nuper possessionibus I. *Blunt* Lacon. Militis de *Kinlet*.

Alia sunt itidem hoc tractu opida & castella sparsim, nimirum *Newcastle*, *Hoptoncastel*, *Shipton*, & ad *Coruum* fl. *Cornesham* quod Walterus de *Clifford* habuit ex dono Regis Lib. Inq.

Mmm Henrici

Henrici Secundi, *Brancroft*, & *Holgot*, vulgò *Howgate*, quod olim ad *Mandutos*, inde ad Robertum *Burnell* Episcopum Bathoniensem spectauit, & posteà ad *Louellos*. Superiùs sunt *Wenlocke* nunc calce sub Richardo Secundo æris fodina notum. Sed multò notiùs Saxonico seculo antiquissima Sanctimonialium habitatione, vbi Milburga sanctissima virgo vitam egit, & tumulum accepit: quod restaurauit & monachis impleuit Comes Rogerus de *Montegomerico*. *Acton Burnell Burnellorum*, & postea *Louellorum* castellum Comitijs Parlamentarijs sub Edwardo Primo nobilitatum. *Burnellorum* hæc familia celebris olim fuit & antiqua, plurimumque ab Episcopo illo quem dixi locupletata. Desijt autem regnante Edwardo Secundo, cùm Matildis hæres enupta fuit Ioanni *Louell*, & secundo Ioanni *Handlow*, cuius filius Nich. nomen *Burnelli* sibi assumpsit, à quo *Ratcliffi* Sussexiæ Comites & alij genus deducunt. Vix mille passibus hinc abest *Langley* depressiori situ in viuario nemoroso habitatio familiæ de *Lea*, quæ inter clariores & vetustiores in hoc tractu locum sibi vendicet. His proximum est *Condouer Manerium* quondam *Louellorum*, nuper verò Thomæ *Owen Communium Placitorum* Iusticiarij, & bonarum literarum cultoris summi, sed ille placida morte iam in Christo obdormiuit, filiumque reliquit Rogerum Equitem auratum multiplici doctrinâ tanto patre dignissimum. *De Rege* verò *tenetur*, (vt in archiuis legitur) *in capite, ad inueniendum duos pedites per vnum diem in exercitu Walliæ tempore Guerræ.* Hoc verò eo nomine semel adnoto, vt intelligatur nobiles hoc tractu *feoda* à Regibus Angliæ tenuisse, vt præstò essent cum militibus ad limites defendendos, quandocunque bellum inter Anglos & Wallos exarderet. Iuxta hoc est viculus *Pitchford* (quæ olim familiæ vetustæ de *Pitchford* nomen communicauit, R. *Oteley* nunc possessio) quem sic à picis fonte dixerunt maiores nostri qui bitumen à pice non internoscebant. Fons enim illic est in priuati cuiusdam area cui liquidum bitumen indies, quamuis diligentissimè despumes, innatat, perinde ac in Asphaltite Iudeæ lacu, in Samosatæ stagno, & Agrigentino Siciliæ fonte; sed non alio quàm picis vice vtuntur incolæ. An verò contra Comitialem morbum valeat & vim habeat attrahendi, consolidandi vulnera, &c. vt illud Iudaicum, nemo quod sciam hactenus expertus est. Magis ad Occasum cernuntur *Ponderbache* castrum iam ruinosum, olim *Purlebache* dictum, sedes Radulphi *Butleri* filij minoris Radulphi *Butleri* de *Wem*, à quo genus ducunt *Butleri* de *Woodhall* in Comitatu Hertfordiæ. Sub hoc saltus *Huckstow forrest* dictus latè inter montes patet, vbi ad *Stiperstons* collem magni lapidum tumuli, & quasi rupellæ confertìm surgunt, Britanni *Carneddau tewion* vocant. Hos tamen ex illis fuisse cùm alijs ne ariolari quidem ausim, quos Giraldus Cambrensis his verbis innuit. *Haraldus vltimus ipse pedes, cumque pedestri turba, & leuibus armis, victúque patriæ conformi tam validè totam Walliam circumiuit, & transpenetrauit, vt vix paucos viuos reliquerit. In cuius victoriæ signum & perpetuam memoriam lapides in Wallia more antiquo in tumulum erectos locis, in quibus victor extiterat, literas huiusmodi insculptas habentes, plurimos inuenias.*

HIC FVIT VICTOR HARALDVS.

Magis ad Septentriones *Caurse* castrum sedet, quod Petri *Corbett* Baronia fuit, à quo ad Staffordiæ Barones deuenit: & antiquissimum *Routon* huic vicinum ad Occiduum agri terminum non procul à Sabrina, quod olim ad *Corbettos*, nunc ad antiquam *Listerorum* familiam spectat. Antea verò fuit Ioannis *Le Strange* de *Knocking*, in cuius inuidiam Leolinus Walliæ princeps solo æquauit, vt legitur in vita Fulconis *Fitz-Guarini*. Romano etiam sæculo eodem nomine floruit Antonino RVTVNIVM dictum, nec in hoc falsi esse possumus, quandoquidem & nomen & distantia, quam ille à Vriconio notissimo opido ponit, exactissimè conueniant. Huic vicina sunt *Abberbury* castrum, & *Watlesbury*, quod à *Corbettis* ad nobilem & Equestrem familiam *Leightonorum* deuenit.

Nomen

Marginalia: *Wenlocke.* — Guil. Malmes. — *Acton Burnell.* — Barones Burnell. — Langley. — *Condouer.* — *Pitchford.* — Fons Bituminis. — *Ponderbach.* — Stiperstons. — *Caurse.* — *Routon.* — Rutunium. — *Watlesbury.*

Nomen verò accepisse videtur à Consulari illa, & Regia via *Watlingstreat*, quæ hàc in extremam Walliam duxit, vt author est Ranulphus Cestrensis per duo opidula, quę à strata illa publica *Strettons* nuncupata, inter quæ in conualle rudera etiamnum extant castri vetusti quod *Brocardi castrum* dictum,& viridantibus pratis quæ olim fuêre piscinæ circumsitum. Verùm hæc castra, & alia, quæ enumerare vix possum, non belli furore, sed secura pace & labentibus annis iam tandem euicta, magna ex parte collabascunt. Brocards Castle.

Nunc flumine transmisso Cis-Sabrinam partem adeamus, quam CORNAVIORVM propriam fuisse diximus. Hanc rursum in duas quodammodo partes à Septentrione in Meridiem defluens diuidit *Terna* fluuius, sic dictus, quòd è lacu diffusiore, (cuiusmodi nostra lingua *Tearnes* vocamus) inter Staffordienses promanat. In harum citeriori siue Orientali parte, vbi Sabrinæ *Terna* consociatur, VRICONIVM fuit, sic Antonino vocatur, quæ Ptolomæo VIROCONIVM, Ninnio *Caer Vruach*, Anglo-Saxonibus Wpeken-ceaꞅꞇeꞃ, nobis *Wreckceter*, & *Wroxceter* dicitur. Vrbs CORNAVIORVM præcipua, à Romanis, vt videtur, condita, cùm hanc *Sabrinæ* ripam munirent vbi fl. vadosum vt non alibi inferiùs ostium versus. Sed hoc Saxonico bello laceratum, Danico prorsus concidit, iámq; rusticorum viculus est pertenuis, & Romanos nũmos vetustatis suę quasi testes sæpe aratoribus exhibet. Præter paucula mœnium fragmenta *(The old worke of Wroxceter* vulgò indigitant) nihil hîc vidimus, quæ è saxo structili, septemplici Britannicorum ordine exteriùs distincta, interiùs arcuato opere extructa fuerunt. Eò loci vbi hæc extant, castrum fuisse ex soli inæqualitate, aggeribus, & hinc inde mœnium ruderibus suspicamur. Vbi vrbis fuit area & ea satis quidem ampla, solum magis quàm alibi nigrescit, & laudatissimum hoc tractu hordeum affatim profundit. Sub hanc via illorum Romanorum militaris nota nomine *Watling-streat*, vel per vadum, vel per pontem cuius fundamina paulò superiùs nuper detecta cum sepimentum piscatorium*(a weare* vocant) in fl. locarent, ad *Strattons* .i. *opida ad stratam*, de quibus modò diximus, rectà duxisse accepimus, verùm aggere minimè apparente. Huius VIROCONII nomen antiquum expressiùs se in monte proximo ostendit *Wrekenhill* dicto, *Gilberti montem* alij vocant, è cuius vertice qui in amœnissimam procumbit planitiem, gratissimus in subiectam regionem vndiquaque patet prospectus. Longè hic collis procurrit arboribus conuestitus sub eo verò quà Sabrina voluitur apud *Buldewas*, vulgo *Bildas*, monasterium celebre floruit sepultura olim inclytæ familię *Burnellorum*, qui patroni fuêrunt. Superiùs mansio est a situ ad publicam *Stratam*, siue militarem viam *Watlingstreet* denominata. Iuxtàque videntur reliquiæ Castri *Dalaley* quod proscripto Richardo Comite Arundeliæ Principatui Cestriæ quem erexerat, adiunxit Parlamentaria authoritate Rex Richardus Secundus. Nec procul à radicibus huius montis in conualle deuexa, ad Militarem illam Romanorum viam *Okenyate* viculus copiosa carbonum fossilium vena bene cognitus ita subsidet, eadem distantia qua VSOCONAM cùm à VIRICONIO, tùm à PENNOCRVCIO seiungit Antoninus, vt hanc *Okenyate* illam fuisse VS-OCONAM non est cur quispiam dubitet. Nec abnuit ipsum nomen, hæc enim dictio *Ys* quæ Britannis inferiùs sonat, ad inferiorem eius situm designandum adiuncta videatur. Ex altera parte sub hoc colle *Charleton* castrum cernitur olim *Charletonorum*, qui Powisiæ erant Domini, & magis ad Ortum proximè Staffordienses *Tong castle*, olim *Toang*, quod *Vernonij* non ita pridem instaurrunt, vti etiam collegium in opido, quod *Penbrigij* primi, vt legi, fundârunt. Nec ququam hîc magis ostentant incolæ quàm campanam ob magnitudinem tota vicinia celeberrimam. Huic adiacet *Albrighton* regnante Edwardo Primo Radulphi de *Pichrd* nunc verò *Talbottorum* sedes qui è familia Comitum Salopiæ sunt oriundi.

Vriconium, Wroxcester. Stratton. Wreken hill. Bildas. Dalale Vcona: Oken-yate. Charleton. Tong. Pichford.

Vltra *Ternam* fl. in ipsius ripa *Draiton* iacet, vbi in æstu ciuilium bellorum inter familiam Lancastrensem & Eboracensem, prælium nobilibus agri Cestrensis admodm funestum commissum erat. Illi enim, quamuis æquo ferè Marte discessum fuerit, cùm discordibus animis ab vtraque parte starent, confertissimè cecidêrunt. Infrà *Ternam* satis vicinum *Hodnet*, quod olim incolas eiusdem nominis nobiles habuit à quibus hæreditariò per *Ludleios* ad *Vernonos* peruenit. *Tenebatur olim de Honore de* Mont-gomery, *per seruitium esse Seneschallus Honoris eiusdem. Terna* deinde paucis affusus rusticanis viculis *Rodenam* fluuiolum, in se admittit, & pauca emensus milliaria prope *Vriconium* quod modò dixi, in Sabrinam immergitur. Ad hunc *Rodan* dum adhuc recens a fontibus *Wem*

Draiton. 1459 Inq. 2. 10. E. 2

sedet

Wem. ſedet vbi inchoati olim caſtri oſtenduntur indicia. Baronia hæc fuit primis Normannorum temporibus Guilielmi *Pantulphi*, a cuius poſteris ad *Butleros* tandem deuenit, ab illis verò per *Ferrers* de *Ouſley*, & Barones de *Greyſtocke* ad Barones *Dacre* de *Gilleſland*. Hinc parùm abeſt nemoroſo in colle ſeu potius rupe quæ *Rad-cliffe* quondam appellata, Red-Caſtle. ſitu ſuſpiciendo caſtellum a ruſeſcente ſaxo *Redcaſtle* & Normannis *Caſtle Rous* dictum, olim *Audleiorum* ſedes ex Matildis *Extranea*, ſiue *Le-ſtrange* beneficentia. Sed iam nihil niſi deſolata ſuperſunt mœnia. Vix mille hinc paſſibus demortuæ vrbeculæ iacet cadauer iam ferè abſumptum. Vetuſtatem autem & conditores Romanorum numiſmata, & lateres illi quibus vſi erant Romani conteſtantur. *Bery* quaſi *Burgum* vocitant vicini & Arthurianis temporibus celeberrimam fuiſſe prædicant.

Morton Corbet. Inde ad eundem flu. *Morton Corbet* caſtrum *Corbettorum* conſpicitur, vbi noſtrâ memoriâ Rob. *Corbet* Architecturæ ſtudio abreptus ſplendidâ magnificentiâ ædes inchoauit, vt latiùs & cultiùs habitaret, cùm ſtatim mors hinc demigrare, & opera imperfectum relinquere iuſſit. *Corbetti* hi antiquæ ſunt in hoc agro nobilitatis & latifundia multa iure clientelari à Rogero *Montegomerico* huius agri Comite ſub ingreſſum Normannorum Corbet prænomen. tenuêrunt, Rogerus, ſc. filius *Corbet* tenuit *Huelebec*, *Hundeſlit*, *Actun*, *Fernleg*, &c. Robertus filius *Corbet* in *Vleſtanſton*, *Rotlinghop*, *Branten*, *Vdecot*. Magis ad Auſtrum iacet *Arcoll* equeſtris familiæ *Newportorum* habitatio, & huic vicinum *Hagmond* monaſteri-Hamond Abbey. um, quod *Fitz-Alani* ſi non fundârunt, maximè tamen dotârunt. Haud multò inferiùs ad *Sabrinam* amœniſſimè aſſidet huius agri vrbs longè clariſſima ex antiqui Vriconij oc-Shrewsbury. caſu exorta, quam nos *Shrewsbury*, & *Shrowsbury* hodie emollito vocabulo dicimus, cùm maiores Scrobbes-byrig vocauerint, quòd collis fuerat arboribus condenſus. Quo ſenſu & Græci ſuam *Beſſam*, & Britanni hanc vrbem etiam *Pengwerne*, id eſt, *Caput alneti*, quo nomine hic etiam fuit nobile Palatium eiuſdem nominis. Sed vnde nunc illis *Ymwithig*, & Normannis *Scropesbery*, *Sloppesbury*, & *Salop*, Latinoque nomine *Salopia* vocatur, planè me latet, niſi ab antiquo nomine *Scrobbes-berig* variè luxato. *Ymwithig* tamen nonnulli Britanniæ linguæ periti dictam credunt quaſi *Placentiam* à Britannica dictione *Mwithau*, Bardoſque ita nominaſſe, quòd præ cæteris olim Walliæ Principibus placeret. Collem occupat ſubruſeſcentem, Sabrinaque duobus pontibus pulcherrimis peruius, ſe ferè in circulum ducens ita incingit, vt Iſthmo perexiguo debeat, quod non ſit inſula. Vnde Poëta noſter Antiquarius Lelandus:

Lelandus.

Edita Penguerni latè faſtigia ſplendent,
Vrbs ſita lunato veluti mediamnis in orbe,
Colle tumet modico, duplici quoq; ponte ſuperbit,
Accipiens patriâ ſibi linguâ nomen ab alnis.

Nec natura ſolùm munita, ſed etiam arte, Rogerus enim de *Montegomerico*, cui *Conqueſtoris* dono obtigerat, ſurgenti rupi, quà Boream ſpectat, dirutis quinquaginta plùs minùs ædibus caſtrum inædificauit, & Robertus eius filius cùm ab Henrico Primo deſciſceret, mœnibus obuallauit, quà flumine non defenditur, quæ tamen vim hoſtilem unquam, quod ſciam niſi bello Baronico contra Regem Ioannem pertulêrunt. Primis Normannorum temporibus ſatis culta, & frequens erat, vt enim in libro Angliæ Cenſuali legimus, reddebat per annum VII. libras, & XVI. ſolidos de *Gablo*, CCLII. ciues cenſebantur, è quibus duodecim apud Angliæ reges excubare, cùm in hac vrbe agerent, totidemque concomitari cùm venatum prodirent, tenebantur. Quod inſtitutum crediderim, quia non multos ante annos Edricus *Streona* Dux Merciorum, vir omnibus ſceleribus notatiſſimus Aſhelmum Principem hic inter venandum ex inſidijs ſuſtuliſſet. Quo tempore (vt innuit ille liber) conſuetudo inualuit hac in vrbe, *vt mulier accipiens quocunque modo maritum, ſi vidua erat, dabat Regi* XX. *ſolidos, ſi puella decem ſolidos, quolibet modo aciperet virum.* Cæterùm, vt ad rem reuertar, non tantùm munimentis Comes ille Rogerus, verùm etiam alijs ædificijs cùm publicis, tum priuatis inſtaurauit, Monaſteriumque S. Petro, & Paulo poſuit pulcherrimum, cui plures poſſeſſiones conceſſit, Prebendæ hereditariò elatæ. & vnà cum illis Eccleſiam S. Gregorij *eo ſcilicet tenore* (ex priuata Monaſterij hiſtoria loquor) *vt cum Canonici, qui in ea Præbendas habebant, morte deficerent, Præbendæ in dominium*

minium monachorum deuenirent. Vnde controuersia orta est non parua, Canonicorum enim filij litem monachis intendêrunt, vt in paternis Præbendis succederent. Eo enim tempore Canonici, & Sacerdotes in Anglia cœlibem vitam non egêrunt, & inoleuerat vsus vt beneficia Ecclesiastica cognationis iure hæreditario descenderent. Sed hæc controuersia sub Henrico Primo composita, in beneficijs Ecclesiasticis hæredem non debere succedere, & leges de Sacerdotum cœlibatu sub id tempus rogatæ. Subsequente tempore alia etiam hîc surrexerunt templa, nam vt Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinensium fratrum cœnobia omittam, quæ *Chartloni*, *Ieneuilli*, & *Staffordi* posuêrunt; duæ collegiatæ Ecclesiæ, altera S. Ceadæ cum Decano & x. Præbendarijs, altera Beatæ Mariæ cum Decano itidem & IX. Præbendariolis, erectæ erant. Hodie verò vrbs est eximia, frequens, mercium copiosa, ciuium diligentia, pannis conficiendis, & Wallorum commercijs opulenta. Hùc enim omnes ferè Walliæ commoditates, quasi ad commune vtriusque gentis emporium confluunt: à Wallis enim & Anglis incolitur, quibus vtraque lingua in vsu, & quibus inter alia, hoc in maximam laudem cessit, quod scholam erudiendis pueris totius Angliæ numerosissimam instituerint, cui Minerual honestissimum Thomas *Aston* primus Scholarcha vir optimus, & integerrimus sua operâ comparauit. Ad hanc vrbem, quum Henricus *Percius* iunior seditiosum animum in Henricum Quartum induisset, & iam mœnia oppugnaturus esset, quæ ille omni ratione constituerat, potentior fortuna subitò discussit. Rex enim ex improuiso à tergo cum exercitu instabat, in quem iuuenis animosè inuectus post longam & difficilem pugnam, desperatâ victoriâ, in destinatam mortem ruit. Locum verò adhuc *Battlefield* à prælio vocant, in quo sacellum, & vnum alterumque sacerdotem Rex victor instituit, ad impetrandam illo prælio occisis peccatorum remissionem. Ab Asorijs insulis gradibus XX. minutis XXXVII. ab Æquatore partibus LII. scrupulis LIII. distat hæc *Salopia*.

1401. Prælium apud *Shrewsbury*. Battlefeild.

Ex hac vrbe (nescio an operæ pretium & ad nostrum institutum videatur meminisse) postremò erupit Anno Salutis CIƆDLI. lætifer ille morbus, sudor Anglicus qui statim toto regno grassatus magnam stragem, hominum præcipuè consistente ætate ædidit; sudore enim correpti die naturali vertenti aut periêrunt, aut conualuêrunt. Remedium autem præsens inuentum, vt qui sudore interdiu correpti, in vestibus protinùs cubitum irent, sin noctu, & in lecto, quiescerent nec loco ad viginti quatuor horas se mouerent, quas & insomnes omninò ducerent. Vnde huius origo nec medicorum doctissimis constat. Sunt qui ad gypseum Angliæ solum (cùm tamen nisi paucis locis gypseum sit) referunt. *Certis* (inquiunt) *constitutionibus humidis, vapores è solo illo accidit eleuari, subtilissimos quidem, corruptos tamen, qui & subtilem etiam inferunt contagionem, cuius analogia est, vel ad spiritus, vel ad tenuem spumam, quæ sanguini supernatat. Quæcunque autem caussa sit, constat analogiam eius contagionis esse ad subtile sanguinis: propter quod die vna aut finitur ægritudo aut æger.* Hæc alij exquirant, obseruaui ego hunc morbum Angliam superiori seculo ter peruasisse (nec tamen dubito quin olim etiam peruaserit, etsi memoriæ non sit proditum) primùm anno CIƆCCCCLXXXV. quo Henricus Septimus regnum auspicatus, paulò post magnam superiorum Planetarum coniunctionem in Scorpione. Iterum sed mitiùs, cum peste tamen comitatus tricesimo tertio post anno, Salutis scilicet CIƆDXVIII. post Oppositionem magnam eorundem in Scorpione & Tauro, quo tempore etiam Belgicam & superiorem Germaniam afflixit. Postremo anno illo CIƆDLI. tricesimo tertio recurrente, cùm alia illorum planetarum coitio in Scorpione vires suas exerceret. Sed de his plus satis, leuicula enim videantur illis qui eruditæ experientiæ nihil tribuunt.

Sudor Britannicus. Sweating sicknesse.

H. Francastorius.

Iuxta hanc vrbem multiplices gyros trahit *Sabrina*, & maximè ad *Rossall* vbi circumductus in se fere redit, antiquissimumque illud nauigij genus, quod vetustas dixit rates hîc est vsitatissimum, scilicet, ex rudibus asseribus, & tignis connexæ trabes, quæ secundo flumine onera subuehunt, quarum vsum & nomen à Germaniæ Rheno nostrates deportârunt, eodemque cum Germanis nomine *Flotes* vocitant. Flumini verò adiacent *Shrawerden* olim Arundeliorum Comitum castrum, posteà verò longè honoratissimi viri Thomæ *Bromley* iampridem Cancellarij Angliæ, *Knocking* à Dominis *Le Strange* constructum, à quibus ad *Stanleos* Derbiæ Comites hæreditariò descendit, & huic vicinum *Nesse* (cui rupes confragosa cum antro non incelebri imminet) quod cùm *Chesswarden*

Rates, vulgò *Flotes*. *Shrawerden*. *Knocking*. Nesse.

den Rex Henricus Secundus dedit Ioanni *Extraneo*, siue *Le-Strange*, à quo propagatæ sunt amplissimæ familiæ *Le-Strangorum* de *Knocking*, *Auindelegh*, *Ellesmer*, *Blakmere*, *Luthebam* & *Hunstanton* in Norfolcia. Ab illis verò de *Knocking* cùm postremus nulla mascula prole suscepta obijsset, per Ioannam vnicam filiam Georgij *Stanlei* vxorem ad Derbiæ Comites deuenit hæreditas. A flumine remotius ad Occiduum agri limitem iacet *Oswestre* siue *Oswaldstre*, Britannicè *Croix Oswalde*, vrbecula fossa & muro inclusa, exiguoque castello munita, mercatu verò fœlix, pannorum præsertim Wallicorum raro tenuique textu (Leuidensas si placet voces) quorum magna vis singulis septimanis hîc distrahitur. Nomen habet ab Oswaldo Nordanhumbrorum Rege (cùm anteà *Maserfield* vocaretur) quem Penda paganus Merciorum princeps hîc graui prælio & occidit, & occisum summa cum immanitate discerpsit. Vnde de illo poëta Christianus satis antiquus:

Barones Le-Strange. 20. Edw. 4.

Oswestre.

Welsh cottons.

642. Oswaldus interfectus.

Cuius & abscissum caput, abscissosque lacertos
Et tribus affixos palis pendère cruentus
Penda iubet; per quod reliquis exemplarelinquat
Terroris manifesta sui, regemque beatum
Esse probet miserum; sed caussam fallit vtramque:
Vltor enim fratris minimè timet Oswius illum,
Imò timere facit, nec Rex miser, imò beatus
Est, qui fonte boni fruitur semel, & sine fine.

Vide in Northumbria.

Primam autem originem ex religione habuisse videtur, sanctissimum enim locum habuerunt eius ætatis Christiani, & Beda miracula hîc claruisse vbi Oswaldus cecidit, prodidit. Madocus frater Mereduci (vt est apud Carodocum Lancabernensem) instaurauit, mœnibus *Fitz-Allani* Normanni postea eiusdem Domini, & Arundeliæ Comites circumuallàrunt. Solaria verò in Ariete deliquia sibi admodum infesta sensit, anno enim CIↃDXXXXII. & anno CIↃDLXVII. cum Solis in Ariete eclipses vires suas exercerent, incendia passa est grauissima. Post recentiorem enim hanc eclipsim, adeò latè se fudit incendium, vt ædes plùs minùs ducentæ in vrbe, & suburbijs conflagrarint. Sub hac ad Circium collis est triplici fossa circundatus, quem *Hen-dinas*, id est, *Vetus Palatium* vocant. Vrbem fuisse contendunt vicini, alij tamen sunt qui Pendæ, vel Oswaldi castra existimant. Vix tribus hinc millibus passuum *Whittington* abest *Fitz-Guarinorum* non ita pridem castrum, qui à Guarino de *Metz* Lotharingo stemma duxêrunt, ille verò hæredem Guilielmi *Peuerell* qui *Whittingtoniam* construxisse fertur, in vxorem accepit, & Fulconem genuit, patrem Fulconis illius *Fitz-Guarini* celeberrimi, cuius ancipites varijque in bellis casus magnam apud maiores habuerunt admirationem. Et regnante Henrico Tertio facta erat Fulconi *Fitz-Warin licentia firmandi competenter Castrum de Whittington*, vt apparet ex Claus. quinto Henrici Tertij. Desijt horum Baronum dignitas tandem in fœmina, & per *Hancfordum* ad *Bourchieros* qui nunc Bathoniæ Comites seculo superiori transiuit. Sub hoc quædam prædia tenuit quidam Wrenocus *filius Meurici qui pro seruitio debuit esse Latimerus* inter Anglos & Wallos, id est, *Interpres*. Quod adnoto (ex Inquisitione veteri) vt intelligatur quid sibi velit nomen illud *Latimer*, quod fere nemo cognouit, cùm tamen in hoc regno sit celeberrimum. Ad Borealem agri limitem primum *Shenton* sedes claræ familiæ *Needhamorum*, & inde *Whitechurch* siue *Album Monasterium* cernitur, tumulis aliquot *Talbottorum* clarum, sed præcipuè illius Achillis Anglici Ioannis *Talbott* primi Salopię ex hac familia Comitis, cuius Epitaphium, vt formam Sepulchralium inscriptionum pro quolibet æuo videat lector, subiungam, licèt tanto heroë minimè dignum.

Eclipses in Ariete.

Whittington.

Vita Fulconis Gallicè scripta.

Barones Fitz-Warin.

Latimer quid significat.

Whitechurch.

ORATE

ORATE PRO ANIMA PRÆNOBILIS DOMINI, DOMINI IOANNIS TALBOTT QVONDAM COMITIS SALOPIÆ, DOMINI TALBOTT, DOMINI FVRNIVALL, DOMINI VERDON, DOMINI STRANGE DE BLACK-MERE, ET MARESCALLI FRANCIÆ, QVI OBIIT IN BELLO APVD BVRDEWS VII. IVLII MCCCCLIII.

Hi *Talbotti* ante multos annos hæreditatem Baronum de *Extraneo*, siue *Le Strange de Black-mere* hoc in loco, vxorio iure creuêrunt. Illi enim limitanei erant in hoc agro Domini, ædesque eorum *Black-mere* à nigro lacu dictæ plusquam semirutæ in proximo visuntur. Ad quos plurimum tùm honoris, tùm opum accessit ex nuptijs cum filia & altera hærede Ioannis *Ciffard* de *Brimsfeild*, qui antiquæ nobilitatis in agro Glocestrensi fuit, & Matildem vnicam filiam Walteri *Clifford* tertij sibi in vxorem acceperat. Barones Le-Strange de Black-mere.

Magis ad Occasum *Ellesmer* regiuncula iacet opima & fertilis, quam, vt Chronologia Cestrensis habet, Ioannes Rex Angliæ vnà cum castello Lewelino North-walliæ Principi in dotem constituit, quum illi filiam suam notham in matrimonium collocâsset. Postea ad familiam *Extraneorum* siue *Le-Strange* deuenit. Nunc autem Baronem suum habet Thomam *Egerton*, quem virum egregiè prudentẽ, & integrè æquum R. Eliz. Magni Sigilli Custodem sibi delegit, & Rex Iacobus Cancellarium constituendo ad summum togatæ dignitatis fastigiũ euexit, simulq; titulo, & honore Baronis de *Ellesmer* exornauit. Ellesmer. 1205 Baro de Ellesmer.

Nunc compendio de Salopiæ Comitibus, Rogerus de *Belesmo*, siue *Montgomery*, primum Salopiæ Comitem instituit Guilielmus Primus, cui & longè maximam huius regni partem assignauit. Huic successit primùm Hugo filius natu maximus sine prole in Wallia occisus, deinde Robertus è filijs alter, vir efferata immanitate in suos ipsius filios, & obsides, quibus suis manibus & oculos eruit, & testiculos execuit; sed tandem læsæ maiestatis reus in carcerem perpetuum ab Henrico Primo conditus, pœnas nefarijs sceleribus dignas persoluit, & eius Comitatus in Adeliziæ reginæ dotem transcriptus. Post multa tandem secula Henricus VI. anno regni sui vicesimo, Ioannem Dominum *Talbott*, quem ad bellicam virtutem & natura peperisse, & voluntas exercuisse videatur, hoc honore amplificauit. Annoque regni sui vicesimo quarto eundem quem *Salopiæ* & *Weisfordiæ* Comitem vocat, etiam titulo Comitis Waterfordiæ, Baronia de *Dongaruan*, & *Seneschalsia* Hibernia adauxit. Cùm autem ille in prælio ad Castilionem in Aquitania cecidisset vnà cum Ioanne filio minore Vicecomite *L'isle*, postquam quatuor & viginti annos magnam Galliæ partem victricibus armis peragrasset; Ioannes filius ex filia & vna hæredum Thomæ *Neuill* Domini *Furniuall* natus successit, qui Lancastrensis familiæ signa sequutus, in prælio ad *Northanton* occubuit. Ab hoc prognatus est Ioannes tertius Salopiæ Comes, & Gilbertus à quo *Talbotti* de *Grafton* sunt oriundi. Ioanni tertio succeſsit Georgius, Georgio autem Franciscus eius itidem filius, qui pater erat Georgij *Talbotti* Comitis Salopiæ, viri honoratiſsimi, & in magnis Reipublicę negotijs spectatiſsimi: cuius filius Gilbertus locum à maioribus traditum summo splendore, & summa virtute hodie tuetur. Comites Salopiæ. H. Huntind. in libello de vita miserijs. Vide in Hibernia.

Sunt in hac Regione parochiæ plùs minùs. 170.



OCEA=
NUS
PARS
CESTRIÆ
Comitatus-
Legionibus-
olim insignis-
absoluta des=
Romanis
et Coloniis
vera et
criptio
Leuerpoole hauen
Leuerpoole
Warington
Merlee flu:
Dela mere forest
Dee flu:
Flynt
CHESTER
DEVA
FLINT
PARS
Septentrio
Occidens
Oriens
Meridies
DEN:
BIGH
PARS
FLINT
PARS


EBORACENSIS
PARS
LANCAS:
TRIÆ
DAR:
BIÆ
PARS
STAF:
FORDIÆ
PARS
OPIÆ PARS
Stokport
Altrincham
Knottesforth
Maclesfeld
Maclesfeld forest
Congelton, al. Congeton
CONDATE
Northwich
Namptwich
Scala Miliarium
1
5
10
Christ: Saxton describ: Guliel: Hole sculpsit

CHES-SHIRE.



Vinta & vltima ex illis Prouincijs quas antiquitùs tenuerunt CORNAVII, est Comitatus Cestrensis, Saxonicè Ceſtre-ſcyre, vulgò *Chesshire*, & *The County Palatine of Chester*, (quod eius Comites iura Palatina habuerint, omnesque incolæ illis solis in *Feudo*, id est, *in fide* fuerint) vt illi Regi. Palatinus, vt quod de hoc nomine priùs dixi repetam, commune olim erat omnibus qui in Regis Palatio officijs fungebantur, atque eo seculo Comes Palatinus titulus erat dignitatis delatus illi qui anteà fuit Palatinus, cum authoritate iudicandi in sua regione, eiusque tùm primores quos Barones dixerunt, tùm vassalli tenebantur Comitis Palatium accedere ad consulendum ipsi, & ipsius aulam cohonestandam.

Comitatus Palatinus.

Petrus Pithœus in Campania descr.
I. Tilius.

Hæc regio (vt habet Malmesburiensis) *farris, & maximè tritici ieiuna, & inops, pecorum & piscium ferax.* At contra Ranulphus Cestrensis. *Quicquid Malmesburiensis ad alterum relatum sommiauit, omni genere victualium abundat, farris, carnis, piscis, potißimè salmonis optimi copiosa, mercimonia varia recipit, & refundit, quippe in suis confinijs salinas habet, mineras, & metalla.* Insuper & ego hoc addam, ea inest virtus pabulis, vt casei gratissimi saporis & laudatissimi magno numero hic premantur, cuiusmodi reliqua Anglia non exhibet, etiamsi hinc huius rei casearia peritissimæ fœminæ adhibeantur, Dumque hæc scribo, non possum non obiter mirari quod Strabo olim scripsit suo tempore quosdam Britannorum casei conficiendi esse ignaros, & quod Plinius posteà miratus est *barbaras gentes quæ lacte vixerunt, ignorare aut spernere tot seculis casei dotem, densantes id alioquin in acorem iucundum & pingue butyrum.* Vnde colligatur rationem casei conficiendi a Romanis deuenisse. Vtcunque verò soli vbertate pluribus Angliæ regionibus cedit hæc regio, præ cæteris tamen eximia semper fuit nobilitatis altrix, nec enim alia est in Anglia prouincia quæ olim plures nobiles in aciem eduxerit, & plures equestres familias numerârit. Ab Austro agro Salopiensi, ab Ortu Staffordiensi & Derbiensi, à Septentrione Lancastrensi, ab Occasu Denbighensi & Flintensi circumscribitur, ad Circium vero * Chersonesso longiùs in altum abit, quæ inter duos sinus conclusa vtrinque insinuantem Oceanum admittit, in quos etiam sinus omnia huius agri flumina conueniunt. In horum Occidentaliorem DEVA qui à Denbighensibus dirimit, in Orientalem, tùm *Wever* qui mediam regionem intermeat, tùm *Mersey* qui à Lancastrensibus secludit. Nec commodiorem huius describendi video rationem, quàm si horum fluminum tractus persequar. Loca enim quæ sunt præcipui nominis his impendent omnia. Verùm priùs hæc de Comitatu Cestriæ præmittam ex Luciano Monacho. Ne quis me subticere quæ ad laudem incolarum huius regionis faciat, postea coarguat. Author enim ille rarus, & vixit primis Normannorum temporibus. *Si quis autem petit vel in pleno vel in proximo secundum habitationem morum Prouinciales tangere; instar reliquorum viuentium pro locis terrarum cæteris Anglis in partes dissimiles, in parte meliores, in parte inueniuntur æquales. Videntur autem in primis quod est optimum secundum generale specimen morũ, conuiuio communes, cibo alacres, hospitio liberales, irâ faciles, linguâ labiles, subiectionis ac seruitutis impatientes, afflictis clementes, pauperibus compaßibiles, cognatum sanguinem fouentes, labori parcentes, felle duplicitatis immunes, edacitate nil graues, molimina nescientes, per vsurpatam sæpe licentiam aliena mutuantes, syluis ac pascuis abundantes, carne ac pecore diuites, Britonibus ex vno latere confines & per longam transfusionem morum maxima parte consimiles. Illud etiam intuendum qualiter Cestria Prouincia Limæ nemoris limite lateraliter clausa à cæteris Anglis priuilegij distinctione sit libera & per Indulgentias regum atque excellentias Comitum magis in cœtu populi gladium Principis, quàm coronam regum consueuit attendere, & in suis finibus etiam maximas negotiorum discußiones licenter ac liberiùs explicare. Cestria igitur ipsa Hibernis receptoria, Britannis vicina, Anglorum subministrantium annonâ repleta: situ eleganti, portarum positione antiqua, duris experimentis exercitata: amne pariter & oculis secundum nomen suum, ciuitatis vocabula digna, sacrorum vigili cincta custodia, & per misericordiam saluatoris diuinitatis semper auxilio communita.*

Casei laudatissimi.

* Wirrall.

Lucianus Monachus de laude Cestriæ.

Deua

Dena Anglicè *Dee*, Britannicè *Dyffyr-dwy*, id est, *aqua Dwy*, Salmonibus admodum ferax è duobus in Wallia fontibus enascitur, & inde denominatum credunt. *Dwy* enim *Duo* illorum idiomate denotat. Alij verò vim etiam verbi sequentes *aquam nigram*, alij *Dei aquam*, & *diuinam* interpretantur. Quamuis autem fontem dijs sacrum *Diuuonam* antiquâ Gallorum linguâ, quæ eadem erat cum Britannica Ausonius dixerit, & omnes fluuios Διιπετεῖς, & diuinos iudicarit antiquitas, Britannique nostri diuinos honores fluminibus detulerint (vt est apud Gildam) vnde tamen huic nostro *Dwy* præ alijs diuinitatem tribuerint non video. Thessali, vt legimus, Pæneum amnem ob amœnitatem, Istrum Scythæ ob amplitudinem, Rhenum Germani quod coniugalis fidei iudex haberetur, honore diuino affecêrunt; verùm nihil video, vt dixi, cur huic flumini nomen diuinum indiderint, nisi fortè quod alueum subinde mutârit, & certo victoriam accolis demonstrârit, cùm inuicem infesti essent, prout his vel illis, relicto alueo, magis incubuit. Hoc enim prodidit qui quodāmodo credidit Giraldus Cambrēsis. Vel quòd obseruarint pluuijs contra quàm flumina solent parùm increscere, & quoties crebriori verberatur Austro, vicinis agris effusiùs innatare. Christianis etiam Britannis sancta huius fortasse aqua videbatur, Scribitur enim quòd cùm in procinctu contra Saxones starent terram osculantes, ex hoc in memoriam sacratissimi Christi sanguinis deuotissimè bibisse. Cæterùm *Dena* qui è Wallia potiùs ruere quàm fluere videtur, cùm Cestrenses attigerit, lentior BONIVM interluit, quod nonnullis Antonini exemplaribus BOVIVM dicitur, quæ vrbs eo sæculo fuerat insignis, postea monasterium præclarum, à cuius choro *Bonchor* & *Banchor* Britannis, Anglis Bancorna-byrig, & *Banchor* vocabatur, alumnumq; habuit (vt aliqui scribunt) inter multos optimos viros, hæresiarcham illum pessimum Pelagium qui in gratiam Dei iniquissimus pestiferâ doctrinâ Occidentalem Ecclesiam diu exercuit. Vnde Prospero Aquitano *Coluber Britannus* illo versu dicitur:

Dee fl. Diuona. Flumina sacra. Bonium. Banchor. Pelagius Hæresiarcha.

Pestifero vomuit coluber sermone Britannus.

Nec alio nomine huius memini, quàm quòd vitia & venena nôsse intersit omnium. *In hoc monasterio* (vt inquit Beda) *tantus fuit monachorum numerus, cùm in septem portiones, cum propositis sibi rectoribus diuisum esset; nulla harum minùs quàm trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum viuere solebant.* Quorum mille ducentos Edilfredus Rex Nordanhumbrius è medio sustulit, quòd pijs precibus Christi opem pro Britannis Christianis contra Paganos Anglo-Saxones implorâssent. Monasticæ vitæ institutum (vt paululum digrediar) incœpit cùm persecutiones crebræ detonarent, tunc enim viri boni vt securiùs Deo vacarent, in vastas Ægypti solitudines se subduxêrunt, non vt pagani clamitârunt, vt miserijs se sponte inuoluerent, ne miseri essent. Vbi per montes, & saltus in speluncis & cellulis sparsim primùm habitârunt solitarij, vnde Græcè Monachi dicti, posteà tamen consultiùs videbatur, vt in ijsdem ædibus (sicut humanitatis ferebat ratio) habitarent, potiùs quàm vt feræ in eremis delitescerent: illorumque erat vt orarent, & labore manuum victum sibi, alijsque egenis pararent, & paupertatis, obedientiæ, & castitatis votis obstringerentur. Hunc Monachismum in Occiduam Ecclesiam primus intulit Athanasius, quem postquam cum clericatu in Africa S. Augustinus, in Gallia S. Martinus, & in Britannia & Hibernia vt fertur, Congellus coniunxissent: incredibile est quàm longè latéque fuerit propagatus, quot & quanta illis extructa cœnobia, quæ à communione vitæ sic dicta, vt etiam Monasteria quod solitudinis speciem aliquam retinuerint, nihilque tunc temporis sacratius & habebatur; cùm non tantùm sibi, sed etiam vniuerso generi humano precibus suis apud Deum, exemplo, doctrinâ, labore, & industriâ plurimum prodessent. Verùm rebus in deteriora diuergentibus sancti illi mores, vt inquit ille, *rebus cessêre secundis*. Iam se recipiat oratio.

Vita Monastica. Rutilius Claudius in Itinerario.

Post hæc tempora omninò concidit hoc Monasterium, Guilielmus enim Malmesburiensis ætate qui statìm à Normannorum ingressu vixit. *Tot* (vt inquit ipse) *hîc superfuerant antiquitatis indicia, tot semiruti parietes Ecclesiarum, tot anfractus portarum, tanta turba ruderum, quantam vix alibi cernas.* Nunc verò intermortuæ vrbis, vel Monasterij vix facies remanet, duarúmque portarum nomina, *Port Hoghan*, & *Port Cleis* quæ mille passus disiunctæ sunt, remanent, inter quas Romanorum numismata sæpius reperiuntur.

Banchor de quo S. Bernardus agit in vita Malachiæ fuit in Hibernia.

Bononium ad Flintenses spectat. tur. Sed vt hoc moneam, non huius agri censetur BONIVM, sed Flintensis, cuius portio quasi a reliqua diuulsa inter Cestrenses & Salopienses hîc interiacet.

Malpas. *Deua* verò vbi hunc Comitatum subintrat, *Malpas* siue *Malo-passum* in ædito colle non procul à ripa suspicit, quod suum castrum habuit, & ob malam, arctam, præruptam, & impeditam viam quæ *Mala platea* dicta, hoc recentius nomen à Normannis accepit, cùm olim eádem ferè significatione *Depenbache* Anglis diceretur. Huius *Baroniam* dedit Hugo Comes Cestrensis Roberto *filio Hugonis*, Regnante Henrico Secundo Guilielmus *Patricius* filius Guilielmi *Patricij* eandem tenuit, è cuius posteris Robertus *Patric* proscriptus eadem excidit. Paucis elapsis annis Dauid de *Malopassu* adeptus est per *Breue recognitionis* medietatem eiusdem villæ quæ fuit Gilberti *Clerici*, Baroniæ autem huius magna pars postea hæreditariò ad *Suttonos* illos qui Barones de *Dudley*. Pars etiam ad Vrianum de *S. Petro*, vulgò *Sampier*, deuenit. A Philippo autem iuniore filio D. de *Malo passu* genus ducit clarissima equestris familia *Egertonorum* qui hoc nomen a loco habitationis desumpsêrunt, vti etiam ab alijs ex hac stirpe illi qui de *Cotgraue*, *Ouerten*, *Codington*, *Golborn*, nomina sumpsêrunt. De nomine huius loci antequam discedam, liceat in hoc serio & graui opere hunc ex Giraldo Cambrensi interponere iocum. *Contigit nostris*, inquit, *diebus*, *Iudæo quodam cum Archidiacono loci huius cui cognomen* Peché, *id est*, Peccatum, *& Decano cui nomen* Deuill, *id est*, Diabolus, *versus Slopesburiam iter agente*, *cum Archidiacono forte referente audiret*, *Archidiaconatum suum à loco qui* Ill-streat, *id est*, Mala platea *dicitur*, *incipere*, *& vsque ad* Malum passum, *id est*, Mal-pas *versus Cestriam durare : considerans & intelligens quoque tam Archidiaconi cognomen*, *quàm & Decani agnomen*, *lepide satis & facetè subiecit : Mirum*, *inquit*, *si ab hac vnquam patria me mea sors reducat incolumem*, *cuius quippe* Peccatum *est Archidiaconus*, Diabolus *Decanus*, *Archidiaconatus verò* Mala-platea *sit introitus*, *&* Malus passus *exitus*.

Ex rotulo Domesday Comitatus Cestriæ, Barones de Malpas.

Egertoni.

Itiner. lib. 2. cap. 13.

Shoclach. Hinc deuoluitur *Deua* per *Shoclach* vbi quondam fuit castrum, *Aldford*, olim *Ardernorum*, *Pouleford* vbi suum castrum habuit regnante Henrico Tertio Radulphus de *Ormesby*, & *Eaton* sedem celebris familiæ *Gros-uenour*, id est, *Grandis venator*, cuius posteri nunc corruptè *Grauenor* dicuntur.

Grosuenour.

Deunana. Deua. Paulò superiùs ad idem flumen propè æstuarium, quod SETEIA pro *Deia*, Ptolemæo dicitur, vrbs clara sedet, quam Ptolemæus ille DEVNANAM, Antoninus DEVAM à flumine, Britanni *Caer-Legion*, *Caer-Leon Vaur*, *Caer-Leon ar Dufyr Dwy*, & *Caer* per excellentiam, vt maiores nostri Legea-ceaster dixerunt, à castris legionis, & nos contractiùs *West-Chester* ab Occidentali situ, & *Chester* iuxta versiculum.

Chester.

Cestria de castris nomen quasi Castria sumpsit.

Nomina enim hæc proculdubio à Legione Vicessima Victrice sunt deducta. Hæc enim Galba Imperatore iterum, & Tito Vinio Coss. in Britanniam transmissa fuit, quæ cùm nimia & formidolosa legatis tam Consularibus, quàm Prætorijs extitisset, Iulium Agricolam à Vespasiano præfectum habuit, & tandem sedem hac in vrbe accepit, quam nec multos ante annos constructam, & ORDOVICVM ceruicibus impositam opinor : quamuis non desint qui vel ipsâ Lunâ hanc vetustiorem esse contendunt, à *Leone* nempe *Vaur* Gigante infinitis ante sæculis positam. Sed plebeios hos antiquarios vel ipsum nomen ab errore tam crasso auerteret. *Leon Vaur* enim Legionem magnam Britannis sonare diffiteri non possunt, vtrum verò æquiùs melius fuerit vrbem à Legione magna, vel à Leone Gigante denominari viderint docti; cùm in Hispania Tarraconensi à Legione VII. Germanica regnum nunc *Leon* dicatur, & Legionem XX. quam Britannicam, Valentem Victricem, atque Valeriam Victricem alij falsò dicunt, hac in vrbe egisse Ptolemæus, Antoninus, & Septimij Getę nummus antiquus comprobent, è quo hanc etiam Coloniam fuisse constat : inscribitur enim in parte auersa COL. DIVANA LEG. XX. VICTRIX. Romanæ autem magnificentiæ argumenta nunc supersunt paucula præter pauimenta tessellata, superiori ætate plurima exhibuit, quod suis verbis Ranulphus huius vrbis monachus è suo Polychronico tibi dicet. *Via sunt hic subterranea lapideo opere mirabiliter testudineata*, *triclinia concamerata*, *insculpti lapides prægran-*

Chester Colonia Romanorum.

des

des antiquorum nomina præferentes, hic & numismata Iulij Cæsaris, aliorumque illustrium inscriptione insignita quandoque sunt effossa, & Rogerus Cestrensis in Policratico. *Intuenti fundamenta lapidum in vijs enormium videtur potiùs Romano, siue giganteo labore quàm Britannico sudore fundata.* Vrbs hæc quadrata forma, mœnibus quæ duo plus mill. pass. ambitu colligunt, includitur; XI. parochiales Ecclesias numerat, castrum eminet propè flumen à Comitibus constructum, vbi fora Palatinatus, & *Assisa*, (quas vocant) bis quotannis habentur. Ædificia sunt nitida, & proiectis Mænianis porticus vtrinque per primarias plateas ducunt. Sed rebus secundis non perpetuo tenore vsa est, primùm ab Egfrido Nordanhumbrio, inde à Danis excisa, restaurata tamen ab Ædelfleda Mercìorum Domina, statimque Eadgarum Regem de Britannicis principibus pompa magnifica triumphantem vidit. Ipsum enim in triumphali nauicula ad proram sedentem Kinnadius Rex Scotorum, Malcolinus Cumbrorum, Maconus Manniæ & Insularum, omnesque Walliæ principes in fidem adacti, quasi remiges remis incumbentes per *Deuam* fluuium læto spectaculo duxerunt. Insequente tempore, circa annum reparatæ Salutis CIↃ LXXXXIIII. cum pia æmulatione, vt inquit ille, *Ecclesiarum basilica decentiore forma exurgerent, & orbis Christianus quasi excutiendo semet, rejecta vetustate passim candidam Ecclesiarum vestem indueret,* Ecclesiam quam Leofricus Comes in honorem Werburgæ virginis posuerat, Hugo primus è Normannico genere Cestriæ Comes restaurauit, & authore Anselmo, quem è Normannia euocârat, monachis concessit. Nunc verò Henrici IIII. Germaniæ Imper. sepultura, quem abdicato imperio hereniticam hic vitam duxisse aiunt, & Episcopali sede celeberrimum. Quam statim à Normannica victoria Lichfeldensis Episc. Petrus à *Lichfeldia* huc transtulit, sed ea ad *Conuentriam*, & posteà ad sedem suam pristinam reducta, *Deua* diu hac dignitate viduata iacuit, donec patrum memoria Henr. VIII. exturbatis monachis Præbendarios instituerit, & denuò Episcopum restituerit, cui hunc agrum, Lancastrensem, Richmondiam &c. subiecit, & in iurisdictione Archiepiscopi Eboracensis esse iussit. Verùm ad vetustiora gradum referamus. Cùm iam templum conditum esset, Normannici Comites mœnia, & castra adiecêrunt. *Vti enim Episcopus tenuit de Rege quod ad suum pertinet Episcopatum* (sic enim legitur in libro, quo Angliam censuit Guilielmus magnus) *ita totam reliquam ciuitatis partem Comites cum suis hominibus de Rege tenuerunt. Geldabat autem pro* L. *hidis, erant domus* CCCCXXXI. *qua geldabant, Monetarij autem septem. Quando Rex ipse ibi veniebat, reddebat ei vnaquaque Carrucata* CC. *Hesthas, & vnam cunam plenam ceruisia, & vnam butyri ruscam.* Et ibidem. *Ad murum ciuitatis & pontem readificandum de vnaquaque hida Comitatus vnum hominem venire præpositus edicebat. Cuius homo non veniens Dominus eius* XL. *solidos emendabat Regi & Comiti.* Si velitationes inter Wallos & Anglos primis Normannorum temporibus, incursiones, excursiones, suburbij de *Hanbrid*, vltrà pontem iterata incendia, vnde *Treboeth* Wallis, id est, *Opidum incensum* dicitur, & murum è Wallorum cranijs longè ibi ductum sigillatim persequerer, mei oblitus in Historicorum messem falcem immittere viderer. Iam inde verò inprimis floruit *Cestria*, Comitatumque per se *incorporatum* Rex Henricus VII. instituit. Nec quicquid abest, quod in florentissima ciuitate desideretur, nisi quòd Oceanus molendinis quibusdam in *Deua* alueo quasi succensens se sensim subduxerit, nec ciuibus, vt pridem, portus opportunitatem præbeat. Longitudinem gradibus XX. scrup. XXIII. Latitudinem gradibus LIII. scrup. XI. definitam habet. Si plura de hac vrbe desideres hæc habe ex Luciano illo Monacho qui ante annos ferè quingentos vixit. *Primo videndum quod* Cestria *quæ ædificatur vt ciuitas cuius positio inuitat aspectum, quæ in Occiduis Britanniæ posita legionibus ex longinquo venientibus receptoria quondam ad repausandum fuit: & Romanis vt seruent limitem imperij, claues, vt ita dixerim, Hibernorum custodire sufficit; nam contra aquilonare cornu Hiberniæ opposita non tàm crebrò quàm côntinuè ob caussas meantium & commoda mercium diuersarum, velis aptatis viam aperit cursibus nauium atque nautarum. Dumque in Orientem protendit intuitum non solùm Romanam ante se cathedram & imperium, verùm & orbem prospicere vniuersum: vt tanquam spectaculum proposita sit obtutibus oculorum. Fortia facta, series longissima rerum, & quicquid in orbe quibusque personis, locis, temporibus bene gestum etiam cognoscantur, quod male actum etiam caueatur. Quæ à ventis quatuor portas quatuor habens ab Oriente prospectat Indiam, ab Occidente*

The Rowes.

Circiter an. 960.

Ecclesiæ renouatæ. Glaber Rodolphus.

Hiberniam, ab Aquilone maiorem Norweiam, à Meridie eam quam diuina seueritas ob ciuiles & naturales discordias Britannis reliquit angularem angustiam. Quæ olim dissidijs & odijs amaris Britanniam in Angliam mutauêre, & quibus adhuc moribus fulgeant qui vicinantur eis cum lachrymis legunt. Habet præterea nostra Cestria ex Dei munere ditantem atq; exornantem amnem, secus vrbis muros pulchrum atque piscosum & à Meridiano latere receptorium nauium ab Aquitania, Hispania, Hibernia, Germania venientium qui (remige Christo) per laborem & prudentiam mercatorum bonis pluribus reparant & reficiunt vrbis sinum vt modis omnibus consolati per gratiam Dei nostri etiam frequenter, vberiùs & profusiùs bibamus vinum: quoniam illa regionum loca gaudent prouentibus vinearum. Præterea reumate quotidiano non cessat eam reuisere maris patentissima plenitudo quæ apertis & opertis latissimis arenarum campis indesinenter gratè vel ingratè aliquid mittere vel mutare consueuit, & suo accessu vel recessu afferre quippiam vel aufferre.

Ab vrbe in Circium procurrit laxior Chersonessus hinc *Deio* æstuario, illinc *Merseio* conclusa, nos *Wirall*, Britanni quòd angulus sit, *Kill-gury* vocant: olim tota saltuosa & inculta fuit, vt perhibent incolæ, sed *Deforrestauit* Edwardus Tertius. Nunc verò opidis vndique consita, salo tamen quàm solo fœlicior habetur; hoc enim frugibus est minùs benignum, illud piscibus inprimis fœcundum. Huius ingressu ad Austrum *Shotwick* castrum Regium æstuario incumbit, ad Boream est *Hooton*, Manerium quod tempore Richardi Secundi ad *Stanleios* deuenit, qui à quodam Alano *Syluestre* genus repetunt, cui Ranulphus eius nominis primus Cestriæ Comes *Balliuam Forrestæ de Wirall* cornu tradito contulit. Huic contiguum est *Poole* vnde loci Domini qui diu dignitate floruerunt, nomen assumpserunt, & in proximo *Stanlaw*, id est, vt interpretantur religiosi eiusdem loci, *Saxeus collis*, vbi monasteriolum posuit Ioannes *Lacy* Constabularius Cestriæ, quod posteà propter inundationes translatum ad *Whaley* in Comitatu Lancastrensi. In extremitate autem huius Chersonessi insula modica, ieiuna, & arenosa, *Il-bre* vocant, adiacet; quæ suam olim Monachorum cellulam habuit. Interiùs ad Ortum ab hac Chersonesso saltus obiacet celebris, *The Forrest of Delamere*, cuius hæreditarij *Forrestarij* sunt *Dawni* de *Vtkinton*, præclaro genere prognati, vtiq; à Ranulpho de *Kingleigh*, cui Ranulphus primus Cestriæ Comes illam *Forrestariam* hæreditario iure tenendam donauit. In hoc suam vrbeculam Eadesburg, .i. si interpreteris, *Fœlix opidum*, posuit Ædelfleda Mercia, quæ exoleto iam nomine, rudetum effectum, *The chamber in the forrest* vocatur, & ad vnum & alterum hinc milliare alterius opidi *Finborrow* ab eadem extructi parietinæ visuntur.

Wirall. *Law quid.* 1173. *Il-bre.* *Finborrow.*

Per superiorem huius saltus partem *Weuer* fluuius defertur, qui è lacu effunditur in Australi parte Comitatus, ad *Ridly*, claræ & vetustæ familiæ *Egertonorum* ædes, qui à Baronibus de *Malpas*, vt dixi, prognati, non procul à *Bunbury* vbi collegium extruxerunt, & à *Beeston* castro magno mœnium ambitu, crebris turribus, monte, præcipitióq; défenso, quod vltimus Ranulphus Cestriæ Comes construxit. De quo Lelandus noster:

Ridly. *Beeston.*

Assyrio rediens victor Ranulphus ab orbe,
Hoc posuit Castrum terrorem gentibus olim
Vicinis, patriaque sua memorabile vallum.
Nunc licet indignas patiatur fracta ruinas,
Tempus erit quando rursus caput exeret altum,
Vatibus antiquis si fas mihi credere vati.

Hinc *Weuer* primò Austrum petit haud procul à *Woodhay* vbi celebris illa equestris familia de *Wilburham* magno splendore diu incoluit, per *Bulkeley* & *Cholmondley* quæ clarissimis Equitum familijs nomina impertierunt, nec longè hinc à *Baddely* habitatione olim antiquæ familiæ de *Praerijs*, illinc à *Cumbermer* vbi monasteriolum posuit Guiliel. *Malbedeng*. Vbi hic fluuius Australem agri limitem attingit inter ericeta & iacentia loca, in quibus, vti etiam alibi, arbores ab inundato mundo, vt credunt, defossas sæpe eruunt. Postea fertiles irrigans agros fluuiolum ab Ortu admittit, ad quem *Wibbenbury* à Wibba Merciorum Rege ita dicta. Cui adiacent *Hatherton* sedes olim *Orbeiorum*, deinde *Corbettorum*, nunc vero Th. *Smith* filij Laurentij *Smith* Equitis aurati, *Dodinton*

Woodhay. *Bulkeley.* 1134. Arbores subterraneæ. Salinæ.

Deluesiorum

Deluesiorum, *Batherton* Griphinorum, *Shauinton* Wodenothorum (qui ex nomine genus ab Anglo-Saxonibus traxisse videantur) & aliarum insignium familiarum quibus hic Comitatus vbique abundat. Inde *Weuerus* per *Nantwich*, non procul à *Midlewich* ad *Norwich* decurrit. Hæ sunt salinæ nobiles, quinque vel sex mill. pass. inuicem distantes, vbi è puteis muria, siue aquæ salsæ hauriuntur, quas non lignis ardentibus infundunt, vt veteres Galli & Germani solebant: sed subiecto igne decoquunt, vt sal conficiatur. Nec addubito quin hæ Romanis cognitæ fuerint, & quod Salarium vectigal hinc pensitatum. A *Midlewich* enim ad *Northwich* via nobilis duxit, quę è glarea in eam altitudinem educta fuerat, vt Romanorum opus facilè agnoscas, cùm glarea tota hac regione sit admodum rara, & inde ad priuatorum ędificia hodie deuehatur. Scribit Matth. Parisiensis Henricum Tertium has Salinas obstruxisse, cùm hunc agrum hostilem in modum deuastasset, ne inde tumultuantibus ea tempestate Wallis commeatus suppeditaretur. Sed cùm placidi pacis radij illucerent, denuo apertę fuerunt. *Nantwich* quod primùm *Weuer* fluuius inuisit maximum huius Comitatus & structura elegantissimum censetur opidum, Britannis *Hellath Wen*, id est, *Salina candida*, quòd candidissimus sal ibi coquitur, Latinis *Vicus Malbanus* fortasse à Guilielmo qui *Malbedeng*, & *Malbane* dictus, cui in Normannica Angliæ expugnatione obtigit. Vnicam habet Salinam (*Brine pit* vocant) quatuordecim plùs minùs pedes à flumine, è qua aquam salsam in domos per alueos ligneos subuehunt, in quibus doliola sunt terra defixa, quæ illa aqua complent, & signo campana dato cacabis plumbeis quarum sex sunt singulis domibus ignem subijciunt, aquam coquunt, & mulierculæ (*Wallers* vocant) rastellis ligneis è fundo salem educunt, & corbibus imponunt, è quibus liquor defluit, & sal subsidet. Ecclesia quam habet vnicam, perpulchra est, & spectauit, vt accepi, ad monasterium de *Cumbermer*. Hinc *Weuer* cursu satis obliquo tendens ab Ortu fluuiolo augetur qui à *Crew* quod celebris eodem cognomine familia olim incoluit, delabitur. Longiùsque ab Occidentali ripa cernitur *Calueley* quæ sedem & nomen præbuit nobili Calueliorum familiæ, è qua regnante Richardo Secundo Hugo de *Caluely* Miles, arte militari ita in Gallia inclaruit, vt viuidæ eius virtuti nihil fuerit imperuium. Inde per *Minshull*, Minshullorum domum & per *Vallem Regalem* monastrium ab Edwardo Primo amœnissima valle locatum, vbi nunc incolit clara familia Holcroftorum, *Weuer* iter accelerat ad *Northwich* quod Britannicè *Hellath Du*, id est, *Salina nigra* vocatur, vbi etiam fons salsus est vberrimus & profundus, gradibus circumpositis, per quos qui aquam vtribus pelliceis extrahunt, seminudi ad alueos siue canales ascendunt, & infundunt quibus in ædes Salinarias deferuntur, iuxta quas plurimæ sunt lignorum strues. Hic *Weuer* confluentem *Danum* in se admittit, cuius ductum iam sequamur.

Nantwich. *Caluely.* *Vale royall.* *Northwich.*

Dan vel *Dauen* è montibus qui ad Ortum Staffordienses & Cestrenses interdiuidunt effluens, solitarius fertur ad CONDATE ab Antonino memoratum nunc corruptè *Congleton* dictum, cuius medium *Howty* riuulus, ab Ortu *Daningschow*, & à Septentrione ipse *Danus* irrigant. Licèt verò hoc sua amplitudine & frequentia Prætorem & sex Senatores habere meruit, capellam tamen solum habet, eamque ligneam præter chorum & turriculam, quę Astburiensem Ecclesiam ad vnum & alterum milliare distantem matrem agnoscit. Hæc enim perpulchra est cuius porticus Occidentalis ipsam Ecclesiam quæ sanè alta, sua altitudine adæquat, & pyramidem adiunctam habet. In cœmeterio duæ iacent sepulchrales Militum effigies in quorum scutis sunt duæ directæ areolæ siue *Barræ*. Verùm cùm doloribus suis distituantur non facile quis dixerit fuerintne ex *Breretonis*, *Manwaringis*, vel de *Venables* quæ clarissima sunt in vicinia familiæ, & eiusmodi *Barras* variantibus coloribus gentilitijs in clypeis gestant.

Deinde *Dauenport* vulgò *Danport* accedit quod in suum nomen insignem familiam de *Dauenport* adoptauit, & *Holmes Chapell* itinerantibus notum, vbi pontem construxit auorum memoriâ *I. Needham*. Iuxta quod ad *Rudheath* perfugium olim erat & quasi asylum cùm incolis huius agri tùm peregrinis, qui in leges peccârunt, vt ibi annum & diem securè agerent. Inde *Kinderton* subluit antiquam sedem antiquæ prosapiæ de *Venables*, qui ab ipso primo Normannorum aduentu hîc claruerunt & vulgo Barones de *Kinderton* appellantur. Sub hoc ad Austrum etiam in Danum *Croco* fluuiolus influit qui è lacu *Bagmere* effusus præterfluit *Brereton* quod vt nomen fecit claræ, antiquæ & numerosæ

Breretonorum

Breretonorum equestri familię, ita Guil. *Brereton* eques auratus magnificis ędificijs loco plurimum splendoris nuper adiecit. Mirum est, quod plurimorum tamen fide contestatum audiui, & vulgò creditum: priusquam aliquis hęres huius Breretonorum familię diem clauserit extremum arborum, trunci in lacu adiuncto per aliquot dies innatare cernuntur. Cuiusmodi Leonardus Vairus refert ex fide Cardinalis Granuellani, scilicet prope Monasterium S. Mauritij in Burgundia esse viuarium, in quo iuxta numerum monachorum pisces ponuntur, illorum si quis ægrotet, pisciculus quoque semiuiuus cernitur supernatare, quòd si monachus è vita migraturus est paucis ante diebus piscis moritur. De his, si modò vera sint, nihil habeo quod dicam (nec enim sum ego Teratoscopus) sed hæc & huiusmodi vel Angeli sancti custodes nostrorum corporum, vel Diaboli qui Dei permissu potenter hoc mundo inferiore potentiam suam exerunt, conficiunt. Illi cum vtrique sint naturæ intelligentes, certo deliberatoque consilio & fine, non temerè noua moliuntur: Salutem & incolumitatem quærunt ac spectant generis humani Angeli, perniciem contra aut excruciationem, vel ludificationem Diaboli. Sed hæc præter propositum.

Lib. 2. de Fascino.

Angeli.

Diaboli.

Midlewich.

Croco præteruectus *Brereton* paulò post *Midlewich* inuisit, prope confluentes cum *Dano*, vbi duo sunt salsi fontes exili fluuiolo discreti, *Sheathes* illi vocant, quorum alter nisi statis temporibus non patet, quia libenter eius aquam vt maioris efficaciæ suffurantur. Hinc fertur *Danus* ad *Bostocke* olim *Botestoc* vetustam sedem claræ & equestris familiæ *Bostokiorum* quæ per nuptias Annæ vnicæ filiæ Radulphi filij & hæredis Adami de *Bostok* Equiti aurati ad Iohannem *Sauage* cum amplissimo patrimonio demigrauit, Ex antiqua hac *Bostokorum* familiâ tanquam ex stirpe numerosa eiusdem nominis progenies in Comitatibus Cestrię, Salopię, Bercheriæ, & alibi orta est. Cùm iam *Danus* sub *Northwich* de qua dixi, cum *Weuero* aquas consociauerit, in Occasum rectà prolabitur *Weuer*, Peuerumque recipit ab Ortu qui præterfluit, & nomen facit *Peuero* vbi habet sedem vetusta illa nobilis familia de *Meinilwarin* vulgò *Manewaring*, e qua Radulphus duxit filiam Hugonis *Keuelioc* Comitis Cestriæ, vt constat ex charta antiqua penes Ranulphum eiusdem familiæ nunc hæredem. Cursum inde agit Weuerus per *Wimington* quod sedem & nomen claræ & antiquę *Winingtonorum* familię dedit, nec procul à *Merbury* quę à stagno subiecto sic dicta itidem celebri illi familię de *Merbury* nomen contulit. Hinc pergit fluuius iuxta *Dutton* hęredium insignis familię Duttonorum, qui ab Hudardo quodam Cestrensium Comitum affine genus deducunt, & quorum magna est authoritas veteri instituto in omnes tibicinas, fidicinas, & citharœdos huius prouincię, ex quo R. *Dutton* adolescens animo, & manu promptus collecta id genus hominum tumultuaria manu Ranulp. vltimum Cestrię Comitem Wallicis hostibus circumfusum obsidionis periculo fortiter liberasset. Nec tacendum est *Nether Whitley* hoc in tractu, vnde prodierunt *Tuschetti* siue *Towchetti* qui Barones *Audley* de *Healye*. Iam Weuerus ille interlabens inter *Frodesham* antiquioris notę Castrum, & *Clifton*, nunc *Rock-Sauage* Sauagiorum recens extructas ędes, qui hîc per nuptias opimos prouentus consequuti sunt, demùm *Mersey* ęstuarium subintrat. Hoc verò sic nominatur à *Mersey* flumine quod *Cestrenses* & *Lancastrenses* interluens ibi tandem exoneratur, cum inter alia minùs nota opidula *Stockport* quæ Baronem suum olim habuit, alluerit; & *Bollin* fl. admiserit ex ampla illa Foresta de *Maclesfeld*. Huic quod Forestæ illi nomen fecit imponitur *Maclesfeld* vbi collegium construxit T. *Sauage* primùm Episcopus Londinensis, & postea Eboracensis Archiepiscopus, in quo nonnulli ex inclita illa Sauagiorum stirpe contumulantur, & *Dunham* quod ab Hamone de *Mascy* per *Fittones*, & *Venables* ad claram familiam de *Booth* hæreditariò descendit. Inde *Merseius Thelwall* accedit cùm non longe reliquerit *Knotsford*, id est, *Canuti Vadum* quod duplex est superius & inferius; & *Lee* vnde eiusdem cognominis vt generosa & eximia, ita numerosa propagata est familia. *Thelwall* autem nunc viculus est obscurus, olim vrbs satis magna ab Edwardo Seniore constructa, & sic dicta, teste Florilego, ab arborum truncis, ramis accisis, & in terram defixis quibus murum circumduxit. Saxones enim truncos Þell, & murum *Wall*, sua lingua nominârunt. Et ad ipsum fluminis ostium *Runckhorne* sedet eodem sæculo ab Edelfleda conditum, & eodem fato nunc in pauculas casas redactum. Edelfleda illa, vt semel dicam, cuius sæpe memini, Regis Edwardi Senioris soror, & Ethelredi Merciorum subreguli vxor, Mercijs (de-

Bostok.

Peuer.

Dutton.

Chronicon Wallię.

Towchett.

Rock-Sauage.

Maclesfeld.

Thelwall.

Runckhorne.

Elfleda, siue Ethelfleda.

defuncto marito) difficillimis temporibus magna laude octo annos præfuit, de qua in Henrici Huntingdonensis historia hæc Encomiastica carmina leguntur.

O Elfleda potens, o terror virgo virorum,
Victrix naturæ, nomine digna viri.
Te quo splendidior fieres natura puellam,
Te probitas fecit nomen habere viri.
Te mutare decet, sed solùm, nomina sexus,
Tu regina potens, Rexque trophæa parans,
Iam nec Cæsarei tantum meruêre triumphi,
Cæsare splendidior virgo virago, Vale.

Sub *Runckhorne* paulò interiùs cernitur *Haulton* oppidum cum suo castro quod Nigello cuidam Normanno donauit Hugo Lupus Comes Cestriæ, ea lege vt esset Cestriæ Constabularius, per cuius posteros temporum vicissitudine ad familiam Lancastrensem deuenit. Nec tacendum quod Guil. filius Nigelli illius monasterium ad *Norton* adiunctum fundauit, quod nunc ad *Brokos* ex antiqua stirpe spectat. CANGOS veteres Britanniæ populos diu multùmque quæsitos an hoc in agro collocarem, diu multùmq; subdubitaui. Ita enim suis velis obtendit vetustas, vt nullis hactenus vestigijs indagari potuerint. Quamuis autem flos ille hominum politiorum Iustus Lipsius me hic iudicem capit, ego ingenuè fateor, nihil habeo quod iudicem, & malim illam iudicandi prouinciam cuiuis rogare, quàm mihi assumere. Nihilominus si CEANGI, & CANGI ijdem fuerint, & quid ni? satis probabile sit eos hoc in tractu insedisse. Dum enim hæc recognoui, à fide dignis accepi viginti massas plumbeas hic in ipso littore erutas fuisse, forma oblongiori sed quadrata, in quarum superiori parte, in concauo hæc legitur inscriptio:

IMP. DOMIT. AVG. GER. DE
CEANG.

In alijs verò.

IMP. VESP. VII. T. IMP. V.
COSS. Anno Christi 78.

Quod monumentum videatur erectum fuisse ob victoriam in Cangos. Huc etiam facit ipse situs ad mare Hibernicum, scribit, enim Annalium XII. Tacitus, Imperante Nerone ab Ostorio *ductus in Cangos exercitus, vastati agri, præda passim acta, non ausis aciem hostibus, vel si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Iam ventum haud procul mari quod Hiberniam aspectat, cùm ortæ apud Brigantes discordia retraxêre ducem.* Sed ex superiori inscriptione ante Domitiani tempora non subiugati videantur, & ex temporum sane ratione, cum Proprætor in Britannia esset bellicosissimus ille Iulius Agricola. Ptolemæus etiam ΚΑΓΚΑΝΩΝ promontorium hoc in littore collocauit. Nec ego alibi quærere ausim quàm in hoc tractu stationem illam CONGANIOS, vbi senescente Romano imperio, Numerus vigilum cum suo Præfecto sub Britanniarum Duce, vigilias egit. Sed suum cuique per me liberum esto iudicium. Anno Christi 51. Concangij.

 Quod

Comites Cestriæ.

Quod ad Comites spectat, Saxonibus omissis, qui tantùm Comites officiales, non hæreditarij erant, Guilielmus primus Hugonem cognomine *Lupum* Vicecomitis Abrincensis in Normannia filium, primum hæreditarium, & Palatinum Cestriæ Comitem creauit, *totumque hunc Comitatum tenendum sibi, & hæredibus ita liberè ad gladium: sicut ipse Rex tenebat Angliam ad coronam, dedit*, (hæc enim sunt verba donationis) qui statim sibi Barones substituit, Nigellum Baronem de *Haulton* cuius posteri Laceiorum nomen eo quod *Laceiorum* hæreditas illis obtigerat, acceperunt, Comitesq; fuerunt Lincolniæ : Robertum Baronem de *Monte-alto* Comitatus Cestriæ Seneschallum, quorum vltimus sine sobole Isabellam Angliæ Reginam & Ioannem de *Eltham* Cornubiæ Comitem hæredes scripsit : Guilielmum de *Malbedenge* Baronem de *Malbanc* cuius nepotis filiæ ad *Vernonos* & *Bassettos* suis nuptijs hæreditatem transtulerunt : Richardum *Vernon* Baronem de *Sipbroke*, cuius hæreditas deficientibus tandem masculis ad *Wilburhamos*, *Staffordes*, & *Litleburios* per sorores deuenit : Robertum *Filium Hugonis* Baronem de *Malpas*, qui vt videtur sine sobole obijt, vt priùs diximus : Hammonem de *Masey* cuius possessiones ad *Fittonos* de *Bolin* descenderunt: Gilbertum *Venables* Baronem de *Kindreton*, cuius posteri recta serie ad nostra vsque tempora floruerunt, N. Baronem de *Stockport* cui tandem *Warrenni* de *Poynton* è familia illustri Comitum Warenniæ & Surriæ coniugij iure successerunt. Hi sunt quos hactenus inuestigare potui Barones Comitum Cestriæ. Qui vt est in antiquo libello, *suas Curias habuerunt liberas de omnibus Placitis & querelis exceptis Placitis ad gladium Comitis pertinentibus*. Eorumque fuit, Comiti in consilio adesse, eundem obseruare, & aulam eius sæpiùs honoris gratiâ accedere atque vt in Membranis est vetustis *Tempore guerræ in Wallia tenebantur inuenire pro quolibet feodo Militis vnum equum coopertum, vel duos discopertos infra diuisas Cestrisciriæ. Et eorum Milites, & liberi tenentes loricas & haubergella habeant, & Feoda sua per corpora sua defendant.*

Barones Comitus Cestriæ.

Cestriæ Comites.

Hugoni Comiti primo, de quo modò dixi, successit Richardus eius filius qui sine prole naufragio perijt cum Guilielmo Regis Henrici Primi vnico filio, & alijs nobilibus inter Normanniam & Angliam anno MCXX. Richardo successit Ranulphus de *Meschines*, Comes tertius Hugonis Comitis è sorore nepos, filiumque reliquit Ranulphum dictum de *Gernonijs* quartum Cestriæ Comitem, virum bellicosum & qui Stephanum Regem in obsidione Lincolniæ cœpit. Hugo cognominatus *Keueliocc* eius filius fuit Comes quintus qui obijt anno MCLXXXI. filiúmque reliquit Ranulphum Comitem sextum nominatum de *Blundeuill*, qui cùm *Chartley* & *Beeston* castra, & monasterium *De la Cresse* construxisset, sine liberis defunctus hæredes reliquit quatuor sorores, Matildem vxorem Dauidis Comitis Huntingdoniæ, Mabiliam Guilielmi de *Albincio* Comitis Arundeliæ, Agnetem Guilielmi de *Ferrarijs* Comitis Derbiæ, & Hawisiam Roberti de *Quincy*. In Comitatu autem successit Ioannes cognomine *Scotus* filius Dauidis Comitis ex Matilde illa primogenita. Qui cùm itidem nulla suscepta prole diem obijsset, Rex Henricus Tertius tam lauto patrimonio oculum adijciens *Domanio* Regio adscripsit, Ioannisque sororibus alios alibi reditus assignauit. Ne (vt ipse Rex dixit) tanta hæreditas inter colos diduceretur, ipsique Reges postquam ad eos peruenit hic Comitatus, antiqua *Palatina Iura* & conuentus hìc tenuerunt (quod Galliæ Reges in Campaniæ Comitatu fecerunt) vt *Palatinatus* honorem conseruarent. Honor ille deinceps Regum primogenitis cessit, & primùm Edwardo Henrici Tertij filio, qui cùm à Baronibus captus, detineretur, Simoni de *Monte-forti* Leicestrensi Comiti, vt redimeretur, tradidit: sed Simone statim interfecto, ad regiam familiam citò redijt, Edwardusque Secundus filium suum primogenitum Comitem Cestriæ & *Flint* instituit, titulisque illis puerulum ad Comitia Parlamentaria euocauit. E Comitatu postea in Principatum erexit Parlamentaria authoritate Richardus Secundus, eidemque Principatui adiunxit *Castrum Leonis* cum territorijs *Bromfeld* & *Yale*, Castrum *Chirke*, cum *Chirck-land*, Castrum *Oswaldes-street*, Centuriam & vndecim opida ad illud castrum spectantia cum Castris Isabellæ, & *Delaley*, & alijs latifundijs quæ Richardo Comite Arundeliæ tunc proscripto, regio Fisco accesserant, ipseque Richardus *Cestriæ Princeps* dictus fuit: verùm pauculos post annos euanuit illa appellatio, cùm illius Parlamenti leges refixisset Henricus Quartus,

Io. Tilius.

tus,& recidit in Comitatum Palatinum,hodiéq; iurisdictionem Palatinam retinet,quam administrant *Camerarius, Iudex specialis, Barones Scaccarij duo, Seruientes ad legem tres, Vicecomes, Atturnatus, Escaetor*, &c.

Paræcias plùs minùs 68. habet hic Comitatus.

NVnc CORNAVIORVM regiones perambulauimus, quæ vnà cum CORITANIS, DOBVNIS, & CATVELLANIS regnum in Heptarchia Saxonica constituerunt, quod illi Mýpena-ric, & Meapc-lond Latini *Merciam* dixerunt, à Meape Anglica dictione quæ limitem significauit, reliqua enim regna huic collimitarunt. Longè amplissimum erat hoc regnum inchoatum à Crida Saxone circa annum DLXXXVI. à Penda prolatis vndique finibus adauctum, Christiana religione sub Penda Rege paulò pòst imbutum. Verùm huius periodo annis CCL. confecta, in *West-Saxonum* potestatem serò concidit, cùm omni bellorum iniuria à Danis non paucis annis fuisset dilaniatum.

Regnum Merciorum.

SILVRES.



SILVRES.



Onsultissimum nunc videtur priusquam reliquas Angliæ partes aggrediamur, ad Walliam, siue Cambriam antiquorum Britannorum etiamnum sedem paulisper digredi, nec hoc erit in mea opinione digredi, sed naturæ ordinem rectà sequi. Cornauijs *enim proxima obtenditur, & quasi suo iure postulare videtur, vt suo loco & ordine dicatur : maximè cùm Britanni, siue Walli eius incolæ eodem sint nobiscum iure, & nostra Reipublicæ nobiscum iam diu fuerint quasi insiti.*

Wallia. WALLIAM *igitur, cuius nomen vniuersam quondam Trans-Sabrinam regionem complectebatur, nunc verò minùs latè patet, tres olim populi insedêrunt :* SILVRES, DIMETAE, *&* ORDOVICES: *Hi enim non solùm duodecim, quos vocant, VValliæ Comitatus, sed duos etiam illos Trans-Sabrinos* Herefordshire, *&* Monmouthshire, *qui Angliæ Comitatibus annumerantur, tenuêrunt. Et vt à primis primùm exordiar.* SILVRES *eas regiones ex Ptolemæi descriptione incoluêrunt quæ VVallis sua lingua vno nomine* Deheubarth, *id est,* Pars Australis, *& nouis hodie nominibus ,* Herefordshire , Radnorshire, Brecknockshire, Monmouthshire, *&* Glamorganshire *appellantur, in quibus & nominis Silurum nonnullæ supersunt reliquiæ. Quod tamen ad nominis notionem attinet, nihil habeo quod cum gentis natura consonat. Quod ad originem verò spectat , ex coloratis vultibus, crinibus tortis, & positis contra Hispaniam, origine Iberos fuisse coniectauit Tacitus, affirmat verò Florianus* del Campo *Hispanus, qui mirum in modum se torquet, vt Siluras in Hispania inueniat, & nescio quid de* Soloria, *&* Siloria *in Asturibus nobis obtrudit. Cæterùm gens hæc magna fuit (è Plinio enim & Tacito, omnem South-VValliam occupâsse videntur) aspera, valida, pugnax, seruitutis impatiens, audaciæ promptæ, peruicaciam vocant Romani, nec atrocitate, nec clementia mutabilis : in quibus singulis nec adhuc degenerârunt posteri. Cùm Romani imperitandi libidine eos adorirentur, Carataci Regis virtute viribusque confisi, & Claudij Cæsaris voce proritati , qui hos ita extinguendos dixerat , vt olim Sugambri excisi fuerant ; adeò difficili bello Romanos diuexârunt , cohortibus auxiliaribus interceptis; Legione, cui Marius Valens præerat, fusa, & vastatis sociorum agris; vt P. Ostorius Britanniæ Proprætor his ærumnis fessus & confectus diem obierit, Veranius etiam qui sub Nerone præfuit, hos frustra aggressus est, nam quod habet Tacitus illum modicis excursibus syluas populatum esse, lege* Siluras *cum nostro eruditissimo*

Margin notes: Silures. Dimetæ. Ordouices. — Tacitus. — Vide pag. 31. &c.

eruditissimo Lipsio, & verissimè leges. Nec tamen consopitum fuit hoc bellum vsque ad Vespasiani tempora. Tunc enim Iulius Frontinus armis eos subegit, & legionario milite cohibuit. Quid verò quidam è nostratibus illum in Crispinum Iuuenalis versiculum ad nostros SILVRES *detorserit.* Lib. Annal. xiiij.

magna qui voce solebat,
Vendere municipes tracta de merce Siluros.

Quasi nostri Silures capti venum Romæ fuerint expositi; mea fide Germanum Poëtæ sensum non expiscatus est. De piscibus illum, non de hominibus loqui, qui pensiculatiùs legerit, facillimè videbit.

SALOPIÆ PARS


RAD:

NOR

PARS

BREK:

NO K



PA RS

HERE: FORDIÆ PARS

MONUME

TENSIS PAR

ARCH:

EN

FEII

Lydlow

Mocktrey forrest

Bringwood chase

Deerfold forrest

Brettayne

Pembridge

Kyneton

Webley

Hay

Hatterell hill

Lyston HEREFOR PARS

Discoyde

Old Radnor

Hargast

Glasbre

Huntington

Michaelchurch

Brilley

Whitney

Wintforton

Bettus chap

Clyfford cast

Hardwich

Snowdell cast

Poston

Dorston

Peterchurch

Vowchurch

Tybberton

Kingston

Madley

Mockas

Bredwardyne cast

Middlewood

Blakemere

Preston

Bysford

Norton

Kynnersley

Eardisley

Willersley

Almeley

Sarnesfeld

Wonton

Brownsood

Weston

Marston

Lenals cast

Knyll

Titley

Staunton

Nash

Shobdon

Aylmystre

Byton

Kynsham

Stepleton cast

Combe

Presteign

Wigmore cast

Leintwardine

Lentall starkes

Orleton

Richardes cast

Brimfeld

Woofferton

Aymstry

Elton

Burrington

the Grange

Adforton

Brampton bryan cast

Buckton

Bucknell

Wigmore

Leintwardyne

Wilton

Weston

Brampton

Bradfeld flu

Lug flu

Arrow flu

Teme flu

Lempster

Leominster

Eye

Luston

Croft cast

Yarpull

Kyngesland

Eyton chap

Stockton

Lucton

Aston

Kyngesland

Monkland

Stretford

Burton

Dilwin magna

Dilwin parva

Bearley

Wyrgley

Lettons

Pyonn

Canon pyon

Wormesley

Brinsop

Crednell

Stretton

Mansell gamage

Bradenham

Wellington

Hope

Newton

Stoke

Bryerley

Wharton

Docklow

Kynnerton

Humber

Mortimer

Burford

Middleton

Ashton

Kymbolton

Byrcher

Lawton

Ayleton

Cranesford

Conye

Huntington

Clehonger

Eaton

Allensmore

Aconbury

Thruxton

Kingstone

Moreton

Wormbridge

Kentchurch

Grosmont

Garway

Skenfreth

Llandinabo

Dewchurch

Dulley

Llangarren

Kilpeck

St. Margarets

Bacton

Dore

Ewyas Harold

Longtowne

Llanveyno

Cledock

Olchon

Clodock

The old court

Walterston

Alltyrynys

Llantony

Trenant

Cumyoye

Michaelchurch

Crucorne

Goderich

Ross

Pyncelhurst

Grysmond cast

Ellfrombridge

Harleston

Monnow flu

Dore flu

Escley flu

Olchon flu

Honddu flu

Wy flu

VIGOR



NIÆ PARS

GLOCES TRIÆ

PARS

FRUGIFERI AC AMENI HEREFORDIÆ Comitatus qui olim pars fuit Silurum. delineatio

HEREFORD-SHIRE.



Erefordiensis Comitatus, siue *Herefordshire*, Britannis *Ereinuc*, forma quasi circulari, ab Ortu Wigorniensibus, & Glocestrensibus, à Meridie Monumethensibus, ab Occasu Radnoria & Brechinia, à Septentrione Salopia definita, regio est præter amœnitatem, aut pascendis pecoribus, aut alendis frugibus nusquam non mitissima, & ab omnibus ad vitam necessarijs instructissima; adeò vt secunda fertilitatis laude inter Angliæ prouincias acquiescere haud facilè sit contenta. Ad quas etiam commoditates flumina accedunt eximia. *Vaga* siue *Wye*, *Lugus*, & *Munow*, quæ cum floridissima prata, & lætissima arua placidè irrigauerint, demum confluunt & vno alueo Sabrinæ æstuarium adeunt.

Munow fl. *Munow* verò ex *Hatterell* montibus, qui satis consurgentes instar cathedræ ad Libonotum hunc agrum obuallant, descendens, primùm in Austrum per eorum radices eluctatur ad BLESTIVM, opidum ab Antonino eo situ & distantia locatum, vt non possit non esse illud, quod huic flumini appositum Britannis *Castle hean*, .i. *Castrum vetus*, nobis *The old towne* vocitatur; viculus tenuis, sed cuius vetustati nouum hoc nomen patrocinatur, vtraque enim in lingua opidum siue castrum vetustum sonat. Proximè hoc *Alterynnis* aquis, quasi insula amnica circumfunditur, quæ antiqua sedes veteris & Equestris familiæ *Sitsiltorum*, siue *Ceciliorum*, vnde Honoratissimus mihi Patronus, omnibus virtutis, prudentiæ, & nobilitatis ornamentis instructissimus D. Guiliel. *Cecilius* Baro *Burghlaus* & summus Angliæ Thesaurarius stemma duxit.

Blestium. Old towne. Alterynnis. Ceciliorum sedes.

Ab hoc *Munow* in Ortum conuersus aliquandiu hanc regionem à Monumethensibus dirimit, & ad *Map-harald*, siue *Harold-Ewias*, castrum *Doro* flumine augetur. Hoc castrum de *Ewias* dictum, vt ex Regis Guilielmi Primi Commentarijs loquar, *Aluredus de Marleberg refirmauit*. Posteà Haraldi fuit viri nobilis qui in argenteo clypeo areolam rubram inter tres stellulas nigras interpositam gestauit, à quo *Harold Ewias* dici cœpit, sed Sibylla eius proneptis, & altera hæres, coniugio ad Dominos *Tregoz* transtulit, à quibus demum ad Dominos de *Grandisono* è Burgundia natos deuenit, de quibus alibi.

Harald Ewias. Familia de Ewias. Insignia eorum. Tregoz, & Grandison. Snothill.

Dorus autem ille qui a Septentrione defluens per *Snothill* castrum, & Baroniam olim Roberti *Chandos*, vbi nobile marmor exciditur, conuallem mediam secat, quam à flumine *Diffi in Dore* vocant Britanni, Angli verò, vt vim verbi exprimere viderentur, *The gilden vale*, id est, *Vallem auream*, siue auratam nominârunt, quo nomine ob auream, opulentam, & amœnam hubertatem neutiquam indigna censeatur. Colles enim quibus includitur vtrinque sunt syluis amicti, syluis subsunt vtrinque arua, aruis floridissima prata, & in medio fluuius limpidissimus interlabitur, cui monasterium elegans à Roberto Domino de *Ewias* impositum, quod nobilium huius agri quasi commune fuit sepulchrum.

Marmor. Gilden vale. *Vallis aurea.*

Irchenfeld. Ab hac valle pars huius agri quę ad Ortum diuergit nunc *Irchenfeld*, in Censuali Guil. primi libro *Archenfeld* dicitur, quam à Danis anno DCCXV. ferro flammáque vastatam capto Camalaco Episcopo Britanno produnt nostri historici. In hac *Kilpec* castrum floruit, sedesque fuit nobilis familiæ *Kilpecorum*, quos primis Normannorum temporibus honorarios fuisse regum Angliæ milites perhibent nonnulli. Quibus etiam ego facilè credam. Edwardo primo regnante hic habitauit Robertus *Wallerond* cuius nepos Alanus *Plugenet* Baronis dignitate claruit. In hac etiam *Arcenfeld* (vt in libro Censuali legimus) quidam prouentus vni & alteri Presbytero, veteri instituto assignati erant, ea lege vt pro Angliæ Regibus Legationes in Wallia obirent, atque vt ex eodem libro loquar, *Viri de Archenfeld, cùm exercitus in hostem pergit, per consuetudinem faciunt* Auantward, *& in reuersione* Rereward.

Kilpec.

Vaga fl. Wye. Clifford castle. Vt *Munow* inferiorem huius agri partem perstringit, sic mediam *Vaga* siue *Wy* cursu admodum arcuato intersecat, ad quem in ipso limite Occiduo *Cliuus fortis*, vulgò *Clifford*

ford castrum adsidet, quod Guilielmus *Fitz-Osberne* Herefordiæ Comes in *Wasta sua* (ex Guilielmi Normanni Censuali libro loquor) *ædificauit, sed Radulphus de Totenaio tenuit.* Posteà ad Walterum filium Richardi *Puntij* Normanni deuenisse existimatur, ille enim de *Cliffordia* cognominatus erat, & ad eum illustrissima *Cliffordorum* Cumbriç Comitum familia ortum suum verè retulit. Edwardi vero Primi temporibus I. *Giffard* tenuit, qui Walteri Cliffordi duxit hæredem. Inde *Vaga* tortuosus voluitur per *Whitney*, quæ suo nomine familiam claram insigniuit, & *Bradwardin* castrum, vnde ortum & nomen Thomas ille Bradwardinus Archiepiscopus Cantuariensis habuit, qui ob multiplicem & abstrusam eruditionem eo æuo *Doctor Profundus* appellatus, demumque Herefordiam huius Comitatus caput accedit. Cliffordi. Inq.16.Ed.1. Doctor Profundus.

Quousque pertigerit illa regiuncula *Arcenfeld* nescio, verùm affinitas inter hæc nomina *Ereinuc*, *Arcenfeld*, ARICONIVM opidum, cuius hoc tractu meminit Antoninus, & *Hareford* siue *Hereford*, quæ nunc vrbs est Comitatus prima, in eam me sententiam paulatim perduxerunt, vt existimem hæc singula ab ARICONIO deducta. Nec tamen vnum idemque Ariconium, & Herefordiam existimo, sed vti *Basilea* Germaniæ, Augustæ Rauracorum, & *Baldach* Assyriæ, Babyloniæ nomen sibi vindicauit, quod hæc ex Babyloniæ, illa ex Augustæ ruderibus originem duxit: sic *Hariford* nostra (ita enim vulgus appellat) & nomen, & ortum à vicino ARICONIO, vt mea fert opinio, reperit, quæ nullam hodie integram opidi faciem habet, terræ motu, vt ferunt, conquassata. Nominis tantum vmbram retinet, *Kenchester* nuncupata, & mœnium minas aliquas ostendit, quas *Kenchester walles* dicunt, ad quæ lapides tessellati, lateres Britannici, Romanorum numisinata &c. sæpe eruuntur. *Herefordia* verò proles, quæ expressiùs eius nomen gerit, ad Ortum vix tribus milliaribus Italicis abest, pratis gratissimis, & aruis vberrimis intersita, fluminibus ferè incincta, ad Septentrionem & Occasum anonymo, ab Austro *Vaga*, qui è Wallia huc accelerat. Adulta Saxonum Heptarchia primùm emicuisse creditur, ab Edwardo Seniore, vt scribunt aliqui, constructa, nec sanè antiquior de eâ facta est mentio. Britanni etenim priusquàm Herefordiæ nomen innotuit, locum *Trefawith* à fagis, & *Henford* à via antiqua, ipsique Saxones Fepnleȝ à filicibus dixerunt. Incrementa, ni fallor, maxima religioni, & Ethelberti Orientalium Anglorum Regis martyrio accepta ferat. Qui cùm nuptias filiæ Offæ Regis Merciorum ambiret, à Quendreda Offæ vxore, quæ potiùs Orientalium Anglorum imperium, quàm honestam filiæ conditionem captauit, ex insidijs nefariè sublatus, Martyrúmque catalogo insertus, templum hic sibi habuit à Milfrido regulo extructum, quod Episcopali statìm condecoratum dignitate, in summam creuit opulentiam, munificentiâ primùm Merciorum, inde Westsaxonum Regum. Hos enim demum hac vrbe potitos è Malmesburiensi colligitur, vbi scribit Athelstanum Visisaxonem Walliæ Regulos hac in vrbe eò adegisse, vt sibi vectigalis nomine (præter canes venaticos & accipitres) singulis annis XX. libras auri, CCC. argenti pensitarent. Integra, quod legi, semper vsa est hæc fortuna, præterquam anno Domini MLV. quo Gruffinus South-Walliæ Princeps, & Algarus Anglus seditionem in Edwardum Sanctum, siue *Confessorem* concitantes, cùm Radulphum Comitem fugâssent, vrbem diripuerunt, templum deleuerunt, & Leofgarum Episcopum captiuum abstraxerunt. Sed Haraldus statìm compressa eorum audaciâ, *Vallo*, vt habet Floriacensis, *lato & alto muniuit.* Hinc in Pontificibus scripsit Malmesburiensis, *Herefordia non grandis ciuitas, quæ tamen fossatorum præruptorum minis ostendit se aliquid magnum fuisse,* & vt in Censuali Regis Guilielmi Primi libro habetur, *erant tantùm* CIII. *homines intra & extra murum.* Normanni posteà ad Orientalem templi partem, secundum *Vagam*, castrum erexerunt maximum, & munitissimum: opus vt ferunt nonnulli, Comitis Milonis, quod nunc vetustate victum ruinam agit. Mœnibus deinceps vrbem obsepsêrunt. Reinelmus Episcopus, regnante Henrico Primo, speciosum hoc, quod nunc cernitur, templum posuit, successoresque adauxerunt, adiuncto Collegio nitido, & pulchris Præbendariorum ædibus. Nam præter Episcopum qui CCCII. Ecclesijs præest, sunt in hac Ecclesia Decanus, Archidiaconi duo, Præcentor, Cancellarius, Thesaurarius & Præbendarij XXVIII. In templo præter Episcoporum nulla ferè monumenta vidimus, Thomam verò *Cantelupum* Episcopum nobili loco natum Mausolæum habuisse

Hereford. Kenchester. 793. S. Ethelbertus Martyr.

iffe

isse accepimus, qui ob sanctitatem inter Diuos relatus, parùm absuit, quin pietatis opinione Regio Martyri Ethelberto præluxerit. Huius situm Longitudine xx. grad. xxiiii. scrup. Latitudine lii. grad. vi. scrup. dimetiuntur Geographi.

Vix tertium hinc milliare confecit *Vaga*, quum *Lugi* fluminis aquas intercipit, qui è *Radnoria* montibus præcipitatus hanc regionem ab Occasu solstitiali, ad Ortum brumalem silens interlabitur. In primo ingressu longiùs aspicit *Brampton Brian* castrum quod (Brampton. Brian.) familia insignis hinc dicta de *Brampton*, in qua vsitatissimum erat prænomen *Brianus*, perpetuâ successione ad Edwardi Primi tempora tenuit, tunc verò per hæredes fœmellas ad R. *Harleium* deuenit: propiùs verò *Wigmore* vidit, Saxonicè Wyȝinga-mepe, olim ab (Wigmore.) Edwardo Seniore restauratum, posteà à Guilielmo Comite Herefordiæ castro munitum *in Vasta terra* (sic legitur in Censuali Angliæ libro) *qua vocabatur Marestun* quod Ranulphus de *Mortimer* tenuit, à quo illi de *Mortimer*, qui posteà Comites Marchiæ (Mortimer Barones.) progerminârunt, de quibus plura in *Radnorshire*. Ad tertium milliare alterum vicinum est castrum *Richards Castle* dictum, primùm *Sayorum*, inde *Mortumariorum*, & posteà (Richards Castle.) *Talbottorum* possessio. Per I. Talbotti filias tandem diuisa est hæreditas inter Guarinum *Archdecon*, & Matth. *Gurnay*. Sub hoc, natura quæ nusquam magis quàm in aqua (Domini de Castro Richardi) miraculis ludit, fonticulum eduxit pisciculorum (vel vt alij putant ranularum) ossiculis semper scatentem, quamuis subinde exhauriantur, vnde *Bone Well* vocitatur. Nec pro- (Fons ossiculorum.) cul *Croft Castle* locatur claræ & perantiquæ Equestris stirpis *Croftorum* possessio. Inde *Vaga Lemster* adit, quod etiam *Leonminster*, & *Leonis monasterium* dictum à Leone per (Lemster.) quietem viso somniarunt nonnulli, Britanni autem *Lhan lieni* vocant, quod cùm *Monialium fanum* denotet, & monialibus hic templum Merewalcum Regem Mercium posuisse constet, (quod posteà cella Monasterij *Readingi*) aliam originem indagare, quid aliud esset quàm ventos venari? Nec desunt tamen qui à lino deducunt, quod hic nascitur laudatissimum: sed præcipua hodie gloria est à lana in circumuicinis agris (*Lemster Ore* vocant) cui (excepta Apula & Tarentina) palmam deferunt Europæi omnes. Fru- (Lemster Ore. Lana optima.) mento item adeò est fœlix, & pane è purissimo polline, vt huius panis, & *Weableia* po- (Lemster bread, & Webley ale.) tus (opidum hoc familiæ nobilissimæ *D'eureux*) in prouerbium cesserint. Has *Lemsteræ* dotes, & inde forum frequentissimum Herefordia, & Wigornia nimis intuendo eò inuidiæ processerunt, vt Regiâ authoritate intercedente, statum mercatus diem mutare coegerint, suam infrequentiam ex huius frequentia subinde causantes. Nec de *Lemster* aliud iam memoriæ occurrit, nisi quòd Guilielmus *Breosa* Brechiniæ Dominus cùm a Ioanne Rege defecisset, iniecto igne deformauerit. *Webleia* verò illa interiùs situm habet, & (Webley.) Baronia fuit *Verdonorum*, quorum primus Angliam cum Normannis ingressus est Ber- (Verdoni Barones.) tramus de *Verdon*, cuius posteri ex nuptijs cum altera hærede *Lacyorum* de *Trim* in Hibernia, Constabularij Hiberniæ aliquandiu fuerunt hæreditarij, possessiones autem per filias deuolutæ sunt tandem ad *Furniuallos*, *Burghersh*, *Ferrarios* de *Groby*, *Crophull*, & a *Crophullis* per Ferrarios de *Chartly* ad *D'eureux* Comites Essexiæ. *Webleia* magis ad Occasum vicina sunt *Huntindon* castrum olim *Bohunorum* Herefordiæ & Essexiæ Comitum, *Kinnersley* antiquæ familiæ *De-la-Bere*, & *Erdsley* vbi diu habitauit clara & vetusta familia *Baskeruillorum*, clarorum virorum & Equitum auratorum olim admodum fœ- (Baskeruile. Vide Geniti. Lib. vltimo.) cunda, qui è nepti Gunoræ celeberrimæ illius heroinæ Normannicæ genus repetunt, & olim in hoc Comitatu & vicino Salopiensi floruêrunt, tenuêruntque, vt obiter adnotem, *Hameletum de* Lanton *in capite*, *vt de honore de* Monte Gomeri *per seruitium dandi Re-* (Fin. Hilarij 20. Edw. 3.) *gi vnam sagittam barbatam*, *quoties Rex venerit in partes illas ad fugandum in Chacea de Cornedon*.

Lugus iam ad *Vagam* primùm per *Hampton* vbi ædes posuit perpulchras (quas nunc *Coningesbeij* clari in hoc tractu nominis iam aliquandiu incoluêrunt) Roulandus ille *Lenthall* qui Regi Henrico Quarto a Synthesi vestiaria, vnam hæredum Th. Comitis Arundelliæ duxerat; inde per *Marden* & *Southon*, *siue Sutton* properat, quorum hoc tenues (Marden. Sutton.) reliquias palatij Offæ ostendit, quod Ethelberti cæde infame fuit, istud Ethelberti tumulo qui diu inglorius hic iacuerat, priusquam Herefordiam transferretur, celebre habetur. Prope autem confluentes *Lugi*, & *Vaga* ad ortum collis quem *Marcley hill* vocant, anno Salutis septuagesimo quinto supra millesimum quingentesimum, quasi somno solutus (Marcley hill.) consurrexit,

consurrexit, & triduum se immanissimam molem propellens horrendo reboans mugitu, & obuia quęque prosternens in superiorem locum magna cum admiratione se promouit, eo terræmotus genere, vt iudico, quod Physici Brasmatiam vocant. Nec ab hoc longè distat etiam ad Ortum sub *Maluernicis* collibus, qui Orientalem agri partem hoc in loco terminant, *Ledbury* notum opidum *Leddeno* fl. adpositum, quod* Edwinus Saxo vir potens Ecclesiæ Herefordensi donauit, eò quòd S. Ethelberti precibus se paralysi liberatum sibi persuaserit. De vallo militari in colle proximo non est cur loquar, cùm in hoc tractu qui limitaneus erat, & belli area primùm inter Romanos, & Britannos, posteà inter eosdem & Anglos, eiusmodi plurimis in locis occurrant. Sed *Vaga* Lugo iam recepto plenus, obliquior deuoluitur primùm per *Holme Lacy* habitationem antiquæ & celebris familiæ de *Scudamore*, cui multùm dignitatis accessit per nuptias cum hærede è prosapia de *Ewias* in hoc agro, & *Huntercombe*, &c. alibi. Hinc decurrit *Vaga* inter *Rosse* fabris ferrarijs notum, & *Wilton* è regione, castrum antiquissimum familiæ *Greiorum*, vnde eius cognominis tot Heroës originem traxêrunt. Conditum hoc fuisse ferunt ab Hugone de *Longo Campo* siue *Long-champ*. Sed Ioannem Regem *Wilton* cum castello Henrico de *Longo-campo* dedisse è tabulis publicis constat, & per nuptias Guilielmo *Fitz-Hugh*, & itidem non longo post tempore Reginaldo *Greio* (Regis Edwardi Primi temporibus) obuenisse. Iam cùm paulò inferius *Goderici* castrum, à Ioanne Rege Guilielmo Comiti Marescallo donatum, postea *Talbottorum* sedem primariam *Vaga* salutarit, Monumethenses petit, & Herefordensibus valedicit.

Mons mouens.

Ledbury.

* *Admodum vocat Gualt. Map. & Edric Syluestru filium se ipse asserit Lib. de nugu Curial. 2. Cap. 11.*

Scudamore, *siue* Escudamor.

Wilton. Baro *Grey* de *Wilton*.

Goderich Castle.

Elanguente iam Anglorum imperio præfuit huic agro Comitatus officialis titulo Radulphus Gualteri Medantini filius ex Goda Edwardi Confessoris sorore, quem Normanni hoc honore exuerunt, cui suffecerunt Guilielmum filium Osberni de *Crepon*, siue vt Normanni vocârunt *Fitz-Osbern*, Normanniæ Ducibus arctissimâ propinquitate coniunctum. Huic in bello Flandrico perempto successit Rogerus eius filius de *Britolio* dictus, qui sine prole legitima proscriptus obijt. Stephanusque Rex Roberto *le Bossu* Comiti Leicestriæ ex Emma hærede *Britolij* nato *reddidit hæreditariè* (ex ipso autographo loquor) *Burgum Hereford, & castellum & totum Comitatum de Herefordshire*, verùm frustrà. Matildis etenim Augusta siue Imperatrix quæ cum Stephano de hoc regno contendit, Milonem Gualteri Constabularij Glocestriæ filium eo honore auxit, Angliæq; Constabularium fecit: illum tamen acceptis his honoribus posteà exuit Stephanus. Huic Miloni quinque nati sunt filij, Rogerus scil. Walterus, Henricus, Guil. & Mahel, viri egregij, qui intempestiua morte singuli extincti, cum præter Guilielmum inuicem sine prole in paternam successissent hæreditatem. Rogero Rex Henricus inter alia dedit *Motam de Hereford cum toto Castello, & tertium denarium reditus Placitorum totius Comitatus Hereford, vnde fecit eum Comitem.* Verùm Rogero defuncto, si fides Roberto de *Monte* adhibeatur: Rex idem *Comitatum Herefordiæ sibi retinuit.* Harum sororem natu maximam Margaretam Humfredus *Bohun* tertius eius nominis in vxorem accepit, eiusque posteri Angliæ fuerunt Constabularij, scilicet, Humfredus de *Bohun* quartus, Henricus eius filius, cui Ioannes Rex concessit *viginti libras de tertio denario Comitatus Hereford annuatim percipiendas vnde eum fecit Comitem.* Hic duxit sororem & hæredem Guilielmi de *Magnauilla* Comitis Essexiæ, obijtque anno quarto Regis Henrici Tertij. Humfredus quintus eius filius, qui etiam Comes Essexiæ, cui natus Humfredus sextus qui ante patrem obijt, cùm prius tamen genuisset Humfredum septimum ex filia & vna hæredum Guilielmi *Breos* Domini Brechiniæ, Humfredus Octauus eius filius occisus fuit ad *Burrowbrig*, cùm vxor eius Elizabetha filia Regis Edwardi Primi, vidua Comitis Hollandiæ illi peperisset prolem numerosam, Ioannem scilicet *Bohun*, Humfredum nonum vtrumque Comitem Herefordiæ & Essexiæ sine prole defunctum, & Guilielmum Comitem Northantoniæ, cui Elizabetha soror & vna hæredum Ægidij Domini *Badlesmer* peperit Humfredum *Bohun* decimum & *Bohunorum* vltimum Comitem Herefordiæ, Essexiæ, Northantoniæ; & Angliæ Constabularium, qui duas filias reliquit Æleonoram coniugem Thomæ *Woodstochij* Ducis Glocestriæ, & Mariam nuptam Henrico Lancastrio Comiti Derbiæ, qui Herefordiæ Dux creatus, & postea Rex Angliæ inauguratus. Deinde verò Comitis Herefordiæ titulo vsi sunt *Staffordi*

Comites Herefordiæ.

Constabularij Angliæ.

Giraldus Cambrię Itiner. l. 1. c. 2.

1156.

2. par. Chart. an. 1. Reg. Ioan. Matth. Paris. Liber Waldeh. Liber Monasterij Lanthony.

Henricus 4. Rex Anglię.

Buchinghamiæ

Buckinghamiæ Duces, qui nati ex Thomæ *Woodstochij* filia, quæ postea renupta Guilielmo *Bourchier* dicto Comiti de *Ew*. Nostra verò memoria Edwardus Sextus Gualterum *D'Eureux*, qui à Bohunis per *Bourgchieros* ortus, Vicecomitis Herefordiæ titulo insigniuit, eiusque è filio nepotem, posteà etiam Essexiæ Comitem Serenissima Regina Elizabetha creauit.

Vide pag. 327.

Continentur in hoc Comitatu parœciæ 176.

RADNOR-



RADNOR
Comitatus quem
SILVRES
Olim Incoluerunt
SEPTENTRIO
MONTGOMER
PARS
CARDI GAN PARS
BREKNOK
OCIDENS
CAR MAR PARS
SCALA MILIARIVM
1 2 3 4 5
PARS
MERIDIES
Christophorus Saxton descrip:
Wilhelmus kip Sculpsit
Llanydlos
Rayader gowy
Bealt



SALOPSIÆ PARS
HERE FORDIÆ PARS
ORIENS
Knyghton
Prestayne
New Radnor
Old Radnor
Hay
Breknoke
Teme flu:
Lug flu:
Arro flu:
Wye flu:
Branton bryan
Kyneton
Huntingdon cast
Clyfford cast
Bryllay
Whitney
Talgarth
Porthamble
Castle Dynas
Crasiwal
Hatterel hill
Bettus chap.
Glascombe
Bryngwyn
Castle Payne
Herefo: Pars

RADNOR-SHIRE.



HEreofordensibus annectitur ad Occasum æstiualem *Radnor-shire*, Britannicè *Sire Maiseueth*, forma triquetra, quantò magis in Occasum protenditur, in angustum magis magisque contracta. Ad Austrum Vaga fluuius Brechnochienses discludit, ad Septentrionem adiacent Montgomorienses. Pars eius Orientalis & Australis cultior, reliqua montibus asperior vix vllo cultu mitescat, syluis tamen satis vestita, profluentibus irrigua, & stagnis alicubi aspersa.

Castle Colwen Castrum Matildis.

Illustrant Orientale latus, præter alia limitaneorum ducum castra suis iam ruinis ferè inuoluta, *Castle Paine* à Pagano Normanno extructum denominatumque, & *Castle Colwen* quod nisi me fallo, olim *Castrum Matildis* in *Colewent* dictum. Illud enim admodum celebre, iurisque Roberti de *Todeneio* viri prænobilis regnante Edwardo Secundo. Creditur ante ad *Breosos* Brechiniæ Dominos spectasse, & à Matilde de *S. Valerico* fœmina procacissima vxore Guilielmi Breosa qui rebellem animum in Regem Ioannem induit, nomen sumpsisse. Quod à Wallis dirutum, Rex Henricus Tertius de lapide & cæmento eleganter Anno CIↃCCXXXI. reædificauit. Sed præcipui nominis est *Radnor* præcipuum totius pagi opidum, Britannicè *Maiseueth*, pro regionis more culmeis tectis satis elegans. Mœnibus autem & castro quondam tutum fuit, sed postquam Oënus ille *Glendowerdwy* seditiosus succendisset, senium extenuatum clanguit, eodem fato quo mater sua *Old Radnor*, id est, *Vetus Radnor*, Britannicè *Maiseueth hean*, & ab ædito situ *Pencrag*, quam regnante Ioanne, Rhesus Gruffini filius igni dederat. Si hanc *Maiseueth* fuisse MAGOS vrbem dixero, quam Antoninus MAGNOS vocare videtur, vbi (vt est in Notitiarum libro) Præfectus militum Pacensium sub Britanniarum Duce, Theodosij Iunioris temporibus egit, à veritate, opinione certè mea, fortasse etiam aliorum, non desciuero. Huius enim tractus incolas MAGESETAS vocatos, Comitesque *Masegetenses*, & *Magesetenses* apud mediæ ætatis scriptores legimus, distantiæque ratio cùm à *Gobannio*, siue *Abergeuenny*, tùm à *Brangonio*, siue *Vigornia*, vix tantillum ab Antonini dimensione discrepat. Vix tribus hinc ad Ortum milliaribus *Presteine*, Britannicè *Lhan Andre*, id est, *Andreæ fanum* cernitur, quod è minimo viculo auorum memoria, opera Martini Episcopi Meneuensis in forum adeò celebratum, & in eam elegantiam emicuit, vt Radnoriam hodie quodammodo obscuret. A quo etiam vix quatuor mill. pass. abest *Knighton* Præstaniæ æmulum, Britannis, vt accepi, *Trebuclo* pro *Trefyclaudh*, à fossa subiecta quam mirando opere ad distingendos Britannos à suis Anglis Offa Mercius per hanc à Deuæ ostio vsque ad Vagæ per LXXXX. plùs minus mille passus duxit. Vnde *Claudh Offa*, id est, *Offæ fossa* Britannicè vocatur. De qua in Polycratico suo Ioannes Sarisburiensis. *Haraldus legem statuit, vt quicunque Wallorum citra terminum, quem eis præscripsit, fossam scilicet Offæ, cum telo inueniretur, ei ab officialibus Regijs manus dextra præcideretur.*

Matth. Paris

Radnor.

Owen Glendowr vulgò.

Old Radnor.

Magi.

Magesetæ.

Presteine.

Knighton.

Fossa Offæ. Offadike.

Rost hoc quicquid ad Occasum, & Septentrionalem limitem adiacet, magna ex parte effœtum & ieiunum, incolis *Melienith* vocatur, eò quòd montes flauescant. Castrorum tamen plurima vestigia ostendit, præcipuè verò *Keuenles*, & *Tinbod* quod acuminato colli affixum Leolinus Walliæ princeps Anno MCCLX. euertit. Hæc *Melienith* ad *Vagam* vsq, pertingit, qui Occiduum agri angulum transuersum secat, & occurrentibus saxis fractus, subitò solo destitutus præcipitatur. Vnde loco *Raihader Gowy* nomen, id est, *Vagæ Catarractæ*, & nescio an inde hoc nomen *Radnor* primùm vniuerso agro, deinde primario opido excuderint Angli. Castrum erat ad has Catarractas quod Rhesum Suthwalliæ Principem sub Richardo Primo restaurasse legimus. Iuxtà vasta est quodammodo solitudo itinerum anfractibus, & montium horrore penè formidolosa, in quam, vtpote tutissimum perfugium se subduxit pestis ille patriç Vortigernus, cuius damnatam Britanni velint memoriam, cùm inuocatis in hanc insulam Anglo-Saxonibus, & sua ipsius filiá horrendo incestu sibi in vxorem acceptá, nefariorum scelerum magnitudinem sera æstimatione perspexisset. Sed numinis telo volante, vindice igne cœlitùs demisso cum vrbe sua *Caer Gourtigern* quam in præsidium sibi construxerat, deflagrauit.

Melienith.

Raihader Gowy.

Vortigernus.

Nec

Nec procul hinc quaſi hoc fati fuiſſet, non ſolùm iſte Vortigernus vltimus è Britannico ſanguine Britanniæ monarcha, ſed etiam vltimus è Britannico genere Walliæ Princeps Leolinus ex inſidijs interceptus, anno reparatæ Salutis MCCLXXXII. fatum compleuit. Leolinus. Cæterùm à Vortigerno regiuncula illa *Gwortigermaur* Ninnio dicitur, necdum nomen intercidit : vrbis verò ne memoria quidem niſi ex ſcriptoribus ſupereſt. Sunt qui exiſtimant *Guthrenion* caſtrum ex eius ruderibus extitiſſe, quod anno MCCI. Walli in inuidiam Rogeri de *Morthomari* ſolo complanârunt : *Guarthenion* etiam hæc regionis pars olim vocabatur, vt author eſt Ninnius, qui ſcripſit Vortigernum illum cùm apertè & acriter à Germano illo Sancto admoneretur, non modò animum ad Dei cultum a vitæ prauitate non conuertiſſe, ſed etiam calumnias in ſanctiſſimum virum conterſiſſe. Guarthenion. *Quapropter Vortimerus Vortigerni filius* (vt inquit Ninnius) *pro illatis à patre ſuo S. Germano calumnijs, terram ipſam in qua Epiſcopus opprobrium tale ſuſtinuit, in æternum ſuam fieri ſanxit, vnde & in memoriam S. Germani* Guarthenian *nomen accepit, quod Latinè ſonat calumnia iuſtè retorta.* Guartl. Britannicè calumnia, & Enawn iuſta.

Mortuomarij ſiue de *Mortuo-mari* qui Anglis *Mortimers* dicti, à nepti Gondræ vxoris Richardi Primi Ducis Normanniæ oriundi, primi Normannorum magnam huius regiunculæ partem fuſo Edrico * Syluatico Saxone ſibi deuicerunt. Comites Marchię. G. Gem. lib. vlt. cap. 16. Cumque longo iam tempore inter omnes in hac regione emicuiſſent, tandem Rex Edwardus Tertius circa annum Salutis MCCCXXVIII. Rogerum de *Mortuo-mari* Dominum de *Wigmor* huius limitis Wallici, vel (vt vulgò loquuntur) *Marchiæ* Comitem creauit, qui ſtatim * Weald ſiue Wild. morte mulctatus, ſententiâ in eum latâ, quòd in Rempublicam inſultauerat, Scotis in Anglici regni fraudem fauerat, apud Regis matrem familiariùs egerat, & Edwardo Secundo Regis patri exitium comparauerat. Huic natus erat è Ioanna de *Ienevill* quæ opimos Lib Monaſt. reditus attulit cùm in Hibernia tùm Anglia Edmundus qui paterni ſceleris pœnas luit, & Lanthony. patrimonio & Comitis titulo exutus. Rogerus tamen eius filius in integrum erat reſti- 29. Edw. 3. tutus, titulum Comitis Marchiæ recepit, & ordinis *Garterij* in prima inſtitutione ſocius electus. Hic ex Philippa de *Monte-acuto* Edmundum Marchiæ Comitem progenuit, ille verò Philippam Leonelli Ducis *Clarentiæ* Regis Edwardi Tertij filij tertio-geniti vnicam filiam in vxorem duxit, vnde Vltoniæ in Hibernia Comitatus, & *Domitium* de *Clare* acceſſit. Huic in Hibernia cui magna cum laude præfuit, defuncto, ſucceſſit filius Rogerus Marchiæ & Vltoniæ Comes quem Rex Richardus Secundus regni ſucceſſorem deſignauit, vtique materno iure hæredem proximum. Verùm ille Rege Richardo ſuperſtite, morte ſublatus, Edmundum & Annam liberos reliquit. Edmundus cuius potentia, & regij ſanguinis claritas ſuſpectior erat Henrico Quarto qui regnum occupârat, ab eo periculis obiectus, captuſque ab Oweno *Glendour* rebelle, animi ægritudine confectus expirauit, Annâ ſorore hærede relictâ. Annam verò matrimonio Richardus *Plantagenet* Cantabrigiæ Comes ſibi iunxit ; cuius iure eius poſteri *Marchiæ* fuère Comites, regnumq; vendicârunt, quod tandem etiam conſecuti ſunt (vt alibi dicemus) Edwarduſq; Quartus filium ſuum primogenitum Walliæ Principem, & Cornwalliæ Ducem, &c. etiam Comitem *Marchiæ* in honoris acceſſionem creauit. Vide in agro Eboracenſi ſub finem. Radnoriæ autem titulum nullus, quod ſciam, ſeorſim geſſit.

Parœciæ in hac ſunt 52.

Ttt BRECH-


SEPTENTRIO
Rayader gowy
RADNOR
CARDIGAN PARS
Clarwen flu:
Wye flu:
Llanurtyd
Capel pylyn
Langamatch
CARMARDEN
OCIDENS
Kilcombe
Towy flu:
Llanbrayn
Llywel
Istradwalter
Llanymthfrey
Tre cast
Aberbrayn
Usk flu:
Devinok
Cray flu:
Llangadok
Cledagh flu:
Capel fenny
The black mountayn
Abermarlas
Llandilouawre
PARS
Capel Callwen
Neath flu:
Hepsky flu:
Deuener cast
Capel Gwenuye
Tawy flu:
Penederyn
Istradgunlez
Aberpirgun
GLAMORG
MERIDIES


BRECKNOC
comitatus pars
olim
SILVRVM
HERE
FORDIÆ
ORIENS
PARS
MONVME
THENSIS
PARS
GEN PARS
Hay
Bealt
BVLLEVM
BRECKNOCKE
Hatterel hill
Monuchdennye Hill
Abergeuenny
Talgarth
Tretowre
Crecowell
Vaynor
Morlashe cast:
Scala Miliarium
1 2 3 4 5
Christophorus Saxton descripsit
Wilhelmus Kip Sculpsit

BRECHNOCK-SHIRE.



RAdnoriæ ſubiungitur ad Auſtrum *Brechinia*, Britannicè *Brecheiniauc*, Anglicè *Brechnock-ſhire*, à Brochanio Principe ſic dicta, vt exiſtimant Walli, quem numeroſam, & ſanctam prolem, viginti quatuor ſcilicet filias omnes Sanctas ſuſcepiſſe ferunt. Hæc multò eſt Radnoria amplior, ſed in montes denſius conſurgit, conuallibus tamen paſſim fœcundis. Ab Ortu Herefordia, ab Auſtro Monumuthia, & Glamorgania, ab Occaſu Caermardinia terminatur. Verumenimuerò cùm ad hanc prouinciolam deſcribendam nihil inueniri poteſt, quod non diligentia Giraldi Cambrenſis qui hic ante quadringentos annos Archidiaconum egit, præripuerit; mihi aliquantiſper tacere, & illum cum ſuo ſtilo in partem vocare operæpretium videatur.

Brechiniaüc (inquit ille in Cambriæ Itinerario) *terra eſt ſatis abundans grano, & ſi quis eſt defectus ex Angticanæ vicinitatis copia affatim ſuppletur, paſcuis & ſyluis, feris & armentis terra fœcunda, fluuialibus quoque piſcibus abundat; quos hinc Oſca, inde Vaga miniſtrat, ſalmonibus enim, & trutis vtraque, ſed plus, egregijs, quos* Vmbras *vocant, Vaga fœcundus eſt. Montibus excelſis præterquam à Borea vndique concluditur, à Zephyro montana de* Cantefbochan, *ab Auſtro montes habens meridionales, quorum principalis* Cadier Arthur *dictus, id eſt, Cathedra Arthuri, propter gemina promontorij cacumina* (eſt enim δίκορυφος) *cathedræ modum præferentia, Et cùm in alto cathedra, & in arduo ſita eſt, ſummo & maximo Britonum Regi Arthuro vulgari nuncupatione eſt aſſignata. In excelſo huius montis vertice fontis ebullit ſcaturigo. Eſt autem fons in puteo modum altus, ſed quadratus, nullum ex ſe riuulum faciens, in quo tamen trutæ inueniuntur. His igitur obſtaculis ad meridiem oppoſitis, à Phœbeio patriam feruore frigidior aura defendit, & inſitâ quâdam aëris ſalubritate temperatiſſimam reddit. Ab Euro verò* Talgar & Ewias *montana prætendit.*

A Boreali autem parte, vt dixit ille, apertior eſt & planior, quà à Radnoria *Vaga* flumine diſcluditur, cui duo incumbunt opida ſua antiquitate nota, *Buelth* ſcilicet, & *Hay*:

Buelth. *Buelth* ſyluis & ſitu amœnum, caſtro etiam munitum, ſed recentiori à Breoſis ſcilicet, & Mortuomarijs, cùm vetuſtius deiecisset Rheſus Gruffini filius. Nunc fori frequentia, olim ſua dignitate celebre fuiſſe videtur, quod eius ſitum è cœleſtibus obſeruauit Ptolemæus,

Bulleum. cui eodem nomine BVLLEVM Silurum dicitur. Ab hoc regio circumuicina aſpera & montana, *Buelth* dicitur, in qua cum Saxones iam inſulam perſultarent, & Vortigernus in has partes ſecederet, Paſcentius eius filius rerum potitus eſt, permittente Aurelio Ambroſio, vt author eſt Ninnius, qui in mirabilibus ſuis, neſcio quid hîc admiratione ſuſpi-

Hay. ciendum prodit, de cumulo lapidum, in quo veſtigium canis Arthuri extaret. *Hay* autem Britannicè *Trekethle*, id eſt, *Opidum in coryleto*, ipſa agri extremitate proximè Herefordiam Vagæ aſſidet, Romanis, vt videtur, nota, quorum numiſmata ſæpius effodit, mœniumque ruinas oſtendit. Nunc verò quaſi confecta, profligatiſſimi rebellis Oëni *Glendowerdwy* furores conqueritur, qui cùm per has regiones graſſaretur, ſceleratè ſuccendit.

Vt iſte *Vaga* Borealem agri partem alluit, ita *Iſca*, ſiue *Oſca* eximius item fluuius medi-

Brecknock. am percurrit, qui è Nigro monte proruens, preſſo in ſolum alueo præterit *Breknock* primarium agri opidum in eius ferè vmbilico poſitum, quod Britanni *Aber-Hodney* vocant, quia *Hodneius*, & Iſca eò loci aquas commiſceant. Hoc Romano ſeculo fuiſſe habitatum è Romanorum Cæſarum nummis ſubinde erutis apparet. Bernardus de *Newmarch* qui hanc regiunculam deuicit, caſtrum amplum poſuit, quod *Breoſi*, & *Bohuni* inſtaurarunt, Patrumque memoria rex Henricus Octauus collegiatam Eccleſiam XIIII. Præbendariorum (in Dominicanorum cœnobio) conſtituit, quam ab *Aberguilly* in Maredunenſi agro huc tranſtulit.

Linſauathen lacus. Duobus hinc ad Ortum milliaribus, lacus diffunditur, quem Britanni *Linſauethan*, & *Linſauathen*, id eſt, *Lacus ſtagnans*, Giraldus *Clamoſum* vocat, quod horrendo ſtrepitu

Brecknock meare. tonitrua ementitur, quoties in eo glacies reſoluitur, Angli *Brecknock-mere* appellant, duobus mill. paſſ. longitudine, nec minùs latitudine patet, lutris, perchijs, tincis & anguil-

lis,

lis, quas nauiculis vitilibus piscantes capiunt, feracissimus. *Leuenus* fluuiolus hunc inuectus, inconfusus faciem suam seruat, & quasi odio mixturam refugiens, quod colore ostendit, hospitales suas aquas, non largiores, quam intulerit, euehere creditur. Fama inter accolas longo iam tempore obtinuit, vbi nunc lacus est, vrbem olim fuisse, quæ terræ motu absorpta, locum aquis fecerit. Et in argumentum, præter alia, vocant, quòd omnes publicæ huius agri viæ, ad hunc vndiquaque ducant. Quod si verum sit, quam aliam vrbem ad *Leueney* flumen existimes, quàm LOVENTIVM, quam hoc tractu collocat Ptolemæus, & nusquam nunc mihi sedulo indaganti, vel è nomine, vel situ, vel ruderibus comparere potest. *Bricenaumere* (quod mihi ferè exciderat) hunc lacum Marianus vocare videtur, qui prodit Edelfledam Merciam anno 913. *Britonum terram intrasse ad expugnandum arcem apud Bricenaumere, ibique vxorem Regis Britonum cepisse.* An hæc arx fuerit ipsa *Brecknocke*, aut castrum *Dinas* quod huic impendet in rupe, quæ quò magis excelsa surgit, exilior euadit, non liquidò constat. *Blean-Leueney* verò castrum vicinum caput Baroniæ fuisse quam tenuit Petrus filius Herberti filij Herberti Domini de *Deane-Forrest* ex Lucia filia Milonis Comitis Herefordiæ ex Archiuis Regijs in confesso est.

Louentium.

Bricenaumere.

Brecknocke.
Blean-Leueny


Regnante Gulielmo Rufo, Bernardus de *Nouo mercatu*, siue *Newmarch* Normannus, vir animi, consilijque plenus, conscripta non parua Anglorum & Normannorum manu, primus hunc agrum aggressus difficili bello à Cambris extorsit, munimenta construxit, commilitonibus inter quos præcipui erant *Aubrai*, *Gunteri*, *Hauerdi*, *Waldcbeofi*, & *Prichardi* agros, & prædia assignauit, vtque gradu certo, & confirmato inter infensos Cambros consisteret, Nestam Gruffini Principis filiam in vxorem accepit. Quę mulier proiectæ, & vindicis audaciæ tam se existimatione, quàm filium patrimonio spoliauit, Cùm enim Mahel filius Bernardi vnicus nobilem adolescentulum, quocum illa stupri consuetudinem haberet, duriusculè exagitaret, illa, vt inquit Poëta, *iram, atque animos à crimine sumens*, iureiurando conceptis verbis coram Rege Henrico Secundo contestata est, Mahelem filium ab ipsa ex adultero susceptum, & non à Bernardo natum, vnde Mahele excluso, Sibylla eius soror patrimonium illud lautissimum adijt, virumque suum Milonem Herefordiæ Comitem eodem locupletauit. Postquam autem quinque Milonis filij improles obijssent, hæc Brechinia Berthæ eius filiæ in hæreditate partienda cessit, quæ ex Philippo de * *Breos* suscepit Guilielmum de *Breos* Dominum Brechiniæ cui seditiosum ingenium & procax * vxoris lingua miseriarum molem attraxit. Cùm illa intemperantior linguæ frœna in contumeliam Regis Ioannis laxasset, Rex a Guilielmo marito qui sibi in ære erat maximo, acerbiùs æs illud exegit. Ille autem non soluendo, sæpius præuaricatus, tandem tria Castra *Haiam* scilicet *Brecknock*, & *Radnor*, Regi in pignora tradidit. Quæ mox tumultuaria conscripta manu ex improuiso inuasit & cæsis præsidiarijs extorsit, *Lemster* opidum incendit, cæde, sanguine, & agrorum depredationibus, grassatus, nihil non facit quod rebelles assolent. Sed Regijs insequentibus se cum suis in Hiberniam subduxit, cum Regis hostibus consilia sociauit, simulatè tamen quasi se submissurus fide data Regem profecturum in Hiberniam accessit, multaque pollicitus, nouas denuò turbas in Wallia dedit, sed solum vertere tandem coactus in Gallia exul obijt, vxor verò capta, fame malorum extrema in carcere confecta grauissimos procacis linguæ penas persoluit. Ægidius huius filius Episcopus Herefordensis annuente Rege Ioanne paternam hæreditatem, (nepote recto hærede neglecto) consequutus, fratri Reginaldo reliquit, cuius filium Guilielmum in adulterio cum vxore sua deprehensum Leolinus Princeps Walliæ suspendio sustulit. Per Guilielmi autem filias *Mortuomari*, *Cantelupi*, & *Bohuni* Comites Herefordiæ amplam creuerunt hæreditatem. Hæc verò Brechinia *Bohunis* obtigit, & tandem per illos *Staffordis*, Edwardoque *Stafford* Buckinghamiæ Duce proscripto, ad Regem reditus in hoc agro amplissimi deuenerunt.


Brechiniæ Domini.

* *Braus* & *Breos* etiam vocatus

* Matildis de *Haia* dicta.

Numerat parœcias 61.


BEATI PACIFICI
MONUMETHENSIS COMITATUS QUEM OLIM INCOLUERUNT SILURES


GLAMOR
GAN
1 2 3 4 5 6 7 8
Christophorus Saxton descripsit . Gulielmus Hole sculpsit
BRECKNOK PARS
PARS
HEREFORDIÆ PARS
The olde cast.
Michaelchurch
Crucorne
Peterchurch
Abergeueny
Cellbrock
Warnde
Llanelly
Blorench hill
Llanouer
Goytre
Capelbrithete
Kethligga
Monethusloy
Kirton bacon
Henlles
Bedwes
Caerfyle cast.
Treleggerres
Bassalegs
Grenefeld cast.
Coydkirne
Marshfeld
Petersfton
St. Melens
Rompnes
Rothe
The slut
Cardyf

HEREFOR:
PARS

GLOCES:
TRIÆ
PARS

MONUM:
TENSIS
PARS

Monmouth
Chepstow
Carlion
Vske
Venta
Silvra
Denham
Bettesley
Aust
Chesell pill
Goldechyff poynt
The dennye Iland
Kings rode
Porshute poynt
Avon flu.
Newport haven

SABRINÆ ESTUARIUM



BRISTOL

SOMER:
SETENSIS PARS

MONMOVTH-SHIRE.



BRechiniæ & Herefordiæ ad Meridianam plagam subiacet Comitatus Monumethensis, vulgò *Monmouth-shire* Anglis, olim *Wentset*, & *Wents-land*, Britannisque *Guent*, ab vrbe antiqua appellatus. Includitur à Septentrione *Munow* fluuius, qui Herefordienses, ab Ortu *Vaga* siue *Wye*, qui Glocestrenses, ab Occasu *Remneio*, qui Glamorganses seiungit, & ab Austro Sabriniano æstuario, in quod illa flumina vnà cum *Isca*, qui mediam intersecat regionem, euoluuntur. Rebus ad victum necessarijs non solùm sibi sufficit, sed etiam vicinis affatim suppeditat. Pars Orientalis herbida, & nemorosa, Occidentalis nonnihil montana & lapidosa, non tamen colono ingrata. *Gens* (vt inquit Giraldus de sua ætate loquens) *Martijs conflictibus vsitatissima, strenuitatis operâ laudatissima, & arte sagittifera præ cæteris Walliæ finibus instructissima.*

In extremo ad Circium angulo qui *Ewias* dicitur, non procul à *Munow* fluuius inter
Ewias Lacy. Lanthony. *Hatterell* montes quos, quòd instar Cathedræ consurgunt, *Munith Cader* dicunt, *Lanthony*
Lacy Barones. *ny* sedit vetus cœnobiolum, quod Walterus *Lacy* cui latifundia hic dedit Guilielmus Comes Herefordiæ fundauit, & à quo *Lacij* illi qui inter primos Hiberniæ expugnatores clarissimi, profluxerunt. Cœnobioli eius situm pro me describat, qui plenius nouit Giraldus Cambrensis. *Stat* (inquit) *in valle de* Ewias *profundissima, quantum est tactus sagittæ arcu transmissæ, montibus æthereis orbiculariter vndique conclusa Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, plumbeis laminis operta, lapideoque tabulatu pro loci natura non indecenter extructa, in loco videlicet vbi paupercula prius S. Dauidis Archiepiscopi capella steterat musco syluestri solùm, & hederæ nexibus adornata. Veræ religioni locus idoneus, & disciplinæ Canonicæ præ cunctis Insulæ Britannicæ cœnobijs competentissimus, a duobus heremitis in honorem heremitæ primò fundatus, ab omni populari strepitu in solitudine quadam longè remotus, super flumen Hodney, per vallis ima labentis situs, vnde & ab Hodney* Lanthodeny *di-*
Hodney. *ctus*, Lhan *enim* locus Ecclesiasticus *sonat. Exquisitius tamen dici potest, quod propria loci illius nuncupatio Cambricè est* Nanthodeny : *vsq; hodie enim ab accolis* Lhan Deui Nanthodeney *vocatur, hoc est*, Ecclesia Dauid super riuum Hodeney. *Pluuiæ verò quas montana creant, hic creberrimæ, venti præualidi, nebulæ sub bruma ferè continuæ. Et tamen aëris quanto obtusioris, tanto benignioris, & clementioris salubri temperantia, morbi rarissimi. Hic claustrales in claustro sedentes, cùm respirandi gratiâ forte suspiciunt, ad quaslibet partes transalta tectorum culmina, montium vertices quasi cœlum tangentes, ipsasque plerumque feras, quarum hic copia, in summo pascentes, tanquam in vltimo visus Horizonte prospiciunt. Hora verò diei quasi inter primam & tertiam, supra montium cacumina vix emergens, etiam sereno tempore, corpus hic solare primo conspicitur.* Et paulò pòst. *Rogerum Salisburiensem Episcopum, principalem regni tunc sub rege rectorem huc fama attraxit, qui cùm aliquandiu loci naturam, heremeticam solitudinem fratrum ibidem Deo seruientium sine querela statum, & sine murmure conuersationem in singulis admirans considerasset Reuersus ad Regem, relatisque quæ ibi repererat, relatione dignis, cùm maximam diei partem in loci præscripti titulos expendisset, tandem in hoc verbo laudis præconia consummauit. Quid, inquit, plura? Totus tam Regis, quam Regni thesaurus soli claustro erigendo non sufficeret. Cùm itaque tam Regis, quàm curiæ totius animum in huius verbi stuporem diutiùs suspendisset : tandem de montium claustris quibus vndique vallatur, ænigma sermonis exposuit.* Sed de hoc satis superque.

Grossemont. Ad *Munow* flumen visuntur *Grossemont*, & *Skinffrith*, olim *Breosorum* ex concessio-
Skinffrith. ne Regis Ioannis, posteà Huberti de *Burgo* castra, qui vt aulicam inuidiæ tempestatem in tranquillum conferret, hæc, & alia duo castella, *Blancum*, scilicet *castrum*, & *Hanfeldiam* Regi Henrico Tertio, vt habetur in Minori Matth. Parisiensis historia, *pro bona pace, & pristina charitate reformanda in manum resignauit.*

In altero ad Aquilonem angulo, *Munow* & *Vaga*, siue *Wye* confluentes; primarium regionis opidum ferè circumfluunt, & nomen imponunt, *Mongwy* enim Britannis dicitur,
Monmouth. & nobis *Monmouth*. Ad Septentriones quà fluminibus defenditur, muro & fossa præcin-

ctum

ctum erat, in medio proximè forum castellum prætendit, quod Guilielmi *Conquestoris* tempore floruit, vt in Tabulis Reg. videre est, Ioannem tamen Baronem de *Monmouth* excitâsse creditur, à quo ad Lancastrensem familiam deuenit, cùm illum patrimonio exuisset Rex Henricus Tertius, eò quod a Baronibus pertinaciter contra ipsum stetisset; vel potiùs, vt in Regis Prærogatiua legimus, quòd hæredes illius fidem Comiti Britanniæ Aremoricæ præstitissent. Iam inde suis immunitatibus, quas Lancastrenses concesserunt, opidum celebre floruit. Sed nulla re æquè insigne habetur, quàm quòd Henricum Quintum Galliæ triumphatorem, & alterum Lancastrensis stemmatis decus Anglis in lucem eduxerit. Illum inquam Henricum, qui Galliam Gallis militari virtute extorsit, & Carolum VI. Galliæ Regem eò adegit, vt regno quodammodo renuntiaret. Ob cuius secundos in bellis cursus, Ioannes Sewardus non infimi subsellij illis temporibus Poeta ita exultanti versu Anglos affatur:

Ite per extremum Tanain, pigrosque Tirones,
Ite per arentem Lybiam, superate calores
Solis, & arcanos Nili deprendite fontes.
Herculeum finem, Bacchi transcurrite metas;
Angli iuris erit quicquid complectitur orbis.
Anglis rubra dabunt pretiosas æquora conchas,
Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres:
Dum viget Henricus, dum noster viuit Achilles,
Est etenim laudes longè transgressus auitas.

Galfridum etiam Arthurium Episcopum Asaphensem Britannicæ historiæ consarcinatorem alumnum suum iactat *Monmuthia*, virum sanè antiquitatis benè peritum, sed fide, vt videtur, non antiqua, tot Milesias nugas passim ex suo ingenio interseruit. Adeò vt iam inter prohibitos ab Ecclesia Romana scripores habeatur. Galfridus de Monmouth siue Ap Arthur.

Hinc flexuoso volumine descendit in Austrum *Vaga*, in quo copiosa est Salmonum piscatura à Septembri ad Aprilem. Limes hodie inter Glocestrenses, & Monumethenses, olim inter Wallos, & Anglos, iuxta illum Nechami versiculum:

Inde vagos Vaga Cambrenses, hinc respicit Anglos.

Qui cùm iam ad ostium ferè deuenerit, *Chepstow* præterfluit, id est, si è Saxonico interpreteris, *Forum*, vel *Negotiationis locus*, Britannis *Castle Went*. Opidum hoc est celebre, cliuo à flumine surgenti impositum, mœnibus circumuallatur magno ambitu quę agros, & hortos in se includunt, Castrum habet satis spatiosum flumini impendens, & è regione stetit Prioratus cuius parte meliori demolita, quod reliquum est in Ecclesiam Parochialem conuertitur. Pons verò quo *Vaga* iungitur sublicius est, & admodum excelsus, quia accedente æstu in magnam altitudinem fluuius exsurgit. Huius Domini fuerunt è Clarensium familia Penbrochiæ Comites, qui à *Strighull* castro vicino quod incoluerunt, *Strighulia* & *Penbrochia* Comites vulgò dicti, quorum vltimus Richardus vir infracto animo, & proiectissimis brachijs *Strongbow* cognominatus, quòd arcu intentissimo vteretur, & nihil leui brachio ageret, Hiberniam Anglis primus sua virtute aperuit. Per huius filiam descendit ad *Bigottos*, &c. nunc verò ad Comites Wigorniæ spectat. Cæterùm non admodum prisca est huius vetustas, asseuerant enim plurimi, nec sine ratione è VENTA vetustissima vrbe, non ante multa sæcula exortum fuisse, quę quatuor hinc ad Occasum milliaribus Antonini ætate floruit, cui VENTA SILVRVM, quasi eorum vrbs præcipua appellatur, quod nomen nec furor hostilis, nec dies adhuc interpolauit, *Caer Went* enim hodie dicitur, id est, *Vrbs Venta*. Vrbem autem ipsam vel hæc vel ille ita abstulit, vt tantùm iam è semirutis mœnibus, tessellatis pauimentis, Romanorúmque nummis extitisse appareat. Ambitu mille plùs minùs passus collegit, ab Australi parte magna pars mœnium superest, & trium propugnaculorum plusquam rudera. Quanti tamen fuerit olim nominis, vel hinc colligatur, quod ante Monmuthiæ nomen auditum, vniuersa hæc regio ab illa *Guent*, *Went-set*, & *Wents-land* dicta fuerit.

Margin notes: Chepstow. — Comites Strigulię. — Venta. Caer-Went.

Ad hæc, vt in vita Tathai Britannici Sancti legimus, Academia fuit, locus scilicet bonarum literarum studijs dicatus, cui Tathaius ille à Caradoco Rege Inirij filio è solitudine euocatus magna cum laude præfuit, & Ecclesiam fundauit.

Lib. Ecclesiæ Landaffensis.

Ad quintum hinc milliare in Occidentem *Strigulia* castrum ad montium radices sedet, nos hodie *Strugle*, Normanni *Estrighill* vocârunt, quod (vt est in Guilielmi Primi libro Censuali) Guilielmus *Fitz-Osbern* Herefordiæ Comes construxit, postéaq; Comitum Penbrochiæ è Clarensium familia sedes. Vnde illi vsitatè *Strigulia Comites* appellati fuerunt.

Strighol castle.

Sub hæc ad æstuarium iuxta *Vega* ostium *Portskeweth* adsidet, Mariano *Portscith*, qui prodidit Haraldum anno Salutis MLXV. munitionem eò loci contra Wallos obiecisse, quam illi statim, duce Caradoco, euerterunt. Deinde *Throgoy* fluuiolus prope *Caldecot* Sabrinæ æstuarium subit, vbi castri mœnia vidimus, quod ad Angliæ Constabularios spectauit, tenebaturque per seruitium *Constabulieritatis Angliæ*. Iuxtà cernuntur *Wondy* & *Penhow*, olim sedes claræ familiæ de *Sancto Mauro*, nunc corruptè *Seimor*. Ad *Wondye* enim à Wallis extorquendum G. Marescallus Comes Penbrochiæ circa annum MCCXL. tenebatur opem ferre Guilielmo de *Sancto Mauro*. A quo descendit Rogerus de *Sancto Mauro* Miles qui alteram hæredem I. de *Bello-Campo* de *Hach* Baronis nobilissimi in vxorem habuit, qui genus deduxit à Sibilla cohærede Guilielmi illius *Marescalli* potentissimi Penbrochiæ Comitis, Guilielmo de *Ferrarys* Comite Derbiæ, Hugone de *Viuonia*, Guilielmo *Mallet*, viris olim clarissimis. Quorum omnium & aliorum nobilitas (vt certò ostendi potest) confluxit in honoratissimo Edwardo de *Sancto Mauro*, siue *Seimor* nunc Comite Herefordiæ virtutis & bonarum literarum fautore singulari, & eo nomine merito dignus qui celebretur.

Portskeweth. Caldecot. Inq. 3. Ed. 1. Wondye. S. Maur. vel Seimor familia.

Regio palustris per plura milliaria infra extenditur, *The Moore* vocamus, quæ (dum hæc recognoscimus) luctuosam cladem magno cum damno pertulit. Mare enim Sabrinianum cum accederet in interlunio, & assiduo Libonoto per tres ante dies retroactum fuisset, vehementiori Altano irritatum tanto æstu incanduit, vt humiliori huic tractui, & in agro Somersettensi è regione glomeratis fluctibus incubuerit, ædes subruerit, & numerosa animalium capita, nec non homines oppresserit. Qua palustris hic tractus sensìm prominendo procurrit in ipsa prominentia *Gold cliffe* extollitur, id est, vt inquit Giraldus, *Rupis aurea, eò quòd aurei coloris saxa sole repercussa miro fulgore sunt rutulantia, nec mihi de facili*, ait ille, *persuasio fieri posset, quòd frustratum dederit natura nitorem saxis, quódque suo fuerit flos hic sine fructu, si foret qui venas ibidem, & penitima terræ viscera arte præuia transpenetraret.* Quo in loco supersunt reliquiæ Prioratus qui illos de *Chandos* patronos agnouit.

The Moore. Inundatio Ianuario 1607. Gold-cliffe.

Post hanc, per palustrem regionem, ad *Iscæ* ostium peruenimus, quem Britanni *Vsk* & *Wysk*, alij *Oscam* nominant. Hic medium agrum, vt dixi, intermeans tribus primæ vetustatis vrbeculis affunditur.

Iscæ fl.

Prima in ipso agri limite ad Circium, Antonino GOBANNIVM dicitur, ad *Iscæ* & *Geueny* confluentes, vnde nomen inditum, hodie verò integra antiqua appellatione *Aber-Geuenny*, & contractè *Abergenny* vocatum, quod *Geuenni*, siue *Gobannij* confluentes significat. Muris & castro munitur, quod, vt inquit Giraldus, proditionis infamiâ, ex omnibus Walliæ castris, frequentiùs maculatum fuit; primum à Guilielmo Comitis Milonis filio, posteà à Guilielmo *Breoso*, quorum vterque nonnullos Walliæ proceres fide publica huc aduocatos per amicitiæ simulationem nefariè obtruncauit. Sed non sine diuina vindicta; hic enim omnibus bonis exutus, coniuge & filio fame enectis, profugus obijt; ille saxo in caput impacto, dum *Brenlais* castrum deflagraret, scelerum tandem pœnas dependit meritas. *Abergeuenij*, siue GOBANII primus, quod sciam, Dominus erat Hamelinus quidam *Balun*, qui Brienum Wallengfordensem, siue Brientium de *Insula*, *Filium Comitis* dictum, hæredem scripsit. Ille itidem duobus suis liberis qui leprosi erant, constructo hîc Nosocomio, Gualterum filium Milonis Herefordiæ Comitis in partem hæreditatis suæ longe maximam vocauit. Illi successit Henricus frater à Wallis interfectus, qui in eius terras inuolârunt, quas Præfecti Regis non sine magnis periculis defenderunt. Per Henrici verò sororem ad *Breosos*, & ab illis connubij iure per *Cantelupos* & *Hastingos* ad Reginaldum *Grey* Ruthiniensem descendit: Guilielmus tamen

Gobannium. Aber-Geuenny. Abergeuenniæ Domini.

de *Bello-campo* à *Greia* virtute cuiusdam transcriptionis & conuentione recuperauit, & ille itidem, si proles eius mascula deficeret, transcripsit in Thomam fratrem Warwici Comitem, & eius hæredes masculos. Guilielmo de *Bello-Campo* Domino *Abergeuennæ* natus erat Richardus qui ob virtutem militarem VVigorniæ Comes creatus, & Gallico bello occisus vnicam reliquit filiam quam Edwardus *Neuill* in vxorem accepit. Iam inde titulo Baronum *Abergeuennæ* claruêrunt *Neuilli* (Castrum tamen diu ex illa quam dixi transcriptione detentum erat) Horum quartus nostra memoria defunctus vnicam tantum reliquit filiam Mariam Thomæ *Fane* Equiti aurato enuptam, inter quam & Edwardum *Neuill* Equitum auratum hæredem proximum masculum cui ex testamento, eoque authoritate Parlamentaria constabilito Castrum *Abergeuennæ*, & pars hæreditatis longè maxima obtigerat, de titulo Baroniæ *Abergeuennæ* in Comitijs Parlamentarijs Anno Iacobi Regis secundo septem seorsim diebus ab vtriusq; partis aduocatis coram Regni proceribus acerrimè & doctissimè disceptatum erat. Cùm tamen iuris quæstio non satis esset explicata, sed honorario titulo vterque dignissimus pro familiæ splendore singulis videretur, & certissimis constaret indicijs cùm titulum Baronis *Abergeuennæ*, tùm Baronis *Le Despenser* ad hanc stirpem hæreditariò spectare: efflagitârunt à Rege proceres vt vtrique Baronis dignitas restitueretur, qui libenter adnuit. Hinc propositum erat à Cancellario proceribus primùm an hæres masculus titulum *Abergeuennæ* haberet, vel hæres fœmella: plurimis placuit vt masculo titulus Baroniæ *Abergeuennæ* restitueretur. Cùmque iterum propositum esset an fœmellæ & suis hæredibus titulus Baroniæ *Le Despenser* restitueretur consensêrunt vniuersi. Quod cùm Regi declaratum, ille suo assensu regio confirmauit. Edwardusque *Neuill* regis rescripto statim ad Parlamentum nomine Baronis *Abergeuennæ* euocatus, atq; in trabea Parlamentaria inter duos Barones, vt moris est, introductus, & sede supra Baronem de *Audeley* locatus. Eodemque tempore coram regni proceribus perlectæ *literæ Patentes* quibus Rex Mariam *Fane ad statum, gradum, titulum, stilum, nomen, honorem, & dignitatem Baronissæ Le-Despenser restituit, erexit, præfecit*, &c. *habendum & tenendum prædictum statum* &c. *præfatæ Mariæ & hæredibus; quodque eius hæredes sint successiuè Barones Le-Despenser* &c. Noua autem suborta quæstione cui prior locus deberetur, an Baroniæ *Abergeuennæ*, vel *Le-Despenser*; proceres hoc ad designatos pro officio Comitis Marescalli Angliæ examinandum retulerunt, qui re maturè perpensâ pro Baronia *Le Despenser* sententiam suis Chyrographis & sigillis consignârunt, quæ lecta coram proceribus, & in Diarium Parlamentarium eorum iussu relata, ex quo hæc compendio descripsi. Hoc castrum (nec est cur tacitus præterirem) tenuit I. *Hastinges per homagium, Wardam, & maritagium cùm acciderit* (vt in Inquisitione legitur) *& si guerra fuerit inter Regem Angliæ & Principem Walliæ deberet custodire patriam de* Over-went *sumptibus proprijs meliori modo quo poterit pro commodo suo, & vtilitate Regis, & defensione Regni Angliæ.*

19. Rich. 2.

Cl. 19. & 21. Henr. 6. &c.

Baronissa Le De-spenser.

6. Edw. 2.


Secunda vrbecula quam BVRRIVM Antoninus dixit, & ad duodecimum à Gobannio milliare ponit, sedet vbi *Birthin* profluens *Iscæ* commiscetur, Britannis hodie transpositis literis, *Brunebegie* pro *Burenbegie*, & *Caer Vske*, Giraldo *Castrum Oscæ*, & Anglis *Vske*, nunc solùm castri ampli & muniti ruinas ostendit, quod amœnissimè intersidet inter *Iscam* flumen & *Oilwy* riuulum qui per *Ragland* elegantes Comitis VVigorniæ ædes instar castelli cursum ab Oriente sub hoc agit.

Burrium.

Vrbs tertia Antonino ISCA, LEGIO II. dicta, ad Iscæ alteram ripam duodecim exactè milliaribus Italicis à BVRRIO, vt ille notauit, distans, Britannis *Caer-Leon*, & *Caer Leon ar Vsk* appellatur, id est, *Vrbs Legionis ad Iscam fl.* à Legione Secunda Augusta, quæ etiam Britannica Secunda nominatur. Hæc legio ab Augusto instituta, à Claudio è Germania in Britanniam sub Vespasiani auspicijs translata, cui imperium affectanti præsto fuit, Britannicasque legiones sibi adiunxit, hic demùm a Iulio Frontino, vt videtur, in præsidio contra Siluras locata. Quanta hæc Isca tunc temporis fuerit, audi Giraldum nostrum è suo Cambriæ Itinerario. *Erat hæc vrbs antiqua & autentica, à Romanis olim coctilibus muris egregiè constructa. Videas hic multa pristinæ nobilitatis vestigia, palatia immensa aureis olim tectorum fastigijs Romanos fastus imitantia, eo quòd à Romanis principibus primò constructa, & ædificijs egregijs illustrata fuisset. Turrim giganteam, thermas insignes, templorum reliquias, & loca theatralia muris egregijs, partim adhuc extantibus omnia clausa.*


Vske.

Stuphæ *clausa. Reperias vbique tam intra murorum ambitum, quàm extra, ædificia subterranea, aquarum ductus, hypogæosque meatus, & quod inter alia notabile censeas, stuphas vndique videas artificio miro confectas, lateralibus quibusdam, & præangustis spiraculis occultè calorem exhalantibus, Iacent hic duo nobiles, & post Albanum & Amphibalum, præcipui Britanniæ maioris protomartyres, & ibidem martyrio coronati, Iulius, scilicet & Aaron, quorum vterque Ecclesiam in vrbe insignem habebat. Tres enim egregiæ in hac vrbe antiquis temporibus fuerant Ecclesiæ. Vna Iulij Martyris virginum Deo dicatarum choro venustata; altera vero B. Aaron socij eiusdem nomine fundata, & Canonicorum ordine præclaro nobilitata, Amphibalus etiam B. Albani doctor, & fidelis ad fidem informator hic oriundus erat. Situs vrbis egregius super* Oske *flumen nauigio mari influente idoneum, syluis & pratis vrbs illustrata. Hic magni illius Arthuri famosam curiam legati adiere Romani. Vbi & Dubritius Archiepiscopus Dauidi Meneuensi cessit honorem, abhinc Meneuiam Metropolitana sede translata.* Hæc Giraldus. Sed ad huius antiquitatem asserendam antiquas inscriptiones quas hic nuper effossas Reuerendissimus pater Franciscus Godwinus Episcopus Landauensis venerandæ antiquitatis, & optimarum literarum cultor eximius, mihi pro sua humanitate impertiuit subiungendas curaui. Anno MDCII. in prato adiuncto reperta a fossoribus fuit effigies succincta & pharetrata, capite, manibus, & pedibus truncata super pauimentum tessellatum, & fragmentum aræ cum hac inscriptione literis triuncialibus, ab Hateriano Legato Augusti, & Pro-Prætore Prouinciæ Ciliciæ posita.



Extant hæ inscriptiones ad Mathern *in ædibus Episcopi Landauensis.*

Anno insequenti iuxtà hæc etiam eruta, quę dictam effigiem Dianæ fuisse templumqꝫ a Tito Flauio Postumio Varo veterano fortasse cohortis Legionis secundæ restitutum fuisse comprobat.



Et

Et hoc etiam votiua Ara, e qua GETA Cæsaris nomen erasum tunc videatur, cùm ille à fratre Antonino Bassiano sublatus, & hostis declaratus, ita tamen vt ex literarum ductu quodammodo appareat.

PRO SALVTE
AVGG. N. N.
SEVERI ET ANTONN-
NI ET GETÆ CAES.
P. SALTIENVS P. F. MAE-
CIA THALAMVS HADRI.
PRÆF. LEG. II. AVG.
C. VAMPEIANO, ET
LVCILIAN.

In libris Impressis Claudius Pompeianus & L. Ilianus Auitus Coss. Anno Christi 210.

Hæc etiam mutilata ibidem reperta Ara pulcherrima, quam sic supplendam existimo.

IMP.
M AVRELIO
ANTONINO
AVC
SEVER. LVCII.
FILIO
LEC. II AVG. P.
sic.

Hæc etiam fragmenta:

* Cenacria.

*7. VECILIANA.

VIII.

7. VALER. MAXSIMI.

Hic etiam sub ingressum Saxonum fuit *gymnasium ducentorum Philosophorum, qui Astronomia, cæterisque artibus eruditi cursus stellarum diligenter obseruabant*, vt scripsit Alexander Elsebiensis author rarus, è quo mihi plurima descripsit Thomas Iames Oxoniensis vir eruditus, & verè φιλόβιβλος, qui se totum literis, & libris inuoluit, & iam publici boni studio in Angliæ Bibliothecis excutiendis (Deus opus secundet) id molitur, quod Reipublicæ literariæ inprimis erit vsui. Regnante Henr. Secundo quo tempore scripsit Giraldus, hanc satis validam fuisse videtur. *Trwith* enim de *Caerleon* animosus Britannus diu eam contra Anglos tutatus erat, donec à Rege deuictus, eius possessione exturbaretur. Nunc verò, vt documento sit, vrbium, non minus quàm hominum fata volui, in exiguum opidulum decreuit, quæ tantæ olim amplitudinis erat, & ita vtraque ripa porrecta, vt S. *Iuliani* ædes clarissimi Equitis aurati Guil. *Herbert*, qui non minus ingenij iudicijque dotibus, quàm generis claritate fuit celebris, in ipsa vrbe fuisse, & Iulij Martyris ecclesiam eo loci extitisse ferant, quæ mille plùs minùs passus iam ab opido abest. Ex eius etiam ruinis paulò inferiùs ad *Isca* ostium accreuit *Nouus portus*, Giraldo *Nouus Burgus*, nobis *Newport* recentius opidum castro & portus oportunitate non ignotum, quo loci olim aliqua via militaris erat, cuius his versibus meminit Nechamus:

Tho. Iames. / Newport.

Intrat, & auget aquas Sabrini fluminis Oska
Præceps, testis erit Iulia Strata *mihi*.


Hanc *Iuliam Stratam* viam fuisse non est cur dubitemus, & si rem ad coniecturam reuocare liceat, a Iulia Frontino Silurum debellatore ductam fuisse non omninò absurdum videatur. *Serpit*, inquit Giraldus, *in huius* Noui Burgi *finibus riuulus cui nomen* Nantpencarn, *non tam aquarum profunditate, quàm aluei concauitate, palustrique limositate, non nisi per certa vada transmeabilis; habueratque antiquitùs vadum, cui nomen* Rydpencarn, *id est, vadum sub rupis capite*. Quod cùm iam ferè incognitum Henricus Secundus Angliæ Rex forte fortuna transmeasset, Walli (qui se nimis credulos vaticinijs præbent) quasi conclamatum esset omnem meliorem spem abiecerunt, eò quòd Merlinus Syluester Wallorum Apollo vaticinatus fuisset, tunc Wallorum vires fore proterendas, cum fortis & lentiginosus princeps (cuiusmodi Henricus ille erat) vadum illud transiret.

Saxonica Heptarchia paruit hæc regio Wallis montanis, quos illi Dun-settan vocârunt, qui tamen, vt in legibus antiquis videre est, sub occiduorum Saxonum imperio erant. Normannorum verò primis temporibus limitanei duces grauissimè afflixerunt, præcipuè Hamelinus *Balun* quem dixi, Hugo *Lacy*, Gualterus, & Gilbertus de *Clare* dicti, & Brienus Wallingfordensis, quibus cum donâssent Reges, quicquid hoc tractu, deuictis Wallis, occupare potuissent, alij superiorem agri partem, quam *Ouer-Went*, alij inferiorem, quam *Nether-Went* dixerunt, in suam paulatim potestatem redegerunt.

Dun-settan.

Continet Ecclesias parochiales 127.

Yyy 2


GLAMORGAN
Comitatus, qui
olim pars
Silurum
CARMAR
DEN
PARS


Llanelthye
LEUCARUM
Swanley
Neath
NIDUM
Aberauon
Cheriton
Oystermouth cast:
Mumbles poynt
Pennarth





Christophorus
Saxton
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10
Gulielmus Hole sculpsit.

MARE
SABR

ECRNOK PARS

MON METHEN SIS PARS





GLAMORGAN-SHIRE.



Glamorganię vnde nomen.

Vltimam Silurum regionem eam fuisse existimo, quæ nunc nobis *Glamorgan-shire*, Britannis *Morganuc*, *Glath-morgan*, & *Glad Vorganuc*, id est, *Regio Morganuc* vocatur, à Morgano Principe, vt plurimi suspicantur, à *Morgan* cœnobio, vt alij. Si verò ego à *Mor*, quod Britannis mare significat, deducerem, nescio sanè an veritati illuderem. Maritimum tamen Armoricæ opidum quod nunc *Morlais*, Ptolemæo, & priscis Gallis *Vorganium*, siue *Morganium*, (M enim & V consonantes sæpiùs hac in lingua transmutantur) dici obseruaui, & vnde quæso, nisi à mari? Et hæc etiam nostra *Morganuc* tota est maritima, minùs enim latitudine, quàm recta regione porrecta, Sabriniano mari à meridie pulsatur. Quà terram verò spectat ab Ortu Monumethenses, à Borea Brechnochienses, ab Occasu Maridunenses adiacent.

Pars Septentrionalis montibus est aspera, qui in austrum descendentes paulatìm mitescunt, quorum ad radices planities in meridianum solem extenditur, ea positione, quam optimam iudicauit Cato, & ob quam Italiam tantopere commendat Plinius. Hæc enim pars gratissima fœcunditate, & crebris opidis vndiquaque nitet.

Glamorganię debellatio. Rob. Fitz-Haimon. *Alijs Inon. 12. Knights.

Iustinus huius regulus, regnante Guilielmo Rufo, cum à Rheso Principe suo defecisset, viribusque minimè par fuisset, præcipitato consil io, quod sera pœnitentia subsequuta est, Robertum *Fitz-Haimon* Normannum filium *Haimonis Dentati* Comitis Corbulensis, ex Anglia per * Iuonem nobilem, cui filiam desponderat, in auxilium accersiuit. Qui habito statim delectu, adscitisque in belli societatem duodecim equestris dignitatis viris, primùm infesto agmine Rhesum interfecit, deinde verò fertilitate regionis inescatus, quam certa spe iam ante deuorauerat, in Iustinum ipsum conuersus, quòd Iuoni fidem non liberasset, illum auita possessione facilè exuit, regionemque inter suos partitus est, Montium inculta Iuoni concessit, vberiores agros sibi, & duodecim illis, quos *Pares* vocauit, ea lege diuisit, vt clientelari iure à se, quasi Domino tenerent, socijs & auxiliaribus armis se inuicem tuerentur, stationem quisque suam in castro eius de *Caerdiff* defenderent, & sibi cùm ius diceretur, præstò adessent. Illorum nomina attexere non pigebit ex libello quem hac de re nescio an Edwardus *Stradling* an Edwardus *Maunsell* qui ambo Equites aurati, veteris prosapiæ, & antiquitatis peritissimi (vtriusque enim nomine circumferatur) scripsit. Ea vero sic se habent:

Caerdiffe.

Guilielmus Londinensis, siue *de Londres*.
Richardus Granuill.
Paganus Turberuill.
Oliuarius S. Iohn.
Robertus de S. Quintino.
Rogerus Bekeroul.
Guilielmus Easterling, quòd e Germania esset oriundus, cuius posteri *Stradlings* nunc vocantur.
Gilbertus Humfrauill.
Richardus Siward.
Ioannes Fleming.
Petrus Soore.
Reginaldus Sully.

Caer-Philli.

Remnius fluuius e montibus demissus, Orientalis est limes, quo hæc prouincia à Monumethensibus diuiditur, & *Remni* diuidere Britannis significat. In huius vicinia vbi per inuia agitur inter montes palustri loco nutantia mœnia *Caer-Philli* castri cernuntur, quod adeò vastæ magnitudinis & admirandi operis fuit, vt Romanorum præsidium fuisse asserant fere omnes; nec ego inficias ibo, licèt quo nomine illis cognitum fuerit nondum perspicio: restauratum tamen videatur, cùm sacellum habeat Christiano more constructum,

constructum,(vt me docuit qui sedulò contemplatus est I. *Sanford* vir singulari doctrinâ & limato iudicio)iurisque fuit *Clarorum* Glocestriȩ Comitum. Nec enim in nostris annalibus memoratur ante Edwardi Secundi tempora. Tunc enim cùm *Spenseri* coniunctionem inter Regem, Reginam,& proceres malis artibus dissuissent, Hugolinum *Spenserum* diu irrito conatu in hoc castro obsedêrunt. Ad hunc etiam fluuium, sed loco incerto, Faustus Vortigerni, vt author est Ninnius, pessimi patris optimus filius magnum locum construxit, vbi cum alijs sanctis viris assiduis precibus à Deo contendit, vt ipse (quem pater sceleratissimo incœstu ex sua ipsius filia susceperat)parentis culpas non malè lueret, vt pater tandem seriò recipisceret, & patria à Saxonico bello respiraret.

Paulò inferiùs RATOSTABII siue RATOSTIBII ostium posuit Ptolemæus, mutilato vocabulo pro *Traith Taff*, id est, *Taffi* fluminis sabulosum æstuarium. *Taffus* enim fluuius montibus deiectus ibi mare petit per *Landaff*, id est, *Fanum ad Taff*, tenuem vrbeculam humiliori situ, episcopali tamen dignitate, cui subsunt parochiæ CLIV. cathedralique ecclesia Teleano eiusdem præsuli sacra insignem, quam Germanus & Lupus Gallici Episcopi tunc instituerunt cùm Pelagianam hȩresim latè per Britanniam grassantem compressissent, Dubriciumque virum sanctissimum primum episcopum præfecerunt, cui Meuricus Regulus Britannicus vniuersum agrum inter *Taff*, & *Elei* flumina elargitus erat. Hinc *Taff* adit *Caerdiff*, Britannis *Caerdid* nitidam, vt in hac regione, vrbem,portumque satis commodum, quam *Fitz Haimon* ille, siue *Filius Haimonis* victor in belli sedem,iustitiæq; forum mœnibus & castro communiuit, in quo præter delectam cohortem, duodecim illi milites suas stationes tueri tenebantur. Nihilominus paucis interiectis annis *Yuor Bach* Britannus montanus, erecto animo homunculus, silenti agmine castrum noctu occupauit, Guilielmumque Glocestriæ Comitem, *Fitz Haimonis* è filia nepotem cum vxore & filiolo captiuum abduxit, secumque retinuit, quoad ei de iniurijs cumulatè satisfieret. Quomodo verò Robertus *Curthose* Guilielmi Conquestoris filius natu maximus vir bellica virtute stolidè ferox, spe Anglici imperij à minoribus fratribus excussus, oculisque orbatus in hoc castro consenuerit, ex nostris, si placet, historicis quæras, simulque discas ex Regia familia nasci nec tranquillum nec tutum esse.

Ratostabij ostium.

Landaff.

Historia Landauensis.

Caerdiffe.

Rob. Curthose Dux Normanniæ.

Vix tribus à *Taffi* ostio milliaribus in ipso littoris flexu insulæ sternuntur duæ exiguæ, sed amœnæ, tenui freto tùm à se, tùm à continente discretæ,citerior *Sully* dicitur,ex opido obiecto, cui Robertus de *Sully* (illi enim in diuisione obtigerat) nomen fecisse creditur, si non illum inde denominatum mauis. Vlterior *Barry* vocatur à Barucho viro sancto ibi sepulto, qui vt loco nomen, sic locus cognomen fecit suis postea Dominis. Clara enim Vicecomitum *Barrorum* familia in Hibernia inde originem duxit. *In huius rupe marina*, inquit Giraldus, *apparet rima permodica, ad quam si aurem apponas, audies strepitum quasi opera fabrilis, nunc follium flatus, nunc martellorum ictus, nunc cotis, & ferri sonora fricamina, stridentesque cauernis stricturas chalybum, & anhelum fornacibus ignem. Cæterùm haud difficile crediderim ex aquis marinis occultè subintrantibus sonum huiusmodi prouenire posse, nisi quòd non minùs refluis fluctibus, vacuato prorsus littore continuatur, quàm repleto.* Nec dissimilis erat locus ille, cuius in Stromatum VII. his verbis meminit Clemens Alexandrinus. *Dicunt qui conscripserunt historias, in Britannia insula esse quandam speluncam monti subiectam, in fastigio autem hiatum, cum autem ventus incidit in speluncam & in eius sinu alliditur, audiri sonum cymbalorum, quæ numerosè pulsantur. Reiectus enim spiritus sonat vehementius.* Ab his insulis rectà in Occidentem Solem littus agitur, fluminiq; vni se patefacit, cui interiùs superimponitur *Cowbridge*, Britannis à saxeo ponte *Pont-uan*, mercatorium opidum, & ex tribus illis secundum, quod victor *Fitz-Haimo* sibi retinuit. Quòd autem hoc in tractu, & ad hanc ab ISCA distantiam BOVIVM, quod etiam corruptè BOMIVM concipitur, collocarit Antoninus, hoc *Bouium* fuisse blandiente coniectura opinatus sum: verùm cùm ad tertium hinc milliare sit *Bouerton* quod cum *Bouio* appositè consonet, ita me veritas amet, non alibi BOVIVM indagare ausim. Nec à bobus nomina locis accommodari nouum esse, loquuntur Bosphorus Thracius, Bouianum Samnitum, & Bauli Italiæ quasi Boalia, si Symacho credas. Sed hoc sit instar omnium, quindecim mill. à BOVIO NIDVM opidum Latino etiam nomine posuit Antoninus, quod licèt Antiquârij nostri frustra iam diu venati sint, ad eandem tamen ipsam distantiam *Neath* notissimum opidum nomine

Sully, fortè à Siluribus.

Barry.

Spelunca mira.

Cowbridge.

Bouium.

Neath.

vetusto


I. Stradling. vetusto quasi incolumi sese offert, & hîc ad *Lantwit*, id est, *Fanum Iltuti* quod contiguum est, complurium ædificiorum fundamenta cernuntur, & vicos habuit antiquitùs diuersos. Parum hinc distat in ipso ferè littoris flexu Castrum S. *Donati* antiquæ & claræ *Stradlingorum* familiæ habitatio, iuxta quod nuperrimè effossi fuerunt nummi antiqui Romanorum, præcipuè verò triginta tyrannorum, & nonnulli Æmiliani, & Marij qui rariùs repertuntur. *Ogmor* fluuius paulò superiùs viam sibi in mare apperit delapsus à montibus per *Coitie* quondam *Turbeuillorum*, posteà *Gamageorum*, nunc vxorio iure Rob. *Sidney* Vicecomitis Insulæ, & *Ogmor* Castrum quod à Londinensi familia ad Lancastrenses deuenit. *Fons abhinc abest paucis milliaribus ad* Nouam-Villam (vt ad me scribit vir doctissimus I. Stradling) *opidulum ob Occidua ripa* Ogmor *fluuij, à Sabriniano littore centum ferè passus, in planitie arenosa. Lympha nitidissima non est, sed satis pura & vsui apta: nunquam scaturit, sed descenditur in puteum nonnullis gradibus. In refluxu maris (æstiuo tempore) vix disco aquam colligas, cùm mox defluente freto eandem haustro capaci bene hauri as. Instabilitas itidem hyeme manet, sed longè minus apparet, propter aduentitias desuper ab imbribus & aliunde aquarum venas. Hæc mihi ex indigenis complures fide digni confidenter asseuerant. At enim dum famam sæpe garrulam malè metuerem, ad sacras aquas semel atque iterum me nuper contuli. Modò enim animum inuaserat desiderium hæc ad te scribendi. Vbi primum ventum est ad locum, omnia perlustrans tertiam horæ partem commoratus (æstuante Sabrina, nec quoquam ad hauriendum accedente) aqua defecit circa tres pollices. Discedo. Non ita multò post reuersus, creuisse vno pede altiùs deprehendo. Fontis autem orbis inferior intra parietes propemodum sex pedes latus est. De quo etiam hoc succinit nostra Musa:*

S. Donati. Nummi antiqui. Ogmor. fl.

Fons fluens & refluens. Sandfords Well.


Te Noua-Villa *fremens, odioso murmure Nympha*
Inclamat Sabrina: Soloque inimica propinquo,
Euomit infestas ructu violenter arenas.
Damna pari sentit vicinia sorte: sed illa
Fonticulum causata tuum. Quem virgo, legendo
Littus, ad amplexus vocitat: latet ille vocatus
Antro, & luctatur contra. Namque æstus vtrique est.
Continuo motu refluus, tamen ordine dispar.
Nympha fluit propiùs: Fons defluit. Illa recedit.
Iste redit. Sic liuor inest & pugna perennis.

Fons in Gadibus. Huiusmodi fontem in Gadibus refert Polybius causamque hanc reddit, spiritum cum suis exitibus solitis priuetur introrsum reuerti, obstructisque fontis meatibus aquas intercludere, rursumq; denudata aquis superficie venas fontis liberari ostructione, atque ita tum aquam copiosè ebullire. Hinc littus legenti occurrunt *Kinfeage* ipsius *Fitz-Hamonis* olim castrum, & *Margan* ad mare quondam cœnobium à Guilielmo Comite Glocestriæ fundatum, nunc sedes claræ, & Equestris familiæ *Maunsellorum*, Prope hoc *Margan* in cacumine montis qui dictus *Mynydd Margan* ex saxo durissimo cyppus erigitur IIII. pedes longus, & vnum pedem latus cum inscriptione quam quicunque legerit, paulo post moriturum imperitum vulgus circumuicinum credulo errore dictitat; viderit ergo lector, si hoc audeat, nam certò sciat se moriturum.



Boduoc.

Dictiones illas posteriores *Aeternali in domo* lego, sepulchra enim eo seculo ÆTERNALES DOMVS dictæ erant. Inter *Margan* autem & *Kinfeage* iuxta viam iacet saxum IIII. pedes longum cum hac inscriptione: Domus æternalis.



Quam vt mihi reuerendissimus Episcopus Landauensis, qui has mihi describendas curauit Cambro-Britanni addendo & immutando ita legunt & interpretantur. PIM BIS AN CAR ANTOPIVS. .i. *Quinque digiti amicorum, vel proximorum nos interemerunt*. Credunt esse sepulchrum Morgani Principis a quo regio sit denominata, qui occisus vt volunt anno octingentesimo ante Christum natum, sed has literarum formulas recentioris esse æui norunt Antiquarij.

A *Margan* procurrit littus in Circium per *Aber-auon* tenuem mercatum ad *Auonam* fl. ostium vnde nomen, ad Nidum fl. viuo sabulo infame, cui eiusdem nominis vetustæque memoriæ opidum Antonini Itinerario NIDVM dictum adsidet. Quod cùm *Fitz-Haimo* hanc regionem sui iuris fecit, in sortitione Richardo *Granuillo* obtigit, qui cœnobio sub ipso opido fundato, & Deo, monachisque portione sua consecrata, ad suum ipsius in Anglia patrimonium, quod amplissimum habuit, reuersus est. Nidum. Neath.

Post *Nidum* fl. quicquid ad *Loghor* flumen qui ab Occasu huius agri limes est, iacet, nobis *Gower* dicitur, Britannis & Ninnio *Guhir*, in qua, vt inquit ille, *filij Keiani Scoti se* Loghor. Gower.

 dilatauerunt,

Th. Walsing. *dilatauerunt*, donec à Cuneda Britanno regulo fuerint exturbati. Regnante Henrico Primo Henricus Comes Warwicensis hanc in suam potestatem redegit, sed transactione postea inter Thomam Comitem Warwici & Regem Henricum Secundum in regium patrimonium deuenit, Rex autem Ioannes donauit Guilielmo de *Breos per seruitium vnius Militis pro omni seruitio*, eiusque posteri tenuerunt ad Edwardi Secundi tempora. (Liber Monast. Neth. 5. Regis Ioan.) Tunc enim Guilielmus de *Breos* cùm multis hanc hæreditatem addixisset, & demùm cæteris illudens in Regis gratiam Hugoni *Spenser* in manus tradidisset, in causa fuit (inter alia) cur proceres in *Spenseros* exitiali odio exarserint, & Regis authoritatem temerè proiecerint. Hæc nunc in Orientalem & Occidentalem diuiditur: In Orientali *Sweinsey* pręcellit opidum à porcis marinis ita Anglis dictum, Britannis *Aber-taw* a *Taw* præfluente, quod Henricus ille Warwicensis Comes muniuit; Verùm hoc multò vetustius est ad *Loghor* fluuius quod Antoninus LEVCARVM, & nos integro nomine *Loghor* appellamus. (Sinsey. Leucarum. Loghor.) Vbi sub mortem Henrici Primi, *Howell Ap Meredic* ex improuiso cum suis montanis, Anglis superfusus melioris notæ plures oppressit. *Gower* Occidentalis huic subiacet, & insinuante vtrinque freto fit Chersonessus, frugibus magis quàm opidis prædicanda, & Kinedo in diuos relato quondam celebris, qui solitariam hîc vitam egit, de quo si plura velis, Capgrauium nostrum consulas, qui eius miracula pleno ore celebrauit.

Glamorganiæ Domini. Ab ipsa huius prouinciæ expugnatione Domini fuerunt à *Fitz-Haimone* recta linea descendentes Glocestriæ Comites, Clari, & Spenseri, inde *Bellocampi* & *Neuillius* vnus & alter, & per Neuilli filiam è Spenseris oriundam Richardus Tertius Angliæ Rex, quo interfecto, Henricus VII. huius agri hæreditatem creuit, Gasparique Bedfordiæ Duci patruo suo concessit, quo sine prole defuncto, ad se vniuersum ius Rex reuocauit, & filio Henrico Octauo reliquit, cuius filius Edwardus Sextus maximam eius partem Guilielmo *Herbert*, quem Penbrochiæ Comitem, & Baronem de *Caerdiff* creârat, venundedit. Ex equitum autem XII. sobole solummodò supersunt in hoc agro *Stradlingi* multis imaginibus clari, *Tuberuilli*, *Flemingorumque* nonnulli, quorum præcipuus habitat ad *Flemingston*, nunc corruptè *Flemston* quod ab illis quasi *Flemingorum* opidum, nomen accepit. In Anglia verò supersunt Baro *S. Iohn* de *Bletso*, *Granuilli* in agro Deuoniensi, & *Siwardi*, vt audio, in agro Somersettensi, Reliquorum mascula proles iam olim defecit, hæreditasque eorum variè per fœminas est distracta.

Paræcia 118.



DIMETAE.



Eliquam huius regionis partem quæ longiùs in Occasum projecta, Anglis West-Wales *dicitur, agrum que Maridunensem, siue* Caermarden-shire, *Penbrochiensem, & Ceretican, siue* Cardigan-shire *complectitur, Plinius Siluras etiam tenuisse existimauit: sed Ptolemæus qui exploratiùs Britanniam nouit, alium hic populum constituit, quos* DIMETAS *&* DEMETAS *dixit,* DEMETIAEQVE *nomine pro hoc tractu vsi sunt cùm Gildas, tùm Ninnius, vnde* Dised *Britanni incolæ mutata pro linguæ Idiotismo M. in F. hodie vocitant.* West-Wales.

Si non sinistræ curiositatis videretur, hanc Demetarum appellationem à Deheu Meath *deducerem, id est, planities ad Austrum; vti omnem hanc Suthwalliam, siue Australem Walliam* Deheubarth, *id est,* partem Australem; *& sane qui aliam in Britannia campestrem regionem coluerunt,* Meatas *Britanni ipsi nominârunt. Nec ab hac certè significatione aliena est huius regionis positio, quæ cùm huc perueneris, mōlli deuexitate considentibus iugis in planitiem paulatìm expanditur.*

(**)


CAERMARDI
comitatus in quo
DIMETÆ
olim habitarunt
CARD
PARS
Cardigan
Newport
Wrenyuawre hill
Capel bettus
Kilredden
Capelcuen
Bettuscuan
Tredraeer
Kilgaren
Kennarth
New cast emlyn
Banger
Penbayre
Capel pencader
Llanlianthog
Canwelclutt
Talecoith
Tauy flu
Taf flu
Kilsant
Henllanamgode
Mydrim
Llangeler
Llandyssil
Llanlloynye
Llanybangle yoroth
Llanwenok
Capel Llantisilud
Capel Llanfra
Ebernant
St. Nicholas
MARIDVNVM
CARMARDEN
Merther
Capel Llanllech
Llangayne
Llangunnog
Llanstephan
Llansant
St. Ismael
Hawton
Llanuaier
Llacharne
Llandach
Llansadurnen
Eglescumen
Marras
Kiffig
Clare
Llandowror
Llangunnor
Abergwelye
Istradmerther
Llanbederuelfray
Castle deran
Llandemye
Crunwaier
Amarth
Kilmaynlloyd
Llanglud
Pendyne
Touy hauen
St. Ismael point
Calicote point
Penbray point
Whitford point
Capel Llangelthuhon
PEN
BROKE
PARS
St. Dogmels
Mounte
Verwick
Penbryn
Llandeureog
Henllandvn
Llanuaerellerne
Llangeidrne
Capel langbrid
Manerdyue
Llanwenye
Eglesnewith
Comgwilye
Istradwerell



BRECK
NOC
GAN
Llanbeder
Llanimthdery
Llangadok
Llandilouawre
Abermarlas
The black mountayn
Capel Gwenuye
Castle Carreg
Llanelthye
LEVCARVM
PARS
GLAMORGAN
PARS
Scala Miliarium.
Christophorus Saxton descripsit
Wilhelmus Kip Sculpsit

CAERMARDEN-SHIRE.

Caermarden-shire.



AGer Maridunensis, qui Anglis *Caermarden-shire*, frugibus satis fertilis, gregibus abundans, fossiliumque carbonum alicubi ferax, continetur ab Ortu Glamorgania & Brechinia, ab Occasu Penbrochia, à Septentrione *Ceretica*, intercurrente *Tiuio* flu. & à Meridie Oceano, qui sinu adeò magno hîc terras excauat, vt hæc regio interiùs quasi perterrita se subduxisse videatur.

Kidwelly. Ad hunc sinum *Kidwelly* se primum offert, cuius territorium filij *Keiani* Scoti aliquandiu occupârunt, donec à Cuneda Britanno expellerentur. Nunc verò patrimonij Lancastrensis censetur per hæredes Mauritij *Londinensis* siue de *Londres* qui è Glamorgania mouens hoc difficili bello sui iuris fecit, opidumque *Kidwelly* vetus adiecto castro mœnibus obsepsit, quod nunc vetustate quasi desertum fatiscit. Incolæ enim *Vendraeth Vehan* fluuiolum transgressi, nouum *Kidwelly* substruxerunt, portus commoditate eò allecti, quæ iam tamen tenijs obiectis ferè nulla est. Dum Mauritius hæc loca inuaderet, Guenliana Gruffini Principis vxor, vltimæ audaciæ mulier, vt rem mariti proclinatam adiuuaret, in Mauritium infestis signis acriter irruit, sed cum filio Morgano, & alijs nobilibus (vt author est Giraldus) in acie cecidit. Per Hawisiam verò filiam & hæredem Thomæ *Londinensis* deuenit peramplum hoc patrimonium cum titulo Domini de *Ogmor* & *Kidwelly*, ad Patricium de Cadurcis siue *Chaworth*, & per eius è filio Patricio neptim ad Henricum Lancastriæ Comitem: hæredes autem Mauritij de *London*, vt vetusta docet Inquisitio, *Pro hac hæreditate tenebantur, si Dominus Rex, vel Capitalis eius Iusticiarius venerit in partibus de Kidwelly cum exercitu, deberent conducere prædictum exercitum cum vexillis suis, & tota gente sua per mediam terram de* Neth *vsque ad* Loghar. Paucis infra *Kidwelly* milliaribus, *Touy* fluuius qui Ptolemæo TOBIVS, Oceano tandem excipitur, cùm agrum hunc ab Aquilone in Austrum permensus fuerit, primùm per *Lanandiffry*, à fluuijs confluentibus ita, vt opinantur, denominatum, quod Hoelus filius Rhesi iam olim in Anglorum inuidiam prostrauit. Inde per *Dineuor* principum Suthwalliæ, dum illi florerent, castrum Regium in montis vertice sublimè elatum, demum per *Caer-Marden*, quod ipsi Britanni *Caer Firdhin*, Ptolemæus MARIDVNVM, Antoninus MVRIDVNVM dixit, qui non vlteriùs sua itinera persequitur, & librariorum incuria hoc in loco malè habitus. Duo enim itinera à Galena Iscam, & à Mariduno Viroconium temerè confudêrunt. Vrbs hæc est totius conuentus primaria, pratis & syluis amœna, antiquitate suspicienda, *coctilibus muris*, vt inquit Giraldus, *partim adhuc extantibus egregiè clausa supra nobilem* Touium *fluuium*, qui nauigiolis subuehendis par est, licèt arenarum puluinus iam ostio obtendatur. In hac natus est Britannorum Tages, Merlinus scilicet noster, vt enim ille Genij filius Aruspicinam suis Hetruscis, ita hic incubi filius, vaticinia, imò mera Orestis somnia nostris Britannis effinxit. Vnde in hac insula apud credulam & imperitam plebem vates celeberrimus audit. Statim à Normannorum in Walliam ingressu hæc vrbs in eorum potestatem, auspicijs verò nescio cuius, concessit, multisque diu conflictata est difficultatibus, sæpiùs oppugnata, semel atq; iterum succensa, primùm à Gruffino filio Rhesi, inde à Rheso eiusdem Gruffini fratre: quo tempore Henricus *Turberuill* Anglus castro subuenit, & pontem interscidit. Postea vero opera Gilberti de *Clare* qui huius mœnia & castra vicina firmauit, has miserias exuit, curisque laxata faciliùs bellorum tempestates deinceps pertulit: Walliæ Principes Regum Angliæ primo geniti hîc suam pro Australi Wallia *Cancellariam*, & scaccarium constituerunt.

Guenliana virago.

Domini de Ogmor & Kidwelly.

Touy. Tobius fl.

Dineuor.

Maredunum. Caermerdin.

Merlinus.

Cantredbichan.

Cantredum.

Adiacet huic vrbi ab Ortu *Cantred-Bichan*, id est, *Centuria minor*, (Cantredum enim vocant Britanni terræ portionem, quæ centum villas complectitur) in qua præter ruinas castri *Careg*, quod præcipiti vndique, & abruptæ rupi infixum: & suffossa plura, siue specus spatiosissimas virenti cespite nunc obtectas, quibus furente Marte, imbellem multitudinem habitâsse creditur, etiam *fons est*, vt scribit Giraldus, *qui naturali die, bis vndis deficiens, & toties exuberans marinas imitatur instabilitates.*

Specus subterranei.

Cantred maur.

Ab Aquilone autem longè patet *Cantred-Maur*, id est *Centuria Magna*, tutissimum olim,

lim Britannis perfugium, vtpote quæ ſyluis denſa, confragoſa, & collium flexibus viæ implicatæ. Ad Auſtrum *Talcharn* & *Lhan-ſtephan* caſtra marinis ſcopulis inhærent, quę bellicæ virtutis, cùm in Anglis, tùm Britannis teſtes ſunt locupletiſſimi. Sub *Talcharn* in mare effunditur *Taf*, ad cuius ripas olim celebris erat *Twy Gwin ar Taf*, id eſt, *Domus alba ad Taf* flumen, quòd ex corilis albis pro æſtiuo domicilio conſtructa fuit, vbi anno reparatæ Salutis DCCCCXIIII. * Hoël cognomento *Bonus*, Walliæ princeps, frequentibus Comitijs (conuenerant enim præter alios Eccleſiaſtici Ordinis centum quadraginta) antiquatis maiorum inſtitutis, nouas leges ſuo populo tulit, vt teſtatur ipſarum legum procemium. In quo poſteà loco monaſteriolum extructum, quod *White Land* dixerunt. Vnde parum diſtat *Killmayn Lhoyd*, vbi nuper ruſtici inciderunt in vas figulinum quo latuit magna vis Romanorum numiſmatum ex argento minùs puro. A Commodi ſcilicet tempore qui argentum primus Romanorum Imperatorum adulterauit, vſque ad v. Tribunitiam poteſtatem Gordiani tertij, quæ coincidit cum anno Chriſti CCXLIII. Inter hæc fuerunt Heluij Pertinacis, M. Opellij Antonini Diadumeniani, Iulij Veri Maximi filij Maximini, Cælij Balbini, Clodij Pupieni, Aquiliæ Seueræ vxoris Elagabali, & Sall. Barbiæ Orbianæ, quæ maximi pretij, vtique rariſſima, inter Antiquarios. Supereſt iam vt memorem ad *Tiuy* fluuium qui hunc agrum à Comitatu *Cardigan* diſterminat, ſitum eſſe *Nouum caſtrum*, ſic hodie vocant, quod Rheſus *Ap Thomas* vir bellicoſus qui Henrico Septimo in regno adipiſcendo præſtò adfuit, & ab eodem meritò in Georgiani Ordinis ſocietatem adſcriptus renouauit, priùs enim *Elmelin* dicebatur. Quod nomen ſi Angli ab vlmis fecerint, non aſpernanda eſt eorum coniectura qui illud Dimetarum LOVENTIVM cuius meminit Ptolemæus, volunt; vlmos enim *Llwiffen* vocant Britanni. Quum verò qui Normannorum primi hanc regionem Wallorum Principibus extorſerunt ex hiſtorijs eruere non poſſim, vt ad Penbrochienſes nunc me conferam, ordo poſtulat.

Talcharn. Lhanſtephan. Taf. fl. * Hælius. White land. Numiſmata Romana. New-Caſtle. Louentium.

* * *

Paræcias habet 87.

PENBROK-


PENBROK
Comitatus olim
Pars
DEMETARVM
MARE
HIBERNICVM
SIVE
VERGIVIVM
MARE SABRI
Fishgard
DEWISLAND
Saint Dauids
OCTOPITARVM
ROWSE
Hauerfordwest
Dale
SYLIMNOS Insula
Milford hauen

CARDIGAN PARS

Cardigan

Dogmaels

Kilgarren

CARMAR

KEMEIS

KILGARAN

HV

THEN

PARS

Mote

DVNGLEDY

Wiston

Lauhaden

NARBERTH

Tenbye

PENBROCH

MARTIN

Scala Miliarium

1 2 3 4 5

Georgius Owen D. Kemeis descripsit

Wilhelmus Kip sculpsit

PENBROK-SHIRE.



IAm in Austrum mare se reflectens, & ingenti ambitu, varijsque recessibus littora incuruans, Comitatum Penbrochiensem, vulgò *Penbrokshire* qui in antiquis tabulis *Legalis Comitatus Penbrochiæ*, *&* nonnullis *West-Wales* nominatur, vndique vrget, nisi ab Ortu, quà ager Maridunensis, & ab Aquilone quà pars Ceretica obtenditur. Regio frugibus ferax, pecudibus inprimis repleta, & ad fœcunditatem marga & id genus terrę adipe, vt etiam carbone fossili abundans. *Terra hæc*, vt inquit Giraldus, *triticea est, marinis piscibus, vinoque venali copiosè referta, & quod omnibus præstat, ex Hiberniæ confinio aëris salubritate temperata.*

Primùm in littore ad Austrum descendente *Tenby* elegans opidum mœnibus firmum è sitiente rupe mare despicit, nauium statione, & piscium copia admodum celebre, vnde Britannicè *Tenby-y-pisçoid* denominatur, & pro Magistratu *Maiorem* habet & *Ballivum.* Manober Castle. Inde in Occasum reducto littore tenues apparent reliquiæ castri *Manober*, quod Pyrrhi mansionem vocat Giraldus, cuius tempore, vt ipse prodit, *turribus & propugnaculis erat eximium, ab Occidente portum extensum, à Circio & Borea, sub ipsis muralibus viuarium habens egregium tam sui venustate, quàm aquarum profunditate conspicuum.*

Continuum non multis hinc procurrit milliaribus littus, tandemq; submouens vtrinq; Milford hauen. terram longè inuehitur mare, & portum efficit, quem *Milford hauen* Angli vocant, quo non alter est in Europa aut nobilior, aut tutior, tot angulosis recessibus, tot portuosis stationibus distinguitur, quibus, vt fibris, ripæ vndique sunt incisæ, & vt Poëtæ verbis vtar;

Hic exarmatum terris cingentibus æquor
Clauditur, & placidam discit seruare quietem.

Numerat enim (vt nauticis verbis & distinctionibus vtar) *Crekas* XVI. *Balas* V. & *Rodas* XIII. suis seorsim nominibus cognitas. Nec hac securitate magis celebris hic portus, quàm quòd fœlicissimæ memoriæ Henricus Septimus in eodem appulsus, Angliæ iam intestinis malis elanguescenti signum ad benè sperandum hinc sustulerit. Ad interiorem Orientalemque huius portus sinum, *in agro totius Walliæ amœnissimo, principale prouinciæ municipium, Dimetiæque caput* (Giraldum legis) *in saxosa quadam & oblonga rupis eminentia situm, lingua marina de Miluerdico portu prosiliens in capite bifurco* Penbroke. *complectitur, vnde Britannis* Penbro *dicitur, quod* caput marinum *sonat, & nobis* Penbroke. *Primus hoc castrum Arnulphus de* Montgomery *frater Roberti Comitis Salopiæ sub Anglorum Rege Henrico Primo ex virgis & cespite tenue satis, & exile construxit, quod postmodo in Angliam reuertens viro prudenti Giraldo de* Windesora *Constabulario suo primipiloq; cum paucis custodiendum exposuit, nec mora totius Walliæ Australis Cambrenses castrum obsidione cinxerunt.* Sed ita animis, magis quàm viribus Giraldus cum suis resistebat, vt illi irrito incœpto regrederentur. Castrum posteà vt etiam opidum muniuit Origo familiæ Giraldorum in Hibernia. Giraldus ille, vnde circumuicinas regiones latè persultabat, demumque vt res sua, & suorum commodiùs his regionibus adolesceret, Nestam Griffini Principis sororem sibi in matrimonium adiunxit, ex qua egregiam suscepit prolem, *per quam* (vt inquit Giraldus ille ex eo oriundus) *Anglis & Australis Cambriæ maritima sunt retenta, & Hiberniæ mœnia sunt expugnata.* Omnes enim illæ nobiles *Giraldorum*, siue *Giraldinorum*, quos *Fitz-Gerald* vocant, in Hibernia familiæ, ab hoc Giraldo genus deducunt suum. Rotulus Seruitiorum. *Ratione tenuræ huius castri & villæ, castri & villæ* Tinbigh *Grangiæ de Kingeswood, Commoti de Croytarath, & Manerij de Castle-Martin & Tregoire,* Reginaldus *Grey* in coronatione Henrici Quarti petiuit portare secundum gladium; sed frustrà, cùm responsum fuisset, quòd eo tempore castra illa & prædia in Regis essent manu, vt adhuc Penbrochia opidum est, quæ *incorporata* suum habet *Maiorem*, & *Ballinos.*

Carew Castle. Ad alterum etiam huius portus sinum *Carew Castle* cernitur, quod & nomen & originem inclytæ familiæ de *Carew* dedit, qui se priùs de *Montgomery* dictos asserunt, & ab Arnulpho illo de *Montgomery* quem modò dixi prognatos credunt.

Influunt hunc portum coniunctis ferè ostijs flumina duo, quæ *Gledawh* Britanni vocant, id est, si interpreteris, *gladij*, vnde *Aberdugledhau*, id est, *Duorum gladiorum portum*, ipsi appellitant. Ad quorum Orientaliorem *Slebach* sedet * *Præceptoria* quondam Militum S. Ioannis Hierosolymis quam sacro illi ordini Wizo & Walterus eius filius vt Deo militarent ad terram sanctam recuperandam olim cum alijs prædijs elargiti erant. Partem illam huius regionis quæ vltra portum iacet, & his solis fluminibus perfunditur, *Rosiam* siue *Ros* dicunt Britanni, facto è re nomine, quòd viridante procumbat planitie. Gledawh. Slebach. * A Commandery.

Flandri è Belgio hanc incolunt, qui Henrici Primi permissu huc commigrarunt, cùm Oceanus ruptis aggeribus magnam Belgij partem obruisset. Lingua & moribus etiamnum a Wallis dignoscuntur, & ita eiusdem linguæ societate cum Anglis coniuncti sunt, qui ad Belgicam linguam proximè accedunt, vt hæc eorum regiuncula à Britannis *Anglia Transwallina* nuncupetur. *Gens hæc*, vt inquit Giraldus, *fortis & robusta, continuoque belli conflictu gens Cambrensibus inimicissima, gens lanificijs, gens mercimonijs vsitatissima quocunque labore siue periculo, terra marique lucrum quærere. Gens prævalida vicissim loco & tempore, nunc ad aratra, nunc ad arma gens promptissima. Et vt hoc addam, Gens Anglorum regibus deuotissima, Anglisque fidissima*, & quæ Giraldi tempore, Extispicinam ad miraculum vsque calluit, eorumque opus, vt gens est gnauiter industria, hîc conspicitur via Flandrica longo tractu perducta. Walli collatis sæpe in vnum omnibus viribus, dum hanc vetustæ eorum ditionis regionem repeterent, in hos Flandrenses irruerunt, effusisque populationibus eorum fines peragrarunt, paratissimo tamen animo illi fortunas, nomen, & salutem semper defensitârunt. Vnde de his & Gulielmo Rufo Malmesburiensis historicus. *Multoties Regi Gulielmo Rufo parua in Wallenses fortuna fuit, quod cuiuis mirum videatur, cùm ei alias semper alea bellorum fœlicissime arriserit. Sed ego intelligo pro soli inæqualitate, & cœli inclementia, sicut rebellionem eorum adiutam, ita eius virtutem impeditam. Porrò Rex Henricus excellentis ingenij vir qui modò regnat inuenit, quâ commenta illorum labefactaret arte, Flandricis in patria illorum collocatis, qui eis pro claustro sint, & eos perpetuo coerceant.* Et libro quinto. *Wallenses Rex Henricus semper in rebellionem surgentes crebris expeditionibus in deditionem premebat, consilioque salubri nixus, vt eorum tumorem extenuaret: Flandrenses omnes Angliæ accolas eò traduxit. Plures enim qui illo tempore pro matris paterna cognatione confluxerunt, occultabat Anglia, adeò, vt ipsi regno pro multitudine onerosi viderentur. Quapropter omnes cum substantijs & necessitudinibus apud* Ros *prouinciam Walliarum, velut in sentinam congessit, vt & regnum defæcaret, & hostium temeritatem retunderet.* Flandri in Wallia. Little England beyond Wales.

Ad duorum gladiorum Occidentaliorem situ admodum inæquali locum habet *Harford west*, Anglis olim *Hauerford*, Britannis *Hulphord* sua elegantia & frequentia inprimis celebre & quod *per se Comitatus* habet *Maiorem, Vicecomitem*, & duos *Balliuos*, pro Magistratibus. Clarenses Comites munitione & mœnibus ad Septentriones vallasse fama tenet, & nos legimus Clarensem Comitem Richardum, R. * Tancredi filium huic castro Castellanum præfecisse. Harford west. * Fitz-Tancred.

Post Rossiam, spatiosum grandi fronte in Oceanum Vergiuium longè procedit promontorium, OCTOPITARVM Ptolemæus dixit, Britanni *Pebidiauc*, & *Cantred Deui*, nos *S. Dauids land*. *Terra*, vt author est Giraldus, *saxosa, sterilis, & infœcunda, nec syluis vestita, nec fluminibus distincta, nec pratis ornata, ventis solùm & procellis semper exposita.* Virorum tamen sanctissimorum secessus, & altrix, Calphurnius enim presbyter Britannus, (vt aliqui nescio an verè scripserunt) hic in *valle Rosina* ex Concha coniuge Martini Turonensis sorore Patricium Hiberniæ Apostolum suscepit, & Deui Episcopus religiosissimus Archiepiscopalem sedem ab Isca Legionum in remotissimum huius angulum ad *Menew* siue Meneuiam transtulit, quam deinde ab illo Britanni *Tuy Dewy* .i. *Domus Deui*, Saxones Dauyo-Mynster, Angli hodie *S. Dauids* vocant, diuq; suos habuit Archiepiscopos. Sed cùm pestis hac in regione atrociter grassaretur, pallio in Britanniam Armoricam Dolam translato, desijt hæc dignitas. Superioribus tamen sæculis litem contra Archiepiscopum Cantuariensem Angliæ & Walliæ Metropolitanum hac de re intenderunt Wallenses, sed causa ceciderunt. Quæ & qualis hæc olim fuerit, cùm toties à piratis excisa sit, non facilè quis dixerit; nunc verò vrbecula est pertenuis, solumque prætendit templum speciosum S. Andreæ, & Dauidi sacrum: quod sæpius euersum, ea qua Octopitarum S. Dauids land. S. Patricius. S. Dauids.

nunc cernitur forma, Petrus, regnante Ioanne, Episcopus & successores erexerunt in *Valle*, vt vocant, *Rosina* sub opido; & iuxtà Palatium est Episcopi, ædesque perpulchræ Præcentoris (qui summus post Episcopum, nam Decanus hîc nullus) Cancellarij, Thesaurarij, & quatuor Archidiaconorum, qui sunt e Canonicis (quorum hîc sunt XXI.) quæ firmo & pulchro mœnium ambitu incinguntur.

Adeò verò in Occasum hoc se immittit promontorium, vt sudo cœlo Hiberniam ostendat, & hinc breuissimus sit in Hiberniam traiectus, quem Plinius à Silurum gente (Silures enim huc pertigisse existimauit) XXX. mill. pass. falsò mensurauit. Sed longiùs hanc terram procurrisse, formamque promontorij fuisse immutatam ex his Giraldi verbis intelligi potest. *Quo tempore in Hibernia egit Henricus Secundus ex nimia præter solitum procella vehementia sabulosis huius oræ littoribus, solo tenùs sabulo nudatis, longis operta retrò sæculis terræ facies apparuit. Arborum quoque in ipso mari stantium stipites vndique præcisarum, ictusque securium tanquam hesterni, terraque nigerrima, lignaque truncorum hebeno simillima, vt non littus iam, sed lucus esse videretur, mirandis rerum mutationibus, aut fortè à diluuij tempore, aut longè post, sed antiquitùs tamen, tam præcisus, quàm maris violentia semper excrescentis, & terram eluentis paulatìm absumptus & absorptus.* Nec magno diuisas hîc pelago terras Guilielmi Rufi verbum ostendit, qui cùm Hiberniam ex huius rupibus prospiceret, dixit (vt habet Giraldus) se facilè Angliæ nauibus pontem constraturum, quo ex Anglia in Hiberniam pedes mare transiret.

Arborum stipites in mari.

Falcones.

Falcones egregij, & generosi hîc in scopulis nidificant, quibus Henricus noster Secundus, vt author est Giraldus ille, primas deferre solebat. Ex illo enim sunt genere, si accolæ mihi non imponunt, quos *Peregrinos* rei accipitrariæ periti vocant, sunt etenim illis, vt non alijs verbis, quàm longè nobilissimi nostræ ætatis Poëtæ Augusti Thuani Esmerij ex aureo illo ΗΙΕΡΑΚΟΣΟΦΙΟΥ libro, versibus vtar.

Depressus capitis vertex, oblongaque toto
Corpore pennarum series, pallentia crura,
Et graciles digiti, ac sparsi, naresque rotunda.

Keimes Baronia.
Fisgard.
Newport.

Cæterùm ab hoc promontorio recedentes terras magno aquarum insultu *Keimes* Regiunculam mare diuerberat, quæ Baronia censetur. In hac primùm *Fisgard* à piscium captura Anglis dictum, Britannis *Aber-gwain*, id est, ostium fluminis *Gwain* asperæ rupi affixum, vbi satis commoda nauibus statio : inde *Nouus portus* ad *Neuern* fluuium Britannicè *Tref-draeth*, id est, *Opidum ad Sabulum* : quod Martinus de *Turonibus* construxit, eius posteri incorporârunt, priuilegijs ornarunt, præfeceruntq; *Portgreuium* & Balliuum & sibi castrum supra opidum statuerunt, quod primaria fuit ipsorum sedes. Qui etiam Monasterium S. Dogmaelis fundârunt ad *Tiuium* flumen in valle collibus circumcincta, cui Burgus adiacens (vt plura alia opida Monasterijs) debet originem. Hanc Baroniam Martinus de *Turonibus* primus à Cambris vi & armis extorsit, à cuius posteris qui *Martini* dicti per nuptias ad Barones de *Audley* deuenit, qui diu tenuerunt, donec regnante Henrico Octauo Guilielmus *Owen* qui genus deduxit à filia Nicholai *Martin* Militis ius suum longa liti persecutus, tandem obtinuit, filioque Georgio reliquit, qui venerandæ antiquitatis cultor eximius me docuit esse in hac Baronia præter tres Burgos *Newport* sc. *Fishgard*, & *S. Dogmaelis*, Feoda Militaria XX. & parœcias XXVI.

S. Dogmael.

Domini de Keimes. Martini.

Kilgarran.

Salmonum saltus.

Ad *Tiuium* quem dixi interiùs est *Kilgarran* quod castri à Giraldo conditi monstrat reliquias, sed hodie in vnam plateam redactam copiosissima Salmonum piscatura solummodò celebratur. Ibi enim celebris est *Saltus Salmonum* vbi fluuius ex alto præceps defluit, & Salmones interiora fluuij ex Oceano petentes, cum obstaculum hoc occurrit, caudam ad os replicant, interdum etiam ad maiorem saltus efficaciam caudam ipsam ore comprimunt, dumque à circulo huiusmodi se resoluunt, cum impetu quodam tanquam virgæ circulatæ explicatione, se ab imis ad alta cum intuentium admiratione transmittunt, vt scitissimè scripserit Ausonius.

Nec te puniceo rutilantem viscere Salma

Transierim

Transierim, latæ cuius vaga verbera caudæ
Gurgite de medio summas referuntur in vndas.

Penbrochiæ Comites è varijs familijs varij fuerunt. Arnulphum Montgomeriensem qui primus expugnauit, & posteà proscriptus fuerat, eiusque Castellanum Giraldum, quem posteà vniuersæ regioni præfecit Henricus Primus, Comites fuisse vix ausim affirmare. Stephanus Rex Gilberto *Strongbow* filio Gisleberti de *Clare* Penbrochiæ Comitis titulum primus contulit. Ille Richardo *Strongbow* filio Hiberniæ domitori reliquit, qui, vt inquit Giraldus, *e Clara Clarensium familia oriundus.* Huius vnica filia Isabella Guilielmum dictum *Marescallum* (eò quòd eius maiores fuissent hæreditarij Marescalli palatij Regij) maritum eodem adauxit, virum belli pacisque artibus florentissimum. De quo extat in Rudburni Annalibus hoc Epitaphium: Penbrochiæ Comites.

Sum quem Saturnum sibi sensit Hibernia, Solem
Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.

Filijque eius quinque sua serie Penbrochiæ Comites fuerunt, Guilielmus scilicet *Iunior* dictus, Richardus qui cum à Rege Henrico Tertio defecisset, in Hiberniam se contulit, vbi in prælio occubuit. Gilbertus qui in hastiludio ad *Ware* equo excussus perijt, Gualterus, & Anselmus. Quibus omnibus sine prole intra breue tempus sublatis, Comitatus huius gladio Henricus Tertius Guilielmum de *Valentia* è Lusigniana in Pictonibus familia fratrem sibi vterinum cinxit, qui vxorem habuit Ioannam filiam Gwarini de *Monte Canisio* siue *Mont-Chensy*, ex Guilielmi Marescalli filia natam. Guilielmo de *Valentia* successit filius Audomarus, qui sub Edwardo Primo erat Scotiæ Gubernator, cuius altera soror & cohæres Elizabetha Ioanni Domino *Hastings* enupta, in nouam familiam hunc honorem intulit. Laurentius enim *Hastings* eius è filio nepos qui *Abergeuenna* Dominus erat, Penbrochiæ Comes Regis Edwardi Tertij rescripto fuit confirmatus, quod subijcere libet vt videamus quod ius fuerit per fœminas in titulis honorarijs. *Rex omnibus ad quos &c. Salutem. Sciatis quod circumspectionis & elegantiæ præsagium, quod ex aptis consanguinei nostri charissimi Laurentij de* Hastings *iuuentutis auspicijs concepimus, meritò nos inducunt, vt ipsum in his quæ honoris sui debitam conseruationem respiciunt, pronis fauoribus prosequamur. Cùm itaque hæreditas bonæ memoriæ Audomari de Valentia Comitis Penbrochiæ (vt dicitur) iampridem sine hærede de corpore suo procreato decedentis, ad sorores suas fuerit deuoluta, inter ipsas & earum hæredes proportionabiliter diuidenda, quia constat nobis quòd præfatus Laurentius qui dicto Audomari in partem hæreditatis succedit, est ex ipsius Audomari sorore seniori descendens, & sic peritorum assertione, quos super hoc consulimus, sibi debeatur prærogatiua nominis & honoris, iustum & debitum reputamus vt idem Laurentius ex seniori sorore caussam habens, assumat & habeat nomen Comitis Penbrochiæ, quod dictus Audomarus habuit dum viuebat: quod quidem (quantum in nobis est) sibi confirmamus, ratificamus, & etiam approbamus: volentes & concedentes vt dictus Laurentius prærogatiuam & honorem Comitis Palatini in terris quas tenet de hæreditate dicti Audomari adeò plenè & eodem modo habeat & teneat sicut idem Audomarus illas habuit & tenuit tempore quo decessit. In cuius, &c. Teste Rege apud Montem Martini* XIII. *die Octobris, Anno Regni decimo tertio.* Successit filius Ioannes qui ab Hispanis prælio nauali captus, & demùm redemptus in Gallia MCCCLXXV. obijt. Hunc sequutus est Ioannes filius eius qui in hastiludio Woodstochiæ anno MCCCXCI. interfectus; obseruatumque est nescio quo fato per quinque generationes in hac familia patrem nunquam filium vidisse. Cùm illi defecisset proles, plurimi & opimi reditus in Regis manus (vt Iurisconsulti nostri loquuntur) deuenerunt, Castrumque Penbrochiæ Francisco *Att Court* aulico gratioso fuit concessum qui inde vulgò *Penbrochiæ Dominus* appellatus. Nec longo post tempore Ioannes Dux Bedfordiæ, & post illum Humfredus Dux Glocestriæ, eius frater, Regis Henrici Quarti filij eundem titulum sunt consequuti. Deinde Guilielmus *De la Pole* factus est Penbrochiæ Marchio, eoque sublato Henricus Sextus fratrem suum vterinum Gasparem de *Hatfield*

Penbrochiæ Comitem creauit, cui omnibus honoribus exuto Edwardus Quartus successorem dedit Guilielmum *Herbert*, qui in prælio ad *Banbury* occubuit. Illi eodem nomine demum successit filius quem Edwardus Quartus cùm denuò regnum recuperasset, Huntingdoniæ Comitem creauit, & Penbrochiæ titulum filiolo suo primogenito Edwardo Walliæ Principi detulit. Satis longo post tempore Henricus Octauus Annam *Bolleniam* quam sibi desponderat, Penbrochiæ Marchionissam dixit. Demum memoria nostra Edwardus Sextus Guilielmum *Herbert* Dominum de *Caerdiffe* eodem honore ornauit. Illi successit Henricus eius filius qui Walliæ sub Elizabetha Regina Præses fuit, & nunc Henrici filius Guilielmus egregijs corporis & animi dotibus ornatissimus eodem honore lætatur. Hæc autem *Herbertorum* familia in his Walliæ partibus longè est amplissima, & antiqua sanè. Originem enim repetit ab Henrico *Filio-Herberti* qui Regis Henrici Primi fuit Camerarius, & in vxorem accepit Regis eius amasiam, matrem Reginaldi Comitis Cornwalliæ, vt mihi author est Robertus Glouerus in studio Genealogico longè perspicacissimus, cuius immatura morte Genealogica antiquitas iacturam fecit longè grauissimam.

Herbertorum familia.




Habentur in hoc Comitatu parœcia 145.

CARDIGAN-

CARDIGAN comitatus pars olim DIMETARUM








MERIONETH PARS
Machenlleth
MONTGO: PARS
Plinillimon hill
Sabrina flu:
Clettur flu:
Lery flu:
Rydal flu:
Combeystoyth
Wy flu:
Spittye kinwyn
Istwydh flu:
Ridel flu:
Llanayhangle yerothen
Lanaucn
RADNOR PARS
Clarwen fluvius
Ystradmyrik
Rossfaire
Llyn tyuy
Llyn legnant
Istradflect
Llyn geuen
Blayupennill chaple
Llanbadern odyn
Llanaytho
Llyn verwyn
BRECKNOC PARS
Tregaron
Kilkennyn
Trewilan
Capel bettus lekye
Capel Garthelye
Llanthewy brewye
Rescobe forest
Capel gylyn
Istrodefyne
Istrad
Sylian
the forest
Mathern flu:
Llanbeder
Pencarok
Llanumbether
Capel Llanpymsent
CAR MAR DEN PARS
Scala
Miliarium
Christophorus Saxton Descripsit
Wilhelmus Kip Sculpsit
Llansawel
Abergorlech
Capelpencader

CARDIGAN-SHIRE.

Cardigan-shire.



B OCTOPITARO, siue S. Dauidis promontorio retroacta obliquè in Ortum littora vasto & lunato sinu mare admittunt, cui tertia Dimetarum regio incumbit, quæ Anglis *Cardiganshire* appellatur, Britannis *Sire Aber-tiui*, vetustis scriptoribus *Ceretica*, à Caratacο Rege, si quis existimet, è suo sensu, non antiquorum authoritate hęc eius deprompta videatur coniectura: & tamen celeberrimum illum Caratacum hîc rerum potitum fuisse legimus. Campestris est hæc regio ad Occasum quà mare prospicit, vti ad Meridiem, quà Tiuius flu. Maridunenses secludit: ab Ortu autem & Aquilone, quà Brechinienses & Montgomerienses spectat, continui montes pabulo fœcundi perpetua latera trahunt, sub quibus passim diffunduntur lacus. Non vrbibus, sed tuguriolis, hanc olim, vt reliqua Wallia, fuisse distinctam ex illo principis sui Carataci dicto colligatur, qui cum Romæ splendorem & amplitudinem captiuus perlustrasset, Itane, inquit, cum hæc & huiusmodi habeatis, nostra tuguriola concupiscitis? Quæ sunt tamen vetustioris notæ paucis percurramus.

Caratacus Rex. Zonaras.

Tuerobius fl. Tiuius flu. Ptolemæo TVEROBIVS, corruptè pro *Dwr Tiuius*, id est, *Tiuius* flu. e lacu *Lin-Tiuy*, sub montibus, quos dixi, primùm saxis impeditus, & fremens sine alueo deuoluitur, per lapidosum admodum tractum, iuxta quem ad *Ross* nundinæ pecuariæ montanorum frequentissimæ celebrantur, donec *Stratfleur* cœnobium iampridem Cluniacensium montibus circundatum accesserit. Inde alueo recepto per *Tregaron*, & *Landeui breui*, in Dauidis Meneuensis Episcopi memoriam constructum, & nominatum defluit, vbi ille frequenti Synodo Pelagianam hæresim in Britannia renascentem, & sacris Scripturis, & miraculo labefactauit, excrescente, vt ferunt, sub eo in tumulum terra, qua ille concionatus. Huc vsque, & etiam vlteriùs in Meridiem se agit Tiuius ad *Lan Beder* mercatorium opidulum. Hinc conuerso in Occasum cursu *Tiuius* latior fertur, propeque *Kilgarran*, lapsus ruit ex alto præceps, & *Salmonis saltum* facit de quo modò dixi. Salmonibus enim est feracissimus olimque solus Britannicorum fluuiorum, vt credidit Giraldus Cambrensis, Castores habuit. Animal hoc est amphibium pedibus prioribus caninis, posterioribus anserinis, pelle cinerea subnigra, cauda oblonga, lata, & cartilaginea, qua fluitans gubernaculi vice vtitur. De quorum solertia multa obseruauit Giraldus ille, sed hodie hîc comparent planè nulli.

Ross. Stratfleur. Kilgarran. Salmonis saltus. Castores Beuers.

Cardigan. Vix duobus hinc milliaribus *Cardigan* abest, Britanni *Aber-Tiuy*, id est, *Tiuÿ ostium* nominant, præcipuum huius regionis opidum à Gilberto filio Richardi Clarensis munitionibus firmatum, quod postea proditione deditum diruit Rhesus filius Griffini, capto Castellano Roberto *Fitz-Stephens*, *Stephanidem* nonnulli vocant, qui (cum diu precariò animam inter infensos Wallos traxisset, demùm ea lege liberatus, vt possessionibus in Wallia renunciaret) primus è Normannico genere Hiberniam auspicatò cum exigua militum manu intrauit, & Anglis aditum sua virtute aperuit.

Fitz-Stephens

Stuccia fl. Istwith. A *Tiuÿ* ostio molliter recedit littus plurimis riuulis peruium, inter quos, superiori agri parte memorandus est, quem Ptolemæus memorat, STVCCIA, cuius nomen etiam hodie integrum in ore vulgi versatur, *Y-stwith* scilicet; qui ad fontes plumbi habet venas, & ad ostium *Aber-y-stwith* opidum totius conuentus copiosissimum, quod Gilbertus etiam ille Clarensis muris armauit, & Gualterus *Bec* Anglus diu contra Wallos tutatus fuit. Huic adiacet *Lhan Badern vaur* .i. *Fanum Paterni magni*, qui ex Armorica oriundus *Ceretícorum* (vt habet eius vita) *ecclesiam & pascendo rexit, & regendo pauit.* Cuius memoriæ templum sedemque Episcopalem hîc consecrauit posteritas. Verùm Episcopatus, vt scribit Rogerus Houeden, quia *Parochiani pastorem suum interfecerant, olim obsoleuit.*

Ridol fl. Eodem quoque ostio in Oceanum etiam se eijcit *Ridol* fluuius, è *Plinlimon* monte præruptè altissimo descendens, qui Aquilonarem agri partem claudit, & è suo gremio *Sabrinam* & *Vagam* nobilissima, quæ dixi flumina, effundit. Nec multum supra Stucciæ ostium *Deui* fluuius qui inter hanc & *Merionith* regionis limitis vice fungitur, in mare se condit.

Vix

Vix confirmassent suum in Britannia imperium Normanni, cùm statim hanc oram classe tentârint, & fœliciter quidem res successit. Maritima enim paulatim, regnante Guilielmo Ruso, Wallis extorserunt, sed maximam eius partem concesserunt Cadugano filio Blethini, Britanno prudentissimo, cuius gratia plurimùm in vniuersa Wallia poterat, & quo amicissimo vtebantur Angli. Sed cùm eius filius Oënus iuuenis amentia præceps, pacis odio Anglos, & aduenas Flandros assiduis excursionibus infestaret, infœlix pater patrimonio mulctatus, filij commissa luit, qui & ipse solum vertere coactus, in Hiberniam se subduxit. *Cereticam* verò Rex Henricus Primus Gilberto Clarensi donauit qui præsidia disposuit, & castella muniuit. Sed Caduganus cum Oëno filio in gratiam postea ab Anglis receptus, quæ sui erant patrimonij etiam recepit. Oënus verò ad ingenium reuersus, iterumque res nouas molitus, à Giraldo Penbrochiensi, cuius vxorem Nestam rapuerat, occiditur. Pater autem in Angliam abductus mitiores fortunæ vices diu expectauit, tandemque suis senex redditus, à Madoco nepote ex improuiso transfoditur. Rogerus de *Clare* posteà *Ceretica*m Henrici II. munificentiâ accepit, sed Richardo Comite de *Clare*, eius, ni fallor, filio, à Wallis, dum terrestri itinere huc contendit, interempto, Rhesus Suthwalliæ Princeps, Anglis magna strage profligatis, victore exercitu sui demum iuris fecit: nihilominus in Anglorum potestatem sine cruore sensim denuo recidit. Domini Ceretica.

Ecclesiæ parochiales in hoc sunt 64.



ORDEVICES.




Silurum, & Dimetarum, quas hactenus peragrauimus regiones, posteritas cum tribus Principibus pareret Wallia, sua lingua Deheu-barth, .i. dextram partem, Angli South-Wales (vt dictum est) vocauerunt. Reliquos duos principatus (quos illi Guineth & Powis, nos North-Wales & Powisland dicimus) insederunt olim ORDOVICES, qui & ORDEVICES, ORDOVICAE, & alicubi, sed corruptißimè, Ordolucæ. Gens valida & animosa, vtpote quæ montibus inhæret, & solo animatur suo, quæque diutißimè cùm Romani, tùm Anglici imperij immunis agitauit: nec ante Domitiani tempora à Romanis deuicta: tunc enim Iulius Agricola vniuersam prope gentem debellauit, nec ante Edwardi Primi tempora ab Anglis in Prouinciam redacta. Libertate enim diu luxuriarunt, sua fortitudine, locorumque difficultate freti, quæ insidijs & protrahendo bello quodammodo nata videantur. Ordouices.

Horum fines determinare non adeò difficile, nominis autem veram rationem reddere quàm difficillimum existimo. Opinionem tamen concepi, cùm supra duo flumina Deui, quæ vicinis fontibus orta in diuersa feruntur, consederint, & Oar-deui supra Deui flumina lingua Britannica significet, inde illos Ordeuices dictos fuisse, perinde ac Aruerni, quòd supra Garumnam, Armorici quod super mare, Horesci quod supra Escam flu. habitârint, fuerint denominati. Nec sine vestigijs intercidit Ordeuicum in hoc tractu nomen, magna enim eius pars, quæ mari adiacet, Ardudwy etiamnum incolis vocitatur, ex quo Ordouic, & Ordeuices molliori sono conflasse videantur Romani. Sed vno vniuersa regio recentiori nomine Latinis (præter vnam regiunculam) Guinethia & Venedotia, Britannis Guineth nuncupatur, a Venetis Armoricæ, qui, vt habet Cæsar, in Britanniam creberrimè nauigare soliti, vt quidam suspicantur. Sin fas mihi sit vnicam literulam immutare, arbitrarer hoc nomen Græcis, & Pausaniæ innotuisse, qui in Arcadicis prodit Antoninum Pium malè mulctâsse Brigantes nostros, eò quòd GENOVNIAM Romanorum in Britannia prouincinam incursassent. Certè si Genouthiam pro Genounia legere fas fuerit, ita illa voce ad Guinethiam accedit, & Guinethia hæc situ adeò Brigantibus contermina iacet, vt nisi hanc regionem intellexerit Pausanias, quænam illa fuerit Sibylla ipsa viderit. Cæterùm ad Ordouices spectarunt regiones illæ, quæ nunc Anglicè nouis nominibus, Montgomery-shire, Merioneth-shire, Caernaruon-shire, Denbigh-shire, & Flintshire appellantur. Veneti. Guineth. Genounia.

MONGOMERY
Comitatus qui
olim pars
ORDOVICUM.

SEP
Bala
Llyn Tegit
MERI:
Pennant me langil
Tanot flu:
ONETH
Vurn way flu:
Llanuin mothwye
Donye flu:
Vurnue
PARS
Caddorydric hill
Clowedok flu:
Turgh flu:
Dynas mothue
Garthpibe
Maynlloyd
Vurnuey
Angel flu:
Tallyllyn
OCCIDENS
Remis
Kerig flu:
Mathauern
Tonyn myn flu:
Llanworing
Dorowen
Llanbrin maure
Talgarth chap:
Pennalt
Penegos
Gwedall flu:
Machenllet
Dulas flu:
Moyluodian hill
Bache flu
Lleuenant flu:
Llynglas llyn
Dungum flu:
Llyn begelyn
Plymllymon hill
Lloyd flu:
Llangunuellyn
Biga flu:
Sabrina flu:
Rydall flu:
CARDIGAN
Brughan flu:
Ys flu:
Llangerik
PARS
Dornol flu




SEPTENTRIO
DENBIGH
PARS
SALOPIÆ
Llanarmon
Place ycha
Llangedwyn
Abertanat
Llanfanfraid
Llanughon
Hyrnant
Llanuilling
Llanumledwall
Llanuinmothuaye
Meluerley
Sabrina flu:
Llandrenio
Brethenhill
Abberbury
Willeston
Willeston hall
Myuot
Llanyhangel
Lloydyerd
Kegiduay
Heldray
Cause cast:
Walop
Mathraual hall
Maismaure
Welshe poole
Buttinton
chap:
Worthen
Leding flu
Gogh cast
Llangunnewe
Llanyruil
Llanuaier inkrenum
Engerrimon cast:
Leghton
Treuleston
Shelue
Mannauen
Caps forden
Agaire
Hyssynton
Llanllugan
Berrewe
Chirburye
Llanweddlan
Sabrina flu:
Llandissel
Treouunon
Bettus
Beckan flu:
Cregynog hall
Churchstok
Snyd
MONTGOMERY
Dolesorern cast:
Llyddiun
Llanwenog
Hawes flu
Llanllobairne
Llanmerewig
Myddleton hall
Aberhawes
Newtowne
Bisshopes castle
Caersuse cast
Penstrawed
Kery
PARS
Moghere
Whit hall
Landynan
Dulas flu:
Lanidios
Llandbaderi ucnyth
Llynbarre
RADNOR
PARS
Sct. Harmon
Scala
Milliarium
1 2 3 4 5
Christophorus Saxton descripsit
Wilhelmus Kip sculpsit.

MONTGOMERY-SHIRE.



Ontgomeryshire, Britannicè *Sire Tre-Faldwin*, à primario opido ad medium Solem *Ceretica* & *Radnoria*, ad Orientem *Salopia*, ad Boream *Denbighia*, & ad Occasum *Merionithia* circumscripta, licèt montibus plurimùm emineat, conuallibus tamen grata fœcunditate, cùm pascuis, tùm aruis vtique fœlix est regio, laudatissimorumque equorum fœcunda olim genetrix, *qui*, vt habet Giraldus, *nobilem picturæ formam protrahente natura, tùm membrosa sua maiestate, quàm incomparabili velocitate valde commendabiles fuerunt.*

Equi laudatissimi.

In extremo huius agri ad Occasum, vbi quasi in conum desinit, *Machleneth* sedet, forsitan Romanis MAGLONA, in qua sub duce Britanniarum præsidium egit Honorij Augusti tempore Præfectus Numeri Solensium ad montanos cohibendos, & ad secundum hinc milliare iuxta *Penall* ostenditur locus *Keuen Caer*, id est, *Dorsum vrbis* dictus, vbi Romanorum numismata subinde effodiuntur, & orbicularis mœnium forma non paruo ambitu cernitur.

Machleneth. Maglona.

Quinque hinc mille passus *Plinlimon* mons, quem dixi, in eximiam exurgit altitudinem, & ea parte, qua huius agri latus claudit, SABRINAM secundum à Tamisi Britanniæ flumen effundit. *Haffren* Britanni, *Seuerne* Angli indigitant. Quæ nominis origo non legerim, fabellæ affine videtur quod de Sabrina virgine in eo demersa commentus est Galfridus, & Poeta nuperus qui illum sequutus cecinit:

Plinlimon. Sabrinæ fons. Seuerne.

In flumen præcipitatur Abren,
Nomen Abren fluuio de virgine, nomen eidem
Nomine corrupto, deinde Sabrina datur.

Hic statìm à fonte ita crebris incuruus flexibus agitur, vt sæpe reuerti credatur, procurrit tamen, seu potius lentus peruagatur hunc agrum, Salopiensem, Wigorniensem, & postremò Glocestrensem, vitalemque humorem glebæ vbique suppeditans in Sabrinianum fretum se tandem placidè exonerat. Hoc verò agro syluis obumbratus per *Lanidlos*, *Trenewith* nunc *Newtowne* & *Caer-fuse* quod & antiquum, & antiquis priuilegijs firmatum prædicant, in Boream eluctatur, & non procul ab Orientali ripa relinquit *Montgomery* primarium conuentus opidum, surgenti saxo, cui amœna planities subiacet, à Baldwino limitis Wallici præfecto, regnante Guilielmo Primo constructum, vnde *Tre-Faldwin*, id est, *Baldwini opidum* Britannis vocatur. Sed Angli à Rogero *Montgomerico* Salopiæ Comite, cuius patrimonij erat, *Montgomery*, & *Montem Gomericum* dixerunt, qui, vt est in libro Angliæ Censuali, castrum construxit: veruntamen cùm Henricus Tertius hoc è cineribus excitaret, (subuerterant enim VValli anno Salutis CIↃXCV. interfectis præsidiarijs, iacuitque permultos annos) illum à loci situ *Montem Gomericum* nominâsse fabulatur Florilegus. Certum autem est Henricum illum Tertium per diploma concessisse vt *Burgus de Montgomery sit liber Burgus cum alijs libertatibus.*

Newtowne. Caer-fuse. *Montgomery.* *Trefaldwin.*

Iuxta hoc *Corndon* collis in cacumen satis excelsum adsurgit, in cuius summitate * saxa quædam in coronam, vnde nomen habet, in alicuius victoriæ vt videtur memoriam, collocantur. Superiùs Sabrina *Trellin* allabitur, id est *Opidum ad lacum*, vnde *Welch poole* Anglis nuncupatur, castrum ab Austro adiunctum habet à subrufo saxo quo construitur *Castle Coch* appellatum, quod vno mœnium ambitu duo castella complectitur, alterum Domini Powisiæ erat, Baronis *Dudley* alterum. Caduganus filius Blethini celebratissimus, quem dixi, Britannus, dum huius constructioni intenderet, à nepote Madoco (vt est in Lancarbanensis epitome) fuit interfectus. Huic è regione altera fluminis ripa obijcitur *Buttington* Danorum Hybernis notum, è quo Adheredus Merciorum Comes illos anno Christi DCCCXCIIII. exturbâsse author est Marianus. His relictis in Ortum paulatìm se flectit Sabrina, vt *Tanet* fluuiolum citius excipiat, quo consociato, Salopienses adit.

Anno 21. *Corndon hill.* * *Marsfeld* vulgò vocant. *Welchpoole.* Red-Castle.

Hoc in agro Ordeuicum MEDIOLANVM fuisse, quod & Antoninus, & Ptolemæus celebrant,

celebrant, est mihi persuasissimum, quia verissimum videtur. Cuius vestigia sagaciter odoratus sum, sed indagine parùm fœlici, ita vrbium etiam cadauera absumit ætas. E situ tamen si coniecturæ sit locus, cum compertissima sunt opida, quæ vtrinque ponit Antoninus, scilicet hinc BONIVM, nunc *Bangor* ad Deuam, inde RVTVNIVM, nunc *Rowton Castle*, ab hoc enim XII. ab illo XX. Italicis milliaribus separat; Positionum, si ita dicere liceat, vel potius distantiæ lineæ se mutuò inter *Matrafal*, & *Lan-Vethlin*, quæ vix tribus distant mill. pass. intersecant, & quasi ἀποδεικτικῶς Mediolani nostri situm demonstrant. Hæc enim ratio eliciendi tertij loci situm è duobus cognitis incerta esse non potest, cùm neque montes interiaceant, nec itinerum flexus sit impeditus, *Matrafal* hæc, quæ quinis a Sabrina ad Occasum abest milliaribus, & quod vetustati ex parte suffragetur, licèt nunc nudum sit nomen, Principum Powisię Regia sedes erat, & ea quidem à scriptoribus celebrata, qui memorant in ea à principibus iam relicta, Robertum de *Veteri ponte*, siue *Vipont* Anglum castrum condidisse. *Lan-uethlin* verò, id est fanum *Vethlin*, opidulum mercatorium, etsi à linearum intersectione sit paulò remotius, nominis tamen cognatione, cùm Mediolano multo est coniunctius, *Vethlin* enim ex *Methlin* linguæ Britannicæ Idiotismo factum est, vt *Caer Verden*, ex *Caer Merden*, *Aruon* ex *Ar-mon*. Nec *Methlin* magis à Mediolano abludit, & dissonat, quàm vel *Millano* in Italia, *le Million* in Xanctonibus, vel *Methlen* in Belgis, quæ omnes vrbes Mediolani nomine olim insignes fuisse nemo dubitat. Quæ verò coniectura ad veritatem sit propensior tuum erit dijudicare, mihi satis est coniectare. Si hoc nostrum Mediolanum, & illas eiusdem cognominis in Gallia vrbes, vel Medum Ducem, vel Olanum principem construxisse, aut dum construerentur, suem mediatim lanatam effossam dixerim, nonne nubes & nugas captare viderer? & hæc singula tamen de suo Mediolano scriptitant Itali. Sed cùm hæc ab eiusdem linguæ populis constructa fuisse sit certo certius: (Gallis & Britannis communem linguam fuisse docuimus) eandem ob causam eandem habuisse denominationem satis probabile. In nullo tamen quod sciam Mediolanum nostrum cum illa Italiæ conuenit, nisi quòd planitie inter riuulos intersideat vtraque, Italusque non indoctus ex eo Mediolani sui nomen duxit quòd sit vrbs media inter *Lanas*, id est, inter fluuiolos vt interpretatur ille.

Matrafal.

Lan uethlin.

Suo nomine, titulo, & honore hic ager Comitem insigniuit nullum, donec nuperrimè Anno CIↃDCV. Rex Iacobus Philippum *Herbert* filium natu minorem Henrici Comitis Penbrochiæ ex Maria *Sidneia*, pro singulari & propensa in illum voluntate, & spe quam de illius virtutibus concepit maxima, vno eodemq; tempore Baronem *Herbert de Shurland*, & *Montis Gomerici* Comitem apud Greenwicum creauit.

Comes Montis-gomerici.

Powisiæ autem Principes à tertio filio Rotherici Magni prognati hunc agrum cum alijs (licèt Rogerus & Hugo Montgomerienses partem nonnullam abrasissent) perpetua serie ad Edwardi Secundi tempora tenuerunt. Tunc enim Oënus filius Gruffini *ap Guenwinwyn* è Britannico sanguine vltimus Powisiæ Dominus (Principis enim nomen iampridem exoleuerat) Hawisiam vnicam filiam reliquit, quam Ioannes *Charleton* Anglus Regis *Valectus* duxit, & vxorio iure Dominus Powisiæ ab Edwardo II. factus erat, qui (vt plurimis locis vidimus) Leonem rubrum insurgentem aureo in clypeo gerebat. Huius posteri masculi quatuor hoc honore clauerunt, donec in Edwardo mascula successio abolita fuisset. Ille enim ex Æleonora Thomæ *Holand* Comitis Cantij filia, & vna hæredum suscepit Ianam vxorem Ioannis *Grey* Equitis, & Iocosam coniugem Io. Domini *Tiptoft*, vnde Barones *Dudley* & alij genus duxerunt. Ioannes ille *Grey* militari virtute, & beneficio R. Henrici Quinti Comitatum *Tanqueruilla* in Normannia accepit *habendum sibi & hæredibus masculis reddendo vnum Bassinet ad castrum Rothomagi, in festo S. Georgij singulis annis*. Huic natus erat Henricus Dominus Powisiæ in cuius prosapia Powisiæ titulus ad Edwardum *Grey* qui nostro fere tempore sine sobole legitima diem obijt supremum, cum honore permansit.

Principes Powisiæ.

Powisiæ Dominum.

Dauid Powel

Dupli. Norm. 6. Henr. 5.

Tanqueruillæ Comes.

Parochiales Ecclesias ostendit 47.

Eeee



CARNARVEN
PARS
Therion
Bethkelert
Festeniog
Llyn Conwy
Lyn trowerryn
Llanwrothe
Marntorog
Penmoruay
Llyn teckorn
Trawssfynydh
Llynwycombe
Harlech
Llanumer
Llanbeder
Llanenthowin
Corigeddal
Llanaber
Benrose wood
Nanna
Kemmer ab:
Gwennas
Dolgelhe
Cadddrydric hill
Barmouth
MARE
HIBER
NICVM
Sarnabugh point
Talyllyn
Llanyhangel apennant
Castle thekory
Llanegryn
Pennal
Machenllet
Towen merioneth
Aberdouye
Llangunuellyn
CARDIGAN PAR


MERIONITH
Comitatus olim
ORDOVICVM
Chr Saxton describ
Scala Miliarium
1 2 3 4 5
PARS
Bala
Llanuilling
Dee flu
Llangar
Corwen
Dolo
Llanuthin
Tanot flu
Pennant melangil
Llangunog
Llynglassyn
Lloid flu
Biga flu
Dorowen
Llanbrin mour
Remis

MERIONETH-SHIRE.



Montgomerici Comitatus tergo *Merioneth shire*, Britannicè *Sir Vertoneth*, Latinè *Meruinia*, Giraldo *Terra filiorum Canani*, ad sinum vsque lunatum quem dixi, & Oceanum pertingit, quo ab Occasu ita pulsatur, vt nonnullam eius partem abripuisse credatur. Ad Meridiem *Douy* flumine à *Ceretica* per aliquot milliaria dirimitur, ad Septentriones *Caernaruoniam*, & *Denbighiam* attingit. Ipsa verò inter montium conglomerationes *omnium totius Wallia terrarum* (vt inquit Giraldus) *hispida magis & horribilis. Habet enim montes altissimos, arctos tamen & in modum acus acutissimos, nec raros quidem, sed creberrimos, & tanta aequalitate consertos, vt in summis eorum verticibus pastores confabulantes, vel conuitiantes, si concurrere fortè statuerint à mane ad vesperum vix conuenirent.* Numerosi ouium greges in his montibus errant, nec vllum est à lupis periculum, qui tunc per vniuersam Angliam deleti creduntur, cùm Eadgarus Rex Luduallo harum regionum principi tricenos lupos in singulos annos vectigalis nomine imperaret. Quando enim (vt Malmesburiensis habet) *tribus annis hoc praestitisset, quarto destitit, nullum se vlterius inuenire professus.* Longo tamen pòst tempore nonnullos superfuisse ex testimonijs omni exceptione maioribus certò constat.

Montes admodum aediti.

Lupi in Anglia extincti.

Vide Derbyshire pag. 420. & York shire.

Incolae qui rei pecuariae omnino sunt attenti, & lacticinijs vescuntur, Butyro videlicet, caseo, &c. (quamuis Strabo Britannos nostros quasi casei conficiendi ignaros olim irriserit) statura, colore nitido, habitu visendo, & corporis lineamentis vix alteri in Britannia genti concedunt, sed ob praeproperam Venerem, & otia malè apud vicinos audiunt. Opida habet rara, ad Ortum quà *Douy* labitur, *Mouthwy Commotus* est notissimus, qui Willielmo aliàs Wilcock *de Mouthwy*, filio Gruffithi *Ap Gwenwynwin* Domini Powisiae iuniori pro haereditaria portione obtigit, per eius autem e filio neptim ad Hugonem *Burgh*, & per eius itidem neptes ad claras familias de *Newport*, *Leighton*, *Lingein* & *Mitton*.

Mouthwy.

Qua *Auon* flumen magis ad Occasum defluit, *Dolegethle* est viculus mercatorius à valle in qua conditur, sic dictus. Proximè mare in regiuncula *Ardudwy*, *Arlech* olim *Caer Colun* abruptissima rupe castrum in mare praetendit, quod ab Edwardo Primo (vt ferunt incolae) extructum, à situ nomen accepit. *Arlech* enim super saxum Britannis denotat. Sunt tamen qui *Harlech* vocant, & *Pulchram rupem* interpretantur. Cùm domestico bello Anglia conuulsa esset, *Dauid Ap Ienkin Ap Enion* Britannus nobilis, qui à Lancastrensi familia steterit, pertinaciter contra Edwardum Quartum defendit, donec Guilielmus *Herbert* Penbrochiae Comes per medias Walliae Alpes difficilimo itinere perrumpens, valido fragore in castra ita detonuerit, vt deditione receperit. Incredibile fere est quantas viae impeditissimae difficultates ille eluctatus est, cùm hic ascendendo repere, illic descendendo se cum suis quasi prouoluere cogeretur. Vnde *Le Herbert*, via illa vicinis hodie vocatur. Superius in ipso agrorum confinio aestuaria inrepunt duo celeberrima, *Traith maur*, & *Traith bochan*, id est, *Aestuarium maius & minus.*

Dolegethle.

Herberti via.

Nec procul hinc iuxta *Fastineog* viculum via publica, siue militaris, quae saxis constrata per montes hos praepeditos, & quodammodo inuios ducit. Quam cùm Britanni *Sarn Helen*, id est, *Helenae strata*, nominant, Helenam Constantini matrem, cuius multa, & egregia erant per Romanum imperium opera, constrauisse par est vt existimemus. Nec procul abest *Caer-Gai*, id est, *Castrum Caij* à Caio Romano aliquo extructum, de quo magna & mira vulgus vicinum praedicat.

Fastineog.

Via Helenae.

In Orientali agri parte *Deua* flumen è duobus fontibus exortum (vnde nomen gestare credunt, *Dwy* enim illi vocant, quo nomine & binarium numerum denotant, licèt alij à diuinitate, alij à nigro colore dictum contendant) & statim *Lhin-tegid*, Anglis *Pimble-meare*, & *Plenlin-meare* lacum longè latèque diffusum integer transmeat, & exit tantus, quantus venit. Nec enim *Guiniad* peculiares lacui pisces in *Deua* videas, nec Salmones in lacu, qui tamen in flumine passim capiuntur. Sed vide si placet lacum illum Poetae Antiquarij versibus accuratè depictum.

Deuae fontes.

Pimblemeare.

Guiniad pisces.

Hispida

Hiſpida quà tellus Meruinia reſpicit Eurum,
Eſt locus antiquo Penlinum nomine dictus,
Hic lacus illimeis in valle Tegeius alta
Latè expandit aquas, & vaſtum conficit orbem.
Excipiens gremio latices, qui fonte perenni
Vicinis recidunt de montibus, atque ſonoris
Illecebris captas demulcent ſuaniter aures:
Illud habet certè lacus admirabile dictu
Quantumuis magna pluuia non æſtuat: atqui
Aere turbato, ſi ventus murmura tollat,
Excreſcit ſubitò rapidis violentior vndis,
Et tumido ſuperat contemptas flumine ripas.

Huius ſupercilio inſidet *Bala* opidulum immunitatibus dotatum, ſed raris incolis, ædificijſque incultiſſimis, nihilominus præcipuum forum montanorum. Bala.

Hugo Comes Ceſtrenſis primus Normannorum hanc regionem diſpoſitis præſidijs occupauit, cùm Gruffinum filium Conani captiuum teneret, ſed poſteà ille hanc cum reliquo principatu recuperauit, poſteriſque reliquit, donec fatali periodo confecta, in Leolino deſijt.


Eccleſias numerat 37.



MARE
HIBERNI:
CUM
SIUE VERGI:
VIUM
INSV:
PARS
SEGONTIUM
Pullhely
LANGANUM promontorium
ADROS INSVLA


FLYNT
PARS
DENBIGH
PARS
MERIONETH
PARS
Harlech
CAERNARVŌ
Comitatus pars olim
ORDOVICVM

CAERNARVON-SHIRE.



Upra *Merionithiam* iacet, quæ Britannis *Sir Caer-ar-von*, Anglisq; *Caernaruon-shire*, ab opido præcipuo, & priusquam Wallia in Comitatus describeretur *Snowden Forrest*; historicis Latinis *Snaudonia*, ab illo saltu, & *Aruonia*, quòd Monam è regione oppositam habet. Latus Septentrionale & Occiduum mari obiacet, Australe claudit Merionithia, & Orientale Denbighiensis ager *Conouio* flu. interlabente. Quà mare prospicit, potissimum quà promontorio longiùs in Occasum Hibernum euehitur, incurua littora contra OCTOPITARVM siue *S. Dauids land* obtendit, gleba est satis fertili, & opidulis redimita.

Conway fl.

Snowdon hils.

Interiora autem Natura longè lateque montibus, quasi hic compages huius Insulæ visceribus terræ densaret, confertìm extulit, receptaculumque Britannis tutissimum ingruente bello fecit, tot enim aspreta, rupesque, tot conualles saltuosæ, stagnisque impeditæ interiectæ sunt, vt non modò exercitus, sed ne expediti quidem calles inueniant. Alpes, si placet, Britannicas meritò hos montes appelles, nam præterquam quòd totius Insulæ maximi sunt, etiam incisis vndique rupibus, non minùs quàm Alpes, præcipites, omnesque vnum ambiunt, qui in medio vaste supereminens, ita caput effert, vt non cœlo minari, sed inserere iuga videatur; quæ tamen niuibus sunt fida, toto enim anno, niue, seu potius niuium senio canescunt. Vnde vno nomine omnes Britannis *Craig Eriry*, Anglis *Snowdon*, id est, vtraque lingua, *Niuiferi montes* vocantur: vti etiam *Niphates* Armeniæ, & *Imaus* Scythiæ à niue nomen (testante Plinio) assumpserunt. Nihilominus adeò sunt pabulosi, vt tritissimum sit inter VVallos, *Eriry* montes omnibus Walliæ armentis in vnum coactis sufficere posse. De duobus in horum verticibus lacubus, quorum altero enatat Insula erratica, altero plurimi pisces, sed monoculi omnes reperiuntur, nihil dicam, ne fabulis indulgere videar, etsi Giraldi authoritate hoc nonnulli crediderint. Lacus verò & stagnantes aquas esse in summitate horum montium certum est, vnde Geruasius Tilburiensis in Otijs Imperialibus. *In terra Wallensium intra terminos Britanniæ maioris montes excelsi fundamenta sua in saxis durissimis statuerunt, & in cacumine tanta aquositate terra crustatur, quòd vbi vix pedem fixeris terram ad iactum lapidis moueri senties, vnde superuenientibus hostibus Wallenses terram illam glutinosam sua transilientes agilitate impetus hostiles aut eludunt, aut damno hostium constanter expectant.*

Alpes Britannicæ.

Niuicollini.

Horum incolas *Niuicollinos* nouo verbo vocauit Ioannes Sarisburiensis in Polycratico, de quibus Henrici Secundi tempore sic scripsit. *Niuicollini Britones irruunt, & iam protendunt terminos suos egressi de cauernis, latebrisque syluarum plana occupant procerum nobilium; videntibus ipsis, impugnant & expugnant, & diruunt, aut sibi retinent, eò quòd iuuentus nostra quæ tecto & vmbra gaudet nata fruges consumere in lucem dormit, &c.*

Sed à montibus in campestria descendamus, quæ cùm sola sint secundùm mare, satis sit si tantùm littus legamus. Promontorium quod in Occasum brumalem proiectum diximus, Ptolemæo pro exemplarium varietate, CANGANVM, IANGANVM, LANGANVM dicitur, quod verissimum nescio, sed LANGANVM videatur, cùm hodie incolis *Lhein* vocetur, quod angusto & æquali Chersonesso procurrit, magis quàm cætera regio patentibus campis, & hordeo feracissimis. Duo tantùm memoranda prætendit opidula, interius ad sinum *Pullhely*, id est, *Palus salsa*, exterius ad mare Hibernicum (quod alteram Chersonessi partem diuerberat) *Neuin* villam mercatoriam, in qua anno Christi MCCLXXXIIII. Angli proceres de Wallis triumphantes militari decursione & festiua pompa (vt author est Florilegus) memoriam Arthuri magni celebrârunt. Si qua alia floruerunt hic opida, tunc deleta fuerunt cum Hugo Comes Cestriæ, Robertus de *Rudland*, & Guarinus è *Salopia* primi Normannorum huc penetrantes, hoc promontorium ita popularentur, vt totum septennium desolatum iacuerit.

Canganum.

Lhein.

Pullhely.

Neuin.

Vita Gruffini.

A *Neuin* littus semel, iterumque prominentijs distinctum in Septentriones se agit. Deinde obuersa in Circium fronte, coarctato in angustias freto (*Menai* vocant) Monam Insulam a Continente discindit. Huic freto SEGONTIVM vrbs cuius meminit Antoninus

Menai.

Segontium.

ninus superimposita erat, cuius murorum reliquias nonnullas vidimus iuxta * Ecclesiolam in S. Publicij honorem constructam. Nomen a præterfluente fluuio sumpsit, qui etiamnum *Seiont* appellatur, & e *Lin-Peris* lacu profluit, in quo piscis est peculiaris non alibi visus quem à rufescente ventre *Tor-coch* accolæ vocitant. Cùm autem SETANTIORVM PORTVM hoc in situ collocarit vetustus Ptolemæi codex, quem alia exemplaria longiùs remouent, si ego SEGONTIORVM PORTVM legerim, & ad huius ostium fuisse dixerim, veritatem fortasse limarem, sin minùs coniecturæ veniam ab æquo lectore impetrarem. Hanc vrbem Ninnius *Caer Custenith*, & qui scripsit vitam Gruffini filij Conani prodit Hugonem Cestriæ Comitem castrum construxisse in *Hean Caer Custenni*, id est, vt vertit Latinus interpres, in *antiqua vrbe Constantini Imperatoris*. Authorque est Matthæus Westmonasteriensis (sed ipse fidem suam liberet) corpus Constantij patris Constantini Maximi hîc inuentum fuisse anno MCCLXXXIII. & in Ecclesia nouæ vrbis honorificè locatum iussu Edwardi Primi, qui ex huius ruinis eo tempore *Caernaruon* vrbem paulò superiùs ita ad fluminis ostium eduxit, vt ab Occidente & Septentrione aquis alluatur. Quæ vt ipsa nomen sumpsit, quod è regione *Monæ* Insulæ obijcitur, hoc enim vocabulum denotat: ita vniuerso agro suum nomen communicauit, hinc etenim Anglis *Caernaruon shire* dicitur. Angusto admodum & ferè orbiculari mœnium ambitu continetur hæc vrbecula, sed firmo; castrumque ostendit pulcherrimum quod totum Occidentale latus occupat. Priuatis ædificijs pro more regionis satis pulchra, & ciuium humanitate prædicanda. Edwardum Primum conditorem, & Edwardum Secundum eius filium hic natum, & de *Caernarnon* cognominatum, qui primus erat ex Anglico sanguine Walliæ Princeps, summæ sibi gloriæ incolæ existimant. Habueruntque in hac Principes Walliæ suam Cancellariam, Scaccarium, nec non Iustitiarium pro Wallia Boreali. Ad septimum hinc miliare ad idem fretum, ab Austro monte satis edito, à Septentrione colle inclusum subsidet *Bangor*, siue *Banchor* à Choro pulchro, vel vt alijs placet quasi *Locus Chori*, sic appellata. Quæ sede Episcopalis Parœcijs LXXXXVI. præsidet. Danieli eiusdem olim præsuli sacrata est Ecclesia, non illa admodum speciosa structura. Ab Oëno enim *Glendouerduy* perditissimo rebelle, qui Walliæ vrbes excidio destinârat, incendio deformata, postea Henrici Denæi Episcopi operâ, regnante Henrico Septimo, restaurata vix pristinam dignitatem recuperauit. Opidum est nunc exiguum, olim adeò amplum vt *Banchor vaur* ob magnitudinem diceretur, castroque muniuit Hugo Comes Cestriæ cuius ne vestigia inuenire sedulò percunctando potui: & ad ipsas freti fauces situm. Quas Edwardus Primus, vt in Monam siue *Anglesey*, (de qua mox suo ordine dicendum) exercitum transmitteret, ponte obnixè, sed frustrà, continere conabatur. Quo etiam loco Paulinus Suetonius Romanos milites ante in Monam transmisit, equites vado, & pedites pandis nauiculis, vt author est Tacitus.

*Lhan Beblin.

Tor-coch pisces.

Caer-naruon.

Banchor.

Alij quasi Pen chor, i. præcipuus Chorus.

Vita Gruffini.

Decliui hinc ascensu pergit littus per *Pen-maen-maur* præcelsam & abruptam rupem quæ mari eminens, angustum callem itinerantibus præbet, hinc impendentibus saxis quasi ruinam minarentur; illinc fremente Oceano in immensam profunditatem depresso. Sed hac vnà cum *Pen-maen-bychan*, id est, *Monte saxeo minori*, superata, planities se pandit vsque ad *Conouium* fl. vulgò *Conwey*, qui ab oriente hunc agrum determinat. Hic fluuius apud Ptolemæum compendiaria Græcè scribendi ratione TOISOVIVS pro CONOVIVS concipitur. E palude eiusdem cognominis in meridiano Prouinciæ limite emanans angustiori alueo vsq; ad ostium ferè collisus properat, conchas alens quæ cœlesti rore grauidæ margaritas parturiunt; CONOVIOque opido, quod memorat Antoninus, nomen impertit. Quod licèt nunc prostratum, nomenque illud eo loci extinctum, nouo tamen nomine vetustatem suam subindicat. Tenuissimus enim inter eius rudera viculus *Caer hean*, id est, *Vrbs antiqua* vocatur. E cuius spolijs nouum opidum Edwardus Primus ad ipsum fluminis ostium excitauit, quod inde *Aber-Conwey* vocant, id est, *Conouij ostium*, quem locum Hugo Cestrensis priùs communiêrat. Ipsum vero Conouium recens munitum situ, munitumque opere, & pereleganti ad flumen castro, vrbeculæ, potiùs quam opidi nomen mereatur, nisi quod rariùs habitetur.

Pen-maen-maur.

Conouius fl.

Conouium.

Margaritæ.

Conwey.

Ex huius opposito cis flumen prominet inflectente cubito, quasi stationem moliretur natura, promontorium vastum quod huius etiam agri censetur, *Gogarth* dictum, In quo,

Gogarth.

Diganwy. Dictum. Conouio mare subeunti *Diganwy* antiqua vrbs impendebat, quæ multa ante secula ictu fulminis deflagrauit. DICTUM autem vrbem esse credimus, vbi sub posterioribus imperatoribus Præpositus Numeri Neruiorum Dictensium excubias egit. Quòd autem *Diganwy* postea appellatum fuerit, quis non videt *Ganwey* illud ex *Conwey* profluxisse, & Ganoc. inde Anglicum nomen *Ganoc?* sic enim nominatum erat castellum, quod postea eò loci Henricus Tertius construxit.

Præfuit huic regioni statim à Normannorum in hanc Insulam ingressu Gruffinus filius Conani, qui cum influentes Anglorum in Walliam copias reprimere non potuisset, tempestati subinde cessit; demumque cum sua integritate Regis Henrici Primi gratiam redemisset, facilè etiam ab Anglis sua recuperauit, posteritatique reliquit ad Leolinum vsque. Qui cum fratres iniurijs, & vicinos Anglos incursionibus irritasset, eò adductus fuit vt hanc montanam regionem cum Mona, siue Anglesia insula, ab Edwardo Primo clientelari iure teneret, eoque nomine mille Marcas quotannis persolueret. Quibus conditionibus cùm posteà non staret, sed suam perfidique fratris pertinaciam, potiùs, quàm spem sequutus, aleam belli denuò tentaret, interfectus, & sibi, & Britannorum in Wallia imperio finem attulit.

Ecclesias habet parochiales 68.

MONA

Gggg 2

ANGLESEY
Comitatus. olim MONA
INSULA Druidum
sedes. Britannice Tir Mon.

MARE HIBER: NI CUM SIUE VERGIUIUM

CAER: NARVON PARS


Benmaris

Bangor

Newburgh

Caernaruan

Aberfraw



MONA INSVLA, siue ANGLESEY.



QVam proximè percurri regionem *Caer-nar-von*, nomen a primario eius opido, opidumque illud à MONA Insula quæ è regione obiacet accepisse modò dixi. Nunc verò vt eam in suum locum restituam, quam anteà imprudens fateor, inter Insulas relegaram, & suo ordine perlustrem quasi suo iure postulat, cùm inter Comitatus meritò locum habeat. Hæc quæ Romanis MONA, Britannis *Mon*, & *Tir-mon*, id est, *Terra Mona*, & *Ynis Dowyll*, id est, *Insula opaca*, Anglo-Saxonibus priscis Moneȝ. & tandem cùm Angli iuris sui fecissent, Englesea & Anglesey, quasi *Anglorum Insula* dicta, tenui freto *Menai* à Britanniæ continente diuisa, à reliquis partibus turbido illo Hibernico mari vndiq; pulsata, forma iacet inæquali, quà longior ab Ortu in Occasum XX. milliaribus, quà latior vix XVII. porrecta. Licèt autem, vt habet Giraldus, *tellus arida & saxosa videatur, deformis aspectu & inamœna, terræ* Pebidion *quæ Meneuiæ adiacet, exteriori qualitate simillima, veruntamen interiori naturæ dote longè dissimilis. Est enim præ cunctis Walliæ finibus triticeo germine incomparabiliter fœcunda, adeò vt prouerbialiter lingua Cambrica dici soleat* Mon mam Cymbry, *quod Latinè sonat* Mon mater Cambriæ. *Quoniam alys vndique terris deficientibus, hæc sola gleba præpingui, vberique frugum prouentu Cambriam totam sustentare consueuit.* Re etiam pecuaria hodie admodum est opulenta, lapidesq; habet molares,& alicubi terram aluminosam è qua alumen & calchanthum quidam non ita pridem conficere cœperunt. Verùm cùm res minus succederet spe deposita ab incœpto destiterunt.

Mona. Anglesey. Hæc est MONA illa Insula nobilissima, sedes Druidum antiqua, à Paulino Suetonio adorta & Iulio Agricola in Romanum imperium redacta. Imperante Nerone Paulinus ille Suetonius (vt scribit Tacitus) Monam *Insulam incolis validam, & receptaculum perfugarum aggredi parat, nauesque fabricatur plano alueo, aduersus breue littus & incertum. Sic pedites, equites vado secuti, aut altiores inter vndas, adnantes equis transmisere. Stabat pro littore diuersa acies, densa armis virisque intercursantibus fœminis: in modum furiarum, veste ferali, crinibus deiectis, faces præferebant.* Druidæ. *Druidæque circùm preces diras sublatis ad cœlum manibus fundentes, nouitate aspectus perculere militem, vt quasi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent. Denique cohortationibus ducis, & se ipsi stimulantes, ne muliebre & fanaticum agmen pauescerent, inferunt signa sternuntq; obuios, & igni suo inuoluunt. Præsidium posthac impositum vicis, excisique luci sæuis superstitionibus sacri. Nam cruore captiuo adolere aras, & hominum fibris consulere Deos fas habebant.* Sed hæc agentem repentiua totius prouinciæ defectio ab incœpto reuocauit. Postea vt scribit idem Tacitus: *Iulius Agricola Monam insulam cuius possessione reuocatum Paulinum rebellione totius Britanniæ supra memoraui, redigere in potestatem animo intendit. Sed vt in dubijs consilijs, naues deerant, ratio & constantia ducis transuexit: depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi vsus, quo simul seque & arma & equos regunt, ita repentè immisit, vt obstupefacti hostes qui classem, qui naues, qui mare expectabant, nihil arduum aut inuictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola.*

Multis post sæculis ab Anglis deuicta in eorum nomen concessit, Englesea olim Saxonicè, nunc vulgò *Anglesey*, quasi *Anglorum Insula* dicta. Sed cùm hanc insulam suo nomini & dignitati asseruerit Humfr. Lhuidus in doctissima ad eruditissimum Ortelium Epistola, non est cur hîc aliquis operam nostram desideret. Hoc tamen attexam: Romanorum in Britannia iam diuergente imperio, quidam ex Hibernia in hanc etiam irrepserunt. Nam præter tumulos fossa circundatos, quos Hibernicorum casulas vocant, etiam locus est *Yn hericy Gwidil* ab Hibernicis denominatus, qui duce Sirigi, Britannos Marianus. eò loci fuderunt, vt Triadum libro memoratur. Nec ab Anglis solùm, verumetiam à Norwegis

Norwegis grauiter diuexata fuit. Anno etiam reparatæ Salutis millesimo Æthelredi Regis classis totam insulam circumuecta hostilem in modum deuastauit. Posteà Hugones duo Normannici, alter Cestriæ, alter Salopiæ Comes grauissimè afflixerunt, castrumque *Aber-Llienioc* ad coercendos incolas extruxerunt, verùm *Magnus* Norwegus eo tempore ad hanc appulsus Hugonem illum Cestrensem sagitta transfixit, & insulam deprædatus discessit. Deinceps etiam Angli sæpiùs adorti sunt, donec Edwardus Primus in suam potestatem redegerit. Villas numerauit olim CCCLXIII. hodieque incolis frequens est. Primarium hodie opidum censetur *Bellus Mariscus*, vulgò *Beaumarish*, quod in Orientali parte Edwardus Primus in loco palustri construxit, & ob situm bello hoc nomine insigniuit, cùm priùs locus *Bonouer* diceretur, castroque muniuit, quod tamen neutiquam absolutum fuisse videatur, cui præest clarissimus vir Richardus *Bulkley* Eques auratus, cuius in me humanitatem cùm hæc loca inuiserem, non possum non gratissimo animo semper agnoscere. Beaumarish.

Huic adiacet *Lhan-vays* ædes quondam fratrum Minorum admodum celebris, quibus perbenignos patronos Reges Angliæ se præbuerunt, tum ob fratrum qui ibidem egerunt sanctimoniam, tum quòd (vt ex publicis regni actis loquar) ibidem sepulti fuerunt filia Regis Ioannis, filius Regis Danorum, nec non corpora Domini *Clifford, & aliorum Dominorum, Militum, & Armigerorum qui in guerris Walliæ temporibus illustrium Regum Angliæ occisi fuerunt.* Lhan-vays. 1. parte Pat. anno 1. H. 5.

Secundum à *Bello marisco* opidum *Newburg* censetur Britannicè *Rossur*, quod decem mille passus ad Occasum abest, & ingestis arenis diu conflictatum pristini splendoris multum se amisisse conqueritur. *Aber-fraw* parùm hinc dissitum, quod nunc notæ obscurioris, reliquis olim plurimum dignitate præluxit, vtpote olim Regum Venodotiæ siue Northwalliæ sedes Regia, quique hinc Reges de *Aber-fraw* appellati. In extremo verò ad Occasum promontorio quod nos *Holy-head*, id est, *Caput sacrum* vocamus, adsidet tenuis viculus Britannicè *Caer-Guby*, cui *Kibius* vir sanctissimus Sancti Hilarij Pictauensis discipulus qui ibidem Deo vacauit nomen fecit, vnde frequens est in Hiberniam traiectus. Reliqua huius insulæ vicis passim sunt aspersa, qui cùm nihil memorandum præ se ferant, hinc in continentem transmittam, & Denbighiensem agrum inuisam. Newburg. Aberfraw. Holy-head. S. Kibius. De insulis Monæ adiunctis, vide inter insulas Britannicas.

*

Numerantur in hoc Comitatu Parochiæ 74.

DENBIG-


Hhhh


Gggg
Hhhh



VIRGIVIVM SIVE HIBERNICVM
MARE
SEPTENTRIO
FLINT
Ormshedd point
Llandrigblo
Egles rosse
Llandudno
Llandlas
Dasert
Llanclian
Abenconwy
CAR
NAR
VAN
PARS
OCCIDENS
Conouium
Caerheene
Eglos
Vagb
Mananeh
Llangirnew
Llanrust
Treucruc
Gwider
Llanrughwen
Gwetheryn
Capelgarmon
Capel bettus
Llanpen maghno
Tiberion
Yspity euan
Conwy flu:
Llyn Conwy
Holyn
Capel pontrewdog
Ntog flu:
Hendrey
Abergele
Bottas
Cap Funboernwaier
Llanfannan
Llanruaier
Barrog
Llyn aled
Aled fluuius
Combe
Sct Asaph
DIFFREN
Maghegreg vars
Potiary
Hellan
Foxheles
DENBIGH
Whitchurch
Llanufyd
Nanclin
Ifstrad flu:
Llanrayder
Bachinbel
Plasiwara
Ruthin
Clawrdok fluuius
Clocarck
Cluyd fluuius
Llanyhangle
Llanauna
Bettus
Derwen
MERIONETH
Llanderuel gaderu
Llandrighlo
Bala
Dee flu:
Llyn teggid
PAR
Scala Miliarum
Christophorus Saxto describsit
Wihelmus Lip Sculpsit
MERIDIES

DENBIGH
Comitatus pars
Olim
ORDOVICVM

CES: TRIÆ PARS
Chester
DEVA LE: IO XX
Dee flu:
Caerwis
Skuien
Wheler flu:
Nannarch
Kilken
PARS
Eckleston
Eaton
Broughton
Sodleston
Pulforde
Aldforde
Ruthin
Plasiward
Llanbeder
Bathauern
Merlinull hill
Llanuerris
Alin fluuius
The Molde
Capel Nergoyes
Trethyn
Bodederis
Llandegley
Darlandgrene
Alen
Treueglen
Gresford
Holt
Holt castle
Merford
Almere
Pulton chap:
Fernton
Tilston
Shokledge
Pentsocken
Whrexham
Gwenurow flu:
Bers
Capel Iscoid
Abenburye
Houstawern
Worthenbury
ORIENS
Dee flu
Capel
Mrynglath
Claudok flu:
Place Cadogan
Markwell
Banger
Eglursey
Castle denas brayn
Christionet flu:
Ruabon
Bystok
FLINT PARS
Orton madok
Llanclodan
Derwen
Breynglys
Llanegwast ab
Gowyed
delwern
Llanfanfraid
Llangollen
Dole
Corwen
Pengwerne
Newhall
Chirk
Chirk castle
Didleston chap:
Langer
Martyn
Llanfanfraid inglyn
Morlas flu:
SALO: PIÆ PARS
Selattyn
Llanarmon
Llanfyllyn
Llancadwalater
Kering flu:
Llanarmon
Oswestre
Plas yelu
Llanrinder
Ameughnant
Llangedwin
Tawt flu:
MONTGO: PARS

DENBIGH-SHIRE.



CIs *Conouium* flumen Denbighensis ager, Anglis *Denbigh-shire*, Britannis *Sire Denbigh* interiùs à mari recedit, & in Ortum vsque ad *Deuam* flu. procurrit. A Borea aliquandiu mare, inde Flintensis regiuncula, ab Occasu Merionithia & Montgomeria, ab Ortu ager Cestrensis & Salopiensis circumcingunt. Pars Occidua sterilis, media quæ in vallem succumbit, fœcundissima, Orientalis statim à valle naturam sibi iniquiorem, ad *Deuam* verò multò æquiorem sentit.

Occidua pars, nisi quòd lætior sit, quà Oceano pulsatur, sparsim habitata, glabris & macilentis montibus plusquam protuberat, quorum tamen maciem in montium pronis vt alibi in Wallia cultorum diligentia, & solertia iampridem vincere cœpit. Terræ enim corium latiore vomere in cespites, siue bracteas abradentes, eos artificiosè congestos iniecto igne in cineres redigunt, quibus in agros illos excor riatos inspersis, eorum ieiunam sterilitatem ita lætificant, vt aritncam, suprà quàm credi possit, profundant. Nec hæc glebas comburendi ratio noua est, sed admodum antiqua vt è Virgilio & Horatio videre est. Inter hos montes locus est vulgò dictus *Cerigy-Drudion*, id est, *Lapides Druydarum*, nonnullæq; cernuntur columnulæ ad *Y-voellas* peregrinis characteribus inscriptæ, quas Druydum fuisse nonnulli suspicantur, & haud multum à *Clocainog* hæc in saxo legitur Inscriptio:

AMILLIN
TOVISATOC.

Denbigh. Ad vallem vbi hi montes iam rarescere incipiunt, pendenti rupi affigitur *Denbighia*, vetustiore nomine Britannis *Cled Fryn yn Ros*, id est, *Confragosus collis in Rossia*, (sic enim illam regionis partem vocant) quam Edwardus Primus cum alijs amplissimis latifundijs Dauidi Leolini fratri donauit; verùm cùm ille statim læsæ maiestatis reus capite plecteretur, eam ex Edwardi dono accepit Henricus Lacius Lincolniensis Comes, qui non magno, sed valido mœnium circuitu, & ad Australem partem turrito castello muniuit, in cuius puteo cùm filius eius vnicus forte demersus fuisset, mœstissimus pater, nondum imposito fastigio, ab opere destitit. Eoque postea defuncto, opidum cum reliqua possessione ad Lancastrensem familiam per superstitem eius filiam Aliciam descendit, à qua tamen primùm Edwardi Secundi liberalitate, cùm illa familia iaceret, ad Hugonem *Spenser*, inde ad R. de *Mortuomari* ex pactione cum Edwardo Tertio deuenit; eius enim insignia ad portam primariam conspiciuntur. Sed eo morte mulctato, ad Guil. *Monteacutum* Sarisburiæ Comitem, statimque rursus ad *Mortuomarios*, & per eos ad Eboracensem familiam demùm deuenit. Scriptum enim est, in Edwardi IIII. ex Eboracensi fa-
1468. milia inuidiam magno damno à Lancastrensibus affectum fuisse. Ex quo tempore siue quòd situs præruptus non incolis placuerit, nec enim subuectio erat commoda, siue quòd aquis indigum erat, paulatim ita demigrârunt, vt vetus hoc opidum sit iam exhaustum, & nouum longè maius sub ipsa rupe surrexerit, Quod adeo frequens est, vt templo multitudinis non capace, iam in antiqui opidi area nouum, tùm Domini sui Roberti Comitis Leicestrensis, tùm collatitia plurimorum per Angliam pecunia condere incœperint. Robertum enim illum anno MDLXVI. Regina Elizabetha Baronem Denbighiæ creauit. Nec inter Angliæ Baronias alia est, quæ plures nobiles clientelari iure sibi deuinctos habet.

Iam venimus in regionis meditullium, vbi submotis vtrinque montibus, Natura vt quid in aspera regione posset, ostenderet, vallem longè pulcherrimam substrauit, ab Austro in Septentrionem XVII. mill. pass. porrectam, V. plus minùs latitudine expansam, quæ Oceano & serenanti Boreæ solummodo patet, aliàs vndique montibus continetur altis, & ab Ortu quasi pinnatis, (mira enim naturæ solertia montium horum iuga mœnium pinnas mentiuntur.) Inter quos æditissimus est *Moil-enlli*, in cuius cacumine vallum

militare,

militare, & fonticulum limpidum vidimus. Vallis hæc à salubritate, fertilitate, & amœnitate verè fœlix, Incolarum color est sanus, capitis firma synceritas, inoffensumq oculorum lumen, & annosa admodum senectus. Ipsa verò virentibus pratis, flauentibus aruis, creberrimis villis, & templis spectantium oculis mirum in modum arridet. *Cluida* flu. labentibus vndique profluentibus auctus eam mediam ab ipso fonte intersecat, vnde olim *Strat Cluid*. (Marianus enim *Strat-Cludwallanorum* Reg. nominat) & hodie *Diffryn-Cluid*, id est, *Vallis Cluidæ* denominatur, in qua Britannos è Scotia aduenas, pulsis Anglis, regnum constituisse prodiderunt nonnulli. Ad *Cluidæ* Orient. ripam in Australi vallis parte *Ruthunia*, Britannis *Ruthun*, Anglis *Ruthin* adsidet, maximum vallis emporium, viris & ædificijs frequens, celebreque non ita pridem castro amplo, pereleganti, & familiæ quantumuis numerosæ capacissimo. Quod simul cum opido construxit Rogerus *Grey*, cùm licentiam obtinuisset à rege, Episcopo Asaphensi, & Rectore Ecclesiæ *Lhan Ruth* in cuius parochia locus situs. Huic pro portione nauatæ in Wallos operæ Edwardus Primus totam fere vallem elargitus erat: posterisque eius qui titulo Comitum Cantij illustres, sedes erat, donec Richardus *Grey* Comes Cantij, & *Ruthuniæ* Dominus quum nullam suscepisset prolem, non habita aliqua fratris Henrici ratione, Henrico Septimo hoc auitum patrimonium pretio addixerit. Ex quo tempore castrum tecto nudatum fatiscere cœpit. Nuper autem ad Ambrosium Warwicensem Comitem cum opimis in valle reditibus ex Reginæ ELIZABETHAE munificentia spectauit. Cluida fl. Ruthin.

E valle ad Ortum ascendentem excipit *Yale* regiuncula montana, & si ad regiones subiectas, & circumuicinas conferatur editissima, adeò vt nullum aliunde fluuium accipiat, sed plures ex se emittat. Ex hoc editiori situ aspera est, algida, & ventis vndique perflata. An ab *Alen* fluuiolo, qui in hac exortus semel atque iterum se recondit cuniculum agens, nomen accepit, nescio. Montes bobus, ouibus, capris sunt referti, conualles alicubi frumenti satis feraces, maximè ad Orientalem partem cis *Alenum*: Occidentalior autem pars minùs est fertilis & nonnullis in locis planè ericetum, & infrugifera. Memorandum verò nihil habet præter monasteriolum dirutum, lætissimè, & amœnissimè in valle situm, quæ inter nemorosos colles se in crucis figuram decussat, vnde *Vallis Crucis*, Britannicè *Lhane Gwest* appellatur. Yale. Valle-Crucis.

Ab hac magis in Ortum territorium, Britannicè *Mailor Gymraig*, id est, *Mailoria Wallica*, Anglis *Bromfield*, vsque ad *Deuam* fl. pertingit, læta admodum regiuncula & plumbi ferax, præcipuè iuxta *Moinglath* viculum qui a fodinis nomen assumpsit. *Wrexham* hic cernitur Saxonicè Wrizteshâm, sacra turre elegantissima conspicuum, Musicisque in Ecclesia organis celebratum: & huic vicinum est *Leonis castrum*, à Legione XX. Victrice, quæ paulò superiùs ad alteram *Deua* ripam egit, forte sic dictum, nunc *Holt* vulgò vocatur, instauratumque creditur nuper à Guilielmo Stanleio, & olim à Ioanne Comite Warrenniæ, qui tutor fiduciarius hanc prouinciolam à pupillo Madoco Britannico regulo vnà cum *Yale* sibi interuertit. A Warrenniæ vero Comitibus ad *Fitz-Alanos* Arundeliæ Comites, & ab illis ad Guiliel. *Beauchamp* Baronem *Abergeuennæ* deuenit, posteaque ad Guilielmum *Stanley* qui cùm capite plexus esset, hæc & aliæ eius possessiones fisco fuerunt adiudicatæ. Plumbum. Wrexham. Holt. D. Powell.

Bromfeldiæ ad Austrum *Chirke* subiacet, Britannicè *Gwayn*, satis etiam illa montosa, sed duobus castris nobilitata, *Chirko* scilicet, quod nomen dedit, à Rogero de *Mortuomari* posito, & *Castle Dinas Bran* in editissimo fastigiati montis iugo suspensum cuius nunc nihil nisi parietinæ supersunt. Hoc vulgus Brennum Gallorum ducem inædificâsse, & denominâsse affirmat, alij *Castrum Palatij Regis* interpretantur, *Brenn* enim Regem Britannicè significat, vnde fortasse ille Rex potentissimus Gallorum & Britannorum per excellentiam dictus Brennus: sed à situ excelso in colle, quem *Bryn* vocant Britanni, alij nomen esse contendunt, & quidem mea opinione, multò probabiliùs. Henrici Tertij tempore sedes erat Gruffini filij Madoci, qui cum ab Anglis contra Wallos staret, in hoc se contineri solebat, sed illo defuncto Rogerus de *Mortuo-mari*, qui eius filio Leolino curator datus, perinde vt Ioannes (quem dixi) Warrenniæ Comes Bromfeldiam, ita hanc *Chirkam* sibi occupauit. Chirke. Castle Dinas Bran. Brennus.

Cùm res Wallorum inter se seditionibus, & Anglorum incursionibus in lapsum prona iam sisti non poterat, Comites Cestriæ, Warrenniæ, Mortuomarij, Lacius & Greij, quos dixi, primi Normannorum hanc Prouinciolam paulatim in suam potestatem redegerunt, & suis possidendam reliquerunt. Nec ante Henrici Octaui tempora in Comitatum instituta, quo tempore etiam *Radnoria, Brechinia*, & *Montgomeria* authoritate Parlamentariâ facti fuere Comitatus.

Quatuor noui Comitatus Walliæ. 27. Henr. 8.

In hoc agro Parœciæ sunt 57.

FLINT-


SEPTENTRIO
VIRGIVIVM SIVE HIBERNICVM MARE
OCCIDENS
DENBIGH
MERIONETH
PARS
MERIDIES
FLINT
St. Asaph
Denbigh
Ruthin
Bala
Whitford
Llanasaphe
Hendray
Abergele
Bettas
Llewenny
Whitchurch
Llanarmon
Llyn Aled
Scala Miliarium
Christophorus Saxton descripsit
Wilhelmus Kip Sculpsit

FLINT
Comitatus quem
ORDOVICES
Olim Incoluerunt

CESTRIÆ

Shotwick
Shotwick cast:
Chester
DEVA LEGIO XX
Dee flu
Hawerden cast:
Echelston
Bretton
Eaton
Broughton
Aldforde
Sodleston
Pulforde
PARS
ORIENS
Horsheath
Alen fluvius
Darlandgrene
Alen
Treucalen
Pulton chap:
Almer
Mersforde
Ferneton
Capel Nergeyrn
Holt
Tilston
Gresforde
Holt cast
Trethyn
Pentiocken
Capell Isceid
Shok lidge
Maples
Gwenurgy flu
Berr
Abenbury
Capell moynglath
Wrexham
Worthenbury
Ols cast:
Chorodok flu
Markwell
Nether Dreitwich
Place cadagan
Emberhall
Willyntan
Ouer Dreitwich
Bangor
Escoyde hall
R.uabon
Christioneth flu
FLINT
Whitchurch
Bystok
whitwell chap:
Peus hall
Penley chaple
Hanmer
Tyllstok
Orton madok
PARS
Haulton
Dee flu
Dadleston chap
New hall
Chirk
Chirk cast
Bettesley
Marton
Welsshe hampton
Morlas
Elsmere
SALOPIÆ PARS

FLINT-SHIRE.



Enbighiensi agro ad Septentrionem longior, quàm latior præiacet Flintensis prouinciola, Anglis *Flint-shire*, Hibernico mari, siue potiùs *Deua* æstuario ab Arcto pulsata, ab Ortu Cestrensi Comitatu, ab alijs plagis Denbighiensi finita. Non illa quidem montana, sed collium prominentia aliquantulum surgens, quæ leniter in fertilissimos agros resupinatur, qui, præsertim quà mare prospiciunt, primo quoque anno nonnullis in locis hordeum, alijs triticum, in vniuersum secale vicesimo & suprà fœnore & posteà auenam in quatuor aut quinque annos profundunt. Occidua verò eius pars in vallem Cluidanam, qua illa mari proxima descendit, & superiorem eius partem occupat.

In huius & Denbighiensis agri confinio, quà molliori deuexitate montes se subducunt, & faciliorem in vallem descensum, & transitum præbent, in ipsis faucibus vrbeculam VARIM posuerunt Romani, quam à CONOVIO ad XIX. milliare locat Antoninus. Hæc nulla sui nominis parte truncata, *Bod-Vari*, id est, *Mansio Vari* hodie vocatur, ostenditque dirutæ vrbis vestigia in proximo monticulo, quem illi *Moyly Gaer*, .i. *Mons vrbis*, appellitant. Quæ verò sit nominis significatio non liquet, nos *Variam* transitum Britannis priscis significâsse alibi opinati, & *Durnouariam*, *Isannæ Variamque*, Aquæ & Isannæ transitum interpretati sumus, & à nostra opinione facit hæc VARIS eò loci sita, vbi solùm patet facilis inter montes transitus. Nec tribus hinc abest milliaribus *Caer-Wisk*, cuius nomen licèt antiquitatem præ se ferat, nihil tamen ibi antiquum vel obseruatione dignum depræhendimus.

Varis. Bod-Vari. Caer-Wisk.

Infra hanc VARIAM in valle prolabitur *Cluida*, statímque *Elwy* fluuiolus vnà confluit, vbi Episcopalis est sedes. Hæc à flumine *Llan-Elwy* Britannis, à patrono Asapho, S. *Asaph* Anglis, & *Asaphensis* historicis nominatur. Nec opidum sua elegantia, nec templum, vel structura, vel ornatu prædicandum, vetustatis tamen nomine neutiquam tacendum est. Circa annum enim reparatæ Salutis DLX. Kentigernus Episcopus Glasguensis è Scotia profugus Episcopalem sedem, cœnobiumque hic constituit, congregatis sexcentis sexaginta tribus fratribus, quorum trecenti illiterati agriculturæ, totidem alij operibus intra monasterium exercendis, reliqui diuinis rebus peragendis vacarent; quos ita per conuentus distribuit, vt iugiter aliqui in templo Deo inseruirent. Cum autem in Scotiam rediret, Asaphum virum integerrimum huic cœnobio præfecit, à quo hodiernum nomen impositum. Episcopus huius sedis parœcias sibi plus minus CXXVIII. subiectas habet, quarum beneficia, vt vocant Ecclesiastica, sede vacante, Archiepiscopus Cantuariensis liberè ad Henrici vsque Octaui tempora, Archiepiscopali iure, quod nunc regale censetur, conferre solebat. Hoc enim in historia Cantuariensi legitur.

S. Asaph. Capgrauius.

Superiùs *Ruthlan*, à subrufa *Cluida* ripa cui adiacet, appellationem sortita, castello nitet egregio sed ferè vetustate confecto. Leolinus Sisilij filius Walliæ Princeps primò condidit, Robertus autem quem de *Ruthlan* vocant, Hugonis Cestrensis nepos primus a Wallis extorsit, præfectusque erat Hugonis, qui illud nouis operibus muniuit, posteà vt Abbas de *Monte* scripsit, Henricus Secundus hoc castrum restauratum Hugoni de *Bello-campo* dedit. Sub quo statim *Cluida* mari immiscetur, & licèt vallis ad ipsum ostium inferiore libra quam mare depressa videatur, nunquam tamen superlabitur, sed obstaculo naturali, non sine summa diuini consilij admiratione, in ipsis marginibus hæret aqua. Hinc littus in Ortum paulatim descendendo procedit primùm per *Disart* castrum sic dictum, quod fuerit situ accliue, vel vt alij volunt, quasi *Desert*, inde per *Basingwerk* quod etiam Henricus Secundus Hugoni de *Bello campo* concessit. Sub hoc *Halywel*, .i. *Fons sacer*, opidulum vidimus, vbi fons Winefridæ virginis Christianæ memoria quæ stuprum per vim oblatum ibi morte luit, a tyranno occisa, & musco gratissimi odoris longè est celeberrimus, ex quo emanat fluuiolus siue potiùs proruit inter saxa, quibus nescio quid sanguineum innascitur, tantoque impetu fertur vt statim par sit molæ agendæ. Ipsi autem fonti impositum est pereleganti opere è saxo viuo sacellum, cui adiuncta

Ruthlan. Basingwerke. Haly-well.

est

est Ecclesiola in cuius fenestra Winefredæ illius historia & cædes describitur. Prope hunc locum Giraldi ætate, erat vt ipse scribit, *diues vena, fructuosumq́; argenti scrutinium, vbi pecuniam scrutando itum est in viscera terræ.*

Hanc regionis partem quòd formoso situ intuentibus arridet, & in Anglorum potestatem iam olim cesserat, Britanni *Teg-Engle*, id est, *Formosa Anglia*, dixerunt. Quod vero *Tegeniam* quidam appellarit, Igenosque ibi consedisse existimarit, tua sit cautio ne facilè credas. Corruptum Icenorum nomen optimo viro imposuit. Inde in littore *Flint* castrum conspicitur ab Henrico Secundo incœptum, & ab Edwardo Primo perfectum, quod huic agro nomen fecit. Postea ad Orientalem agri limitem proximè Cestrenses *Hawarden* castrum vulgo *Harden* haud multum a littore sedet, è quo cùm Rogerum *Clifford* Walliæ Iustitiarium Dauid Leolini frater captiuum abduxisset, funestissimum bellum sibi & suis excitauit, quo Wallorum imperium funditùs euersum. Castrum autem hoc quod tenebatur per *Seneschalliam* Comitum Cestriæ sedes erat Baronum de *Monte-alto*, vulgò *Mount-hault*, qui in honoratissimam familiam succreuerunt, parma cyanea in quo argenteus Leo erectus insignes; dignitatemque auxerunt nuptijs Ceciliæ vnius cohæredum Hugonis de *Albeny* Comitis Arundelliæ. Verum deficientibus tandem liberis masculis, Robertus ex hac stirpe vltimus Baro Isabellam Angliæ Reginam, Edwardi Secundi vxorem hæredem, vt iam ante dixi, scripsit. Castri verò possessio postea ad *Stanleios* qui nunc Derbiæ sunt Comites translatâ fuit. Harden. Barones de Monte-alto.

Australem sub his regionis partem pererrat *Alen* fluuiolus, prope quem in monte ad *Kilken* viculum, fons est qui maris æmulus statis temporibus, suas & reuomit, & resorbet aquas. *Hope* Castrum Britannicè *Caer-gurle* in quod Edwardus Primus se recepit, cum suos incompositos Walli subitò adorti essent, vbi lapides molares è rupe exciduntur, & *Mold*, Britannicè *Guid-cruc*, castrum olim Baronum de *Monthault*, siue *Monte-alto*, huic *Aleno* superimponuntur, quæ antiquitatis indicia præ se ferunt plurima. Iuxta *Hope* cum hæc scriberemus hortulanus dum altiùs terram moliretur, in opus peruetustum incidit, de quo plurimæ plurimorum enatæ sunt opiniones, sed qui M. Vitruuium Pollionem diligentiùs legerit, perspiciet nihil aliud fuisse quam Hypocausim, vel Hypocaustum a Romanis incœptum, qui crescente cum diuitijs luxuria, balneis plurimum sunt vsi. Longum erat vlnas v. latum IIII. altum plus minus dimidium vlnæ. Includebatur parietibus ex viuo saxo, pauimentum ex testa cum calce trullissata, columellis lateritijs innitebatur concameratio, quæ ex tegulis erat tectorio opere politis & hinc inde perforatis, quibus fictiles impositi erant, quasi tubuli per quos caloris vis deferebatur, & vt inquit ille, *voluebant hypocausta vaporem.* Et quis non ex his fuisse existimet quæ Iscæ præcipuè suscipiebat Giraldus? cùm hæc scriberet de Romanorum operibus. *Quod inter alia notabile censeas, stuphas vndique videas miro artificio confectas, lateralibus quibusdam, & angustis spiraculis occultè calorem exhalantibus.* Quorum verò hoc opus fuerit LEGIO XX. tegulis impressa loquitur, quam vix sex hinc milliarium diuerticulo Cestriæ egisse iam anteà docuimus. Hope Castle. Lapides molares. Mold. Balnea siue Thermæ. Vide pag. 490.

Iuxta hunc *Alenum* flu. in angustijs syluestribus *Coles-hul* est, *Carbonarium collem* vocat Giraldus, vbi cum Henricus II. bellum si vnquam alias magna cum cura in Wallos apparauisset, Angli inconditâ multitudine laxiùs tendentes ceciderunt, & ipsum regium vexillum ab Henrico de *Essex* hæreditario Regum Angliæ signifero desertum fuit. Quo nomine ille postea læsæ maiestatis delatus, & à delatore singulari certamine deuictus, bonis in fiscum relatis, ignauiam suam pertæsus cucullum inter Monachos induit. Coles-hull.

Alia est huius regionis portiuncula cis *Deuam* fl. ab hac quasi auulsa, quam Angli *English Mailor* vocant. De hac cùm de Bonio loqueremur, in Cestrensi Comitatu egimus, nec est quod iam dictum denuò dicamus. Nec quicquam in hac occurrit quod memoretur nisi *Han-mere*, ad lacum, vnde vetusta sanè & clara quæ ibi habitat familia, cognomen assumpsit. English mailor. Bonium. V. de pro Banchor. Han-mere.

Cestrenses Comites leuia prælia ex occasione, & opportunitate cum WWallis conserentes, hunc agrum primi Normannorum sibi subiecerunt, vnde in antiquis membranis legitur. *Comitatus Flint pertinet ad dignitatem gladij Cestriæ*, & primogeniti Regis Angliæ olim appellati fuerunt *Comites Cestriæ & Flint.* Sed cùm ad Regium patrimonium accessisset, Edwardus Primus, quod ad suas opes tuendas, & WWallos coercendos commodissimum Vide Comites Cestriæ.

Prudens Edwardi Primi consilium.

modissimum ratus erat, hanc, & omnem VValliæ oram maritimam sibi tenuit. Interiora proceribus suis, vt visum erat, assignauit, consilium Augusti sequutus, qui validiores, & exteriores prouincias ipse suscepit, cæteras proconsulibus sortitò permisit. Factum id autem specie quidem vt imperium defenderet, sed reipsa, vt exercitus omnes in sua haberet potestate.

In hoc Flintensi Comitatu habentur paræciæ tantùm 28.

PRINCIPES WALLIÆ.

PRincipes Walliæ antiquioris è stirpe Britannica ex Annalibus Walliæ editis petantur, mihi autem recentiores e regio Anglorum sanguine pro suscepti operis ratione hîc compendio enumerare operæpretium videtur. Edwardus Primus, cui iuueni Henricus Tertius pater Principatum Walliæ concesserat, cùm Leolino *Ap Gryffith* postremo ex Britannico stemmate Principe occiso, Wallici Principatus quasi neruos incidisset, Anno regni suo duodecimo, eundem Angliæ regno adunauit, filioque eius Edwardo de *Caernaruon* quem Walliæ Principem designauit, fidem & obsequium vniuersa Prouincia præstitit. Sed Principis Walliæ titulum Edwardus ille Secundus filio Edwardo non contulit, sed tantùm nomen Comitis Cestriæ & *Flint*, quantum ego hactenus e Regni Regestis comperi. Edwardus autem Tertius primùm filium Edwardum cognomine *Nigrum* hoc titulo solemni inuestitura ornauit, quem bellica gloria circumfluentem mors immaturè præripuit, posteaque eius filium Richardum de *Burdigala* regni hæredem eodem insigniuit, qui regno ab Henrico Quarto spoliatus nulla suscepta sobole miserè periјt. Henricus ille Quartus filio primogenito qui Henrici Quinti nomine splendidè inclaruit, Walliæ Principatum detulit. Filius autem eius Henricus Sextus qui patre moriente in cunis vagiјt, hunc, quem ipse nunquam accepit honorem, Edwardo filiolo contulit, cui in prælio Tewkesburiensi capto cerebrum ab Eboracensi factione crudeliter dispersum. Non longo interiecto tempore Rex Edwardus Quartus regni compos filiolum Edwardum qui Quintus postea Edwardus in Regum serie, Walliæ Principem creauit: & mox patruus qui eum e medio sustulit Richardus Tertius Edwardum filium suum quem Edwardus Quartus Sarisburiæ Comitem fecerat (quod dudum didici) in eius locum surrogauit, qui statim obiјt. Posteà Henricus Septimus primùm Arthurum, eoque defuncto


12. Edw. 1. Vide pag. 67. & 118.

defuncto, Henricum qui postea Henrici Octaui nomine notissimus, Walliæ Principes constituit. His singulis Principatus Walliæ inuestitura & diplomate tradito delatus hisce verbis *Tenendus sibi & hæredibus Regibus Angliæ.* Reges enim tam præclara de filijs primogenitis benemerendi occasione se spoliare noluerunt, sed tanto beneficio cùm visum fuerat sibi obstringere consultissimum iudicarunt. Maria, Elizabetha & Edwardus Henrici Octaui liberi licèt inuestituram & diploma non acceperint, vulgò appellati fuerunt suo ordine *Principès Walliæ.* Eo etenim tempore Wallia authoritate Parlamentaria regno Angliæ ita coniuncta fuit, & adunata, vt eodem iure vteretur. Iam è Wallia in Angliam pedem referam, & ad Brigantes accedendum. 26.Henr.8.

❧ ❧ ❧
❧ ❧
❧



BRIGANTES.



RITANNIA, *quæ hucuſque enormibus euecta promontorijs, hinc Germaniam, illinc Hiberniam propiùs intuendo, nunc quaſi irruentem expaueret Oceanum, introrſum ſe reuocat, & latiora terrarum diuortia faciendo recedit, in multò minorem latitudinem contracta. Nec enim plùs centum mille paſſus inter littora patet, quæ vtrinque rectis ferè littoribus in Septentrionem ad Scotiam vſque pertinent. Hanc partem ferè omnem integris Britannorum rebus, inſedêrunt* BRIGANTES. *Ab Orientali enim mari, vſque ad Occidentale eos habitâſſe ſcribit Ptolemæus. Gens hæc erat validiſſima, numeroſiſſima, & apud meliores authores inprimis celebrata, apud quos omnes* BRIGANTES *vocantur, præter vnum Stephanum in Vrbibus, qui* BRIGAS *dixit, quo in loco, quod de illis ſcripſerit, abrupta ſententia, hodie in libris deſideratur. Si hos Brigantes dictos exiſtimarem à* Briga, *quod priſcis Hiſpanis vrbem denotauit, mihi neutiquam ſatisfacerem, quum dictionem eſſe Hiſpanicam è Strabone conſtet. Si cum Goropio è lingua Belgica, Brigantes quaſi* Frechands, *id eſt,* liberi manibus, *denominatos ſentirem, nonne eius ſomnia vigilantibus obijcerem? Vt vt res habet, Britanni noſtri, ſi quos prauo ingenio, & audaciùs graſſantes viderint, peruulgato dicterio* Wharret Brigans, *id eſt,* Brigantem agere *dicunt. Gallique hodie ex priſca (vt videtur) Gallorum lingua eiuſdem farinæ homines* Brigand, *& prædatorias naues* Brigantin *vocitant. An verò ea vis fuerit verbi olim in Gallica, vel Britannica lingua, vel noſtri Brigantes eiuſmodi fuerint, affirmare non auſim. Si tamen non malè memini,* Brigantes *Alpinum populum graſſatores vocat Strabo, & Iulius Belga iuuenis proiectæ audaciæ, cui vis, authoritas, & virtus nomen videbantur,* Briganticus *apud Tacitum cognominatur. Cuiuſmodi vitio Brigantes noſtri affines videantur fuiſſe, cùm ita in vicinos graſſarentur, vt illis ea de cauſa magnam agri partem ademerit Antoninus Pius, vti author eſt Pauſanias qui ſic ſcribit.* Ἀπετέμετο δ' Ἀντωνῖνος ὁ εὐσεβὴς καὶ τῆς ἐν Βριττανίᾳ Βριγάντων τὴν πολλὴν, ὅτι ἐπεσβαίνειν καὶ οὗτοι σὺν τοῖς ὅπλοις ἦρξαν τινὰ Γενουνίαν μοῖραν ὑπηκόους Ῥωμαίων. *Nec aliquos ignominiæ loci hoc laturos ſpero, me ſanè mei diſsimilem præberem, ſi priuatum quempiam, nedum gentem ignominia notarem. Neque hoc ignominiam habuit bellicoſa illa ætate, cùm ius in viribus omnes gentes haberent.* Latrocinia (*inquit Cæſar*) apud Germanos nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiuſque ciuitatis fiunt, atque ea iuuentutis exercendæ, & deſidiæ minuendæ cauſſa fieri prædicant. *Nec à diſsimili ratione*

Brigæ.

Brigantes vnde dicti.

Vide Paſquierium in *Les Recherches de France*, lib. 6. cap. 40.

ratione Pæones *apud Græcos quia percursores.* Quadi *apud Germanos, & Chaldæi, quòd grassatores nomen inuenisse memorantur.* Reinerus Reineccius.

Quòd verò Florianus Del-Campo Hispanus nostros Brigantes ab Hispania in Hiberniam, & inde in Britanniam ambitiosè nimis deduxerit, nulla alia coniectura suffultus, nisi quòd Brigantiam vrbem in Hispania sua inuenerit, à veritate malè metuo ne se abduxerit. Si enim non eadem caussa idem & nostris, & Hiberniæ Brigantibus nomen fecerit, malim cum eruditissimo meo Thoma Saulo iudicare Brigantes nonnullos, & alias Britanniæ gentes, iam inde à Romanorum aduentu in Hiberniam secessisse, alios quietis, & otij cupidine adductos, alios, vt oculos à contagione dominationis Romanis inuiolatos haberent, alios denique, ne quam libertatem à natura pueri acceperant, senes voluntate amitterent. Cæterùm Claudium Imp. primùm Romanorum hos nostros Brigantes aggressum fuisse, & sub imperium ditionemque suam subdidisse his versibus in suo Ludo innuit Seneca. Brigantes tamen illi in Hybernia, in nonnullis exemplaribus vocantur.

Ille Britannos
Vltra noti littora ponti, & cæruleos
Scuta Brigantes, dare Romulæis colla catenis
Iusit, & ipsum noua Romanæ iura securis
Tremere Oceanum.

Ego tamen non illos tunc deuictos, sed potiùs in Romanorum fidem se permisisse existimaui. Nam quod ille Poeticè lusit, historici non memorant. Tacitus enim prodit eo tempore discordias apud Brigantes exortas Ostorium noua bella destinantem retraxisse, quas ille paucis interfectis facilè consopiuit. Quo tempore, Brigantes suam Reginam Cartismanduam nobilitate pollentem habuerunt, quæ Caratacum captum Romanis tradidit. Hinc opes, & rerum secundarum luxus, maritoque suo Venutio spreto, Vellocatum eius armigerum, in matrimonium regnumque accepit, vnde concussa statim flagitio domo, funestum exarsit bellum. Pro marito studia ciuitatis, pro adultero libido Reginæ, & seuitia. Illa callidis artibus, fratrem, & propinquos Venutij intercipit. Venutius stimulante ignominia, accitis auxilijs, simul ipsorum Brigantum defectione, in extremum discrimen Cartismanduam adduxit. Tum petita à Romanis præsidia, alæ, & cohortes illam varijs prælijs exemerunt. Ita tamen vt regnum Venutio; bellum Romanis relictum fuerit, qui non ante Vespasiani tempora Brigantes sub iugum redigere potuerunt. Tunc enim Petilius Cærealis hanc regionem aggressus; multa prælia, & aliquando non incruenta gessit, magnamque Brigantum partem, aut bello, aut victoria amplexus est. Quod verò Tacitus habet Brigantum hanc Reginam Caratacum captum Claudio tradidisse, eoque Claudij triumphum instruxisse, manifestus est in optimo illo authore ἀναχρονισμὸς, *& à Lipsio qui antiquorum authorum genios possedit, iampridem notatus. Nec enim Caratacus hic Silurum in illo Claudij triumpho ductus, nec Caratacus Cunobelini filius (sic enim in Fastis dicitur, quem Catacratum Dio vocat) de quo Aulus Plautius, si non eodem anno certè sequenti ouans triumphauit. Sed hæc alij excutiant & nos iam diximus. Hadriani tempore, cùm, vt inquit Ælius Spartianus,* Britanni sub Romana ditione teneri non poterant, *Brigantes nostri à Romanis etiam desciuisse, & turbulentam aliquam*

Vide pag. 35. & sequentes. Cartismandua. Tacitus.

Temporis pro tempore positio.

seditionem commouisse videantur, id ni esset, non erat cur caneret Iuuenalis, qui tunc vixit.

Dirue Maurorum attegias, & castra Brigantum.

Nec posteà Antonini Pij tempore se animo admodum demisisse videntur, cùm ille eos agri parte mulctaret, quòd Genuniam, *siue* Guinethiam *sociam Romanorum prouinciam, vt diximus, incursassent.*

Si per Criticos nostros qui hodie audaciæ sunt admodum ingeniosæ mihi liceat, vnam & alteram mendam, quæ Tacito de Brigantibus inhæret, me hîc tollere posse videor. Altera est in Annalium libro 12. *vbi Venutium, quem modò diximus è* Iugantum *ciuitate fuisse scribit,* è Brigantum ciuitate, *ego legerim, quod in historiarum* 3. *ipse Tacitus innuere videtur. Altera est in Agricolæ vita.* Brigantes, *inquit,* fœmina duce, exurere Coloniam, &c. Trinobantes *vt legas veritas iubet, de Boodicia enim Regina loquitur, cui cum Brigantibus nihil erat, Trinobantes autem illa in seditionem concitauit, & * Camalodunum Coloniam exussit.*

Tacitus emendatus.

* Maldon.

Cæterùm amplissima horum regio quæ angustior quàm cœperat procedit, in medio, vt Italia Appennino, perpetuis montium iugis attollitur, qui Comitatus, in quos nunc describitur, interdiuidunt. Sub illis enim montibus, ad Ortum & mare Germanicum subiacent Comitatus Eboracensis, & Episcopatus Dunelmensis: & ad Occasum Lancastrensis, Westmorlandia, & Cumberlandia, quæ omnes Prouinciæ in prima Saxonici Imperij infantia Deirorum regno continebantur. Saxones enim has regiones Nordanhumbrorum regnum dixerunt, & in duas partes diuiserunt Deiram, Deiri-land *illa ætate vocârunt, scilicet, quæ nobis proximior cis Tinam fl. &* Berniciam, *quæ vlterior, à Tina ad Fretum vsque Scoticum pertinuit, quæ partes quanquam suos Reges aliquandiu habuerint: tandem in vnum tamen regnum coaluerunt. Vtq́ obiter adnotem, vbi in vita Caroli Magni legitur.*

Deiri. Bernicij.


Eardulphus Rex Nordanhumbrorum .i. De Irland *patria pulsum ad Carolum Magnum venisse. Legendum est coniunctìm* Deirland, *& de hac regione, non de Hibernia siue* Irlandia *intelligendum.*


Pag. 273. Annalium Francorum in 8.

(* * *)

YORKE.

Kkkk 3


WEST MORLAN
NORTH
RI
Kirkbylaunsdale
Settle
Bowland forest
Cledero
Calne
Skipton cast.
Wharfdale
LAN
CAS
TRIÆ
PARS
CES:
TRIÆ
PARS
Stopfurth
DER
BIÆ



RIDING

Rippon.

Boroughbridge

PARS

EAST RIDING PARS

YORK

Selbye

Pontfract

Marshe lande

Diche marshe

Hatfield

AXHOLME

INSUL:

Epworthe

Bautré

Blythe

Worklep

NOTTINGAMIE PARS

LINCOLNIE PARS

PARS

30

YORKE-SHIRE.



AGer Eboracensis, Saxonicè Euerric-scyre, Efferoc-scyre, & Ebora-scyre, vulgò *York-shire*, qui totius Angliæ prouincia est longè maxima, temperatæ censetur vbertatis. Si hic saxosa, vel arenosa sit sterilitas, illic lætissima aruorum fœcunditas, si hic syluis sit nuda, illic densissimis nemoribus obumbrata, ita prouidè temperante natura, vt ipsa regio etiam sua varietate gratior & lætior videatur. Quà declinat in vesperum, montibus quos dixi, Lancastrensi agro, & Westmorlandia terminatur; vnde Arctum suspicit, Dunelmensem Episcopatum habet continuato *Tesis* flu. cursu diuisum. Quà Sol exoritur, Oceano Germanico vrgetur. Latus Austrinum primùm ager Cestrensis & Derbiensis, inde Nottinghamiensis, & posteà Lincolniensis claudunt, vbi loci nobile illud æstuarium *Humber* interfunditur,
Humber. in quod ferè omnia flumina, quæ hanc regionem perfundunt, tanquam in conceptaculum se euoluunt.

Prouincia hæc omnis in tres partes diuiditur, quæ à tribus cœli plagis *West-riding*, *East-riding* & *North-riding* vocantur. *West-riding*, siue pars Occidua, aliquandiu * *Ousa* flu. Lancastrensi limite, & Australibus regionis finibus continetur, vergitque ad Occasum, & Meridiem. *East-riding*, siue pars Orientalis ad orientem solem, & Oceanum spectat, quo vnà cum *Deruentione* flu. comprehenditur. *North-riding*, siue pars Septentrionalis ad Septentriones pertinet, *Tesi* flu. Deruentione, & longo *Ousa* decursu, quasi conclusa. In Occidua parte, occidui, siue limitanei montes multa emittunt flumina, quæ singula vnus *Ousa* hospitio accipit, & in Humbrum secum deducit. Nec alia mihi commodior videtur ratio hanc partem describendi, quam si *Dani*, *Calderi*, *Ari*, *Wherfi*, *Nidi*, & *Ousa* fluenta persequar, qui ex his montibus exorti, potiora sunt flumina, & locis potioribus affunduntur.

*Qui primum *Yre* & *Yure* dictus.

West-riding.

Don fl. *Danus*, vulgò *Don*, & *Dune*, ita, vti videtur, nominatus quòd pressiori & inferiori in solum labitur alueo, id enim *Dan* Britannis significat, postque *Wortley* salutarit quæ in-
Wentworth. signi familiæ cognomen contulit, vti quod in proximo est *Wentworth*, vnde præter alios tùm in hoc Comitatu tum alibi nobiles, & Barones de *Wentworth* & originem & nomen
Sheafield. vnà traxerunt: primum *Sheafield* opidum præterit ferrarijs fabris, vti & alia opidula adiacentia celebre (cùm sint in vicinia ferrariæ plures) & castro firmo vetustoque munitum,
Furniuall. quod rectà serie à *Louetotis*, Dominis *Furniuall*, & *Neuillo* Domino de *Furniuall* ad *Talbottos* honoratissimos Salopiæ Comites descendit. Inde *Danus* alnis, taxis, alijsque arbo-
Rotheram. ribus amictus *Rotheram* adit, quod Eboracensem Archiepiscopum T. Rotheramum virum prudentem suo nomine insignitum, optimumque sibi patronum, alumnum suum ostentat, qui ibidem Collegium cum schola triplici ad pueros scribendi ratione, Grammatica & Musica instituendos laudabili proposito fundauit & dotauit, quod auara no-
Connisborow. strorum temporum iniquitas iam subuertit. Deinde castellum antiquum *Connisborow*,
Hengistus. Britannicè *Caer Conan* rupi affixum suspicit, in quod, cùm Saxones Aur. Ambro. ad *Mais-*
487 *belly* ita dissipasset, vt illi, quà cuique proximum fuit, in fugam effunderentur, Hengistus eorum dux se recepit: paucosque post dies pro castris suos in aciem produxit contra insequentes Britannos, & prælium sibi, & suis funestum conseruit: magna enim vis hominum concisa est, ipsumque interceptum capite obtruncârunt Britanni, si fidem potiorem mereatur historia Britannica, quàm Anglo-Saxonum Annales, qui ipsum laboribus confectum placidè diem obijsse memorant. Posteà *Sprotburg* subluit antiquam sedem vetustæ equestris familiæ *Guilielmidum*, siue *Fitz-Williams*, qui amplissima cognatione no-
Fitz-Williams familia. bilissimos Angliæ attingunt, & è quibus procreati sunt Guilielmus *Fitz-Williams* patrum memoria Southantoniæ Comes, & Guil. *Fitz-Williams* nuper Hiberniæ Prorex. Verùm decursu temporis hoc ad *Copleios*, vt *Elmesley* & aliæ eorum in hoc tractu possessiones ad *Sauillos* hęreditario iure deuenerunt.

Dispartito hinc alueo *Danus* vetusto opido allabens nomen impertit suum, quod nos
Dan-caster. hodie *Dan-caster*, Scoti *Don-castle*, Saxones Dona-ceaster, Ninnius *Caer Daun*, sed Antoninus DANVM vocat, vti & Notitiarum liber, qui prodidit Præfectum equitum Crispinianorum

pinianorum ibi sub Duce Britanniarum stationem habuisse. Igne cœlitùs demisso circa annum Domini DCCLIX. ita deflagrauit, suisque ruinis depressum iacuit, vt vix denuò respirârit. Magnam arcis aream ostendit, quam tunc incendio absumptam credunt, quo loci nunc templum elegans S. Georgio sacrum, quod vnicum est hoc opido, vidimus. Sub hoc vix quinque ad Austrum milliaribus abest *Tickhill* (quod omittere non libet) vetustum opidum vetusto castro satis magno sed simplici mœnium ambitu, & mole ædita cui arx rotunda imponitur, munitum. Ea olim dignitate fuit, vt prædia quæ ad hoc spectârunt *Honor de Tickhill* sint nominata. Regnante Henrico Primo hoc tenuit Rogerus *Busly*, postea Comites Aucenses siue de *Ewe* in Normannia olim Dominos agnouit beneficio R. Stephani. Deinde Rex Richardus Primus Ioanni fratri donauit. Bello Baronico Robertus de *Veteriponte* sibi detinuit, quod vt redderet Comiti Aucensi Rex Henricus Tertius illi commisit Castrum de *Carleolo*, & Comitatum. Sed cùm Rex Galliæ non restitueret Anglis suas in Gallia possessiones, ideò Rex Angliæ retinuit cùm ab Edwardo Primo restitutionem Ioannes Comes Aucensis, iure Aliciæ proauiæ postularet. Richardus Secundus Rex Angliæ tandem Ioanni de *Gaunt* Lancastriæ Duci munificè est elargitus. Cæterùm iam *Danus* qui sæpius hîc insurgit, & campis innatat, diuisas recolligens aquas, cùm aliquantisper solidus fluxerit, per *Hatfield Chace* vbi Ceruorum admodum copiosa est venatio, iterum distractus, hinc *Idelum* Nottinghamiensium flumen, illinc *Arum* petit, vt vnà cum illis *Humbrum* æstuarium subeat. Quo in loco circumfunduntur his fluminibus *Diche-March*, & *Marshland* palustres regiunculæ, seu potiùs insulæ amnicæ, quæ XV. plùs minùs mille pass. in circuitu colligunt, luxuriante viriditate lætissimæ, pascendis pecoribus admodum aptæ, & vndique viculis quasi redimitæ. Terram tamen pendere, & increscentibus aquis attolli incolarum nonnulli existimant, quod de *Antro* Galliæ insula Pomponius Mela scripsit. Inter riuulos verò qui huc aquas suas conuehunt, non omittendus est *Went*, qui è stagno profluit iuxta *Nosthill*, vbi olim fuit monasterium Oswaldo Regi & Sancto sacrum, quod A. Confessor Regis Henrici Primi restaurauit; verùm hodiè habitatio est claræ, & equestris familiæ *Gargraniorum*.

Tickhill.

Plac. anno tertio Ioan. R. Pl. M. 4. H. 3.


Marshland.


Nosthill. S. Oswalds.

Calderus in ipso Lancastrensium confinio scatens ignobilibus prætexitur opidis, inter quæ ad *Gretland* in cacumine montis in quem nullus nisi vna parte accessus, effossa fuit hæc ara votiua Deo ciuitatis Brigantum Topico, vt videtur, posita. Quæ nunc cernitur Bradleiæ in ædibus clarissimi Equitis Aurati Ioannis *Sauil* Baronis Scaccarij.

Calder fl.

In altero latere.





Anno Christi 209.

Id est, *DVI Ciuitatis Brigantum & numinibus Augustorum Titus Aurelius Aurelianus dedicauit pro se & suis.* Extremæ notæ mihi prorsus ignotæ. *Antonino tertiùm, & Geta Consulibus.*

An vero DVI illud sit *Deus*, quem *Diw* nunc vocant Britanni, an peculiaris Brigantum Genius Topicus, disquirant doctiores. *Vti animæ nascentibus, ita populis fatales genij*, sic scribit Symmachus, *diuiduntur. Variosque custodes cunctis regionibus mens diuina distribuit.* Hæc enim erat priscorum Theologica persuasio. Vt enim exteros taceam quorum historia eiusmodi Dijs Topicis est plenissima. Habuerunt Britanni in ea parte quæ Essexia nunc dicitur * ANDATEM, in Cumberlandia BELLO-TVCADRVM, in Northumbria VITERINVM, & MOGONTVM, vt ex inscriptionibus quas suis locis dabo, clariùs constabit. Recteque obseruauit Seruius Honoratus Topicos Deos ad alias regiones nunquam transire. Sed ad *Calder* flumen qui cùm iam aduenis aquis est plenior,

DVI. Genij locorum.

Lib. 1. Ep. 40.

*Dio.

ponte

ponte pulchro ad *Eland* coniungitur, propè quem ad *Grimscarre* lateres fuerunt reperti sic inscripti:

COH IIII BRE.

Romani enim militare laude florentes & Legiones & Cohortes in pace & otio contra otium, fossis perducendis, vijs muniendis, lateribus coquendis, pontibus extruendis, &c. prudentissimè exercuerunt.

Vopiscus in Probo.

Halifax. Aliqui volunt *The Chapell in the grove*, priùs dictum fuisse.

Inter ipsos montes *Calder* posteà à sinistra *Halifax* relinquit opidum celebratissimum in decliui collis ab Occasu in Ortum positum. Nec multis antè seculis hoc nomen assumpsit, *Horton* enim anteà dicebatur, vt ex incolis perhibent nonnulli, qui & hanc historiolam de nominis immutatione habent. Clericus quidam, vt vocant, virginem impotenter deperibat, cuius pudicitiam cùm nullis lenocinijs èxpugnare potuisset, amore in amentiam verso, caput virginis sceleratus abscidit, quod posteà taxo appensum, vulgus ad putredinem vsque sacrosanctum habuit, & inuisit, arborisque ramusculos quisque sibi decerpsit. Sed arbore iam denudata, honoris & religionis opinionem conseruauit credulitas. Populus enim credidit venulas, quæ tanquam comæ, vel stamina inter corticem & truncum taxi extenduntur, ipsissimos fuisse virginis capillos. Vnde peregrinatio à vicinis huc instituta, & ita frequentata fuit, vt *Horton* viculus in amplum opidum accreuerit, nomenque nouum Haliʒ-fax siue *Hali-fex*, id est, *Sacri capilli* acceperit. *Fax* etenim Transtrentanis Anglis capillum significat. Vnde etiam nobilium familia in hoc agro *Fairefax* à pulchro capillitio nominatur. Qui ergo ex nominis similitudine hoc Ptolemæi Olicanam statuunt, frustrà sunt. Celebritas verò huius magna est apud vulgus ex ea lege qua furto deprehensos statim capite obtruncant, nec non apud doctos quod Ioannem de *Sacro Bosco* authorem de Sphæra hinc oriundum perhibent. Sed celebritas maior ex Parochiæ amplitudine, Capellas enim XI. è quibus duæ sunt Capellæ parochiales, & hominum plùs minùs duodecim millia numerat, Adeò vt incolæ subinde dicere soleant, hanc suam parochiam plures alere homines, quam alia cuiuscunque generis animalia: cùm alibi in Anglia in locis fertilissimis plurima ouium millia & pauculos homines conspicias quasi ouibus & bobus homines cesserint, vel ab ipsis deuorati fuerint. Admiranda etiam inprimis hic incolarum industria, qui solo sterili in quo non modò commodè viui, sed vix viui possit, ita re pannaria floruerunt, quam primùm ante septuaginta annos exercere cœperunt, vt & opes sibi magnas congerant, & vicinis omnibus laudem præripiant; verumque illud probârunt, quod dicitur hominum industriam loci sterilitate sæpe exacui, & hinc Norimbergam Germaniæ, Venetias & Genuam Italiæ, Limogeamque Galliæ vrbes infœcundis locis sitas extitisse florentissimas.

Fax, quid. *Halifax Law.*

Almondbury. Cambodunum.


Ad sextum hinc milliare non ita procul à dextra *Calderi* ripa, prope *Almondbury* viculum, in colle satis prærupte ædito, qui vnâ tantum parte ex æquo adiri possit, valli, murorum aliquæ ruinæ, & castelli quod triplici munitionum, quasi corona præcingebatur, manifesta indicia cernuntur. Hunc etiam OLICANVM fuisse volunt nonnulli, sed aliud vult veritas, nimirum esse CAMBODVNVM, quod perperam Ptolemæo CAMVLODVNVM, & Bedæ diuiso vocabulo CAMPO-DVNVM, Hoc probat hinc a MANCVNIO, illinc à CALCARIA, ipsa quam statuit Antoninus, distantia. Primis etiam Saxonum temporibus summo honore floruisse videtur. Villa enim erat Regia, basilicamque habuit à Paulino huius gentis Apostolo constructam, & Albano sacratam, vnde pro *Albonbury*, *Almonbury*, nunc dicitur. Sed cùm Ceadwalla Britannus, & Penda Mercius Edwinum harum regionum principem acerrimo bello persequerentur, hostili igne (vt à Beda scribitur) deflagrauit, quod quidem adustus in saxis color etiamnum testatur, Castellum tamen postea eo loci surrexit quod Henrico *Lacy* Regem Stephanum confirmâsse legi. Huic adiacet *Whitley* habitatio vetustæ sane & celebris familiæ de *Bello-monte* quæ tamen alia est ab illa Baronum & Vicecomitum de *Bello-monte* & ante eorum in Angliam aduentum inclaruit.

Whitley.

Kirkley.

His relictis *Kirkley* quondam virginum sacratum sedem, & Roberti *Hoodi* prædonis hone-

honestissimi, & igitur decantatissimi, tumulum prӕterlapsus *Calderus* petit *Dewshorrough* sub colle excelso positum. An nomen habuerit à *DVI* illo quem modò dixi, Deo Topico non dixerim, nomen sanè non abludit, sonat enim *Duis Burgum*, & floruit sanè in prima enascentis Ecclesiӕ infantia inter Anglos in hac Prouincia. Accepimus enim crucem hîc extitisse in qua inscriptum fuit Dewshorrough.


PAVLINVS HIC PRÆDICAVIT ET CELEBRAVIT.

Paulinum verò hunc primum fuisse Archiepiscopum Eboracensem, circa annum salutis DCXXVI. Annales consentiunt omnes. Hinc per *Thornhill* quod ab eiusdem cognominis Equitibus auratis ad *Sauillos* descendit, *Wakefeldiam* alluit *Calderus* re pannaria, sua magnitudine, ӕdificiorum elegantiâ, foro frequenti, & ponte inclytam, cui sacellum pulcherrimum impositum fuit ab Edwardo Quarto in memoriam eorum qui ibi prӕlio ceciderunt. Comitum Warennniӕ & Surriӕ hӕc olim possessio erat, vti etiam *Sandall* castrum adiunctum, quod Ioannes Comes Warrenniӕ qui libidini mentem nunquam clausam habuit, condidit, cùm Thomӕ Comitis Lancastriӕ vxorem familiarius quam pudicitia postularet tractasset, vt in hoc ipsam à marito securè detineret. Sub hac cùm Anglia intestino, & ipsis visceribus inhӕrente bello vreretur, inter plurimos alios, Eboracensis Dux Richardus Edwardi Quarti pater, qui fortunam potiùs mouere, quàm expectare elegit, à Lancastrensibus interfectus occubuit. Tractus hic circumiacentus satis longè latéque *Dominium de Wakefeld* dicitur, Seneschallúmque suum habet semper aliquem ex nobilioribus vicinis, quod munus sӕpius gesserunt *Sauilli*, quorum familia hic est numerosissima, hodiéque eodem fungitur I. *Sauill* Eques auratus, cuius ӕdes elegantissimӕ haud procul ad *Howley* conspiciuntur. Vix quintum à *Wakefeldia* milliare *Calderus* emensus est, cùm & aquas & nomen in *Aro* deponit suum. Vbi ad confluentes intersidet *Medley*, olim Medeley, id est, *Interamna*, vel *Media inter amnes* ob situm dicta: sedes superiori seculo Roberti *Waterton* Hippocomi Regis Henrici Quarti, nunc verò clarissimi Militis Ioannis *Sauilli* dignissimi Baronis Regij Scaccarij, quem & mihi pro humanitate fauisse, & hoc opus pro doctrina promouisse libens lubensque agnosco. Wakefeld. 1460. Sauilli. Howley. Medley.

Arus ex Pennigenti montis radicibus, qui inter Occiduos montes altiùs se effert, ortus, statim ita mӕandris ludit, quasi dubius fontes an mare petat, vt septies semihorӕ spatio recto itinere mihi traijcendus esset. Tranquillus, compositus, & vix fluens leniter fluit, vnde sortitum nomen credimus. Lenem enim & lentum *Ara* Britannis denotare diximus, vnde lentus ille Galliӕ Araris nomen habet. Regionem ad huius fontes *Crauen* vocamus, fortè à Britannica *Crage*, id est, *Saxum*. Saxis enim, atque pendentibus rupibus, & aspretis omnia inhorrescunt, quibus media, suis quasi latebris, non procul ab *Aro* subsidit *Skipton*, intérque prӕcipitia quodammodo inclusa latet, perinde ac Italiӕ Latium, quod sic dictum autumat Varro, quia sub Apennino, & Alpibus lateat. Opidum pro ratione ӕdificiorum inter hos montes satis est nitidum, castrúmque habet ornatum sanè, & munitum, à Roberto de *Rumely* constructum, per cuius posteros hӕreditariò ad Albӕmarlӕ Comites deuenit. Cùm autem horum caduca hӕreditas, vt aiunt, Regibus obtigisset, Robertus de *Clifford* (cuius posteri nunc sunt Cumbriӕ Comites) commutationis iure, & hoc castrum & amplissima circumquaque latifundia ab Rege Edwardo Secundo consequutus est, traditis Regi in manum possessionibus quas in *Marchia Walliӕ* ille habebat. Are fl. Araris Galliӕ. Crauen. Skipton. Latium.

Cùm *Crauen* superauerit *Arus*, diffusior lӕtiores agros circumiectos, & inter eos *Kigehley* prӕterit quod nomen fecit clarӕ familiӕ de *Kigehley* inde dictӕ. E qua Henricus *Kigehley* obtinuit ab Edwardo Primo huic suo Manerio ius *mercatus, feriӕ, & liberam Warrennam, ita quod nullus intret terras illas ad fugandum in ijs, vel ad aliquid capiendum quod ad Warrenam pertineat, sine licentia & voluntate ipsius Henrici & successorum eius.* Quod magni instar beneficij eo seculo habitum, & ego adnoto vt videamus quid fuerit Kigeley. Libera Warrena.

Libera

Libera Warrena. Verùm rectâ lineâ mascula huius familiæ nostra memoria desijt in Henrico *Kigehley* de *Inskip*, filiæ autem & hæredes enuptæ Willielmo *Cauendish* nunc Baroni *Cauendish* de *Hardwick* & Thomæ *Worsely* de *Boothes*. Hinc *Arus* *Kirkstall* non obscurum olim monasterium ab Henrico *Lacy* Anno MCXLVII. fundatum præterlabitur, demumq; *Leedes*, Saxonicè Loydes inuisit, quod *villa Regia* factum fuit cùm CAMBODVNVM hostili igne succensum iacuit, nunc opidum lanificio opulentum, vbi Oswius Northumbrius Pendam Mercium fudit. *Et magna cum vtriusq; populi vtilitate*, vt inquit Beda, *nam & suam gentem ab hostili Paganorum depopulatione liberauit, & ipsam Merciorum gentem ad fidei Christianæ gratiam conuertit*. Locus verò ipse in quo pugnatum est, *Winwidfield* à scriptoribus vocatur, quod nomen à victoria impositum suspicor, vti locus in Westphalia, vbi Quintilius Varus cum suis legionibus cæsus erat, Germanicè *Winfield*, id est, *Victoriæ campus*, appellatur, vt annotauit doctissimus, & mihi summè amicus Abrahamus Ortelius. Regiuncula circumuicina vetusto nomine olim *Elmet* appellata fuit, quam Eadwinus filius Ællæ Rex Northumbriæ expulso Ceretico Rege Britanno sui iuris circa an. Christi DCXX. fecit. In hac calx viua passim effoditur, quæ ad *Brotherton*, & *Knottingley* excoquitur, statisq; temporibus quasi nundinis ad *Wakefeldiam Sandall*, & *Stanbridge* magna vis eius conuehitur: & in Occiduam hinc regionem, quæ montana & frigidior, ad agros lætificandos & fœcundandos diuenditur. Sed hæc agricolis relinquamus, ego quo cœpi pede pergam.

Leedes. Winwidfield. * Limestone. Elmet. Ninius. Castle-ford.

Calderum quem dixi, hospitem cum suis aquis tandem recipit *Arus*, vbi iuxta ipsos confluentes, *Castle-ford* est viculus, *Casterford* Marianus vocat, qui prodit ciues Eboracenses plurimos ex Edelredi Regis exercitu ibi cæcidisse, quos insequentes carptim lacesserunt, cùm ille ob fidem violatam hanc regionem incursaret. Sed vetustiore nomine hic locus Antonino LEGEOLIVM, & LAGETIVM dicitur, in quo præter vetustatis expressa atque illustria indicia, magna vis Rom. nummorum *Sarasins head* vulgus ibi vocat, in loco *Beanfield*, à fabis nunc dicto iuxta Ecclesiam inuenta: etiam distantia à DANO & EBORACO, quibus interposuit, planissimè docet: vt situm ad ipsam militarem Romanorum viam, & quod Rogerus Houedenus disertè Ciuitatem vocat, taceam.

Legeolium.

Hinc *Calderi* incursu *Arus*, grandior à sinistra *Brotherton* opidulum relinquit, in quo * Margareta Regina è venatione diuertens, partu leuata marito suo Edwardo Primo Thomam de *Brotherton* inde nominatum, qui posteà Comes Norfolciæ & Angliæ Marescallus, peperit. Nec longè inferiùs *Arus* recepto *Dano* in *Ousam* se immergit. A dextra, vbi marga flauior reperitur quæ agris inspersa ad fertilitatem plures annos valet, haud procul a ripa *Pontfract*, siue *Pontem fractum*, vulgò *Pontfreit* præterit, quod è Legeoli occasu quasi in vitam prodijt. Saxonicis temporibus *Kirkby* vocabatur, sed Normanni à fracto ponte Gallicè *Pontfract* nominârunt. Ex eo, vt vulgo creditur, quòd pons ligneus super *Arum* in proximo fractus erat, cùm Guilielmum Archiepiscopum Eboracensem (qui natus ex Stephani Regis sorore) Roma reducem maxima hominum multitudo comitaretur, plurimique in flumen deciderint, sed Archiepiscopo vberiùs flente, & numen diuinum inuocante, ne vnus periret. Agro sedet peramœno, Glycyrizæ, & sileris feraci, ædificijs excultum nitidis, castrumque rupi affixum ostendit, si quod aliud magnificum, crebrisque propugnaculis non minus speciosum, quàm tutum. Hildebertus *Lacy* Normannus, cui hoc opidum cum vicino agro (Alrico Saxone exturbato) Guilielmus Primus dederat, castrum hoc primus condidit. Henricus verò *Lacy* eius nepos *fuit in bello* (ex Placitis loquor) *ad Trenchbrey contra R. Henricum Primum, quare dessеisitus fuit de Baronia de Pontfract, & Rex dedit Honorē Widoni de Lauall qui tenuit ad tempora Regis Stephani, quo tempore intrauit Henricus ille in Baroniam, & intercedente rege pro 150. libr. composuit cum Widone*. Henrico huic natus est filius Robertus, qui nulla suscepta prole reliquit Albredam *Lisours* sororem, *ex parte matris non ex parte patris hæredem, quia non alium tam propinquum habuit, vnde illa post Roberti mortem vtramque hæreditatem fraternam de Lacy, & paternam de Lisours occupauit*. Hæc sunt ipsa verba libri Monast. de *Stanlow*. Hanc duxit Rich. *Fitz-Eustach*, id est, Filius Eustachij, Constabularius Cestriæ, cuius posteri Laciorum nomen sibi adsciuerunt, & Comites Lincolniæ floruerunt. Per Laciorum verò vltimi filiam formula transcriptionis ornatissima hæc hæreditas tandem deuoluta est ad Comites Lancastrenses, qui castrum plurimum adauxerunt,

Brotherton. * *Vxor secunda.* Marga flaua. Pontfract. *T. de Castleford* S. Guilielmus Eboracensis. Lacy. *Placita 11. H. 3* *Liber Monast. de Stanlow.* *Th. Comes Lancastriæ.*

adauxerunt, vti etiam Regina Elizabetha magnis impensis instaurauit, sacellumque pulchrum inchoauit. Locus principum cæde & sanguine infamis, suo enim sanguine cruentauit Thomas Comes Lancastriæ, qui Lancastrensium primus vxorio iure possedit, Illum enim Rex Edwardus Secundus vt se à rebellione & contemptu vindicaret salutari seueritate hîc capite truncauit, quem tamen in Sanctorum numerum retulit vulgus. Hîc Richardus Secundus Rex Angliæ quem Henricus IIII. regno spoliauit, fame, frigore & inauditis tormentis scelerate sublatus est. Hîc etiam Antonium Comitem *Riuers* Regis Edwardi Quinti auunculum, & Richardum *Grey* Equitem auratum eiusdem Regis fratrem vterinum Richardus III. innocentes capitali supplicio affecit. Metuebat etenim tyrannus ne illi viri erecto animo, sibi ad tyrannidem grassanti viam intercluderent. Abbatiam quam hic religiosis *Lacij*, & Hospitale quod pauperibus R. *Knolles* posuerunt, sciens omitto, cum vix rudera iam ostendantur. Thomas Comes Lancastriæ.

A LEGEOLIO relicta *Shirborna* opidulo frequenti quòd a limpido fluuiolo nomen accepit, & Athelstanus Rex Archiepiscopis Eboracensibus concessit, militari Romanorum via alta eminentia aggesta ad *Aberford* peruenimus: qui viculus est situs ad viam illam militarem, & aciculis conficiendis, quibus primas mulieres deferunt, celebris. *Coc* fluuiolus (*Cokarus* in libris concipitur) hîc subterlabitur, & in descensu ad fluuiolum vetusti castri radices, quod *Castle Cary* vocant, cernuntur. Vix duûm hinc milliarium interuallo ad *Cocari* fontes *Barwic in Elmet* sedet, Northumbriæ regum olim, vt ferunt, villa regia, quam muris circumseptam fuisse vel rudera loquentur. Ex altera parte *Hessellwood* locatur primaria sedes claræ & inprimis antiquæ familiæ *Vauasorum* qui ex munere (regij enim olim *Valuasores* erant) hoc nomen assumpserunt, & postremis Edwardi Primi temporibus Guilielmus *Vauasor* ad Comitia Parlamentaria cum reliquis regni Baronibus euocatus erat, vt in ipsis quas vocant *Summonitionibus* videre licet. Subest huic clarissima illa Lapicædina quæ *Petres Post* dicta, eò quòd saxis inde excisis liberalitate *Valuasorum* templum illud magnificum *S. Petri* Eboraci fuerit substructum. Aberford. Cary Castle. Barwic in Elmet. Hesselwood. Vauasores siue Valuasores. Petres Post.

Ab Abertordia *Cokarus* fluuiolus statim *Wherfum* fl. quasi mœstior petit ciuilia detestatus bella, ex quo Anglorum sanguine cruentus fluxerit. Ad eius enim ripam iuxta *Towton* viculum rusticanum, verè fuit Pharsalia nostra. Nullo vnquam in loco tantum virium, tantum nobilitatis Anglia nostra vidit, centum scilicet hinc illinc millia, nunquam acriores, nunquam alacriores partium duces, qui Dominico Palmarum MCCCCLXI. instructi agminibus, collatis signis concurrerunt. Cumque anceps pugna in multum diei varium certamen extraxisset, Lancastrenses impetum non sustinentes, quibus res nulla magis exitio fuit, quàm ipsius exercitus incomposita magnitudo, datis tergis effusè fugerunt: adeoq; concitato cursu cædi instantes Eboracenses insequuti sunt, vt nobilibus plurimis occisis, XXX. quinq; Anglorum millia eo die fuerint desiderata. Pauloq; inferiùs est iuxta *Shirburn* ad *Hudleston* viculum Latumia nobilissima, è qua lapides cum primum excisi, sunt molliores, cum tamen vento & aëre indurantur, sua duritie solidissimi. Prælium ad Towton. Latumia.

Ex *Crauena* montibus descendit etiam *Wherf*, siue *Wharf*, Saxonicè Guerf, & *Aro* æquidistans diu defertur. Si quis nomen detortum existimat ex *Guer* dictione, quæ Britannis *Rapidum* sonat, ne illius opinioni fluminis natura suffragatur, prærapida enim celeritate fremens, quasi contumax, & iratus deuehitur, saxisque crebris exasperatur, quæ non sine admiratione prouoluit, præsertim cùm hybernis aquis intumuerit. Ipsa etiam æstate perinfestus est, quod ipse nec sine meo periculo sensi, cùm primum has regiones perlustrarem. Saxa enim habet adeò lubrica, vt equi vestigia fallant, aut vnda rapidior subducat. Cursu satis longo, quem quinquaginta ferè pass. mill. à fontibus ad *Ousam* conficit, obscura tantum perstringit opidula, delapsus per *Kilnesey Cragge* cautem omnium quas vidi editissimam & præruptissimam *Burnsall* vbi pontem è saxo iam construit Guilielmus *Crauen* Equestri dignitate & Senator Londinensis hinc oriundus qui etiam in proximo pio studio & in patriam benefico nuper posuit; & *Barden-Toure* Comitis Cumberlandiæ turriculam vbi circumquaque est opima venatio, *Bolton* vbi olim Monasteriolum, *Bethmesley* sedem celebris familiæ *Claphamorum*, è qua fuit I. *Clapham* bello ciuili inter Lancastrenses & Eboracenses vir admodum bellicosus. Inde *Ilekely* accedit, quam ex ratione situs ad Eboracum ex Ptol. & nominis affinitate OLICANAM iudicarim. Certè vetustum esse opidum (præter columnas Romano opere exculptas in cœmi- Wherf fl. Kilnsey crag Olicana. Ilekely.

terio iacentes & alibi) Seueri ætate restitutum opera * Virij Lupi Legati & Proprætoris Britanniæ edocet hæc nuper iuxta Ecclesiam effossa inscriptio:

* Huius meminit Vlpianus lib. 2. de vulgari & pupillari substitutione.

I M. SEVERVS.
AVG. ET ANTONINVS
CAES. DESTINATVS
RESTITVERVNT, CVRANTE VIRIO LVPO *LEG. EORVM *PR-PR.

*Legato.
*Proprætore.

Cohortem secundam Legionum hic egisse testatur hæc etiam Ara quam ibi vidimus sub gradibus domicilij positam & sic a Præfecto Cohortis Secundæ Lingonum inscriptam VERBEIÆ, Nymphæ fortasse, vel Deæ *Wherfi*, præterlabentis fluminis, quod illi VERBEIAM ex arcta nominum affinitate dixisse auspicor.

Verbeia fl. vel Nymphæ.

VERBEIÆ
SACRVM
CLODIVS
FRONTO
PRÆF. COH.
II LINGON.

Flumina enim vt scribit Gildas eo seculo *Diuinis honoribus à cæco Britanniæ populo cumulabantur.* Arasque illis olim erectas fuisse docet Seneca: *Flumina*, inquit, *magnorum capita veneramur, subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet.* Et, *Omnibus aquis*, vt inquit Seruius, *suæ præsidebant Nymphæ.* In Ecclesiæ etiam pariete infixa est hæc mutilata inscriptio:

Epist. 41.

- - - - - - - - - - - - - - -
RVM CÆS.
AVG. - - - - - -
ANTONINI
ET VERI
IOVI DILECTI
CÆCILIVS
PRÆF. COH.

In

In ipsa autem Ecclesia dum diligenter monumenta antiquitati Romanæ perquirerem, nihil occurrit nisi Adami *Midletoni* Militis armata è saxo effigies, qui floruisse videtur sub Edwardo Primo, cuius posteritas etiamnum hîc in vicinia ad *Stubham* superest.

Inferiùs *Otley* adsidet Archiepiscopi Eboracensis opidum, sed nihil memorandum habet præter arduam & rigentem cautem, *Chevin* vocant, cui subiacet. Montis enim dorsum *Chevin* dicitur Britannis, vnde dorsum illud montium perpetuum in Gallia quæ olim illa eadem qua Britanni vsi sunt lingua, *Gevenna* & *Gebenna* fuit dicta. Posteà ripis vtrinque calce illa fœcunda quam *Limeston* vocant extructis *Harewood* præterfluit, vbi castrum vidimus nec inelegans, nec inualidum, quod pro temporum vicissitudine subinde Dominos mutauit. *Curciorum* olim fuit, sed per Aliciam hæredem deuenit ad Warinum *Fitz-Gerold* qui ipsam in vxorem duxerat, cuius filia & hæredum altera Margeria cùm amplissimas fortunas haberet primùm elocata est Baldwino de *Riparijs* Comitis Deuoniæ filio, qui ante patrem obijt, posteà Falcasio de *Brent* Regis Ioannis beneficio ob egregiam in direptionibus operam. Cùm autem tandem Isabella de *Riparijs* Comitissa Deuoniæ sine sobole diem obijt, obtigit hoc castrum Roberto de *L'isle* filio Warini, vt consanguineo & alteri hæredum: demum per illos de *Aldborrough* ad *Ritheros* deuenit, vt author est mihi Fr. *Thinn* qui antiquitates Angliæ summa diligentia, magnoq; iudicio iam diu est venatus. Nec tacendum quod huic vicinum *Gaw-thorpe*, vnde effloruit *Gascoignorum* è Guasconia Galliæ, vt videtur, familia quam sua vetustas & virtus plurimùm in hoc tractu illustrauit.

Otley. *Chevin.* *Chevin* quid. Gevenna. *Harewood.* Placita 1. Ioan. Rot. 10. in D. Monstr. le droit. 35. E 1. Domini de Insula, siue *Lisle.* Gascoigni.

Hinc *Wetherby* alluit *Wherfus* opidum mercatu satis insigne, quod nihil antiqui omninò ostendit, præter locum sub ipso, Diuæ *Helenæ* vadum nunc vocitant, vbi militaris Romanorum via flumen transiuit. Inde per *Tadcaster* exiguum quidem opidulum defluit, quod tamen CALCARIAM fuisse ex distantia, soli natura, & nominis notatione non possum non sentire, & cum Roberto *Marshall* de *Bickerton* politi iudicij viro vnà consentire. Ad nonum enim milliare Italicum ab Eboraco abest, vti CALCARIAM statuit Antoninus. Calx etiam quæ est cæmentorum ferrumen, & vix alibi in hoc tractu reperitur, hîc copiosè effoditur, & in ædificiorum vsum Eboracum vsque & in omnem regionem circumuicinam distrahitur. Cùm autem calx illa Britannis, Saxonibusque olim, & Septentrionalibus Anglis *Cale* Romano nomine dicatur, (*Imperiosa enim illa ciuitas non solùm iugum, sed etiam linguam suam domitis gentibus imposuit*) & Calcarienses in Codice Theodosij dicantur, qui sunt calcis excoctores, non absurdum videatur, si nominis ratio à calce petatur, vti *Chalcis* ab ære, *Ammon* à sabulo, *Pteleon* ab vlmis, & *Calcaria* vrbs Cliuiæ fortasse à calce nomina acceperunt: maximè cùm etiam *Calca-cester* Bedæ dicatur, vbi meminit Heinam mulierem quæ prima in hac regione Sanctimonialis vestem suscepit ad hanc ciuitatem secessisse, & mansionem sibi instituisse. Præterea collis ad opidum *Kele-bar* dicitur, in quo antiqui nominis nonnihil subest. Nec desunt alia vetustatis argumenta, vt enim situm ad viam Consularem omittam, Romanorum Cæsarum nummi sæpe effodiuntur, fossarum quibus ambiebatur vestigia, & vetusti castri area supersunt, è cuius reliquijs non ante multos annos pons erat constructus, quem cùm *Wherfus* subierit, iam sedatior aquas suas *Ousæ* confundit. Et sanè mihi neutiquam admiratione indignum videtur, quod *Wherf* tot aquis adauctus æstiuo tempore tam tenuis sub hoc defluat, vt quidam adulta iam æstate cùm hùc venisset lepidè cecinerit.

Wetherby. *Tadcaster.* Calcaria. Calcarienses. De Decurionibus L. 27. Lingua Romana in Prouincijs. Augustin. lib. 19 de Ciuitate Dei. Itinerarium T. Edes.

> *Nil* Tadcaster *habet Musis vel carmine dignum,*
> *Præter magnificè structum sine flumine pontem.*

Hiberno autem tèmpore si venisset, tantum pontem tot aquis vix capacem vidisset. Sed nôrunt Physici pro calore vel frigore extrà vel intrà grassante, fontes & fluuios vel decrescere vel augeri.

Superiùs *Nidus* fluuius fœculentior è radicibus *Crauenniorum* montium primùm per *Nidherdale* vallem à se denominatam, syluis coronatus descendit, inde per *Rippley* mercatum aquas ducit, vbi *Inglebeiorum* familia vt magna antiquitate, ita multo splendore floruit. Posteà *Gnaresburg*, vulgò *Knarsborrow* castrum rupi asperrimæ impositum, vn-

Nid fl. *Rippley.* *Knarsborrow Castle.*

de & nomen inditum, profundo suo alueo communit, quod Serlonem de *Burgo* patruum Eustacij *Vesci* condidisse ferunt, posteà *Estoteuilli* sedes erat, nunc verò patrimonij Lancastrensis censetur. Sub quo fons est in quem non è terræ venis aquæ scaturiunt, sed ex impendentibus rupibus guttatim distillant, vnde *Dropping Well* vocant, in quem quicquid ligni immittitur, lapideo cortice breui obduci, & lapidescere obseruatum est. In agro verò vicino glycyrriza lætè prouenit, & marga illa flauior & mollior reperitur, quæ ad terræ fertilitatem plurimum iuuat. *Forresta* autem adiacenti præfuit olim Custos *Gamellus* quidam cuius posteri ab habitatione ad *Screuen* nomen de *Screuen* assumpserunt, à quibus orti sunt *Slingesbei*, qui hanc *Forrestariam* ab Edwardo Tertio acceperunt, & ad hunc vsque diem hic clarent. Hæc *Nidus* præteruectus, non procul ab *Allerton* sede Equestris familiæ antiquæ sanè, & celebris *Mallinerorum*, qui in antiquis scriptis *Mali Leporarij* dicuntur, post breue iter *Ousam* obuium vndis suis adauget.

Dropping Well. *Fons lignum in saxa conuertens.* *Slingesbei.*

Vre autem ex his Occiduis item montibus, sed in altera regionis parte, scilicet in *Northriding* emanans, cum hoc nomine Septentrionalem agri partem irrigârit, paulò antequam ad *Rippon* peruenit, fit limes inter Septentrionalem & Occidentalem huius prouinciæ partem. *Rippon* verò illud, Saxonicè hrippun, inter *Vrum* & *Skell* fluuiolum locatum, religioni suam dignitatem debet, inprimis monasterio à Wilfrido Eboracensi Archiepiscopo, in primitiua Anglorum ecclesia constructo, *miro*, vt inquit Malmesburiensis, *fornicum inflexu, lapidum tabulatu, porticuumque anfractu*, quod posteà Dani, cùm nec diuinis, nec humanis præ impotenti rabie parcerent, vnà cum opido exciderunt. Denuò tamen instauratum floruit operâ Odonis Archiepiscopi Cantuariensis qui maximus mystagogus Wilfridi reliquias hinc Cantuariam transtulit. Sed à Normannico imperio potissimùm viguit, cùm, vt inquit ille, monachorum castra copiosiùs extrui cœpissent, tunc enim & opidum sub suo magistratu, quem antiquo Saxonico vocabulo *Wakeman*, quasi *Excubitorem* vocant, & lanificij industriâ, quæ hodie valde remissa est, inclaruit; & monasterium sub Eboracensium Præsulum tutela mirum in modum florere cœpit. Templumque sanè perelegans nobilium vicinorum, & sui Thesaurarij impensis positum, quod tribus excelsis pyramidibus, & aduenientibus quasi gratulatur, atque *Fontibus* opulento cœnobio à Thurstino Eboracensi Archipræsule in conspectu fundato æmulabatur. Ad alteram huius Templi partem Cantorum Collegiolum ab Henrico *Both* Archiepiscopo Eboracensi constructum vidimus: ab altera parte tumulum terreum satis grandem, *Hilshow* dicunt, quem à Danis aggestum perhibent. In ipso templo auorum memoriâ Wilfridi acus celeberrima fuit, id erat angustum in cryptoporticu foramen quo mulierum pudicitia explorabatur, quæ enim castæ erant, facilè transibant, quæ dubiâ famâ, nescio quo miraculo constrictæ detinebantur. *Fontium* illi monasterio (*Fountains* nos vocamus, quod vberrimo agro amœnissimè positum, & plumbi venas in proximo habet) originem dederunt duodecim Monachi Eboracenses, qui cùm astrictiore vitæ genere Deo inseruire arderent, sua claustra deseruerunt. Quibus post multas molestiarum messes hoc monasterium Thurstinus Archiepiscopus Eboracensis construxit. Horum non meminissem, nisi D. Bernardus eorum institutum tantoperè in suis epistolis approbâsset.

Vre. *Rippon.* *Wakeman.* *S. Wilfrids needle.* *Fountains.*

Vro non multò inferiùs adsidet exiguum opidulum *Burrowbridge* appellatum, à ponte quo flumen iungitur, qui nunc pons è viuo saxo sublimis & eximius est; sublicium autem Edwardi Secundi tempore videtur fuisse. Legimus enim cùm Anglorum proceres Regem illum & Rempublicam agitarent, Humfredum de *Bohun* Herefordiæ Comitem dum per hunc transiret, ex rima a milite sub ponte latente, per inguina transfossum fuisse. Iuxta hunc pontem ad Occasum in tribus diuersis agellis, quatuor vastos lapides pyramidali forma, sed rudi admodum opera rectâ quasi lineâ positos vidimus. Duæ mediæ pyramides, quarum alteram sacra illa auri fames frustrà nuper subuertit, fere contiguæ erant, exteriores non magno, sed pari ferè interstitio ab his vtrinque distant. De his nihil aliud habeo quod dicam, nisi quod cum nonnullis existimem Romanorum fuisse trophæa ad ipsam militarem viam erecta quæ hàc duxit. Vulgi enim fabellas, qui has *Cacodæmonum sagittas* vocat, quibus antiquas vrbes confixerunt, libens omitto. Non tamen hoc omittam quod plurimi, & illi quidem docti has non e viuo saxo, sed arena

Burrowbridge. *Pyramides.* *Deuils bolts.*

arena pura, calce, Chalchantho, cuius & granula in ijs inesse dicunt, & vnctuoso aliquo compositas esse existimarint. Cuiusmodi cisternas Romæ fuisse ex arena fossitia & vehementissima calce ita constructas meminit Plinius, vt lapides viderentur.

Magis ad Orientem ab hoc ponte Is-vrivm Brigantvm vrbs vetusta à præterfluente *Vro* nomine accepto olim floruit, sed multis retrò sæculis à fundamentis excisa. Viculus autem qui eius loco emicuit, ad testandam vetustatem *Ealdburg*, & *Aldborrow*, id est, *Antiquus Burgus*, dicitur. Nam in ipsa vrbis area restibiles sunt agri & pascua, vix quidem, vt vestigia eius notari possint. Laboraret certè ipsa Annalium fides, vt hoc Is-vrivm fuisse crederemus, nisi *Vrus* fluminis nomen, Romani nummi assiduè eruti, & distantia quam inter hoc & Eboracum interposuit Antoninus fidem facerent. Ad xvi. enim milliare Italicum hinc defluens *Vrus*, quem Saxones iam *Ouse* dixerunt, quod *Ousburne* amniculum recepit, Eboracvm siue Ebvracvm vrbem interluit, quam Ptolemæus in libro Magnæ Constructionis secundo Brigantivm vocat, si liber non sit corruptus, quòd Brigantium caput esset. Ninnius *Caer Ebrauc*, Britanni *Caer Effroc*, Saxones Euoꝛ-ƿic & Eoꝼoꝛ-ƿic, nos hodie *Yorke* dicimus. Historia Britannica a Rege Ebrauco conditore nominatum prodit; liceat tamen mihi opinari sine aliorum præiudicio non aliunde Ebvracvm deductum quàm ab *Vro* flumine, ita vt sonet *Ad* vel *secundum Vrum*: sic Ebvrovices Galliæ ad *Eure* flumen, iuxta *Eureux* in Normannia consedêrunt, sic Ebvrones Belgici prope *Ourt* flumen in diocœsi Leodiensi, & Eblana Hiberniæ *Lefny* flumen attingit. Vrbs hæc totius Angliæ secunda, huius regionis pulcherrima, vniuersæque Septentrionali parti, & præsidio, & ornamento est singulari. Amœna, ampla, munita, ædificijs tam priuatis, quàm publicis exculta, opibus, ciuibusque referta, & Archiepiscopali sede præclara. *Vrus*, qui nunc *Ouse*, à Septentrionali parte in Meridiem placidè delabens, vt dixi, intersecat, & quasi in duas vrbes diuidit quæ lapideo ponte, qui inter alios vastissimum omnium quos vidi, fornicem habet, coniunguntur. Pars Occidentalis quæ minùs frequens est, mœnibus pulcherrimis, cum flu. quadrata facie concluditur, portaque vna *Mikell-barre*, id est, *Porta magna*, aduenientes admittit. A qua longa & spatiosa protenditur ad pontem platea elegantibus obsessa ædibus quibus à tergo subiacent vtrinque horti consiti, & post eos ad mœnia vsque campi exercitijs dicati. In quorum australi quem faciunt cum flumine angulo, molem æditiorem futuro castro, vt videtur, iactam, *Old bale* nominant, eminere vidimus, quam Guilielmus *Melton* Archiepiscopus (vt in Archiepiscoporum vitis legitur) *primum spissis, & longis 18. pedum tabulis, posteà lapideo muro fortiter inclusit*, quæ iam tamen disparuerunt.

Is. vrium.

Aldborrow.

Eboracum. Yorke.

Pars Orientalis quæ tota est ædificijs condensa, & angustioribus plateis conclusa, formam habet quasi lenticularem, firmissimis item mœnibus armatur, & ad Ortum brumalem *Fossi* profluentis satis limosi profundo alueo munitur, qui in ipsam vrbem cæca via penetrans, ponte continetur ita ædificijs continuo, vt non pontem, sed perpetuum vicum nemo non iudicet: pauloq; inferiùs *Ousæ* confluit, vbi ad ipsos confluentes è regione molis quam dixi, ad reprimendos ciues firmissimum castrum loco oportuno excitauit Guilielmus Normannus. In quod vetustas liberè iam diu sæuijt, ex quo Angli munita loca tanquam ad detractandam militiam receptacula neglexerunt. In hac etiam parte ad Ortum æstiuum Cathedrale templum Diuo Petro sacrum, magnificum sanè & perelegans consurgit, iuxta quod extra mœnia, sed suis mœnibus & flumine inclusum nobilissimum Diuę Marię floruit Monasterium, quod Alanus tertius Britanniæ Armoricanæ, & Richmondiæ Comes opulenta cum dote condidit; nunc autem in ædes regias conuersum, vulgò *The Manour* appellatur.

Foss. flu.

The Manour

Vnde Eboraci primordia repetam nisi à Romanis non habeo, cùm Britanni ante Romanorum aduentum non alia habuerint opida quàm syluas fossa & vallo munitas, vt Cęsar & Strabo omni exceptione maiores testantur. Vt igitur Ebraucum Regem quem curiosa credulitas ex Eboraci nomine conditorem affinxisse videatur, taceam. Certissimum est Legionem Sextam Victricem quam Hadrianus e Germania in Britanniam traduxit, hîc stationem egisse, Romanorumq; Coloniam fuisse, cùm ex Ptolemæi & Antonini authoritate, tùm ex vetusta inscriptione quam in ædibus cuiusdam Senatoris vidimus in hæc verba:

M.

M. VEREC. DIOGENES IIIIII. VIR
COL. EBOR. IDEMQ. MORT CIVES
BITVRIX. HÆC SIBI VIVVS FECIT.

Nec non ex Seueri Imperatoris nummo in cuius parte auersa legitur.

COL. EBORACVM LEG. VI. VICTRIX.

Victor ille quem Andr. Schottus nuper edidit. Municipium. Colonia.

Vnde verò Victor in Cæsarum historia Eboracum Britanniæ Municipium dixerit cùm Colonia fuerit, peto vt deliberem; nisi maluerint Eboracenses vt olim Prænestini ex Colonia in Municipij statum redigi. Coloniæ enim cùm, vt Agellius habet, instituta, iuraque omnia populi Romani, non sui arbitrij haberent, magis obnoxia, & minus libera conditione videbantur. Municipia autem suo iure ac legibus vtebantur, Municipesque tantùm muneris cum populo Romano honorarij participes erant, nullis alijs necessitatibus astricti, vnde Colonias in Municipia immutari neutiquam mirandum. Sed quorsum ista? Hæc nominum differentia in Imperatorum historia non ita ad amussim obseruata est, quin vnus idemque locus & Colonia, & Municipium dicatur. Seuerum tamen ex illo nummo Coloniam hanc duxisse non asseuerare ausim, cùm Antoninorum tempore Legionis VI. sedem fuisse docuerit Ptolemæus. Seuerum autem hac in vrbe suum palatium habuisse legimus, animamque in hæc verba hîc exhalasse, *Turbatam Rempublicam vbique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo.* Corpus eius hic militari more à militibus elatum, impositumque in rogum, honestatum militum & filiorum ipsius decursione, in loco, sub hac vrbe, ad Occasum iuxta *Ackham* vbi magna moles aggesta conspicitur, quam sua ætate Radulphus Niger *Siuers* a Seuero dictum tradidit. Cineres in vrnulam auream siue vasculum Porphyriticum repositi, Romæ in Antoninorum monumentum illati erant. Nec silentio inuoluendum, quod hac in vrbe Bellonæ templum extiterit. Inquit enim Spartianus de hac ipsa loquens, *In ciuitatem veniens cùm rem diuinam vellet facere, primum ad Bellonæ templum ductus est errore aruspicis rustici.* Quo tempore huius vrbis prætorium siue Tribunal fuit vel hoc nomine longe fœlicissimum, quòd Æmilium Paulum Papinianum iuris, & iurisprudentiæ oraculum audiuerit, vt testatur Forcatulus. Et hinc certè Seuerus & Antoninus Augusti de Iure consulti, rescriptum dederunt de rei vindicatione. Anno post Seueri obitum plùs minùs centesimo Fla. Val. Constantius cognomento Chlorus, Imperator omnibus virtutibus & Christiana pietate insignis, qui hùc (vt inquit Panegyristes) dijs iam ad intimum terrarum limen vocantibus, accessit: hac etiam in vrbe diem obijt, & Apotheosi in Diuos est relatus, vt è nummis antiquis videre est. Quamuis Florilegus prodat eius tumulum in Wallia repertum fuisse (vt iam diximus) fide digni tamen nobis retulerunt cùm patrum memoria Monachorum ædes diruerentur, in cryptoporticu ædiculæ in qua Constantium situm fuisse opinio erat, lampadem ardentem repertam fuisse. Veteres enim auro in pinguedinis liquorem arte soluto, diutissimè, & per multa sæcula arsurum ignem in sepulchris fouisse scribit Lazius. Hic ex priore coniuge Helena CONSTANTINVM MAXIMVM ROMANAE VRBIS, vt est in antiquis Epigraphis, LIBERATOREM, QVIETIS FVNDATOREM, REIPVBLICAE INSTAVRATOREM suscepit. Qui Eboraci patris spiritum excepit, statimque in Imperatorem leuatus. *Purpuram* (vt habet Panegyricus) *milites vtilitati publicæ, potiùs quam affectibus seruientes illi iniecere lachrymanti, equumque calcaribus incitanti, vt deposcentis exercitus fugeret conatum: sed modestiam eius vicit Reipub. fœlicitas.* Vnde Panegyristes exclamat, *O fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia*

Seuerus.

Bellonæ templum.

L. 1. C.

Constantius Chlorus.

Constantinus Magnus.

tannia qua Constantinum Cæsarem primus vidit. Et alibi. *Liberauit ille Britannias seruitute, tu etiam nobiles illic oriendo fecisti.* Quæ verba ad natale solum Constantini iudicio eruditissimi Baronij & aliorum referenda sunt. Sed quæ iam ante diximus, nolo hic retexere.

Hinc colligi potest quanta illis temporibus dignitate præluxerit Eboracum nostrum, cùm Imperatorum fuerit sedes. Memorant etiam patrij scriptores à Constantio Episcopali sede hanc vrbem exornatam fuisse: Taurinum autem Martyrem, Eburouicum siue *D'Eureux* Episcopum hîc præsulem egisse, non ego tamen cum alijs dicam, nam Vincentius è quo illi hunc errorem hauserunt, me falsi suis ipsius verbis conuinceret. Vincentij speculum historiale. Cùm verò Romani cessissent, & Britanniam prædæ barbaris reliquissent, suas etiam miserias hæc multis malis conflictata pertulit, & vix aliud erat, cùm Scotica & Saxonica bella senescerent, quàm magni nominis vmbra. Cùm enim Paulinus Saxonibus qui hanc regionem occupârant, Christianam religionem annunciaret, in eam solitudinem redacta iacuit, vt non superfuerit Ecclesiola in qua Edwinus Rex baptismum acciperet. Qui anno à Virginis partu DCXXVII. Oratorium ex ligno posuit, cùmque maiorem iam Ecclesiam è saxo molliretur, vix iactis fundamentis, morte præreptus successori suo Oswaldo perficiendam reliquit. Iam inde Ecclesiastica dignitas in hac vrbe conualuit, Scotia Archiepiscopo Eboracensi olim subiecta. pallioque ab Honorio PP. misso facta est Ciuitas Metropolitana, quæ præter duodecim in Anglia Episcopatus, in omnes Scotiæ Episcopos Primatis iure fungeretur: sed multos ante annos recessit à sua Metropoli Scotia, & ipsa Metropolis alios vicinos Episcopatus, tenues illos quidem, & ferè vmbratiles ita deuorauit, vt iam quatuor solùm in Vide in Scotia. sua Diocœsi habeat, Dunelmensem scilicet, Cestrensem, Carliolensem, & Mannensem siue Sodorensem in Mannia insula. Egbertusque Archiepiscopus (qui circa annum Salutis DCCXL. floruit) *omnium Liberalium artium* (sic habet Malmesburiensis) *armarium, vt ita dicam, & sacrarium, nobilissimam Bibliothecam Eboraci constituit.* Bibliotheca. De qua Alcwinus Eboracensis Caroli Magni Præceptor, Parisiensis Academiæ primus institutor, atque vnicum huius vrbis decus, in Epistola ad Carolum illum. *Date mihi exquisitioris eruditionis scholastica libellos, quales in patria habui, per bonam & deuotissimam Egberti Archiepiscopi industriam. Et si placet sapientia vestra, remittam aliquot ex pueris vestris, qui excipiant inde quæque necessaria, & reuehant in Franciam flores Britanniæ, vt non sit tantummodo in Eboraco hortus conclusus, sed etiam in Turonica emissiones Paradisi.* Flacc. Alcwinus siue Albinus floruit 780. Tunc etiam multis & magnis beneficijs Ecclesiam Eboracensem principes cumulauerunt, præcipuè Vlphus Toraldi filius (ex veteri libro adnoto, vt rara quædam consuetudo in dotandis ecclesijs elucescat) *Dominabatur Vlphus ille in Occidentali parte* Deiræ *& propter altercationem filiorum suorum senioris, & iunioris super Dominijs post mortem, mox omnes fecit æquè pares. Nam indilatò Eboracum diuertit, & cornu quo bibere consueuit, vino repleuit, & coram altari Deo, & Beato Petro Apostolorum principi omnes terras & reditus flexis genibus propinauit.* Quod cornu ad patrum vsque memoriam reseruatum fuisse accepimus.

Ecclesiasticæ hominum nationi derogare videar, si simultates imò apertas inimicitias quas humana ambitio concitauit inter Eboracenses & Cantuarienses Archiepiscopos memorarem, dum magno optum & maiori existimationis dispendio de primatu acerrimè concertarent. Eboracensis enim ecclesia vt ille scribit, *licèt Cantuariensi diuitijs impar, pari tamen dignitate, quamuis posteriori tempore fundata, & eadem potestate qua & Cantuariensis sublimata, Apostolicorumque priuilegiorum consimili authoritate confirmata* Th. Stobbes. ægrè tulit Cantuariensi subijci ex decreto Alexandri PP. Romani qui constituit, *vt Eboracensis Ecclesia Cantuariensi debeat subiacere, eiusque Archiepiscopi vt Primatis totius Britanniæ dispositionibus in his quæ ad Christianam religionem pertinent, in omnibus obedire.* De Archiepiscopis aliquid hîc attexere instituti certè non est mei, licèt ex illis plurimi virtutis & pietatis meritò celebrandi. Satis sit verbo innuisse à Paulino qui anno reparatę Salutis DCXXV. primus Archiepiscopus consecratus, sedisse sexaginta quinqi Archiepiscopos ad annum CIↃ DCVI. quo Tobias Matthæus virtutum & pietatis ornamentis, erudita facundia, & docendi assiduitate reuerendissimus huc ab Episcopatu Dunelmensi fuit translatus. Archiepiscopus sexagesimus sextus.

Hæc vrbs Saxonico imperio aliquandiu florentissima fuit, donec Danica tempestas

ab

ab Aquilone proruens eam ruinis ingentibus rursus deformârit, & funestis cædibus cruentârit. Id quod Alcuinus ille in epistola ad Egelredum Northumbriæ Regem præsagijsse videri possit. *Quid significat*, inquit, *pluuia sanguinis, quam Quadragessimali tempore, in Eboraca ciuitate quæ totius regni caput est, in Ecclesia B. Petri vidimus de borealibus domus sereno aëre de summo tecto minaciter cadere. Nonne potest putari de Borealibus partibus venire sanguinem super terram.* Maximis enim, & miserrimis sequenti sæculo calamitatibus in Danica vastatione intabuit. Anno certè Salutis DCCCLXVII. bellis continuis ita quassata erant mœnia, vt Osbrightus, & Ella Nordanhumbrorum reges, dum Danos persequerentur, nullo negotio in vrbem irruperint. Qui ambo cruentissimo prælio in media vrbe interfecti, Danis qui in vrbem se receperant, victoriam reliquerunt. Vnde Guilielmus Malmesburiensis. *Eboracum furori Aquilonarium gentium prima semper obnoxia, barbaricos Danorum motus excepit, & ingemuit, multis ruinis conquassata.* Verùm vt ipse idem testatur author, Athelstanus noster Danis extorsit, & castellum quod hîc firmauerant, funditùs subuertit. Nec succedentibus tamen annis se omninò bellis explicuit, cùm seculum illud vrbium subuersionibus fatale decurreret.

Verùm vt his malis finem, ita etiam Eboraco ferè excidium intulerunt Normanni, cùm enim Suenonis filij Danica classe CCXL. nauium in proximo terram conscendissent, præsidiarij Normanni, qui in vrbe duo castella tenebant, veriti ne domus suburbanæ hostibus ad implendas fossas vsui forent, eas succenderunt: sed agitantibus ventis, ita diffusum est in vniuersam vrbem incendium, vt iam tota arderet, cùm Dani irruentes miseranda vbique cæde grassarentur, Normannis trucidatis, Guilielmo *Mallet*, & Gilberto *Gant* viris primarijs reseruatis vt cum militibus *decimarentur*. Decimumque enim quemque è Normannis sorte ad supplicium elegerunt. Vnde ita in vltionem excanduit Guilielmus Primus, vt in ciues, quasi à Danis stetissent, internecione, in ipsam verò vrbem redintegratis flammis sæuiret; & (vt refert Malmesburiensis) *ita vicos adiacentes corrupit, ita fertilis prouinciæ nerui præda succisi erant, humusque per sexaginta milliaria penitùs inculta iacuit, vt vrbes olim præclaras, turres proceritate cælo minantes, agros pascuis lætos si quis tum vidisset peregrinus, ingemisceret: si quis vetus incola, non agnosceret.* Quanta autem antea fuisset ex Censuali Angliæ libro habe. *Tempore Edwardi Confessoris fuerunt in ciuitate Eboraca sex scyræ, præter scyram Archiepiscopi, Vna vastata est in Castellis. In quinque scyris fuerunt* 1428. *mansiones hospitatæ. In scyra Archiep.* 200. *mansiones hospitatæ.* Post funestas has euersiones de hac Nechamus noster sic cecinit:

Alfredus Beuerlacensis in Bibliotheca D. Burghlæi Thes. Ang.

Decimatio.

Visito quam fœlix Ebrancus condidit vrbem
Petro se debet pontificalis apex
Ciuibus hæc toties viduata, nouisque repleta,
Diruta prospexit mœnia sæpe sua.
Quid manus hostilis queat, est experta frequenter,
Sed quid? nunc pacis otia longa fouent.

Eius enim tempore, cùm placidissima pacis tranquillitas has turbulentas tempestates excepisset, rediuiuis opibus resurrexit, licèt sæpius à Scotis, & seditiosis excidio destinata. Regnante autem Stephano, damnum fecit longe maximum ex fortuito incendio, quo hausta fuerunt Cathedralis Ecclesia, Mariæ monasterium, aliæque religiosæ ædes; & etiam (vti creditur) instructissima illa Bibliotheca, quam Alcuinus Egelredum Archiepiscopum præceptorem suum instituisse prodidit. Mariæ vero monasterium citò pristinam dignitatem noua structura recuperauit, Ecclesia autem Cathedralis seriùs, nec ante Edwardi Primi tempora, tunc enim noui operis fundamenta iecit Ioannes *Romanus* Ecclesiæ Thesaurarius, quod Ioannes eius filius, Guilielmus *Melton*, & Ioannes *Thoresby* omnes Archiepiscopi paulatim ad summam, qua nunc cernitur, elegantiam perduxerunt, non sine vicinæ nobilitatis ope, præcipuè *Perciorum*, & *Vauasorum*, quod eorum insignia gentilitia in ipso templo, & pro foribus effigies ostendunt *Percij* cum trunco, *Vauasori* cum saxo in manibus, quod hic saxa, ille ligna ad nouam hanc fabricam suppeditauerit. *Templum hoc* (vt habet qui Æneæ Siluij, Pij II. P P. vitam scripsit ex ipsius Pij relatione)

& opere & magnitudine toto orbe memorandum, & sacellum lucidissimum cuius parietes vitrei inter columnas ad medium tenuissimas colligati tenentur. Hæc est illa domus Capitularis speciosissima in qua aureis literis hic versiculus depingitur: Commentarij Pij PP. lib. primo.

Vt Rosa flos florum, sic est Domus ista Domorum.

Sub idem tempus etiam ciues nouis mœnibus, & crebris dispositis turribus vrbem circummunierunt, optimis legibus instituerunt. Rex Richardus II. vt Comitatus per se *incorporatus* esset concessit, Richardusq; Tertius castrum ex integro construere cœpit. Et ne quid deesset, Henricus Octauus patrum memoriâ Concilium siue Senatum hic constituit, non dissimile Parlamentis Gallicis, ad Septentrionalis huius plagæ causas ex æquo & bono iudicandas, quod constat ex Præside, Consiliarijs pro Principis arbitrio nunc pluribus, nunc paucioribus; Secretario, & Subadiuuis. Quod ad Eboraci Longitudinem attinet, XXII. partibus, XXV. scrup. Latitudinem LIIII. partibus, X. scrup. Mathematici nostri descripserunt. Hactenus de Occidentali Comitatus parte, & vrbe Eboraco, quæ nec illius, nec cuiusquam alterius partis censetur, sed suis gaudet immunitatibus, iurisdictionemque in vicino ad Occasum agro habet, quam libertatem de *Ansty*, alij *The Ancienty*, ab antiquitate vocant, alij verò à Germanica dictione *Anstossen*, quæ limites denotant, coniectura satis probabili deduxerunt. Nunc habe pro coronide quæ de Eboraco I. Ionstonus Aberdonensis iampridem cecinit: The Councel established in the North. Ansty.

Præsidet extremis Arctoæ finibus ora
Vrbs vetus, in veteri facta subinde noua
Romanis Aquilis quondam Ducibusque superba.
Quam post barbarica diripuere manus
Pictus atrox, Scotus, Danus, Normannus, & Anglus
Fulmina in hanc Martis detonuere sui.
Post diras rerum clades, totque aspera fata,
Blandiùs aspirans aura serena subit.
LONDINVM *caput est, & regni vrbs prima Britanni:*
EBORACVM *à prima iure secunda venit.*


Ousa Eboracum iam relinquens vertigine illa aquarum quam *Higram* dicimus, subinde exagitatus defluit per *Bishops Thorpe*, id est, *Episcopi villam*, & *S. Andrews Thorp* dictam, antequam Gualterus Greius Archiepiscopus Eboracensis numerata pecunia acquisiuit & vt procuratoribus regijs qui in Episcoporum bona, cum sedes vacant, sæuire solent, occurreret, Decano & Capitulo Eboracensi dedit, ea lege vt succcessoribus suis semper concederent. E quibus Richardus *Le Scrope* Archiepiscopus Eboracensis vir igneo ingenio, & rebus nouandis apto læsæ maiestatis hoc ipso in loco à Rege Henrico IIII. damnatus erat, contra quem seditionis signa sustulerat. Posteà *Cawood* Archiepiscoporum castrum eidem flumini adsidet, quod Athelstanus Rex, vt accepi, ecclesiæ donauit. Cui ad alteram ripam *Ricall* obiacet, vbi Haraldus *Haardread* cum numerosa Danorum classe applicuit. Inde *Ousa* irrigat *Selby* opidulum non infrequens natalibus Regis Henrici Primi celebre, vbi Rex Guilielmus Primus pater eius templum in S. Germani memoriam posuit qui Pelagianam hydram sæpiùs in Britannia renascentem fœliciter confixit. Huius Abbas, & S. Mariæ Eboraci, ex omnibus Septentrionalis plagæ Abbatibus, sedem in Comitijs Parlamentarijs habuere. Demùm *Humbrum* petit per *Drax* viculum monasterio iampridem celebrem, vbi (authore Guil. Neubrigensi) Philippus de *Tollenilla* castrum habuit obiectu amnium, syluarum atque paludum munitissimum, quod ille ingentibus commilitonum animis & ciborum armorumque apparatu fretus contra Stephanum Regem propugnauit, sed breui expugnatum in Regis potestatem concessit. Bishops Thorp. 1405 Cawood. Drax.


NORTH RI=
DING
PARS
YORK
Pocklington
WEST
RIDING
PARS
LIN COL=
NIÆ PAR


OCEANUS
EBORACENSIS
Comitatus (Cuius incolæ olim Bri:
gantes appellabantur) pars Orien:
talis, vulgo EAST RI:
DING
GERMA:
NI:
CUS
ABUS ÆSTUARIUM
OCELLUM Pro
montorium
Hull
Barton
OL:
PARS

EAST-RIDING.

Eastriding. Parisi.



Ast-riding, siue pars Orientalis, secunda huius regionis portio, in qua PARISOS locauit Ptolemæus, ab Eboraco ad Ortum iacet. A Septentrione, & Occasu *Deruentionis* fluminis arcuato decursu, à Meridie Humbro æstuario, & ab Ortu Oceano Germanico circumclusa. Ad mare, & *Deruentionem* vtcunque est gleba fœlici, media verò nihil aliud est, quam surgentium montium congeries, *Torkeswold*, id est, *Montes Eboracenses* vocant. *Deruentio*, Anglis *Derwent*, non procul ab ipso littore effusus primùm in Occasum, inde in Meridiem se flectit per *Aiton* & *Malton*, de quibus cùm ad Septentrionalem regionis partem spectent, suo loco dicemus. Quam primùm vero hanc partem subintrauit, defertur haud procul à ruinis veteris castri *Montferrant*, cuius olim domini erant *Fossardi* viri nobiles iuxtà ac opulenti: verùm cùm Guilielmus *Fossard* pupillus regius Guilielmo Crasso Comiti Albæmarliæ in tutelam datus, iam adolescens vim eius sorori obtulisset, Comes in facti inuidiam castrum solo æquauit, & nobilem adolescentem solum vertere coegit. Post Comitis tamen mortem hæreditatem denuò recuperauit, filiamque vnicam reliquit quæ nupta R. de *Tornham* peperit vxorem Petri de *Malo-lacu*, cuius posteri hac *Fossardorum* hæreditate aucti, Barones erant longè clarissimi. Parùm hinc abest ripæ impositum *Kirkham*, .i. *Ecclesiæ* locus, Canonicorum enim collegium ibi fundauit Gualterus *Espec* vir summo loco, per cuius filiam peramplum patrimonium dotale *Rossorum* familiæ accreuit. Inde sed inferiùs *Deruentio* sui cognominis vrbem habuit, quam DERVENTIONEM vocat Antoninus, & ad VII. ab EBORACO lapidem statuit. Notitiarum liber præfectum Numeri Deruentiensis sub Britanniarum Duce in hac egisse memorat, Saxonicoque imperio villa illa regia fuisse videtur, quam iuxta amnem *Dorouentionem* sitam tradit Beda, in qua, vt ille author est, Eumerus sicarius Eadwinum Regem Nordanhumbrorum gladio petijt, & transuerberâsset, nisi famulus se interponens principis vitam sua morte redemisset. Locum nunquam signare potuissem, nisi mihi lucem prætulisset vir ille politissimus Robertus *Marshall*. Is enim me docuit ad eandem quam dixi ab Eboraco distantiam *Deruentioni* flumini adpositum esse opidulum *Auldby* id est, si è Saxonico conuertas *Antiqua habitatio*, vbi nonnulla vetustatis indicia, & in æditiori ad flumen colle antiqui castri extant adhuc rudera, vt non possit non Deruentionem fuisse. Hinc flumen *Stanford-bridge* subluit, qui etiam a bello ibi commisso *Battle-bridge* vocatur. Ad pontem enim illum Haraldus Rex Angliæ Haraldum *Haardread* Norwegum qui ducentis nauibus Britanniam infestabat, & iam ad *Richal* populabundus terram conscenderat, magno Danorum ædita strage iusto prælio interfecit, tantumque auri pondus victori Anglo inter spolia obuenit, quantum duodecim iuuenes ceruicibus vix sustinere poterant, vt author est Adamus Bremensis. Hoc prælium vix nouem dies ante Guilielmi Normanni aduentum confectum est, quo tempore solutior Anglorum luxus excidium prædixisse videbatur, sed de hoc iam ante diximus.

Montferrant. Historia Meauxensis. — Deruentio. — Battle-bridge.

Wresill. Babthorpe.

Deruentio, qui imbribus auctus & quasi irritatus sæpiùs ripas contemnit, & vicinis pratis superinfunditur, hinc *Wreshil* castrum nitidum & munitum præteriens quod Thomas *Percy* Wigorniæ Comes construxerat, velocior sub *Babthorpe* quæ claræ Equitum familiæ nomen & mansionem præbet, in *Ousam* prosilit. Ex hac stirpe, nec pigeat qui principi, & patriæ fideliter inseruierunt, memorare, pater & filius Henrico Sexto vnà militantes in prælio ad S. Albanum occubuerunt, & simul cum hoc Epitaphio ibi sunt consepulti;

Cum patre Radulpho Babthorpe iacet ecce Radulphus
Filius, hoc duro marmore pressus humo,
Henrici Sexti dapifer, pater Armiger eius,
Mors satis id docuit, fidus vterque fuit.

Howden.

Iam *Deruentio* auctiores vndas trahens delabitur prope *Howden* opidum mercatorium cuius celebritas non est ab elegantia, aut frequentia, sed quòd nomen territoriolo adiuncto

iuncto fecerit (quod *Howdenshire* inde dicitur) & Collegiatam iampridem quinque Prębendariorum ecclesiolam ostenderit, cui adiunctæ sunt Dunelmensium Episcoporum ædes, qui amplissimas possessiones eò loci habent. E quibus Walterus *Skirlaw* qui floruit circa annum MCCCXC. vt in libro Dunelmensi legitur, *Campanile huius ecclesiæ summæ magnitudinis construxit, vt si fortuita aquarum eueniret inundatio, incolis esset perfugium.* Parumque hinc abest *Metham* quod vt cognomen, ita sedem familiæ veteri & inclytæ *Methamorum* impertijt. Metham.

Iam *Ousa* spatiosior, celer, fremensque in ABVM æstuarium aquas inuehit suas, sic enim Ptolemæo vocatur, quod Saxonibus & nobis *Humber*, vnde regionem vltrà hoc generali nomine *Nordan-Humbriam* dixerunt. Abus æstuarium. Humber. Vtrumque nomen ex *Aber* Britannico deflexum videatur, quod fluminis ostium illis denotat, & huic κατ' ἐξοχὴν impositum existimem, quòd *Vrus*, siue *Ousa* plurimos fluuios suo hospitio exceptos in hoc deducit, aliaque maximi nominis flumina in illud euoluuntur. Et certè totius Britanniæ æstuarium est amplissimum, & piscosissimum. Exæstuantis Oceani accessibus adauctum, & iisdem retrò remeantibus suas illiusque aquas vehementissimè vasto cum murmure, non sine magno nauigantium periculo agit. Vnde Nechamus.

Fluctibus æquoreis nautis suspectior Humber
Dedignans vrbes visere, rura colit.

Historiamque nostram sequutus quasi ab Hunnorum Rege nomen inditum fuerit, subiungit:

Hunnorum princeps ostendens terga Locrino,
Submersus nomen contulit Humbris aquæ.

De quo etiam alius Poëta

Dum fugit, obstat ei flumen, submergitur illic,
Déque suo tribuit nomine nomen aquæ.

Neque Nechami quidem tempore vrbes ad hoc æstuarium visebantur, sed superiori & inferiori ætate floruit his locis vrbs vna & altera. Romano sæculo non procul à ripa ad *Foulnesse* minorum gentium flumen, vbi *Wighton* nunc cernitur, frequens agricolarum opidulum, olim vt opinari lubet, fuit DELGOVITIA, quod (vt distantiam à DERVENTIONE in argumentum non arripiam) nominis tum similitudo, tum significatio docet. Wighton. Delgouitia. *Delgwe* enim Britannis Deorum gentilium statuas significat, & in viculo huic opidulo adiuncto, Saxonicis etiam temporibus idolorum fanum maxima in gloria erat, quod à dijs gentilibus tunc *God-mundingham*, nunc *God-manham* eodem sensu vocant. Bedæ. Godmancham. Nec dubito quin ipsis Britannicis temporibus celebre fuerit aliquod oraculum, cùm superstitio fusa per omnes gentes hominum occupâsset imbecillitatem. Deorum fanum. Cùm autem Paulinus Nordanhumbris Christum prædicaret, *Coy-fi* qui sacrorum gentilium Pontifex erat, Christianam religionem amplexus, hoc fanum impietatis domicilium iniecta lancea *primus profanauit, destruxit, & cum omnibus*, vt inquit Beda, *septis suis succendit.* Hinc magis ad Ortum *Hull* flumen *Humbrum* petit, qui fontes habet iuxta *Driffeild* vicum, Alfredi eruditissimi Nordanhumbrorum Regis monumento & agestis hinc inde tumulis notum. Driffeild. Properat ille haud procul à *Leckenfeld* Perciorum Northumbriæ Comitum ædibus, cui vicina est habitatio celebris sanè & vetustæ stirpis *Hothamorum* ad *Scborburg*, & rudera antiqui castri P. de *Malo lacu* siue *Mauley* ad *Garthum.* Lekenfeld. Iam *Hull* fl. propiùs ad *Beuerley* accedit, Saxonicè Beuer-lega, quod *Monasterium in Deirwaud*, id est, *in sylua Deirorum*, vocare videtur Beda, opidum amplum & perfrequens. Beuerley. PETVARIAM PARISIORVM è nomine & situ conjectes, licèt nihil vetustiùs prætendat, quàm quòd Ioannes cognomento de *Beuerly* Archiepiscopus Eboracensis, vir, teste Beda, & pius, & doctus cùm episcopatu se abdicâsset terrena auersatus, hùc se contulerit, & diem circa annum Salutis DCCXXI. obierit. Petuaria. Huius memoriam adeò sanctam habuerunt Reges, & præcipuè Athelstanus, qui illum vt Sanctum tutelarem Vita Ioh. de Beuerley.

ita coluit, postquam Danos fudisset: vt multis & magnis immunitatibus locum dotauerint, & asyli ius concesserint, quod obæratis, & rerum capitalium suspectis liberum, & tutum erat perfugium. In quo statuebatur cathedra è saxo cum hac inscriptione.

Asylum.

HAEC SEDES LAPIDEA Freedstooll DICITVR, .i. PACIS CATHEDRA, AD QVAM REVS FVGIENDO PERVENIENS OMNIMODAM HABET SECVRITATEM.

Vnde in iustam magnitudinem creuit opidum, inquilinorum magna indies confluxit multitudo, ciuesque ex *Hull* flumine ad maritima commoda incile duxerunt, quod nauiculis subuehendis par est. Habuit verò pro summo magistratu duodecim Custodes, inde Gubernatores cum Custodibus. Nunc verò beneficio Reginæ Elizabethæ Prætorem & Gubernatores. Magis ad Ortum *Meaux* monasterium floruit, ita denominatum à Gamello quodam ex Meldis Galliæ vulgò *Meaux*, oriundo, qui à Guilielmo *Conquestore* in sedem suæ habitationis assecutus, Monasteriumque hîc Cluniacensibus posuit Guilielmus *Le Gros* Comes Albemarlæ in redemptionem voti quod fecerat Hierosolymam visitandi. Paulò inferiùs *Cottingham* opidum rusticanum satis longum procurrit, vbi castrum in ruinas iam dissipatum extruxit (licentiam permittente Rege Ioanne) Robertus *Estoteuill* à Roberto *Grundeboefe* Normanno Barone ortus, vir maximi nominis, cuius hæreditas Dom. de *Wake* per nuptias obuenit, & per filiam Ioannis de *Wake* ad Edmundum Cantij Comitem, ex quo nata est Ioanna vxor bellicosissimi illius Edwardi Walliæ Principis qui toties de Gallis victoriam reportauit. *Hull* fl. cùm iam sex mille passus hinc emensus fuerit, in *Humbrum* effunditur, iuxtaque ostium sui nominis opidum habet *Kingston vpon Hull*, sed vulgò *Hull*. Hoc non admodum vetustam accersit originem, Edwardus enim Primus qui ob regias virtutes inter primos & optimos Reges suo merito reponendus, spectata loci oportunitate qui *Wik* prius dictus, permutationis iure ab Abbate de *Meaux* accepit, atque pro *Vaccarijs* & *Bercarijs*, id est, vt ego capio, Boalibus & Ouilibus quæ ibi inuenit, opidum extruxit, quod *Kingston* id est, *Regium opidum* nominauit, *ibidem* (è sacris regni scrinijs loquor) *portum, liberumq́; Burgum fecit, homines eiusdem liberos Burgenses, & eis diuersas libertates concessit.* Paulatimque in eam dignitatem emersit, vt magnificis ædificijs, firmis propugnaculis, nauibus instructissimis, mercatorum copia, & rerum omnium affluentia sit nunc emporium huius tractus longè celeberrimum. Quæ omnia accepta ferunt ciues partìm Michaeli *De-La-Pole*, qui priuilegia huic impetrauit, cùm illum ad Comitis Suffolciensis dignitatem Richardus Secundus euexisset, partim quæstuosæ mercaturæ ex Islandiæ piscibus induratis, (*Stockfish* vocant) è quibus diuitias congesserunt maximas. Vnde breui admodum spatio muro lateritio, crebrisque turribus vrbem suam sepserunt, quà flumine non defenditur: tantamque vim lapidum in nauium saburram detulerunt, vt inde omnes vrbis regiones pulcherrimè constrauerint. Pro magistratu (vt à ciuibus accepi) primùm *Custodem* habuit, inde *Balliuos*, posteà Maiorem cum *Balliuis*, ab Henrico autem Sexto demum impetrarunt vt *Maiorem* & *Vicecomitem* haberent, & ipsa vrbs Comitatus esset (vt nostri Iurisconsulti loquuntur) per se *incorporatus*. Nec pigebit ex libro Monasterij de *Melsa*, siue *Meaux* de primo huius vrbis *Maiore* (verbis licèt barbaris) adnotare. *Guilielmus* de la Pole *Miles, prius Mercator fuit apud* Rauens-rod, *mercandizandi scientia instructus, nulli Angligenæ mercatori secundus fuit. Ipse postea apud* King-stone *super Hull commorans primus omnium fuit Maior in eadem villa, Monasteriumque Sancti Michaelis iuxta dictum* Kinge-ston *quod modo est Cartusiensium, inchoauit & fundauit; filiumque habuit suum primogenitum Dominum Michaelem* de la Pole *Comitem Suffolciæ qui dictum Monasterium per Carthusienses fecit inhabitari. Ipse quidem Williehnus* de la Pole *multa millia librarum auri Regi Edwardo accommodauit dum apud* Andewerp *in Brabantia moraretur.*

Hull fl. — Registr. M. Meaux. — Cottingham. — Estoteuill. — Wake. — Kingston vpon Hull. — Placita Anno 44 Edw 3. Ebor. 24. — Stockefish. — Coblestones. — De la-Pole.

moraretur. Quapropter Rex in recompensationem dicti auri præfecit eum Baronibus Scaccarij sui, totumq; Dominium de Holdernes *vnà cum alijs terris dignitati Regiæ spectantibus per Cartam Regiam ei contulit, & præcepit vt pro Baneretto haberetur.* Si tamen quis hæc dubitet, persuadeant vti spero archiua Regia, in quibus disertè Guilielmus *De la Pole dilectus, valectus, & mercator noster* vocatur. *Valectus* vt semel doceam, eo seculo tam in Gallia, quàm Anglia honorifica fuit appellatio, sed postea aptata seruis, vnde cùm repudiaret nobilitas, mutato nomine *Nobiles a cubiculo* dici cœperunt. Cl. 5. E. R. 3. M. 18. Valectus qui & Valettus.

Ab hac vrbe promontorium auido procursu in mare se emittit, quod OCELLVM Ptolemæus, nos *Holdernesse*, & Monachus quidam *Cauam Deiram*, quasi *Cauam Deirorum regionem* vocat, eadem significatione qua *Cælosyria*, id est, *Syria caua*, nominatur. I. Tilius. Ocellum. Holdernesse. In hoc primum occurrit sinuoso in littore *Headon*, olim si famæ veri amplificatrici credere libet, (nec fidem ego abnuam) mercatorum & rei nauticæ industria ad summam dignitatem euecta, à qua, vt locorum non minùs quàm hominum incerta est conditio, ita decidit *Hulli* vicinitate, & portus obstructione exhausta vt vix tantillum pristini splendoris præ se ferat. Headon. Etsi Ioannes Rex *concessit Baldwino Comiti Albemarlæ, & Holdernessiæ, atque Hawisiæ eius vxori liberum hic Burgagium, ita vt Burgenses tenerent in libero Burgagio illis consuetudinibus quibus Eboracum & * Nichol.* Nunc tamen ad pristinæ dignitatis spem paulatim reuiuiscere incipit. * Lincolnia. Deinde promontorio adsidet antiquum opidum quod Antoninus PRAETORIVM dixit, sed nostra ætas *Patrington*, vt Itali ex *Prætorio* opido etiam *Petrouina* fecerunt. Prætorium. Patrington. Hìc me falsum non esse & distantia à DELGOVITIA & ipsum superstes nomen probat, quod etiam quodammodo innuit, hoc idem esse quod in Ptolemæi exemplaribus PETVARIA pro *Prætorium* corruptè concipitur. An verò hoc nomen acceperit, vel ex Prætorio vbi ius diceretur, vel ex laxo aliquo, & magnifico ædificio, cuiusmodi Prætoria etiam à Romanis vocabantur, non constat. De vetustate autem sui & portus olim opportunitate gloriantur incolæ, nec de amœnitate minùs glorientur, amœnissimo enim fruitur prospectu, hinc Oceanum apertissimum, illinc suis littoribus nobile æstuarium conclusum, & viridantes Lincolniensis agri oras è regione prospicit. Militaris Romanorum via * à Vallo, quam primùm Antoninus persequutus est, hìc terminatur. * Picts Wall. Ad mare enim, flumina, aut vrbes eiusmodi publicas vias terminari scripsit Vlpianus. Inferiùs sedet *Winsted* habitatio Equestris familiæ de *Hildeard*, Winsted. superiùs *Rosse* vnde nomen assumpsit, vt sedem olim habuit, illustris prosapia Baronum de *Rosse*, Barones de Rosse. & ad mare *Grimston-garth*, vbi *Grimstoni* diù claruerunt: parumque hinc distat *Rise* domus quondam nobilium qui de *Faulconberg* appellati. Rauenspur & Rauensburg. Inde in ipsa promontorij lingula, quà maximè in conum contrahitur, & *Spurnhead* dicitur, KELLNSEY visitur viculus qui planè loquitur hoc ipsissimum esse OCELLVM Ptolemæi, Kellnsey. nam vti ex OCELLO *Kellnsey* deducitur, ita *Ocellum* proculdubio ab *Y-kill* factum est, quod Britannis Promontorium, siue angustum terræ tractum significare iam ante diximus.

Ab OCELLO littus sensim se retrahit, & molliter incuruum ad Septentriones pergit per *Ouerthorne* & *Witherensey* ecclesiolas à sororibus quę construxerunt, *Sisters-kirks* appellatas, Sisters-kerkes. nec procul à *Constable-Burton* à Dominis sic dicta, qui honoratissimis familijs per nuptias coniuncti summa dignitate hodie florent, & è quibus *Robertus*, vt in libro Monasterij de *Meaux* legitur, Constable. *vnus de militibus Comitis Albemarliæ qui cum Rege Richardo versus terram Sanctam profectus senex & plenus dierum cruce signatus.* Inde per *Skipsey* quod Drugo primus *Holdernessiæ* Dominus castro firmauit. Vbi littus iterum in altum prouehi incipit, sinumque admittit, Ptolemæo EVAIMENON GABRANTOVICORVM quem Latinorum interpretes alij PORTVOSVM SINVM, alij SALVTAREM verterunt. Sinus salutaris. Quorum neutrum vim Græci verbis meliùs exprimit, quàm viculi nomen in eius recessu, quem *Suerby* vocamus. Suerby. Quod enim tutum, & periculo vacuum, id Britanni & Galli *Seur* dicunt, vti nos etiam Angli qui forsitan à Britannis illud hausimus. Non est ergo cur ambigamus hunc ipsum fuisse EVAIMENON GABRANTOVICORVM, qui in vicinia habitârunt. Gabrantouici. Iuxta est *Bridlington* opidum, notissimum Ioanne de *Bridlington* vate monastico, in cuius vaticinales rythmos omninò ridiculos incidimus. Nec procul hinc longo tractu versus *Drifield* fossa ab *Holdernessiæ* Comitibus ad terras disterminandas producta fuit, quam *Earles dike* vocârunt. Vnde autem hic popellus GABRANTOVICI nominati fuerint, rimari non ausim, nisi forsan à capris quas *Gaffran*

Britanni vocant, & quarum non alibi in Britannia maior copia inueniatur. Nec hæc absurda nominis notatio videatur, cum Ægita Achaiæ à capris, *Nebrodes* Siciliæ à Damis, & *Boetia* Greciæ à bobus nomina mutuentur. Promontoriolum quod suo flexu hunc sinum effecit, *Flamborough head* vulgò, Saxonicè Fleam-burg ab authoribus dicitur, qui Idam Saxonem harum regionum primum domitorem ad hoc appulisse memorant. A Pharo nomen sumpsisse credunt nonnulli, quæ noctu ad portum illum iudicandum flammas prætenderit. *Flam* enim è lingua prouinciali Britanni etiamnum retinent, & hoc flammato capite in chartis suis Hydrographicis depingunt nautæ. Sunt tamen qui existimant hoc nomen ex *Angloen* Daniæ, auita Anglorum sede in hanc insulam deuenisse (ibi enim est *Flemsburg* opidum) Anglosque inde sic nominasse; quemadmodum Galli, authore Liuio, Mediolanū Italiæ appellarunt à nomine relicti ab eis in Gallia Mediolani. *Flamborrough* enim viculus in hoc promontorio dicitur, vnde originem habet altera nobilis familia *Constabulorum*, vt vocant, quam à *Lacys* Cestriæ Constabularijs deducunt nonnulli. Nihil certè hoc in loco percunctando accepi de riuis illis (*Vipseis* vocant) quos cæsis fontibus emanare alternis annis, magnoque & torrenti impetu mare petere iuxta hoc promontoriolum scripsit Gualterus Heminburgensis. Habe tamen quod de illis scribit Guilielmus Newbrigensis qui eo loci natus. *Famosæ illæ aquæ, quas vulgò* Vipseys *vocant, numerosa scaturigine è terra prosiliunt, non quidem iugiter, sed annis interpositis, & facto torrente non modico, per loca humiliora in mare labuntur, quæ quidem cum siccantur signum bonum est. Nam earum fluxus futuræ famis incommodum non fallaciter portendere dicitur.* Reducto deinde littore puluinus in mare tanquam lingula exerta procurrit, cuiusmodi veteres Angli *File* dixerunt, vnde viculo nomen *Filey*: interiùsque *Flixton* cernitur vbi Athelstani tempore Hospitale conditum erat *ad defensionem* (hæc sunt verba ex Regijs Archiuis) *populi transeuntis à lupis, ne deuorarentur.* Vnde constat illa ætate lupos in hoc tractu grassatos fuisse, qui iam in Anglia nusquam comparent, ne in ipsis versus Scotiam limitibus, cùm sint tamen in Scotia frequentissimi.

Flamborough head. Ida. Flamborough. Constable de Flamborough. *Vipseis* aquæ. Lupi.

Hanc *Holdernessiam* regiunculam Guilielmus Primus Drugoni de *Buerer* Flandro dedit, cui etiam neptem in vxorem dederat, quam cùm ille veneno sustulisset, fugaque saluti consuluisset, successorem habuit Stephanum Odonis filium, *Albamarla* in Normannia Dominum, ex Campaniæ Comitum familia oriundum, quem Guilielmus Primus quia sibi è sorore vterina nepos erat, vt scribunt, Comitem *Albamarla* dixit, eiusque posteri in Anglia (licet Albemarlia fuerit locus in Normannia) titulum retinuerunt. Huic successit filius Guilielmus cognomento * *Crassus*. Eius vnica filia Hawisia tribus maritis ordine enupta fuit, Guilielmo scilicet de *Magna villa* Essexiæ Comiti, Baldwino *Betonio*, & Guilielmo *Fortio*, siue de *Fortibus*, è quo solo prolem suscepit Guilielmum, quem sequutus est Guilielmus filius. Cuius vnica filia Auelina Edmundo * *Gibboso* Lancastrensi Comiti in matrimonium data, sine prole obijt. Atque vt in libro Monasterij de *Meaux* habetur. *Sic ob defectum hæredum Comitatus* Albemarlę, *& Honor de* Holdernesse *seisiti fuerunt in manus Regis.* Insequentibus tamen sæculis Edwardum *Plantagenet* Eboraci Ducis filium in Albemarlæ Ducem, patre eius superstite, creauit Rex Richardus Secundus, Henricus item Quartus Thomam filium Clarentiæ Ducem, & Albemarlæ Comitem fecit, quem titulum Richardo de *Bello-campo* Warwici Comiti in honoris accessionem Henricus Sextus postea adiunxit.

Comites Albemarliæ & Holdernessię. Genealogiæ antiqua. * Le Gros. * Crouchbacke.

NORTH-

Nnnn 3

DUNELMENSIS EPISCO-
PATUS PARS

WEST
MORLAND
PARS

Darlington

WEST

RIDING
PARS






EBORACENSIS
NORTH RIDING
EAST
RIDING PARS
DUNUM SINUS
Whitbay
Scarbrough
Blakay more
The forest of
Pickering
YORK

NORTH-RIDING.

Northriding.



IX duobus pass. millibus supra *Flamburgi* Promontorium pars Borealis huius regionis, siue *North-riding* incipit, quæ cæteris partibus prætenta, à mari auspicata longissimo tractu, sed minùs lato per L X. mill. pass. ad *Westmorlandiam* in Occasum protenditur, hinc *Deruentione*, & aliquandiu *Vro* fl. illinc continuo *Tesis* decursu, quo à Dunelmensi Episcopatu ad Boream seiungitur, comprehensa. Nec incommodè hęc regio in has partes distribui possit *Blackamore Cliue-land*, *Northalluerton-shire*, & *Richmond-shire*.

Quæ ad Ortum & mare vergit *Blackamore*, hoc est, *terra nigra & montana* dicitur, cautibus enim, montibus, & syluis passim exasperatur. Oram maritimam *Scarborough* castrum celeberrimum illustrat, Sceap-burg, .i. *Burgus in prærupta rupe*, olim dictum. Cuius descriptionem habe tibi ex Guilielmi Newbrigensis historia. *Rupes stupendæ altitudinis, & amplitudinis præruptis ferè ex omni parte scopulis inaccessa mare irrumpit, quo tota ambitur, exceptis tanquam faucium quarundam angustijs, quas aperit ad Occidentem, habens in summo planitiem speciosam, herbidam, & spatiosam, tanquam sexaginta iugerum, vel eò ampliùs, fonticulum quoque aquæ viuæ ex saxo profluentem. In ipsis autem faucibus ad quas sine labore non ascenditur, turris regia sita est, & sub ijsdem faucibus vrbis initium est in Austrum & Aquilonem vtrumque latus spargentis, frontem verò ad Occidentem habentis, & à fronte quidem proprio muro, ab Oriente verò rupe castelli munitur, porrò vtrumque eius latus mari alluitur. Hunc locum Guilielmus (Crassus ille Albemarlæ & Holdernessiæ Comes) castro construendo idoneum contemplatus, sumptuoso opere naturam iuuans, totam rupis planitiem muro complexus est, & turrem in faucium angustijs fabricauit, qua processu temporis collapsa, arcem magnam & præclaram Henricus Secundus ibidem ædificari præcepit.* Cùm ille iam Angliæ proceres qui in soluto illo Stephani imperio, Regium patrimonium acciderant, inprimis verò Guilielmum illum Albæmarlium, qui in hoc tractu solus regnauerat, & hunc locum quasi sui iuris occupârat, in ordinem redegisset. De proiectissima Thomæ *Stafford* audacia, qui cum pauculis Gallis, vt magnis excideret ausis, hoc castrum, regnante Maria, ex improuiso cœpit, biduumque tenuit, nihil attinet dicere, nec de *Sherleis* nobili Gallo qui illum comitatus, reus læsæ maiestatis pro Tribunali peractus erat, licet exterus *quod contra Legeantiæ suæ debitum fecerit*, pace inter Angliæ & Franciæ regna tunc vigente. Notiora hæc sunt quàm vt meis scriptis possint innotescere. Operæpretium tamen videatur annotare vberrimam, & quæstuosissimam hîc in subiecto mari Halecum (siue Leucomenidarum, aut Chalcidum, si ita mauis) piscaturam Hollandos, & Zelandios exercere, cùm veniam prius veteri instituto ex hoc castro impetrauerint. Veniam enim piscandi semper concesserunt Angli, honore sibi reseruato, vtilitate vero exteris quasi per desidiam resignata. Incredibile enim ferè est quantam pecuniæ vim ex hac in nostro littore piscatura Hollandi sibi corrogant. Haleces hæ (ignosce quæso si paucis diuini erga nos beneficij extra ordinem meminero) tempore quæ proauorum seculo tantum ad Norwegiam sua quasi statiua habuerunt, nostro Britanniam nostram non sine diuino consilio, numerosis examinibus quotannis circumnatant. Circa solstitium æstiuum ex alto littora Scotiæ petunt, quo tempore quia pinguiores sunt statim diuenduntur, Inde Anglica littora adeunt, & ab Augusto medio ad Nouembrem optima & vberrima eorum est captura à *Scarborrough* vsque ad Tamisis ostium. Postea aliqua vehementiori procella in Britannicum mare deferuntur, & in eo ad Christi vsque natalitia se piscantibus offerunt, hinc Hiberniam vtrinque pernatantes in Septentr. Oceanum, circumnauigata Britannia, se transferunt, & ad Iunium quasi subsistunt, & postquam ibi fœtificauere, immenso agmine regrediuntur. Hæc autem dum scribo subit mihi in mentem quod apud S. Ambrosium quondam legi. *Pisces ex plurimis locis a diuerso sinu maris innumeri, velut communi consilio conuenientes, coniuncto agmine flatus Aquilonis petunt, & ad illud Septentrionalium mare partium quadam naturæ lege contendunt. Dicas si ascendentes videas, Rheuma quoddam esse, ita proruunt fluctusque*

persecant

Scarborough cast.e.

Vide Dict. 144.

Halecum quæstuosa piscatura.

perſecant per Propontidem in Euxinum Pontum violento impetu profluentes. Sed ad rem iam ſe recipiat oratio. Hexameron lib. 5. cap. 10.

Inflectitur inde littus cautibus præciſum vſq; ad *Teiſe* fluuium, ſinuſque circumducto littore efficitur plus minus mille paſſ. patens, quem à nominatiſſimo exlege Roberto *Hood*, *Robbin Hoods Bay* vocamus. Illum enim (Richardo Primo regnante) floruiſſe autor eſt Io. Maior Scotus, a quo prædonum principis & prædonis mitiſſimi elogio honeſtatur. Inde DVNVS SINVS, à Ptolemæo memoratus, ſtatim refugiente vtrinque littore oſtenditur, cui *Duneſley* viculus adſidet, & huic contiguum *Whitby*, Saxonicè ſtreaneſ-heale, quod Beda *Sinus Phari* interpretatur. Nec illam interpretationem in quæſtionem vocare libet, quamuis noſtra lingua adeò referat *Sinum ſalutis*, vt hunc ipſum fuiſſe *Salutarem ſinum* dixerim, niſi apud Geographum ſitus aliud perſuaderet. Lapides hîc inueniuntur, ſerpentium in ſpiram reuolutorum effigie, naturæ ludentis miracula, quæ, vt inquit ille, Natura cùm veris & ſerijs negotijs quaſi fatigata, ludendo efformat. Serpentes olim fuiſſe crederes, quos lapideus cortex intexiſſet. Hildæ autem precibus adſcribit fama, tanquam illa commutaſſet, quæ primitiua Saxonum Eccleſia, ſacerdotum tonſuræ, & Paſchatis iuxta Romanum ritum celebrationi pro viribus obſiſtebat, Synodo his de rebus anno DCLXIIII. habita in Monaſterio ſuo, quod hoc in loco poſuerat, & cui ipſa prima præfuit. Cuius etiam ſanctitati adſcribitur, quòd anſeres illi immanſueti qui hiberno tempore ſe conferunt gregatim ad lacus, & fluuios in Auſtralibus partibus non congelatos, dum ſuper quoſdam adiacentes hîc agros tranſuolant in terram non ſine ſumma omnium admiratione ſubitò decidunt, Quod non retuliſſem niſi à plurimis fide dignis accepiſſem. Qui autem a ſuperſtitioſa credulitate alieni hoc ad vim huius ſoli abditam & diſſenſum latentem inter hoc ſolum, & illos anſeres, vt inter lupos & bulbos ſcyllæ referunt. Huiuſmodi enim conſenſus & diſſenſus latentes quos Sympathias & Antipathias dicunt, propter conſeruationem, prouidam naturam rebus quamplurimis indidiſſe nemo non agnoſcit. Edelfleda Oſwini regis filia ampliſſimis redditibus hoc poſtea adauxit, vbi & patri iuſta ſoluit. Sed demum Danicæ deprædationis tempeſtas omnino euertit, & quamuis Serlo Percius inſtauràrit, cùm ſtatim a Normannorum aduentu eidem præficeretur: nunc tamen antiquæ dignitatis vix tenue præ ſe fert veſtigium. In proximo, prærupto in colle inter duos tamen colles æditiores ad mare Wadæ Ducis Saxonici caſtrum fuiſſe ferunt, qui in illa confuſa Nordanhumbrorum anarchia, & regulorum laniena, inita cum Etheredi regis percuſſoribus ſocietate, Ardulphum regem aperto Marte ad *Whalley* in agro Lancaſtrenſi laceſſiuit, ſed fortuna adeo aduerſa, vt ſuis profligatis, ipſe ſibi fuga conſuleret, poſteaque morbo abſumptus vitæ fabulam peregit, & hic in colle inter duo ſaxa ſolida ſeptem plùs minùs pedes alta tumulatur, quæ cùm vndecim pedibus diſtarent illum gigantea fuiſſe mole non dubitant affirmare. Iuxtà longo poſt tempore caſtrum poſuit Petrus de *Malo-lacu*, quòd quaſi grata, venuſtateque plenum eſſet, *Moult-grace* Gallicè nominauit (vt in hiſtoria Mealcenſi legimus) ſed cùm circumuicinis grauiſſimum eſſet iugum; populus penes quem vſus loquendi, mutata literula *Moulgraue* dixerunt, quo nomine licèt nominis ratio minùs ſit nota, omnibus innoteſcit. Petrus hic de *Malo-lacu* vulgò *Mauley* dictus, vt in hoc curioſis ſatisfaciam, è Pictonibus Galliæ oriundus Roberti de *Turnham* vnicam filiam regnante Richardo Primo in matrimonium duxit, cuius iure offertiſſimam hîc adijt hæreditatem, cui ſeptem Petri Domini de *Malo-lacu* ſuo ordine ſucceſſerunt, qui pro inſignibus areola nigra tranſuerſa, ſiue *Benda*, in aureo clypeo vſi ſunt, verùm cùm ſeptimus ſine ſobole fatis conceſſiſſet, per eius ſorores hæreditas inter equeſtres familias Saluainorum & Bigotorum partita erat.

Teiſe fl. Robbin Hoods Bay. Dunum. Duneſley. Whitby. Serpentes lapidei. Hildæ. Anſeres decidentes. Sympathiæ & Antipathiæ. Wada Dux ad quem Wadorum familia ortum refert. 798. Wadesgraue. Moulgraue caſtle. Barones de Malo-lacu.

Prope hunc locum, & alibi in hoc littore repertum eſt Succinum nigrum, ſiue *Geate*, Gagatem aliqui eſſe exiſtimant, quem inter rariores lapides, gemmaſque habuerunt veteres. Enaſcitur verò inter cautes vbi rimis dehiſcunt; & priuſquam expoliatur, colore eſt ſubruſo, & æruginoſo, expolitum autem verè eſt, vt inquit Solinus, nigro-gemmeus. De quo Rhemnius Palemon è Dionyſio. Geate. Gagates.

Præfulget nigro ſplendore Gagates.
Hic lapis ardeſcens auſtro perfuſus aquarum,

Alij ſunt, qui carbonem noſtrum foſſilem Gagatem eſſe credunt.

Aſt

Ast oleo perdens flammas, mirabile visu
Attritus rapit hic teneras seu succina frondes.

Et Marbodæus in suo de Gemmis libello,

Nascitur in Lycia lapis, & prope gemma Gagates,
Sed genus eximium fœcunda Britannia mittit,
Lucidus & niger est, leuis & leuissimus idem:
Vicinas paleas trahit attritu calefactus,
Ardet aqua lotus, restinguitur vnctus oliuo.

Audi etiam Solinum: *Gagates in Britannia plurimus, optimusque lapis, si colorem requiras, nigro gemmeus, si qualitatem nullius fere ponderis, si naturam, aqua ardet, oleo restinguitur, si potestatem, attritu calfactus applicita detinet.*

A *Whitby* recedunt in Occasum littora, quibus adiacet *Clineland*, à cliuis, vt videtur, nomine accepto, (quos *Cliffes* nostra lingua vocamus) Montes enim cliuosi passim per hanc latera trahunt, ad quorum radices regio in fertiles campos æquatur. Clineland.

In littore *Sken-graue* viculus multiplici piscium captura lætatur, vbi & hominem marinum ante septuaginta annos captum per aliquot dies crudis piscibus vescentem ferunt, sed qui captata oportunitate ad suum euasit elementum. Cùm sopitis ventis placidissima sit maris malacia & aqua quasi in planitiem strata silet, sæpenumerò subitò longè hìc exauditur horrendus quasi gemitus, quo tempore piscatores non audent in altum prouehi, qui pro suo captu credunt Oceanum immanem esse belluam, & tunc famelicam importuniùs corpora humana quæ deuoret, efflagitare. Sub *Sken-graue* sedet *Kilton* castrum viuario inclusum, olim inclytæ familiæ *Thwengorum*, quorum patrimonium ad Barones de *Lumley*, *Hiltonium*, & *Daubeneium* descendit: huicque fere contiguum *Skelton* castrum adsidet antiquæ familiæ Baronum de *Brus*, qui originem trahunt à Roberto *Brus* Normanno, Ille duos habuit filios Adam Dominum de *Skelton*, & Robertum Dominum *Vallis Anandiæ* in Scotia, a quo stirps regia Scotorum, Petrus verò *Brus* quintus Dominus de *Skelton* sine sobole obijt, & sorores hæredes reliquit. Agnetem nuptam Waltero de *Falconberg*, Luciam Marmaduco de *Thweng* a quo Baro de *Lumley*, Margaretam Roberto de *Roos*, & Laderinam Ioanni de *Bella-aqua*, viris eo seculo magni honoris & existimationis: posteri Walteri de *Falconberg* diu floruerunt, tandem verò per fœminam possessiones ad Guilielmum *Neuil* descenderunt, quem bellica virtus illustrauit & Rex Edwardus Quartus Comitis Cantij titulo ornauit. Filiæ autem eius I. *Coigniers*, N. *Bedhowing*, & R. *Strangwayes* datæ fuerunt in matrimonium. Homo Marinus. Kilton. Skelton. Bruis de Skelton. Barones Falconberg.

Prope *Hunt-cliffe* autem in littore recedente æstu scopuli eminent, ad quos Phocæ quas nos *Seales* contractiùs (vt aliqui volunt) pro *Sea-veale* id est, *vituli marini* agminatim se conferunt vt dormiant & apricentur, inque scopulo littori proximo vnus quasi procubitor excubat, cúmque aliquis accedat, vel saxo deiecto, vel se cum sonitu in aquis deuoluto, cæteris signum dat, vt sibi consulant, & vndis se committant. A viris sibi maximè metuunt, quos insequentes cum aqua sint destituti reiecto posterioribus pedibus quasi arenæ & grumorum turbine sæpe repellunt, à fœminis minus timent, adeò vt qui eos capere velint, muliebri veste se induunt. Eadem ora inueniuntur lapides flauescentes, rubescentes, & nonnulli salsa quadam materia incrustati, qui ex odore & gustu calchanthum, nitrum, & sulphur promittunt, nec non plurimus pyrites ærei coloris.

Iuxtà ad *Huntly Nabb* littus quod longo tractu iacuit apertum, in cautes celsiùs surgit, & sparsim ad earum radices iacent saxa, varia magnitudine tam affabrè Sphærica figura à natura efformati, vt globi artificis manu in maiorum tormentorum vsum tornati videantur. In quibus effractis inueniuntur serpentes saxei suis spiris reuoluti, sed qui plerique capitibus destituti. *Wilton* castrum quondam *Bulmerorum* inde conspicitur, & supra ad *Dobham* in Oceanum *Tesis* fl. se euoluit cùm plures riuos hospitio susceperit & nouissimè anonymum iuxta *Yarum* mercatu suo notum, qui *Stokesley* irrigat emporiolum quod ad Lapides globosi. Wilton. Yarum. Stokesley.

inclytam

inclytam familiam de *Eure* iam diu spectauit. Sub quibus *Wharlton* castrum quondam Baronum *Meinill* & *Harlsey* familiæ *Hothom*, nec non posteà *Strangwaies* cum vetustate iam colluctantur. Wharlton.

Tesis quod dixi ostium, nauigantibus olim suspectum, iam tuta statio deprehenditur, & ad tutum accessum indicandum vtraque in ripa Phari nostrâ memoria sunt constitutæ. Ad quartum ab hoc ostio milliare *Gisburgh* æditiùs sedet, nunc exiguum opidum, sed cui dum stetit, magnæ gloriæ fuit Monasterium perpulchrum & opulentum, quod à Roberto de *Brus* loci Domino circa Annum Salutis MCXIX. constructum fuit, commune sepulchrum nobilibus in hoc tractu, & Gualterum de *Hemingford* historicum non ineruditum produxit. Locus sanè hic eximius & qui cum Puteolis Italiæ amœnitate, grata varietate, & raris naturæ dotibus contendat, quos tamen salubritate longè superat. Aer interiectu montium, quà mare hybernat, mollitur, solum fœcundum, gramine lætum magnam anni partem blandos flores effundit, venisque metallicis & terra aluminosa colore vario, sed præcipuè ochræ & ferruginis, è qua alumen optimum & calchanthum excoquere iam incœperunt, opulentè abundat. Quod singulari solertia primus deprehendit ante paucos annos eruditus naturæ venator Cl. Eques auratus Tho. *Chaloner* (cuius curæ Britanniæ delitias Henricum Principem filium suum Rex noster maximus commisit) cùm obseruâsset folia arborum hic magis quàm alibi subuirere, quercus latè diffusas non altas radices agere, quibus plurimum roboris & parum succi, solum argillaceum, varijsque coloribus, albicans scilicet, subflauum, & cæruleum nunquam gelu constringi, & nocte sublustri in semitis vitri instar emicare. *Ounsbery Topping* mons præceps & totus virens haud procul assurgit præalta specula longè spectabilis qui & nauigantibus pro indicio, & vicinis est pro Prognostico: quoties enim culmen nube circumfunditur, plerunque pluuia subsequitur, è vasto saxo propè verticem fons oculis affectis salutaris effluit; & hinc gratissimo spectaculo valles reductæ, colles herbidi, prata virentia, pascua læta, arua frugifera, riuuli piscosi, portuosum *Tesis* fluminis ostium, littora aperta sine inundationis periculo, mareque veliuolum despectantur. *Kildale* huic subest Perciorum Comitum Northumbriæ castrum, Magisque ad Ortum *Danby* quod à *Brus* etiam per *Thwengos* ad Barones *Latimeros* deuenit, à quorum hærede nati fuerunt *Willoughbæi* Barones *Broke*. Verùm hoc *Danby* cum alijs possessionibus Neuillis diuenditum, è quibus Georgius *Neuill* ab Henrico Sexto ad Parlamenta nomine Domini *Latimer* inter Barones euocatus fuit, in cuius sobole ad nostra vsque tempora permansit hæc dignitas. Nihil aliud est quod hic adnotem, nisi Baronem de *Meinill* nonnulla prædia hoc in agro de Archiepiscopis Cantuariensibus tenuisse, pro ijsdem *Coignieros*, & *Strangwaies*, & alios, qui ab ijs prognati sunt, ad obsequia, & seruitia militaria Archiepiscopis præstanda astrictos esse. Cùmque ex Prærogatiua, *Rex Angliæ* (Prærogatiuæ verbis vtor) *habebit custodiam omnium terrarum eorum, qui de ipso tenent in capite per seruitium militare, de quibus ipsi tenentes fuerint seisiti in dominico suo vt de feodo, die quo obierunt, de quocunque tenuerint per huiusmodi seruitium, dum tamen ipsi tenuerint de Rege aliquod tenementum ab antiquo de Corona, vsque ad legitimam ætatem hæredis:* Excipiuntur tamen hæc feoda, & alia Archiepiscopi Cantuariensis, & Episcopi Dunelmensis, *ita vt habeant huiusmodi terrarum custodiam, licèt alibi tenuerint de Rege.*

Gisburgh. Alumen, Calchanthum, &c. Ounsbery sive Rosebery Topping. Kildale. Barones Latimer. Historia Cantuariensis. Prærogatiuæ Reg. 17. Ed. 2. Wardship.

Interiùs ad montes de *Blackamore*, præter vagos riuulos & rapidos torrentes, qui passim conualles sibi vendicant, memorandum nihil occurrit, nisi *Pickering* Lancastrensis patrimonij opidum non paruum colli adfixum & veteri castello munitum, ad quod plurimi circumsiti viculi spectant, vnde vulgò *Pickering Lith*, *Libertas de Pickering*, & *Forresta de Pickering* quam Edmundo filio iuniori Lancastriæ Comiti Rex Henricus III. elargitus est) regio adiacens denominatur. In qua ad Derwentionem *Atton* sita est, quæ nomen fecit præclaræ Equitum familiæ de *Atton* à Dominis de *Vescy* oriundæ, cuius hæreditas per filias inter Edwardum de S. *Iohn*, *Eueros*, & *Coignieros* partita fuit. Ab Edwardo autem S. *Iohn* per filiam ad Henr. *Bromflet* magna portio deuenit. Qui quidem Henricus vocatus est ad Comitia Parlamentaria his conceptis verbis quæ non alibi in Parlamentarijs submonitionibus occurrunt. *Volumus & vos & hæredes vestros masculos de corpore vestro legitimè exeuntes Barones de Vescy existere.* Posteà per filiam titulus ille ad *Cliffordos* transiuit. Ex altera parte ad quartum à *Pickering* milliare, iuxta *Dow* rapidum

Blackamore. Pickering. Atton. 17. H. 6. Bromflet Dominus Vescy.

Kirkby-Moreside. pidum fluuiolum *Kirkby-Morside* non postremę fortis mercatus quondam *Estoteuillorum* possessio collibus adiacet, vnde nomen impositum.

Rhidale. Post hæc ad solem Occidentem *Rhidall* substernitur, vallis læta, amœna, fœcunda, viginti tribus parochialibus ecclesijs ornata, quam *Rhie* fluuius interlecat: *Locus*, vt inquit Newbrigensis, *vastæ solitudinis, & horroris*, priusquam Gualterus *Espec* Cluniacensibus monachis concesserat, & cœnobium fundarat. In hac *Elmesley* sedet, quod *Vlmetum* (si Elmesley quæ etiam Hamlak. non mihi impono) Beda vocat, vbi Robertus ille de *Ross* dictus *Fursan* castrum construxit, iuxta quod *Recall* fl. se sub terram condit. Inferius ipsi flumini *Riton* adsidet, antiquæ familiæ *Percibaiorum* qui *Percyes* vulgò vocantur, antiqua possessio. Indè *Rhius* multo-Malton. rum torrentum aquas secum in *Derwentionem* euoluit, qui irrigat hac in valle *Malton* forum frumento, equis, piscibus, & instrumentis rusticis celebratum, vbi veteris castri radices visuntur, quod olim (vt accepi) ad *Vescios*, amplissimos in his partibus Barones spectauit. Horum stemma (vt ex Archiuis regijs constat) à Guilielmo *Tyson* deducitur, Barones Vescy. qui Dominus *Maltonæ* & *Alnewici* in Northumbria in prælio apud *Hastings* contra Normannos cecidit, Vnica eius filia data fuit in matrimonium Iuoni de *Vescy* Normanno qui filiam item vnicam reliquit Beatricem, quacum Eustachius filius Ioannis Monoculi nuptias contraxit, qui religiosas ædes regnante Stephano apud *Malton* & *Watton* posuit. Eius enim vxor secunda Domina fuit de *Watton* filia Guilielmi Constabularij Cestriæ. Eustachij ex Beatrice filius Guilielmus è materno vtero cæsus *Vescy* nomen sibi assumpsit & insignia videlicet Crucem argenteam in rubeo scuto. Hic è B. filia Roberti *Estoteuill* de *Knaresburg* duos progenuit filios Eustachium de *Vescy*, qui Margaretam filiam Guiliel-Vesciorum insignia. mi Regis Scotorum in vxorem accepit, & Guarinum de *Vescy* Dominum de *Knapton*. Matth. Paris M. S. Eustachius pater erat Guilielmi qui Ioannem sine prole defunctum, & Guilelmum rebus in Hibernia gestis clarum progenuit, qui insignia familiæ in auream parmam cum nigra Cruce commutârunt. Guilielmus verò, cùm legitimus filius Ioannes in bello Wallico obijsset, Regi Edwardo nonnullas in Hibernia concessit terras, vt filius illegitimus Gui-Lib. Dunelm. lielmus de *Kildare* dictus paternam hæreditatem adiret, hæredemque instituit fiduciarium in vsum filij Antonium *Bec* Episcopum Dunelmensem, sed parùm fidum de *Alnewic*, *Eltham* in Cantio, & alijs terris, quas sibi interuertisse perhibetur. Filius autem hic illegitimus prælio Sterlingensi in Scotia occubuit. Reciditque titulus tandem ad *Attonorum* prosapiam cùm Guarini *Vescy* vnica filia Margareta enupta esset Gilberto de *Atton*. Vide pag. 587. Sed de his satis superque, & paulò antè iam dictum.

Newborrow. Biland. Prope hanc vallem *Neuburgus* cui Guilielmum Neubrigensem rerum Anglicarum scriptorem doctum & diligentem debemus: nunc habitatio est familiæ claræ de *Bellasise* ex Episcopatu Dunelmensi oriundæ, & *Bellelanda* vulgò *Biland*, duo celeberrima mo-Mowbraiorum familia. nasteria floruerunt, quæ Rogerus *Mowbray* posuit, & dotauit. *Mowbraiorum* horum familia si qua alia potens, nobilis, & opulenta fuit, & latifundia amplissima cum castellis *Slingesby*, *Thresk*, alijsque in hoc tractu possedit. Originem huius prosapiæ si quæris, vno * Alibi De Fronte bouis vocatur. verbo expediam. Cùm Rogerus de *Mowbray* Northumbriæ Comes, & R. de * *Grandebeofe*, ob perfidiam omnibus possessionibus exuti essent, Rex Henricus Primus Nigello de *Albenie* ex eadem familia qua *Albeneij* Arondelliæ Comites, viro summo loco inter Normannos nato, qui Guilielmo *Rufo* ab arcu erat, maximam earum partem contulit, Reg. Monast. de Fontibus. adeoque ditauit, vt in Anglia CXL. in Normannia CXX. *feoda militaria* teneret. Iussit etiam vt Rogerus eius filius *Mowbraij* nomen assumeret, à quo *Mowbraij* illi Nottinghamiæ Comites, & Norfolciæ Duces sunt procreati. Ad hos etiam *Mowbraios Gilling* Gilling castle. castrum adiacens olim spectauit, nunc verò ad familiam illam antiquam & claram quæ à Fair-fax. pulchro capilitio *Fairfax*, .i. *Pulchricoma*, nomen accepit, *Fax* enim priscis Anglis crines Fax vel capillos denotat, vnde illi Cometam, siue stellam crinitam *Faxed starre*, vt locum, de Faxed starre. quo antè dixi, *Haly-fax* à sacris crinibus vocârunt.

The Forest of Galtres. Deinde ad Austrum *Calaterium nemus*, vulgò *The Forest of Galtres* subiacet, arboribus alicubi opacum, alicubi vliginosa planitie madescens: hodie equorum solenni cursu in quo victori equo campanula aurea præmio proponitur, celeberrimum. Vix enim credi-Equorum decursus solennis. bile, quanta hominum multitudo ad hæc certamina vndique confluat, & quantis depositis pignoribus de equorum velocitate concertetur. In hoc nemore *Creac* cernitur, quod Creac. Egfridus Nordanhumbrorum Rex anno DCLXXXIIII. cum tribus in circuitu millia-ribus

ribus S. Cuthberto elargitus eſt, per quem ad Dunelmenſem eccleſiam deuenit. Vix quarto hinc milliari *Sherry-hutton* ſummæ elegantiæ caſtrum à Bertramo de *Bulmer* extructum, & à Radulpho *Nevil* primo Weſtmorlandiæ Comite reſtauratum, inter nemuſcula amœniſſimè ſedet, cui vicinum eſt *Hinderskell* caſtellum constructum à Baronibus de *Greyſtocke*, alijs à fontium ebullientium multitudine * *Hunderd-skell* dictum. Sherryhutton. Hinderskell. * Centum fontes.

Poſt montes ad Occaſum vbi in planitiem, & lætiores campos regio denuò ſe explicat, *Aluerton-ſhire*, vulgò *North-Alerton*, regiuncula *Wisko* fluuiolo irrigata iacet, nomine a *North-Aluerton* opido ſumpto, olim Ealfertun, quod nihil eſt niſi platea longior: ſed nundinis boarijs feſto S. Bartholmæi, omnium quæ hactenus vidi, frequentiſſimum. Guilielmus Rufus Rex hoc eccleſiæ Dunelmenſi cum agro adiacenti donauit, cuius Epiſcopis plurimum debet. Caſtrum enim Guilielmus *Comin* qui Dunelmenſem ſedem vi occupauit, conſtruxit, nepotique ſuo conceſſit, quod nunc quodammodo diſparuit, & qui ſubſequuti ſunt epiſcopi, immunitates quaſdam indulſerunt. Libro enim Dunelmenſi legitur, *Hugo de* Puteaco *Dunelmenſis epiſcopus, opidum firmauit, impetrato à rege vt inter caſtra adulterina, quæ tunc ſparſim per Angliam deſtrui iubebantur, hoc ſolum priuilegium integritatis obtineret; quod Rex tamen poſtea mandauit euerti, & ſolo funditùs æquari.* Iuxta hoc, prælium, quod vulgo de *Standardo* dicunt, factum, in quo Dauid Scotorum Rex, qui his regionibus ferè ſolitudinem inaudita crudelitate fecerat, tanta ſuorum ſtrage in fugam coniectus erat, vt tum demum iuſtæ iræ parentatum exiſtimârint noſtri. Verè enim hoc in bello effectum, quod Radulphus Epiſcopus dum Anglos oratione ante prælium acuerit dixit. *Multitudo diſciplinæ inſolens ipſa ſibi eſt impedimento, in proſperis ad iniuriam, in aduerſis ad fugam.* De *Standardo* hoc prælium dictum eſt, eò quòd Angli circa vexillum, ſiue *Standardum* conglobati primum Scotorum impetum exceperint, ſuſtinuerint, eoſque demum profligauerint. *Standardum* autem hoc erat, vt in antiquis libris depictum vidimus, currus ingens rotis ſuffultus, in quo malus eximiæ altitudinis infixus, in cuius ſummo crux eminebat, & infra crucem vexillum appendebat. Signum autem erat ſummæ expeditionis, & quaſi ſacra ara exiſtimabatur, planéque idem quod *Carrocium* erat Italis, quod nunquam niſi cùm de ſumma rerum ageretur, educi licuit. North-Aluertonſhire. Cap. 126. 1137. Bellum de Standard. Houedenus. Standardum. Carrocium.

In hac etiam regiuncula, *Thresk*, vulgò *Thrusk*, memorandum eſt, quod olim munitiſſimum habuit caſtrum, è quo Rogerus *Mowbray* ſeditionis ſignum ſuſtulit, & Scotorum regem ad patriæ incendium euocauit, cùm Henricus II. conſilio parùm ſano ſibi quodammodo ſepulchrum effodiſſet, filium æquata poteſtate regem deſignando. Sed hæc ſeditio ſanguine demum erat reſtincta, & hoc caſtrum funditùs euerſum, adeò vt præter vallum nihil caſtri ibi viderim. Alia etiam ſeditionis fax, Henrico Septimo regnante, hîc exarſit; cùm enim vulgus indomitum leue tributum grauiſſimè ferrent, quod à regni ordinibus imperatum, & Rationales, ſiue Collectores abegiſſent, protinùs, vt fœlix temeritas nunquam inuenit modum, in Henricum *Percium* Northumbriæ Comitem qui prouinciæ præfuit, hoc in loco irruunt, interficiunt, & Ioanne *Egremond* Duce, arma in patriam, & principem arripiunt; verùm paucos poſt dies pœnas Reipublicæ graues, & iuſtas perſoluerunt. Hîc in proximo ſunt *Soureby*, & *Brakenbak*, vetuſtæ ſanè & præclaræ familiæ de *Laſcelles*; & magis ad Auſtrum *Sezay* quondam *Darellorum*, poſteà *Dawniorum* quæ equeſtri dignitate diu floruerunt. Thresk. Comes Northumbriæ à ſeditioſis interfectus. Laſcelles.

Eboracenſis prouinciæ (poſt Guilielmum *Mallet*, & Eſtoteuillum vnum & alterum è ſtirpe Normannica, quos hæreditarios Vicecomites fuiſſe volunt) primus & vnicus Comes erat Otho filius Henrici *Leonis* Ducis Bauariæ & Saxoniæ è Matilde filia Henrici Secundi regis Angliæ, qui poſteà Imperator Auguſtus ſalutatus & Otho Quartus appellatus. A cuius fratre Guilielmo altero Matildis filio oriundi ſunt Duces Brunſwicenſes & Lunæburgenſes in Germania, qui in huius cum Angliæ regibus cognationis argumentum, iiſdem inſignibus, quibus primi reges Angliæ è ſanguine Normannico, duobus ſcilicet leopardis ſiue Leonibus aureis in clypeo rubro vtuntur. Longo pòſt tempore Edmundum de *Langley* Regis Edwardi Tertij filium quintum Eboraci Ducem inſtituit Richardus Secundus, cui ex altera filia Petri Regis Caſtiliæ, & Legionis nati ſunt duo filij: Edwardus primogenitus patre ſuperſtite fuit primùm Comes Cantabrigiæ, poſtea Dux Albæmarlæ, & demum Dux Eboracenſis, qui fortiter in prælio ad *Aginçourt* in Gallijs, nulla ſuſcepta prole vitam profudit; Richardus ſecundo-genitus Comes erat Eboracenſes Comites & Duces. Anno 1 Rich. 1. Houedenus. Duces Brunſwici.

 Cantabrigiæ,

Cantabrigiæ, qui ducta in vxorem Anna sorore Edmundi de *Mortuomari* Comitis *Marchiæ*, cui auia itidem erat filia vnica & hæres Leonelli Ducis Clarentiæ, Edmundum vxoris fratrem ad regiam dignitatem euehere molitus, statim interceptus capite luit, quasi a Gallis corruptus Henrici Quinti vitæ insidiatus fuisset. Richardus eius filius decimo sexto pòst anno summa sed improuida Henrici Sexti benignitate in integrum restitutus fuit, *vt filius Richardi fratris Edwardi Ducis Eboracensis, & consanguineus Edmundi Comitis Marchiæ.* Iamque Dux Eboraci, Comes *Marchiæ*, & *Vltoniæ*, Dominus de *Wigmore, Clare, Trim,* & *Conaght*, tantos spiritus assumpsit, vt regnum quod clandestinò malis artibus, de Repub. malè administrata quiritando, seditiosos rumores & libellos famosos disseminando, fœdera occulta ineundo, tumultus imò & bella excitando, aliquandiu affectauerat; tandem contra Henricum Sextum in Ordinum conuentu publicè suo iure postularet; vtique qui filius Annæ *Mortuomariæ* sororis & hæredis Edmundi Comitis Marchiæ, cui genus rectâ lineâ a Philippa filia & vnica hærede Leonelli Ducis Clarentiæ filij tertij Regis Edwardi Tertij; & igitur liberis Ioannis Gandauensis qui quartus erat Edwardi Tertij filius iure optimo in regni successione præferendus. Cui cùm responsum esset, regni proceres, ipsumq; Ducem in regis fidem iurasse, regnum Parlamentaria authoritate Henrico Quarto & eius hæredibus delatum & confirmatum fuisse, Ducem autem ipsum qui ius a Duce Clarentiæ vendicat, Digma siue *Arma* Ducis Clarentiæ nunquam sibi assumpsisse, & Henricum Quartum regnum iure ab Henrico Tertio repetito occupasse. Hæc ille facilè elusit. Iusiurandum scilicet illud Regi ex iure humano factum neutiquam præstandum, cùm contra veritatem & iustitiam fuerit quæ sunt ex iure diuino, haud opus fuisse authoritate Parlamentaria ad regnum Lancastrensibus deferendum, neque ipsos hoc voluisse, si quo iure niterentur; ab *Armis* Ducis Clarentiæ quæ sibi iure competerent, perinde ac a regno vendicando consultò eo vsque abstinuisse: ius autem illud ab Henrico III. repetitum commentum esse ridiculum ad iniuriam velandam, & nulli non explosum. Hæc licèt pro Eboracensi Duce exploratissimi erant iuris, prudenti tamen consilio ad imminentium periculorum remedium ita temperata res est, vt Henricus Sextus ad vitam regno vteretur frueretur, Richardus Dux Eboracensis regni hæres & successor designaretur, interposita cautione, vt neuter in alterius perniciem quicquam moliretur. Sed eousque ambitio Ducem statim præcipitem egit, vt dum spes suas anteire pararet, exitiabile illud bellum inter Lancastrensem & Eboracensem familiam Albæ & rubræ rosæ symbolis distinctum concitarit. Quo ipse mox ad *Wakefeldiam* occubuit; Henricus Sextus quater captus, tandem regno & vita spoliatus fuit: Edwardus Comes *Marchiæ* Richardi filius regnum obtinuit, eodemque deturbatus, denuò recuperauit (sic fortuna inconstans & ludibunda attollendo & premendo sibi ludos facit) regij sanguinis Principes plurimi, & proceres splendidissimi e medio sublati, hæreditariæ illæ & opulentæ Regum Angliæ in Gallia prouinciæ amissæ, Hibernia neglecta & efferata, opes regni omnino accisæ, & misellus populus nullo non calamitatum genere obrutus. Edwardus autem solio confirmatus & eius nominis in Regum serie Quartus Richardo filio secundo Ducatus Eboracensis titulum contulit, qui cum Rege fratre a Richardo Tyranno patruo tenella ætate fuit extinctus. Dein Henricus Septimus filio suo iuniori qui postea Henrici Octaui nomine in Angliæ Regem inauguratus, eundem concessit. Et nuperrimè Rex Iacobus Carolum filium secundo-genitum, quem anteà in Scotia Ducem *Albaniæ*, Marchionem *Ormondiæ*, Comitem *Rossiæ*, & Baronem de *Ardmanoch*, creauerat, Ducem Eboracensem, vt ad formulam loquar, *per gladij cincturam, cappæ & circuli aurei impositionem in capite, & traditionem virgæ aureæ inuestiuit*, cùm ipsum & vndecim ex splendidissimis familijs pridie in Equestrem quam *Balnei* vocant, dignitatem ritè cooptasset.

Parlam. 10. H. 6.

Ex Rotulis Parlamenti 39. H. 6.

Bellum inter Lancastrenses & Eboracenses siue Rosam Rubram & Albam.

1604

Numerantur in hoc Comitatu parœciæ 459. quibus subsunt plurimæ capellæ etiam magnis parœcijs incolarum multitudine adæquandæ.

RICHMOND-

RICHMOND-SHIRE.



HVius agri pars reliqua, quæ Solstitialem Occasum spectat, & latè patet, *Richmond-shire*, siue *Richmount-shire* vocatur, nomine facto à castro quod Alanus Britanniæ Armoricæ Comes extruxerat, cui Guilielmus Normannus victor, hunc agrum qui priùs Edwini Angli erat, hoc breui diplomate donauit. *Ego Guilielmus cognomine Bastardus Rex Angliæ, do & concedo tibi nepoti meo Alano Britanniæ Comiti, & hæredibus tuis in perpetuum omnes villas, & terras quæ nuper fuerunt Comitis Eadwini in Eborashira, cum feodis Militum, & alijs libertatibus, & consuetudinibus, ita liberè, & honorificè, sicut idem Edwinus eadem tenuit. Data obsidione coram ciuitate Eboraci.*

Incisis rupibus, & montosa collium eminentia hæc regio fere tota eminet, quorum conuexa sunt alicubi satis herbida, radices, conuallesq; non omnino infrugiferæ. Montes vero ipsi plumbo, carbone fossili, nec non ære grauidi. In Edwardi enim Quarti *Charta*, mentio habetur de *Minera* siue fodina *cupri*, iuxtà ipsam Richmondiam vrbem. Sed auaritia, quæ mortales etiam ad inferos agit, in hos montes, nescio an difficiliori euectione deterrita, minùs penetrauit. Æs, plumbum, & Carbo fossilis.

Quòd in montium autem summitatibus, vt etiam alibi, lapides nonnunquam fuerint reperti cochleas marinas, & alia aquatilia referentes, si non sint naturæ miracula: refusi in omnem terram sub Noe diluuij certa esse indicia, cum Orosio Christiano historico iudicabo. *Refusa* (inquit ille) *sub Noe in omnem terram mari, immissoque diluuio, cum toto orbe contecto, vnum spatium cœli esset ac pelagi: deletum fuisse vniuersum genus humanum paucis in Arca fidei suæ merito ad substituendam originem reseruatis euidentissimè veracissimi scriptores docent. Fuisse tamen etiam illi contestati sunt, qui præterita quidem tempora, ipsumque auctorem temporum nescientes, tamen ex indicio & coniectura lapidum quos in remotis montibus conchis & ostreis scabros, etiam sæpe cauatos aquis visere solemus, conijciendo didicerunt.* Cochleæ lapideæ.

Quà Lancastrenses attingit hæc regio, inter montes adeo vasta, solitaria, squallentia, & muta sunt omnia, vt quosdam riuulos hac reptantes, *Hell-becks*, quasi riuulos infernales siue Stygios dixerint finitimi, præcipue ille ad fontes *Vri* fluminis qui vno saxo pro ponte coniunctus tam profundè defluit, vt despectantibus horrorem incutiat. Securaque sunt hoc tractu cubilia capris, damis, & ceruis, qui hîc visuntur magnitudine sua, & ramosis cornibus spectatissimi. Hel-becks.

Vrus flu. iam sæpè dictus hîc ex montibus Occiduis decidit, primùmque vallem *Wentsedale* gregibus satis repletam plumbique alicubi feracem, mediam stringens, dum adhuc fontis vicinia exiguus est, ab Austro fluuiolo *Baint* augetur, qui è stagno *Semar* magno cum murmure euoluitur. Ad ipsos verò confluentes vbi tuguriola sunt pauca, quæ à ponte quo primùm *Vrus* calcatur, *Baintbrig* vocant, olim præsidium fuit Romanorum, cuius & reliquiæ hodie supersunt. In colle enim quem à Burgo *Burgh* nunc dicunt, radices antiqui munimenti quod quinque plùs minùs iugera complexum, & sub eo ad Ortum plurima habitationis vestigia extant. Vbi inter alia multa Romanæ vetustatis argumenta, nuper hoc fragmentum antiquæ inscriptionis pulcherrimo charactere, cum Victoria alata eandem sustentante vidimus. Wentsedale. Bracchium.

IMP CÆS. L. SEPTIMIO
PIO PERTINACI AVGV.--
IMP CÆSARI. M. AVRELIO A-
PIO FELICI AVGVSTO----

Getæ nomen erasum.

\ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \
\ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \ \

BRACCHIO CÆMENTICIVM--
VI NERVIORVM SVB CVRA LA
SENECION AMPLISSIMI--
OPERI L. VI SPIVS PRÆ--
------------- LEGIO. -------------

Bracchium. Hinc conijcere licet munimentum illud ad *Burgh* BRACCHIVM olim fuiſſe dictum, quod antea ceſpititium fuerat, tunc cæmentitio opere fuiſſe conſtructum, & Cohortem Sextam Neruiorum ibi in præſidio egiſſe, qui ſua etiam æſtiua habuiſſe videantur in ædito illo colle vallato proximo quem nunc *Ethel-bury* vocant. Nec ita pridem eruta fuit Aurelij Commodi Imp. ſtatua, qui (vti habet Lampridius) ab adulatoribus BRITANNICVS cognominabatur, cùm Britanni Imperatorem etiam contra eum eligere voluiſſent. Tunc poſita hæc ſtatua videatur, cùm ille immodicus ſui æſtimator eò veſaniæ proceſſerit, vt Herculem Romanum Iouis filium ſe dici iuſſerit. Eſt enim Herculis habitu efformata, & dextra claua armata, cui ſuberat, vt accepi, huiuſmodi mutila, & lacunis interrupta deſcriptio, quæ malè deſcripta, & priuſquam huc acceſſi, perierat.

Commodi Imp. ſtatua.

--------------- CAESARI AVGVSTO
MARCI AVRELII FILIO

SEN IONIS AMPLISSIMI
VENTS PIVS.

Nappa. Medcalforum numeroſa familia. Extabat hæc in *Nappa* ædibus turritis, & præcipua ſede *Medcalforum*, quæ numeroſiſſima totius Angliæ familia his temporibus cenſetur. Chriſtopherum etenim *Medcalfe* virum equeſtris dignitatis, & familiæ huius primum, trecentis equitibus eiuſdem familiæ, & cognominis eodem amictu ſtipatum, cùm Comitatus Vicecomes nuper eſſet, Iuſticiarios *Aſſiſſarum* excepiſſe, Eboracúmque deduxiſſe accepimus. Hinc citus defertur *Vrus*, cammaris fluuiatilibus abundans ex quo C. *Medcalfe* noſtra memoria id genus piſcium ex Auſtrali Angliæ parte huc detulerit: & inter duas rupes, vnde *Att-ſcarre* loco nomen, præceps voluendo deuehitur, non longè à *Bolton* Baronum de *Scrope* antiqua ſede, & caſtro magnifico quod Richardus Dominus *Le Scrope* & Angliæ Cancellarius ſub Richardo Secundo maximis impenſis conſtruxit. Iamque in Orientem Solem ſe

Crey fiſhes.

Bolton caſtle. Barones le Scrope.

se agens, *Midelham* opidum adit, cuius *honorem*, vt in Neuillorum Genealogia legimus, Alanus Richmondiæ Comes fratri iuniori * Rinebaldo contulit, cum omnibus terris, quæ ante eorum aduentum ad *Gilpatrick* Danum spectárunt. Huius è filio Radulpho nepos, Robertus *Fitz-Ralph* dictus, *Wentsedale* etiam omnem à Conano Britanniæ, & Richmondiæ Comite dono accepit, & ad *Midleham* castrum firmissimum excitauit. Ranulphus eius filius monasteriolum Canonicis ad *Couerham*, *Corham* nunc contractè dicunt, in *Couerdale* posuit, eiusque filius Radulphus suscepit Mariam filiam quæ Roberto Domino *Neuill* enupta, in *Neuillorum* familiam hanc hæreditatem amplissimam quasi dotale patrimonium suis nuptijs transtulit. Qui quidem Robertus *Neuill* cùm numerosam prolem ex vxore suscepisset ignotus in adulterio deprehensus, & ab adulteræ marito in vindictam genitalibus mutilatus, breui vi doloris expirauit. Midleham. * Ribaldus alijs. Domini de Midleham. Genealogia antiqua. Couerham.

Vrus deinde, postquam paucula permensus fuerit milliaria, *Ieruis* siue *Iornallense*, monasterium nunc in ruinas redactum, postea *Masham* respergit, quæ fuit *Scroporum* de *Masham*, qui vt è stirpe *Scroporum* de *Bolton* progerminárunt, ita denuò in eandem coniugio insiti fuerunt. Ad alteram autem fl. ripam, sed magis introrsum *Snath* sedet Baronum de *Latimer* primaria habitatio, qui clarorum natalium ortum duxerunt à G. *Neuill* filio minori Rad. *Neuill* primi Comitis Westmorlandiæ, qui hunc titulum honorarium ab Hen. Rege eius nominis Sexto accepit, cùm antiquior *Latimerorum* familia in fœmina desijsset, perpetuaq; successione ad nostra vsq; tempora floruerunt. Cùm mascula prole postremi Baronis deficiente, lautissima hæreditas inter eius filias erat diuisa, quæ in *Perciorum*, *Ceciliorum*, *D'anuersorum*, *& Cornwallis* familias enuptæ fuerunt. Nec alios locos hac in parte memoratu dignos præteruehitur *Vrus*, nisi *Tanfeld* habitationem olim *Gerneganorum* equitum auratorum, à quibus ad *Marmionos* descendit, quorum vltimus Amiciam hæredem reliquit vxorem secundam Ioannis Domini *Grey* de *Rotherfeld*, cuius duo liberi adsumpto cognomine *Marmion*, matri successerunt, alterque vnicam filiam & hæredem reliquit Elizabetham coniugem Henrici *Fitz-Hugh* Baronis inclyti. Masham. Snath. Barones Latimer. Tanfeld. Marmion. Inq. 6.H.6.

Swalam deinde à celeritate (vt author est Th. Spottus) sic dicto magno aquarum assultu influentem accipit *Vrus*, qui etiam ex Occiduis montibus vix quinque mille passus supra *Vri* fontes in Ortum defluit: admodum sacer antiquis Anglis quòd in eo, vno die cùm Angli primùm Christo initiarentur, plusquam decem millia virorum præter fœminas, & paruulos à Paulino Archiepiscopo Eboracensi vitali baptismo festiua lætitia fuerunt regenerati. Deuehitur hic *Swala* valle vtcunque patenti, quæ inde *Swaldale* nominatur, satis illa quidem graminosa, sed syluis indiga, primùm per *Marricke* vbi cœnobium ab *Askis* qui magni olim fuerunt nominis, extructum, & *Mask* plumbi feracem. Inde Richmondiam, vulgò *Richmond*, primariam regionis vrbem exiguo mœnium circuitu inclusam, sed productis ad tres portas suburbijs satis frequentem perfundit, quam Alanus primus Comes cum *Gilling* villæ, siue *Manerio* suo proximo minùs confideret contra Anglorum & Danorum impetus, quos Normanni hæreditate spoliárunt, condidit, hoc nomine quasi *Diuitem Montem* ornauit, mœnibus & castro firmissimo præmuniuit, quod rupi impositum ex alto *Swalam* vasto cum murmure inter saxa ruentem potius quàm fluentem despicit. Erat enim villa illa *Gilling* religione magis sancta, quàm munitione firma, ex quo, in hac (quam Beda *Gethling* vocauit) Oswius Nordanhumbrorum Rex hospitis insidijs interfectus fuerat, cuius ad cædem expiandam ædificatum erat monasterium, quod in summo honore est à maioribus nostris habitum. Magis ad Septentrionem *Rauenswath* castrum satis magnum, sed ruentem mœnium ambitu se ostendit, quod Barones suos *Fitz-Hugh* dictos ex antiqua Anglorum stirpe habuit, qui loci Domini fuerunt ante Normannorum victoriam, & claruerunt vsque ad Henrici VII. tempora magnis possessionibus ex nuptijs cum hæredibus familiarum illustrium de *Furneaux*, & *Marmion* locupletati, quæ ad *Fienes* Dominos *Dacre* in Austro, & *Parros* per fœminas tandem deuenerunt. Swale fl. Sacer. Vide pag. 105. Marricke. Richmond. Gilling. Rauenswath. Barones Fitz-Hugh.

Tribus infra Richmondiam mill. pass. *Swala* vetustam illam vrbem præterfluit, quam Ptolemæus & Antoninus CATVRACTONIVM & CATARRACTON dicunt, Beda autem *Catarracton*, & alibi *Vicum iuxta Catarractam*, vnde à Catarractis nomen illud inditum existimo, cùm Catarracta iuxta sit, sed propiùs *Richmondiam*, vbi occursantibus Caturactonium. Cataricke.

scopulis perdirupta aquis confractis ruit, vt dixi, potius quam fluit *Swala*. Et cur ille *Vicum* iuxta *Catarractam* diceret, si ibi non esset fluminis Catarracta? Vrbem illis temporibus celeberrimam fuisse, ex Ptolemæo colligatur, quòd ibi cœlestis obseruatio facta fuerit: nam & Magnæ Constructionis libr. II. cap. VI. Parallelum quartum & vigesimum per Britanniæ *Catarractonium* describit, distareque ab Æquatore partibus LVII. facit, at in Geographicis longissimum diem horis XVIII. Æquinoctialibus definit, vt iuxta suum ipsius ἐξαιρόμενον LVIII. partib. distet. Hodie verò, vt inquit ille, *magnum nil nisi nomen habet*. Viculus enim est pertenuis, *Catarricke*, & *Catarrick-bridge* dictus, notus tamen & suo ad militarem illam Romanorum viam situ, quæ hîc flumen transit, & rudetis inde dispersis, quæ nonnullam vetustatis faciem præ se ferunt, præsertim ad *Kesterickswart*, & *Burghale*, quæ sunt à ponte paulò remotiora, & magis ad Ortum proximè flumen, vbi magnam molem quatuor quasi propugnaculis in magnam altitudinem maximo labore aggestam contemplati sumus. Quid olim à Pictis & Saxonibus pertulerit, cum illi Britanniæ vrbes ferro & flamma fœdarent, nihil certi habemus; confirmato autem Saxonico imperio, floruisse videtur, (licèt Beda vicum vbique vocet) donec anno Salutis DCCLXIX. ab Eanredo, siue Beanredo tyranno, qui Nordanhumbrorum regnum conuulsit, incensa deflagrauit. Sed & ille statim miserè incendio perijt, & CATARRACTONIVM è cineribus emicuit, Septuagesimo enim septimo post anno, Etheldredus Rex nuptias cum Offæ Regis Merciorum filia hîc celebrauit. Nec diu tamen rebus integris stetit, Danica etenim vastitate, quæ subsecuta est, prorsus corruit.

Catarrick-bridge.

Longo inde tractu, nec inoffensus *Swala* suas ducit aquas non ita procul ab *Hornby* familiæ de *S. Quintino* castro, quod ad *Cogmeros* posteà deuenit, præterque læta pascua, & rusticanas villas nihil vidit, nisi *Bedall* ad alium riuulum influentem, quæ Regis Edwardi Primi temporibus suum Baronem Brianum *Fitz-Alan* antiqua nobilitate florentem iactat, vtique à Ducibus Britanniæ & Richmondiæ Comitibus ortum, verùm deficientibus masculis hæreditas ad *Stapletonos*, & *Greios* de *Rotherfeld* per filias delata fuit.

Hornby. Bedal. Fitz-Alan.


Iam *Swala* Richmondiæ agro relicto, propiùs ad *Vrum* accedit, vbi *Topcliffe* Perciorum primariam sedem inuisit, Taben-clipe Marianus vocat, qui Northumbriæ ordines ad parendum Eldredo Viri-Saxoni Edmundi fratri, anno reparatæ Salutis DCCCCXLIX. iureiurando interposito se illic obstrinxisse scribit. Ad ipsos verò fluminum confluentes *Mitton* sedet villula parua, sed non parua cæde signata. Scoti enim anno CIↃCCCXIX. cum pestis Angliam ferè exhausisset, huc vsque populabundi progressi, non exiguam sacrificulorum nostrorum & rusticorum manum, quam Eboracensis Archiepiscopus sub signis eduxerat, facile profligârunt. Sed vt pedem referamus. A CATARACTONIO via militaris se diffindit, quà in Septentriones, ducit per *Caldwell* & *Aldburgh*, quod *vetustum Burgum* patria lingua denotat. Quo nomine olim innotuit non facilè coniectârim; vrbs magna ex magnis ruinis videatur; iuxtaque per *Stanwig* viculum fossa per VIII. plùs minùs milliaria inter *Tesim* & *Swalam* perducta conspicitur. Qua Circium versus ducit, *Bowes* nunc viculus, qui & *Bough* scribitur, ad XII. milliare occurrit, vbi superioribus seculis Richmondiæ Comites suum castellulum, vectigal *Thorough-toll* dictum, & furcas habuerunt. Olim verò in Antonini Itinerario LAVATRAS & LEVATRAS nuncupatas fuisse, & distantiæ ratio, & situs ad viam militarem quæ hîc suo aggere conspicua facilè euincunt. Ad antiquitatem autem adstruendam facit saxum antiquum in Ecclesia, quo non ita pridem pro altari vsi sunt, cum hac inscriptione in honorem Hadriani Imperatoris.

Topcliffe. Mitton. Caldwell. Aldburgh. Bowes. Lauatræ.


IMP. CÆSARI DIVI TRAIANI PARTHICI. Max filio
DIVI NERVÆ NEPOTI TRAIANO. Hadria
NO AVG. PONT. MAXM. ----------
COS. I. ---- P.P. COH. IIII. F. ----
IO. SEV.

Hoc

Hoc etiam fragmentum ibidem effossum;


- - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -
NO L. CAE
FRONTINVS.
COH. I. THRAC.
- - - - -

Imperante Seuero, cùm Virius Lupus Legatus & Proprætor esset Britanniæ, Cohors prima Thracum præsidium hîc egit, cui Balneum, (quod etiam Balineum dicitur) restituit, vt patet ex hac Inscriptione quæ hinc *Cunningtoniam* ad ædes clarissimi & eruditissimi viri Roberti *Cottoni* ordinis equestris translata. Balineum siue Balneum.


DAE .. FORTVNÆ
VIRIVS LVPVS
LEG. AVG. PR. PR.
BALINEVM VI
IGNIS EXVST-
VM. COH. I. THR-
ACVM REST-
ITVIT. CVRANTE
VAL. FRON-
TONE PRAEF----
EQ. ALAE VETTO

Pro Deæ Fortunæ.

Hic error illis detrahendus qui ex hac inscriptione falsò descripta dum legeretur BALINGIVM perperam pro BALINEVM; locum BALINGIVM appellatum fuisse opinantur, sed propiùs spectanti BALINEVM planissimè se in saxo exhibet, qua dictione pro BALNEO veteres vsos fuisse eruditi nôrunt, qui minimè ignorant, militibus non minùs quàm alijs Balnea & munditiarum & sanitatis gratiâ in vsu fuisse, qui quotidie priusquam comederunt, eo seculo lauare soliti: nec non balnea publica & priuata vbique fuisse tanto luxu instituta, vt *pauper ac sordidus sibi videretur nisi parietes balnei magnis & pretiosis orbibus refulserint:* in quibus viri fœminæque mixtim lauarunt, licèt cùm Imperatorum legibus, tùm Decretis Synodalibus hoc sæpiùs prohibitum. Seneca. Vide pa. 553.

Inclinante Romano Imperio Numerus Exploratorum cum suo Præfecto sub dispositione Ducis Britanniæ stationem hîc egit, vt ex Prouinciarum Notitia constat, vbi LAVATRES nominatur. Quod verò huiusmodi balinea siue balnea, Lauacra etiam Latinè dicta fuerunt, Criticorum aliquis hunc locum LAVACRA pro LAVATRIS nuncupatum pronuntiârit; malim tamen ego a riuulo in proximo præterfluente, quem *Lauer* nominari audio. Recentius verò nomen *Bowes*, cùm oppidum antiquum hic deflagrâsse fama inter incolas obtinet, inde factum existimem. Quod enim igni exustum Britanni etiamnum *Boeth* dicunt, & eodem verbo suburbium Cestriæ vltra *Dee* fl. quod Anglis *Hanbridge*, Wallis siue Britannis quòd tumultu Wallico incendio absumptum fuit, *Treboth* i. *Exustum opidulum* appellatur.

Hic montana & illa vasta regio ventis aut pluuijs semper exposita surgit, quæ quia asperum est saxetum, *Stanemore* patria lingua dicitur, omnia enim circumquaque sunt solitaria, nisi quòd sit ad excipiendos itinerantes diuersorium in ipso saxeti medio, & ad ipsum fragmentum crucis, nos *Rerecrosse*, Scoti *Reicrosse*, id est, *Regiam crucem* vocant. Quam quasi lapidem Angliæ & Scotiæ terminalem positam fuisse prodit Hector Boetius Scotus, cùm Guilielmus Primus Cumbriam ea lege Scotis permisisset, vt clientelari Stane-more. Spittle on Stanemore. Rerecrosse.

telari

telari iure à se tenerent, & nihil quod Anglorum imperio fraudi esset, molirentur. Pauloque inferiùs ad ipsam militarem Romanorum viam, exiguum munimentum fuit Romanum quadrata forma, quod *Maidencastle* hodie vocant. Vnde militarem Romanorum viam per anfractus ad *Caer Vorran* duxisse limitanei mihi retulerunt.

Maiden-castle.

Comites Richmondiæ.

Comites Richmondiæ fuerunt multi pro Principum fauore, & ex varijs familijs, quos sua tamen serie, quàm possum accuratè & perspicuè subijciam. Alanus *Rufus* Comes Britanniæ Armoricæ; Alanus *Niger*, cui Guilielmus *Conquestor* hunc agrum donauit; Stephanus Comes Britanniæ frater eius. Alanus Comes Britanniæ, filius Stephani. Conanus Comes Britaniæ filius eius, qui ope Henrici Secundi Regis Angliæ Britanniam à vitrico Vicecomite *Porhoet* occupatam recuperauit: Galfridus *Plantagenet* filius Henrici Secundi Regis Anglię qui Constantiam filiam vnicam Conani primò duxit. Arthurus filius eius quem à Rege Ioanne sublatū scribunt. Hoc sane nomine Ioannem vt Ducem Normanniæ Galli in quæstionem vocàrunt, absentem, inauditum, minimè confessum, & non conuictum sententiâ latâ condemnàrunt, Normanniam & hæreditarias in Gallia possessiones abiudicàrunt. Cùm tamen ille se iudicio Lutetiæ sistere publica data fide promisisset, responsurum de morte Arthuri, qui sibi subiectionis fidem iureiurando vt *ligius* obligarat, ab eadem resilierat, rebellionem excitàrat, & bello captus erat. Quo tempore agitata quæstio erat, an Pares Francię poterant iudicare Regem inunctum, & ita superiorem, quum *maior dignitas quodammodo absorbet minorem*; & iam Rex Angliæ & Dux Normanniæ vna eademque erat persona. Sed quò digredior? Post Arthurum hi in Richmondiæ Comitatu successerunt, Guido Vicecomes Thoarensis siue de *Thouars*, cui Constantia illa secundò enupsit. Ranulphus tertius, Comes Cestriæ, cui Constantia tertiò nupta. Petrus de *Dreux*, siue Druidensis, regio Francorum sanguine oriundus, qui Aliciam vnicam Cōstantiæ filiam è Guidone Thoarensi susceptam duxit. Petrus de *Sabaudia* auunculus Æleonoræ vxoris Regis, Henrici Tertij, qui Angliæ proceres & plebem contra exteros frementes veritus, vltrò hoc honore cessit. Ioannes Comes Britanniæ filius Petri de *Dreux*, Ioannes Dux primus Britanniæ, filius eius qui duxit Beatricem filiam Henrici III. Regis Angliæ, cui natus Arthurus Dux Britanniæ quem aliqui produnt Comitem etiam fuisse Richmondiæ: Certè Ioannes frater eius iunior statim a morte patris hunc gessit honorē, qui auito dignati Druidensi cum *Cantone* Britanniæ, Leones Angliæ in limbo adiecit, Custos fuit Scotiæ sub Edwardo II, vbi tres annos captiuus detentus, & demum sine prole, Edwardo III regnante, obijt, Ioannesq; Dux Britanniæ nepos eius, Arthuri filius in hoc Comitatu successit. Quo sine sobole defuncto, cùm de Britanniæ Ducatu acriter * decertaretur, Edwardus Tertius ad suas in Gallia partes firmandas Ioanni Comiti *Montisfortis*, qui illi de Ducatu Britanniæ fidem fecerat, cumq; vir esset, & gradu propior, iure potior, & fratris mortui filiæ præponendus videbatur, hunc Comitatum, donec suas in Gallia possessiones recuperaret, concessit. Quibus mox Anglorum ope recuperatis, idem Rex Ioanni Gandauensi filio contulit, illeq; Regi patri pro alijs terris in manus tandē reddidit. Rex autem illicò Ioannem de *Monteforti* secundum Britanniæ Ducem, cognomento *Le Vaillant*, quem generum sibi adsciuerat, vt arctiori nexu virum bellicosum, & Gallis infensum sibi obstringeret, Richmondiæ Comitem creauit: Verùm authoritate Parlamentaria anno XIIII Regis Richardi Secundi ille hoc Comitatu abdicatus erat, quia Gallis contra Anglos adhæserat; titulum tamen retinuit posterisq; reliquit. Possessionem verò Rex concessit Ioannæ Britannicæ sorori eius viduę Radulphi *Basset de Draiton*. Illâ mortuâ Radulphus *Neuill* Comes Westmorlandiæ primùm Castrum & Comitatum Richmondiæ *ad terminum vitæ* beneficio Henrici IIII. accepit, & post eum Ioannes Dux Bedfordiæ. Deinde Edmundo de *Hadham* fratri suo vterino Henricus Sextus Richmondiæ Comitis titulum contulit peculiari iure, vt *sedem in Parliamentis Ducibus proximam haberet*. Huic successit Henricus filius eius, qui postea Rex Angliæ eius nominis Septimus. Dum ille autem exularet, Georgius Dux Clarentię, & Richardus Dux Glocestriæ ab Edwardo IIII fratre hunc Comitatum acceperunt. Postremò Henricus filius nothus Henrici VIII Dux Richmondiæ a patre inuestitus erat, qui sine liberis ex hac vita Anno MDXXXV demigrauit.

Ouerus de S. *Martino* circa hæc tempora nominatur Comes Richmondiæ.

Normannia à Regibus Angliæ abiudicata.

Rob. de *Artesiis* non fuit Comes Richmontis vt habet Froissardus, sed Bellomontis.

Liber Feodorum Richmondiæ.

* Inter Ioannem de Monteforti, & Ioannam Claudam Caroli Blesensis vxorem.

Dux Richmondiæ.

Numerantur in hoc agro Parœciæ magnæ præter Sacella 104.

EPISCO-



Pppp


DVNELMENSIS
Episcopatus (qui comitatus est Palatinus) et
olim pars
BRIGANTVM
NORTHVM
BRIÆ
PARS
WEST
MORE
LANDIÆ
PARS
EBORACENSIS
Hedden
Houghton
Thorkley
Denton
Benwell
Newborne
Newcastle
Ryton
Blaydon
Crawcrake
Willynton
Whikham
Myckley
Hedley
Aperley
Whittenstall
Chopwell
Blackhall
Spen
Gibside
Ravensworth
Darwent flu
Tansfelde
Shetley
Newlands
Shetley bridge
Ebchest
Medomsley
Shildons
Croakley
Barkensyde
Benfeldside
Iseton
Standle
Acton
Cowside hall
Edmondbyers
Grenecrofte
Newbigin
Ridlumhope
Sibtonsheles
Knewdon
Blanchlande
Pedumside
Hunstenworth
Rowley
Knitsley
Lanchester
East Alon flu
Withhill
Cowpigh hill
Satley chap
West brandon
Walley
West Yate
Stanhope
Weeredale
Burdon flu
St. Iohns chap
Wer flu
East yate
Stanhope
Frosterley
Vnthank
Woodcroft hall
Bradwood
Bushopley
Wolsingham
Landew
Mylhouse
Bradley hall
Blakhall
Harpley hall
Bedhorn
Willington
Bishope
Hamsterley
Witton cast
BISSHOPPES AUCKLANDE
Mayland
Aucklande
Shildon
Tees flu
Teesdale forest
Durtpul chap
Newbiggen
Holwick cragg
Holwick
Middleton
Lonton
Lathkirk
Mickleton
Rumbaldkirk
Egglston
Shepley
Langley
Marwood hage
Cockfeilde
Shotton
Wakerfelde
Hilton
Staindorp
Raby
Morton
Cuddersiton
Streetlam
Snotterton
Cletlam
Nabye
Marwood
Barnard cast
Selabye
Westwick
Wynsten
Arngill flu
Lune forest
Arngill howse
Lune flu
Bauder flu
Bauders karth hill
Cragg
Stratforde
Egleston
Rokeby
Wharleton
Thorpe
Gainford
Persbr
Clyffe
Manisfelde
The spitle one stanmore



OCEA
NVS
PARS
Newcastle
Tinmouth hauen
Harton
Hebborne
Hedworth
Wardley
Cleydon
Bowdon
Whitborne
Fulwell
Hilton
Munkwermouth
Sunderlande
Wermouth
Silkeworth
Lampton
Lumley
Old Burden
Newbottell
Houghton
Dawden
Dawton
Eppleton
Morton
Hetton
Coldhesselton
Hawthorp
Esyngton
Hardon
DVRESME
Eden
Cassopp
Wheatley hill
Thornley
Hardwicke
Hartlepoole
The Rew
Harte
Throstone
Elwick
Dawton
Tunstal
Stranton
Brearton
Seton
Owton
Gretham
Claxton
Elmedon
Butterwick
Trimdon
Hurworth
Fishborne
Sedgefelde
Bradbury
Hardwick
Layton
Grinden
Wynyard
Belasyse
Billingham
Norton
Middlesburgh
Stokton
Redmarsham
Preston
Thornaby
Barwick
Cotham
Eggesclyffe
Yarum
Darlyngton
Blakwell
Hurworth
Nesham
Sockborne
Stapleton
Croftbridge
Dawten
Persbridge
Over Cunsley
Nether Cunsley
Cleesbye
Cockerton
Denton
Newton
Haughton
Redworth
Shildon
Aukland
Elden
Windlestan
Tudley
Whitechurch
Brandspeth
Litleburne
Sunderland
Christophorus Saxton descripsit
Wilhelmus Kip sculpsit

EPISCOPATVS DVNELMENSIS.



Piscopatus Dunelmensis, vulgò *The Bishopricke of Durham*, siue *Duresme*, Eboracensibus ad Septentrionem confinis, in trianguli speciem efformatur, cuius apex ad Occasum coeuntibus ibi Septentrionali limite & *Tesis* fontibus figuratur. Laterum alterum quod Meridiem spectat, continuo *Tesis* decursu terminatur: alterum quod Boream intuetur, primùm breui ab apice linea ad *Derwentum* flumen, inde *Derwento* ipso, donec *Chopwell* amniculum admiserit, & deinde *Tina* flumine describitur. Basim verò trianguli, quæ Ortum respicit, ora maritima affingit, quam magno fremitu Oceanus Germanicus grauissimè diuerberat.

Quà in apicem coarctatur, campi sunt nudi, syluæ satis raræ, colles glabri, sed non sine ferri venis, conualles autem satis graminosæ, Angliæ enim Appenninus, quem dixi, hunc angulum intersecat. Ad Orientalem autem partem, siue trianguli basim, vti etiam ad latera, culturæ terra est perquàm grata, reditusque cum agricolarum labore contendunt, pratis, pascuis, aruis distincta, opidis passim consita, & carbone fossili quo pro ignis alimento plurimis in locis vtimur, copiosa. Carbonem hunc aliqui bitumen terrenum nigrum, alij Gagatem, alij Thracium lapidem esse volunt; quæ omnia eandem rem esse probauit magnus ille in rebus Fossilibus philosophus Georgius Agricola. Certè hic noster nihil aliud est quàm bitumen calore sub terra induratum, & excoctum, bituminis enim odorem reddit, & si aqua aspergatur, acriùs & luculentiùs ardet, an verò oleo extinguatur non sum expertus. Si vero obsidianus lapis apud nos sit, illum esse credam qui alijs Angliæ locis reperitur, & *Canole Cole* vulgò appellatur: est enim durus, splendidus, leuis, & assulatim subscissilis, accensusq; citò ardet. Sed hæc illis qui naturæ penetralia penitiùs rimantur, relinquamus.

Sea Cole. Carbo fossilis.

Obsidianus lapis. Canole Cole.

S. Cuthberti patrimonium.

Totam hanc regionem cum alijs etiam vicinis *S. Cuthberti Terram*, siue *Patrimonium* vocant in suis scriptis Monachi. Sic enim vocârunt illi, quicquid ad Dunelmensem spectauit Ecclesiam, cuius Cuthbertus quasi patronus habetur, qui in prima Saxonicæ ecclesiæ infantia Lindefarnensis Episcopus vitam tanta sanctitate, & integritate transegit, vt inter Diuos relatus fuerit. Regesque nostri, & proceres, quod tutelarem illum fuisse Diuum contra Scotos crediderint, non solùm eius corpus deuoti sæpenumero inuiserint, quod integrum incorruptumque durâsse persuaserunt scriptores; sed etiam amplissima latifundia donârint, & plurimas immunitates irrogârint. Egfridus Rex magnos reditus in ipsa vrbe Eboraco, *Crecam*, quam dixi, & *Luguballiam* ciuitatem ipsi Cuthberto viuo dedit, vt est in historia Dunelmensi, Alfredus Rex, & Guthrunus Danus, quem ille Nordanhumbris præfecit, *postea totam terram inter* Were *fl. &* Tinam (libri antiqui verbis vtar) *Cuthberto, & in eius ecclesia ministrantibus perpetuo possessionis iure largiti sunt, ex qua illis ne inopia laborarent, vitæ subsidia procurentur; præterea eius ecclesiam tutum profugis locum refugij constituerunt, vt quicunque, qualibet de caussa ad eius corpus confugerit, pacem per triginta septem dies nulla vnquam occasione infringendam habeat.* Edwardus, Athelstanus Reges, & Cnuto, siue Canutus Danus, qui nudis pedibus ad Cuthberti tumulum accessit, has leges & libertates non modò confirmârunt, sed statim auxerunt: nec minus Guilielmus Normannus à cuius statim tempore Comitatus Palatinus iudicatus est, & Episcopi nonnulli tanquam Comites Palatini sigillo insculpserunt militem cataphractarium phalarato equo insidentem altera manu gladium vibrantem, altera insignia Episcopatus prætendentem. Iuraque sua regalia habuerunt Episcopi, adeo vt proscriptorum bona illis non regi cederent, & ipsa plebs immunitatibus clara militare in Scotia sub rege recusârit. Dicebant enim (historia Dunelmensis pro me loquetur) *se esse Haliwerke Folkes*, .i. *sacro operi ascriptitios, & terras suas tenere ad defensionem corporis S. Cuthberti, nec debere se exire terminos Episcopatus, scilicet vltra* Tinam *&* Teisam *pro rege, vel episcopo.* Verùm Edwardus Primus has libertates

Comitatus Palatinus.

primus

primus præcidit. Cùm enim ille se tanquam arbitrum honorarium inter Antonium Beccum Episcopum & Priorem, de possessionibus inter se acriter digladiantes interponeret, nec illi ex eius arbitrio facerent, *sesiuit* (inquit author meus) *libertatem Episcopatus in manum suam, & ibi rimata sunt multa, & libertas in multis læsa.* Iura tamen sua postea recuperauit ecclesia, illæsaque tenuit vsque ad Edwardum Sextum, cui, dissoluto Episcopatu, omnes eius redditus, & libertates, ordines in Parlamento concesserunt. Sed statim Maria Regina eadem authoritate hanc constitutionem refixit, & omnia sarta tecta ecclesiæ restituit, quibus hodie gaudet. Nuper enim Iacobus Pilkintonus Episcopus REGINAM ELIZABETHAM de possessionibus & bonis Caroli *Neuill* Comitis Westmorlandiæ, & aliorum in hoc agro proscriptorum, qui in patriam bellum nefariè mouerant, in ius vocauit, caussamq; persequutus esset, nisi authoritas Parlamentaria intercessisset, & pro eo tempore (sic se habent verba) Reginæ adiudicâsset, quod impensis suis maximis cùm episcopum tùm episcopatum è seditiosorum faucibus eripuisset. Sed his omissis ad locorum descriptionem iam stilum promoueamus.

Flumen quod Meridionalem huius agri partem vallat, Latinis *Teisis* & *Teisa*, vulgo *Tees*, Polidoro Italo, cui suæ Italiæ *Athesis* animo obuersabatur, sine vlla ratione *Athesis* dicitur, Ptolemæo ΤΟΥΑΕΙΣ, & TVESIS appellari videtur, apud quem tamen Librariorum incuria suo loco exulare existimo. Cùm enim TVESIN & TINAM in remotiori Britanniæ parte, vbi Scoti nunc agunt, ille statuerit: & hæc regio *Tesi* & *Tina* includitur, si in veterem Geographum Criticus esse ausim, postliminio huc in sua loca reuocarem, & cum bona, vti spero, Scotorum venia, qui nulla habent flumina, quibus hæc nomina verè asserant. TESIS è saxeto illo *Stanemore* erumpit, raptisque secum multis vndique torrentibus, per rupes fluens, è quibus ad *Eglestan* vbi monasterium C. Britanniæ & Richmondiæ Comes posuit, marmora cæduntur, primùm *Bernardcastle*, id est, *Bernardi castrum* pulsat, à Bernardo *Balliolo* Ioannis *Ballioli* Scotorum Regis abauo constructum, & denominatum. Verùm Ioannes iste *Balliolus* quem Edwardus Primus Scotorum Regem declarauerat, illud amisit cum alijs in Anglia possessionibus, quòd fidem Edwardo datam prodidisset. Quo tempore Rex Antonio Dunelmensi Episcopo infensior *hoc castrum* (vt habet liber Dunelmensis) *cum pertinentijs ab eo abstulit, & Comiti de Warwicke contulit*, Herks & Hertnes *Roberto Cliffordo*, Kewerston *Galfrido de Hertlpole, quæ Episcopus habuit ex foris-factura I. de Balliolo, R. de Brus, & Christopheri de Seton.* Sed paucis post annis Lodouicus de *Bellomonte* Episcopus regio Francorum sanguine natus, qui literarum, vt scribitur, omninò expers, de hoc castro, & cæteris possessionibus litem intendit, caussamque obtinuit, lata in hæc verba sententia, *Episcopus Dunelmensis debet habere foris-facturam guerrarum infra libertates Episcopatus, vt Rex habet extrà.* Iuxtà *Stretlham* cernitur vbi diu habitauit præclara & equestris familia de *Arcubus* siue *Bowes*, quæ subinde difficilimis temporibus egregiam principi & patriæ nauauit operam. Genus verò repetit à W. de *Arcubus*, cui, vt legi, Alanus Niger Britanniæ & Richmondiæ Comes concessit his verbis, vt gestaret pro Armis *Scutum Britanniæ cum tribus arcubus desuper.*

Tees fl. Twesis.

Barnard castle.

Stretlham. Bowes.

Non quinque hinc mille passus abest paulò remotiùs à *Tesi Standrope*, quod & *Stainthorpe*, id est, *Vicus Saxeus* dicitur, opidulum mercatorium, vbi Collegiata erat ecclesia *Neuillorum* & opus, & tumulus. Huic contiguum est *Rabye*, quem Cnuto siue Canutus Rex Danicus ecclesiæ Dunelmensi, vnà cum circumuicino agro & *Stanthorpe liberè in perpetuum possidenda donauit. A quo tempore* (vt habet author meus) *familia Neuillorum, siue de* Noua villa *Raby de ecclesia tenuit reddendo quatuor libras, & ceruum quotannis.* Stemma enim illi à Waltheofo Northumbriæ Comite, è cuius progenie cùm Robertus filius *Maldredi* Dominus de *Raby* filiam Galfredi *Neuill* Normanni duxisset, (cuius auus Gilbertus *Neuill* Regis Guilielmi Primi Admirallus perhibetur) posteri Neuillorum nomen asciuerunt, & in familiam longè numerosissimam & potentem succreuerunt, qui castrum admodum spatiosum hîc erexerunt, quod eorum prima & præcipua erat sedes. Hæc duo *Stainthorp* & *Raby* tantùm fluuiolo separantur, qui post pauca millaria in *Tesim* defertur prope *Selaby* vbi nunc sedes familiæ *Brakenburiorum*, & sua vetustate, & coniugijs cum hæredibus *Dentoni* & *Wicliffi* insignis.

Raby castle.


Neuillorum familia.

Selaby.

Tesis inde lapsus per *Sockburne* antiquæ & nobilis familiæ de *Cogniers* domicilium, è


Coigniers Barones. qua fuerunt Barones *Coigniers* de *Hornby* (quorum hæreditas multùm adaucta nuptijs hæredum *Darcy* de *Menill*, & Guilielmi *Neuill* Comitis Cantij & Domini *Fauconberg*, Derlington. patrum memoria ad *Atherstones*, & *Darcios* demigrauit) prope *Derlington* frequens forum agitur, quod *Seix filius Vlphi* Saxo: impetrata ab Etheldredo Rege venia, ecclesiæ Dunelmensi donauit, Hugoque de *Puteaco*, siue *Pudsey* templo, & ædificijs exornauit. Hell kettels. Putei profundi. In huius agro tres sunt miræ profunditatis putei, *Hellkettels* vocat vulgus, id est, *Inferni caldaria*, quia per antiperistasin calescat in illis aqua. Prudentiores hausta terræ motu tellure subsedisse credunt, & probabiliter quidem. Legimus enim in Chronicis de *Tinmouth. Anno Domini* 1179. *in Natali Domini apud* Oxenhall *in territorio de Derlington, in Episcopatu Dunelmensi, eleuauit se terra in altum ad similitudinem proceræ turris & mansit ab illa die quasi immobilis vsque ad vesperam, & tunc cecidit tam horribili strepitu, vt vicinos terruit omnes, & absorbuit eam tellus, & fecit ibidem puteum profundum, qui est ibi in testimonium vsque in hodiernum diem.* Illos autem subterraneos habere meatus, & exitus Cuthbertus Tunstallus Episcopus primus deprehendit, reperto in *Tesi* ansere, quem signatum in horum maiorem experiundi gratia demiserat. Post *Derlington* nulla quę melioris notę opida adposita habet *Tesis*, sed viridantium camporum margines, & rusticanas villas flexuoso meatu lambens, tandem amplo ostio in Oceanum se eijcit, vnde Trianguli basis ad oram maritimam inchoatur. Nobiles Sur-Teis dicti, quòd super Tesim ad hunc olim floruerunt.

Littus hinc in Septentriones decurrit vno & altero tantùm amniculo interscissum, Gretham. iuxta *Gretham*, vbi egregium Hospitale posuit Robertus Dunelmensis Episcopus, cùm accepisset loci *Manerium* dono Domini Petri de *Monte-forti*. Huic proximum est *Claxton* quod insigni in hoc tractu familiæ nomen fecit, cuius libentiùs meminerim quòd ex eadem fuerit T. *Claxton* venerandæ antiquitatis summus admirator. Littus inde pro-Hartlepole. montoriolo solùm vno prominet vix septem supra *Tesis* ostium milliaribus, cui *Hartlepole* emporium celebre, & statio fida, situ percommodo insidet. Heoptu Beda vocare videtur (quod Huntingdonensis *Cerui insulam* interpretatur) vbi Heiu mulierem religiosam monasterium olim fundasse memorat: si *Heorteu* non sit potiùs territorioli illius nomen, quod Dunelmensis liber innuit, & *Heort-nesse* alibi appellat, quòd in mare longiùs procurrit. Promontorium in nostra lingua Nesse dicitur. Ab hoc per XV. mille passus littus continuum sparsim opidis redimitum grata facie nauigantibus arridet, donec VEDRAE flumini se aperit, sic enim Vedra fl. Were. Ptolemæo nominatur, qui Bedæ *Wirus*, Saxonibus ƿeoɲ, & nobis *Were*. Hic in ipso trianguli apice, parte scilicet regionis ad Occasum extrema, è duobus riuulis *Kell-hop*, & *Burn-hop* coalescit, qui vbi in vnum coierint, hoc nomen assumit, & in Orientem properat per vasta ericeta, magna Episcopi viuaria, & *Witton* castellum Dominorum Witton. Barones Euers, siue de Eure. de *Euers*, qui antiquæ sunt in hoc agro nobilitatis, vtpote à Dominis de *Clauering*, & *Warkworth* nati, & à *Vescys* & *Attonis* Baronibus per filias oriundi bellicæ virtutis gloria clari, quod Scotia testetur. *Kettnes* enim opidulum in Scotia vlteriori Edwardus Primus illis ob operam egregiè nauatam dedit, & Henricus VIII. patrum memoria Baronum titulo illustrauit. Inde *Vedra* post pauca milliaria *Gaunlesse* fluuiolum ab Austro admittit, Aukland. vbi ad ipsos confluentes æditiori tumulo imponitur *Aukland* a quercubus (vt Græciæ *Sarron*) denominatum, quod turritas Episcopi ædes ab Antonio Becco magnificè restauratas, pulcherrimumque pontem prætendit, quem Gualterus *Skirlaw* Episcopus, circa annum CIƆCCCC. construxit, qui has ædes etiam adauxit, & ad *Tarum* Tesim ponte coniunxit. Hinc in Septentriones *Vedra* iter flexit, vt diutiùs hunc agrum irriget, statimque in collis supercilio, antiquæ vrbis non morientis, sed plusquam mortuæ reliquias Vinouium. Binchester. suspicit, quam Antoninus VINOVIVM, Ptolemæus BINOVIVM dixit, apud quem ita suo loco exturbatur, & alio quasi sub axe locatur, vt semper delituisset, nisi digitum intendisset Antoninus. *Binchester* nobis hodie vocatur, vnoque tantùm & altero domicilio constat; vicinis tamen tùm rudetis, mœniumque reliquijs extantibus, tum Romanorum nummis sæpius effossis notissimum, *Binchester penies* illi vocant, Romanorumque inscriptionibus, è quibus in aram ibi nuper incidi, sic inscriptam:



De Deabus Matribus vide in Com. Lancaster.
Anno Christi 236.
Votum soluit libens meritò

Aliud etiam saxum hic nuper erutum lacunis deformatum quod hanc tamen penitiùs intuenti subostendit Epigraphen :



Nec aliud de illa legi, quàm quod liber vetus memorat Northumbriæ Comites ab ecclesiæ possessione, hanc cum alijs villis abripuisse, cum sacra illa auri fames etiam sacras ecclesiæ facultates deglutiret.

Branspeth castrum inter consurgentes colles in altera *Vedra* ripa apparet, quod à *Bulmeris* constructum, filia Bernardi *Bulmer* Galfrido *Neuill* nuptijs coniuncta, *Neuillorum* familiæ cum alijs magnis possessionibus adiunxit. Mox *Vedra* crebris saxis eminentibus interpolatus defertur, quæ nisi vi imbrium flumen intumuerit, nunquam aqua integuntur, quibusque quod non alibi accidit si aqua infundatur, parumque misceatur, salsam imbibit qualitatem. Imo ad *Butterby* viculum cùm flumen æstiuo tempore subsederit e saxis illis aqua salsa subrufa exilit quæ solis calore ita albescit, & concrescit vt accolæ hinc salem sibi colligant.

Branspeth castle.

Saxa salsa.

Iam flumen quasi insulam moliturum primariam regionis vrbem colli impositam vndique ferè circumluit, vnde nomen Dunholm à Saxonibus inditum. Collem enim, vt ex Beda colligas, Dun, & insulam amnicam holme dixerunt. Ex hoc DVNELMVM fecerunt Latini, sed vulgus *Durham*, corruptissimè vocat. Situ quidem æditiori & sanè munitissimo, spatio tamen non magno, ouali quodammodo forma flumine ab omni parte nisi a Septentrione circumfunditur, & mœnibus firmatur : Ad Australem partem ferè qua flumen se reducit, Cathedralis ecclesia surgit pyramidibus & sacra turre conspicua, in medio imponitur castrum quodammodo intermedium inter duos pontes è saxo, quibus flumen hinc ad Ortum, illinc ad Occasum coniungitur ; à castro ad Septentriones patet forum & S. Nicholai cernitur Ecclesia, vnde in Aquilonem protenditur suburbium longius inter flumen circumductum, vti alia vtrinque vltra flumen quæ ad pontes ducunt, & in singulis sua est seorsim ecclesia. Originem autem non admodum antiquam habet. Cùm enim Lindisfarnenses monachi bellorum calamitate à Danis exagitati, incertis sedibus, cum S. Cuthberti reliquijs vagarentur : hic tandem oraculo, si credere libet, admoniti circa annum salutis DCCCCXCV. consederunt. Sed rem accipe ex authore meo Dunelmensi. *Comitans sanctissimi patris Cuthberti corpus vniuersus populus in* Dunholmum, *locum quidem natura munitum, & non facile habitabilem venit, quem densissima vndique sylua totum occupauerat, tantùm in medio erat planities non grandis, quam arando, & seminando excolere consueuerant, vbi Episcopus Aldwinus non paruam de lapide ecclesiam*

Dunelmum.
Durham, siue Duresme.

postea

postea construxit. Igitur præfatus Antistes totius populi auxilio, & Comitis Nordanhumbrorum Vthredi adiutorio totam extirpans syluam succidit, ipsumq; locum breui habitabilem fecit. Denique à flumine Coquedo *vsque* Teisam, *vniuersa populorum multitudo tam ad hoc opus, quàm ad construendam postmodò ecclesiam prompto animo accessit; & donec perficeretur, deuotè insistere non cessauit. Eradicata itaque sylua, & vnicuique mansionibus sorte distributis: Præsul antedictus amore Christi, & S. Cuthberti feruens, honesto, nec paruo opere inchoauit ecclesiam, & ad perficiendam omni studio intendit.* Hæc ille.

Non multis pòst annis Angli illi, qui Normannicum imperium æquis oculis intueri non poterant, loci ingenio freti, in belli sedem elegerunt, negotiumque non paruum Guilielmo Normanno facesserunt. Scribit enim Guilielmus Gemiticensis. *Concesserunt in partem Comitatus aquis, & syluis inaccessibilem, firmissimo vallo erigentes castrum quod* Dunholmum *nuncupârunt, ex quo diuersos crebrius exagitantes excursus, aliquandiu ibi delituerunt, Sweni Danorum Regis aduentum præstolantes.* Sed cùm res ex sententia non cecidisset, fuga illi sibi consuluerunt; Dunelmumque adiens Rex Guilielmus multis ad Ecclesiasticæ libertatis firmamentum indultis priuilegijs, castrum de quo diximus, in eminentiori collis parte extruxit, quod postea in Episcoporum habitationem cessit, eiusq; claues, cùm Episcopatus vacaret, veteri instituto Cuthberti sepulchro appendi solebant.

Cùm hoc castrum iam extructum esset, Guilielmus Malmesburiensis, qui sub id tempus vixit, his verbis hanc vrbem describit. *Dunelmum est collis ab vna vallis planitie paulatim, & molli cliuo turgescens in cumulum, & licèt situ aspero, & prærupto rupium omnem aditum excludat hostium: tamen moderni collibus imposuerunt castellum. Ad radices pedis Castelli defluit amnis piscosus præsertim Isitio.* Eodem ferè tempore, vt habet vetustus ille liber, Guilielmus de *Carelepho* Episcopus qui monachos hîc denuo congregauit (eorum enim claustra Danus vbique subuerterat) demolita illa ecclesia, quam Aldwinus ædificârat, aliam meliori opere incœpit, quam Radulphus successor perfecit, nouamque postea fabricam Nicholaus *Fernham* Episcopus, & Thomas *Melscomb* Prior anno Christi CIↃCCXLII. adiecerunt. Satisq; longo pòst interuallo ad Occiduam Ecclesiæ partem

Gallilæa. W. *Skirlaw* Episcopus elegans opus substruxit quod *Gallilaam* vocant, & in quod venerabilis Bedæ tumulum marmoreum transtulit. Quo in loco Hugo de *Puteaco* olim ædificium inchoauit, in quo, ex antiquo libro loquor, *muliebris licitè fieret introitus, & qui non habebant ad secretiora Sanctorum locorum corporalem accessum, aliquod haberent ex sanctorum contemplatione solatium:* Radulphus autem ille Episcopus (vt tradit historicus noster) *locum inter ecclesiam, & castellum quem multa occupauerant habitacula, in patentis campi redegit planitiem, ne vel ex sordibus contaminatio, vel ex ignibus ecclesiam attingerent pericula. Vrbem etiam licèt natura muniret, muro reddidit munitiorem, & augustiorem, à cancello ecclesiæ ad arcem vsque castelli perducta murum construxit longitudine*, qui iam vetustati sensim cedit, nec hostilem vnquam, quod acceperim, vim

Bereparke. sensit. Cùm enim Dauid *Brus* Rex Scotorum ad *Beauparke* vsque siue *Bereparke*, (viuarium est illud suburbanum) ferro & flamma sæuisset, (Edwardo Tertio Caletum

1346. Prælium ad Neuils crosse. Galliæ obsidente) Henricus *Percy* & Guilielmus *Zouch* Archiepiscopus Eboracensis cum tumultuarijs suorum cohortibus, se Scotis obiecerunt, & ita animosè aggressi sunt, vt primam & secundam aciem capto rege ad internecionem ferè ceciderint, tertiamque in eum timorem coniecerint, vt citatissimo, quàm potuerant, agmine fugerint, nec præruptissima loca pauori, donec in sua se recepissent, obstiterint. Nobilis hæc illa pugna est, & inter multas memoranda Scotorum strages (quam prælium ad *Neuilli Crucem* nostri vocitant) Nobilissimis enim Scotorum in hoc cæsis, & Rege capto, multos agros in confinio nostris cedere, & plurimas arces dedere coacti fuerunt. Sed hæc de Dunelmo satis, cui si placet, cum Nechami Disticho, & Ionstoni Hexasticho valedicam.

Arte, situque loci munita Dunelmia salue,
Qua floret sanctæ relligionis apex.

VEDRA *ruens rapidis modò cursibus, agmine leni,*
Seque minor celebres suspicit vrbe viros
Quos dedit ipsa olim, quorum & tegit ossa sepulta;

Magnus

Magnus vbi sacro marmore Beda *cubat.*
Se iactant aliæ vel relligione, vel armis;
Hæc armis cluit, hæc relligione potens.

De Monachis eiectis, Præbendarijs xii. Archidiaconisque duobus substitutis, & de Prioris nomine in Decani dignitatem mutato, nihil est quod scribam, cuiuis enim sunt notissima. Longitudinem grad. xxii. scrup. o. Latitudinem verò grad. liiii. scrup. lvii. definitam habet.

Sub *Dunelmo*, ne hoc omittam, ad Orientem egregium admodum cernitur Xenodochium, quod Hugo ille de *Puteaco* Episcopus opulentissimus, & momentaneus Northumbriæ Comes *Leprosis* (vt habet Neubrigensis) *indulgentior profusa quidem, sed tamen ex parte minùs honesta largitione construxit. Alieni quippe iuris non modicum huic deuotioni per potentiam applicans, dum propria sufficienter impendere grauaretur.* Attamen ad sexaginta quinque leprosos (præter sacrificos) alendos prouentus satis opimos assignauit. Shirburn Hospitale.

Rectiori hinc lapsu in Septentriones *Vedra* suas aquas ducit per *Finchale* vbi, Henrico Secundo regnante, Godricus vir antiqua, & Christiana simplicitate, totus deo defixus solitariam vitam egit, & peregit, eodem loco sepultus, quo (vt habet Guilielmus ille Neubrigensis) *vel orans procumbere, vel ægrotus decumbere consueuerat.* Qui tantam sui admirationem hac sancta simplicitate excitauit, vt eius memoriam ecclesiolà R. frater opulenti illius Episcopi Hugonis de *Puteaco* honorârit. Inde *Vedra* defertur per *Lumley* castrum viuario inclusum, sedem *Lumleiorum* vetustam, quibus genus est à Liulpho viro in hoc tractu summę nobilitatis sub Rege Edwardo *Confessore*, qui Aldgitham filiam Aldredi Comitis Northumbrię duxit. Horum Marmaducus matris insignia sibi asciuit, (cuius iure opimam *Thwengorum* hęreditatem adierat,) scilicet baltheum, vel fasciam rubram inter tres virides Psittacos in clypeo argenteo, cùm anteà *Lumlæi* gestassent Psittacos sex argenteos in parma rubra. Filia enim illa primogenita Marmaduci *Thweng* Domini de *Kilton* & vna hęredum Thomę *Thweng* fratris sui. Radulphus verò Marmaduci illius filius primus Baro de *Lumley* à Richardo Secundo creatus erat. Quo honore Ioannes ab eo nonus hodie gaudet, vir absoluta animi virtute, vitę innocentia, omnibusque verę nobilitatis ornamentis senex honoratissimus. Finchdale. Lumley. Barones Lumley.

E regione non procul ab altera fluminis ripa sedet *Chester vpon the street*, id est, *Castrum*, vel *Vrbecula ad viam publicam*, Conceaster Saxonibus dicta, vnde Condercum ego iudicarim, in quo Alam primam Asturum Romanis temporibus stationem ad lineam (vt inquit) valli habuisse memorat liber Notitiarum. Pauculis enim milliaribus à Vallo, de quo postea dicendum, abest. Lindisfarnenses Episcopi cum Cuthberti sui corpore, Danica intonante tempestate, in hoc annis cxiii. delituerunt. In cuius memoriam cùm Egelricus Episcopus Dunelmensis nouæ ecclesiæ eò loci fundamenta iaceret, tantam pecuniæ vim defossam reperit, vt abundè iam diues episcopatu se abdicaret, & Petroburgum reuersus, cuius priùs Cœnobiarcha erat, vias per paludes munierit, & alia opera non sine maximis impensis excitârit. Et longo pòst tempore Anthonius Beccus Episcopus Dunelmensis ecclesiam Collegiatam, Decanum, septemque *Præbendas* hic instituit. In qua monumenta maiorum suorum à Liulpho continua successionis serie ad nostra vsque tempora è dirutis monasterijs conquisita, vel de nouo facta pulchro ordine disposuit, quem modò dixi, Baro *Lumleius*. Interiusque ad ipsius ferè Trianguli medium alius etiam exiguus est vicus Collegio Decani & Prębendariorum ab illo Antonino fundato, nuper notus, *Lanchester* dicunt, quem Longovicum fuisse semel existimaui. Chester vpon the street. Condercum.

Sed ad *Vedram* reuertamur, qui iam tandem in Orientem se conuertit, & *Hilton* Hiltoniorum castrum præterfluens in mare se condit ad *Wiran-muth*, vt Beda vocat, nunc *Monks Were-mouth*, id est, *Vedræ ostium quod ad Monachos spectauit.* De quo ostio sic scribit Guilielmus Malmesburiensis. *Hic Vedra Pelago influus naues serena inuectas aura placido ostij excipit gremio. Cuius vtrasque ripas Benedictus* Biscop *ecclesijs insigniuit, & monasteria ibidem construxit, alterum Petri, alterum Pauli nomine. Huius industriam mi-* Hilton-castle Benedictus Biscop.

Vitrarij primum in Anglia. *rabitur, qui eius vitam leget, quod copiam librorum aduexerit, quòd artifices lapidearum ædium, & vitrearum fenestrarum primus omnium in Angliam adsciuit.*


Quinque mill. pass. superiùs, *Tinæ* etiam ostium aperitur, quem per aliquod spatium cum *Derwento* latus Septentrionale nostri Trianguli delineare diximus. Ad *Derwentum* qui prope Trianguli apicem fontes habet, nihil insigne adiacet, nisi *Ebchester* quem nunc vocant, viculus, ab Ebba virgine regio Northumbrorum sanguine nata, quæ tanta sanctitatis opinione circiter annum salutis DCXXX. claruit, vt solemni Apotheosi in Diuas relata, plura in hac insula templa sibi dicata habeat, quæ S. *Tabbs*, pro S. *Ebba*, vulgus vocitat.

Ebchester. S. Ebba. S. Tabbs.

Gateshead. Ad *Tinam* autem memorandum est *Gateshead*, Saxonicè Gaetꝛheued & historicis, quod idem sonat, *Capræ caput*, quasi Noui castri, quod alteram *Tinæ* ripam occupat, suburbium, cui ab Edwardo Sexto adiunctum erat, cùm Episcopatum dissoluisset, sed Maria statim Ecclesiæ restituit. Hoc vulgus ipso Nouo castro multò vetustius esse existimat, Si ego etiam hoc & *Nouum castrum* (nam vnum olim fuisse opidum flumine tantùm diuisum videatur) limitaneam illam stationem fuisse dixero quam GABROSENTVM sub posterioribus Imperatoribus vocàrunt, & Cohors secunda Thracum defendit, nomenq; antiquum sensu & significatione retinuisse, cùm Nouum illud castrum, nouum nomen semel atque iterum assumpserit, nihil vti spero veritati absonum dixero, *Gaffr* enim pro capra & *Hev* in sermonis contextu pro *Pen* quod caput est, vsurpant Britanni, & eadem planè significatione *Capræ caput*, antiquis nostris historicis Latinè dicitur, vt *Brundusium* Messapiorum lingua à Cerui capite nomen accepit. A diuersorio aliquo cui Capræ caput intersignium erat hoc nomen huic loco inditum existimem, non minùs quàm *Gallus Gallinaceus* Africæ, *Tres sorores* Hispaniæ, *Pirum* Italiæ loca apud Antoninum, quæ ab huiusmodi insignibus, vt docti nonnulli credunt, sua nomina acceperunt. Historici au-
1080. tem nostri, vno quasi ore, hoc *Capræ caput* nominant, dum memorant Walcherum Dunelmensem Episcopum, quem Nordanhumbris Comitis authoritate præfecerat Guilielmus Primus, hoc in loco à furenti multitudine ob prouinciam malè habitam interfectum fuisse.

Gabrosentum.

Iarrow. Girwy. Bedæ. Infra hunc vicum ferè ad ipsum *Tinæ* ostium *Girwy* nunc *Iarrow* cernitur, Venerabilis Bedæ natale solum, vbi etiam monasteriolum olim floruit, Cuius fundatorem & fundationis tempus docet hæc Inscriptio quæ legitur adhuc in pariete Ecclesiæ:


DEDICATIO BASILICÆ
S. PAVLI VIIII. KL. MAI.
ANNO XVI. ECFRIDI REG.
CEOLFRIDI ABB. EIVSDEMQ.
ECCLES. DEO AVCTORE,
CONDITORIS ANNO IIII.

Basilicæ. Ecclesiæ maiores cùm Christi salutare lumen mundum irradiaret (nec alienum sit adnotare) BASILICAE fuerunt appellatæ, quod Gentilium Basilicæ scilicet spatiosa illa ædificia in quibus magistratus ius dixerunt, in Christianorum ecclesias fuerint conuersæ. Vnde Ausonius, *Basilica olim negotijs plena, nunc votis:* vel quod forma oblongiori instar Basilicarum construerentur.

Beda. Hic Beda noster Angliæ splendor singularis, pietate & eruditione VENERABILIS cognomen adeptus, meditandis scripturis, vt inquit ipse, operam dedit, plurimaque volumina inter decumanos barbariæ fluctus doctissimè conscripsit. *Quo mortuo*, vt inquit Guil. Malmesb. *sepulta est cum eo rerum gestarum omnis penè notitia vsque ad nostra tempora. Cùm enim pigro semper succederet pigrior, multo tempore in tota insula studiorum detepuit feruor.* Dani autem sacrum hunc locum ita afflixerunt, vt primis Normannorum temporibus, cùm monasticum ordinem quidam his regionibus instaurarent, & Walcherus

cherus Episcopus hunc locum illis assignaret, *Stabant* (vt inquit author meus) *soli sine culmine parietes, vixque vllum signum antiquæ nobilitatis seruabant, quibus tamen culmen de lignis informibus, & fœno illi superponentes, diuini cultus officia celebrare cœperunt.*

Dunelmenses Episcopos qui Comites Palatini censentur, non est cur hîc enumerando persequar. Satis sit innuere, ex quo cathedra hîc constituta fuerit, anno salutis DCCCXCV. triginta quinque Episcopos vsque ad nostram ætatem sedisse. Quorum celeberrimi sunt quatuor, Hugo de *Puteaco* siue *Pudsey* qui præsenti pecunia, mille scilicet tredecim libris Comitatum Northumbrię dum ipse viueret, *Sathbregiamque* iure perpetuo successoribus possidendam à Rege Richar. Primo emit, & Xenodochium pulcherrimum, de quo dixi, construxit, & cui cum Archiepiscopo lis intercessit acerrima, *dum* (vt habet ille) *hic præesse ille non subesse, & neuter prodesse contenderet.* Antonius *Bec* Patriarcha Hierosolymitanus, qui in substructiones insanas, splendidumque apparatum infinitam pecuniam effudit. Thomas *Wolsey* Cardinalis cuius fœlicitati nisi moderatio nihil deerat, sed peruulgata est eius historia. Et qui nobis pueris obijt, Cuthbertus *Tunstall* summarum artium scientia & vitæ sanctitate (absit inuidia verbo) illorum omnium instar, & magnum Britanniæ nostræ ornamentum.

Episcopi Dunelmenses.

Vide Comites Northumbriæ.

Numerantur in hoc agro, & Northumbria, Ecclesiæ Parochiales 118. præter sacella plurima.



CUMBER:
LANDIÆ
PARS
WEST MORLIN
PARS
Ken dale
Amblesyde
Wenandermere
Wetherslack
Farleton
Vlverston
Leuen sande
Kent sād
Walney chap
Lancaster
Sunderland poynt
Pillyn mosse
Garsting
Preston
Kirkham
Ormiskirk
Altmouth
The black rocke
Leuerpole
Hilbre Insull
O CEA:
NUS
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12
Chris: Saxton descrip- Gulil Hole sculpsit
CES:

ELANDIÆ EBORACENSIS PARS

LANCASTRIÆ
Comitatus palatinus olim pars
BRIGANTUM

DARBIÆ PARS

TRIÆ PARS

The countre stones
Ingleboro hill
Gilsborn.
Colne
Burnley
Widdophead
Blackborne
Rochdale
Bury
Bolton
Wygan
Manchester
Stopford
Chat mosse
Runcorne
Warberton.
Cheadle
Mellor chap.

LANCA-SHIRE.

INter aliò versus iam conferendum est meum, ad reliquos scilicet illos Brigantes, qui trans montes ad Occiduum Oceanum consederunt, & primò ad Lancastrenses, quos subinuitus (quæ res mihi bene vertat) quodammodo adeò. Vereor enim ne mihi satisfecero, nedum lectori. Ex voto enim paucula admodum successerunt, cùm partem eius longè maximam perlustrarem, ita vetustas prisca nomina vbique abrasisse videbatur. Sed ne Lancastrensibus deesse videar, audendum est, nec diuinum numen, quod hactenus mihi affulsit, defuturum confido.

Sub montibus, qui vt iam sæpiùs dixi, per Angliam mediam procurrunt, & quasi arbitri inter regiones siue Comitatus se interponunt, iacet ad Occasum Lancastrensis ager, Saxonicè Loncaꞅꞇeꞃ-ꞅcyꞃe, vulgo *Lonks-shire*, *Lanka-shire*, & *The County Palatine of Lan-caster*, quòd sit Comitatus Palatini titulo insignis. Inter Eboracenses ab Ortu, & Hibernicum Oceanum ab Occasu ita includitur, vt ab Austro quà Cestrenses aspicit, sit latior, sensimque in Boream procedens, quà *Westmorlandia* confinit, coarctetur. Ibiq; irruente maris sinu abrumpitur, suique partem non exiguam vltra sinum habet, quæ *Cumberlandia* adiacet.

County Palatine. Vide pag. 456.


Vbi in campos æquatur, hordei & tritici satis est fertilis, ad montium radices auenæ fertilior, vbique solo tolerabili, nisi vliginosis quibusdam, & minùs salubribus locis *Mosses* vocant, qui tamen hæc sua incommoda commodis resarciunt vberioribus. Abrasa enim superficie vnctuosos cespites (*Turffs* dicunt) ad ignis fomitem, & nonnunquam arbores subterraneas, vel quæ diu defossæ iacuerunt, præbent. Inferiùs verò margam ad stercorandos agros affatim alicubi suppeditant, qua tellus hominum opinione, frugum impatientissima ita mitescere incipit, vt maiorem olim hominum fuisse inertiam, quàm terræ ingratitudinem existimare liceat. Sed regionis bonitatem ex incolarum habitudine, qui ab aspectu sunt inprimis decori, dijudices: & etiam si placeat, ex armentis. In bobus enim, qui sunt proceris cornibus, & composito corpore, nihil quod Mago Carthaginensis apud Columellam requirit, facilè desideres.

Mosses. Turfes. Boues Lancastrenses.

Ad partem Austrinam à Cestrensibus *Mersejo* flumine dirimitur, qui in medijs montibus exurgens, parùm iam à fonte digressus fit limes, ferturque in Occasum lento fluxu, quasi alia flumina, vt cum Poeta loquar, *in cæruleum sinum suum vocans*, statimque à Borea *Irwellum*, qui omnes huius Orientalis plagæ fluuios secum defert, grataner excipit. Inter quos notissimus est *Roch* fl. qui appositum habet in valle *Rochdale* mercatum non infrequentem, vt ipse *Irwell* habet sibi impositum *Bury* mercatum itidem nihilo inferiorem, & iuxta dum Coccium ab Antonino memoratum anxiè quæsiui, *Cockley* capellam ligneam arboribus circumsitam, *Turton* capellam inter præcipitia & squallentia loca, *Turton* turrem, & *Entweissell* ædes elegantes vidi: quarum hæc sui nominis viros nobiles olim habuit, & illa sedem familiæ præclaræ de *Orell* hodie præbet. Vbi verò Irwello confluit *Irkus*, ripa sinistra, quæ è subrufo saxo surgit, vix tribus à *Mersejo* mill. pass. peruetus illud opidum floret, quod Mancunium, & Manucium variante lectione Antonino nominatur, nec dum vetusto nomine prorsus deleto, *Manchester* nobis dicitur. Hoc circumuicinis opidis præcellit suo ornatu, frequentia, lanificio, foro, templo, & Collegio quod Thomas Dominus *La-ware* qui sacris initiatus erat & suæ familiæ postremus hæres masculus regnante Henrico Quinto fundauit. Ille enim à *Grelais* prognatus erat, qui antiqui erant huius opidi (vt ferunt) Domini. Superiori verò ætate multo præcellentius fuit tum laneorum pannorum honore (*Manchester Cottons* vocant) tum asyli iure, quod Parlamentaria authoritas sub Henrico Octauo Cestriam transtulit. In adiuncto Comitis Derbiensis viuario *Alparc* dicto, antiqui propugnaculi radices quadrata forma, vbi *Medlocus* amnis *Irwellum* subintrat, vidimus, *Mancastle* appellitant. Quod ipsum antiquum Mancunium fuisse non dixero, spatium adeo angustum includit, sed potius stationem aliquam Romanorum ad quam vidi in antiquo saxo hanc inscriptionem.


Rochdale. Coccley. Turton. Mancunium. Manchester. Manchester Cottons.

C



*Centurionis

Hanc alteram mihi deſcripſit qui vidit Cl. Mathematicus I. Dee Collegij Manceſtrenſis Cuſtos.



Poſita videantur Centurionibus illis ob fidem & probitatem tot annos ſpectatam.

Anno Salutis DCCCCXX. Edwardus Senior, vt habet Marianus, exercitum Merciorum miſit in Northumbriam (tunc enim pertinuit ad Northumbriæ Reges) *vt vrbem* Mancheſter *reſtauraret, & ibi præſidium locaret.* Danico enim bello corruiſſe videtur, contra quos quia ſe fortiter viros præſtitiſſent incolæ, opidum ſuum *Mancheſter* appellatum volunt, id eſt, vt illi interpretantur *vrbs virorum*, & huic opinioni quæ cum ſua laude coniuncta videatur, mirum in modum adblandiuntur. Sed neſciunt boni illi viri Mancunium Britannicis temporibus fuiſſe nomen, vt etymologia è noſtra Anglica lingua petita euaneſcat. Malim igitur ego à *Main* Britannica deducere, quæ ſaxum ſonat. Saxeo enim tumulo inſidet, & ſub ipſum opidum ad *Colyhurſt* latomiæ ſunt nobiles & notiſſimæ. Colyhurſt.

Cæterùm vt regrediamur. *Irwelli* aquis *Merſeius* iam plenior iter Oceanum verſus ſuſcipit, per *Trafford*, ex qua & nomen & habitatio inſigni *Traffordorum* familię, & *Chatmoſſe* vliginoſum agrum longè latéque patentem, cuius partem non exiguam inflati amnes patrum memoriâ non ſine magno periculo abripuerunt, vnde flumina corrupta, & magna perijt fluuialium piſcium multitudo. Quo in loco ſubſidet iam vallis amniculo irrigata, arboreſque proſtratæ repertæ fuerunt. Vt ſuſpicari liceat, cùm terra neglecta iaceret, & riuulorum procurſus in patentibus vallibus non deducerentur, meatuſque vel incuria vel vaſtitate intercluderentur, quicquid humiliùs erat, in huiuſmodi vliginoſos tractus (*Moſſes* vocamus) vel ſtagna fuiſſe conuerſum. Quod verum ſi ſit, non eſt cur miremur tot arbores huiuſmodi locis paſſim per Angliam, ſed præcipuè hoc in agro obrutas & quaſi ſepultas iacere. Cùm enim nimia vligine radices ſoluerentur, vt deciderent, & tam molli ſolo haurirentur & immergerentur neceſſe eſt. Vicini contis & verubus tentando vbi latent explorant, loco notato effodiunt, & pro ignis alimento vtuntur, ſunt enim flammis & lumini, æquè ac tæda, gratæ: quod fortaſſe fit è bituminoſa terra qua ſunt circumfuſæ, vnde vulgus abietes fuiſſe credunt, quas tamen in Britannia proueniſſe negat Cæſar. Scio receptiſſimam eſſe opinionem ab inundato mundo has vi vndarum proſtratas iacuiſſe, eoque magis quod æditioribus in locis alicubi effodiantur: locos tamen illos æditiores quos dicunt vligine permadere non diffitentur. Eiuſmodi etiam arbores ingentes in Hollandia Germaniæ ſæpè reperiuntur, quas eruditi in illa regione alibi fluctibus in littore ſuffoſſas vel flatibus propulſas in illa humiliora loca vliginoſa adue-

Trafford.
Chatmoſſe.
Moſſes vnde ſunt.
Arbores ſub terra.
Abies in Britannia Cæſaris tempore non prouenit

ctas

ctas fuisse, & subsedisse opinantur. Sed curiosa philosophorum natio hæc pleniùs indagabit.

Holcroft. Liber Inq. in Scaccario. Post *Chatmosse* se ostendit *Holcroft* quæ vt sedem, ita & nomen præclaræ *Holcroftorum* familiæ præbuit, quæ olim aucta ex nuptijs cum altera hærede de *Culchit*. Illud enim in proximo sedet, quod Gilbertus de *Culchit* de *feodo* Almarici Pincernæ, vt ipse de *feodo* Comitatu de *Ferrarijs* tempore Henrici Tertij tenuit. Cuius primò-genitam filiam & hæredem cùm Richardus filius Hugonis de *Hindley* duxisset, ille *Culchith* nomen sibi assumpsit, vt Thomas eius frater qui secundam duxit à possessione dictus est de *Holcroft*; alter eadem ratione de *Peasfalong*, & quartus de *Riseley*. Quod adnoto vt intelligat lector, quanta fuerit apud maiores vt firmata grauitas in alijs, ita desultoria leuitas in nominibus deponendis & assumendis è possessionibus. Atqui in alijs etiam Angliæ partibus hoc olim factitatum. Adiacent hic circumquaque opidula (vti etiam per totum hunc Comitatum & Cestrensem & alias Septentrionis partes) quæ vt nomen claris familijs communicârunt, ita eiusdem sui nominis possessoribus ad hæc vsque tempora gaudent. Vt *Aston de Aston*, *Atherton de Atherton*, *Tillesley de Tillesley*, *Standish de Standish*, *Bold de Bold*, *Hesket de Hesket*, *Worthington de Worthington*, *Torbec de Torbec*, *&c*. Infinitum esset sigillatim nominare, nec instituti nostri est insignes enumerare familias, sed loca perlustrare antiquiora. Has tamen & huiusmodi familias in Septentrionalibus his regionibus (vt semel dicam) vti virtus fundauit, prouida moderatio & antiqua suis bonis contenta simplicitas auxit, ita in Australibus Angliæ prouincijs luxus, vsuræ, corruptelarum illecebræ, & dolus malus breui tempore florentissimas prorsus subruerunt, adeò vt veteris nobilitatis germina iam exarescere multi conquerantur.

Nominum varietas.

Warrington. Interim nos *Mersey* decursum persequemur, qui iam per *Warrington* notum suis Dominis cognomine Pincernis siue *Butleris*, qui Mercatus ius ab Edwardo Primo obtinuerunt, defertur; à quo ad Septentrionem non multùm abest *Winwick* inter opima Angliæ sacerdotia nominatissimum, in cuius ecclesiæ summa parte leguntur hi versus barbari veteri charactere, de Oswaldo Rege.

Winwicke.

Hic locus Oswalde quondam placuit tibi valde
Northanhumbrorum fueras Rex, nuncq; Polorum
Regna tenes, loco passus Marcelde *vocato.*

A *Warringtonio* Merseius se diffundens statimque contrahens, patenti gremio, commercijsque percommodo Oceanum ingreditur, vbi *Litherpoole* patet, Saxonicè Liferpole, vulgò *Lirpoole*, à diffusa paludis in modum aqua, vt opinio est, nominatus, qui commodissimus & vsitatissimus est in Hyberniam traiectus, elegantia & frequentia, quàm antiquitate celebrior. Nec enim eius nomen apud antiquiores scriptores vspiam occurrit, nisi quòd Rogerus Pictauensis, qui Dominus erat (vt eo tempore loquebantur) *de honore Lancastriæ* castrum hic construxerit, cuius custodiam iam longo sanè tempore habuit nobilis illa, & equestris familia de *Molineaux*, cuius primaria sedes est in proximo ad *Sefton*, quam Rogerus ille Pictauensis Viuiano de *Molineaux* primis Normannici imperij temporibus elargitus erat. Vniuersam enim terram inter *Ribell* & *Mersey* flumina Rogerus ille tenuit, vt Censualis Angliæ liber testatur.

Litherpole.

Molineux. Sefton.

Prope *Sefton*, *Alt* fluuiolus viam in mare quærit, & vbi inuenit viculum adsitum *Altmouth* inde nominat, vicinumque habet *Ferneby* in cuius vliginoso sole cespites effodiuntur, qui incolis pro ignis fomite, & lucernarum vice. Sub cespitibus autem aqua subest pigra & nigricans, cui nescio quid vnctuosum superfluit, & in qua pisciculi innatant, qui à fossoribus capiuntur: vt fossiles hic esse pisces dicamus, non minùs quàm circa Heracleam, & Tium Ponti. Nec mirum cùm in huiusmodi locis aquosis pisces subinde humorem sectando terram subeant, & ligonibus homines piscatum eant. Quod in Paphlagonia in locis minimè aquosis multi & boni pisces effodiantur, abditam aliquam & peculiarem habet rationem. Et lepidè sanè Seneca. *Quid est quare pisces in terram non transeant, si nos mare transimus?*

Pisces fossiles.

Ormeskirke. Euehitur hinc magno flexu littus apertum, interiusque à mari cernitur *Ormeskirke* mercatorium opidum, sepultura Stanleiorum Derbiensium Comitum insigne, quorum

primaria

primaria sedes *Lathum* in vicinia est, ædes magnę & magnificæ, quas illi continenter auxerunt ab Henrici Quarti tempore. Quo Ioannes *Stanley* vir equestri dignitate, pater Ioannis Proregis Hiberniæ ex eadem stirpe qua Barones de *Audley* oriundus, filiam & hæredem Thomę *Latham* Equitis clarissimi duxit, cui hoc amplum hæredium cum multis alijs possessionibus dotale fuit. Iam inde verò *Stanlai* sedem hic fixerunt, è quibus Thomas filius Th. Domini *Stanley* ab Henrico VII. Derbiæ Comes creatus ex Æleonora Neuilla filia Comitis Sarisburiæ genuit Georgium Dominum *Le-Strange*; duxerat enim ille Ioannam vnicam filiam & hęredem Ioannis Baronis *Le Strange* de *Knockin*, qui patre superstite defunctus filium habuit Thomam Derbiæ Comitem secundum, cui Anna filia Edwardi D. *Hastings* peperit Edwardum Tertium Derbiæ Comitem, qui ex Dorothea filia Th. Howardi Ducis Norfolciæ suscepit Henricum Comitem quartum, qui Margaretam filiam Henrici Cliffordi Comitis Cumbriæ duxit matrem Ferdinandi Comitis quinti qui modo diem obijt, & Guilielmi iam Comitis sexti qui fratri successit. Stanlæi Comites Derbiæ

Duglesi fluuiolus hic tacitè serpit, ad quem Arthurus noster (vt author est Ninnius) Saxones memorabili prælio fudit. Ad huius fontes *Wiggin* est opidum, Wibiggin olim dictum affirmant, de quo nomine nihil habeo quod dicam, nisi Lancastrenses ædificia *Biggin* vocare, vti nec de opido, nisi quod sit & cultum & copiosum, *incorporatum ex Maiore & Burgensibus*; Rectorque ecclesiæ, opidi, vt accepi, est Dominus. In proximo *Holand* cernitur, è qua clarissima illa Holandorum familia qui Cantij Comites & Surrię, Exoniæque Duces erant, & originem & nomen traxerunt. Filia autem & hæres primogeniti fratris qui equestri ordine hic floruit, tandem *Louellis* enupta eos & possessionibus, & armis adauxit scilicet scuto cyaneo lilijs argenteis interstincto inter quæ argenteus itidem leo ore obuerso insurgit. Duglesi flu. Wiggin. Biggin quid. Hollandorum familia. Insignia Holandorum.


Prope *Duglesi* ostium *Merton* palus satis diffusa alitur, quæ suo emissario in hunc se exonerat, statimque *Ribello* flumini in suo æstuario obuiam se offert. Hic enim proximus est post *Merseium* fluuius qui Oceanum accedit, nomine suo vetustiori non prorsus exoleto. BELLISAMA enim æstuarium Ptolemæo, & nobis *Ribell* appellatum, fortasse ex adiectione Saxonici verbi *Rhe* quod flumen denotat. Ex Eboracensis agri collibus properantibus aquis primum in meridiem defertur hic fluuius per tres præcellos montes, *Ingleborrow hill* ad fontes, quem vasto dorso in Occidentem solem gradatim quasi ascendentem, & in sui extremo alio quasi imposito colle euectum demirati sumus. *Penigent* fortasse ab albicante, & niuoso capite, hoc enim Britannis *Pengwin* denotat, qui vasta mole, sed non perinde excelsa attollitur. Vbi verò Lancastrenses adit *Rhibellus* (nam hi sunt inter Eboracenses) *Pendle hill* sublimi admodum fastigio erigitur, & in ipso fastigio peculiarem profundit plantam quam quasi a nubibus productam *Clowdesbery* vocant. Verùm hic mons damno quod subiecto agro iampridem intulit, maximam aquarum vim eructans, & certissimo pluuiæ indicio, quoties eius vertex nebula vestitur, maximè est insignis. Horum libentiùs meminerim, tùm quod in Appennino nostro sunt eminentissimi, vnde vulgò vsurpatur, Bellisama. Penigent. Pendle hill. Clowdes-bery

Ingleborrow, Pendle, and Penigent:
Are the highest hils betweene Scotland and Trent.


Tum vt intelligatur quod ante dixi, cur Alpes summę *Penninæ*, & ipsa montium summitas *Pennum*, & *Apennini* ita priscis Gallis dicta fuerint. *Pen* enim montium summitates Britannis denotat. Ad ramentum verò montis *Pendle*, *Clithero* castrum à *Lacijs* extructum propè *Rhibell* adsidet, Et huic vicinum *Whaley*, Saxonicè Walaleg monasterio à *Lacijs* condito celebre, quod à *Stanlaw* in Comitatu Cestrensi CIↃCCXCVI. translatum. Vbi anno DCCXCVIII. Wada Dux infoelicia signa contra Ardulphum Nordanhumbrorum Regem sustulit ad *Billangho* quod nunc *Langho* contractiùs appellatur. Hic *Ribellus* protinus in Occasum conuersus nomen suum impertit vico quem nostrà ætas *Riblechester* appellat, vbi tot Romanæ vetustatis vestigia, statuæ, numismata, columnæ, columnarum bases, epistylia, aræ, marmora, inscriptiones subinde effodiuntur, vt non abs re fuisse videatur, quod incolæ claudicante rythmo dictitant, Alpes Penninæ. Pen quid Britannis. Clithero. Whalley. Riblechester.

It is written vpon a wall in Rome:
Ribchester was as rich as any towne in Christendome.

Viæque militares ad hanc duxerunt eminenti aggere altera ab Eboraco, altera è Septentrione per *Bowland Forrest* saltum spatiosum quæ adhuc per plura milliaria planissimè conspicitur, Inscriptiones autem ita deformârunt rustici, vt quamuis in plures inciderim, vix tamen vnam & alteram legere potuerim. Ad *Salesbury hall* quæ sunt vicinæ ædes nobilis & antiquæ familiæ *Talbottorum*, columnæ basim inscriptam vidimus:


DEO
MARTI, ET
VICTORIÆ
D D. AVGG.
ET CC---NN

In proximo pariete huic adiunctus est alter lapis, Cupidinem, & alteram imagunculam præ se ferens, ex cuius parte auersa hæc mihi descripta fuit. Sed nullo sensu inscriptio, quam quia me diu sollicitum habuit, vt aliorum opinionem eliciam, hîc subiungam:


SEOESAM
ROLNASON
OSALVEDN
AL. Q. Q. SAR.
B. R. E. V. E. N. M
BEDIANIS
ANTONI
VS MEG. VI.
IC. DOMV
ELITER

Ego autem nihil aliud suspicari possum quam ex his pleraque esse Britannica locorum adiacentium nomina, Anno cIↃ DCIII. cùm iterum hunc locum inuiserim in aram omnium quas vidi maximam & pulcherrimam incidi cum hac Inscriptione:

DEIS

DEIS MATRIBVS
M. INGENVI-
VS ASIATICVS
*DEC. AL. AST.
S S. L L. M.

In ædib. Th. Rhodes.

*Forte Decurio Alæ Asturum susceptú soluit scil. votum libens lubens meritò.

De his DEABVS siue DEIS MATRIBVS, scrutando nihil eruere possum (nam in orbis terrarum inscriptionibus præterquein altera apud nos reperta non memorantur) nisi, quod Enguium opidulum in Sicilia fuit DEARVM MATRVM præsentia nobile vbi ostendebantur hastæ aliquot, & æreæ galeæ a Metione & Vlisse Deabus illis consecratæ.

Deæ Matres. Vide B. of Durham. Plut. in M. Marcello.

Arulam etiam alteram ibidem vidi inter rudera eiectam sic inscriptam:

PACIFE
RO MARTI
ELEGAVR
BA POS
VIT EX VO
TO.

Hæc tam exigua erat vt tenuioris alicuius arula gestatilis fuisse videatur, & thuri aut molæ salsæ tantum adolendo, cùm illa altera multo maior, & ad maiorum animalium sacrificia peragenda. In his Noam proculdubio imitati sunt posteri, etiam postquam a vero Dei cultu desciuerant, Nec Dijs solum sed etiam Imperatoribus seruili adulatione cum impio titulo NVMINI MAIESTATIQVE EORVM posuerunt. Ad has genibus aduoluti supplicabant, has amplexi precabantur, ad has iurabant, vtque semel dicam, in his & sacrificijs, totius religionis summa erat posita; vsque adeo vt quibus nulla erat ara, ijs nulla religio, nullus Deus esse crederetur.

Aræ gentilium. 8. Genesis.

Nupertimè etiam saxum hic effossum fuit in quo exsculpta nuda effigies equestris sine sella & frœno ambabus manibus hastile contorquens, & insultans homini nudo procumbenti qui nescio quid quadratum prætendit. Inter equum & procumbentem sunt D. M. sub procumbente leguntur GAL. SARMATA. Reliquæ literæ quæ plures erant, ita euanuerunt, vt legi nequeant, nec mihi coniectura persequi libet. ALAM SARMATARVM hoc in loco egisse & illa superiori inscriptione, & hac quæ antea plures annos juxta reperta videatur.

Fortè C. AL. pro Centurio Alæ Sarmatarum.

Ex Guil. Lambardi schedis.

HIS. TERRIS. TEGITVR
AEL. MATRONA QV------
VIX. AN. XXVIII. M. II. D. VIII.
ET M. IVLIVS MAXIMVS. FIL.
VIX AN. VI. M. III. D. XX. ET CAM
PANIA. DVBBA. MATER
VIX. AN L. IVLIVS MAXIMVS
-----ALAE. SAR. CONIVX
CONIVGI. INCOMPARABILI
ET. FILIO. PATRI PIENTIS
SIMO. ET SOCERAE. TENA
CISSIMAE. MEMORIAE. P.

Cæterùm ex his nihil planè luminis ad priscum huius loci nomen eruendum, de quo ambigitur, nisi subinde nomen mutârit, quod nonnunquam vsu venit. Hoc enim situ Ptolemæus RIGODVNVM, si pro RIBODVNVM, à *Riblechester*, non omninò abludit, &ad hanc à Mancunio distantiam, videlicet XVIII. milliarium, COCCIVM, quod & GOCCIVM in nonnullis legitur exemplaribus, locat Antoninus. (Margin: Ribodunum. Coccium.)

Cæterùm cùm huius fortuna, confecta Periodo, siue bello, siue terræ motu, quod vulgus suspicatur, succubuisset, inferiùs quà regurgitantis Oceani vim patitur *Ribellus*, & BELLISAMA ÆSTVARIVM Geographo vocatur, propè *Peneworthum* vbi regnante *Conquestore* erat Castellum vt ex Regis eius tabulis constat, ex Riblcestriæ Occasu succedanea proles *Preston* surrexit, amplum, &, vt in his regionibus elegans, & frequens opidum, à religiosis viris sic dictum, nomen nostra enim lingua *Sacerdotum opidum* sonat, sub hoc *Ribello* aquas infundit suas *Derwen* fluuiolus qui primum opidum mercatu notum *Blacke-borne* à nigra aqua sic dictum irrigat, quod olim Laciorum, regiunculæ adiacenti *Blackburne-shire* nomen indidit, inde præterfluit *Houghton Tower* quod celebri familiæ quæ diu incoluit, nomen impertijt, & *Waleton* quod Guilielmus Lancastriæ Dominus, Regis Stephani filius, Waltero de *Waleton* dedit, postea verò erat claræ familiæ *Langtonorum* qui à *Waltonis* genus ducunt. Sed pedem referamus. (Margin: Penworthum Penuerdant alibi dicitur. Preston. Haughton. Walton.)

Preston illud de quo modò dixi, *Preston in Andernesse* vocat vulgus hominum, pro *Acmundes-nesse*, sic enim hanc agri partem dixerunt Anglo-Saxones, quòd inter *Ribellum* & *Cocarum* fluuios longiùs circumacto littore prominet, & promontorio quasi naso extenditur, quod etiam postea *Agmonder-nes* dictum. In qua Guilielmi Primi temporibus *tantùm sedecim villa incolebantur, reliqua vasta iacebant*, vt in Censuali libro legimus, *Rogerusque Pictauensis habebat.* Posteà verò fuit Theobaldi *Walteri*, à quo *Bottelers* siue Pincernæ Hiberniæ originem repetunt, sic enim legimus in Charta Richardi Primi, *Sciatis nos dedisse, & præsenti charta confirmâsse Theobaldo* Waltero *pro homagio & seruitio suo totam* Agmondernes, *cum omnibus pertinentijs suis, &c.* Auena hæc est feracior, hordei impatientior, sed pascuis lætior, præsertim ad mare, quà partim est campestris, vnde pars eius magna *The File*, pro *Feild* appellari videtur, (in Archiuis tamen regijs *Lima* Latino nomine appellatur, quod * instrumentum illud fabrile denotat quo ferrum, aliudue politur.) Quia tamen alibi palustris, minùs salubris censetur. *Wyr* fluuiolus hanc citus perstringit, qui e *Wierdale* loco pleno solitudinis deuolutus *Grenhaugh* castrum præterlabitur, quod Thomas *Stanley* primus ex hac familia Derbiæ Comes extruxit, cùm immineret illi periculum, à quibusdam huius agri proscriptis nobilibus, quorum possessiones ab Henrico Septimo dono acceperat. Multos enim in illum impetus dederunt, & subinde infesti in agros eius irruerunt, donec viri optimi moderatio has inimicitias prudenter extinxerit. (Margin: Andernesse. The File. * File. Grenhaugh Castle.)

In ora hîc maritima multis in locis sabuli cumulos videas, quibus aquam subinde infundunt, donec salsuginem contraxerit, quam postea, subditis glebis in candidum salem

excoquunt

excoquunt. Nonnullæ sunt hic etiam insidæ arenæ & rapaces (sabulum viuum dicunt) itinerantibus adeò periculosæ dum compendia recedente æstu sectantur, vt maximè caueant ne terreno itinere, cum Sidonio loquor, pedestre naufragium faciant; præcipuè verò circa *Cocari* ostium, vbi Syrtico quasi agro *Cockarsand Abby* Cluniacensium iampridem monasteriolum, à Ranulpho de *Meschines* fundatum, sed ventorum violentiæ expositum inter *Cockari* & *Luni*, siue *Loni* ostia interiacet, & mare Hibernicum longè lateque diffusum prospectat.

Salis conficiendi noua ratio.
Quicksands.
Syrticus ager.

Lonus ille, vulgò *Lune*, ex Westmorlandiæ montibus scatens, in Austrum ripis impeditioribus, & inæquali alueo delapsus, accolas æstiuis mensibus opima Salmonum piscatione ditat, qui cùm aqua limpida, & arenosis vadis præcipuè lætentur, in hunc & alios huius oræ fluuios confertim penetrant. Quam primùm Lancastrenses inuiserit, *Laccus* amniculus ab Ortu aquas illi committit suas. Quo in loco nunc *Ouer Burrow* est, pertenuis sanè rusticorum viculus, quem vrbem magnam fuisse, amplosque campos inter *Laccum* & *Lonum* occupâsse, & ad extrema deditionis, fame nihil non experta, compulsam nobis memorârunt incolæ, quod à maioribus quasi per manus traditum acceperunt. Et varijs certè priscæ vetustatis monumentis, insculptis lapidibus, tessellatis pauimentis, Romanorum nummis, & nomine hoc nouo quod nobis *Burgum* denotat, locus iste antiquitatem suam asserit. Nomen verò antiquum si recuperet alijs, non mihi debeat, etsi vt formicæ semitas anxia sedulitate quæsiui, nec est cur quis putet singulorum in Britannia opidorum nomina sigillatim in Ptolemæo, Antonino, Prouinciarum Notitia, & classicis authoribus adnotari. Si tamen coniecturæ sit locus BREMETONACUM, (quod aliud fuisse à BREMENTURACO verè iudicat Hieronymus Surita Hispanus in suis ad Antoninum Notis) ex distantiæ ratione à COCCIO vel *Rible-chester* libens opinarer.

Lune fl.
Salmones.
Ouer Burrow
Bremetonacum.

Ab hoc *Burgo Lonus* flu. *Thurland Tunstallorum* propugnaculum, à Thoma *Tunstall* Equite aurato tempore Regis Henrici Quarti extructum, cùm Rex *licentiam dedisset firmandi & Kernellandi mansum*, .i. *loricis incingendi*, & *Hornby* egregium castellum prætervehitur, quod N. de *Monte Begonis* conditorem, Dominosque suos *Harringtonos* & *Stanleios* Barones de *Monte Aquilæ* siue *Mont Eagle* à Th. *Stanley* primo Derbiæ Comite oriundos venditat. Quorum tertius & postremus Guilielmus *Stanley* reliquit Elizabetham filiam vnicam & hæredem vxorem Edwardi *Parker* Baronis *Morley* matrem Guilielmi *Parker*, quem Rex Iacobus auito honore Baronis de *Mont-Eagle* denuò exornauit, & nos, nostriq; posteri vniuersæ Britanniæ bono natum agnoscamus. Ex literulis enim subobscuris ad eum clandestino transmissis, & ab eo in medium tempestiuè prolatis proditio quam efferata impietas machinari poterat longè nefandissima, in ipso fere extremo Reipublicæ fato est deprehensa. Cùm scelerati nonnulli sub execranda religionis larua vi magna pulueris fulminalis Conclaui Parlamentario supposita, ad Principem & patriam vno momento difflandum iamiam ignem admoturi starent.

Kernellare quid.
Hornby castle.
Barones Montis Aquilæ.
Proditio Pyriopuluerea.

Lonus hinc paucula permensus milliaria *Lancaster* ad Australem ripam videt, præcipuum regionis opidum, quod incolæ veriùs *Loncaster* vti & Scoti, qui *Loncastell* vocant à *Lono* flu. LONGOVICUM & nomen superstes, & flumen subterlabens quodammodo argumentantur, vbi sub Britanniarum Duce, vt est in notitia Prouinciarum, numerus Longouicariorum qui à loco nomen sunt mutuati, stationem habuit. Quamuis hodie opidum sit minùs frequens, & incolæ omnes rei rusticæ vacent, (circumuicinus enim ager cultus est, apertus, florens, nec syluis nudus) in Romanæ tamen vetustatis argumentum Cæsarum nummos nonnunquam inueniunt, maximè vbi fraterculi suum claustrum habuerunt. Aream enim ibi antiquæ vrbis fuisse prædicant, quam Scoti cuncta obuia excursione repentina populati Anno Salutis CIƆCCCXXII. succenderunt. Ex quo tempore ædificare cœperunt propiùs collem viridantem ad flumen cui imponitur castrum, non magnum quidem, nec vetustum, sed elegans & firmum: adsideque in ipso colle vnicum quod habent templum, vbi Monachi exteri olim suum habuerunt cœnobiolum. Sub quo ad pontem pulcherrimum, quo *Lonus* consternitur, in ipsa præcipiti collis decliuitate, parietis antiquissimi, & Romani operis pendet fragmentum præceps, *Wery wall* vocitant illi, recentiori Britannico huius opidi, vt videtur, nomine. Hoc enim opidum illi *Caer Werid*, id est, *Vrbem viridem* dixerunt, à viridanti forsitan illo colle, sed hæc viderint alij. Ioannes Moritonij & Lancastriæ Dominus qui postea

Lancaster.

stea Rex Angliæ *Burgensibus suis Lancastriæ charta confirmauit libertates omnes quas Burgensibus Bristoliæ concesserat.* Edwardusque Tertius anno regni sui XXXVI. *concessit Maiori & Balliuis villæ Lancastriæ quòd Placita & Sessiones non alibi tenerentur.* Polum Arcticum, vt hoc non omittam, grad. LIIII. scrup. V. eleuatum aspicit, ab vltimo verò Occidente part. XX. scrup. XLVIII. remouetur.

Fournesse. Dum ex hoc colle circumspicerem, vt *Loni* ostium viderem, quod non multò inferiùs effunditur, *Forneß* altera pars huius regionis ad Occasum oculis occurrit, quam mare quodammodo auulsit. Cùm enim littus hinc se vastiùs in Occasum proijceret, Oceanus quasi infensior obstinatiùs illud lancinauit, imò incrudescente æstu littus deuorauit, sinusq; tres laxiores efficit, sc. *Kentsand*, quo *Ken* fl. emittitur, *Leuensand*, & *Duddensand*, inter quos ita prominet terra, vt inde sit nomen sortita. *Fornesse* enim, & *Foreland*, idem est nobis, quod *Promontorium anterius* Latinis. Tota, nisi ad mare, excelsis montium cacuminibus, & crebris rupium molibus assurgit, (*Forness-fels* indigitant) inter quos Britanni diu securè agitauere, his defendentis naturæ munimentis freti licèt nihil inuium Saxoni victori. Anno enim vicesimo octauo super ducentisimum ab aduentu Saxonum, Britannos hîc sedisse colligimus, quòd eo tempore Egfridus Nordanhumbrorum Rex Cuthberto illi sancto terram, quæ vocatur *Carthmell*, & omnes Britannos in ea (sic enim in eius vita scribitur) elargitus est. *Carthmell* enim partem huius agri esse ad *Kentsand*, notissimum est, idemq; nomen opidulum in ea etiamnum seruat in quo Guilielmus *Marescallus* senior Comes Penbrochiæ Prioratum extruxit, & dotauit. Si apud Ptolemæum SETANTIORVM λιμνὴ .i. *Lacus*, vt aliqui concipiunt libri, & non Setantiorum λιμὴν .i. *Portus*, legas, SETANTIOS dictos fuisse hos Britannos ausim affirmare. Inter hos enim montes lacus totius Angliæ maximus, nunc *Winander-mere*, Saxonicè Winpaope-mep, à tortuoso forsitan meatu, per decem plùs minùs milliaria fundo quasi continuo saxo constrato, ripas incuruat, immensæ alicubi, vt ferunt accolæ, profunditatis, pisce sibi peculiari (quem accolæ *Chare* vocant) fœcundus. Suique nominis adpositum habet viculum, in quo anno Christi DCCXCII. Eathredus Nordanhumbrorum Rex Elfwoldi Regis filios Eboraco abstractos interemit, vt suo scelere, & illorum sanguine sibi regnum confirmaret.

Fourness-Fels. Carthmell. Setantiorum lacus. Winander-mere. Chare piscis. Historia Malrosensis.

Inter hunc lacum, & *Dudden* flu. promontorium quod vulgò *Fornesse* dicimus, se proijcit, insulamque *Walney* quasi antemurale longo tractu prætentam habet tenui freto diuisam, cuius fauces munimentum *Pile of Fouldrey* dictum ab Abbate de *Fornesse* anno primo Regis Edwardi Tertij scopulo in medijs fluctibus impositum tuetur.

Pile of Fouldrey.

In ipso vero promontorio nihil visendum est præter parietinas monasterij de *Fornesse* dicti, quod Stephanus Comes Boloniæ qui postea Rex Angliæ anno Salutis MCXXVII. extruxit in loco olim *Bekensgill* dicto, vel potiùs transtulit a *Tulket* in *Andernesse*. E cuius monachis, & non aliunde (vt ipsi retulerunt) Manniæ Insulæ quæ obiacet, Episcopi veteri instituto eligi solebant: nimirum cùm fuerit quasi mater plurimorum monasteriorum in Mannia & Hibernia. Magis ad Ortum *Aldingham* antiquum hæredium familię de *Harrington*, ad quos a *Flemmingis* per *Cancefeldos* deuenerat, & quorum hæreditas per filiam ad Guilielmum *Bonuill* in agro Deuoniensi, & tandem per eum ad *Greios* Dorsettiæ Marchiones descendit. Paulòq; superiùs *Vluerston* ideo non tacendum, quod eius *medietatem* Edwardus III. Ioanni *Coupland*, viro inprimis bellicoso dedit, quemque in Baneretti dignitatem extulit, quòd in prælio apud Dunelmum Dauidem Secundum Scotorum Regem captiuum abduxerit. Verùm post eius mortem Ingelramo Domino *Coucy* è Gallia idem Rex cum alijs hoc tractu latifundijs, & titulo Comitis Bedfordię concessit, vtique qui eius filiam Isabellam in vxorem acceperat, & cuius maiores iure Christianę de *Lindesey* magnos in Anglia habuere prouentus.

Liber Fornessiensis. Aldingham. Harrington. Vluerston. Domini de Gynes.

Domini Lancastriæ. Quod ad nobiles qui Lancastriæ titulo vsi sunt, prima Normannici imperij infantia tres fuerunt qui *Domini de honore Lancastriæ* dicebantur, Rogerus scilicet Pictauensis, filius Rogeri de *Monte-gomerico*, qui *Pictauensis* cognominatus (authore Guilielmo Malmesburiensi) quod vxorem è Pictonibus Galliæ accepisset. Verùm cùm ille hoc honore sua perfidia excidisset, eundem accepit à patre Guilielmus filius Regis Stephani, Comes Moritonij, & Warrenniæ. Eo autem defuncto, Rex Richardus Primus Ioanni fratri, qui postea Rex Angliæ, eundem contulit. Sic enim legitur in antiqua historia. *Rex Richardus*

Richardus egregium in fratrem Ioannem declarauit amorem. Nam præter Hiberniam & Comitatum Mortonij in Normannia, in Anglia tanta adiecit, vt quasi Tetrarcha esset, Denique Cornubiam, Lancastriam, Nottinghamiam, Derbiam cum adiacenti patria, & alia contulit multa. Satis longo post interuallo Rex Henricus Tertius Ioannis filius Edmundum *Gibbosum* filium suum natu minorem, in quem hæreditates & honores Simonis *Montisforti* Comitis Leicestriæ, R. de *Ferrarijs* Comitis Derbiæ, & Ioannis Monumethensis quod seditionis vexilla in illum sustulissent, transcripsit, Comitis Lancastriæ titulo primus exornauit, & his verbis dedit *Honorem, Comitatum, Castrum & villam de Lancastre, cum vaccarijs & Forrestis de Wiresdale, Lownsdale, Nouum Castrum subtus Limam, Manerium, Forrestam, & Castrum de Pickering, Manerium de Scaleby, villam de Gomecestre, redditumque villatæ de Huntendon, &c.* cùm excidisset ille regno Siciliæ in quod Pontifex Romanus per annulum ipsum frustra inuestierat, & non sine ludibrio Anglici nominis in eius honorem aureos signari iussisset cum titulo A I M V N-D V S R E X S I C I L I Æ. Postquam credulum Regem hoc nomine plurimâ pecuniâ emunxisset. Hic Edmundus (prima vxore filia & hærede Comitis Albemarlæ, quæ ipsum hæredem scripserat, sterili defuncta) è Blanchia Artesiana ex domo Francica vxore secunda Thomam, Henricum, & Ioannem qui infantia obijt, progenuit. Thomas Comes erat Lancastriæ secundus, qui accepit in vxorem Aliciam vnicam filiam & hæredem Henrici *Lacy* Comitis Lincolniæ quæ suam & maternam hæreditatem scilicet familiæ de *Longa-spata* qui Sarisburiæ fuerunt Comites, vti pater eius Henricus ille *Lacy* anteà terras suas si modo Alicia sine sobole diem obiret quod euenit, in familiam Lancastrensem transcripsit. Verùm hic Thomas cùm Principem suum Edwardum Secundum minus reuerenter haberet, ciuilisque belli incendia foueret, prælio captus & capite truncatus sine prole diem obijt. Sententia tamen in eum lata postea Parlamentaria authoritate refixa, quòd per *Pares suos* iudicatus non fuerit, Henricus frater & possessionibus & honoribus successit. Hunc etiam vxor Matildis filia & ex asse heres Patricij de *Cadurcis*, siue *Chaworth*, non solùm suo, sed etiam magnis in Wallia Patrimonijs, Mauritij scilicet *Londinensis*, & Siwardi, a quibus stemma illa duxerat, adauxit. Vnicum hic reliquit filium Henricum, quem Edwardus Tertius è Comite in Ducis honorem extulit, secundusque fuit è nostris proceribus Ducis nomine insignis. Verùm nulla prole mascula suscepta obijt ille, duabus relictis filiabus, Matilde & Blanchia, inter quas dispertita hæreditas. Matildem duxit Guilielmus Bauarus Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, Hannoniæ, & iure vxorio Leicestriæ Comes. Illa autem sine liberis defuncta, Ioannes *Gandauensis*, siue de *Gaunt* dictus, quia Gandaui Flandriæ natus, Edwardi Tertij filius natu IIII. qui Blanchiam alteram Henrici filiam in vxorem acceperat, vniuersam hæreditatem adijt; iamque opibus par multis Regibus, Dux Lancastriæ a patre creatus, iura etiam regalia ab eo impetrauit, qui Comitatum Lancastrensem in Palatinatus dignitatem huiusmodi rescripto euexit, cùm memorâsset quàm egregiam operam patriæ, domi belloque nauasset. *Concessimus* (inquit) *pro nobis & hæredibus nostris præfato filio nostro, quod ipse ad totam vitam suam habeat infra Comitatum Lancastriæ Cancellarium suum, ac Breuia sua sub sigillo suo pro officio Cancellarij deputando, consignanda, Iustitiarios suos tam ad placita coronæ, quàm ad quacunque alia placita communem legem tangentia, tenenda, ac cognitiones eorundem, & quascunque executiones per Breuia sua, & ministros suos ibidem faciendas. Et quæcunque aliæ libertates & iura regalia ad Comitatum Palatinum pertinentia, adeò liberè & integrè sicut Comes Cestriæ infra eundem Comitatum Cestriæ dignoscitur obtinere, &c.* Nec solùm Dux erat ille Lancastriæ, verùm etiam ex nuptijs cum Constantia Petri Castellæ Regis filia, aliquandiu vsus est nomine Regis Legionis, & Castellæ. Sed hoc ex pacto cessit, & anno Richardi Secundi XIII. consensu Parlamenti Dux Aquitaniæ (Aquitania fremente) fuit creatus. Quo tempore hos præ se tulit titulos. *Ioannes filius Regis Angliæ, Dux Aquitaniæ, & Lancastriæ, Comes Derbiæ, Lincolniæ, & Leicestriæ, Seneschallus Angliæ.*

Post hunc Ioannem, Henricus de *Bollingbroke* eius filius, in Ducatu Lancastriæ successit, qui cùm exturbato Richardo Secundo, Angliæ regnum obtinuisset, Henricum filium qui etiam postea erat Rex Angliæ hoc honore ornauit, & vt sibi suisque in his hæreditatibus caueret, ita ex authoritate Parlamentaria his verbis censuit. *Nos nolentes dictam*

[Marginal notes: Gualterus Hemingford. Ro. Houeden pag. 373.b. — Comites Lancastriæ. — Comes Lancastriæ Rex Siciliæ. — Duces Lancastriæ. — Io. de Gaunt Rex Castellæ. — Rex Henricus IIII.]

ctam hæreditatem nostram, aut libertates eiusdem, occasione instantis assumptionis regalis status, & dignitatis nostræ in aliquo mutari, transferri, diminui, seu derogari; sed eamdem hæreditatem nostram cum iuribus & libertatibus suis prædictis, eisdem modo & forma, conditione & statu quibus nobis descenderunt, & euenerunt, ac etiam cum omnibus, & singulis talibus libertatibus & franchesijs, ac alijs priuilegijs, commoditatibus & proficuis quibuscunque, quibus dominus, & pater noster dum vixit, eam ad terminum vitæ suæ ex concessione Richardi nuper Regis habuit, & tenuit, nobis & dictis hæredibus nostris in dictis chartis specificatis plenariè & integrè conseruari, continuari, & haberi volumus. Ac tenore præsentium ex certa scientia nostra, de assensu præsentis Parlamenti nostri concedimus, declaramus, discernimus, & ordinamus pro nobis & hæredibus nostris, quòd tàm Ducatus noster Lancastriæ, quàm vniuersa & singula alia, Comitatus, Honores, castra, maneria, feoda, aduocationes, possessiones, annuitates & dominia quæcunque nobis ante adeptionem dignitatis nostræ regiæ qualitercunque, & vbicunque iure hæreditario in Dominico seruitio, vel in reuersione, seu aliàs qualitercunque descensa, nobis, & dictis hæredibus nostris in Chartis prædictis specificatis in forma prædicta remaneant in perpetuum. Henricus deinde Quintus Parlamenti authoritate amplissimam hæreditatem quæ ipsi obtigerat iure matris quæ filia & altera hæres fuit Humfredi *Bohun* Comitis Herefordiæ huic Ducatui adiunxit. Hac forma & conditione iam inde mansit, nisi quòd Edwardus Quartus Anno regni primo cùm Henricum Sextum in Parlamento lesę maiestatis proscripsisset, Coronę (vt loquuntur) *appropriauerit*, sibi scilicet & hæredibus suis Angliæ Regibus: à qua tamen Henricus VII. statim seiunxit. Suosq; nunc habet seorsim Officiarios, Cancellarium scilicet, *Attornatum, Receptorem, Clericum Curiæ, Assessores sex, Tabellarium, Auditores duos, Receptores viginti tres, & tres Superuisores.*

* * *

Recensentur in hoc agro, præter plurimas Capellas, Paræciæ tantùm 36. sed illæ valdè populosæ, & quæ maximas alibi paræcias incolarum multitudine longè superant.


WESTMOR-



Tttt



SEPTENTRIO
CVMBER LANDIÆ
PARS
OCCIDENS
PARS
LAN CASTRIÆ
PARS
MERIDIES
Penreth
Keswick
Kendall
Applebye
Kirkland
Kirkby launsdale
Rendall cast:
Amblesyde
Broughton
Kirkby
Burton
Warton
Barwik hall
Hartesshope hall
Shirestones
Wrenrose
Blackhall
Sowthwate
New bridge
Carpmanfel
Witherslak
Methap
Letham
Farleton
Crosthwate
Vnderbarrow
Troutbeck
Brathey
Armeside
Haukeside
Grysemere
Sleddale
Pawsetwood
Thornthwate
Wastall heade
Shapp
Crosbye
Orton
Tebay
Askham
Helton
Barton
Newton
Heltondale
Markendale chap:
Threlcot
Waterdale
Wiborne
Dunbalrase stones
Paterdale
Depedale
Brederdale heud
Brederdale foote
Morland
Kirkbythuret
Temple sowerby
Newbiggin
Milborne
Owsbye
Skirwith
Salkeldes
Glasenbye
Langanbye
Edenell
Laseubye
Dowthwate
Thakthwate
Wetherlake
Croftermond
Rasgill
Burbeck flu
Crosthrake
Wynster chap
Wynandermere
Chapellan
Cowgarth
Preston chap:
Mylnthorpe


WESTMORLANDIÆ
Comitatus qui olim
Spectauit ad
BRIGANTAS
EBORACENSIS
PARS
ORIENS
Kirkby steuen
Burgh cast:
Stainmore
The spitle on stainmore
Musgraue mag:
Sowerby
Warcop
Burton
Helbek
Morton
Morton pik
Caber
Belowe flu:
Winton
Hartley cast:
Smardale
Neatbye hall
Holomill crosse
Brikdale
Pendragon cast:
Swale flu:
Mallerstange
Mallerstange forest
Huseat morvill hill
Sedber
Garstall
Dent
The countye stone
Barborn cha
Lake
Irebye
Burrow
Burton
Thurland cast:
Hornbye cast:
Scala
Miliarium
Christophorus Saxton scripsit
William Kip sculpsit

WESTMORE-LAND.



AD extremos Lancastrenses succedit magis in Septentrionem altera Brigantum regiuncula, Latinis *Westmorlandia*, nobis *West-more-land*, & scriptoribus nonnullis recentioribus *Westmaria*, ab Occasu, & Borea *Cumberlandia*, ab Ortu Eboracensi & Dunelmensi agro terminata. Quæ quia tota inter montes altè pertingentes sit sita, (Appenninus enim noster hic magis magisque in latitudinem excurrit) & magna ex parte inculta iaceat, hoc nomen in nostra lingua inuenit. Loca etenim inculta, & quæ non facilè agricultura subleuari possint, *Mores* Angli Septentrionales vocant, & *West-more-land* nihil aliud est nobis, quàm *inculta ad Occasum regio*. Ex venerandæ igitur antiquitatis schola illud de Mario Rege eijciatur somnium, quem Pictos contudisse, & de suo nomine hanc regionem denominâsse resupini nostri historici per quietem viderunt.

Pars huius Australior, quæ angustiori spatio inter *Lonum* fl. & *Winander-mere* nonnulla ex parte concluditur, satis ferax in vallibus habetur, licèt & suas asperas, glabrasque cautes ostendat, vnoque nomine, *The Baronie of Kendale*, id est, *Baronia de Kendale*, siue *Candalia*, id est, *Vallis ad Canum* nominatur, *Can* enim flu. qui saxis asperatus hanc vallem perstringit, nomen indidit, ad cuius occiduam ripam frequentissimum opidum *Candale*, siue *Kirke by Candale*, id est *Ecclesia in valle ad Canum*, duabus productis plateis se intersecantibus sedet, lanificij gloria, & industria ita præcellens, vt eo nomine sit celeberrimum. Incolæ enim copiosam per vniuersam Angliam laneorum pannorum exercent mercaturam. Suoque honori imprimis esse existimant, quòd suos Barones, & Comites habuerint. Barones ex stirpe Iuonis *Taleboys*, è cuius posteris Guilielmus, annuente Rege Henrico Secundo vocauit se Guilielmum de *Lancaster*, cuius neptis & hæres Gilbertum filium Rogeri *filij Keinfridi* maritum assumpsit, per cuius filias (filio Guil. defuncto) migrauit hæreditas ad Petrum *Brus* D. de *Skelton* eius prænominis secundum & Guil. *Lindesay*, ad quem materna origine Ingelramum Dominum de *Coucy* in Gallia genus retulisse ex historia Monasterij *Fornesij* accepimus. Per huius Petri *Brus* filiam sororem & hæredem Petri *Brus* Tertij deuenit hæc Baronia ad *Rossos* de *Werke*, & ab illis ad *Parros* iure hæreditario hic honos deuolutus est, quorum castrum è regione opidi vetustate iam consenescit: Comites verò tres, Ioannem Ducem Bedfordiæ à fratre Rege Henrico Quinto eo honore auctum, Ioannem Ducem Sommersetti, & Ioannem de *Foix* ex illustrissima Fuxensium in Gallia familia quem Henr. Sextus ob fidelem in Gallico bello operam eò dignitatis extulerat. Vnde fortassis est quòd aliqui ex hac Fuxensi familia in Gallia etiamnum de *Candalia* denominentur. Nec aliam quod scio vetustatis gloriam vendicat *Candalia*. CONCANGIOS tamen olim Romanorum stationem fuisse opinatus sum, sed iam rectiùs docuit dies. Inferiùs in *Can* flumine duæ sunt * Catadupæ vbi vasto cum murmure aquæ præcipitantur, altera est ad *Leuens* viculum, alterum magis ad Austrum prope *Betham* quæ quasi certa prognostica sunt vicinis: cùm enim borealis clariùs insonare auditur, serenitatem, cùm australis, imbres & nebulas certò expectant. Hæc in Australi & angustiori parte huius regionis, quæ ad Occasum *Winster* amne, & spatioso quem modo dixi Lacu *Winander-mer* ad Ortum *Lono* siue *Luno* flumine terminatur.

The Baronie of Kendale.

Domini Candaliæ.

Historia Fornesiensis.

Familia de Lancaster.

Comites Candaliæ.

Catadupæ.

The Forses.

Ad superiorem angulum lacus *Winandermer* quasi proiectum antiquæ vrbis cadauer iacet magnis mœnium, & extra mœnia ædificiorum multis diuulsis ruderibus adhuc extantibus. Propugnaculum eius fuit oblongum fossa & vallo munitum, in longitudine enim CXXXII. vlnas latitudine LXXX. occupauit. Romanorum opus fuisse lateres Britannici, cæmentum lateritijs frustulis intritum, vrnulæ, vitrea vascula, Romanorum numismata sæpiùs inuenta, lapides rotundi instar molarium è quibus coagmentatis columnæ olim extructæ, & stratæ viæ ad hanc ducentes clarè loquuntur. Nomen autem antiquum disperijt, nisi cum hodie *Amblesíde* vocetur, quis AMBOGLANAM esse, cuius meminit Notitiarum Liber, coniectando suspicetur.

Amblesíde.


Amboglana.

Ad

Ad Ortum *Lonus* limitis vice fungitur, tractumque adiacentem suo ex nomine *Lons-dale* insignit, .i. *Vallis ad Lonum*, cuius primarium est opidum est *Kirkby Lons-dale*, quò ad sacra & ad mercatum populus circumuicinus confluit. Supra *Loni* siue *Luni* fontes latiùs se explicat regio, multisque gyris, & flexibus montes excurrunt, quibus interiacent alicubi conualles prærupta altitudine, crebris locis speluncarum in modum subruptis. *Eden* flumen nobile, qui Ptolemęo ITVNA, caput in Eboracensi agro tollens, primùm languida aqua, sed sensim confluentibus riuulis increscens, inter hos montes iter quęrit in Occasum ęstiuum, per *Pendragon* castrum, cui pręter nomen & saxorum struem nihil reliquit ęui vetustas, inde per *Wharton hall* sedem Baronum de *Wharton*, quorum primus erat Thomas ab Henrico VIII. ad eam dignitatem euectus, cui successit eiusdem nominis filius, & illi qui nunc floret tertius Baro Philippus, vir honoratissimus. Posteà per *Fanum Stephani* vulgò *Kirkby Stephen* forum notum defluit, & *Musgraue* viculum vnum & alterum, qui bellicosę *Musgrauiorum* familię nomen dederunt, è qua Edwardo Tertio regnante Th. *Musgraue* ad Parlamenta solenni rescripto inter Barones vocatus floruit, & *Heartly* castrum vicinum incoluerunt. Eden flu. Ituna fl. Wharton hall Barones Wharton. Musgraue. Heartly castle

Hic aquas *Ituna* quasi remoratur, vt alijs riuulis consocietur, quorum vni, vix duobus mill. pass. ab ipso *Ituna* VERTERAE incubuerunt priscæ memoriæ opidum ab Antonino, & Notitiarum libro memoratum, qui innuit Romano imperio iam declinante Romanum Præfectum ibi cum Directorum Numero egisse. Nunc verò ipsum opidum in tenuem vicum exiguo propugnaculo munitum, & nomen in *Burgh* abijt, nostrates enim *Burgh vnder Stanemore*, id est, *Burgus sub Saxeto*, nuncupant. Sub posterioribus Imperatoribus, & notasse semel lubet, Castella parua oportuna bello, & annonæ copia munita *Burgi* dici cœperunt, nomine nouo quod post translatum in Orientem imperium à Græcorum Πύργῳ Germani & alij mutuò sumpsisse videantur. Vnde & Burgundiones nomen quia *Burgos* incoluerunt, sic enim illa ætas crebra per limitem dipostia habitacula vocauit. Nec aliud de illo legi, quàm quòd inchoato Normannorum imperio coniurationem in Guilielmum Normannum hic Angli habuerint. *Burgum* hunc VERTERAS fuisse vel affirmare ausim, quod distantia hinc à *Leuatris*, illinc à *Brouonaco* in Italica resoluta milliaria exactè Antonini numeris respondeat, quódque via militaris Romanorum suo aggere etiamnum conspicienda hàc ducit ad BROVONACVM, per ABALLABAM cuius meminit liber Notitiarum, quæ adeo incorrupto hactenus mansit nomine, vt ipsa se clarissimè ostendat, & omnem quodammodò scrupulum eximat. Pro ABALLABA, enim nos *Apelby* contractè vocamus. Sola huius vetustas & positio est suspicienda, nimirum Romano sæculo statio erat Maurorum Aurelianorum, & agro non inamœno *Ituna* flumine ferè circumfusa: sed ita infrequens est, & tenui structura, vt nisi vetustate meruisset primariam regionis censeri opidum, & iuridicos conuentus, siue *Assisas* in suo castro habere, quod publicum est maleficis ergastulum, parùm admodum à vico abesset. Tota enim pulcritudo in vna latiori consistit platea, quæ à Septentrione in Austrum facili colle ascendit, in cuius parte superiori castrum flumine fere totum circumdatum eminet. In inferiori templum, sita est & schola quam Robertus *Langton*, & Milo *Spencer* Legum Doctores fundarunt, cuiq; merita cum laude præest Reginaldus *Bainbrigg* vir doctissimus qui plurimas antiquas inscriptiones nobis pro candore suo descripsit, & nonnullas in hortos suos huc transtulit. Nec immeritò sanè hanc, vti & *Burgum*, quem dixi, *Regias munitiones* vocat Guilielmus Neubrigensis, vbi memorat Guilielmum Scotorum Regem illas ex improuiso cepisse, paulò antequam ipse apud *Alnewick* caperetur. Quæ Rex Ioannes posteà recepta Ioanni de *Veteriponte*, siue *Vipont* ob operam egregiè præstitam liberaliter donauit. Verteræ. Burgh vnder Stanemore. Burgus. Vegetius lib. 4. cap. 10. Orosius. Aballaba. Apelby.

Intento hinc cursu in Occasum æstiuum fertur fluuius per *Buley* castrum Episcopi Carleolensis, & *Kirkby Thore*, sub quo magna rudera vetusti opidi visuntur, Romanique nummi subinde eruuntur, & hæc non ita pridem inscriptio:




Whellep castle. Gallatum.

Nomen autem vetustum penitùs obliterauit ipsa vetustas *Wheallep-castle* hodie nuncupant. Si per Antiquitatis prætorem liceat, dicerem esse GALLAGVM Ptolemæi, quod Antonino GALLATVM, suffragante itineraria distantia, nec prorsus reclamante nomine. Quæ enim à *Gall* Britanni inceperunt, in *Wall* conuerterunt Angli. sic GALENAM *Wallingford*, & *Gall-Seuer*, *Wall of Seuer*, &c. dixerunt. Melioris olim notæ proculdubio fuit cùm hinc ad *Caer-Vorran* iuxta murum Picticum via lapidibus constrata *Maiden way* vocant, quà vliginosi magno gradu excurrunt montes per XX. plùs minùs milliaria. quasi rectà ducit, Ad quam stationes & Mansiones ab Antonino in nono Britanniarum itinere sitas fuisse libens existimarim etsi loca nemo signauerit; nec mirum cùm Temporis omnia conficientis & consumentis tot iam seculis fuerint pabula.

Maiden way.

Iuxtà ad *Crawdundale-waith* fossæ, valla, & aggestæ moles apparent: & inter ea hæc Romana inscriptio (quam mihi descripsit, quem dixi Reginaldus *Bainbrig* Gymnasiarcha Applebeiæ) in aspera rupe excisa fuit, cuius pars prior vetustate omnino exesa.




Id est, vt ego lego, ---- *Varronius Præfectus legionis vicesimæ Valentis Victricis* ---- *Aelius Lucanus Præfectus legionis secundæ Augustæ, castra metati sunt*, vel aliquid tale. Legio enim vicesima Valens Victrix quæ suam sedem DEVAE .i. *West-chester*, & Legio Secunda Augusta quæ suam ISCAE .i. *Caer-Leon* in Wallia sedem habuit, euocatæ contra hostes in hac parte, hic substitisse, & sua statiua castra aliquandiu habuisse videantur, Præfectosque ad rei memoriam hoc in rupe insculpsisse. Tempus non facile dixerim. Ad tempus tamen designandum in vicina rupe hæ literæ grandiuscula insculptæ supersunt CN. OCT. COT. COSS. sed inter Consulum paria in Fastis nihil tale occurrit. Obseruaui tamen à Seueri ætate ad Gordianum, & posteà literam A vbique in hac insula in omnibus eius seculi inscriptionibus transuersam lineolam non habere, sed sic Λ notari.

Λ pro A.

Fertur hinc ITVNA non procul ab *Howgill* castro *Sandfordorum*, via verò militaris rectà in Occasum Æquinoctialem ducit per *Whinfield*, viuarium amplum arboribus opacum ad BROVONIACVM, XX. milliaribus Italicis, XVII. Anglicis a VERTERIS, vt posuit Antoninus, locatum, cui etiam *Broconum*, vti *Broconiacum* in Notitiarum libro nominatur, qui Numerum Defensorum hic sua habuisse statiua docet. Huius ædificia & dignitatem licèt absumpserit vetustas, nomen tamen ferè inuiolatum superest, *Brougham* enim vocamus. Hic *Eimotus* fluuius ex amplo lacu effusus, & aliquandiu hanc regionem à Cumbria diuidens, *Loderum* flumen recipit, prope cuius scaturiginem ad *Shape* quondam *Hepe* monasteriolum à Thoma filio Gospatricij filij Ormi constructum, fons est qui instar Euripi sæpiùs in die reciprocantibus vndis fluit & refluit, & ingentia forma pyramidali saxa quorum nonnulla nouem pedes altitudine, & crassitudine XIIII. recta quasi serie per mille passus æquali fere distantia disponuntur, quæ ad alicuius rei ibi gestæ memoriam propagandam erecta videantur, illa tamen temporis iniuria

Brouoniacum. *Whin* Septentrionalibus, quod Australib. *A Burr.* Brougham.

iuria omninò intercidit. Ad *Loder* eiusdem est cognominis locus qui vt *Stricland* in vicinia quæ antiquæ claritatis familijs nomina fecerunt. Supra ad *Loderi* & *Eimoti* confluentes anno ∞ I Ↄ D C I I. erutum fuit saxum his verbis Constantino Magno positum.


IMP.
C. VAL.
CONSTA-
NTINO
PIENT.
AVG.

Pientissimo Augusto.

Cùm *Eimotus* limes aliquandiu fuerit inter hanc regionem & Cumbriam, iuxta *Isanparles* rupem vicinis notissimam, quam natura difficilimo aditu varijs cauernis, & anfractuosis quasi perfugium miseris, afflictis temporibus molita est, se cum suis & alienis aquis in *Itunam* siue *Eden* post paucula mill. immergit, quando in se admiserit *Blencarne* amnem quà hac in parte Cumbriam spectat, terminalem; ad quem informes esse ruinas Castri accepi, quas pendentia mœnia *Marcantoniby* vocant, .i. *pendentia mœnia* (vt illi volunt) *Marci Antonij*. Isan-Parles. Hanging walls of Marcantoniby.

Westmorlandię Dominus primus(quod sciam)pręfuit Robertus de *Veteri Ponte*, siue *Vipont*, qui in clypeo rubro sex aureos anellos gestauit. Illi enim donauit Rex Ioannes *Balliuam & redditus de Westmorland, per seruitium quatuor Militum*, vnde *Cliffordi* eius successores ad nostra vsq; tempora tenuerunt officium *Vicecomitatus de Westmorland*. Robertus enim de *Veteri Ponte* vltimus, duas solummodo filias reliquit, Sybillam Rogeri Domini *Cliffordi* vxorem, & Idoneam Rogero de *Leybourne* enuptam. Longo post tempore Rex Richardus Secundus Radulphum de *Neuill*, siue *Noua villa* Dominum de *Raby* virum summæ & vetustissimæ nobilitatis Anglicæ ab Vchtredo Northumbriæ Comite oriundum primum Westmorlandiæ Comitem creauit, cuius posteri ex priore vxore M. filia Comitis Staffordiæ eo honore floruerunt, donec Carolus impotenti animo, & scelerata conspiratione fidem in Reginam Elizabetham & patriam exuendo clarissimæ familiæ maximum dedecus impressisset, suumque ipsius splendorem nefariè maculâsset, vnde patria profugus vitam in Belgio miserè egit, & peregit. Ex altera vxore Catharina filia Ioannis Gandauensis Ducis Lancastriæ adeò eximia fuit & numerosa propagatio nominis, vt vno eodemque fere tempore ex ea enati effloruerunt Comes Sarisburiæ, Comes Warwic. Comes Cantij, Marchio *Montis-acuti*, Baro *Latimer*, & Baro *Abergeuenny*. Fines Term. Mich. R. 6. H. 8. Insignia Vipontorum. Comites Westmorlandiæ.

In hoc Comitatu 26. numerosæ paræciæ habentur.


CVMBRIA

Sive CVMBERLANDIA
Quæ olim pars
Brigantum

SCOTIÆ PARS

OCEANVS

COPELAND



Christophorus Saxton Descripsit
Wilhelmus Kip Sculpsit



NORTHVM
BRIÆ
PARS
DVNEL:
EPISCO:
PARS
Bramiton
Penrith
Apple bye
Kirkbye steuen
WESTMORLANDIÆ
PARS
EBORACĒ
SIS
PARS
Kendall
Kendall cast:
kirkbylaundale
Kellop law hill
Tees flu:
Swale flu
Lune flu:
Borrow flu
Burbek flu
Amblesyde
Gresmere
Inglewood forest
Thirlwall cast:
Bellister cast:
Fetherstonhaugh
Williamston
Corby cast
Cumrew
Thurnbye
Shapp
Bauton
Thornthwate
Hortesheye hall
Troutbeck
Brathey
Armeside
New bridge
Carpmansell
Mesbay
PAR.S

CVMBER-LAND.



Estmorlandiæ ad Occaſum præiacet *Cumbria*, vulgò *Cumberland*, vltima in hac parte Angliæ prouincia, vtpote quæ ipſam Scotiam ab Arcto attingit, ab Auſtro & Occidente Hibernico Oceano pulſata, ab Ortu verò ſuper Weſtmorlandiam Northumbriæ contigua. Nomen ab incolis traxit, qui veri & germani Britanni fuerunt, & ſe ſua lingua *Kumbri* & *Kambri* indigitàrunt. Britannos enim diu hic inſediſſe, fremente Anglo-Saxone, hiſtoriæ teſtantur, ipſeque Marianus, qui hanc regionem *Cumbrorum terram dixit*; vt taceam Britannica paſſim locorum nomina, cuiuſmodi ſunt *Caer-luel*, *Caer-dronoc*, *Pen-rith*, *Pen-rodoc*, &c. quæ hoc planiſſimè loquuntur, & aſſertioni meæ probationem præſtant vel apertiſſimam.

Terra autem quamuis ob Septentrionalem ſitum frigidior, & ob montes aſperior videatur, ſua tamen varietate perluſtrantibus arridet. Poſt verrucoſas enim rupes, & confertos montes metallis grauidos, quibus lacus omni volatilium genere abundantes interiacent, ſuccedunt pabuloſi colles gregibus referti, quibus rurſus ſubſternuntur porrectæ planities frugibus ſatis fœcundæ. Ad hæc Oceanus, qui ad littus alliditur, piſcium optimorum innumera examina alit, & negligentiam accolis quaſi exprobrat, quod minùs gnauiter piſcaturam exerceant.

Copeland. Pars huius meridionalis *Copeland* & *Coupland* dicitur, eò quòd acuminatis montibus quos *Kopa* Britanni vocant, caput ſuum exerit, vel, vt alijs placet, *Copeland* quaſi *Copperland* ab opulenta æris vena. In hac ad ſabuloſum *Dudeni* oſtium, quo à Lancaſtrenſibus diſterminatur, *Millum* eſt antiquæ familiæ *Hodleſtonorum* caſtrum, vnde circumducto in Boream littore, *Rauenglas* ſtationem vbi & Romanæ extiterunt, vt accepi, inſcriptiones, duo riui commodè circumcingunt: *Auen-glas* nonnulli olim vocatum volunt, id eſt, *Amnis cæruleus* multaq; fabulantur de Rege *Eueling* qui hic Regiam habuit. Alter ex his riuis *Esk* dictus exoritur ad radices montis altè prærupti *Hard-knott*, in cuius vertice ingentia ſaxa & fundamenta caſtri non ſine admiratione nuper detecta fuerunt, cùm adeò ſit præceps, vt non facilè quis aſcendat. Superius *Irt* amniculus mare petit, in quo conchæ cùm rorem, quem veluti maritum appetunt, oſcitatione quadam hauſerint, fiunt grauidæ, margaritaſq; ſiue, vt cum Poeta loquar, bacchas concheas pariunt, quas accolæ cùm receſſerit aqua venantur, gemmarijque noſtri minimo ab egenis emunt, & maximo reuendunt. De his & huiuſmodi Marbodęus in iſto verſu loqui videtur:

Millum Caſtle. Rauenglas. Hard-knott. Irt. fl. Vide Plinium Margaritæ.

Gignit & inſignes antiqua Britannia baccas.


S. Bees. Iam littus in Occaſum pedetentim ſe prouehit, promontoriolumque efficit, quod *S. Bees*, pro *S. Bega* vulgò vocatur. Bega enim virgo Hibernica pia & religioſa vitam illic ſolitariam egit, cuius ſanctitati miracula adſcribuntur de tauro cicurato, & copioſiſſima niue quæ Solſtitiali die, illa precante, valles & montium ſummitates altè intexerat. Vix mille hinc paſſus *Egremont* caſtrum colli imponitur ſedes olim Guilielmi de *Meſchines* cui Rex Henricus Primus donauit, *per ſeruitium vnius Militis, vtque iret ad præceptum Regis in exercitu Wallia & Scotiæ*. Qui reliquit filiam vxorem Guilielmi *Fitz-Duncani* è Regio ſanguine Scotorum, per cuius etiam filiam hæreditas deuenit in familiam *Luciorum*, ab illis itidem per *Meltonos*, & *Fitz-Walteros* titulus *Egremontij* ad *Radcliffos* Suſſexiæ Comites deſcendit. Eo tamen Thomas *Percy* ex Regis Henrici VI. gratia aliquandiù fruebatur, ad Parlamenta nomine Th. *Percy* de *Egremont* euocatus.

Egremont caſtle. Domini Copelandiæ. Liber Inq.

Procedit hinc littus paulatim ſe ſubtrahendo, & vt ex rudetis apparet, vbicunque facilis aſcenſus erat à Romanis permunitum fuit. Vltimus enim erat Romani imperij limes, & hanc oram Scoti inprimis infeſtam habuerunt, cùm ex Hibernia in hanc inſulam quaſi belli diluuio inundarent. *Moresby* viculum vbi nauium ſtatio ex his munimentis fuiſſe


Littora munita. Moresby.

fuisse par est existimare. Multa ibi antiquitatis vestigia in hypogæis & fundamentis, multæ cauernæ quas *Picts holes*, .i. *Pictorum cauernæ* vocitant, multa inscriptorum lapidum fragmenta ibi eruuntur, quorum vnus LVCIVM SEVERINVM ORDINATVM, alter COH. VII. præ se fert, Et hanc aram, cum cornuta Siluani imaguncula nuper effossam ibi vidimus:



Deo Siluano Cohors secunda Lingonum cui præest G. Pompeius M. Saturninus.

Nec non hoc fragmentum quod I. *Fletcherus* loci Dominus mihi descripsit & transmisit:



Sed nullus adhuc repertus MORBIVM fuisse docet, vbi Equites Cataphractarij meruerunt, quod nomen tamen quodammodo subindicat. Nec tacendum quod hic in proximo vidimus *Hay-castle* sua sane antiquitate suspiciendum, quod ad nobiles de *Moresby*, & *Distinton* dictos olim spectâsse retulerunt incolæ. Morbium. Hay-castle.

Post hoc *Deruentio* flumen Oceano se occulit, qui in *Borrodale* valle curuis montibus incincta exortus, inter montes *Derwentfels* vocatos serpit, in quibus ad *Newlands* & alibi, æris venæ opulentæ non sine auro & argento nostro tempore à Tho. *Thurlando*, Daniele *Hotchstetter* Germano Augustano denuò sunt repertæ, cùm iam olim innotuerint, vt ex *Claus.* Regis Hent. 3.n.18. constat. De his memorabilis disceptatio inter Sereniss. D. ELIZABETHAM Reginam, & Thomam *Percium* Northumbriæ Comitem, cuius hæredium terra fuit, intercessit, sed ratione regiæ prærogatiuæ & quod auri & argenti in illis venæ, lis secundum Reginam data. Tantùm abest vt verum sit hoc Ciceronis in Epistolis ad Atticum, *Illud cognitum est, neque argenti scrupulum esse vllum in insula Britannia*. Nec Cæsar si has fodinas nosset, Britannos importato ære vti scripsisset, cùm hæ & aliæ ærariæ non solùm vniuersæ Angliæ sufficiant, verumetiam magna vis quotannis exportetur. Hic etiam passim reperitur terra illa metallica, siue saxum induratum & micans, nobis *Black lead* dictum, quo ad ducendas lineas, & monochromata pictores vtuntur. Quod an sit Dioscoridis Pnigitis, vel Melanteria, vel ochra terra calore in nigrum adusta, aut veteribus incognitum, non facile dixerim, & perquirant alij. Per hos montes lapsus *Deruentio* in lacum spatiosum diffunditur, *prægrande stagnum* vocat Beda, in quo tres eminent insulæ, vna domicilium habet equestris familiæ Ratcliffforum, altera à Metallicis Germanis habitabatur, tertia illa existimatur in qua S. Herbertum heremeticam vitam duxisse scribit Beda. In huius margine agro satis læto, quem roscidi montes circumuallant, & *Skiddaw* mons æditus ab Aquilone defendit, *Keswike* opidulum mercatorium iacet, æraria sectura ante multos annos notum, vt in Charta quadam Regis Edwardi Quarti videre est, & hodie Metallicorum habitatio. Ius verò mercatus ab Edwardo primo Thomas de *Derwentwater* loci Dominus impetrauit, à quo hæreditario ad Ratcliffos deuenit. *Skiddaw* vero mons ille, de quo dixi, sublimè in nubes biceps quasi

Æris fodinæ. Auri & argenti venæ. Blacke Lead. Keswike. Skiddaw mons excelsus.

Parnassus

Anandall. Parnassus adeò surgit, & *Scruffell* montem in * *Anandia* Scotiæ quasi æmulus prospicit, è quibus prout nubes vel ascendunt, vel descendunt præsagia de aëris mutatione captant accolæ, & vulgò cantitant,

—— If Skiddaw hath a cap
Scrufell wots full well of that.

Vti etiam de huius, & aliorum duorum in tractu montium altitudine dictitant

Skiddaw, Lauuellin, and Casticand,
Are the highest hils in all England.


Hinc *Deruentio* modò ripis arctatus, modò alueo laxatus rapidissimè in Septentriones prouoluitur, vt *Cokarum* recipiat. Qui confluentes *Cokarmouth* forum copiosum, castrumque Comitum Northumbriæ ferè circumluunt. Opidum eleganti satis structura, sed humiliori situ inter duos colles subsidet, quorum alteri Ecclesia, alteri è regione castrum imponitur firmissimum, cuius porta prætendit arma gentilitia *Moltonorum*, *Humfranuillorum*, *Luciorum*, & *Perciorum*. Huic vltra flumen ad alterum milliare obiacet antiqui castri cadauer, *Papcastle* vocant, cui Romanam vetustatem monumenta non pauca adstruunt. An hoc fuerit *Guasmoric*, quod Ninnius author est Guortigernum Regem prope *Lugaballiam* ædificasse, & veteres Anglos *Palmecastle* vocâsse, non facilè dixerim. Vbi inter plura vetustatis monumenta inuentum fuit vas patens è saxo subuiridi, imagunculis affabrè exsculptum, quod siue labrum fuerit ad lauandum, siue Baptisterium, vel (vt ille vocat) Regenerationis Sacrarium, cui vsui hodie seruit ad *Brid-kirke*, id est, Brigidæ fanum quod adsitum, non dixero. Picturis virorum Sanctorum Baptisteria fuisse exornata vt emergentibus è sacro fonte eorum facta imitanda proponerentur legimus. Certè præter picturas hæ peregrinæ literæ ad hoc visuntur.

Cokarmouth

Guasmoric.

S. Ambrosius Baptisterium

Paulinus.



Quid autem illæ velint, & cuius gentis characteres, ego minimè video, statuant eruditi. Primus autem & octauus non multum abludit ab eo quo à Constantini Magni tempore Christiani vsi sunt pro nomine Christi. Figura autem non potestate reliqui proximè accedunt ad illos qui cernuntur in tumulo Gormonis Regis Danorum apud *Ielling* in Dania quem Petrus Lindebergius in lucem anno cIↃ IↃ xci. ædidit.

Hæc quæ modò dixi, vnà cum quarta parte Baroniæ de *Egremond*, *Wigton*, *Leusewater*, *Aspatric*, *Vldal*, &c. luculentissimo patrimonio Matildis *Lucy*, (quæ hæres Anthonij *Molton* siue de *Lucy* fratris sui) Henrico Percio Northumbriç Comiti coniugi dedit, & quamuis ex illo nullam susceperit prolem, Perciorum tamen familiam sibi hæredem scripsit, ea lege vt *Luciorum* insignia tres scilicet Lucios pisces in rubro cum ipsorum

Arma Luciorum & Perciorum.

rum

rum clypeo gentilitio variarent, vel vt ex Autographo loquar, *Sub conditione deferendi arma sua de rubro cum tribus Lucijs, vnà cum Armis de* Percy, *aureis scilicet, & Leone Azureo quarteriatim, per finem leuata.* Adunatis postea aquis *Deruentio* Oceano se submittit, ad *Wirkinton*, Salmonum piscatura nobile. Nunc sedes est antiquæ equestris familiæ *Curwennorum*, qui genus à Gospatricio Northumbriæ Comite repetunt, cognomen à *Culwen* Gallouidiæ familia cuius hæredem duxerant, ex conuentione acceperunt, suasque hic instar castri ædes habent magnificas, & à quibus nobis, absit verbo inuidia, genus maternum.

Arma Luciorum & Perciorum.

Wirkinton.

Culwen, vulgò *Curwen*.

Hinc murum ad defendendum littus quatuor plus minùs mill. pass. commodis locis ductum fuisse credunt nonnulli, à Stilicone cùm ex Hibernia Scoti hæc littora infestarent. Sic enim de se Britannia apud Claudianum.

Sub Honorio & Arcadio.

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Muniuit Stilico, totam cùm Scotus Hibernem
Mouit, & infesto spumauit remige Thetis.

Adeò etiam continuæ sunt parietinæ ad *Eleni* ostium, *Elne* nunc nominant, qui non longum permensus iter ad fontes *Ierby* habet, forum non minimum. ARBEIAM fuisse iudicamus vbi Barcarij Tigrienses stationem egerunt, & ad ostium *Elenborrough*, id est, *Burgus ad Elenum*, vbi cohors prima Dalmatarum cum suo præfecto olim stationem habuit. Situm habuit in colle satis ædito, longe in mare Hibernicum prospectat, sed iam seges est eo loci quo opidum fuit, eiusque vestigia planè se exhibent, cryptæ antiquæ sunt apertæ, multæque hîc aræ, inscripta saxa, & statuæ eruuntur. Quæ vir optimus I. *Sinhous* in cuius agris effodiuntur, diligenter custodit, & per ædes disposuit. In media area erigitur pulcherrima ex rufescente saxo forma quadrata ara affabrè artificio antiquo exsculpta, pedes plùs minùs quinque alta, & optimo charactere inscripta, sed ecce ipsam & singula eius latera graphicè descriptam manu Roberti Cottoni de *Connington*, viri Equestri dignitate, antiquitatis cultoris summi, cùm nos vnà studio patriæ illustrandæ has regiones non sine dulcissimo animi pabulo anno Salutis CIↃ Ↄ XCIX. perlustrauimus. Nec enim possumus non grata memoria prosequi optimum illum quem dixi virum, non solùm quòd nos hospitio benignissimè singulari cum humanitate excepit, sed etiam quòd ipse non indoctus antiquarum literarum sit admirator, & has inscriptiones, quæ ab alijs imperitis per hanc regionem statim comminuuntur, & in alios vsus summo cum antiquitatis detrimento transferuntur, diligentissimè conseruat.

Ierby.

Arbeia.

Elenborrough.


GENIO LOCI
ET FATO BONO
G. CORNELIVS
PEREGRINVS
TRIB. COHORT
EX PROVINCIA
MAVR. CAES
DECVR
VOLANTII VIVAS
I. O. M
ALA
BELATV
CADRO
IVLCI
VILIS
OPT
VSLM
ACILIANVS
PRÆ.

In inscriptione planissima sunt omnia, in penultima linea tantùm (ET & AEDES) implicatione literarum leguntur: vltima pars mutila, fortasse integritati suæ sic restituenda, DECVRIONVM ORDINEM RESTITVIT &c. Decuriones verò erant in Municipijs, qui Romæ, & in Colonijs Senatores. Sic dicti quia officium curiæ administrarunt, vnde etiam Curiales nominati; quia ciuilia munera procurarunt. Decuriones. Isidorus lib. 9.

In parte huius Aræ auersa superiori margine, vt vides, leguntur, VOLANTII VIVAS. Quæ duo verbula me anxium habent, nec interpretari possum, nisi Decuriones, Equites, & Plebs (ex his enim constabat Municipium) G. Cornelio Peregrino (qui domus, ædes & Decuriones restituit) votiua fuerit inscriptio: vt vir tam beneficus VOLANTII viueret. Hinc si coniecturæ sit locus VOLANTIVM olim huic loco fuisse nomen arbitror. Volantium. Subtus exsculpuntur victimaria instrumenta, dolabra & secespita. In sinistro latere Malleus, & Præfericulum. In dextro latere Patera, Discus & Pyrum, si quid video, vel vt alijs placet, Aquiminarium. Hæc enim erant vasa sacrificijs destinata, & præterea alia, vt Simpulum, Thuribulum, Futile, Apex sacerdotalis, &c. quæ in aliarum ararum lateribus hoc tractu expressa vidimus. Secunda Ara quam hic adiecimus, fuit effossa apud *Old Carlile*, & nunc extat in ædibus *Barhousiorum* ad *Ilkirk*, inscripta fuit eo literarum implexu quem sculptor hic satis graphicè expressit, & sic legenda videntur, Aræ Paganorum.

Ioui optimo Maximo. Ala Augusta ob virtutem appellata, cui praeest Publius Aelius, Publij filius Sergia Magnus de Mursa ex Pannonia inferiore Praefectus. Aproniano (& fortasse) *Bradua Consulibus.* Sub Commodo, Anno Christi 193.

Tertia Ara Deo Topico Belatucadro inscripta sic legenda;

Belatucadro Iulius Ciuilis Optio, id est, Excubijs Præfectus, *votum soluit libens meritò.*

In quarta Ara, quæ pulcherrima, nihil subest difficultatis, & sic se habet;

Dis, Deabusque Publius Posthumius Acilianus Praefectus Cohortis primae Delmatarum.

Huiusmodi aras (nec notasse veteres ritus pigeat quos iam olim sacratissima Christi religio profligauit) vti & victimas, atque seipsos frondibus coronare solebant, ad eas thure & vino supplicare, hostias immolare, ipsasque aras inungere. De quarum demolitione, inualescente Christi religione, Prudentius: Aræ Gentilium.


Exercere manum non pœnitet, & lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueuerat error
Fasciolis, aut gallinae pulmone rigare,
Frangitur ---


Has etiam subiectas inscriptiones ibi vidimus:


PRO SA-----------------
ANTONINI AV-PII F---
P. AVLVS -P. F. PALATINA *Publij Filius.
POSTHVMIVS ACILIANVS
PRÆF. COH. I. DELMATAR.


* Dijs manibus.


*Faciendum curauit.











Lapis hic etiam cernitur affabrè exculptus in quo duo Genij alati sustinent corollam, vt hic exhibetur.



Id est, *Victoriæ Augustorum Dominorum nostrorum.*

Moricambe.

Holme. Cultraine.

Michael Scotus.

Castra exploratorum. Vide de Areanis postea in Muro Pictico.

Cum paulisper littus hinc rectà perrexerit, sinuato & incuruato æstuario ita reflectitur, vt videatur esse MORICAMBE illud, quod apud Ptolemæum hoc in loco statuitur. Ita loci ingenium, & nomen quadrant, Æstuarium enim est incuruum, & *Moricambe* mare incuruum Britannicè significat. Ad hoc *Cœnobium de Vlmo*, vulgò *Holme Cultrain* posuit Dauid Primus Rex Scotorum, & Cœnobiarchæ *Vulstey* propugnaculum vicinum in gazophylacium, & librorum diplomatumq; receptaculum contra repentinas Scotorũ incursiones excitarunt, in quo occulta opera Michaelis Scoti cum blattis rixari aiunt, qui religiosam vitam hìc professus & Mathematicis studijs artibusque abstrusis ita immersus circa annum CIϽCCXC. vt Necromantici opinionem apud vulgus consequutus admiranda confecisse vana credulitate perhibetur. Sub hoc monasterium illi ęstuario illabitur *Wauer* amniculus, qui recipit fluuiolum *Wiza*, ad cuius scaturiginem miseræ antiquæ vrbis reliquiæ nihil extra humanitatis aliam in terris esse docent. *Old Carlile* hæc à vicinis hodie nominatur, quo nomine olim innotuit me latet, nisi CASTRA EXPLORATORVM fuerit. Distantia apud Antoninum qui non compendia viarum sectatur, sed loca clariora enumerat, tam à Bulgio, quam Lugu-vallo apposite respondet, Situs ad explorandam commodissimus, colle enim satis ędito sedit vnde circumuicina regio facile circumspici possit.

possit. Certissimum verò tamen est Alam quæ ob virtutem AVGVSTA, & AVGVSTA GORDIANA dicta hic Gordiani tempore egisse, vt ex his inscriptionibus constat quas in proximo vidi. Ala Augusta Gordiana. Apud Ilkirk.

*I O M
ALA AVG. OB
---RTVT. APPEL. CVI
PRÆEST TIB. CL. TIB. F. P
IN- G- N IVSTINVS
PRAEF. *FVSCIANO
II SILANO II COS.

D M
MABLI
NIVS SEC
VNDVS
*EQVIS
ALE AVG
STE STIP

*Ioui Optimo Maximo.


*I O M
PRO SALVTE IMPERATORIS
M. ANTONI GORDIANI. P. F.
INVICTI AVG ET SABINIAE TR
IAE TRANQVILE CONIVGI EIVS TO
TAQVE DOMV DIVIN. EORVM A-
LA AVG. GORDIA. OB VIRTVTEM
APPELLATA POSVIT: CVI PRÆEST
AEMILIVS CRISPINVS PRAEF.
EQQ. NATVS IN PRO AFRICA DE
TVIDRO SVB CVR. NONNII PH
ILIPPI LEG- AVG- PROPRETO-----
ATTICO ET PRETEXTATO
COSS.

Anno Christi 243.

Aræque hinc allatæ fuerunt quæ apud *Wigton* in via eriguntur, in quarum lateribus visuntur simpulum, futile, malleus, patera, &c. sacrificatoria: literæ verò vetustate victæ omninò diffugerunt. Nec procul hinc ad viam militarem effossa fuit columna è rudi saxo, quæ Thoresbeiæ nunc cernitur, sic inscripta: Wigton. Thoresbey.


IMP CAES
M. IVL.
PHILIPPO
PIO FELI
CI
AVG
ET M. IVL. PHI
LIPPO NOBILIS
SIMO CAES
TR. P. COS...

Hanc etiam vt alia descripsit mihi Oswaldus *Dikes* verbi diuini minister eruditissimus, iamque extat in ædibus fratris eius viri clariss. T. *Dikes* apud *Wardal.*



*Pro aram ex Voto.

Alteri etiam Deo indigeti huiusmodi reperta est inscriptio,



Solway Fryth Scotia. Blatum-Bulgium. Bulnesse. Valli Principium. Solway Frith. Arbores subterraneæ.

Præter infinitas imagunculas, statuas equestres, aquilas, leones, Ganimedes, & alia vetustatis testimonia plurima, quæ quotidie occurrunt: Paulò superiùs promittitur promontoriolum, magnumque subest æstuarium modò Angliæ & Scotiæ, olim Romanæ Prouinciæ, & Pictorum diuortia aperiens. Promontoriolo huic incumbit antiquum illud opidum Blatvm-Bvlgivm (fortasse à *Bulch* Britannorum quæ interstitium siue diuortium sonat) a quo Antoninus tanquam à remotissimo loco, & prouinciæ limite Britanniarum itinera incipit. *Bulnesse* hodie incolis dicitur, & viculus est admodum exilis, qui suum tamen munimentum habet, & in vetustatis indicia præter platearum tractus, & parietinas, portum iam oblimatum, & viam hinc per littora ad *Elenborrow* vsq; stratam fuisse ferunt. Vltra hoc a i mille passus vt mari statis dimensionibus recedente ex fundamentis videre est, Vallum illud & Murus celeberrima Romanorum opera incipiunt, Romanæ Prouinciæ olim Limes, ad secludendos barbaros excitata, qui hoc in tractu Romanum imperium (vt inquit ille) circumlatrauerunt. Mirabar primùm cur hîc tanta munimenta posuerint, cum admodum magnum per VIII. plùs minùs milliaria obiaceat æstuarium, sed iam intelligo recedente æstu ita aquam decrescere, vt facilè prædones & abactores soleant transuadare. Formam littorum horum immutatam fuisse radices arborum satis procul à littore sabulo intectæ, & sæpiùs ventis æstu recedente detectæ sunt argumento. Nescio an hîc memorem quod de subterraneis arboribus sine ramis sæpius erutis ferunt, quas è roris indicio deprehendunt; solum enim cui subiacent, nunquam rore aspergi obseruarunt.

Burgh vpon sands. 1307. Moruilli dicti de Burgo super sabulones. Liber Inq.

Ad idem æstuarium interiùs est *Drumbough* castrum iampridem Dominorum de *Dacre*, olim Romanorum statio. Exploratorvm Castra fuisse, reclamante omninò distantia, aliqui volunt. Alia etiam ibi fuit Romanorum statio quæ nunc in nouum nomen mutata *Burgh vpon sands*, id est, *Burgus ad sabulum* nominatur, vnde vicinus ager *Baronia de Burgo* appellatur, quam *Meschines* Dominus Cumberlandiæ Roberto de *Triuers* dedit, ab illo verò ad * *Moruillos* deuenit, quorum postremus Hugo reliquit filiam quæ ex secundo marito Thoma de *Molton*, Thomam *Molton* procreauit Dominum huius

ius loci, cuius filius Thomas nuptijs cum hærede Huberti de * *Vallibus* possessionibus Gillesslandiam adiunxit, quæ omnes demùm ad Ranulphum de *Dacre* cum Matilde *Molton* sunt deuolutæ. Sed nulla re magis innotuit hoc opidulum, quàm quòd Edwardus Primus hostium vndique triumphator hic immatura morte diem obierit. Princeps longè clarissimus, in cuius fortissimo animo hospitium meratus est Deus dignissimum, vt Regiæ maiestatis apicem, non solùm fortitudine, & sapientia, sed decore etiam, & corporis dignitate adæquarit. Quemque fortuna primo ætatis flore plurimis bellis & difficilimis Reipublicæ temporibus exercuit, dum Britannico imperio aptarit: quod cùm Rex inauguraretur, ita administrauit, deuictis Wallis, & superatis Scotis; vt alterum Britanniæ ornamentum optimo iure habeatur. Sub hoc *Burgo*, in ipso æstuario Scotos & Anglos, & classe, & reuerso æstu, equitatu decertasse ferunt incolæ, quæ res perinde mira videatur, quàm quod Plinius non sine admiratione de simili in Caramania loco retulit. *Solway frith*, id est, *Fretum Solway*, vtrique genti dicitur hoc æstuarium à *Solway* Scotorum opido apposito. Sed rectiùs Ptolemæo ITVNA dicitur. *Eiden* etenim egregium flumen, qui Westmorlandiam & interiora huius regionis pererrat, maximam aquarum molem in illud effundit, nondum oblitus quàm ægro nixu inter congesta Scotorum cadauera, anno salutis CIↃCCXVI. eluctaretur, cùm illos præda ex Anglia onustos hauriret, & suis fluctibus prædatoriam illam manum submergeret.

Ituna verò hic siue *Eiden* vbi hanc regionem adierit, ab Occasu *Eimot* flu. admittit è lacu illo *Vlse*, quem dixi, promanantem, cuius propè ripam ad *Dacor* riuulum *Dacre* castrum adsidet, nobis notum quòd familiæ Baronum de *Dacre* nomen fecerit, à Beda memoratum, quòd monasterium eo tempore habuerit, vti etiam à Malmesburiensi, quòd Constantinus Rex Scotorum, & Eugenius Rex Cumbrorum, se cum suis regnis Athelstano Anglo ibi in tutelam dediderint.

Haud multò superiùs, parùm etiam ab *Eimoti* & *Loderi* confluentibus vbi rotundum vallum quod *Arthuri Tabulam* vocent incolæ, abest *Penrith*, id est, si è Britannica lingua interpretaris, *Caput*, vel *collis ruber*. Rubet enim terra & saxa è quibus construitur, vulgo autem *Perith* dicitur. Emporiolum celebre, ad occiduam plagam Castro Regio firmatum quod regnante Henrico Sexto è ruinis Romani munimenti *Maburg* in vicinia fuit restauratum, templo satis pulchro ornatum, forumque est amplum & ligneum in eo ædificium in vsum confluentium ad mercatum, vrsis ad nodosum stipitem quæ fuerunt insignia Comitum Warwicensium exornatum. Olim ad Episcopos Dunelmenses spectauit, sed cùm Antonius Beccus Episcopus nimia opum affluentia inflatus insolesceret, *abstulit ei Edwardus Primus* (vt in Dunelmensi libro legimus) *Werk in* Tuidalia, *Perith, & ecclesiam de Simondburne.* In eius tamen vsum W. *Stricland* Episcopus Carliolensis è clara hoc in tractu stirpe suo sumptu incile duxit è *Pete-rill*, i. è *Petero fluuiolo*, qui ad suam ripam *Plompton parke* habuit, viuarium amplum quod olim Reges Angliæ ferarum, sed Henr. VIII. hominum habitationi prudenter dicauit, cùm in regnorum Scotię & Anglię sit ferè collimitio. Ad hoc dirutę vrbis reliquias multas vidimus, quam illi ob viciniratem *Antiquum Perith* nunc vocant, PETRIANAS ego iudicarim. Alam enim Petrianam hîc egisse euincit Inscriptionis antiquæ fragmentum, quam Vlpius Traianus Emeritus Alę Petrianę posuit. Sed ecce illam, & alias quas hic descripsimus,

* Vaulx.

Edwardus Primus.

Solwey Frith.
Ituna.
Eiden fl.
Hist. Malrosf.


Dacre.
Barones Dacre.

Perith.

Haia de Plompton olim dicta.


Petriana.






* Annos.

* Forte Faciendum procurauit.


D M
FL MARTIO SEN
IN *C CARVETIOR
QVESTORIO
VIXIT AN XXXXV
MARTIOLA FILIA ET
HERES PONEN
*-------------- CVRAVIT

*Fortè in Cohorte.

*Dum.


D M CROTILO GERMANVS VIX
ANIS XXVI. GRECA VIX ANIS IIII
VINDICIANVS *FRA. ET FIL. TIT. PO.

*Fratri & filiç titulum posuit

Cùm *Eimotum* influentem *Ituna* iam receperit, obscurioribus viculis, & propugnaculis affusus in Septentriones contendit per vtramque *Salkeld*. Ad minorem autem in modum coronæ eriguntur septuaginta septem saxa, singula decem pedes alta, & ante ea in ingressu singulare, XV. pedes in altitudinem surgit. Hoc vulgus vicinum *Long Megg* vt reliquas eius filias vocitant, duoque sunt intra circulum lapidum cumuli, sub quibus occisorum cadauera tegi perhibent. Et sanè par est existimemus hoc victoriæ alicuius fuisse monumentum.

Kirk-Oswald. Inde transit *Ituna* per *Kirk-Oswald* S. Oswaldo sacrum, possessionem olim Hugonis illius *Mornill* qui cum socijs Thomam Archiepiscopum Cantuariensem occidit, & in facti memoriam diu ensis quo tunc vsus erat hic asseruabatur, per *Armanthwayte* (Armanthwate.) castrum *Skeltonorum*, *Corby* castrum nobilis & antiquæ familiæ *Salkeldorum* (Corby castle.) quæ plurimum aucta nuptijs cum hærede de *Rosgill*, *Wetherall* (Wetherall.) olim monasteriolum quod Abbatiam S. Mariæ Eboraci matrem agnouit, vbi in rupe habitacula quædam in perfugij locum excauata cernuntur. Inde per *Warwic* (VIROSIDVM iudico,) (Virosidum.) vbi Cohors VI. Neruiorum olim in statione per limitem Valli contra Pictos & Scotos egit, & superiori sęculo pons ibi firmissimus è saxo impensis *Salkeldorum* & *Richmondorum* constructus, *Linstock* (Linstock.) castrum Episcopi Carleolensis in Baronia de *Crosby*, (Crosby.) quam Waldeuus filius Comitis Gospatricij Dominus *Allerdallia* ecclesiæ Carliolensi concessit, truncatoque nomine pro *Olenaco* dictum suspicor: OLENACVM (Olenacum.) enim ad lineam valli, vbi Ala prima Herculea militauit contra barbaros, fuisse videatur. Iam *Ituna* se in suum æstuarium immersurus duos simul fluuios accipit, *Peterillum* scilicet & *Caudam*, qui pari spatio discreti, ab Austro quasi gradus conferunt. Ad *Peterillum* præter PETRIANAS quas diximus, *Greistocke* (Greystock.) est illustris iam pridem familiæ castrum, quæ à Ranulpho quodam *filio Walteri* originem traxit, (Genealogia antiqua.) ex cuius posteris Guilielmus de *Greystock* duxit Mariam filiam & alteram hæredem Rogeri de *Merley* Domini de *Morpath*, illi natus filius Ioannes, (Barones de Greystock.) qui cùm prole careret, licentia ab Edwardo Primo impetrata, hæreditatem transcripsit in Radulphum de *Granthorpe* filium Guilielmi ex eius amita natum, cuius progenies diu summo in honore floruit, circa Henrici verò Septimi tempora desijt, & ad Barones de *Dacre* per nuptias venit hæreditas, vltimi verò Baronis de *Dacre* hæredes *generales* duobus Thomæ *Howard* nuper Ducis Norfolciæ filijs fuere enuptæ.

Æris fodinæ. Ad *Caudam* præter æris fodinas ad *Caudebeck*, *Highyate* Richmondorum castrum, & nitidum Carliolensis Episcopi castrum, *The Rose castle* dictum, CONGAVATA (Congauata.) etiam fuisse

fuisse videtur, vbi Cohors Secunda Lergorum stipendium meruit, *Congauata* enim vallis ad *Gauatam*, quam in *Caudam* nunc contraxerunt, Britannis significat. Sed huius locum digito designare nondum potui. Inter horum confluentes optima & longè amœnissima positione vrbs vetustissima *Carlile* interponitur, à Septentrione * *Ituna* alueo, ab Ortu *Peterillo*, ab Occasu *Cauda* munita, & præter hæc defendentis naturæ munimenta, firmis mœnibus è saxo, castello, & *Citadella*, quam vocant, armata. Forma iacet oblongior ab Occasu in Ortum procurrens, ad Occidentem est castrum satis magno ambitu, quod Regem Richardum Tertium instaurasse ex insignibus apparet, in media fere vrbe exurgit templum cathedrale, cuius superior pars recentior artificio est admodum elegante, inferior tamen multò vetustior. Ad ortum verò *Citadellâ*, quam propugnaculis varijs firmo opere posuit Rex Henricus Octauus, defenditur. Romani & Britanni hanc LVGV-VALLVM, & LVGV-BALLIVM, siue LVGV-BALIAM, Saxones, teste Beda, *Luell*; Ptolemæus (vt nonnullis visum) LEVCOPIBIAM, Nennius *Caer Lualid*, ridicula Britannorum vaticinia *Vrbem Duballi*, nos *Carlile*, & Latini *Carleolum*, recentiori vocabulo dixerunt. Luguballiam enim & Carleolum eandem fuisse vno ore consentiunt historici nostri. Sed in Etymologia rimanda, Deus bone, quàm obnixè sudauit Lelandus noster, eò tandem adactus, vt crederet Itunam *Lugum* dictum fuisse, & *Ballum* à valle descendisse, vt *Lugu-vallum* sonet *vallis ad Lugum*. Ego autem, liceat & mihi meam proferre coniecturam, *Vallum* illud & *Vallia*, à nominatissimo illo Romanorum Vallo militari quod sub vrbe cernitur deductum asseuerarim, LVGV-VALLVM enim AD VALLVM Antonino dicitur. Murus enim ille Picticus, qui Seueri vallo postea impositus erat, parum vltra *Itunam* siue *Eden* flumen, qui iam ponte ligneo coniungitur, ad *Stanwiks* viculum cernitur, & ipsum flumen è regione castri transijt, vbi in fluminis alueo ipsius vestigia, saxa scilicet ingentia adhuc extant. *Lugum* etiam siue *Lucum*, priscis Celtis qui cum Britannis eiusdem linguæ erant, *Turrim* significasse docet Pomponius Mela. Quod enim Antonino LVGO AVGVSTI dicitur, TVRRIM AVGVSTI vocat ille; ita vt *Lugu-vallum* sit, & sonet *Turris*, *vel munimentum ad vallum*. Ab hoc fonte si *Lugdunum* quasi *turrim in colle*, & *Lucoteciam* (sic enim quam nos Lutetiam, prisci vocârunt) quasi *turrim pulchram* deriuâssent Galli (ea enim verborum vis est in lingua Britannica) rectiùs fortasse collimâssent, quàm cùm hanc à Luto, illam à *Lugdo* fictitio Rege deducerent. Romanis temporibus hanc floruisse varia antiquitatis indicia subinde eruta, & celebris eius tunc temporis memoria satis affirmatè loquuntur. Post Picticos etiam, & Scoticos furores pristini splendoris nonnihil retinuit, & ciuitas habebatur. Anno enim Christi DCXIX. Egfridus Rex Northumbrorum Cuthberto illi sancto in hæc verba dedit. *Donaui etiam ciuitatem, quæ vocatur* Luguballia, *& in circuitu eius* XV. *milliaria*. Quo tempore mœnibus etiam firma erat. *Cuthbertum*, inquit Beda, *duxerunt ciues vt ciuitatis mœnia videret, fontemque in ea miro quondam Romanorum opere extructum*. Qui tunc, vt inquit liber Dunelmensis, *Congregationem Sanctimonialium, & Abbatissam ordinauit, scholasque ibi constituit*. Posteà à Danis ingentibus ruinis deformata, annos plùs minùs ducentos suis cineribus sepulta iacuit; donec Regis Guilielmi *Rufi* auspicijs denuo reflorescere cœpit, qui nouis ædificijs instaurauit, castrum construxit, & Coloniam primùm ex Belgis (quos meliore consilio ductus in Walliam statim transtulit) postea ex Australibus Anglis eò deduxit. *Tunc*, vt habet Malmesburiensis, *Visum erat triclinium Romanum ex lapidibus, fornicibus concameratum quod nulla vnquam tempestatum contumelia, aut ignium flamma labefactari potuit, in cuius fronte inscriptum erat* MARII VICTORIAE. Hunc MARIVM aliqui Aruiragum Britannum esse voluerunt, alij Marium illum fuisse contendunt, qui Imperator contra Gallienum salutatus, tanti roboris fuisse perhibetur, vt in digitis non venas sed neruos habuisse scriptores tradiderint. Accepi tamen in nonnullis exemplaribus concipi non MARII VICTORIAE, sed MARTI VICTORI, quod fortasse nonnullis magis arrideat & ad veritatem propiùs accedere videatur. Frequentior iam *Luguballia* suum, vt scribunt, Comitem seu veriùs Dominum habuit Radulphum *Meschines* siue de *Micenis*, à quo Cestriæ Comites prognati, & eodem tempore ab Henrico Primo in Episcopalem dignitatem euecta Athulphum primum Episcopum habuit. Quod suæ Ecclesiæ fraudi fuisse scripserunt Monachi Dunelmenses. *Cùm Ranulphus*, inquiunt, *Dunelmensis Episcopus*

Carlile.
*Eden.

Lugu-Vallum

Lucus & Lugus quid Britannis & Gallis priscis.

Lugdunum.
Lucotecia, siue Lutetia Galliæ.

Vetus Itinerarium nuper impressum, Lugdunum, *Desideratum montem* significare docet.

copus exularet, & Ecclesia defensorem non haberet, Episcopi quidam Carleil, & Tiuidale *ad suos diœceses applicauerunt.* Quomodo verò Scotus regnante Stephano hanc vrbem cepit, & Henricus Secundus recuperauit, quomodo Rex Henricus Tertius Castrum de *Carleolo*, & Comitatum Roberto de *Veteri Ponte*, siue *Vipont* commisit, quomodo CIↃCCXCII. cum Cathedrali ecclesia, & suburbijs deflagrauit, quomodo Robertus *Brus* Scotus anno CIↃCCCXV. frustrà obsedit, &c. in Annalibus satis fusè explicatur. Operæpretium tamen videtur adijcere duas quas hic vidimus Inscriptiones, alteram in ædibus Thomæ *Aglionby* prope *Citadellam*, sed deterioris seculi.

Eueriden.

DIIS MANIBV
S MARCI TROIANI
AVGVSTINANI *TVM.FA
CIENDVM CVRAVIT
AFEL. AMMILLVSIMA
CONIVX KARISS.

*Tumulum.
* Carissima.

Cui adiungitur effigies Equitis armati cum lancea, Altera verò extat in hortis Thomæ *Midleton* maiusculo & eleganti charactere.

LEG. VI
VIC. P. F.
G. P. R. F.

Id est, vt conijcio, *Legio sexta, Victrix, Pia, Felix*, cætera alius explicârit.

Andreas Harcla Comes Carleoli.

Comitem autem habuit vnicum Carleolum Andream scilicet de *Harcla* quem Rex Edwardus Secundus, vt ex ipso Creationis autographo loquar, *pro laudabili & bono seruitio impenso contra Thomam Comitem Lancastriæ & alios ipsius fautores, Regis inimicos & subditos debellando & deuictos Regi reddendo, sub honore & nomine Comitis* Carleol *gladio* cinxit in Comitem. Qui tamen perditè & perfidè ingratus fidem patriæ & Principi datam fefellit, & posteà interceptus summo cum dedecore ingratam luit perfidiam *degradatus amputatis securi calcaribus, post discinctus baltheo militari, inde calceis & chirothecis exutus, demum tractus, suspensus, decapitatus, & membratim diuisus.*

Th. Auensbury.

Ego Luguballiæ quæ Meridianum grad. XXI. scrup. XXXI. ab vltimo Occidente distantem, & Polum Borealem grad. LIIII. scrup. LV. sublimem habet, cum I. *Ionstoni* versu Encomiastico nunc valedicam.

C A R L E O L V M.

Romanis quondam statio tutissima signis,
Vltimaq; Ausonidum meta, labosq; Ducum
E specula latè vicinos prospicit agros,
Hinc ciet & pugnas, arcet & inde metus.

Gens

Gens acri ingenio, studijs asperrima belli,
Doctaque bellaci figere tela manu.
Scotorum Reges quondam tenuere beati;
Nunc iterum priscis additur imperijs.
Quid? Romane putas extrema hic limina mundi?
Mundum retrò alium surgere nonne vides?
Sit vidisse satis, docuit nam Scotica virtus
Immensis animis hic posuisse modum.

Iam *Itunam* si transmittas, *Rowcliffe* cernas proximè ripam Castellulum à Dominis *Dacre* non ita pridem ad tutelam suorum erectum. Super hoc consociatis vndis vno quasi ostio *Itunæ* æstuarium subeunt duo flumina *Esca* & *Leuen*, *Esca* è Scotia descendit, qui per aliquot milliaria Anglici se iuris fatetur & *Kirsop* fluuium in se recipit, vbi non aquis sed mutuo metu Angli & Scoti nuper separati, vterque magnarum virtutum vtrique genti testis locupletissimus. Ad hunc vbi *Netherby* viculus ex vna & altera casula iam cernitur, adeò mira & magna sunt priscæ vrbis rudera & perfluentis *Escæ* nomen ita consonat, vt ÆSICAM ibi fuisse suspicemur, in qua Tribunus Primæ Cohortis Asturum excubias olim contra Barbaros egit. Hic verò nunc princeps familiæ *Grayhamorum* quæ militari virtute inter limitaneos admodum celebris habitat, atque in ædium pariete hæc Romana legitur inscriptio in memoriam Hadriani Augusti a Legione Secunda Augusta posita: Grayhami.

IMP. CÆS. TRA.
HADRIANO
AVG.
LEG. II. AVG. F.


Vbi verò *Liddus* flumen *Escæ* confluit, *Liddel* olim erat castrum, vt accepi, & Baronia Estoteuillorum *qui terras tenuerunt in Cornagio, quas Ranulphus Comes Turgissio Brundas*, vt legitur in veteri Inquisitione, donauit, ab *Estoteuillo* verò ad *Wekos* hæreditariò, & per eos ad Cantij Comites, Ioannes autem Comes Cantij Regi Edwardo III. & Rex Richardus Secundus Ioanni Gandauensi Lancastriæ Duci concessit. Vltra hunc *Escam* etiam ager per aliquot milliaria Anglici censetur imperij, in quo *Sollem-mosse* captiuitate quamplurimum è Scotica nobilitate innotuit anno CIƆDXLIII. cùm Scoti Th. *Whartonum* huius Anglici limitis Præfectum adorturi, vbi primùm senserint Oliuero *Sincler* quem nihili æstimarunt, Regis vices, ipsis posthabitis, commissas; adeò illis stomachus erupit vt acceptam quam interpretabantur iniuriam suo dedecore & damno persequerentur, ordinibus enim confusis tumultuando omnia miscuerunt. Quod Angli è superiori loco prospicientes illicò irruunt, in fugam conijciunt; plures capiunt qui armis abiectis in Anglorum, & limitaneorum prædonum manus se pauculis militibus hinc illinc desideratis dediderunt: vnde statim animum despondit Iacobus V. Rex Scotorum, & vi mœroris animam exhalauit. Agri circumuicini *Batable ground*, id est, *Terra litigiosa* dicitur, quia de ea inter Anglos & Scotos contenditur. Accolæ enim vtrinque vt limitanei, velox, insidiosum, & expeditissimum militum genus, & velitationibus exercitatissimum. *Leuen* alterum de quo dixi flumen in ipso regnorum limite scatens nihil memorandum præterfluit præter *Beucastle* (vt vulgo vocant) Regis castrum, quod in solitaria regione militum manus tuetur. *Buethcastle* autem in publicis Actis scribitur, vt nomen factum videatur à *Bueth* illo qui hoc tractu circa Henrici Primi tempora rerum

Baronia de Lidell Lidesdall. Anno I. Ri. 2. Prælium ad Solloni mosse. 1542. Batable ground. Limitanei. Leuen. Beucastle.

quodammmodo

quodammodo potitus erat. Certò constat quòd Edwardo Tertio regnante Joannis de *Strinelin* Baronis qui filiam & alteram hæredum Adami de *Swinborn* duxit, fuerit patrimonium. In Ecclesia quæ quodammodo collapsa vice saxi sepulchralis iacet hæc vetusta inscriptio aliunde translata

Striuelin Baro.



In cœmiterio Crux in viginti plùs minùs pedes ex vno quadrato saxo graphicè excisa surgit, & inscripta, sed literis ita fugientibus vt legi nequaquam possint. Quod autem ipsa Crux ita interstincta sit, vt clypeus gentilitius familiæ de *Vaulx*, eorum opus fuisse existimare licet.


Magis ad Austrum & Occasum, interiùs iacet *Gillesllandia* Baronia, regiuncula ita impedita torrentibus, quas *Gilles* vocant, vt inde nomẽ factum iudicârim, si non legissem in libro Ecclesiæ de *Lanercost* Gillum quendam *filium Bueth*, qui etiam Gilbertus in Charta Henrici Secundi dictus fuit, hanc olim tenuisse, à quo probabile est nomen hoc inditum fuisse. Per hanc à *Carleolo* Vallum Seueri siue Murus quod celeberrimum Britanniæ monumentum recta ferè linea in Ortum procurrit per *Stanwicks* viculum, *Scalby* castrum olim *Tilliolorum*, qui olim clari hoc tractu fuerunt cognominis, à quibus ad *Pickeringos* deuenit, & inde *Cambec* riuulus Murum subit ad quem *Askerton* castellulum Barones *Dacre* construxerunt, vbi Præfectus Gillesllandiæ, *Land-Sergeant* vocant, præsidium habuit. Infra Murum *Irthingo* flumini confluit, vbi *Irthington Capitale*, vt vocant, *Manerium* huius Baroniæ de *Gillesland*, magnæque hîc ruinæ ad *Castle-steed* visuntur. Iuxtà *Brampton* tenuis est mercatus quem BREMETVRACVM suspicamur ad lineam valli, vix enim mille passus à vallo abest vbi olim egit Cohors prima Tungrorum è Germania & diuergente Romano imperio sub Duce Britanniarum Cuneus Armaturarum. Hi equites erant toti armis tecti, Duplares verò vel simplares hæ Armaturæ fuerint in dubio reliquit. Armaturas duplices illa vocauit ætas, quæ binas consequebantur annonas. Simplares qui singulas. Nec sanè tacendum quod ad *Brampton* collis surgit æditior in summitate fossa munitus, *The Mote* vocant, vnde in subiectam regionem longè latèque patet prospectus. Sub hoc & ad *Castle-steedes*, id est, *Castri locus*; vti ad *Trederman* adiunctum repertæ fuerunt hæ Inscriptiones quas mihi sua manu descripsit honoratissimus Dominus Guilielmus *Howard* de *Naworth*, illustrissimi Thomæ Ducis Norfolciæ filius tertio-genitus venerandę vetustatis cultor eximius & eruditus qui hoc in tractu iure vxoris, sororis & alterius hæredum postremi Baronis *Dacre* possidet latifundia,

Scalby castle.


Askerton.

Brampton.
Bremeturacum.
Cohors 1. Tungrorum.
Armaturæ.
Veget. Lib. 2. cap. 7.

I



Hoc etiam ibidem in Hypocausto veteri in quo malo fato nomen Legati Augusti & Proprætoris Britanniæ malè perijt.




Prope *Brampton Gelt* fluuiolus defluit ad cuius ripam in caute *Helbeck* dicta hæc hiulca leguntur à vexillatione Legionis II. Augustæ Optione fortasse, sub Agricola Proprætore posita, & cætera quæ temporis iniuria nobis inuidit.

Forte Præ-pretore,





Recentiori charactere in eadem caute etiam hæc leguntur:



Gelt hic in *Irthing* fl. se exonerat qui citatus, fremensque fertur per *Naworth* castrum, nunc Guilielmi *Howard* (quem dixi) qui restaurat, nuper Baronum de *Dacre*, quorum vltimus cùm puer ante aliquot annos diem obijsset, Leonardus eius patruus, qui maluit bello cum Principe, quàm iudicio cum nepribus de hæreditatibus conflictari, hoc castrum occupauit, & seditiosam cohortem in principem conscripsit, quam Baro *Hunsdon* cum Præsidiario Berwicensi milite magna cæde, & fuga effusiore, qua ipse etiam Leonardus sibi consuluit, faciè dissipauit. Propiùs ad Murum *Lanercost* Prioratus fuit à R. de *Vallibus Gillesland*, Domino fundatum, & ad Murum *Burd-Oswald*. Sub quo, vbi arcuato ponte *Irthingum* fl. transijt Murus ille Picticus, fuit statio Cohortis primæ Æliæ Dacorum (*Willoford* nunc loci nomen) quod Notitia Prouinciarum & inscriptæ aræ plures Ioui Optimo Maximo ab illa cohorte positæ testantur, e quibus has libet adijcere, licèt vetustate ferè sint obliteratæ.

Ioui Optimo Maximo.





I. O. M.

CoH. I AEL
DAC. C. P.
STATV LoN
GINVS, TRIB.

PRO SALVTE
D, N MAX|MANO
*FOR---- CAE
VA-----------

--------OAED

*Fortissimo Cæsari.

LEG. VI
VIC. P. F.
F.

I. O. M.
COH I AEL. DAC
TETRICIANO RO
--- C. P. P. LVTIC
----VS. DESIG
NATVS
TRIB.

I. O. M.

COH. I. AEL.
DAC. GORD.
ANA. C. P----EST.

I. O. M.


----H. I. AEL. DAC.
----C. PRAEESI --
-----FLIVS FA
-----S TRIB. ------
-----PETVO. -------
-----COS.

Primus, quem legi huius Gillestandiæ Dominus habitus erat Guilielmus *Meschines* frater Radulphi Domini Cumbriæ (non dico Guilielmum illum fratrem Ranulphi Comitis Cestriæ a quo Ranulphus de *Ruelent*, sed fratrem Radulphi) qui tamen Scotis extorquere non poterat, *Gill* enim filius *Bueth* maximam eius partem vi & armis tenuit. Post eius mortem Rex Henricus Secundus Huberto de *Vallibus* siue *Vaulx* elargitus est cuius clypeus gentilitius argento & rubro interstinctus depingebatur. Huius filius Robertus

Gillestandiæ Domini.
Ex veteri Missali.
Radulphum etiam vocat R. Cooke Clarenceux.
sic libri M. de Fontibus & Holme.

bertus Prioratum *Lanercost* fundauit & dotauit. Sed hæreditas post paucos annos nuptijs translata fuit ad *Meltonos*, & ab ijs per filiam ad Ranulphum Dominum *Dacre* cuius posteri ad nostra vsque tempora summo honore floruerunt.

Cùm iam maritima & interiora Cumbriæ quodammodo perlustrauerim, pars Orientalior macra licèt illa, ieiuna, & solitaria inuisenda superest, quæ tamen nihil exhibet præter *Tina australis* fontes in solo subuuido, & viam antiquam Romanam octo vlnas latitudine saxis constratam. *Virginum viam* vocitant, quæ ex *Westmorlandia* ducit & vbi *Alon* riuulus, & *Tina* ille confluunt, per latus collis molliter inclinatum veteris opidi permagni vestigia adhuc sunt reliqua quod ad Septentriones valló quadruplici, ad Occasum sescuplo fuit incinctum: *Whitley castle* nunc loco nomen, in cuius vetustatis testimonium hæc superest compendiosa scribendi ratione implexis literis imperfecta inscriptio, qua docemur cohortem Tertiam Neruiorum ædem Imperatori Antonino Seueri filio ibidem posuisse: *Mayden way.*


IMP. CAES. Lucij Septimi Seueri Arabici, ADIABENICI, PARTHICI,
MAX. FIL. DIVI ANTONINI Pij Germanici
SARMA. NEP. DIVI ANTONINI PII PRON.
DIVI HADRIANI ABN. DIVI TRAIANI
PARTH. ET DIVI NERVÆ ADNEPOTI.
M. AVRELIO ANTONINO PIO
FEL. AVG. GERMANICO PONT. MAX.
TR. POT. -- X -- IMP. ---- COS. IIII. P. p. --
PRO PIETATE AEDE -- VOTO-
COMMVNI CVRANTE- - - - - - - -
- - - - - - - - - - LEGATO AVG.
PR -- COH. III. NERVIO --
RVM. -- G. R. POS.

Alone. Quòd verò Cohors Tertia Neruiorum hoc in loco stipendia fecerit, quam ad ALIONEM Liber Notitiarum locat, Antoninus ALONE dixit, & riuulus hic subterlabens *Alne* nomen habet, si hoc ALONEM existimarim, verisimile, potius quàm verum videatur, cùm iniuria temporis edacis, & furor hostilis hæc ex hominum memoria iam olim expulerint.


Cumbriæ Reges. Labente Romanorum in Britannia imperio, quamuis hæc regio à Scotis, & Pictis grauissimè dilacerata fuerit, Britannos tamen primæuos incolas diutissimè seruauit, & serò in Saxonum potestatem deuenit. Cùm autem Saxonum res Danicis bellis accisa præceps iret, suos Regulos qui Cumbrorum Reges dicebantur, ad annum Domini DCCCCXLVI. habuit, quo tempore (vt inquit Florilegus Westmonasteriensis) *Rex Edmundus adiutorio Leolini Regis Demetiæ fretus, Cumbriam totam cunctis opibus spoliauit, ac duobus filijs Dummailli eiusdem prouinciæ regis oculorum luce priuatis, regnum illud Malcolmo Scotorum Regi de se tenendum concessit, vt Aquilonares Angliæ partes terra marique ab hostium aduentantium incursione tueretur.* Ex quo tempore filij Regum Scotiæ natu maximi Cumbriæ præfecti aliquandiu tam sub Saxonibus, quàm Danis dicti erant. *Cumbriæ Præfecti.* Cùm autem Normannis Anglia se dedidisset, hæc etiam pars in illorum manus concessit, Radulphoque de *Mesch nes* obtigit, cuius filius natu maximus Ranulphus fuit Cumbriæ Dominus, & materno iure, principisque gratia etiam Cestriæ Comes. Sed Stephanus Rex, vt Scotorum gratiam iniret, illis denuò reddidit, vt clientelari iure à se, & regibus Angliæ tenerent, Henricus autem Secundus, qui successit cùm hanc profusam Stephani liberalitatem sibi, & suo regno fraudi fuisse sensisset, Northumbriam, Cumbriam, & Westmorlandiam à Scoto repetijt. *Scotus enim*, vt habet Neubrigenses, *prudenter considerans Regem Angliæ in hac parte cùm potentia virium, tùm merito caussæ præstare, quamuis posset obtendere iuramentum, quod auo suo Dauidi præstitisse dicebatur, cùm*

ab eo cingulum acciperet militare: praenominatos fines repetenti cum integritate restituit, & ab eo vicissim Comitatum Huntedunensem prisco sibi iure competentem recepit.

Comites Cumbriæ ante Henrici Octaui tempora non erant, ille enim Henricum *Clifford* qui a Dominis *de Veteri ponte*, siue *Vipont* genus duxit, primum Cumbriæ Comitem creauit, qui ex Margareta filia Henrici *Percy* Comitis Northumbriæ genuit Henricum Comitem secundum, cui ex prima vxore filia Caroli *Brandon* Ducis Suffolciæ nata erat Margareta Comitissa Derbiæ, ex vxore secunda filia Baronis *Dacre de Gillesland* duo filij Georgius, & Franciscus. Georgius tertius Comes nauali gloria clarus, ad labores impiger, ad pericula fortis, obijt CIↃ IↃ V. Annâ vnicâ filiâ relictâ, Illi autem successit Franciscus frater Comes Quartus in quo ardor mentis ad virtutem tantis maioribus dignus clarissimè elucet. Cumbriæ siue Cumberlandiæ Comites

Hic ager 58. *Parochiales Ecclesias præter capellas numerat.*

V A L L V M, siue MVRVS PICTICVS.



Vperiorem Cumberlandiæ partem intersecat, qui nullo modo tacendus est, Murus ille celeberrimus, Romanæ prouinciæ limes, Vallum barbaricum, Prætentura, & Clusura, (sic enim antiqui vocarunt.) Dioni Διατείχισμα, Herodiano Χῶμα, Antonino, Cassiodoro, & alijs VALLVM, Bedæ MVRVS, Britannis *Gual Sever*, *Gal-Sever* & *Mur Sever*, Scotis *Sottiswaith*, Anglis, & accolis *The Picts Wall*, siue *Pehits Wall*, id est, *Murus Picticus*, *The Keepe Wall*, id est, *Custodia Murus*, & per excellentiam *The Wall*. Munimenta limitibus Prouinciarum Clusuras quia hostes excluderent, & Prætenturas, quia hostibus prætenderentur scriptores vocarunt. Vide P. Pithæum in Aduersarijs, Lib. 1. cap. 14.

Cùm Deo duce, virtute comite, ambitiosa Romanorum fortitudo rebus supra vota fluentibus, imperium ita vndiq; prolatásset, vt sua ipsius magnitudo iam sibi suspectior esset, Imperatoribus visum est consultissimum limitibus quibusdam circumscribere: viderunt enim pro prudentia *magnitudini modum esse debere, vt cælum non vltra sua spatia procedit, & maria intra suos terminos agitantur.* Hi autem limites pro locorum ratione, aut a natura erant, vt mare, flumina maiora, montes, terræ desertæ, aut ab arte, vt Prætenturæ, scilicet fossæ, castra, arces, concædes, valla, & muri, per quæ militaria contra Barbaros disposita erant præsidia. Vnde in Theodosio Nouellis, *Maiorum dispositione vallo limitis ab incursione Barbarica defensatur, quicquid intra Romani nominis concluditur potestatem.* Ad hos limites in limitaneis castris & vrbibus tempore pacis limitanei milites egerunt; at cum finitimorum depopulationes timerentur, pars eorum ad agrorum tutelam in solo Barbarico per agros stationes habuerunt, pars in hostiles fines excurrerunt vt hostium motus perscrutarentur, & occasione oblata pugnarent. Limites siue Termini Imperij. Tit. 43. Hinc stationes agrarię apud Vegetium.

In hac Insula Romani cùm vlteriores Britanniæ regiones cœlo & solo vtique aspero & à barbaris Britannis Caledonijs inhabitari viderent, in quibus perdomandis laboris plurimum, emolumenti parum admodum erat, varias varijs temporibus Prætenturas ad prouinciam limitandam & defensandam instituerunt. Primam posuisse videtur Iulius Agricola cùm angustum terrarum spatium inter * *Bodotriam*, & *Glottam* præsidijs firmârit, quod posteà subinde communitum. Prætentura prima. * Edenborrow Frith. & Dunbritten Frith.

Hadrianus

Prætentura secunda.

Hadrianus cui Deus TERMINVS retro cessit, cùm ille incertum an ob inuidiam in Traiani gloriam sub quo amplissimè patuit Imperium, vel metum, in has insula octoginta plùs minùs milliaribus recessisset, Prætenturam fecit secundam. Ille, inquit Spartianus, *Murum per LXXX. mill. pass. duxit qui Barbaros Romanosque diuideret.* Quem ex *stipitibus magnis in modum* * *muralis sepis funditùs iactis, & connexis fuisse* ex subsequenti Spartiani narratione colligi possit. Hic autem est de quo nunc agitur per LXXX. enim mill. pass. procurrit, ad eum PONS ÆLIA, CLASSIS ÆLIA, COHORS ÆLIA, ALA SABINIANA, quæ ab Ælio Hadriano & Sabina eius vxore nomine sumpserunt. Scotusque ille historicus qui *Rotam temporum* scripsit. *Hadrianus*, inquit, *vallum portentosæ molis ex cespitibus è terra excisis montis instar altissima fossa antè adiecta à Tina ostijs ad Escam flu. a mari Germanico ad Hibernicum vsque Oceanum primus omnium duxit.* Quod ijsdem verbis habet Hector Boetius.

* militaris vt aliqui legunt.

Rota temporum.

Prætentura tertia.

Lollius Vrbicus Britanniæ sub Antonino Pio Legatus secundis prælijs terminos iterum promouit vsque ad primam illam quam instituit Iulius Agricola Prætenturam, & ibidem tertiam Prætenturam muro excitauit. Ille inquit Capitolinus *Britannos vicit, alio muro cespititio submotis barbaris ducto*, alios scilicet ab illo Hadriani. Cuius belli in Britannia confecti laudem Fronto (vt habet Panegyricus) *Antonino principi dabat, & quamuis ille in ipso vrbis palatio residens gerendi eius mandasset auspicium, veluti longæ nauis gubernaculis præsidentem totius velificationis, & cursus gloriam meruisse testatus est*; Verùm hunc Antonini Pij, eiusque legati Lollij Vrbici murum in Scotia fuisse infrà docebitur.

Prætentura quarta.

Cùm autem Caledonij Britanni imperante Commodo hunc perrupissent, Seuerus posthabita vlteriori illa, & ingenti regione, munimentum per transuersam insulam ab *Ituna* æstuario, siue *Solwey frith* ad *Tina* ostium, siue *Tinmouth* duxit eo sanè, si quid ego iudico, loco, vbi suum ex stipitibus murum duxit Hadrianus, & iuxta mecum sentit Hector Boetius. *Seuerus*, inquit, *iubet Hadriani vallum restitui, propugnacula superaddi lapidea, & turres ea intercapedine vt tubæ sonus vel aduerso vento aditus ex vna, in alteram audiretur.* Et alibi. *Vallum ab Hadriano inchoatum, a Seuero fuisse completum nostris Annalibus traditur.* Doctissimus etiam Hispanus Hieronymus Surita qui scribit *Munimen Hadriani magna munitionum mole à Sept. Seuero longiùs* VALLI *nomine productum fuisse*, Guidus item Pancirolus, qui Seuerum murum Hadriani collapsum tantùm restituisse affirmat. Ille inquit Spartianus, *Britanniam, quod maximum eius imperij decus est muro per transuersam insulam ducto, vtrinque ad finem Oceani muniuit: vnde &* BRITANNICI *nomen accepit. Britanniam quoad ei vtilis erat*, vt habet Aurelius Victor, *pulsis hostibus muro muniuit, &c.* quæ Spartianus. Eutropius. *Vt receptas prouincias omni securitate muniret, vallum per* XXXV. (emenda per LXXX.) *millia passuum a mari ad mare deduxit. Receptam*, scribit Orosius, *partem insulæ à cæteris indomitis gentibus Vallo distinguendam putauit. Itaq. magnam fossam, firmissimumque Vallum crebris turribus communitum per* CXXII. *mill. pass. à mari ad mare duxit.* Cum quo Beda consentit, qui non libenter audit Seuerum Murum duxisse, quod murum ex lapidibus Vallum e palis qui dicti valli, & cespitibus factum fuisse contendit, (cum tamen Vallum, & Murus promiscuè vsurpantur.) Murum tamen vocauit Spartianus, & tam murum, quàm vallum Seuerum posuisse his verbis innuit ille. *Post murum apud Vallum in Britannia missum*, Ex Beda tamen colligitur vallum illud nihil aliud fuisse, quàm è cespitibus murum & nemo verè dixerit Seueri murum e saxis fuisse constructum, sed habe ipsius Bedæ verba: *Seuerus Victor ciuilium bellorum, quæ & grauissima occurrerant, in Britannias defectu pene omnium sociorum trahitur: vbi magnis, grauibusque prælijs sæpe gestis receptam partem insulæ, a cæteris indomitis gentibus non muro, vt quidam æstimant: sed vallo distinguendam putauit. Murus etenim de lapidibus: vallum enim quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus quidem circumcisis è terra & velut murus extruitur altus super terram: ita vt in ante sit fossa de qua leuati sunt cespites: supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaque Seuerus magnam fossam firmissimumque vallum crebris desuper turribus communitum à mari ad mare duxit.* Nec alio quàm VALLI nomine apud Antoninum, & Notitiam Prouinciarum designatur, Britannicèque *Guall-Seuer* dicitur. Accedat etiam Ethelwerdus scriptor post Bedam antiquissimus de Seuero, *Ipse fossam extendit in insula præfata pertransuerso à mari*

Murus Vallum.

Guil. Malmesburiensis.

vsque ad mare, murum etiam cum turribus & propugnaculis construxit intrinsecus. Quam postea *Fossam Seueriam* vocat, vti annales vetustissimi Anglo-Saxonum. Seuerus Brytenland mid dic forgyrde fram sæ oþ sæ. i. *Seuerus Britanniam fossa præcinxit a mari ad mare;* Et alij recentiores. Seuerus on Brytene geworhte weall of turfum fram sæ to sæ. .i. *Seuerus in Britannia perfecit murum ex cespitibus vel vallum a mari ad mare.* Malmesburiensis item *celebrem & vulgatissimum fossam* nominat. Quo in loco murus e saxo ducentesimo plùs minùs pòst anno constructus fuit, de quo mox dicendum.

Quòd Eutropius in XXXV. Victor in XXXII. alij authores in CXXXII. mill. pass. huius longitudinem extenderint, mendas in numeros subrepsisse existimo. Non enim tanta est insulæ eò loci latitudo, etiam si ipsum anfractuosum muri ductum ascendentem, & descendentem persequaris, quòd si etiam in Italica milliaria resoluas, paulò plùs quam LXXX. vt rectè numerauit Spartianus, colligas. Pauculos post annos hæc neglecta, vt videtur, munitio fuit. Cùm tamen Alexander Seuerus Imp. (vt est apud Lampridium) *sola quæ de hostibus capta erant limitaneis ducibus, & militibus donasset, ita vt eorum essent, si hæredes illorum militarent, nec vnquam ad priuatos pertinerent, existimans attentiùs eos militaturos, si etiam sua rura defenderent:* (verba hęc velim notes, nam hinc vel species *feudi*, vel origo *feudorum* deducatur) Romani tunc vltra murum progressi, & barbarico solo stationes extruentes, & instruentes, ad *Bodotriam* vsque imperij fines denuò propagarunt, quos tamen barbari, continenter bellum ex bello serentes subinde ad *Seueri Vallum* repulerunt. Dioclesianus his limitibus prouidè prospexit, sub quo cùm imperium permissum fuit in Britannia Carausio quod contra bellicosas gentes habitus fuerit opportunior, ille Prætenturam inter *Glotam* & *Bodotriam* restituit, vt suo loco dicemus. Hos limites primùm neglexisse arguitur Constantinus Maximus. Scribit enim Zosimus. *Quum imperium Romanum extremis in limitibus vbique Dioclesiani prouidentia, opidis & castellis, atque burgis munitum esset, omnesque copiæ militares in ijs domicilium haberent: fieri non potuit, vt barbari transirent, vbique copijs hostium repellendorum caussa occurrentibus. Hanc præsidiorum munitionem Constantinus abolens, maiorem militum partem, de limitibus submotam in opidis præsidij nullius egentibus collocauit: limites à barbaris vexatos præsidio nudauit, tranquillas & quietas vrbes militum peste grauauit quæ iam complures ad solitudinem redactæ sunt, milites ipsos theatris, & voluptatibus addictos emolliuit: denique simpliciter vt dicam, rerum hactenus pereuntium internecioni principium, & semina ille præbuit.*

Interiectam hanc inter Clusuras siue Prætenturas regionem Theodosius Theodosij Augusti pater ita recuperauit, vrbes instaurauit, præsidiaria castra, limitesque vigilijs tutatus est, & prętenturis, recuperatamque prouinciam ita pristino statui reddidit, vt rectorem legitimum haberet, & VALENTIA in honorem Valentiniani deinde vocaretur. Theodosius etiam filius cùm iam imperij fastigium sua virtute nactus esset, prouidam limitis curam habuit, iussitque vt Magister officiorum, quemadmodum se res militum haberet, castrorum, clusurarumque cura procederet quotannis Imperatori significaret. Cum autem res Romana plusquam apertè iam labi cœpisset, & Picti Scotique cespititium ad *Bodotriam* murum perrumpentes, has partes immaniter depopularentur: Romana Legio, sub Gallione Rauennate in auxilium missa, submotis barbaris, cùm ad Galliam tuendam reuocaretur, Britannos hortata est, Gildæ & Bedæ verbis vtor, *instruere inter duo maria trans insulam murum, qui arcendis hostibus posset esse præsidio, sicque domum cum magno triumpho reuersa est. At insulani murum quem iussi fuerant non tam lapidibus, quàm cespitibus construentes vtpote nullum tanti operis artificem habentes, & ad nihil vtilem statuunt. Qui*, vt habet Gildas, *a vulgo irrationabili absque rectore factus non tam lapidibus quàm cespitibus non profuit.* De loco vbi hic murus constructus pergit Beda. *Fecerunt autem eum inter duo freta vel sinus maris per millia passuum plurima, vt vbi aquarum munitio deerat, ibi præsidio valli fines ab hostium irruptione defenderent.* (Cuiusmodi etiam murum in spatia longa prætentum Assyriam ab externis incursibus muniuisse author est Marcellinus. Et hodie Seres, vt in Osorio legimus, valles, & camporum planities muris muniunt, vt Scytharum impetum à se facilè propulsent.) *Cuius operis ibidem facti*, id est, *Valli latissimi, & altissimi vsque hodie certissima vestigia cernere licet. Incipit autem duorum ferme millium spatio à monasterio* Abercurning *ad Orientem, in loco qui sermone Pictorum*

Penuahel,

Agri cum limitaneis ducibus concessi.

Feudorum origo.

Lib. 2.

Romanæ Reip. occasus.

Marcellinus lib. 38.

Circa annum 367.

Valentia.

Codex Theodosij.

Blondus.

Prætentura quinta.

Murus inter Edenborough Frith, & Dunbritton Frith.

Penuahel, *lingua autem Anglorum* Penueltun *appellatur, & tendens contra Occidentem terminatur iuxta vrbem* Alcluith. *Verùm priores inimici vt Romanum militem abijsse conspexerant, mox aduecti nauibus irrumpunt terminos, caduntque omnia & quasi maturam segetem obuia quaque metunt, calcant, transeunt. Vnde rursum mittuntur Romam legati, flebili voce auxilium implorantes, ne penitus misera patria deleretur, ne nomen Romanæ prouinciæ, quod apud eos tam diu claruerat, exterarum gentium improbitate obrutum vilesceret. Rursum mittitur legio, quæ inopinato tempore autumni adueniens magnas hostium strages dedit, eosque qui euadere poterant omnes trans maria fugauit, qui prius anniuersarias prædas trans maria, nullo obsistente, cogere solebant.* Iam ad vallum Seueri se retulerunt Romani & per *Lineam valli* (vt habet liber Notitiarum qui sub finem principatus Theodosij Iunioris scriptus) id est, per Valli longitudinem vtrinq; & interius & exterius suis stationibus excubarunt Alæ Equitum cum suis Præfectis 5. Cohortes cum suis Tribunis 15. Numerus 1. & Cuneus itidē 1. Quæ suis locis diximus, & dicemus. His verbis, de subsequente tempore pergit deinceps Beda. *Tum Romani denuntiauere Britonibus non se vltro ob eorum defensionem tam laboriosis expeditionibus posse fatigari, ipsos potiùs monent arma corripere, & certandi cum hostibus studium subire, qui non ob aliam causam, quam si ipsi inertia soluerentur, eis possent esse fortiores. Quinetiam Romani, quia & hoc socijs quos relinquere cogebantur, aliquid commodi allaturum putabant, murum à mari ad mare recto tramite inter vrbes quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant (vbi & Seuerus quondam Vallum fecerat) firmo de lapide locarunt.* Apponam hic & Gildæ verba a quo Beda hæc hausit: *Murum non vt alterum sumptu publico priuatoque Romani adiunctis secum miserabilibus indigenis solito structuræ more a mari vsque ad mare inter vrbes quæ ibidem fortè ob metum hostium collocatæ fuerant directo librant.* Nunc iterum audi Bedam. *Quem videlicet murum hactenus famosum, atque conspicuum sumptu publico priuatoque, adiuncta secum Britannorum manu, construebant octo pedes latum, & duodecim altum recta ab Oriente in Occasum linea, vt hodie intuentibus clarum est.* Ex quibus Bedæ verbis videas optimum illum suos sibi oculos confixisse, dum se cornicibus oculos configere putat, & valde vehementerque contra Boetium & cæteros Scotos asserit, Seueri vallum in Scotia fuisse. Nonne Beda postquam de vallo ad *Abercurning* in Scotia egerit, Murum è firmo lapide, vbi Seuerus vallum fecerat, excitatum explicatè scribit, & vbi quæso Murus ille è saxo nisi hoc loco inter *Tinæ* ostium, & *Itunæ* æstuarium? Vbi igitur & Seueri Vallum? Muri vero etiamnum hic adeo expressa habentur vestigia, vt ipsius tractum sequaris, & in * *Vastis*, quæ vocant, magna eius fragmenta in longa spatia porrecta, & tantùm pinnis nudata hinc inde ipsis meis oculis sum contemplatus.

Circa annum Christi 420.

Theodosij Breuiarium vocat Alciatus.

Milites per Vallum dispositi.

Murus è saxo Prætentura fexta.

* *The wastes.*

Vidi enim tractum eius per montium ardua, & prona mirabiliter ascendere & descendere, quà patentiores sunt campi, fossam latam & altam exteriùs præiacere, quæ nunc multis locis coæquatur, interiùs aggerem, siue viam militarem, sed valdè interruptam. Turres siue Castella habuit crebriora millenis passibus disparata, quæ *Castle-steedes* vocant, & interiùs opidula munita quæ *Chesters* hodie vocant, quorum radices quadrata forma alicubi visuntur, & his turres interpositas, in quibus dispositus miles barbaris immineret, & stationes *Areani* haberent, quos Theodosius ille de quo modò dixi, malæ fidei conuictos stationibus suis remouit, *Genus id hominum erat à veteribus institutum, quorum* (vt inquit Marcellinus) *officium erat, vt vltrò citroque per longa spatia discurrentes vicinarum gentium strepitus nostris Ducibus intimarent.* Adeò vt conditores eius consilium sequuti videantur, qui de *Rebus bellicis* ad Theodosium & eius filios scripsit: Sic enim ille. *Est inter commoda reipublicæ vtilis limitum cura, ambientium vbique latus imperij, quorum tutela assidua melius castella prospicient. Ita vt millenis interiecta passibus stabili muro & firmissimis turribus erigantur, quas quidem munitiones possessorum distributa sollicitudo sine publico sumptu constituat, vigilijs in his & agrarijs exercendis, vt prouinciarum quies circundata quodam præsidij cingulo inlæsa requiescat.* Tubulum etiam æreum eo artificio muro insertum inter singula castella, & turres intercurrisse ferunt accolæ (cuius fragmenta subinde repererunt) vt si quis vocem in eum, quacunque turri immisisset, statim sonus in proximam, inde ad tertiam, & omnes deinceps non interruptus perferretur, ad significandum vbi loci hostium insultus timeretur. Cuiusmodi miraculum de Byzantij turribus in Seueri historia è Dione refert Xiphilinus. Sed cum

Castle-steedes. *Chesters*

Areani exploratores. Lib. 28.

Tubulus ad voces deferendas.

Murus

Murus nunc iaceat, & tubulus sit nullus, multi hîc circumquaque prædia & fundos in *Cornage* (vt iuridici nostri loquuntur) à regibus nostris tenent, videlicet vt cornu irruptiones hostium vicinis significent, quod à veteri Romanorum instituto deductum nonnulli existimant. Quique tenebantur *ire ad præceptum Regis in exercitu Scotiæ* (ex Chartis publicis loquar) *in eundo in Antegardum, in redeundo in Retrogardum.*

Cornago.

Sed vt signatiùs Muri ductum sequar, ad BLATVM BVLGIVM siue *Bulnesse* ad Oceanum Hibernicum incipit, & secundum *Ituna* æstuarium per *Burg vpon sands*, ad LVGVVALLVM siue *Carlil* pergit, vbi *Itunam* siue *Eden* transit. Inde procurrit, *Irthingum*que flumen subiectum habet, *Cambecke* riuulum meandris se curuantem transmittens, vbi castelli magna indicia. *Irthingo* & *Poltrosse* fl. postea traiectis, Northumbriam intrat, & inter montium conglomerationes secundùm flumen quod *Tinam Australem* vocant, continuus (solummodò *Tina* Boreali interfluente diuisus, vbi olim ponte coniunctus erat) ad ipsum vsque Oceanum Germanicum progreditur, vt suo loco cùm in Northumbriam peruenero, ostendam.

Muri tractus.

Admiranda tamen hæc substructio hostilem tempestatem neutiquam auertere potuit. Sed vbi Romani è Britannia soluissent, Picti & Scoti inopinato impetu murum adorti, præsidiarios vncinatis telis distrahunt, munitionem perfringunt, Britanniamque intestinis tum seditionibus conuulsam, fameque confectam grauissima longè latéque persultant. Verùm deplorandam horum difficilimorum temporum miseriam depingit tibi qui non multò pòst vixit Gildas Britannus, *Romanis ad sua remeantibus, emergunt certatim de * curucis quibus sunt trans Stiticam vallem euecti, quasi in alto Titane, incalescentéque caumate de arctissimis foraminum cauerniculis fusci vermiculorum cunei, tetri Scotorum Pictorumque greges, moribus ex parte dissidentes, & vna eademque sanguinis fundendi auiditate concordes,* &c. *Cognitáque condebitorum reuersione, & reditus denegatione solito confidentiores omnem Aquilonalem, extremámque terræ partem indigenis muro tenùs capessunt. Statuitur ad hæc in edito arcis acies segnis & inhabilis ad pugnam, trementibus præcordijs inepta, quæ diebus ac noctibus stupido sedili marcebat. Interea non cessant vncinata nudorum tela quibus miserrimi ciues de muris tracti solo allidebantur. Hoc scilicet eis proficiebat immaturæ mortis supplicium, qui tali funere rapiebantur, quo fratrum pignorumque suorum miserandas imminentes pœnas cito exitu deuitabant. Quid plura? Relictis ciuitatibus muroq; celso iterum illis fuga antrum dispersiones solito desperabiliores. Item ab hoste infestationes, item strages accelerantur crudeliores, & sicut agni à lanionibus, ita deflendi ciues ab inimicis discerpuntur, vt commoratio eorum ferarum assimilaretur agrestium. Nam & ipsos mutuo nec per exigui victus breui sustentaculo miseriorum ciuium latrocinando temperantur, & augebantur externæ clades domesticis motibus, quòd huiuscemodi tam crebris direptionibus vacuaretur omnis regio totius cibi baculo, excepto venatoriæ artis solatio.*

* Scoti sylue-stres nauicu-las suas hodie *Caraches* dicunt

* Scyticam vallem legit Parisiensis editio, innuit forsasse mare Scoticum.

Hoc verò obseruatione dignum, vti Romanorum prudentia hunc murum ita duxit, vt alterius quasi munimenti loco ad interiorem partem duo maxima flumina subiecta haberet, *Tinam* scilicet & *Irthing* quę angustissimo terrarum spatio dirimuntur: ita barbarorum solertia eò præcipuè loci primum aditum sibi aperuit inter hæc flu. quo liberum, nullo flumine occurrente, in Prouinciæ sinum ingressum haberent, vt in Northumbria statim monstrabimus. Vulgi de hoc Muro fabellas sciens prætermitto, hoc vnum tamen quod à fide dignis accepi lectori subducere nolo. Durat tradita persuasio in magna parte populi circumuicini, limitaneos Romanorum milites plantas vulneribus salutares olim in suum vsum hîc passim plantâsse. Vnde Emperici Scotorum Chirurgi quotannis ineunte æstate huc ad plantas colligendas confluunt, quarum vtilitatem longo temporis vsu edocti, mirificè laudant, & efficacissimas esse asseueranter affirmant.

Romanorum in muro ducendo prudentia.

Plantæ salutares.

***



OTTADINI.




POst Brigantes statuuntur apud Ptolemæum, qui pro exemplarium variante lectione OTTALINI, OTTADENI, & OTTADINI nominantur, pro quibus omnibus ego, si auderem, OTTATINI facili admodum mutatione substituerem; vt significaret Trans, vel Supra Tinam flumen. Sic sanè incolarum nomen cum regionis positione vndique conueniret. Vltra Tinam enim hi consederunt, & regionem in Wallia trans Conouium fluuium Vch Conwey, vltra montes, Vch-mynyth, vltra syluam Vch-coed, vltra Girway flu. Vch Gwyrway vocant hodie Britanni. Nec certè omninò absurdum esse possit, si eadem ratione hanc regionem vltra Tinam, Vch Tin dixerunt, vnde hoc nomen OTTADINI paululùm luxata dictione, sed gratiori sono Romani efformâsse videantur. Cùm autem (vt è Dione Nicæo habet Xiphilinus) Britanni omnes qui iuxta Murum, quem modo diximus, habitarent, Μαιάται, siue MAEATAE dicerentur, Mæatæ. Ottadinos nostros ad Murum incolentes inter hos Mæatas fuisse æquum est vt credamus, qui memorabili illa Britannorum defectione, aduocatis in belli societatem Caledonijs, arma sumpserunt. Quo tempore Seuerus Imperator militibus vt Britannos omnes occiderent, his Homeri versibus præcepit:

Μή τις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον Iliados 3.
Χεῖρας θ' ὑμετέρας, μηδ' ὅν τινα γαστέρι μήτηρ
Κοῦρον ἐόντα φέροι, μηδ' ὃς φύγοι αἰπὺν ὄλεθρον.

Nemo manus fugiat vestras, cædemque cruentam,
Non fœtus, grauida mater quem gestat in aluo,
Horrendam effugiat cædem.

Sed huius defectionis tempestas Seueri morte qui in ipso belli apparatu Eboraci obijt, sedata fuit. Longo pòst tempore hæc regio VALENTIAE pars fuisse videtur. Sic enim Valentia. in Valentiniani Imperatoris honorem Theodosius nuncupauit, cùm barbaros contudisset, & amissam hanc prouinciam recuperasset. Vide pag. 56. Verùm Saxonico bello antiqua hæc nomina exoleuerant, & regiones omnes quæ trans Humbrum æstuarium ad Septentriones iacent, Saxonico nomine Noꝛþan-humbꝛa-ꝛic, id est, Nordanhumbrorum regnum, vocari cœperunt. Quod tamen nomen in reliquis agris nunc obliteratum, in vna Northumbria, quam iam adibimus, quasi superstes remanet.


SCO:
TIÆ
PARS
CVM:
BERLAN:
DIÆ
PARS
VALLVM SEVER
Barwick
Carlesle
Haltwesell


OCEA-
NUS
NORTHVMBRIÆ Comitatus
OTADINORVM olim sedes
ALAVNI OSTIVM
TVNNOCELLVM
Scala Milliarium
Christophorus Saxton descripsit
Gulielmus Hole sculpsit
DVNEL-
MENSIS
EPISCOPATVS
PARS

NORTH-HUMBERLAND.



Orthumbria, Saxonicè Noppan-humbeр-lono, & vulgò *North-umber-land*, Trianguli sed non æquilateri figura quodammodo inclusa iacet. Meridionale latus *Derwent* in *Tinam* influens, & ipse *Tina* claudit, quà Dunelmenses spectat. Orientale latus mari Germanico pulsatur. Occidentale verò quod ab Occasu brumali in Ortum æstiuum, primùm concatenatis montibus, inde *Tweda* flu. protrahitur, Scotiæ obuertitur, liméſq; erat regnorum, cui in hoc Comitatu duo præerant præfecti, quorum alter medij limitis, alter occidui præfectus vocabatur. Terra ipsa magna ex parte aspera est, cultu dura, cultorumque corpora duràsse videtur, quos ferociores faciunt vicini Scoti, nunc bello exercentes, nunc pace suos ritus miscentes, vnde bellicosissimi sunt, & velites optimi. Cùmque omninò Marti se quasi consecrârint, non est inter eos quispiam melioris notæ, qui suam turriculam, aut munimentum non habeat, & in quam plurimas *Baronias* diuisa fuit, quarum Domini olim ante Edwardi Primi tempora *Barones* vulgò dicti, etsi tenuioris fortunæ ex illis nonnulli, sed hoc prudenter factum à maioribus, vt virtutem militarem vel honore & titulo inter eos in regni limite fouerent, & conseruarent. Sed euanuit hic inter illos titulus, cùm sub Edwardo Primo Baronum nomine illi solummodò gaudere incepe-runt quos ad Parlamentaria Comitia Reges euocauerint. Ad mare, & *Tinam* adhibita mediocri cultura colono perquàm grata est, alibi verò multò ingratior, & quasi horridior. Plurimisque in locis lapides illi *Linthancraces*, quos *Sea-coales* vocamus, magna copia magno cum incolarum commodo effodiuntur.

Limitum præfecti. Ranke Riders

Baroniæ plurimæ in Northumbria.

Vide p. 136.

Sea-Coales.

Hexamshire.

Pars citerior quæ ad Occasum brumalem vergit *Hexamshire* dicta, Archiepiscopum Eboracensem diu Dominum agnouit, & Comitatus Palatini iura nescio an iure sibi arrogauit. Sed nuper cùm sacro, siue Regio patrimonio coaluisset ex commutatione cum Roberto Archiepiscopo facta, Parlamentaria authoritate Northumbriæ Comitatui connexa fuit, vt eodem esset iure, & Northumbriæ Vicecomitem in causis spectaret.

South Tine fl.

Tina Australis (qui sic dictus si Britannis credamus quod in arctum coeuntibus ripis constringitur, hoc enim *Tin* Britannica lingua significare affirmant nonnulli) ex Cumbria æditus, propè *Alstenmore* vbi antiqua est fodina æraria; per *Lambley* quondam virginum sacrarum cœnobium à *Lucijs* conditum, nunc eluuione magna ex parte subrutum, & *Fetherston-hugh* quæ veteris & generosæ familiæ de *Fetherston* sedes delatus, cùm ad *Bellister* castellum peruenerit, in Ortum conuersus rectà cum muro procurrit, qui nusquam tribus mill. pass. ab eo distat.

Murus siue the Picts wall. Poltross. Thirlewall.


Murus enim Cumbriâ relicta, & *Irthingo* riuulo superato, *Poltross* rapidum riuulum arcuato opere transiuit, vbi magnas moles intra murum tanquam ad speculandam regionem aggestas vidimus. Proximum huic *Thirlwale* est castrum quod non quidem magnum, antiquæ & claræ familiæ quæ priùs *Wade* dicta, vt sedem, ita cognomen fecit, vbi aditum in prouinciam Scoti sibi reserarunt inter *Irthingum* & *Tinam*, & prouidè sanè eò loci, vbi liber aditus, nullo interiecto flumine, in interiores Angliæ partes patet. Sed hoc & loci nomen meliùs intelliges ex Ioanne Fordono Scotorum historico, cuius verba, quia non vbique prostat liber, subtexere operæpretium videtur. *Obtinentes* (inquit) *Scoti quæ cis citraque murum sunt regiones inhabitare cœperunt victores, ac citato repentè rurali vulgo cum suis sarpis, quibus*, id est, *ligonibus, rastris, tridentibus, & fossorijs, patulas in eo rimas, foraminàque crebra perfodiunt, quibus vtique promptum habeant aditum, & recessum. Ab illis ergo foraminibus, hæc deinde maceria hoc in loco nomen hodiernum cepit, Anglica enim lingua locus dicitur* Thirlwall, *Latinè Murus perforatus.* Hinc *Blenkensop*, quod familiæ celebri nomen dedit, vti etiam sedem, parsque olim fuit *Baronia* Nicholai de *Bolteby* regione non inamœna ad Austrum prospeximus.

Scoto chronicon I. Fordoni.

Caer Vorran.

A *Thirlwall* Murus insanienti flumini *Tippall* se patefacit, vbi in collis descensu paulò intra Murum, pedamentum castri Romanorum forma quadrata cernitur, cuius vnumquodque latus passus CXL. colligit. Ipsaq; ædificiorum fundamenta, & viarum tractus adhuc intuentibus planissimè apparent. Ferunt limitanei equites viam militarem silice, & saxo


saxo constratam per ædita loca ad *Maiden-Castle* in *Stanemore* hinc duxisse, certè ad *Kirkby-Thor* de quo dixi, rectà duxit. Anicula verò quæ casulam proximam incoluit, Arulam votiuam antiquam nobis ostendit, sic Deo indigeti VITIRINEO inscriptam.



*Posuit libens meritò.

Caer Vorran iam loco nomen est, quodnam olim fuerit, eruere ingenij non est mei, cùm inter stationes per lineam valli memoratas nulla nomine adludat, & ex inscriptionibus lux nulla affulgeat. Quodcunque fuit, murus iuxtà longè erat firmissimus, & altissimus: vix vno enim & altero hinc stadio in colle satis excelso superest xv. pedes altus & ix. latus, vtrinque quadrato lapide extructus, etsi Beda xii. tantùm pedes in altitudinem surrexisse prodat.

Hinc obliquior progreditur murus per *Iuerton*, *Forsten*, & *Chester in the Wall*, propè *Busy-gapp* prædationibus infamem; vbi castella fuisse accepimus, (per prædones verò limitaneos perlustrare tutò non licuit) *Chester* autem illud valde magnum fuisse retulerunt, adeò vt stationem illam II. Dalmatarum existimemus quæ MAGNA in Notitia dicitur, vbi hæc legitur inscriptio, Chestre vocant.




Anno Christi 259.

Hanc etiam mutilatam aram inde allatam ad *Melkrig* Viculum legimus.

DEAE

Hæ duæ inscriptiones nunc extant in ædibus D. Rob. Cottoni Conningtoniæ.


DEAE SVRI
AE SVB CALP
VRNIO AG------
ICOLA LEG. AVG
PR. PR. A LICINIVS
---LEMENS PRAEF
---III. A. IOR--------

Dea Suria. Capitolinus. Quod si legere possem, sic libenter legam, & literarum ductus fauet. *Dea suria, sub Calphurnio Agricola Legato Augusti. Propratore Licinius Clemens Præfectus.* Calphurnium verò Agricolam cùm bellum Britannicum immineret aduersus Britannos misit M. Antoninus Philosophus circa annum Christi CLXX. Quo tempore Cohors aliqua sub eo hanc Aram posuit SVRIAE DEAE, quam leones gestarunt capite turritam, cum tympano in manu, vt prolixè in narratione de Dea Syria ostendit Lucianus. Quamque Nero licèt vsquequaq; religionum contemptor vnicè aliquandiu coluit, & mox ita spreuit, vt vrina contaminaret. (Alij *Iunonem* alij *Venerem* volunt. *Suetonius in Nerone c. 56.*)

Hinc *Willymotes-wicke* claræ familiæ *Ridleiorum* sedem vidimus, iuxtáque *Alon* flu. magno aquarum insultu in *Tinam* influentem, cùm vterque *Alon* vndas consociarint suas. Ad *East-Alon* vicus nunc *Ould Towne*, .i. *vetus oppidum* cernitur. Sed ad Murum. Proxima in muro statio post *Busye-gap*, *Seauen-shale* dicitur, cuius nomen si mecum à Sauiniana vel potius Sabiniana Ala profluxisse quis credat, ego confidentiùs dicam illud HVNNVM fuisse, vbi Sabinianam Alam excubasse meminit Prouinciarum Notitia. Inde post *Carraw*, & *Walton*, est *Walwic ke*, GALLANAM Antonini aliqui esse volunt, in quibus omnibus veterum munitionum sunt manifesta vestigia. (Alon fl. Seauen-shale. Gallana.)

Hic *Tina Borealis* Murum interlabitur qui è limitaneis iam Angliæ & Scotiæ montibus effusus primùm Orientem solem petens *Tindale* à se denominatum irrigat, demumq; *Rheadum* flumen in sinum admittit suum, qui è *Readsquire* monte prærupto scatens vbi sæpe est *True place*, id est, *conferendi locus*, pro Orientalibus limitibus (Præfecti enim limitis Orientalis vtriusque regni caussas hic inter limitaneos cognoscere soliti) vallem ob deprædationes incolis nimis vacuam suo nomini adoptat. (North Tine. Tindale. True place. Rhedesdale.)

Vtraque vallis laudatissimorum velitum altrix, vtraque suos habet montes in summitate adeò vliginosos vt equitibus sint omnino imperuiæ; in quibus quod mireris, plures sunt lapidum strues admodum magnę *Lawes* vocant, quas in memoriam occisorum olim aggestas credunt vicini. In vtraque etiam plures sunt veterum castrorum ruinæ. In *Tindale* sunt *Whitchester*, *Delaley*, *Tarset*, olim *Comminiorum*. In altera *Rheadesdale* sunt *Rochester*, *Greenchester*, *Rutchester*, & alia nonnulla quorum antiqua nomina longi temporis iniuria absorpta latent. Verùm cùm ad *Rochester* qui propius *Readi* fontes in cautis eminentia quæ substratam regionem longe despectat (vnde & nouum hoc nomen desumptum videatur) ara antiqua inter rudera vetusti castri cum hac inscriptione fuerit reperta: (Lawes.)

D.

D. R. S.
DVPL.N.EXPLOR.
BREMEN. ARAM.
INSTITVERVNT
N̄ EIVS C CAEP
CHARITINO TRIB
V S L M

i. Duplares Numeri exploratorum Bremenij Aram instituerunt Numini eius Cępione Charitino Tribuno votum soluerunt libentes meritò.

Nonne hinc coniectemus BREMENIVM tanta indagine tam diu inuestigatum hic fuisse, cuius Ptolemeus in hoc situ meminit, & a quo Antoninus primum Britanniarum iter tanquam a limite exorditur? Limites autem Imperij erent maria, flumina maiora, montes, terræ desertæ & imperuiæ quales hoc in tractu; fossæ etiam, muri, concedes, & inprimis castra suspectioribus locis constructa, quorum hic fere continua extant vestigia. Sane cùm muro Antonini Pij in Scotia perrupto Barbari late vastarent, Murusque Hadriani neglectus iaceret ad Seueri tempora hic Romani imperij limitem constitutum existimare liceat: & hinc Itinerarij vetus quod Antonini nomine circumfertur, exordium duxisse, vtique *A Limite*. Quod autem adijcitur, .i. *A Vallo*, a librarijs est Glossema, cum BREMENIVM C XIIII. mill. pass. absit a Vallo ad Septentriones; nisi ex agrarijs videatur fuisse stationibus quas modò dixi positas esse in solo barbarico vltra Vallum. Bremenium.

Ab antiquo BREMANIO vix quinque abest ad Meridiem milliaribus *Otterburn*, vbi inter Scotos & Anglos fortissime pugnatum victoria huc illuc ter quaterue alternante & postremò ad Scotos: Henricus enim *Percy* ob præcipitatum iuuenilis ardoris impetum agnomine *Whot-spur*, qui Anglos duxit captiuus erat abductus, mille quingentis e suis occisis, & Guilielmus *Douglas* Dux Scotorum cum suorum plurimis desideratus, vt nusquam maior vtriusque gentis bellica virtus emicuerit. Prælium ad *Otterburn* 1388

Aliud antiquæ etiam memoriæ opidum inferiùs alluit, imo fere iam eluit *Rheadus*, *Risingham* hodie vocant, .i. antiqua Anglorum & Germanorum lingua, *Gigantum habitatio*, vt *Risingberg* in Germania *Mons Gigantum*. Magna & multa ibi vetustatis indicia, ferunt incolæ contra Soldanum quendam, .i. Paganum principem Deum *Magon* hoc diu propugnasse; nec omnino vanè. Eiusmodi enim Deum hic cultum fuisse comprobant hæ duæ ibidem e flumine nuper extractæ aræ sic inscriptæ: Risingham.

Deo Mogonti Cadenorum & numini Domini nostri Augusti M. G. Secundinus Beneficiarius Consulis Habitanci Primas tam pro se & suis posuit.

D E O
MOGONTI CAD.
ET. N. D N AVG.
M. G. SECVNDINVS
BF. COS. HABITA
NCI PRIMAS TA---
PRO SE ET SVIS POSVIT

D E O
MOVNO CAD.
INVENTVS DO
V. S.

Primas.

Ex harum priore quodammodo colligatur HABITANCVM loco fuisse nomen, & illum qui posuit Beneficiarium fuisse Consulis, locique Primatem. Præcipuos vrbium, vicorum, & castellorum magistratus *Primates* fuisse dictos e Theodosij Codice satis superque constat. An Deus iste fuerit Genius Topicus Gadenorum quos Ottadinis proximè vicinos statuit Ptolemæus nondum perspicio, viderint alij. Repertæ etiam hîc fuere hæ inscriptiones quas vt alias C. L. V. Roberto *Cottono* de *Conington* Equiti aurato debemus qui nuperrimè vidit & descripsit.

D. M.
BLESCIVS
DIOVICVS
FILIAE
SVAE
VIXSIT
AN. I. ET
DIES XXI.

- - - - - - - - - - - - - -
CVI PRAEEST. M
PEREGRINIVS
SVPER TRIB.

COH. I. VANG
FECIT CVRANTE
IVL. PAVLO TRIB.

DEAE TER
TIANAE SA
CRVM AEL.
TIMOTHEA - - - P.
V. S. LL. M.

HERCV
LI IVL.
PAVLLVS
TRIB.
V. S.

AVR. ANTONI
NI. PII AVG. M
MESSORIVS
DILIGENS TRI-
BVNVS SACRVM.

DEO·INVICTO
HERCVLI·SACR
L·AEMIL·SALVANVS
TRIB·COH·IVANGI
V·S · P·M·

ICOSCIPRE·
N·AVERL·CAST
VETVS TAE CNABS

Vetustate conlabsum.

Quæque reliquas operis elegantia longè præcellit tabula longa hac forma affabrè insculpta a Cohorte quarta Equitum Gallorum Augustorum Numinibus posita:



Sed his omissis. *Rheadus* paulò inferiùs suas, pluresque torrentes quas accepit aquas in *Tinam* inuehit & cousque *Rhedesdale* pertingit. Quam, vt est in Regij Scaccarij libro, *Vmfranuilli tenuerunt de antiquo feofamento per regalem potestatem, & seruitium, vt custodirent vallem à latronibus.*

Wastes. Nomades. Sheales. Chipches. Swinborne.

Hic circumquaque in *wastis* quas vocant terris, vt etiam in *Gillesłandia* quasi Nomadas antiquos videas, militare genus hominum qui à mense Aprili vsque ad Augustum in tuguriolis hinc inde dispersis, *Sheales* & *Shealing* vocant, passim cum suis pecoribus excubant. *Tina* ille *borealis* deinde per *Chipches* turriculam olim *Vmfrauillorum*, postea *Heronorum* defertur, (nec procul a *Swinborn* castellulo quod claræ familiæ nomen dedit, & olim fuit pars Baroniæ Guilielmi *Heron*, postea sedes *Woderingtonorum)* Murum accedit, & intersecat sub *Collerford*, vbi ponte fornicato coniunctus erat, & vbi iam *Wallwick* ampli castri visuntur ruinæ. Quod si CILVRNVM non fuit in quo Ala secunda Asturum sua statiua habuit, in proximo fuit ad *Scilicester in Muro*, vbi postquam Sigga Patricius Elfwaldum Nordanhumbrorum Regem perfidè trucidasset, Ecclesia à fidelibus extructa fuit in honorem Cuthberti, & Oswaldi, cuius nomen ita cæteris offecit, vt pristino nomine obliterato, *S. Oswaldes* nunc dicatur. Oswaldus hic Nordanhumbrorum rex signa moturus in Cedwallam Britannum (sic Beda vocat quem ipsi Britanni Caswallon dixerunt) Cumbriæ, vt videtur, regem, Crucem erexit & flexis genibus Christum supplex precatus est vt suis cultoribus cœlesti succurreret auxilio, statimque elata in altum voce ad exercitum proclamauit. *Flectamus omnes genua & Deum omnipotentem viuum & verum deprecemur vt ab hoste superbo & feroce nos sua miseratione defendat. Nullum*, inquit Beda, *nullum vt comperimus, fidei Christianæ signum, nulla ecclesia, nullum altare in tota gente erectum est, priusquam hoc sacra crucis vexillum nouus militiæ ductor dictante fidei deuotione contra hostem immanissimum pugnaturus statueret.* Cùm enim opem Christi, quam implorarat, hoc in prælio præsentem sensisset Oswaldus, protinus Christo nomen dedit, Aidanum Scotum ad suos Christiana religione imbuendos euocauit, & ipsum victoriæ locum heauenfield, id est, *Campus cœlestis*, vocarunt posteri, qui hodie eodem sensu (vt aliqui volunt) *Haledon* appellatur. De quo ecce tibi qualescunq; ex Oswaldi Vita versiculos:

Collerford.

Cilurnum. Scilcester. Hunnodenus. S. Oswalde.

Cedwalla siue Caswallo.

Beda li. 3. c. 2. Circa annum 634. Christianæ religionis primordia in Northumbria.

Heafonfeld nunc Haledon.

Tunc primùm sciuit causam cur nomen haberet
Heafenfeld, *hoc est cœlestis Campus, & illi*
Nomen ab antiquo dedit appellatio gentis
Præteritæ, tanquam belli præsaga futuri:

Nominis

Nominis & caussam mox assignauit ibidem
Cælitùs expugnans cælestis turba scelestam.
Neue senectutis ignauia possit honorem
Tam celebris delere loci, tantíque triumphi,
Ecclesiæ fratres Hangustaldensis adesse
Deuoti, Christumque solent celebrare quotannis.
Quoque loci persistat honos in honore beati
Oswaldi Regis, ibi construxere Capellam.

Alterque in eius laudem indocto seculo non indoctè scripsit,

Quis fuit Alcides? quis Cæsar Iulius? aut quis
Magnus Alexander? Alcides se superasse
Fertur. Alexander mundum, sed Iulius hostem:
Se simul Oswaldus, & mundum vicit, & hostem.

Infra *S. Oswaldes* vterque *Tina* confluit, cùm Australis *Tina* (qui gradum quasi cum Muro vnius, & alterius milliaris interuallo confert) *Langley* castrum præterierit vbi olim sub Rege Ioanne Adam de *Tindale* suam habuit Baroniam, quæ posteà deuenit ad Nicholaum de *Bolteby*, nuperque fuit *Perciorum*, & ad *Aidon* pontem ligneum nunc malè firmum, & nutantem subierit. Iam *Tina* auctus, subindeque auctior, vno alueo vrget ad Oceanum iter, per *Hexham*, Bedæ *Hangustald*, Saxonicè ħextolðeſham, quod Romano sæculo AXELODVNVM fuisse, vbi Cohors prima Hispanorum stationem habuit, nomen persuadet, & situs æditior in colle (collem enim *Dunum* dixerunt Britanni.) Verùm de hoc audi qui ante quingentos annos floruit Richardum Priorem huius loci. *Haud procul à flumine Tina ad Austrum sita est villa nunc quidem modica & raro cultore habitata, sed vt antiquitatis vestigia testantur, quondam ampla & magnifica. Hæc ex riuulo decurrente & quandoque ad modum torrentis exuberante* Hextold *nomine*, Hextoldesham, *nominatur. Quam Etheldreda Egfridi Regis vxor dedit S. Wilfrido anno* DCLXXV. *vt episcopali cathedra sublimaret, qui ibi construxit ecclesiam quæ artificiosa compositione & eximia pulchritudine inter omnia Angliæ monasteria præcellebat.* Habe etiam quæ scripsit Malmesburiensis. *Hæc fisco regio famulabatur quum Wilfridus Episcopus ab Etheldreda regina pro alijs possessionibus commutarit. Ibi ædificia minaci altitudine murorum erecta, & diuersis anfractibus per cochleas mirabile quantum expoliuit cementariorum opera, quos Romæ spes munificentiæ attraxerat, adeò vt ambitionem Romanam præ se ferrent, diuque vetustate luctata consisterent.* Quo tempore Episcopalem sedem hac in vrbecula constituit rex Egfridus. Sed dignitas illa post o Tatum Episcopum, intonantibus Danicis bellis, tota euanuit. Deinceps verò tantùm Archiepiscoporum Eboracensium villa habebatur ante commutationem cum Henrico Octauo factam, qua suo iure cesserunt, celebratúrque prælio illo funesto quo Ioannes *Neuill* Dominus *Montis-acuti* Lancastrenses duces magno animo aggressus, maiori successu fudit, & ideò ab Edwardo Quarto Comitis Northumbriæ titulo decoratus. Nunc verò tota eius gloria est in monasterio illo antiquo, cuius pars in pulchras I. *Fosteri* Militis ædes est conuersa. Ecclesia verò occidentali parte tantùm demolita, stat integra, & magnifica sanè est structura, in cuius choro cernitur tumulus antiquus nobilis ex familia illa bellicosa *Vmfranuillorum*, vt ex clypeo apparet, tibijs in crucem decussatis. Qua forma eo seculo tantùm sepulti erant illi (vt obiter notem) qui Crucem susceperunt, & cruce signati fuerunt in bellum sacrum ad terram sanctam à Mahometanis recuperandam. Ad Orientalem etiam ecclesiæ partem in collis supercilio duo eriguntur è saxo solidò & quadrato firmissima propugnacula, quæ ad Archiepiscopum Eboracensem, vt accepi, spectant.

Testa Neuilli

Hexham.

Axelodunum.

Dunum.

Sepulti cum tibijs in crucem dispositis.

Hinc ad Orientem Solem *Dilston* sedem *Ratcliffiorum* peruenimus, *Diuelston* in antiquis libris dicitur, à riuulo *Tinam* influente quem Beda *Deuilesburnam* dixit, vbi (vt scribit ille) Oswaldus fide Christi munitus *Cedwallam* Britannum infandum tyrannum qui iam duos Nordanhumbrorum Reges occidisset, regionémque effusè vastasset iusto prælio peremit. Ad alteram *Tinæ* ripam CVRIA Ottadinorum iacet, cuius

Dilston.

Beda l. 3. c. 1. *Caswallon* Ninius vocat.

Curia.

meminit Ptolemæus, CORSTOPITVM Antonino ex distantiæ ratione videatur, hodie à ponte *Corbridge*, Houedeno *Corobrige*, Huntingdonensi *Cure*. Ecclesiam nunc tantùm ostendit, & iuxta turriculam ab Ecclesiæ vicarijs constructam & habitatam. Antiqui tamen operis supersunt reliquiæ non paucæ, inter quas defossum antiquorum thesaurum quæsiuit Rex Ioannes: sed illusit illi fortuna per sui ipsius vanitatem, non minùs quàm olim Neroni illuserat, cùm abditas Didonis opes Carthagini inuestigaret. Præter lapides etenim ære, ferro, & plumbo signatos nihil inuenit. Rudetum verò quod adiacet & *Colecester* dicitur, Romanorum militum fuisse præsidium, qui viderit, facilè dixerit. Eadem deinde ripa *Bewell* castrum elegans vidimus, quæ fuit regnante Ioanne *Baronia* Hugonis *Balliol*, *pro qua debuit ad Wardam Noui Castelli super* Tinam *Milites triginta*. Sub hoc * moles est pulcherrima ad Salmonum capturam, & duæ ex saxo firmissimo solidæ sublicæ positæ quæ pontem olim supportarunt, in flumine medio eminent. Hinc *Prudhow* castrum quod antiquis etiam libris *Prodhow* scribitur collis dorso amœno situ impositum *Tina* subterlabens suspicit. Hanc PROTOLITIAM, (quæ & PROCOLITIA) Cohortis primæ Batauorum stationem fuisse tantisper suspicabor, donec dies certiora doceat. Celebre verò est quòd Henrici Secundi tempore Guilielmi Scotorum Regis obsidionem fortiter elusit, *cùm casso & suis noxio labore* (vt habet Nubrigensis) *sudasset*. Posteà ad *Vmfranuillos* magni nominis viros spectauit, è quibus Gilbertus regnante Edwardo Primo militari laude florens titulum Comitis Angusiæ in Scotia vxorio iure consequutus. Hæres vero *de sanguine* (vt loquuntur Iuridici nostri) tandem in familia de *Taleboys* elocata fuit: posteáque ad Bedfordiæ Ducem Principis munificentia hoc castrum deuenit.

Corbridge. Thesaurus frustrà quæsitus. Houeden. Tacitus. Colecester. Bewell. Liber Inquis. A Weare. Prodhow. Protolitia. Vmframuilli.

Sed vt ad Murum pedem referamus. A *S. Oswaldes*, duarum munitionum quas *Castlesteedes* appellant, fundamenta in muro cernuntur, deinde locus *Portgate* dictus, vbi portam fuisse in muro vis verbi in vtraque lingua ostendit. Sub hoc interiùs est *Halton-hall* vbi floret & vetustatis, & virtutis militaris gloria *Carnabiorum* familia, & iuxtà sedet *Aidon castle*, quæ fuit pars Baroniæ Hugonis illius *Balliol* quem dixi. Cur verò hoc nomine *Aidon* plura loca ad murum insigniantur, eodemque Ala militaris siue Equitum ordo Britannicè significetur, cuiusmodi plures per Muri longitudinem sua (vt ex Notitiarum libro constat) olim habuerint statiua; perpendat lector si non inde hoc nomen locis istis fuerit impositum, perinde ac *Leon* oppidis vbi legiones sua castra tenuerunt. Cæterùm iuxta effossum fuit fragmentum antiqui lapidis in quo exprimitur effigies decumbentis in lecto, sinistræ innixi, dextra dexterum genu tangente, & hæc leguntur:

Portgate. Aidon. Aden.

NORICI. AN. XXX.
--ESSOIRVS MAGNVS
FRATER EIVS
DVPL. ALAE
SABINIANAE.

M. MARI
VS VELLI
A LONG
VS AQVI
S HANC
POSVIT
V. S. L. M.

Exterius

Exterius *Pont* fluuius scatens, & defluens iuxta *Fenwick-hall* habitationem claræ & militaris *Fenwicorum* familiæ per aliquot milliaria muro prætenditur, & in suis ripis pro præsidio habuit cohortem primam Cornauiorum ad PONTEM AELII, ab Ælio Hadriano extructum, nunc *Pont-eland* dictum, ad quem Henricus Tertius & Rex Scotorum anno CIↃCCXLIIII. pacem sunt pacti; & iuxta hunc Cohors prima Tungrorum ad *Borwick* egit, qui in Notitia Prouinciarum BORCOVICUS dicitur. A *Portgate* procurrit murus ad *Waltowne*, quam cùm nomini significatio consonet, & XII. mill. pass. ab Orientali Oceano absit, eandem credimus esse Villam Regiam, quam AD MURUM vocat Beda, in qua Segbertus Orientalium Saxonum Rex baptismo in Christi Ecclesiam à Paulino insitus. Huic vicinum est propugnaculum Vetus *Winchester* nominatum, VINDOLANAM libenter credo, quam Cohortis IIII. Gallorum olim limitaneam fuisse stationem docet liber ille Notitiarum. Et inde *Rouchester* vbi præsidiarij castri quod Muro adiunctum fuit expressa quadrata forma vestigia planissimè conspeximus. Iuxtà *Headon* cernitur quæ fuit pars Baroniæ Hugonis de *Bolebec* qui maternum genus à Baronibus clarissimis de *Monte-fixo* deduxit, filiasque solummodo procreauit, quæ cum Radulpho Domino *Greistocke*, I. *Louello*, *Huntercombo*, & *Corbetto* matrimonia contraxerunt. Fenwicke. Pons Ælij. Pont-eland. Borcouicus. Borwic. Walton. Ad murum. Windolana. Old Winchester. Baronia Bolebec.

Iam vbi Murus & *Tina* ferè coeunt, *Newcastle* vrbium in hac plaga ocellus prælucet, portu nobilis, quem *Tina* efficit sua profunditate naues valdè magnas admittens, & ita defendens, vt nec tempestatibus facilè iactari, nec vadis afflictari possint. Situ accliui, & admodum inæquali sedet ad borealem ripam fluminis quod pulcherrimo ponte coniungitur cui ingredienti ad sinistram impendet castrum, postea cliuus præceps, ad dextram forum, & ædificijs pars vrbis potior, vnde haud facilè ascenditur in partem superiorem, quæ multo est amplior, Ecclesijs quatuor ornatur, Mœnibus armatur firmissimis quæ septem portis patent, crebris turribus interiectis. Quodnam olim fuerit in comperto non est. GABROSENTUM, facile iudicarim, cum eius quasi suburbium *Gates-head* illud Britannicum nomen à capris deductum, sua significatione exprimit, vt ante dictum. Gabrosentum etiam & in eo Cohortem secundam Thracum statuit Notitia Prouinciarum ad lineam Valli. Vallum autem & Murum per hanc vrbem duxisse certo est certius, & ad *Pandon* portam superest vna, vt creditur, è turriculis illius Muri, certè & opere & forma ab alijs diuersa magnam præ se fert vetustatem, nomenque *Monk-chester* præsidiarium fuisse castrum mihi persuadet. Sic enim à Monachis vocabatur, cùm Normannicum imperium inciperet, statimque à Nouo castro quod Robertus Guilielmi Normanni filius extruxit, hoc nouum nomen *Newcastle* induit, magnaque paulatim incrementa cum maritimis Germanis contrahendo, & fossiles carbones, quibus regio abundat, in alias Angliæ partes subuehendo cepit. Edwardo Primo rerum potiente, ciuis quidam opulentissimus è media vrbe à Scotis captiuus abreptus, cùm se magna pecuniæ vi redemisset, vrbem primo quoque tempore præmunire cœpit. Reliqui verò ciues eius exemplo commoti opus peregerunt, & mœnibus munitissimis vndique obsepsêrunt. Ex quo tempore adeo securè & hostium & prædonum quibus vicinia scatebat, minas elusit, & mercaturam exercuit, vt commerciorum frequentia, & opibus sit iam florentissimum, quo nomine in Comitatum *per se incorporatum* Henricus Sextus instituit. Distat à primo meridiano XXI. part. XXX. scrup. ab Æquatore Arcticum versus LIIII. grad. LVII. scrup. De suburbio *Gateshead*, quod ponte coniungitur, & ad Dunelmensem pertinet Episcopum, superiùs diximus. Hanc ob situm & carbonum fossilium copiam quorum magnus & vsus, & quibus luculentos focos magna pars Angliæ & Belgij debet, ita in suis Britanniæ Vrbibus dilaudat Ionstonus: New castle vpon Tine. Gabrosentum.

NOVUM CASTRUM.

Rupe sedens celsâ, rerum aut miracula spectat
Natura, aut solers distrahit illa alijs.
Sedibus æthereis quid frustrà quæritis ignem?
Hunc alit, hunc terra suscitat ista sinu.
Non illum torno terras qui turbine terret;
Sed qui animam terris, detque animos animis.

Eliquat hic ferrum, æs, hic aurum ductile fundit,
Quos non auri illex conciet vmbra animos?
Quin (aiunt) auro permutat bruta metalla.
Alchimus hunc igitur prædicat esse deum.
Si deus est, ceu tu dictas diuine Magister,
Hæc quot alit? quot alit Scotia nostra Deos?

Barones *Sur-Teis.*
Walisend.
Vindobala.
Vindomora.

Vix tribus hinc milliaribus abest (*Gosseford* enim quæ Baronia fuit olim Richardi *Sur-Teis*, id est, *super Teisam*, qui magno honore sub Henrico Primo effloruit, prætermitto) viculus *Wallsend* nominatus, id est, *Finis muri*. Hunc significatio ipsa stationem fuisse Cohortis secundæ Thracum docet, quæ Notitiarum libro VINDOBALA, Antonino VINDOMORA appellatur: hoc enim *Finem muri*, illud *Finem Valli* in Prouinciali Britannorum lingua significâsse videatur, cùm Murum *Mur*, & Vallum *Gual*, iam olim dixerint.

Tinmouth.
Tunnocellum.
Lusoriæ naues.

Nec credibile est Vallum, vel Murum vlterius perductum fuisse, cùm nulla vlteriùs sint eius indicia, & *Tina* iam proximus Oceano alueo suo altissimo pro munimento est firmissimo. Sunt tamen qui ad ipsum *Tinæ* ostium, quod *Tinmouth* nuncupatur, Vallum, non Murum pertigisse volunt, illudque *Pen-ball-crag*, id est, *Caput valli in rupe*, dictum contendunt, quibus nec ego refragabor. Sed hoc Romanorum sæculo TVNNOCELLVM fuisse ferè asseuerabo, cùm *Tunnocellum Promontorium Tunnæ*, vel *Tinæ* sonat, vbi Cohors prima Ælia Classica (ab Ælio Hadriano, vt ex nomine probabile est, instituta) naualibus operis meruit. Naues enim Lusorias dictas in fluminibus limitaneis habuerunt Romani, tam vt vicinorum excursus cohiberent, quam incursus vicissim facerent, vt videre est in Codicis Theodosiani libris, sub titulo *De lusorijs Danubij*. Saxonica Heptarchia Tunnacester vocabatur, non à *Tunna* Abbate, vt Beda tradit, sed à flumine, monasteriolumque à Danis sæpè direptum habuit. Nunc autem *Tinmouth Castle* appellatur, castroque magnifico & munito superbit. *Quod*, vt vetustus scriptor inquit, *ab Orientis plaga, & Septentrionis altissima supra Oceanum rupe se inaccessibile præbet, alibi verò situ altiori facili defensione indiget*. Vnde Robertus *Mowbray* Northumbriæ Comes sibi in belli sedem delegit, cùm res nouas contra R. Guiliel. Rufum moliretur. Sed res, vt assolet, parùm fœliciter rebelli cecidit, qui statim acriter obsessus in monasterium adiunctum se subduxit, quod asyli iure sacrosanctum habebatur, sed inde extractus diuturno carceris squalore proditionis pœnas serò persoluit.

Seton.
Segedunum.
Seghill.
Barones Ogle.

Nunc littus mihi legendum est. A tergo promontorij cui TVNNOCELLVM insidet, proximè *Seton* quæ sub Henrico Tertio pars fuit Baroniæ *De-la-vall*, *Seghill* cernitur olim SEGEDVNVM Cohortis Tertij Lergorum statio ad Vallum, & certè Britannis *Segedunum* idem quod *Seghill* Anglis denotat. Hinc littus post paucula milliaria *Blitho* fl. viam in mare aperit, qui *Belsey* quondam *Midletonorum*, & *Ogle* castrum Baronum de *Ogle* alluens hic cum *Ponto* fl. exoneratur. Hi Baronum dignitate à primis Regis Edwardi Quarti annis floruerunt, locupletati nuptijs cum hæredibus *Bertram* de *Bothall*, Alani *Heton*, & Alexandri *Kirkby*. Stirps mascula Baronum nuper defecit in Cuthberto Barone Septimo qui duas progenuit filias Ioannam enuptam Edwardo *Talbott* filio iuniori Georgij Comitis Salopiæ, & Catharinam Carolo *Cauendish* ex ordine Equestri.

Wents-becke
Baronia de *Mitford.*
Rutarij siue *Ruptarij.*
* Alias de *Breant.*

Paulò superiùs *Wents-beck* flumen ab Oceano absorbetur, qui præterlabitur *Mitfordiam* quam succendit Rex Ioannes & eius *Rutarij* cùm has regiones grauissimè persultaret. *Rutarios* vocauit hæc ætas extremos illos & prædatorios milites quos è Belgio & aliunde in subsidium Regis Ioannis Falcasius * de *Brent*, & Walterus *Buc* adduxerunt, *Brent* homo efferatus tandem regno eiectus, *Buc* verò sedatior cùm strenuam operam regi nauasset, possessiones in agro Eboracensi & Northantonensi à Rege accepit, eiusque posteri ibidem floruerunt vsque ad Ioannem *Buc* proscriptum sub Henrico Septimo. Cuius pronepos est Georgius *Buc* vir literatè doctus Eques auratus & à regijs spectaculis, qui (iuuat enim profiteri per quos profeci) multa in historijs obseruauit, & candidè impertijt. *Baronia* hæc quondam fuit Guilielmi *Berthrami* cuius stirps statim defecit in Rogero è filio nepote, hæredesque tres datæ fuerunt in matrimonium, *Normanno Darcy*, T. *Penbury*, & Guilielmo de *Elmeley*.

Deinde

Deinde *Wentſ-beck* interlabitur *Morpit* celebratum opidulum: ad Borealem enim fluminis ripam opidum ſedet, ad auſtralem templum, Caſtrumque vmbroſo in colle adſidet, quod vnà cum opido à Rogero de *Merlaco* ſiue *Merley* cuius Baronia erat, ad Dominos de *Greiſtock*, & inde ad Barones de *Dacre* de *Gilleſland* deuenit. Nihil ex antiqua memoria de hoc habeo, niſi quod anno Chriſti MCCXV. ab ipſis incolis in inuidiam Ioannis Regis ſuccenſum fuerit. Hinc *Wents-beck*, flu. allabitur *Bothall* caſtrum, & Baroniam olim Rich. *Berthram*, à cuius poſteris ad Barones de *Ogle* deuoluta eſt. Ad cuius ripam iam diu exiſtimaui, ex veritate, an opinione neſcio, GLANOVENTAM olim extitiſſe, quæ præſidio Cohortis primæ Morinorum ad limites defendendos à Romanis firmata erat. Quod ipſa ſitus ratio mihi quaſi perſuadet, iubetque nomen fluminis, & ipſa nominis ſignificatio. Ad lineam enim Valli vel Muri ſedet, vbi ſtatuit liber Notitiarum, flumen *Wentſ-becke* dicitur, & GLANOVENTA Britannis *Littus* vel *Ripam Ventæ* ſignificat. Vnde littoralis Galliæ vrbs *Glanon*, cuius Mela meminit, nomen traxiſſe videatur. Morpeth. Hiſt. Malroſ. Glanouenta.

Non procul vt minoris famæ turriculas omittam *Withrington*, ſiue *Woderington*, Saxonibus olim Wiopinᵹτun; antiquum caſtrum prope littus cernitur, quod nomen fecit nobili & Equeſtri familiæ de *Withrington* cuius virtus in Scotico bello ſubinde emicuit. *Coqueda*, ſiue *Coquet* fl. inde mari immiſcetur, qui inter montis *Cheuiota* aſpreta emanans, haud procul à fontibus *Billeſdun* habet, vnde clara familia *Selbeiorum*, & inferiùs ad Auſtrum *Harbottle*, Saxonice Ƕepboτꞇle, id eſt, *Exercitus ſtatio*, vnde *Harbottellorum* familia ſuperiori ætate floruit. Caſtrum olim habuit, ſed quod a Scotis an. ſalut. MCCCXIIII. ſubuerſum. Huic contiguum eſt *Halyſton*, id eſt, *Saxum ſacrum*, vbi in primitiua Anglorum eccleſia Paulinum multa millia hominum baptiſaſſe fama obtinet. Ad ipſum verò *Coquedæ* oſtium *Warkworth*, caſtrum *Perciorum* non inelegans locum habet & littus tuetur, vbi miro opere ſacellum e rupe excauata ſine trabibus & lignis efformatum. Hoc Rex Edwardus III. Henrico *Percy* cum *Manerio de Rochbury* donauit. Priùs Baronia erat Rogeri filij *Richardi* ex dono Henrici II. Regis Angliæ, qui etiam *Clauering* in Eſſexia illius filio dedit, vnde iubente Rege Edwardo Primo, *Clauering* nomen ſibi aſſumpſerunt, relicto veteri illo more deſumendi nomina ex prænomine ſiue Chriſtiano nomine patris, anteà enim ſecundùm paternum nomen Robertus* *Fitz-Roger*, Rogerus *Fitz-John*, &c. nominabantur. Partem hæreditatis per *Finem* & conuentionem adierunt *Neuilli*, qui poſtea Comites Weſtmorlandiæ, partem Eua filia nupta Th. *Ufford* a cuius poſteris ad *Frenos* Barones *Dacres* hæreditariò deuenit. A iunioribus autem filijs Barones de *Euers*, *Eueri* de *Axholme*, *Claueringi* de *Kalaly* in hoc Comitatu, & alij genus deducunt. *Morwic* etiam huic adiacet quæ ſuos etiam Dominos iactet quorum ſtirps maſcula circa annum MCCLVIII. deſijt. Hæreditas per filias ad *Lumleios*, *de S. Mauro*, *Bulmeros*, & *Roſcellos* tranſiuit. Withrington. Coqueda flu. Harbottle. Haly ſton. Warkworth. Rot. Parl. 5. Edw. 3. Clauering. * Filius. Morwick.

Littus deinde ALAVNO flumini ſe patefacit, qui necdum illo nomine viduatus, quo Ptolemæo innotuit, *Alne* contracte dicitur, ad cuius ripam præter *Twifford*, id eſt, *Duplex Vadum*, vbi Synodus ſub Egfrido rege celebrata fuit, & *Eſlington* habitatio *Collingwoodorum* qui laude militari claruerunt, etiam *Alan-wick*, Saxonicè Ealn-pic, vulgò *Anwick* cernitur, victoria Anglorum nobilitatum opidum, qua maiorum virtus Guilielmum Scotorum regem Henrico Secundo captiuum tradidit; & caſtro firmatum egregio. 1174
Quod cùm Malcolmus Tertius Rex Scotorum obſidione eò adegiſſet, vt iam dederetur, 1097
occiſus erat a milite qui caſtri claues lanceæ cuſpidi appenſas traditurum ſe ſimulauit, lancea in eum adacta. Simulq; Edw. filius patris mortem vlturus dum incautiùs in hoſtem irruit, accepto vulnere breui perijt. Baronia hæc quondam fuit *Veſciorum*, Euſtachio enim filio Ioannis, patri Guilielmi *Veſci* Henricus Secundus dedit tenendum per ſeruitium XII. *Militum*. Ioannes autem *Veſcy* è bello ſacro rediens Carmelitas ſecum primus in Angliam adduxit, illiſque hic in *Holne* ſolitudine non diſſimili Carmelo monti in Syria Conuentum extruxit. *Veſciorum* vltimus Guilielmus, cùm Antoninum *Bec* Epiſcopum Dunelmenſem hæredem fiduciarium inſtituiſſet, vt hoc caſtrum cum latifundijs filio notho, quem ſolum reliquerat, traderet; hæreditatem dolo malo interuertit Epiſcopus, & Guilielmo *Percio* præſenti pecunia diuendit, ex quo ad *Percios* iam inde ſpectauit. Alaunus flu. Alne. Alnewick. Teſta. Neuilli Carmelitæ. Hiſtoria Dunelmenſis.

In

Dunstaburg. Bebba. In diuersos hinc angulos littus se cuneans tendit per *Dunstaburge* patrimonij Lancastrensis castrum, quod *Bebbam* aliqui falsò suspicati sunt, quæ superius sedet, & pro Bebbanburȝ; nunc *Bamborrow* vocatur. Bamborrow. Beda noster vbi hoc castrum à Penda Mercio obsessum, & incensum fuisse memorat, Bebbam Reginam sic cognominasse scribit. Florilegus verò, Idam primum Nordanhumbrorum regem construxisse refert, quod priùs ligneis palis, postea muro firmauit. Sed huius descriptionem ex Rogero Houedeno habe. *Bebba*, inquit, *est ciuitas munitissima, non admodum magna, sed quæ duorum, vel trium agrorum spatium complectitur, habens vnum introitum cauatum, & gradibus miro modo exaltatum, inque summitate montis Ecclesiam perpulchrè factam, & in occidente in summitate ipsius fons est miro ornatus opere, dulcis ad potandum, & purissimus ad videndum.* Nostra verò ætate castrum potiùs quàm ciuitas habetur, sed adeò amplum vt ciuitatis sit æmulum. Nec aliud quàm castrum habebatur, cùm Rex Guilielmus *Rufus* excitata è regione turre *Male-vicina* dicta, *Moubraium* rebellantem & in illo delitescentem continenti labore oppugnaret, qui furtiua fuga se tandem subduxit. Male-vicina Turris. Decoris maximam partem longo pòst tempore, intestino bello amisit, cùm *Bressius* Normannus vir militaris qui Lancastrensi familiæ studuit inclementiùs in illud sæuiret. Iam inde verò cum tempore, & ventis conflictatum est, qui incredibilem vim sabuli ex Oceano in eius munitiones per fenestras patentes converterunt. Huic adiunctum est *Emildon* quæ olim Baronia Ioannis *Le Viscont*, sed Rametta hæres familiæ possessiones diuendidit Simoni de *Monteforti* Comiti Leicestriæ. Viscontes. In hac natus est Ioannes *Duns*, *Scotus* dictus quia e Scotico genere, qui in Mertonensi Collegio Oxoniæ educatus, in Dialectica, & spinosa illa Theologia ad miraculum doctissimus, dubitabundus tamen sacrarum rerum fidem caligine circumfudit & tam profunda & admiranda subtilitate licèt obscuro incultoque dicendi genere plurima scripsit, vt Doctoris Subtilis nomen promeruerit, & nouam Scotistarum sectam nomine suo condiderit. Ioannes Scotus Doctor Subtilis floruit 1300. Miserè autem perijt Apoplexia correptus & nimis festinato funere pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita, sero morbi impetum natura discuteret, frustra ad petendam opem miserabili mugitu, pulsatoque diu sepulchri lapide, eliso tandem capite animam ediderit. Paulus Iouius in Elogijs Doctorum. Vnde in illum Italus quidam:

Quæcunque humani fuerant, iurisque sacrati,
In dubium veniunt cuncta vocante Scoto.
Quid? quod & in dubium illius sit vita vocata,
Morte illum simili ludificante stropha.
Qùum non ante virum vitâ iugularit ademptâ,
Quàm viuus tumulo conditus ille foret.

Quod verò hîc in Anglia natus fuerit ex manuscriptis eius operibus in Bibliotheca Mertonensi Oxoniæ, eorumque fide dico, quæ sic terminantur. *Explicit Lectura Subtilis in Vniuersitate Parisiensi Doctoris Ioannis Duns nati in quadam villula parochiæ de Emildon vocata Dunston in Comitatu Northumbriæ pertinente domui Scholarium de Merton-hall in Oxonia.*

Hoc littore deinceps nihil memoratu dignum occurrit præter *Insulam Sacram*, de qua suo loco, donec ad *Tweda* ostium ventum sit qui Angliam à Scotia longo spatio discludit, limesque Orientalis dicitur, vnde Nechamus noster, Tweda fl.

Anglos à Pictis seiungit limite certo
Flumen, quod Tuedam pristina lingua vocat.

Hic fluuius copiosa scaturigine è Scotiæ montibus erumpens inter limitaneos equites, & abactores, ne grauius quid dicam, quibus, vt ait ille, ius sibi vendicat ensis, diu tortuosus errat. Carram. Vbi verò proximè *Carram* vicum accesserit, multis aquis conualescens regnorum collimitia discriminare incipit. Werke. Cùmque *Werke* olim *Rossorum*, nunc *Greiorum* qui militari laude diu floruerunt, castrum alluerit, in quod Scoti non rarò detonuerunt, *Tilli* fluuij binominis aqua augescit. Bramish fl. Ad fontes enim qui sunt in parte huius regionis interiori *Bramish* appellatur, viculusque *Bramton* admodum obscurus & nullius ferè Bramton. numeri

numeri illi incumbit, vnde Septentrionem petit per *Bengely* quæ cum ipsa *Brampton*, *Bromdum*, *Rodam* quæ stirpi hoc tractu insigni nomen fecit, *Edelingham*, &c. Baronia fuit Patricij Comitis de *Dunbar* regnante Henrico Tertio. Qui etiam, vt est in libro *Inquisitionum* in Archiuis Regijs erat *Inborow*, & *Outborow* inter Angliam & Scotiam, i. si ego intelligo, vt præstaret & obseruaret hac in parte ingressum & egressum commeantium inter vtrunque regnum. Veteres enim Angli ingressum & atrium sua lingua Inborou dixerunt. Superiùs flumini apponitur *Cheuelingham* nunc *Chillingham*, quod vt *Horton* non multum hinc distans, ambo Castra *Greiorum* ex quo duæ illæ *Greiorum* familiæ coniugio coaluerunt. *Inborow*, quid.

Wolloner Baronia inde propè iacet, quam Rex Henricus Primus dedit Roberto de *Muscocampo*, siue *Muschamp*, qui in parma cærulea tres gessit albos papilliones, è cuius posteris Robertus potentissimus Borealis huius plagæ Baro regnante Henrico Tertio censebatur. Hæreditas verò statim inter fœminas dissipata quarum vna Comiti *Strathernia* in Scotia, altera Guilielmo de *Huntercombe*, tertia Odonello de *Ford* fuit enupta. *Gleni* fl. inde ab Occasu *Tillum* suis aquis infusis adauget & *Glendal* vallem quam intermeat denominat. De hoc fluuiolo Beda. *Paulinus veniens cum Rege & Regina in villam regiam, qua vocatur Ad-Gebrin (hodie Yeuerin) triginta sex diebus ibidem cum eis Catechizandi, & Baptizandi officio deditus morabatur: quibus diebus cunctis à mane vsque ad vesperam nihil aliud agebat, quàm confluentem eò de cunctis viculis ac locis plebem, Christi verbo salutis instruere, atque instructam in fluuio* Gleni, *qui proximus erat, lauacro remissionis abluere. Hæc villa tempore sequentium regum deserta, & alia pro illa est facta in loco qui vocatur* Melmin, *hodie verò* Melfeld. Wollouer. Insignia Muscamporum. Math. Paris. Fin. 35. H. 3. Glendale. Lib. 2. c. 14. Yeuerin. Melfeld.

Hic propè *Brum-ridg* ad *Brumeford* Athelstanus Rex collatis signis cum Aulafo Dano, Constantino Scotorum, Eugenio Cumbrorum Regulo adeò fœliciter dimicauit, vt prælium hoc fuit celeberrimum, & grandiloquis verbis & versibus ab historicis, & Poetis eius seculi decantatissimum. Hic *Bramish* in *Tilli* nomen abit, & primùm *Ford* castrum bellicosæ familiæ *Heronorum* quondam, nunc *Carrorum*, inde *Etall* vbi *Manerij* qui *Manours* & de *Manerijs* dicti habitarunt equestri splendore olim clari, & quorum posteri Rutlandiæ Comites nunc sunt honoratissimi. Multa castella in hoc tractu sciens omitto, infinitum enim esset sigillatim enumerando persequi, cùm certum sit Regis Henrici Secundi temporibus castella M C X V. in Anglia extitisse. Prælium ad *Brumford*. Vide H. Huntingdon. Guil. Malmesb. & Ingulph. Ford. Etall. Castella 1115. in Anglia.

Ex aduerso huius *Fordi* ad Occasum mons surgit prealtus, *Floddon* dicunt, Iacobi Quarti regis Scotorum cæde, & suorum strage signatus, qui dum Henricus Octauus Tornacum in Gallia obsideret, magno animo, & maiore spe (nostras enim vrbes in antecessum diuiserant) signa in Angliam intulerunt. Sed Thomas *Howard* Surriæ Comes instructus agminibus hoc in loco animosè excepit, pugnatumque acriter est vtrinque, donec nox incertis, quà data victoria esset, interuenit. Lux autem insequens victorem, victumq; ostendit, & ipse Scotorum rex non paucis vulneribus confectus, inter consertas cadauerum strues repertus. Vnde noua accessio facta *Howardorum* insignibus. 1513. Prælium ad Floddon.

Tweda, *Tillo* iam recepto, plenior decurrit per *Norham* siue *Northam*, quondam *Vbbanford*, Dunelmensium Episcoporum opidum. Egfridus enim Episcopus construxit, & Ranulphus successor castrum in excelso præruptæ rupis posuit, & fossa communiuit, in cuius exteriori muro qui maioris est ambitus variæ interijciuntur turriculæ in angulo ad flumen, interiùs ambitus est alter multò munitior, in cuius medio arx surgit æditior, sed secura pax nostri seculi, hæc licèt in limite, iam diu neglexit. Opidum subiacet in planitie ad Occidentem, templumq; habet in quo conditus erat *Ceolwulphus* Rex Northumbrorum cui Venerabilis Beda libros Ecclesiasticæ historiæ Anglorum inscripsit, qui posteà *abrenuntians seculo in Lindsfernensi ecclesia monachus effectus cælesti regno militauit, corpus posteà delatum in Ecclesiam Northam*. Cùm etiam Dani *Insulam Sacram* vbi Cuthbertus ille Sanctus (quem Beda tantoperè celebrat) & sedit episcopus & fuit sepultus, depopularentur, atque nonnulli religiosi furto eius corpus transuehere ambirent, reflantibus ventis *cum honore debito sacrum corpus ad** Vbbanford, *incertum an episcopatus sedem, deposuere, iuxta amnem* Twedam, *iacuitq; ibi multis annis vsq; ad aduentum Ethelredi Regis*. Hæc & alia me docuit (nec enim reticebo per quem profecerim) Georgius *Carletonus* hinc oriundus filius vtiq; Castellani huius loci, quem cùm propter singularem Norham. Rog. Houed. Ceolwulphus Rex. Guil. Malmesf. lib. 1. de gestis Pontif. * Bulbeford in impressis corruptè legitur.

in

in Theologia quam profitetur, & amœnioribus literis eruditionem amauerim, & ab ipso redamor, amore planè indignus essem si non agnoscam. Sub *Norham* ad *Killey* viculum vicinum, auorum memoria ornamenta balthei militaris, & ensis manubrium è solido auro reperta fuisse à grandæuis accepimus, quæ T. *Ruthallo* Episcopo Dunelmensi donata erant.

Killay.

Manubrium aureum.

Paulò inferiùs *Tuedæ* ostium cernitur, cui in vlteriori ripa impendet vltimum Angliæ, & munitissimum totius Britanniæ opidum *Berwick*. Quod nomen à Berengario Duce, quem somniàrunt, deducunt aliqui. Lelandus ab *Aber*, quod ostium Britannis sonat, vt *Aberwic* vicum ad ostium significaret. Sed qui nouit quid *Berwicus* sonet in Regum nostrorum Chartis, in quibus nihil frequentius, quàm *Dono opida C. & D. opida cum suis Berwicis*, næ illi viderit veram huius *Berwici* etymologiam. Ego quid velit conijcere non possum nisi vicum, quasi appendicem loco cuipiam celebriori annexam denotet. Donationibus enim Edwardi Confessori, *Totthill Berwicus* Westmonasterij, & *Wandlesworth Berwicus* Patricsciæ dicuntur, & id genus sexcenta. At quorsum hæc? operam sanè ludimus, si (vt aliqui volunt) Beopnica-pic Saxonicè olim dixerint, id est, *Berniciorum vicus*. *Bernicia* autem nomine has regiones insignitas fuisse notius est quàm dici poss[...], & iam anteà diximus. Vndecunque verò nomen habet situ longiùs in mare porrigitur, ita vt mari & *Tueda* fere circumualletur. Et inter duo potentissima regna posita, quod de Palmyra Syriæ Plinius dixit, prima semper in discordia vtrique genti fuit cura, adeò vt ab eo tempore quo Edwardus Primus Scotis primùm extorserit, sæpius à Scotis occupatam Angli recuperauerit. Sed eius historiolam summatim hic si placet contexamus. De Berwico hoc nihil antiquius legi, quàm quòd Guilielmus Scotorum Rex ab Anglis bello captus Henrico nostro Secundo, vt se carcere liberaret, ea lege tradiderit, vt in perpetuum Anglicæ ditionis esset, nisi ad certum diem redemptionis pretium persolueret, protinusque, vt est in Polychronico Dunelmensi, Henricus castro muniuit. Verùm numerata pecunia Richardus Primus Scoto restituit. Postea Ioannes Rex (vt est in historia Melrossensi) *& villam & castellum de* Berwick *cepit, cùm Werk, Roxburgh, Mitford, & Morpath incendit, Northumbriamque totam peruastauit cum suis* Rutarijs, *quia Barones Northumbriæ homagium Alexandro Scotorum Regi apud* Feltun *præstitissent*. Multis pòst annis cùm Ioannes *Balliolus* Rex Scotorum iusiurandum violasset, Edwardus Primus Berwicum anno humanę salutis CIↃCCXCVII. in suam potestatem redegit, breui tamen cùm Mars Scotis arridere cœpit, desertum occupàrunt illi; statimque per deditionem nostri receperunt. Posteà in soluto illo Edwardi Secundi regno, Roberto *Brus* Scotorum regi acriter oppugnanti Petrus *Spalding* tradidit, nostrique frustrà obsederunt, donec Hector ille noster Edwardus Tertius anno Christi CIↃCCCXXXIII. fortiter adortus, fœliciter potitus sit. Regnante tamen Richardo Secundo abactores quidam Scotici ex improuiso castellum ceperunt; sed ante nouem dies Henricus *Percius* Northumbriæ Comes recuperauit. Vix septimus agebatur annus cùm Scoti iterum non viribus, sed pecunia expugnarent, qua de caussa Henricus ille *Percius*, qui loci præfectus erat in læsæ maiestatis crimen vocatus, verùm ille Scotorum fidem & fortitudinem itidem pecunia labefactauit, statimque recepit. Satis longo pòst tempore cùm intestino bello Anglia plusquam intabesceret, Henricus Sextus iam in Scotia profugus, Scoto, vt sibi securitatem in Scotia præstaret, in manus tradidit. Sed post annum vicesimum secundum Thomas *Stanleius* non sine suorum cæde in Edwardi Quarti potestatem reduxit. Ex quo tempore Anglię reges operibus subinde firmarunt & communierunt, maximè verò Regina Elizabetha quæ nuper hostium terrori, ciuiumque præsidio astrictiore ambitu intra vetera mœnia, excelso muro firmissimo lapidum connexu compacto circumclusit, quem rursum fossa profunda, continuo aggere, aggestitijs molibus, & hypethræis ita præmuniuit, vt oppugnantibus omnem spem munitionum forma, vel firmitas facilè præcidat. Vt interim præsidiarij militis virtutem, & bellicum apparatum omnium opinione maiorem prætermittam. Qui huic opido cum authoritate præfuit (vt hoc etiam adnotem) semper aliqu[...]is erat ex prudentissimis & spectatissimis Angliæ proceribus, simulque Orientali huic ad Scotiam limiti præfectus. Longitudine part. XXI. scrupulis XLIII. Latitudine LV. grad. XLVIII. scrup. definitur vti obseruarunt Mathematici. Vnde hac cœli inclinatione dies longissimus fit horarum XVII. scrup. XXII. & nox tantùm

Berwick.

Ingulphus Berwicum Manerium interpretatur.

1171

tantùm VI. horarum, scrup. XXXVIII. vt non falsò ille Seruius Honoratus scripserit, *Britannia lucis diues vix quoddam spatium concedit noctibus*, nec mirum si milites nullo adhibito lumine tota nocte alea hic ludant, si noctium [illegible] consideres, & Iuuenalis dixerit *minima contentos nocte Britannos.* Britannia lucis diues.

De *Berwico* in corrollarium habe iam I. Ionstoni versus.

Scotorum extremo sub limite, meta furoris
Saxonidum: gentis par vtriusque labor.
Mille vices rerum, quæ mille est passa ruinas,
Mirum, qui potuit tot superesse malis!
Quin superest, quin extremis exhausta ruinis,
Funere sic creuit firmior vsque suo:
Oppida vt exæquet iam munitissima. Ciuis
Militis & censum, & munia Martis obit.
Postquàm seruitio durisque est functa periclis,
Effert lætitiæ signa serena suæ:
Et nunc antiquo felix se iactat honore,
Cùm reddit Domino debita iura suo:
Cuius ab auspicijs vnita Britannia tandem
Excelsum tollit libera in astra caput.

Quod de limitaneis qui circumhabitant quondam prodidit in vita sua à se descripta, & alterius nomine ædita Æneas Syluius siue PP. Pius Secundus qui priuatus in Scotiam legatus erat circa annum CIↃCCCCXLVIII. iuuat apponere cùm necdum degenerauerint. Commentarij Pij Secundi Ioan. Gebellini nomine æditi.

* Fluuius *est, qui ex alto monte diffusus vtramque terram disterminat: hunc cùm nauigio transmeâsset Æneas, atque in villam magnam circa solis Occasum declinâsset, in domum rusticanam descendit atque ibi cœnam cum sacerdote loci & hospite fecit. Multa ibi pulmentaria, & gallinæ, & anseres afferebantur in esum, sed neque vini, neque panis quicquam aderat, & omnes tum fœminæ virique villæ, quasi ad rem nouam accurrerant, atque vt nostri vel Æthiopes vel Indos mirari solent, sic Æneam stupentes intuebantur, quærentes ex sacerdote cuias esset, quidnam facturus venisset, Christianam ne fidem saperet. Edoctus autem Æneas itineris defectum, apud monasterium quoddam panes aliquot & vini rubei metretam receperat, quibus expositis maior admiratio illos tenuit, qui neque vinum, neque panem album viderant. Appropinquabant autem mensæ prægnantes fœminæ, earumque viri attrectantes panem & vinum odorantes portionem petebant, inter quos totum erogare necesse fuit. Cùmque in secundam noctis horam cœna protraheretur, sacerdos & hospes cum liberis virisque omnibus Ænea dimisso abiere festinantes, dixerunt se ad turrim quandam longo spatio remotam metu Scotorum fugere, qui fluuio maris refluxu decrescente noctu transire, prædarique soleant, neque secum Æneam multis orantem precibus quoquo pacto adducere voluerunt, neque fœminarum quampiam, quamuis adolescentulæ & matronæ formosæ complures essent: nihil enim his mali facturos hostes credunt, qui stuprum inter mala non ducunt. Mansit ergo illis solus Æneas cum duobus famulis, & vno itineris duce inter centum fœminas, quæ corona facta medium claudentes ignem, cannabumque mundantes, noctem insomnem ducebant, plurimaque cum interprete fabulabantur. Postquam autem multum noctis transierat, latrantibus canibus, & anseribus strepentibus, ingens clamor factus est, tumque omnes fœminæ in diuersum prolapsæ, dux quoque itineris diffugit, & quasi hostes adessent omnia tumultu completa. At Æneæ potior sententia visa est in cubiculo (id enim stabulum fuit) rei euentum expectare, ne si forâs curreret ignarus itineris, cui primùm obuiâsset, ei se prædam daret, nec mora reuersæ mulieres cum interprete nihil mali esse nuntiant, atque amicos, non hostes venisse.* * Tweda. Limitaneorum mores.

Fuerunt in hac regione popelli quidam *Seouenburgenses*, & *Fisburgingi* dicti, quorum locum designare in obscuritate tanta, iudicij non est mei. Nec definire an Dani vel Angli fuerint. Scribit verò Florentius Wigorniensis æditus opera honoratissimi Dom. Guilielmi *Howardi*, cùm comitia Oxenfordiæ haberentur *digniores & potentiores mini-* Seouenburgenses. Fisburgenses. 1013

stros ex Seouenburgensibus Sigeferthum, & Morcarum clanculum sublatos fuisse ab Edrico *Streona*, Edmundumque * Clitonem contra voluntatem patris Alfritham Sigefrithi vxorem duxisse, & profectum ad *Fisburgingos terram Sigeferthi inuasisse, & illorum populum sibi subiugâsse.* Sed alij hæc disquirant.

* Principem Fitburgingi. 1015

Reges, Duces & Comites Northumbriæ. Berniciij.

Hæc prouincia ab Osca Hengisti fratre, & filio eius Iebusa in Saxonum potestatem redacta, primùm suos Duces clientelari iure Cantij regibus obstrictos habuit. Inde cùm regnum Berniciorum, quos Britanni *Guir à Brinaich*, id est, quasi *Montanos* dicunt constitutum esset, quod à *Tesi* ad Scoticum fretum pertigit, pars eius optima fuit, paruitque Nordanhumbrorum regibus, qui cùm suam periodum confecissent, quicquid vltra *Tuedam* erat, in Scoticum nomen cessit; hunc autem agrum Egbertus Orientalium Saxonum rex suo imperio per deditionem adiecit. Alfredus posteà Danis permisit, quos Athelstanus pauculos post annos exturbauit, Eilricum tamen Danum populus posteà in regem extulit, quem Ealdredus rex statim expulit. Deinceps verò regium nomen in hac prouincia desijt, Comitesque vocabantur qui præfuerunt. E quibus hi ordine in historijs nostris memorantur, Osulfus, Oslacus, Edulphus, Waldeosus senior, Vchtredus, Adulphus, Alredus, Siwardus, Tostius, Edwinus, Morcarus, Osculphus, Siwardus ille vir fortissimus qui vt in armis vixit, armatus etiam mori voluit. *Comitatus autem eius Eboracæ Tostio fratri Comitis Haroldi datus est; Northamtoniæ verò ac Huntingdon Comitatus cum cæteris terris suis inclyto Comiti Waldeoso filio & hæredi suo sunt donati.* Hæc Ingulphi verba subieci, quòd sunt qui negant hunc Huntingdoniæ Comitem fuisse. Nunc subtexam quod in antiqua membrana hac de re in Bibliotheca Ioannis Stowæi honestissimi ciuis, & seduli ciuitatis Londinensis antiquarij legi. Copsi factus Northumbriæ Comes dono Guilielmi *Conquestoris* expulit Osculphum, à quo tamen paucos post dies interfectus erat. Osculphus deinde lancea à latrone traiectus diem obijt. Tum Gospatricus emit Comitatum à *Conquestore*, à quo non multò pôst eo honore deturbatus, successorem habuit Waldeosum Siwardi filium. Huic capite truncato subrogatus est Walcherus Episcopus Dunelmensis, qui vti Robertus *Comin* successor, populari tumultu occubuit. Robertus *Mowbray* posteà eundem titulum consequutus est, quem sua ipsius scelerata perfidia statim perdidit. Deinde Stephanus Rex Henricum filium Dauidis Regis Scotiæ, vt in Dunelmensi Polychronico legitur, Northumbriæ Comitem instituit, cuius filius etiam Guilielmus qui posteà Rex Scotorum se scripsit Guilielmum de *Warrenna* Comitem Northumbriæ, eius enim mater è familia fuit Comitum *Warrennæ*, vt constat ex libro Monasterij de *Brinkburn*. Post paucos annos Richardus Primus hunc Comitatum Hugoni de *Puteaco* Episcopo Dunelmensi dum viueret, pretio addixit. Sed cùm Rex ille ab imperatore in reditu è terra sancta *incarceraretur, & Hugo ad eius liberationem tantùm* 2000. *libras argenti contulisset, quas Rex minùs gratanter accepit, eò quòd censeretur modicum præstitisse, quem sub obtentu liberationis eius, immanes copias didicerat adunasse, ille officio Comitatus priuatus est.*

Ingulphus pag. 511. b. Anno 1056.

Lib. Dunelm.

Percij è stirpe Caroli Magni

Hodie verò *Perciorum* familia illo honore gaudet, quæ a Brabantiæ Comitibus oriunda *Percij* cognomen cum *Percij* possessionibus accepit, ex quo Ioscelinus filius iunior Godfredi Ducis Brabantiæ vera proles Caroli Magni per Gerbergam filiam Caroli fratris minoris Lotharij Regis Francorum postremi ex stirpe Caroleâ, Agnetem Guilielmi *Percy* filiam, & ex asse hæredem in vxorem duxerat, cuius Guilielmi proauus Guilielmus *Percy* Angliam cum Guilielmo victore ingressus, dono ab illo accepit latifundia in *Tatcaster*, *Linton*, *Normanby*, & alijs locis. Conuenit verò inter hanc Agnetem & Ioscelinum, vt ille *Perciorum* nomen assumeret, & sibi sua Brabantiæ antiqua insignia retineret, videlicet leonem cæruleum (quem Brabanti posteà mutarunt) in clypeo aureo. Primus ex hac familia Northumbriæ Comes fuit Henricus *Percy* ex Maria filia Henrici Comitis Lancastriæ natus qui antiqua nobilitate & bellica gloria clarus ab Edwardo Tertio amplis prædijs in Scotia muneratus, ab vxore secunda Matilde *Lucy* licèt ex ea nullam prolem susceperit, stipulatione facta vt Insignia *Luciorum* gestaret, admodum locupletatus, à Richardo Secundo Comitis Northumbriæ fuit honore exornatus. Cui tamen optimè merito malam reposuit gratiam, rebus enim afflictis deseruit, & Henrico Quarto viam ad regnum præmuniuit ab eo Insula *Mania* donatus, contra quem mox tacito conscientia verbere exulceratus ob Richard. iniustè sua opera abdicatum, & exacerbatus ob certum

Vide pag. 633.

tum

tum vt verum regni hæredem Edmundum de *Mortuo-mari* Comitem Marchiæ sibi affinem in carcere neglectum, hostilem induit animum, primùm fratre Thoma Comite Wigorniæ & animoso filio Henrico cognomine *Whot-spurre*, cum copijs in ipsum clam submissis, qui ambo in prælio ad Salopiam periere. Vnde proscriptus, verùm breui a Rege cui terrori erat, quadam conniuentia in gratiam receptus, & bonis restitutus omnibus, nisi Insula *Mannia* quam Rex sibi retraxit. Paulò tamen pòst in nouas cupiditates popularis & præceps ipse adscitis in belli societatem Scotis signa in Regem quasi vsurpatorem sustulit, & ex improuiso apud *Barham-moore*, à Th. *Rokesby* Vicecomite Eboracensi qui se obiecit, tumultuaria pugna anno MCCCCVIII. fusus & occisus. Post annum vndecimum Henricus *Percy* huius ex filio Henrico *Whot-spurre* nepos, (cui mater Elizabetha filia Edmundi de *Mortuo-mari* sen. Comitis Marchiæ ex Philippa filia Leonelli Ducis Clarentiæ) auitum honorem Parlamentaria authoritate ab Henrico Quinto recepit, qui Vide pag. 479. dum Henrici Sexti partes contra Eboracenses obfirmatè tueretur, in prælio apud *S. Albani Fanum* cecidit, vti filius eius Henricus Tertius Northumbriæ Comes, qui duxit Æleonoram filiam Richardi Baronis *Poynings*, *Brian*, & *Fitz-Paine* eadem caussa in prælio ad *Towton* anno CIↃCCCCLXI. Iam Lancastrensi familia quasi depressa, & *Perciorum* nomine simul conculcato, Rex Edwardus Quartus Ioannem *Neuill* Dominum *Montis-Acuti* Comitem Northumbriæ constituit, sed ille post breue tempus hunc titulum regi in manus reddidit, & Marchionis *Montis-Acuti* accepit. Posteà Henricus *Percy* Henrici illius quem modò dixi, filius gratia Edwardi Quarti paternum adeptus est honorem, qui, Henrico Septimo regnante, a rusticis de pecunia Ordinum decreto imperata contra exactores tumultuantibus occisus. Huic successit Henricus *Percy* Comes quintus cui e filia & cohærede Roberti *Spenser* & Æleonoræ filiæ & cohæredis itidem Edmundi de *Beaufort* Ducis Somersetti Henricus Comes sextus natus, qui cùm liberos haberet nullos, & Thomas frater eius morte esset mulctatus quòd contra Regem Henricum Octauum in primo religionis discidio arma mouerat; quasi iam de familia actum esset, magnam partem lautissimi patrimonij largitionibus in Regem & alios effudit. Paucis elapsis annis Ioannes *Dudley* Comes Warwici titulum Ducis Northumbriæ occupauit, cùm in tenella Edwardi Sexti ætate pro partium studijs honorum titulos partium duces inter se sortirentur. (Dux Northumbriæ.) Hic ille dux erat Northumbriæ qui aliquandiu patriæ turbo pacem publicam interturbauit, dum Mariam atque Elizabetham Henrici Octaui filias legitimo successionis iure excludere, Ianæque *Grey*, cui filium nuptijs coniunxerat, regnum aucupari prono iuridicorum in rerum potitos fauore, machinaretur. Vnde læsæ Maiestatis reus peractus capitis pœnam subijt, ad funestam securim Pontificiam religionem quam in rem suam diu antea seriò, vel simulatè proiecerat, amplexus & publicè professus. Eo sublato Thomam *Percy* Henrici Comitis Sexti e fratre Thoma nepotem Maria Regina natalibus restituit, primùmque Baronem de *Percy*, & mox Comitem Northumbriæ *sibi & hæredibus masculis de corpore & pro defectu Henrico fratri & hæredibus eius masculis* nouo Diplomate creauit. (3. & 4 Ph. & Mariæ.) Verùm hic Thomas Comes Septimus sua in Principem & patriam perfidiâ restaurandæ Romanæ religionis velo obtectâ vitam cum dignitate anno MDLXXII. amisit. Singulari tamen Reginæ Elizabethæ benignitate ex illo Mariæ Diplomate Henricus eius frater Comes Octauus successit, qui in carcere anno MDLXXXV. vitam terminauit, filiumque Henricum e Katherina filia primogenita & vna hæredum I. *Neuill* Baronis *Latimer* natum, nonum ex hac stirpe Northumbriæ Comitem successorem habuit.

SCOTIA




DEUCALEDONIUS
OCEANUS
St Columbanus
Rona
Leuis
EBU
DES
siue
HEBRI
DES
Insulæ
Barray
MARE HIBERNICUM
Yla Insula
GLOTTA
IRLANDIAE siue HIBER
NIAE PARS



SCOTIA
Regnum
MARE
GERMANI-
CUS
Sep- ten-
Ori- ens
Occidens
Meridies
Stronza
Soutrowalsa Insula
LITTUS ALTUM
PORTUS SALUTIS
TAUS Æstuarium
BODOTRIA æstuar
Perth
Strath Done
Laudonia
ANGLIAE PARS
Buquhania
Badgenoth
Lenoxia
Clidsdaill



SCOTIA.



Cotia iam adeunda, & libens sanè adibo, simulque leui pede, vel potius desultoria leuitate transibo: *Memini illud*; Minùs notis minùs diu insistendum, & *quod Graecus ille monuit* ΞΕΝΟΣ ΩΝ ΑΠΡΑΓΜΩΝ ΙΣΘΙ. *Parum enim consideratè esset in eo multus videri, in quo parum versatus fuerim. Verumenimuerò cùm* BRITANNIAE *nomine etiam glorietur, liceat mihi præfato Scotorum honore, pro suscepti operis ratione qui* BRITANNIAM *illustrandam audactèr suscepi, bona cum venia inceptum persequi, & leuato obscuræ antiquitatis velo, antiquiora quædam (si potero) digito indicare. Faciliorem sane veniam ipsorum mihi spondet benignitas, & rara huius temporis fœlicitas, cùm in sinum diuina opportunitate nobis delatum, quod vix sperauimus, & maiores nostri votis toties repetitis tantopere efflagitarunt; scilicet vt Britannia tot seculis in se disiuncta & insociabilis, vniuersa quasi vna vrbs salutari communione sub vno augustißimo Monarcha perpetuæ pacis fundatore coniuncta consolidaretur. Qui propitia diuini numinis indulgentia electus, vtriusque gentis bono natus & conseruatus, qua est summa prudentia & paterna in omnes subditos beneuolentia, ita omnes timendi, sperandi, vlciscendi, & querendi caussas amputat, vt feralis illa* DISCORDIA *quæ has gentes nisi suis inter se armis inuictas tanto tempore in se commisit, compressa & elisa emoriatur,* CONCORDIA *autem exultet, dies festos paßim agitet & triumphet. Quoniam quod ille olim cecinit,* Iam cuncti Gens vna sumus. *Cui nos succinimus*; Et simus in æuum.

Priusquam

Priusquam Scotiam calamo obeam hæc præmonere operepretium videtur, me primordia gentis Scoticæ ipsorum historicis, & nominis originationem eruditis Scotis excutienda relinquere, (aliorum coniecturis quibuscunque eliminatis, quas vel prona credulitas, vel supina securitas & superioribus seculis & etiam nostris est enixa) atq; eodem quo prius in Anglia ordine, primùm paucula de Scotiæ diuisione, de regni Ordinibus, & Tribunalibus propositurum, deinde compendio persequuturum quæ sunt in singulis regionibus terræ situs & dotes, quæ celebrioris nominis loca, & quæ illustriores familiæ Comitum & Baronum Parlamentariorum titulo & honore maximè inclaruerunt, quantum legendo & percunctando consequi potuerim; idque prouidè cautus tam ingenuo & syncero veritatis studio, vt nec vel maleuolentißimum offendero, tamque succincta breuitate vt nec eorum curiosam diligentiam præuortam qui hæc pleniore penicillo, & viuaciore colore perpolire moliantur.



SCOTIÆ

SCOTIÆ DIVISIO.



Niuersa pars Septentrionalis insulæ Britanniæ antiquitùs à Pictis insessa fuit qui in duas gentes diuisi DICALIDONIOS sz. & VECTVRIONES de quibus iam antea ex Ammiano Marcellino dixi. Cùm Scoti autem in hac parte rerum potiti essent, in septem partes inter septem principes partita fuit, vt habetur in antiquo libello de Scotiæ diuisione hisce verbis:

Pars prima continebat *Enegus & Maern.*
Secunda *Atheodl & Gouerin.*
Tertia *Stradeern cum Meneted.*
Quarta fuit *Fortheuer.*
Quinta *Mar* cum *Buthen.*
Sexta *Muref* & *Ros.*
Septima *Cathanesia* quam *Mound* mons medius diuidit qui à mari Occidentali ad Orientale procurrit.

Deinde refert idem author ex relatione Andreæ Episcopi Cathanesij, in septem itidem territoria totum regnum fuisse partitum:

Primum a *Fryth* Britannicè, *World* Romanè, nunc *Scottwade*, ad *Tae* flu.
Secundum ad *Hilef* sicut mare circuit ad montem in Aquilonali parte de *Struelin* nomine *Athran.*
Tertium ab *Hilef* ad *Dee.*
Quartum a *Dee* ad *Spe* fl.
Quintum a *Spe* ad montem *Bruhalban.*
Sextum *Mures* & *Ros.*
Septimum regnum *Argathel*, quasi margo Scotorum, qui sic vocati fuerunt a Gathelgas duce.

Highland-men. Lowland-men. Borderers.

Secundùm gentium habitudinem diuiditur in *Highland-men* & *Law-land-men* .i. Superiores & Inferiores, hi politiores Anglorum lingua & habitu vtuntur, illi incultiores & præferoces Hibernicorum vt iam antea memoraui & postea memorandum. Limitaneos quos *Borderers* vocant ex hac diuisione excludo, quia illi pace iam vndiq; affulgente ex fausta & fœlici vnione, in Britannici imperij vmbilico sunt censendi & bellorum pertæsi pacis studijs se assuescere incipiunt.

Secundùm locorum habitudinem rursus vniuersum regnum in duas distribuitur partes, Australem cis *Taum* flumen, & Borealem trans *Taum* præter numerosas insulas circumpositas. In parte Australi hæ sunt regiones insigniores.

Teifidale.	*Arran.*
Merch.	*Cluydesdale.*
Lauden.	*Lennox.*
Liddesdale.	*Stirling.*
Eskedale.	*Fife.*
Annandale.	*Strathern.*
Niddesdale.	*Menteith.*
Galloway.	*Argile.*
Carrick.	*Cantire.*
Kyle.	*Lorn.*
Cunningham.	

Parti

Parti Boreali hæ regiones accenſentur:

Loquabria.	*Buquhan.*
Braidalbin.	*Murray.*
Perth.	*Roſs.*
Athol.	*Sutherland.*
Anguiſh.	*Cathanes.*
Mern.	*Strathnauern.*
Marr.	

Hæ rurſus ad ciuilem adminiſtrationem diuiduntur in Præfecturas, Conuentus, ſiue Comitatus, *Shiriffdomes* vocant, Seneſchalſias, vulgò *Stewarties* & Balliuatus ſiue *Bailleries*. Comitatus ſunt Ex Parlamento 11. Ia c.6.

Comitatus ſiue *Shiriffe-domes.*

Edenburgh.	*Perth.*
Lynthyquo.	*Clackmannan.*
Selkirk.	*Kinros.*
Roxburgh.	*Fiffe.*
Peblis.	*Kincardin.*
Berwick.	*Forfair.*
Lanark.	*Aberdene.*
Renfrew.	*Bamff.*
Dunfreis.	*Elgin.*
Wighton.	*Forres.*
Aire.	*Narne.*
Bute.	*Innerness.*
Argyle &	*Cromartie.*
Tarbet.	*Orknay &*
Dunbarton.	*Shetland.*

Seneſchalſiæ ſiue *Stewarties.* *Menteith.* *Strathern.* *Kircudbricht.* *Annandall.*

Balliuatus ſiue *Bayleries.* *Kile.* *Carick.* *Cunningham.*

Haddington Conſtabulariatus.

Quod ad adminiſtrationem diuinæ illius ciuitatis quam Eccleſiam vocamus, vt reliqui Orbis Epiſcopi certas diœceſes non habuerunt antequam Dionyſius Pontifex Romanus circa annum CCLXVIII. Epiſcopis Diœceſes diſtribuerit, ita Scotorum Epiſcopi munera Epiſcopalia quocunque fuerant loco ſine diſcrimine obierunt vſque ad Malcolmi Tertij tempora circa annum ſcilicet reſtauratæ Salutis MLXX. cùm ſuis finibus & limitibus diœceſes eſſent circumſcriptæ. Poſteà decurſu temporis hæc conſtabilita fuit in Scotia Hierarchia. Duo ſunt Archiepiſcopi, S. Andreæ, & Glaſcoenſis, quorum ille Primas totius Scotiæ habetur, ſub cuius authoritate octo ſunt Epiſcopatus, Epiſcopatus.

Dunkeldenſis.	*Brechinenſis.*
Aberdonenſis.	*Roſſenſis.*
Morauienſis.	*Cathanenſis.*
Dumblanenſis.	*Orchadenſis.*

Glaſcoenſi Archiepiſcopo tres tantùm ſubſunt,

Candidæ Caſa.
Liſmorienſis.
Inſularum.

ORDINES

ORDINES SCOTIÆ.



Espublica Scotorum perinde ac Anglorum constat ex Rege, Nobilibus, & Plebe.

REX, vt ex ipsorum sacris scrinijs loquar, *directus est totius Dominij Dominus*, regiamque habet authoritatem & iurisdictionem in omnes regni sui Ordines tam Ecclesiasticos quàm Laicos.

Proximus à rege est filius eius primogenitus qui PRINCEPS SCOTIAE appellatur, & peculiari iure Dux est Rothsaiæ, Scotiæque Seneschallus. Reliqui verò Regis liberi absolutè *Principes* nominantur.

Thani. Inter Nobiles amplissimi & honoratissimi olim erant *Thani*, id est, qui, si quid video, ex munere solummodò quo defungebantur erant nobilitati. Dictio enim in antiqua Anglo-Saxonum lingua *Ministrum Regium* denotat. Ex his superiores dicti erant *Abthanes*, & inferiores *Vnder-Thanes*. Verùm hæc nomina paulatim exoleuerunt, ex quo Rex Malcolmus Tertius Comitum & Baronum titulos ex Anglia à Normannis acceptos nobilibus bene merentibus detulisset. Iam inde temporum decursu noui honorum tituli inualuerunt, & habet Scotia perinde ac Anglia suos Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, & Barones: Ducis autem titulum primus in Scotiam intulit circa annum Salutis MCCCC. Robertus Tertius, vt honorarios Marchionis & Vicecomitis titulos recenti memoria Rex noster Serenissimus Iacobus Sextus. Hi Nobiles censentur maiores, & locum suffragiumque in Comitijs Parlamentarijs habent, & peculiari appellatione *Lordes* vti etiam Episcopi, insigniuntur.

Duces. Marchiones. Comites. Vicecomites. Barones.

Equites aurati. Inter Nobiles minores primo loco sunt Equites aurati qui sanè celebriori quàm alibi in Europa solemnitate iureiurando adhibito creantur, & publica fœcialium voce denuntiantur. Secundo illi qui *Lairds* & Barones simpliciter vulgò vocantur, inter quos nulli olim accensebantur nisi qui immediatè terras à Rege *in capite* tenuerunt & ius furcarum habuerunt. Tertio qui clarioribus familijs nati & nullo certo honore insigniti *Gentlemen* appellantur. Cæteri omnes vtique ciues, Mercatores, Artifices, &c. plebi adnumerantur.

Lairds. Gentlemen.

FORA IVSTITIÆ SIVE TRIBVNALIA.



Parlamentum. Rimum & præcipuum tàm dignitate quàm potestate censetur Ordinum Regni Conuentus qui eodem quo apud Anglos vocatur nomine *Parlamentum*, & eandem absolutissimam habet authoritatem. Ex triplici constat ordine, ex Dominis *Spiritualibus*, Episcopis scz. Abbatibus & Prioribus, ex Dominis Temporalibus, Ducibus scz. Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, & Delegatis pro Ciuitatibus & Burgis. Quibus adiuncti erant non ita pridem pro singulis etiam Comitatibus duo Delegati. Indicitur à Rege pro arbitrio certo tempore præfinito antequam habeatur, cùm conuenerint, & conueniendi caussæ a Rege & Cancellario explicatæ fuerint, Domini Spirituales seorsim seligunt octo ex Dominis *Temporalibus*. Domini Temporales itidem totidem ex *Spiritualibus*. Inde ijdem omnes coniunctim octo ex Comitatuum Delegatis, totidemque ex Burgorum Delegatis nominant, qui numerum XXXII. conficiunt, & *Domini pro Articulis* appellati cum Cancellario, Thesaurario, Priuati sigilli Custode, Secretario Regio &c. singula quæ ad Ordines referenda proponuntur admittunt aut reijciunt Regi prius communicata. Admissa ab vniuerso Ordinum Conuentu sedulò excutiuntur, & quæ pro suffragiorum numero comprobantur, Regi exhibentur, qui admoto sceptro se confirmare, vel infirmare pronuntiat, sin aliquid Regi displiceat, primùm deletur.

Collegium Iustitiæ. Secundum a Parlamento est *Collegium Iustitiæ*, siue vt vocant, *The Session*, quod Rex Iacobus

Iacobus Quintus anno MDXXXII. instituit ad formam Parlamenti Parisiensis ex Præside, quatuordecim Senatoribus, septem scilicet Ecclesiasticis, totidemque Laicis (quibus postea fuit adiunctus Cancellarius qui primum locum obtinet, & quinque alij Senatores) tribus Scribis primarijs, & Aduocatis quot visum fuerit Senatoribus. Ius autem non secundùm rigorem iuris, sed ex æquo & bono dicunt diebus singulis (præterquam die Dominico & die Lunæ) à primo Nouembris ad XV. Martij, & à Festo Trinitatis ad Calendas Augusti. Temporibus autem interiectis, scilicet quæ sunt serendi & metendi, iustitium est, & iudiciariæ curæ relaxantur. Iudicant verò ex Statutis Regni Parlamentarijs, & vbi illa deficiunt, ex Iure Cæsareo.

Inferiora etiam sunt in singulis Comitatibus fora ciuilia, in quibus Vicecomes, aut qui ab eo delegatus ius dicit incolis de eiectionibus, intrusionibus, damnis, debitis, &c. à quibus ob iniquitatem, aut affinitatis rationem ad *Iustitiæ Collegium* nonnunquam appellatur. Vicecomites autem quos dico plerique omnes sunt hæreditarij. Reges enim Scotorum perinde ac Anglorum vt nobiliores beneficijs sibi firmiùs astringerent hæreditarios & perpetuos Vicecomites olim instituerunt. Quæ autem hinc interuenerunt incommoda Angli statim perspexerunt, & consultò in annuos mutarunt. Ciuilia etiam fora habentur in feudis Regalibus ab eius Balliuo qui Regis munificentia regales consequutus est libertates, & etiam in liberis Burgis, & ciuitatibus à Magistratibus. Vicecomites hæreditarij.

Fora etiam sunt quæ *The Commissariat* vocant, quorum supremum Edenburgi habetur, in quo coram quatuor iudicibus agitur de rebus Testamentarijs, iure Beneficiorum Ecclesiasticorum, Decimis, Diuortijs, &c, id genus Ecclesiasticis. In cæteris ferè singulis regni partibus ad hæc Iudices sunt singuli. Forum *Commissariat.*

In Criminalibus primarius Regis Iustitiarius forum suum Edenburgi plerunq; habet (quod munus iam aliquandiu gesserunt Comites Argatheliæ) qui duos vel tres Iurisconsultos delegant, qui de capitalibus, aut quæ membrorum mutilationem aut vniuersorum bonorum amissionem inferant, cognoscunt. Et hoc in foro Reo permissum est, etiam in læsæ Maiestatis crimine sibi adsciscere aduocatum qui suam caussam agat. Fora Criminalia.

Iustitiarij etiam in criminalibus nonnunquam Regia authoritate ad hanc vel illam caussam particularem cognoscendam constituuntur.

Vicecomites etiam in suis territorijs, & magistratus in Burgis nonnullis de homicidio cognoscant (homicida intra spatium XXIIII. horarum deprehenso) & à Iuratoribus reum peractum extremo supplicio afficiant; verùm tempore illo elapso, caussa ad *Iustitiarium Regium*, vel *Delegatos* refertur. Eodem etiam priuilegio gaudent nobiles nonnulli contra latrones in ipsorum iurisdictionibus deprehensos. Sunt etiam qui eiusmodi habent Regalia vt in criminalibus intra suos limites iurisdictionem exerceant, & in caussis nonnullis intra ipsorum terminos habitantes à Regio Iusticiario reuocent, cautione tamen interposita vt ex lege ius tribuant.

Hæc compendio, & quasi per transennam prætereunti mihi conspecta, dicta sunto. Sed SCOTIA *qualis sit, qualésque progenerat* (vt olim de Britannia Geographus eximius) *mox certiora & magis explorata dicentur, quippe tamdiu clausam nobis iam aperuit Principum maximus.* Interim ad loca quæ instituti inprimis sunt mei accedam. Pomponius Mela.

GADENI siue LADENI.



Ottadinis siue Northumbriæ vicini erant ΓΑΔΕΝΟΙ qui LADENI etiam vna inuersa literula in nonnullis Ptolemæi exemplaribus dicti, in illa regione quæ *Tweda* fluminis ostium & Edenburgi *Fortham* interiacet, hodieque in multas diuisa regiunculas, quarum præcipue sunt, *Teifidale*, *Twedale*, *Merch*, & *Lothien* Latinè *Lodeneium*, quo vno nomine omnes apud medij seculi scriptores erant comprehensæ. Gadeni. Ioannes Skene De verborum significatione.

TEIFIDALE.



Efidale, id eſt, *Vallis ad Teſium* ſiue *Teuoitum* fl. inter abruptas collium & cautium crepidines Angliæ proxima à bellicoſa gente habitatur, quæ ob creberrima bella ſuperioribus ſeculis inter Scotos & Anglos, in militiam & repentinas incurſiones expeditiſſima. Inter hos primum occurrit *Iedburgh* Burgus non infrequens prope *Teiſii* & *Iedi* confluentes vnde nomen factum, & *Mailros* Monaſterium admodum vetuſtum, in quo ſurgente apud nos Eccleſia monachi erant veteris illius inſtituti, qui precibus vacarunt, & manuum labore victum quæſiuerunt. Magiſque ad Ortum vbi *Tweda* & *Teiſius* aquas confundunt, *Rosburg* quod & *Roxburg*, olim etiam MARCHIDVN, quia erat limitaneum, vbi caſtrum & ſua poſitione & turritis arcibus olim firmiſſimum. Quod ab Anglis occupatum dum Iacobus II. Rex Scotorum obſidione incinxit, fragmine maioris bombardæ fortuitò diruptæ in iuuentutis flore ſuis deſideratiſſimus immaturè periit. Caſtrum autem deditum, & maxima parte ſolo adæquatum, iam quodammodo diſparuit: Territorium autem adiacens hinc Præfectura de *Roxburg* dicta ſuum habet hæreditarium Præfectum ſiue Vicecomitem è familia *Douglaſſia* qui vulgò *The Shrif of Teuiotdale* appellatur. Nunc verò & ſuum Baronem Robertum *Ker* gratia regis Iacobi Sexti habet *Roxburg* ex familia *Kerrorum* hoc in tractu inprimis celebri & numeroſa, è qua *Fernherſtij* & alij bellicis ſtudijs innutriti plurimùm inclaruerunt.

Mailroſe. Roxburg. Shrifdom of Roxburg. Vicecomites hæreditarij. Ker.

Tweda autem quem dixi vallem à ſe denominatam ouibus, quarum lana in magno pretio, refertiſſimam interfluit. Eximius ſanè fluuius qui interiùs ad Occaſum inter montes æditus recto quaſi alueo per *Drimlar* caſtrum, *Peblis* forum quod ſuum habet Vicecomitem Baronem *Zeſter*, vt etiam vicinum *Selkirk* ſuum è familia Morauia de *Fallohill*, delatus *Landerum* fluuiolum recipit, ad quem *Lauder* cum *Thirleſtan* cernitur, vbi perpulchræ ſunt ædes Ioannis Metellani non ita pridem Scotiæ Cancellarij, quem ob ſingularem prudentiam Baronem de *Thirleſtan* Rex Iacobus Sextus creauit. Inde *Tweda* ſub *Roxburg* aduenis *Teuioti* vndis auctior per Præfecturam de *Berwick* magna ex parte ab *Humiorum* gente poſſeſſam, in qua eius familiæ princeps Vicecomitis iuriſdictionem nunc exercet, irrigans, ſub *Berwico* munitiſſimo Britanniæ opido, de quo dixi, Salmonum feraciſſimus in mare prolabitur.

Twedale. Peblis. Selkirk. Baro Thirleſtan.

MERCHIA, MERCH, ſiue MERS.



Erchia quæ proxima, & quoniam limitanea ita nuncupatur, tota mari Germanico incumbit. In hoc *Hume* caſtrum primùm apparet, antiqua poſſeſſio Dominorum de *Home* ſiue *Hume* qui à Comitum Merchiæ familia oriundi in numeroſam & inſignem familiam ſunt propagati, è qua Alexander *Humius* qui antea primus Scotorum Baro & Vicecomes Berwici, nuper Comitis *Hume* titulo à Iacobo Britanniarum Rege adauctus. Cui vicinum ſubſidet *Kelſo* monaſterio quondam celebris, quod vt tredecim alia Rex Dauid eius nominis primus ad Dei gloriam diffundendam, regio patrimonio plurimùm acciſo, extruxit.

Comes Hume. Kelſo.

Inde *Coldingham* cernitur, Bedæ vrbs *Coldana*, & *Coludi vrbs*, Ptolemæo fortaſſe COLANIA, multa ante ſæcula virginibus velatis ſacra, quarum pudicitia literarum monumentis conſignatur, quòd cum Ebba quæ præfuit ſibi naſos & labra præciderint dum pudicitiæ potiùs quàm formæ conſulerent contra Danos, qui tamen ipſas cum monaſterio iiſdem flammis inuoluerunt. In vicinia eſt *Faſtcaſtle* Humiorum caſtrum à firmitate ita nominatum, ad promontorium S. Ebbæ illius, quæ filia Edilfredi Regis Northumbriæ

Coldingham. Colania. Faſtcaſtle. S. Ebba.

briæ patre capto arrepta scapha in *Humbro*, huc per furentem Oceanum sospes delata vitæ sanctitate inclaruit & loco nomen reliquit. Sed Merchia suis Comitibus quàm locis est multò apud historicos celebrior, qui bellica virtute laudatissimi à Gospatrico Northumbriæ Comite orti, quem à Guilielmo *Conquestore* Angliæ profugum Malcolmus *Canmor*, id est, *Capito*, Rex Scotiæ suscepit, castróque *Dunbarro*, Marchiæque Comitatu honorauit. Eius posteri præter latifundia amplissima in Scotia, tenuerunt (vt ex antiqua Inquisitione liquet) Baroniam de *Bengeley* in Northumbria vt essent *Inborrow*, & *Vtborrow*, inter Angliam & Scotiam. Quæ nomina quid sibi velint, coniectarint alij, quid ego coniectauerim, anteà dixi. Regnante autem Iacobo Primo Georgius de *Dunbar* Comes Parlamentaria authoritate *& proprietate & possessione Comitatus Marchiæ & Dominij de Dunbar* ob paternæ rebellionis crimen excidit. Cùmq; ille culpam patri remissam à regni gubernatoribus prolatis tabellis comprobaret, responsum tulit penes Gubernatores non fuisse quod in patriam peccatum remittere, legibusque cautum liberis paterni delicti successores esse, ne quando paternæ temeritatis vt facultatum hæredes, & sua tumidi potentia aliquid in Principem & patriam moliantur. Titulus Comitis Marchiæ posteà Alexandro Duci Albaniæ inter honorarios titulos accessit. Nostra autem memoria refloruit hic titulus honorarius in Roberto fratre tertio Matthæi Comitis Lennoxiæ qui ex Episcopo Cathanesiæ factus Comes Lennoxiæ, eo titulo mox cessit nepoti qui Dux Lennoxiæ creatus, & ipse nomen stylúmque Comitis Marchiæ à Rege compensationis loco accepit.

Comites Merchiæ.

Vide p. 671.

1434.

LAVDEN, siue LOTHIEN.



Lodoneium, quæ *Lothien* & *Lauden*, & olim à Pictis *Pictlandia* dicta, à *Merchia* ad fretum vsque Scoticum siue *The Frith*, crebris collibus, arboribus raris, sed frugiferis aruis, & humanitatis cultu præ alijs Scotiæ regionibus laudata procurrit. Circa annum Salutis DCCCLXXIII. Eadgarus Rex Anglorum cui cum Kenetho Tertio Rege Scotorum magna intercessit necessitudo contra Danos hostes communes illi iure suo in hac *Lothien* cessit, vt author est Mattheus Florilegus, & vt eius animum sibi magis conciliaret, *Dedit insuper mansiones in itinere plurimas, vt ipse & eius successores ad Reges Angliæ venientes, & denuò reuertentes hospitari possent, quæ vsq; ad tempora Regis Henrici Secundi in potestate Regum Scotorum permanserunt.* In hac primum se offert in littore *Dunbar* castrum olim munitissimum, sedes Comitum quos dixi Marchiæ qui inde vulgò Comites de *Dunbar* dicti, sæpiùs ab Anglis captum, & à Scotis receptum. Sed anno MDLXVII. ex Ordinum authoritate ne seditiosis esset perfugium, subuersum. Comitis tamen *Dunbar* titulum & honorem anno CIↃDXV. detulit Georgio *Humio* ob fidem diu perspectam Rex Iacobus, quem anteà *sibi, hæredibus, & assignatis* Baronem *Hume* de *Berwick* creauerat. Iuxta *Tine* fluuiolus breui decursu mari illabitur, cuius prope fontes est *Zeister* quæ suum habet Baronem è familia *Haiorum* Comitum Arolliæ, qui & Vicecomes est hæreditarius regiunculæ *Twedall* siue *Peblis*. Eidem assidet fluuiolo ad paucula milliaria superiùs *Hadington* siue *Hadina* in planitie latè porrecta, quam fossa alta & ampla muro cespititio exteriori cum quatuor propugnaculis ad angulos, totidemque alijs ad murum interiorem forma quadrata communierunt Angli, contraque Dessium Gallum qui cum x. millibus Gallorum & Germanorum acriter oppugnauit, Iacobus *Willford* Anglus animosè propugnauit, donec peste inter præsidiarios grassante, Henricus Rutlandiæ Comes adueniens iusto cum exercitu Gallos submouerit, & complanatis munimentis Anglos reduxerit. Nuper verò Rex Iacobus Sextus titulo & honore Vicecomitis Hadingtoniæ Ioannem *Ramsey* cuius DEXTRA VINDEX fuit PRINCIPIS ET PATRIAE in nefanda illa *Gowreana* coniuratione, inter regni Scotiæ proceres fidei fortitudinisque nomine cooptauit. De *Hadingtonia* hæc cecinit I. Ionstonus.

Landen.

Dunbar. Comites Dunbarij.

Baro Hume siue Hume de Berwick.

Zeister.

Hadington. 1587.

Vicecomes Hadingtoniæ.

Planities pratensa iacet prope flumina Tinæ,
Fluminis arguti clauditur ista sinu.
Vulcani & Martis quæ passa incendia, fati
Ingemit alterno vulnere fracta vices
Nunc tandem sapit icta. Dei præcepta sequuta
Præsidio gaudet iam potiore Poli.

Athelstanford. *Athelstanford* ab *Hadingtonia* parùm abest ab Athelstano Anglorum ductore ibidem cum suis circiter annum DCCCXV. cæso denominatum, quem tamen fuisse Athelstanum bellicosum Occidentalium Saxonum Regem & temporis ratio, & ipsius obitus omninò refragantur.

Supra *Tini* ostium *Tantallon* castrum vnde Archibaldus Douglasius Angusius Iacobo V. Scotorum Regi negotium facessit, in ipso littoris flexu ponitur. Hic enim reductis vtrinque littoribus æstuarium aperitur nobilissimum, & satis quidem insulosum quod pluribus fluuijs obuijs, Oceanique exæstuantis accessibus in magnam amplitudinem diffunditur, Ptolemæo BODERIA, Tacito BODOTRIA, à profunditate, vt coniectamus, Scotis *Forth* & *Frith*, nobis *Edenborrow Frith*, alijs *Mare Fresicum* & *Mare Scoticum*, Eulogio *Mor wiridh* nominatum. Huic post *Tantallon* apponitur primùm *North-Berwick* virginum sacrarum æde quondam clarum & inde *Dyrlton* quæ quondam insignis familiæ *Haliburtonorum*, nunc Regis Iacobi Sexti gratia Baronis titulum pręber Thomæ *Ereskin* regij satellitij pręfecto, vt *Felton* vicinum Vicecomitis honorarium titulum eidem præbet, qui primus honorarium Vicecomitis nomen in Scotia accepit. His in alto haud procul à littore *Bas* insula obiacet quæ quasi vna confragosa & rupe vndique prærupta, tota consurgit, suum tamen habet propugnaculum, fontem & pascua, subeuntibusque fluctibus ita excauatur vt parùm absit quin subforetur. Quanta marinorum volatilium præsertim anserum, quas *Scoutes* & *Soland Geese* vocant, multitudo suo tempore huc aduolat, sua enim vt ferunt multitudine in serenitate solem adimunt; quot pisces adferunt, centum præsidiarios milites qui hic in præsidio egerunt, non alio cibo vsos perhibent, quàm recenti pisce ab his delato; quantum ramusculorum ad nidos construendos conuehunt, vt abunde hinc incolis de materia ad ignem sit prospectum; quantum lucri ex horum plumis & oleo factum, adeò fidem superat narratio, vt vix credat qui non viderit.


Bodotria. Tantallon. Dyrlton. Vicecomes *Felton*. *Bas* insulæ. Scoutes. Soland Geese quæ Picarinæ Plinij videntur.

Recedente deinde littore *Seton* quod a maritimo situ nomen assumpsisse, idemq; impertisse videtur nobili inprimis familiæ *Setonorum* ex Anglica origine & sorore R. Roberti *Brus* ædita, è qua Marchio *Huntley*, Robertus Comes de *Wentoun*, Alexander Comes *Dunfirmling* a Rege Iacobo Sexto honoribus adaucti, sunt prognati.

Seton. Comes de Wentoun.

Esca amnis deinde huic æstuario infunditur defluens per *Borthwic* quæ suo habet eodem cognomine Barones ex Hungarica prosapia, per *Newbôtle*, .i. *Nouum ædificium*, quondam monasteriolum, nunc Baroniam, Marci *Kerr*, per *Dalkeith* Comitum Mortonię nuper habitationem peramœnam, & *Musselborow* sub quo an. CIↃIↃXLVII. cùm Edw. *Seimor* Dux Somersetti Scotiam iusto cum exercitu ingressus esset ad repetendam pacti fœderis fidem de collocanda Maria Scotiæ Regina cum Edw. Sexto Angliæ, funestissimus dies iuuentuti nobilissimarum Scotiæ familiarum illuxit, quæ ibi prælio cecidit. Hoc in loco nec tacitus præterire debeo hanc inscriptionem quam I. *Napier* vir eruditus in suis ad Apocalypsin Commentariolis hic effossam prodidit, & clarissimus Petrus Iunius Eques auratus Regi Iacobo VI. à studijs sic veriùs descripsit:

Borthwick. Newbottle. Dalkeith. Musselborow.



Votum susceptum soluit libens merito.

Quis fuerit Apollo Grannus, & vnde illi hoc nomen nemo ex Antiquariorum senatu quod sciam hactenus dixerit; si mihi ex imo subsellio quid sentio dicere liceat, dicerem Appollinem *Grannum* eundem fuisse Romanis, qui Ἀπόλλωνα Ἀκερσεκόμην Græcis, .i. Crinitus. Promissos enim Gothorum crines *Grannos* vocat Isidorus. Sed extra callem oberrare videar. Apollo Grannus.

Inferiùs propè fretum Scoticum EDENBVRGVS sedet, ipsis Hiberno-Scotis *Dun-Eaden*, id est, *opidum Eaden*, vulgò *Edenborrow*, quæ proculdubio ipsa eadem est quæ Ptolemæo Στρατόπεδον πτερωτόν, id est, CASTRVM ALATVM, *Edenborrow* enim idem planè significat, quod *Castrum Alatum*, nam *Adain* alam Britannis denotat, & *Edenburrow* (composito e Britannica & Saxonica lingua vocabulo) nihil aliud est quàm *Burgus alatus*. Ab alis igitur nominis ratio petenda, & repetatur, si placet, vel ab Equitum Ordinibus, qui Alæ vocantur, vel ab Alis illis, quas Græci Architecti Pteromata vocant, id est, vt docet Vitruuius, muri gemini ita in altitudinem surgentes, vt alarum speciem præ se ferant. Quibus quoniam vrbs quædam Cypri caruit, Aptera, id est, *sine Alis*, vt apud Geographos legimus, olim dicta. Sin ab *Ebranco* Britanno, aut ab Hetho Picto *Edenburgi* nomen deductum quis credat, per me liceat, ego non opponam. Vrbs hæc situ editiori, cælo salubri, & solo vberi multis nobilium turribus circumpositis, & perennium aquarum fontibus emanantibus irrigua, ab Oriente in Occidentem mille pass. porrecta latitudine dimidio minore, vniuersi regni caput iure optimo censetur, mœnibus firma, ædificijs publicis & priuatis pulchra, frequens & celebris ex maritima opportunitate, quam portus ad *Letham* vicinus præbet. Vtque Regum est sedes, ita legum sacrarium & Iustitiæ forum. Ad leges enim figendas & refigendas Comitia Parlamentaria hic plerumque habentur, nec non Collegium Iustitiæ, Forum Iustitiarij Regij, & Delegatorum de quibus dixi hic constituuntur. Ad Orientem Palatium est Regium adiunctum *S. Crucis* monasterio biceps quod R. Dauid Primus extruxit, cui in viuario feris, cuniculis, & leporibus referto, mons impendet ab Arthuro Britanno *Cathedra Arthuri* dictus. Ad Occidentem verò præruptissima rupis celsum in cacumen elata assurgit nisi quà vrbem respicit, cui castrum imponitur crebris turribus ita validum vt inexuperabile munimentum censeatur, quod Britanni *Castle Myned Agned*, Scoti *Castrum Puellarum*, & *Castrum virginum* vocarunt ab asseruatis ibi olim regijs Pictorum puellis, quodq; verè ALATVM illud fuisse CASTRVM videatur. Edenborrow

Quomodo *Edenburgus* variante bellorum alea nunc in Scotorum, nunc in Anglo-Saxonum potestate fuerit, qui hanc Orientalem Scotiæ partem insederunt, donec in Scotorum imperium omninò cesserit circa annum scilicet salutis DCCCCLX. cùm Anglicum imperium Danicis bellis conuulsum quasi exanimatum iaceret. Quomodo, vt vetustus liber de Scotiæ diuisione, in Bibliotheca honoratissimi Domini Burghlæ: nuper summi Thesaurarij Angliæ habet. *Indulpho regnante opidum Eden vacuatum fuerit, & relictum Scotis vsque in hodiernum diem.* Qualque deinceps alternantis fortunæ vices sensit, enarrant historici, è quibus petantur. Interim si placeat hæc clarissimi viri I. Ionstoni carmina in laudem Edenburgi legantur.

Monte sub acclini Zephyri procurrit in auras
Hinc Arx celsa, illinc Regia clara nitet.

Inter vtramque patet sublimibus ardua tectis
Vrbs armis animis, clara, frequensq́; viris.
Nobile Scotorum caput, & pars maxima Regni,
Penè etiam gentis integra regna sua.
Raræ artes, & opes, quod mens optauerit, aut hic
Inuenias, aut non Scotia tota dabit.
Compositum hic populum videas, sanctumque Senatum,
Sanctáque cum puro lumine iura Dei.
An quisquam Arctoi extremo in limite mundi
Aut hac, aut paria his cernere posse putet?
Dic hospes postquam externas lustraueris vrbes,
Hac cernens, oculis credis an ipse tuis?

Lyth. Ad primum hinc lapidem, *Letha* portus commodissimus subest ad *Letham* profluentem, quam cùm Dessius Gallus in Edenburgi securitatem operibus communisset, multis eò confluentibus ex ignobili viculo in opidum mox excreuit. Rursus etiam cùm Franciscus Secundus Rex Galliarum Mariam Scotiæ Reginam in vxorem duxisset, Galli qui Scotiam iam spe deuorarunt & Angliæ imminere cœperant, anno CIↃDLX. magis munitionibus firmarunt: verùm Elizabetha Angliæ Regina in partem à Proceribus Scotiæ qui puriorem religionem amplexi euocata sua potentia & prudentia effecit vt illi Galliam repeterent, & munitiones istæ solo fuerint adæquatæ, Scotiáque iam inde à Gallis minimè metuerit. Vbi æstuarium hoc Forthæ magis magisque coarctatur in medio sui Caer Guidi. vrbem *Caer-Guidi* (vt notat Beda) habuit, quæ insula nunc *Inch-Keith* dicta videatur. An VICTORIA fuerit cuius meminit Ptolemæus minimè contenderim, etsi quis credat Romanos hanc *Guith* in *Victoriam* æquè deflexisse, ac nostram insulam *Guith* siue *Wight* in *Victesin*, ac *Vectam*: certè cum vtraque sit à littore auulsa, eadem in vtraque lingua constabit nominis ratio. *Guith* enim Britannis diuortium siue separationem denotare nos Ninius edocuit. Interiùs eidem æstuario adsidet *Abercorn* Bedæ ætate celebre mo- Comes Abercorn. nasterium quod nunc Iacobi Sexti gratiâ Comitis honorem Iacobo Hamiltonio præbet. Blacknesse. Iuxtaque *Blachness* castrum imponitur, & sub eo ad Austrum vrbs vetusta LINDVM Linlithquo. cuius meminit Ptolemæus quod doctioribus adhuc *Linlithquo*, vulgò *Lithquo*, regijs ædibus perpulchris, templo celebri, & piscoso lacu insigne, a quo lacu nomen illud fa- Comes Linlithquo. ctum videatur, *Lin* enim lacum Britannicè sonare iam antè diximus. Vicecomitem habuit iam olim hæreditarium è familia *Hamiltonia* de *Peyle*, Comitem autem nostra memoria primum Alexandrum *Leuingston* quem a Baronis dignitate quo longo tempore Com. Lothianæ. maiores inclaruerunt ad Comitis honorem Rex Iacobus Sextus euexit, vt paulò pòst Marcum *Ker* Baronem de *Newbotle* ad Comitis *Lothianæ* titulum extulit.

SELGOVÆ.



VB GADENIS ad Austrum & Occasum vbi nunc regiunculæ *Lidesdale*, *Eusdale*, *Eskdale*, *Annandale*, & *Nidisdale*, a fluuiolis interlabentibus qui omnes in *Solway frith*, se condunt denominatæ, insederunt olim SELGOVAE, quorum nominis reliquiæ in nomine illo *Solway*, mihi, nescio an alijs, superesse videntur.

Liddesdale. In *Lidesdale* se erexit *Armitagium*, ita dictum quòd solitariæ vitæ olim fuerit dicatum, nunc autem castrum munitissimum, quod Hepburni Bothwelliæ Comites. ad *Hepburnos* spectauit qui a captiuo quodam Anglo quem Marchiæ Comes quod ipsum è periculo liberauerit, locupletauit, originem deducunt, Comites Bothwelliæ & hæreditario iure diu Scotiæ Admiralli fuerunt. Per sororem autem Iacobi Comitis Bothwelliæ *Hepburnorum* postremi Ioanni *Coldinghamia* Priori, filio naturali Regis Iacobi Quinti (qui nothos nimiò plures progenuit) enuptam, ad eius fili- Brakensey. um & titulus & patrimonium deuenit. In proximo est *Brakensey* bellicosæ familiæ de Do. Baclugh. *Baclugh* cognomine *Scot* habitatio, & plures passim militarium virorum turriculæ.

In

In *Eusdale* ex nominis affinitate VXELLVM illud vetus a Ptolemæo memoratum fuisse ad *Euse* fl. iudicarim. Eusdale. Vxellum.

In *Eskdale* HORESTOS habitasse sunt qui opinantur, in quorum fines Iulius Agricola deuictis Britannis qui hoc in tractu sederunt, Romanum exercitum deduxit: certè si *Horescos* pro *Horestis* legamus. *Ar-Esc* enim Britannis locum iuxta *Escam* flumen significat. De *Aesica* vero in *Eskedale* iam antea in Anglia dixi, nec est cur repetam. Esk-dale. Horesci.

ANNANDALE.



Vic ad Occasum adnexa est *Annandia*, vulgò *Annandale*, id est, *Vallis ad Annam fl.* in quem terrestri itinere aditus sunt perdifficiles. Insignioris notæ loca sunt Castrum ad *Lough Mahan* tribus ex partibus aqua circumfusum, mœnibusque firmum, & *Annandia* opidum ad ostium fere fluminis *Annan*. Quod suum splendorem omninò amisit bello Anglico Edwardo Sexto regnante. In hac sunt nominis celeberrimi *Ionstoni* gens bello innata & cui nimis diu intercesserunt inimicitiæ indictæ & apertæ odio vsque ad sanguinem flagrantes cum *Maxwellijs* qui huic Seneschalliæ (sic enim habetur) auito iure præsunt. Vallem hanc Eadgarus Scotorum Rex in regnum auxiliaribus ex Anglia copijs restitutus in nauatæ operæ præmium donauit Roberto *Brus* siue *Brusio* Cliuelandiæ in Eboracensi Comitatu Domino qui iuniori filio Roberto cùm ipse Regi Scotorum militare noluerit, cum bona regis gratia elargitus est. Ab hoc progerminârunt *Brusij* Domini Annandiæ, è quibus Robertus *Brus* duxit Isabellam filiam Guilielmi Regis Scotorum ex filia Rob. *Auenell*, eius itidem filius Robertus eius nominis tertius duxit filiam Dauidis Comitis Huntingdonię & Gariothę, cuius filius Robertus cognomento *Nobilis*, cùm soboles Alexandri III. Scotorum Regis deficeret, iure materno regnum Scotię vendicauit coram Edwardo Primo Anglię Rege *tanquam directo & superiori Domino regni Scotiæ*, vt Angli tradunt, vel honorario arbitro, vt Scoti volunt; *sicut propinquior in gradu & sanguine Regis Alexandri* III. *& Margaretæ filiæ Regis Norwegiæ*, licèt ex secunda sorore genitus, qui mox iure suo cedens filio Roberto *Brus* Comiti *Carrictæ & hæredibus* (ex ipso loquar Autographo) *totum ius & clameum quod habuit vel habere potuit ad petendum regnum Scotiæ concessit & remisit*. Lis autem data est pro Ioanne Balliolo qui ius suum petijt *vt qui exijt de sorore primogenita, etsi gradu remotiori*, hisce verbis. *Quòd remotior in gradu descendente in prima linea proximiori in secunda linea in successione hæreditatis impartibilis est præferendus*. Veruntamen Robertus Comitis *Carictæ* filius sua virtute sibi regnum tandem asseruit & posteris firmauit. Princeps qui cùm rerum gestarum ornamentis eximiè floruit, tum de fortuna toties aduersante inuicta animi fortitudine fœlicissimè triumphauit.

Annandale. Lough-Maban. Ionstoni. The Stewartry of Annandale. Brusij.

NIDISDALE.



Nnandiæ ad Occasum adhæret *Nidisdale* aruis & pascuis non infœlix, nomine à *Nido* fl. facto qui perperam Ptolemæo NOBIVS, pro NODIVS, vel NIDIVS concipitur, cuius appellationis sunt alij vadosi & fœculenti in Britannia fluuij, vt etiam hic *Nidus*. E lacu *Logh-Cure* nascitur ad quem CORDA Selgouarum floruit, defertur primùm per *Sanqhuer* castrum *Creictonorum* qui dignitate Baronum de *Sanqhuer*, & authoritate perpetuorum *Nidisdaliæ* Vicecomitum diu inclyti fuerunt, deinde per *Morton* quod Comitis titulum quibusdam è familia *Douglasia* præbuit, e qua etiam alij ad *Drumlanrig* suam habet mansionem ad idem flumen; cuius prope ostium *Dunfreys* sedet inter duos colles opidum huius tractus florentissimum, quodque suum vetus castrum ostendit. Laneis pannis conficiendis nobile, & cæde Ioannis *Comminij* clientelis omnium inter Scotos potentissimi signatum, quem in æde sacra ne sibi viam ad regnum præcluderet, gladio transfixit Robertus *Brus*, veniamque

Nidus fl. Corda. Creicthoni Barones Sauncher. Comites Morton. Dunfreis.

atque cædis in sacro loco perpetratæ facilè a Romano Pontifice impetrauit. Propiùs ostium *Solway* viculus antiqui nominis *Selgouarum* nonnihil retinet. Ad ostium verò *Caerlauerock*, Ptolemæo CARBANTORIGVM, apponitur, munimentum inexpugnabile habitum, cùm Rex Edward. 1. flore nobilitatis Angliç stipatus obsederit & cœperit: nunc verò malefirmum Baronum *Maxwell* domicilium, qui antiquæ nobilitatis diu Præfecti fuerunt limitis huius Occidui, nuper adaucti nuptijs cum filia & altera hæredum Comitis *Morton*, vnde Ioannes Dominus *Maxwell* declaratus fuit Comes *Morton*, atque itidem cum filia & hærede *Hereisij* Domini *Toricles* quam in vxorem accepit I. filius secundo-genitus qui inde titulum Baronis *Hereis* accepit. *Glencarn* in hac etiam valle ad lacum iacet, vnde *Cuninghamij* de quibus sub loco, Comitis titulum diu gesserunt. Hæc *Nidisdalia* vnà cum *Annandia* bellicosum alit genus hominum, sed ob deprædationes malè audierunt, *Solway* enim vadoso æstuario insident per quod in Angliam sæpe prædabundi excurrerunt, & in quo accolæ vtrinque Salmones quibus abundat, iucundo spectaculo & hilari labore equites hastis venantur, siue mauis piscantur.

Caerlauarock

Baronis Hereis. Glencar.

Salmones.

Cuiusmodi sunt qui has limitaneas regnorum valles incolunt abactores, Ioannes *Leslæus* ipse Scotus & Episcopus Rossensis dicet: *Noctu turmatim per inuia loca, perque multos meandros è suis finibus exeunt. Interdiu in latibulis præstitutis equos, viresque suas recreant, donec eò tandem per tenebras quò volunt, perueniant. Arrepta præda similiter noctu per circuitus & deuia duntaxat ad sua redeunt. Quo quisque peritior dux per illas solitudines, anfractus, & præcipitia, media caligine & tenebris esse potest, is vt ingenio excellens maiore in honore habetur: & tanta calliditate hi valent, vt rarissimè prædam sibi eripi sinant, nisi canum odorisequorum ductu rectis semper vestigijs sese insequentium ab aduersarijs nonnunquam capiantur. Cæterùm si capti sint, tanta eloquentia pollent, verborumque suauissimè fluentium lenocinijs, vt & iudices simul & aduersarios quantumuis seueros, si non ad misericordiam, saltem in admirationem & commiserationem quoque vehementer permouent.*

Limitaneorum Scotorum mores.

NOVANTES, *GALLOWAY.*



INde verò NOVANTES in vallibus terram illam coluerunt, quæ in Occidentem Solem magnis spatijs procurrit, ita tamen recessibus excauata vt subinde angustetur, & in ipsa rursus extremitate laxata liberiùs dilatetur, vnde NOVANTVM CHERSONESVM nonnulli dixerunt: Hodie verò eorum regio continet *Galloway*, *Carick*, *Kyle*, & *Cunningham*.

Galloway medij æui scriptoribus Latinis *Gallwallia*, & *Gallonidia* ab Hibernis qui olim occupárunt & se *Gael* sua lingua contractè vocant, facta appellatione; Regio passim collibus insurgit qui pecoribus pascendis quàm frugibus ferendis feraciores; Incolæ piscaturam exercent tàm in mari circumfuso, quàm in riuulis & lacubus sub collibus vbique restagnantibus: è quibus sub Æquinoctium autumnale incredibilem anguillarum sapidissimarum multitudinem excipulis capiunt, vnde non minorem quæstum faciunt, quàm ex equis pumilis compacta membrorum firmitate ad labores perferendos qui hinc expetuntur. Inter hos primùm se offert ad DEAM flu. a Ptolemæo memoratum qui etiamnum incolumi nomine, *Dee* vocatur, *Kircoubright* portus huius oræ commodissimus altera Scotiæ *Seneschalsia* quę etiam ad *Maxwelios* spectat, inde *Cardines* munimētum ad *Fleet* fluuiolum asperę & editę rupi affixum, & firmis mœnibus armatum. Iuxta *Ken* fl. Ptolemęo corruptè IENA mare allabitur, inde *Wigton* portus aditu angustiore inter *Blaidnoo* & *Cream* profluentes, qui & Vicecomitatus cui *Agnew ex Insula* præest, censetur. Comitem autem quondam habuit Archibaldum *Douglas* bello Gallico clarum, & hodie gratia R. Iacobi Sexti Ioannem *Fleming* qui ab antiquis Wigtoniæ Comitibus stemma deducit.

Galloway.

Galloway Nagges.

Dee fl. Kircowbright.

Comites Wigtoniæ.

Leucopibia. Propè hunc locum LEVCOPIBIAM Vrbem statuit Ptolemæus, quam vbi quæram planè

planè nescio. Locus tamen postulat, vt sit illa sedes Episcopalis Niniani, quam Beda *Candidam Casam*, Angli & Scoti eadem notione *Whit-herne* appellitant. Quid ergo si Candidam Casam, quam Britanni dixerunt, Ptolemæus suo more Græcè Λευκ' οικιδια conuerterit? id est, *domicilia candida*, pro quo librarij *Leucopibiam* nobis obtruserunt. Hoc in loco Ninia siue Ninianus Britannus vir sanctus qui Pictos australes Christiana fide primus imbuit, Theodosio iuniore regnante, sedem habuit & Ecclesiam S. Martini nomini sacratam construxit more Britonibus insolito, vt habet Beda, qui prodidit Anglos suo tempore hanc prouinciam obtinuisse, & multiplicata fidelium plebe ad hanc *Candidam casam*, sedem Episcopalem fuisse constitutam. Paulò superiùs angusto tramite peninsula vtrinque subeunte mari terræ annectitur, quæ propriè NOVANTVM CHERSONESSVS & PROMONTORIVM, vulgò *The Mull of Galloway*, id est, *Rostrum Gallouidiæ*, appellatur. Candida Casa. S. Ninianus. Nouantum Promontorium.

Sub hoc ad Arctum sinus insulis confertus magno ambitu patet, in quem plurima vndique se exonerant flumina. Primùm verò ex ipso Promontorij vertice ABRAVANVS, qui suo loco paululum submotus, sic Ptolemæo dicitur, pro *Aber-Ruanus*, id est, *Ostium Ruani*. Hodie enim fluuius ille *Rian*, & lacus è quo effunditur *Logh-Rian* halecibus, & piscibus saxatilibus admodum copiosus nominatur. Abrauanus.

Gallouidia hæc suos olim Principes & Dominos habuit, quorum primus qui annalium monumentis celebratur, erat Fergusius regnante Henrico Primo in Anglia, cui pro insignibus erat Leo argenteus erectus, & coronatus in parma cærulea, qui post multas quas dederat turbas, eò à Malcolmo Rege adactus vt filium Vchtredum obsidem dederit, & ipse rerum humanarum pertæsus habitum Canonici apud *S. Crucem* Edenburgi susceperit. Vchtredum autem Gilbertus frater natu minor prælio cœpit, & lingua excisa, oculisque erutis miserè vita & patrimonio spoliauit. Sed intra pauculos annos Gilberto mortuo Rolandus Vchtredi filius paternam hæreditatem recuperauit, qui ex sorore Guilielmi *de Morvill* Scotiæ Constabularij Alanum Dominum Gallouidiæ, & Constabularium Scotiæ progenuit, Alanus è Margareta filia Dauidis Comitis Huntingdoniæ primo-genita suscepit Deruolgildam vxorem Ioannis de *Balliolo* matremq; Ioannis de *Balliolo* Regis Scotiæ qui cum Roberto *Brus* de regno Scotiæ contendit, & e priore, vt videtur, coniuge Helenam enuptam Rogero *de Quincy* Anglo Comiti Wintoniæ qui inde Constabularius Scotiæ, vt etiam Guil. *Ferrarijs de Groby* Rogeri illius e filia & altera hærede nepos. Sed citò sua hæreditate in Scotia exciderunt Angli, vt etiam dignitate Constabularij quam *Cominj* Buchaniæ Comites è filia etiam Rogeri *Quincy* prognati sunt consequuti, donec ad Arrolliæ Comites fuisset translata. Titulus autem Dominorum Gallouidiæ *Dowglassiorum* familiæ postea obuenit. Gallouidiæ Domini. Constabularij Scotiæ.

CARRICTA.



Arricta sequitur pascuis læta cui sua commoda & terra & mare affatim suppeditant. In hac RERIGONIVM sinum, & RERIGONIVM opidum statuit Ptolemæus, pro quibus BERIGONIVM in antiquissimo Ptol. exemplari Romæ excuso MCCCCLXXX. vt non possimus non credere fuisse quod nunc *Bargeny* dictum, suum habet Dominum è familia *Kennediorum*, quæ ex Hibernia regnante Roberto *Brus* deuenit, hoc tractu nobilis, numerosa, & potens. Cuius princeps Comes est *Cassiliæ*, hoc enim nomen castri est quod incolit ad *Dunum* fl. cuius etiam ripæ alterum habet castellum nomine *Dunnur* impositum, & hæreditarius est huius Prouinciæ *Balliuus*. Hæc enim cum *Kyla*, & *Cunninghamia* tres Scotiæ *Ballivatus* habentur, quia qui his cum ordinaria potestate & iurisdictione præsunt *Balliui* vocantur, vocabulo quod medio æuo enatum, apud Græcos, Siculos, & Gallos *Conseruatorem* significat. Verùm tempore superiori *Carricta* suos habuit Comites, nam vt taceam Gilberti *de Gallouidia* filium cui Rex Guilielmus *totam Carrictam temporibus cunctis possidendam dedit*, legimus Adamum de *Kilconath* circa MCCLXX. Comitem fuisse de *Carrict* & in bello Sacro obijsse, cuius vnica filia Martha Robertum *Brus* Berigonium. Bargeny. Kennedij. Comites Cassiliæ. Baly of Carrict. Comites Carrictæ. Lib. Malrof.

speciosa

speciosa forma iuuenem quem inter venandum conspexerat miserè deperijt, in virum accepit,& Carictæ Comitis titulo & possessionibus adauxit,cui peperit illa Robertum *Brus* Scotorum Regem celeberrimum a quo stirps Regia. Titulus autem Comitis Carrictæ iunioribus è familia *Brusiana* aliquandiu relictus, postea Scotiæ Principibus in honorum cumulum accessit.

KYLE.



Anno 750. Nteriùs ad hunc sinum sequitur *Kyle*, rerum copia præcellens, & incolis frequens. In Bedæ auctario *Campus Cyel*,& *Coil* dictus, vbi memoratur quòd *Eadbertus Nordanhumbrorum Rex hunc cum alijs regionibus suo regno addiderit*. Ptolemæi seculo hîc innotuit VIDOGARA, *Aire* fortasse qui Vicecomitatus est, emporiolumque & portus notissimus ad eiusdem nominis fluuiolum. De quo nihil melius mihi quod scribam occurrit quàm hi versiculi a I. Ionstono ad me missi.

Vidogara. Aire.

ÆRA, siue ÆRIA.

Parua vrbs, ast ingens animus in fortibus hæret,
Inferior nulli nobilitate virûm.
Aëris è campus haurit purissima cælum
Incubat & miti mollior aura solo.
Aeria *hinc, non* Æra *priùs, credo, illa vocata est,*
Cum duri quid enim mollia iuris habent?
Infera cum superis quod si componere fas est,
Aurea *fors dici debuit illa prius.*

Præter *Aire* flumen alij duo riuuli hanc regiunculam perfundunt, multis viculis per ripas sparsis, *Lougar* ad quem *Crewfordi*,& *Cesnock* ad quem *Cambelli* clara in hoc tractu nomina incolunt, ad cuius etiam ripam est *Vchiltre* castellum sedes *Stewartorum* è familia regia, vtique Albaniæ Ducibus prognati, qui hinc Barones de *Vchiltrey*, & è quibus fuit Robertus ille *Stewart* qui indiuiduus Principi Condæo comes cum eo in Gallia in prælio cæsus. Hæreditaria Balliui dignitate huic præest *Cambell* de *Londen*.

Vchiltre siue Ochiltre.

CVNNINGHAM.



Kyla ad Ortum & Septentriones coniuncta *Cuninghamia* eidem æstuario ita incumbit, vt exspatiantem eius hactenus latitudinem coerceat: nomen verò si Latinè interpreteris idem quod *Regis habitatio*, vnde eius amœnitatem conijcias. Hanc *Irwinus* irrigat qui a *Kyle* disterminat, ad cuius fere fontes *Kilmarnock* cernitur *Boidiorum* Baronum habitatio, è quibus regnante Iacobo Tertio aulica aura Thomam ad Proregis authoritatem, Robertúmque eius filium ad Comitis Araniæ dignitatem & nuptias cum Regis sorore prouexerat. Verùm eadem aura mox reflante hostes patriæ iudicati, vxore etiam Roberto abducta & Iacobo *Hamiltonio* data, bonis in fiscum redactis, omnibus lusu quodam fortunæ exciderunt,& profugi obierunt: posteri tamen auitum Baronum honorem receperunt,& eodem hodie gaudent. Ad *Irwini* fl. ostium *Irwin* Burgus apponitur cum portu arenosis puluinis ita intercluso & minùs profundo vt tantùm minorum nauigiorum sit capax, *Ardrossan* castellum *Montgomeriorum* superiùs sinui impendet: vetusta hæc & celebris inprimis familia quę *Poununium* castellum in bellicę virtutis testimonium ostendit, constructum ex pretio Henrici *Percy* cognomine *Whot-spurre* redempti quem in prælio ad *Otterburn* sua manu cœpit,& captiuum abduxit I. *Montgomerius*. Ab *Ardrossan* haud procul abest *Largis* Norwegorum sanguine à rege Alexandro Tertio cruentatum. Vnde littore inflexo *Eglington* castellum occurrit quod nobilium eiusdem cognominis fuit possessio

Boidij Barones.

Irwin.

Ardrossan.

Largis.

possessio a quibus ad *Montgomerios* deuenit qui hinc titulum Comitum *Eglingtoniæ* acceperunt. Vnde autem hoc cognomen, non facilè quis dixerit, scio è Normannia in Angliam aduenisse, variasque fuisse eiusdem nominis familias, sed ea in Essexia è qua Thomas *Montgomery* Ordinis Georgiani Eques regnante Edwardo Quarto, insignia ab his parùm variata gestauit. Cæterùm prænobilis hæc gens latè est diffusa, atq; ex illis de *Genan* fuit Iacobus ille Lorgæus Comes Montgomeriæ dictus, Scoticorum stipatorum (quos in suum & successorum præsidium Carolus Quintus Rex Galliarum in fidei ipsorum & suæ beneuolentiæ testimonium instituit) Præfectus, qui in hastiludio Henricum Secundum Galliarum Regem aperta fortè casside hasta fragmine per oculum in cerebrum penetrante interemit, posteàque in ciuili illo quo Gallia flagrauit bello, dum à reformatæ religionis professoribus staret, interceptus & securi percussus. Numerosior tamen hoc in tractu *Cunninghamiorum* gens habetur, cuius princeps est *Glencarniæ* Comes qui ad *Kilmauris* habitat, originem ex Anglia repetit, & ab Anglo qui cum cæteris Thomam Archiepiscopum Cantuariensem occidit; quàm verè nescio, probabili fortasse coniectura arrepta ex pallio Archiepiscopali quod in clypeo gestant gentilitio.

Montgomerij Comites Eglington.

Satellitium Scoticum in Gallia.

1574.

Cunninghamij Comites Glencarniæ.

GLOTA INSVLA, siue ARRAN.



IN conspectu *Cunninghamiæ* inter complures alias Insulas eminet GLOTA insula ab Antonino memorata in ipso *Glotæ* siue *Cluidæ* fl. æstuario, hodie *Arran* ab eiusdem nominis castro. Interiùs tota montium prominentia assurgit, ad quorum radices iuxta littora percolitur. Hæc primum quem legi Comitem habuit Robertum Boidium, cuius vxorem & vnà Comitatum Boidio profugo Iacobus *Hamilton* vt modò dixi, accepit, & eodem posteri gauisi sunt, nisi quòd nuper Iacobus *Stewart* tutor datus Iacobo *Hamiltonio* Comiti Arraniæ mentis impoti iure tutelari hunc titulum accepit.

Comites Arraniæ.

Huic vicina est *Buthe* à sacra cellula quam Brendanus posuit (sic enim cellula Scoticè dicitur) cui è *Stewartorum* familia præest Vicecomes. In hac *Rothesay* est castrum quod Ducatus titulum primogenito Regis Scotiæ filio præbet qui Princeps Scotiæ, Dux Rothesaiæ & Scotiæ Seneschallus natus, ex quo Rex Robertus III. Dauidem filium suum primogenitum Rothesaiæ Ducem inuestiuit, qui primus in Scotia Ducis honore exornatus. Quo etiam titulo Maria Regina Henricum Dominum *Darley* priusquam in maritum assumpserat, honorauit. Inde *Hellan* olim *Hellan Leneow*, id est, vt interpretatur I. Fordonus, *Sanctorum insula*, & *Hellan Tinoc*, id est, *Insula Porcorum*, in eodem sinu, cum alijs obscurioris notæ insulis quàm plurimis conspiciuntur.

Buthe insula. Rothesay. Ducatus.

DAMNII, CLVYDSDALE, &c.



POst NOVANTES interiùs ad *Glottam* siue *Cluidam* fl. & longiùs ad ipsum Orientalem Oceanum habitarunt olim DAMNII. Si quid ego video (nam in rebus tam à memoria nostra remotis, & tam spissa caligine quis certum viderit?) in *Cluydsdale*, Baronia *Renfraw*, *Lenoxia*, *Striuelinia*, *Menteth*, & *Fifa*.

Prope *Cluidæ* fontes in *Crawford Moor* inter tesqua auri ramenta post vehementiores pluuias a rusticis reperta opulentam spem iam diu fecerunt, sed nostro maximè tempore ex quo B. *Bulmer* aurifodinam hic inuenire magno conatu susceperit. Certè Azurum sine vllo ferè labore quotidiè eruitur. Crawfordiæ autem castro vnà cum Crawfordiæ Comitis titulo à Rege Roberto Secundo donatus erat Iacobus *Lindesay* qui singulari cum Barone *Welles* Anglo certamine magnam fortitudinis laudem retulit. *Lindseiorum* egregia in patriam extiterunt

Cluydsdale.

Aurifodina.

Lindesaij.

Crawfordiæ Comites.

extiterunt merita, & nobilitas sanè antiqua, ex quo Guilielmus *Lindesay* duxit vnam hæredum Guilielmi de *Lancaster* Domini Kandaliæ in Anglia, cuius abneptis in * *Conciacam* Galliæ familiam longè honoratissimam fuit elocata. A fontibus *Cluida* in Boream per ædes Baronis *Someruill* eluctatus, *Duglas* siue *Douglas* flu. ab Occasu à nigricante & subuiridi aqua dictum suscipit, qui nomen suum & valli per quam defluit *Douglasdale* dictam, & in ea Castro *Douglas* communicat, quod illud itidem familiæ *Douglassiorum* impertijt. Familia hæc, quæ sanè peruetusta, maximè inclaruit ex quo Iacobus *Douglas* Regi Roberto *Brus* regnum vendicanti extremis temporibus singulari animi fortitudine & prudentia semper præstò adfuerit coniunctissimus, & cui cor suum Robertus ille mandauit, vt votum solueret, Hierosolymas deferendum. In cuius memoriam cor humanum in ipsorum clypeum *Douglasij* inseruerunt. Ex illo tempore in tantam potentiam & amplitudinem excreuit, postquam Dauid Secundus Guiliel. *Douglasiæ* Comitem creauerat, vt ipsis etiam Regibus fuerit formidolosa, vno enim fere tempore quinque Comites habuerit, sc. huius *Douglassiæ*, *Angusiæ*, *Ormondiæ*, *Wigtoniæ*, *Morauiæ*, & *Mortoniæ*, è quibus Comes *Wigtoniæ* titulum Ducis Turonum à Gallorum Rege Carolo Septimo bellica virtute promeruit, & vni & alteri Comitum *Douglassiæ* qui ipsi hæredes, reliquit.

* Coucy.
Baro Somer-uill.
Douglas siue Duglas.
Douglasij.
Duces Turonum.

Supra confluentes *Douglasij* & *Cluidæ* est *Lanric* Vicecom. *Hamiltoniorum* hæreditarius qui nomen debent castro *Hamilton*, quod sitũ superiùs ad *Cluidæ* ripam in loco fertili & peramœno, sed originem ex Anglia vt ipsi ferunt, Anglo cuidam cognomine *Hampton* qui Roberti *Brus* partes sequutus latifundia hoc tractu ab eo accepit. Magnum autem opum incrementum accessit Iacobi Tertij benignitate qui sororem suam primogenitam *Boidio* abreptam cum Comitatu Arraniæ Iacobo *Hamiltonio* in vxorem dedit, honorum verò per Ordines regni qui Iacobum *Hamiltonium* eius è filio nepotem Iacobo Quinto demortuo Scotiæ Proregem dixerunt, quem & Henricus Secundus Galliarum Rex *Castri-Heraldi* in Pictonibus Ducem salutauit: nec non per Iacobum Sextum qui eius filium Ioannem nouo titulo & Scotis non priùs vsitato Marchionem *Hamiltoniæ* creauit.

Shirifdome of Lanric.
Hamiltonij.
Dux Chasteau Herald.
Marchio Hamilton.

Glotta siue *Cluida* hinc per *Bothwell*, quæ suos iactat Comites Ioannem *Ramsay* qui apud Iacobum Tertium nimia fuit potentia, sed sibi & Regi exitiosa, & *Hepburnos* de quibus anteà, & mox prono alueo *Glascow* interfluit, olim sedem Episcopalem, sed diu neglectam, donec Rex Guilielmus restituerit: nunc verò Archiepiscopalem, & Academiam quam pio instituto anno CIↃ CCCCLIIII. *Turnbullus* Episcopus extructo Collegio instituit. Celeberrimum hoc est huius tractus emporium amœno situ & pomiferis arboribus laudatum, pontemque octo arcubus innixum habet perpulchrum. De quo I. Ionstonus.

Glascow.
Bothwelliæ Comites.


Non te Pontificum luxus, non Insula tantùm
Ornauit, diri quæ tibi caussa mali,
Glottiadæ quantum decorant te, Glascua, *Musæ,*
Quæ celsum attollunt clara sub astra caput.
GLOTTA *decus rerum, piscosis nobilis vndis,*
Finitimi recreat iugera læta soli.
Ast Glottæ *decus, & vicinis gloria terris*
Glascua *fœcundat flumine cuncta suo.*

Ad Glottæ ripam citeriorem sita est *Baronia de Reinfraw* à primario opido dicta quæ Ptolemæi RANDVARA videatur ad *Cathcart* flu. qui sui incolam habet eiusdem nominis priscæ nobilitatis Baronem de *Carthcart*, cui vicina sunt (eximia etenim est hæc prouinciola nobilitatis altrix) *Cruikston* sedes quondam Dominorum de *Darley* à quibus iure coniugali ad *Leuiniæ* siue *Lenoxiæ* Comites deuenit, vnde Henricus pater Regis Iacobi VI. Dominus de *Darley* dictus, *Halkead* Baronum de *Ros* ex Anglica origine, vtiq; à Roberto illo *Roos* de *Warke* genus trahunt, qui olim relicta Anglia fidem regis Scotorum sequutus. *Pasletum* vulgò *Paslay* monasterium quondam celebre ab Alex. eius nominis secundo Scotiæ Seneschallo fundatum, quod templi splendore & apparatu paucis cessit. Nunc habitationem & Baronis titulum benignitate R. Iacobi Sexti Claudio *Hamiltoni*

Reinfraw Baronia.
RANDVARA
Barones Carthcart.
Cruikston.
Barones de Roos.
Pasley.

Hamiltoni filio minori Ducis *Castri-Heraldi* præbet, & *Sempill* cuius Dominus Baro *Sempill* iure antiquo huius Baroniæ est Vicecomes. Sed titulus *Baronis de Renfraw* ad Scotiæ Principem peculiari iure spectare legimus. Barones Sempill.

LENNOX.



AD alteram *Cluidæ* ripam supra *Glascow Lennoxia*, siue *Leuinia* in Septentriones longiùs procurrit inter montium conglomerationes nomen sortita a *Leuino* flumine, quod Ptolemæo LELANONIVS, in *Cluidam* influit è *Lacu Lomundo*, qui sub montibus hîc se explicat, in longitudine XX. mill. pass. & VIII. in latitudine admodum piscosus. Sed maximè peculiari sibi pisce (*Pollac* vocant) insulisque confertus, de quibus fabellæ apud vulgus hominum inualuerunt plurimę. Insulam verò hic fluctuantem in quęstionem vocare non libet, cùm nihil prohibet corpus leuius, & pumicosum aquæ innatare, & Plinius scribit in lacu Vadimonis insulas herbidas iunco & arundine tectas fluitare. Viderint autem illi qui propius huius loci naturam norunt an hoc Nechami nostri antiquum Distichon sit verum, Lelanonius. Logh Lomund. Pollac piscis. Lib.8.Epi.20.

Ditatur fluuijs Albania, saxea ligna
Dat Lomund multa frigiditate potens.

In margine lacus circumquaque sunt piscatorum casulæ, sed nihil planè memoria dignum præter *Kilmoronoc* elegantes Comitis *Cassiliensis* ædes ad partem Orientalem quæ iucundissimo in lacum fruuntur prospectu. Vbi autem *Leuinus* è lacu in *Cluidam* se exonerat interponitur *Al-cluid*, sic veteres dixerunt: Beda nescio quorum lingua *Petram Cluid* significasse notat: Certè *Ar-Cluid* supra *Cluidam* Britannicè significat, & *Cluid* veteri Anglorum lingua *petram* significauit. Posteri *Dunbritton*, id est, *Britannorum oppidum*, & corruptè metathesi quâdam *Dunbarton* vocarunt, eò quòd Britanni diutissimè contra Scotos, Pictos, & Saxones tenuerint. Est enim propugnaculum siue castrum & natura & situ totius Scotiæ munitissimum ad ipsos fluminum confluentes in herbida planitie rupi confragosæ & bicipiti affixum, in cuius altero vertice specula eminet, in altero qui humilior crebra surgunt propugnacula. Inter duos hos vertices ad latus Septentrionale ascensum habet vnicum vix singulis peruium, gradibus magno labore per obliquam rupem excisis. Pro fossis sunt ad Occasum *Leuinus*, ad Meridiem *Cluida*, ad Orientem cœnosa planities quæ Oceani æstu accedente, aquis tota integitur, ad Septentriones ipso accliui situ tutissimum. Hoc loci ingenio & sua virtute nonnullæ reliquiæ Britannorum qui (vt scribit Gildas) *in montanis collibus minacibus, præruptis, vallatis, densissimis saltibus, marinisque rupibus perfugium compararunt*, hîc se à decessu Romanorum, per annos trecentos inter medios hostes defensarunt. Nam Bedæ tempore ciuitas (vt ipse scribit) Britannorum erat munitissima. Sed anno DCCLVI. Eadbertus Rex Nordan-humbrorum, & Oengus Rex Pictorum iunctis viribus circumcluserunt, & rebus desperatis in conditionem receperunt. Ab hoc regio circumsita Vicecomitatus de *Dunbarton* dicitur, & Comites *Lennoxiæ* Vicecomites natos diu agnouit. Kilmoronoc. Alcluyd. Dunbritton. Britannodunum. R.Houeden.

Quod ad ipsos *Lennoxiæ Comites* spectat, vt vetustiores omittam, Duncanus quidam *Lennoxiæ* Comes erat regnante Roberto Secundo, qui filiabus solummodo relictis diem obijt. Quarum alteram duxit Alanus *Stewart* cui genus à Roberto filio natu minori Walteri eius nominis secundi, Magni Scotiæ Seneschalli, & fratre Alexandri *Stewart* secundi, à quo stirps Regia Scotorum. Ex honorario enim munere Seneschalli regni, vtique qui Regijs prouentibus præfuit, & *Stewart* lingua vulgari vocatur, cognomen illustrissimæ huic familiæ inditum erat. Alano illi natus erat Ioannes Comes *Lennoxiæ*, & Robertus qui turmæ Scotorum quam Carolus Sextus Rex Galliarum vt aliquam gratiam Scoticæ genti præclarè de regno Galliæ sua fortitudine meritæ reponeret, primus conscripsit, præfuit, *Domino de Aubigny* in Aruernis ab eodem virtutis ergò donatus, Comites Lennoxiæ siue Leuinię. Stewart. Scotorum turma in Gallia.

Ddddd Ioanni

Ioanni filius erat Matthæus Comes *Lennoxiæ* qui duxit filiam Iacobi *Hamiltonij* è Mariona filia Iacobi Secundi Regis, è qua suscepit Ioannem *Lennoxiæ* Comitem qui dum ad Regem Iacobum Quintum à *Douglasijs* & *Hamiltonijs* liberandum arma sumeret, ab auunculo Arraniæ Comite fuit occisus. Ioanne procreatus erat Matthæus Comes *Lennoxiæ* qui variè agitatus in Gallia & Scotia, fortunam in Anglia mitiorem expertus gratia Henrici Octaui, quum neptim è sorore illi in matrimonium dedit cum latifundijs. Ex hoc fœlici coniugio progeniti Henricus & Carolus, Henrico ex Maria Scotiæ Regina IACOBVS Sextus Rex Britanniæ propitio numinis æterni fauore auspicijs natus est fœlicissimis ad orbem Britannicum inter se vt à reliquo orbe ante diuisum in vnum imperij corpus colligandum, & ad æternam securitatem (vt speramus & comprecamur) nostris posteris & posterorum nostrorum posteris infinitis seculorum continuationibus firmissimè fundandam. Carolo autem nata filia vnica Arbella quæ supra sexum ita optimarum literarum studia est amplexa, vt ad veram virtutem summa cum laude sibi profuerint, & cum prisci seculi fœminis sit conferenda. Carolo autem defuncto, postquam Comitatus *Lennoxiæ* qui illi fuit infeudum assignatus siue de quo fuit *infeofatus*, authoritate Parlamentaria anno MDLXXIX. reuocaretur, & Robertus eius patruus Episcopus Cathanesiæ tantisper hunc titulum gessisset, pro quo Marchiæ Comitis honorem a Rege accepit; contulit Rex Iacobus Esmæo *Stewart* filio Ioannis Domini *Aubigni* & fratris secundi Matthæi quem dixi Comitis Lennoxiæ, titulum Ducatus Lennoxiæ, quo eius filius Lodouicus hodie fruitur. A Caroli enim Sexti temporibus ex hac stirpe fuerunt Domini de *Aubigny* in Gallia, Robertus ille quem dixi, & Bernardus siue Eberardus sub Carolo VIII. & Lodouico XII. posteris a Iouio cum præconio narratus ob res fortissimè in bello Neapolitano gestas, comes fidissimus Henrico Septimo cum Angliam adiret, qui pro symbolo vsus erat Leone inter fibulas cum inscriptione DISTANTIA IVNGIT, quòd eius operâ regna Galliæ & Scotiæ tanto interuallo seiuncta arctiore amicitiæ fœdere coniungerentur; vt Robertus *Stewart* Dominus *D'Aubigny* ex eadem stirpe qui Mareschallus Galliæ sub Lodouico vndecimo eadem de caussa vsus est insignibus Regijs Galliæ cum aureis fibulis in lymbo rubeo circumpositis, quæ eadem Lennoxiæ Comites & Duces iam inde gestarunt.

Iacobus Rex Britanniæ.

Domini de *Aubigny*, siue *Obigny*.

Paradinus.

STIRLING Shirifdome.



LEnnoxiæ ad Ortum æstiualem conterminus est ager Sterlinensis nomine a primario opido assumpto soli vbertate, & nobilium frequẽtia nulli Scotiæ prouinciæ secunda. Hîc illud angustum est terræ spatium quo GLOTTA & BODOTRIA siue *Dunbritton Frith* & *Edenborough Frith* (vt ad nostra tem pora loquar) diuersi maris æstu longiùs inuecti ne inuicẽ pertingant, dirimuntur. Quod Iulius Agricola qui huc & vlteriùs penetrauit primus obseruauit, & hoc interstitiũ præsidijs firmauit, ita vt omnis citerior Britanniæ pars a Romanis tunc teneretur, hostibus velut in aliam insulam submotis, vt rectè iudicârit Tacitus non alium Britanniæ quærendum terminum: Nec vlteriùs sane subsequenti tempore Virtus exercituum, & Gloria Romani nominis quæ vix sisti poterant, limites imperij hac in parte promouit, licèt incursionibus subinde infestauerit. Sed post hanc gloriosam Agricolæ expeditionem ipso reuocato, *Britannia*, vt ait Tacitus, *missa*, nec huc vsque retenta. Nam Britanni Caledonij ad *Tinam* vsque flumen Romanos repulerunt, adeo vt Hadrianus qui Britanniam anno plùs minùs quadragesimo post adijt & multa in ea correxit, non vlteriùs processerit, sed iusserit vt Deus TERMINVS qui nulli cedere solitus ipsi Hadriano ex hoc loco perinde vt in Oriente cis Euphratem, retrorsus cederet. Vnde illud B. Augustini. *Deus* TERMINVS *qui non cessit Ioui, cessit Hadriani voluntati, cessit Iuliani temeritati, cessit Ioniani necessitati.* Vsq; adeo vt Hadrian. satis habuerit inter *Tinam & Escam* fl. murum cespititium ducere centum mill. pass. citra *Bodotriam* ad Austrum. Verùm Antoninus Pius qui ab Hadriano adoptatus in eius nomen transijt, dictus TITVS ÆLIVS HADRIANVS ANTONINVS PIVS ductu Lollij Vrbici quem Legatum huc miserat, barbaros iterum

Deus Terminus.

Augustin. de Ciu Dei l.4.c. 29.

iterum trans BODOTRIAM alio vt habet Capitolinus *cespititio muro*, scilicet ab illo Hadriani, submouit. Quem hoc in loco de quo agimus ductum fuisse (& non a Seuero vt vulgò creditum) non alios aduocabo testes quàm duas antiquas Inscriptiones hic effossas, quarum altera ad *Cadir* parieti domus infixa docet Legionem Secundam Augustam per tria mill. pass. & ampliùs, altera iam in ædibus Comitis *Marescalli* ad *Dunotyr*, quæ innuit vexillationem Legionis vicesimæ Victricis per III. mill. pass. murum duxisse. Sed habe ipsas vt Seruatius Rihelius nobilis Silesius qui has regiones curiosè obseruauit, mihi descripsit:

Murus Antonini Pij.

IMP. CAESARI
T. AELIO. HADRI-
ANO ANTONINO.
AVG. PIO. P. P.
VEXILLATIO
LEG. XX. VAL. VIC. F.
PER. MIL. P. III.

IMP. CAES. TIT. IO AELIO
HADRIANO ANTON.
AVG.PIO.PP.LEG. II. AVG.
PER.M.P.III. D. CIXVIS.

Ad *Cadir*, vbi hæc posterior extat, etiam alter ostenditur lapis in quo intra coronam lauream duabus victoriolis sustentata legitur:

LEG.
II
AVG.
FEC.

Et in pago (*Miniabrüch* dicta) ex domo Ministri translata est hæc inscriptio in Nobilis domum, quę ibidem exædificatur:

D. M.
C. IVLI.
MARCELLINI
PRAEF.
COH. I. HAMIOR.

Cohors Prima Hamiorum.

Cùm autem Barbari imperante Commodo hunc murum transgressi multa vastâssent, Seuerus Hadriani murum, vt iam diximus, restaurauit. Postea tamen regionem interie-

ctam in suam potestatem redegerunt rursus Romani. Nam Carausium sub Dioclesiano refirmasse hunc murum & septem castellis communiuisse tradidit Ninius. Postremò hunc locum munierunt Romani Theodosio iuniore imperante ductu Gallionis Rauennatis. *Fecerunt autem*, inquit Beda, *ex cespitibus murum non tam lapidibus quàm cespitibus construentes, vtpote nullum tanti operis artificem habentes, ad nihil vtilem inter duo freta vel sinus maris per millia passuum plurima. Vt vbi aquarum munitio deerat, ibi præsidio Valli fines suos ab hostium irruptione defenderent. Cuius operis ibidem facti, id est, Valli latissimi & altissimi vsque hodie certissima vestigia cernere licet.* Incœpit hic murus vt hodie ferunt Scoti ad Auenum fl. qui *Edenburrough Frith* subit, & transito *Carrone* fluuiolo ad *Dunbritton* pertingit. Beda autem vt modo dictum incipere dicit in loco *Penuael*, .i. Pictorum lingua *Caput valli*, Britannorum *Pen-gual*, Anglorum *Penwalton*, Scotorum *Cevall*, quæ omnia proculdubio a Latinorum *Vallo* deducta, locumque illum duorum fere millium spatio abesse ab *Abercurnig* siue *Abercurning*. Desinit autem vulgi opinione ad *Kirk-Patrick* natale solum S. Patricij Hibernicorum Apostoli, iuxta *Cluidam*, secundum Bedam ad *Alcluid*, secundum Ninium ad ciuitatem *Pen Alcloyt*, quæ eadem videantur. Vocatur autem murus iste vulgò *Grahams dyke*, vel a *Grahamo* Scoto bellicoso cuius virtus in eo perrumpendo inprimis eminuit, vel a Grampio monte ad cuius radices visitur. Qui *Rotam Temporum* scripsit murum de *Abercorneth* appellat, .i. *Ostij Corneth* flu. vbi Bedæ seculo *monasterium celebre in regione*, vt ille prodidit, *Anglorum, sed in vicinia freti quod Anglorum terras Pictorumque tunc determinauit*. Proximè hunc Murum cespititium siue Vallum qua *Carron* fluuius Sterlingensem hunc agrum secat, ad læuam duo tumuli aggesti cernuntur, quos *Duni pacis*, & ad duo ferè millia passuum inferius antiqua est substructio rotunda XXIIII. cubitos alta XII. lata, in summo aperta, sine calce ex asperis saxis ita conformata, superiori lapidis parte in inferiorem inserta, vt totum opus in arctum surgens mutuo complexu se sustineat. Hanc alij Dei TERMINI templum, alij *Arthurs-Ouen*, qui quicquid magnificum ad Arthurum referunt, alij *Iulius hoff* vocant, & a Iulio Cæsare constructam opinantur; ego autem a Iulio Agricola potius opinarer qui hanc partem præmuniuit: nisi Ninius iam docuisset a Carausio in Arcum triumphalem erectam fuisse. Ille enim (scribit Ninius) *ad ripam* Caruni *domum rotundam politis lapidibus fornicem triumphalem in victoriæ memoriam erigens construxit, murumque reædificauit, & septem Castellis muniuit.* Medio spatio inter *Dunos Pacis* & hanc substructionem ad dextram *Carronis* ripam antiquæ vrbeculæ confusa etiamnum cernitur facies, vbi olim nauium fuisse stationem vulgus credit, qui *Camelot* vocant celebri in Arthuri fabella nomine, & *Camalodunum* fuisse a Tacito memoratum frustrà contendunt ex *Caronis* fluminis subterlabentis nomine. CORIA DAMNIORVM cuius meminit Ptolemæus potiùs videatur. Nunc habe quod de hoc Romani imperij limite ad Carronem cecinit optimus ille Poeta G. Buchananus:

Ninius.

Abercorn.

Grahames dyke.

Duni Pacis.

Arthurs Ouen.

Coria Damniorum.

Roma securigeris prætendit mœnia Scotis,
Hic spe progressus posita, Carronis ad vndam
Terminus Ausonij signat diuortia regni.

In hoc agro Sterlingensi ad Orientalem partem cernitur Castrum *Callendar* Baronum de *Leuingston*. Familiaque Baronum *Fleming* prope habitat ad *Cumbernald* quod acceptum ferunt Regi Roberto *Brus* ob operam fortiter & fideliter in patria tuenda præstitam, vnde etiam honorem hæreditarium Camerarij Scotiæ sunt consequuti. Nuperrimè etiam Regis Iacobi Sexti gratia Comitis titulum in hanc familiam intulit, cùm I. Baronem *Fleming* Wigtoniæ Comitem creauerit. In vicinia est *Elphingston* quæ suos etiam habet Barones eò dignitatis a Rege Iacobo Quarto euectos, & quà *Forth* meandris suis tortuosus voluitur & pontis patiens *Sterlinium* vulgò *Striuelin*, & *Sterlin Borrough* adsidet, vbi in supercilio rupis præcipitis arx regia eminet firmissima, quam Rex Iacobus Sextus nouis ædificijs exornauit, cuique diu præfuerunt vt Castellani Domini de *Ereskin*, quibus Principum Scotiæ dum minori sunt ætate, cura & custodia subinde fuit demandata. Quòd quidam monetam probam Angliæ quæ *Sterling money* dicitur, hinc denominatam velint, frustrà sunt. A Germanis enim quos Angli

Callendar

Barones Leuingston

Fleming.

Comes Wigtoniæ.

Sterling money.

Esterlings

Esterlings ab Orientali situ vocarunt, facta est appellatio, quos Ioannes Rex Angliæ ad argentum in suam paritatem redigendum primus euocauit, & eiusmodi nummis *Esterlings* in antiquis Scriptis semper concipiuntur. De *Sterlino* autem quæ cecinit I. Ionstonus cætera supplebunt.

Regia sublimis celsa despectat ab arce
Pendula sub biseris mœnia structa iugis.
Regum augusta parens, Regum nutricula natis,
Hinc sibi Regifico nomine tota placet.
Hospita sed cuiuis quouis sub nomine, amicus
Siue es, seu non es, hospes an hostis item.
Pro lucro cedit damnum. Discordia tristis
Heu quoties procerum sanguine tinxit humum?
Hoc vno infelix, at felix cætera nusquam
Lætior aut cæli frons, geniusue soli.

Circiter duo hinc milliaria *Banoc* amnis præaltis vtrinq; ripis hieme rapidus *Fortham* petit celeberrimus victoria Scotorum si qua alia clarissima, Edwardo Secundo Angliæ fugato qui nauicula Saluti trepidas consuluit & instructissimo quem Anglia antè emisit exercitu virtute R. Roberti *Brus* fuso, adeo vt vno & altero pòst anno Angli in Scotos vexilla non sustulerint. Ager autem vicinus infamis cæde Iacobi Tertij quem quidam Scotiæ proceres armato in filium patre hic peremerunt, nescio an sua vel ipsorum culpa, exemplo sanè pessimo. Circa *Sterlinum* ALAVNAM statuere videtur Ptolemæus quæ vel ad *Alon* riuulum qui *Fortham* hic illabitur, vel ad *Alway* Ereskinorum ædes qui hæreditarij huius agri extra Burgum sunt Vicecomites. Comitis autem Sterlinij titulo neminem hactenus legi insignitum. Banoc. Alauna.

CALEDONIA.



Vicquid Britanniæ vltra *Grahames Dike* siue murum Antonini Pij quem modò dixi ad Septētriones protenditur, & vtrinq; prominet, CALEDONIA Tacito, vt eius incolæ *Britanni* CALEDONIAM *incolentes*, vocantur. Ptolemæus in multas nationes distribuit, scilicet CALEDONIOS, EPIDIOS, VACOMAGOS, &c. Qui omnes postea quòd pingendi corpora ritum retinerent, a Romanis & prouincialibus PICTI fuerunt denominati, ab Ammiano Marcellino in duas gentes diuisi, DICALEDONAS & VECTVRIONES, de quibus iam antea dictum. Cæterùm in Caledoniorum nomen omnes apud classicos autores abierunt; quos sic dictos existimârim à *Kaled* Britannico quod durum sonat, & multitudinis numero *Kaledion* parit, vnde Caledonij, id est, *homines duri asperi, inculti, & agrestiores*, quales maxima ex parte Septentrionales habentur, qui ex cœli rigore sunt truciores, & ex sanguinis abundantia audaciores. Accedit etiam ad cœli positionem terræ ratio, quæ tota horridis & confragosis montibus attollitur; montanos certè duros, robustosque esse agnoscunt omnes. Quod tamen è Pacuuio Varro habet, *Caledonia altrix exuberantium corporum virûm*, de illa Epiri regione, quàm de hac nostra intelligere malim, licèt & suo iure & nostra hoc sibi elogium vindicet. Inter hos SYLVA erat CALEDONIA, Lucio Floro *Saltus Caledonius*, in immensum spatium diffusa, procerisque arboribus inuia, & GRAMPIO monte, nunc *Grantzbaine*, id est, *Mons incuruus*, diuisa. *In Caledonia Vlyssem appulsum*, inquit Solinus, *manifestat ara Græcis literis inscripta voto:* at in Vlyssis potiùs honorem, quàm ab ipso Vlysse positam ego iudicârim. Vrsos etiam Caledonios meminit Martialis in illo versu: Sylua Caledonia. Vlyssis ara. Vide pag. 24. Vrsi Caledonij.

Nuda Caledonio sic pectora præbuit vrso.

Plutarchus etiam è Britannia vrsos Romam aduectos fuisse, cumque admiratione suspectos

spectos scripsit, cùm tamen à multis seculis nullos progenuerit Britannia. Quodnam fuerit illud Caledonium monstrum de quo Claudianus *Caledonio velata Britannia monstro*, planè nescio. Tauros certè syluestres candidos, & densè instar leonum iubatos olim aluit plurimos, hodie autem paucos, illosque admodum truculentos, feros, & ab humano genere adeò alienos vt abhorreant ad aliquod tempus quæcunque homines vel manibus contrectauerint, aut halitu perflauerint; canumque impetus omninò contemnunt, licèt Scoticorum canum ferocitatem Roma olim ita admirata sit vt ferreis caueis putârit aduectos. Cæterùm hoc Caledoniorum vocabulum ita apud Romanos scriptores inualuit, vt pro Britannia vniuersa & omnibus Britanniæ syluis vsurparint. Hinc L. Florus Cæsarem Britannos in Caledonias syluas sequutum prodit, quas ille tamen nunquam vidit. Hinc Valerius Flaccus ad Vespasianum.

Tauri Caledonij.

—Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus. Pro Britannico Oceano.

Hinc de Vectio Volano Britanniæ sub Vitellij tempus Proprætore, ad Crispinum filium cecinit Statius.

Quanta Caledonios attollet gloria campos,
Cùm tibi longæuus referet trucis incola terræ,
Hic suetus dare iura parens, hoc cespite turmas
Affari, ille dedit, cinxítque hæc mœnia fossa,
Belligeris hæc dona deis, hæc tela dicauit,
Cernis adhuc titulos, hunc ipse vacantibus armis
Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno.

Sed in his vt in alijs, *Crescit in immensum facunda licentia vatum.* Nec enim Cæsar, nec Volanus vel Caledonios nouêrunt. Plinij ætate (vt ipse testatur) triginta propè annis à Claudio, Britanniæ notitiam non vltra vicinitatem Caledoniæ syluæ Romana arma propagârant. Iulius enim Agricola sub Domitiano, primus Caledoniam intrauit, cui Galgacus tunc præfuit, *(Galanc ap Liennauc* Triadum libro inter tres Britanniæ Heroas appellatur) vir animo ingenti validoque, qui fusa legione IX. magno animi ardore, cum Romanis concurrit, acerriméque patriam defendit, donec fortuna potiùs quàm virtus desereret. Tunc enim (vt inquit ille) Septentrionales hi Britanni *& libertatis & terrarum extremi fuerunt.* Extremi sanè huius insulæ, vt Catullus Britannos vltimos orbis dixit illo ad Furium versu,

Galgacus Britannus.

Cæsaris visens monumenta magni
Gallicum Rhenum, horribiles, & vltimosque Britannos.

Argetocoxus

Seueri ætate, vt est apud Xiphilinum, Argetecoxus Regulus hoc in tractu regnauit, cuius vxor à Iulia Augusta conuitijs vt adultera exagitata, liberè respondit: *Nos Britannicæ cum optimis viris consuetudinem habemus, at vos Romanas perditissimus quisque occultè constuprat.*

FIFE.



N hac ampla Caledoniorum regione post Sterlinensem agrum de quo postremò dictum, & duas minoris notæ Præfecturas siue Vicecomitatus *Clackmans* cui Eques dictus de *Carss*, & *Kinross* cui Mortonij Comes Vicecomites præsunt, spectatissima peninsula *Fife* quasi cuneata inter duo æstuaria *Fortham* & *Taum* in Ortum longiùs procurrit. Terra fruges & pabula, carbonesque fossiles benignè profundit, mare præter alios pisces ostrea & conchilia affatim producit, & littora consita opidulis quæ strenuis abundant nautis. In australi huius

Clackmans. Kinross.

latere

latere ad *Fortham* primùm Occasum versus apparet *Cul-ros* noua Baronia I. *Coluil*, inde eminet *Dunfermling* monasterium olim celebre Regis Malcolmi Tertij opus & tumulus. Nunc autem Comitis nomen & honorem Alexandro *Seton* viro prudentissimo præbet, quem à Barone de *Fiuy* Iacobus Rex Britanniarum in Comitem *Dunfermling*, & Regni Scotiæ Cancellarium iampridem meritò extulit. Inde *Kinghorn* æstuario adsidet à quo Comitis titulum & honorem R. Iacobi Sexti beneficio Patricius *Lion* Baro *Glamys* nuper accepit. Posteà *Disert* est in littore accliui situ, vnde Ericetum eius nominis se pandit, vbi locus satis amplus, quem *Carbonum aream* vocant, terreno bitumine abundat, & partim non sine incolarum damno ardet. Cui adiacet *Rauins-heuch*, id est, *Coruorum collis præruptus*, Baronum de *S. Claro*, siue *Seincler* habitatio. Supra *Leuinus* fl. in *Fortham* se condit, qui è lacu *Leuino* (in quo arx *Douglasiorum* nunc Mortoniæ Comitum) effusus, ad ostium *Wemmis* castrum habet, sedem nobilis eiusdem cognominis familiæ quam Baronis dignitate nuper Iacobus Sextus adauxit. Hinc littus sinuoso tractu ad *Fif-ness*, id est, *Fifa promontorium siue Nasus*, reducitur. Supra S. Andreæ vrbs Archiepiscopalis apertum Oceanum prospectat, antiquior loci appellatio, vt habent schidæ antiquæ, *Regimund* .i. *Mons S. Reguli*, in quibus legitur, *Oengus siue Vngus Rex Pictorum Deo & S. Andreæ dedit vt esset caput & mater omnium Ecclesiarum in regno Pictorum.* Iamque Episcopalis Cathedra hîc posita, cuius Episcopi vt reliqui regni Scotiæ ab Archiepiscopo Eboracensi sacrati & confirmati fuerunt, donec Iacobo Tertio intercedente propter crebra inter Scotos & Anglos bella Sixtus Quartus Pontifex Romanus Episcopum S. Andreæ totius Scotiæ Primatem & Metropolitanum constituerit, eumq; & successores ad *imitationem* Metrop. Cantuar. hisce verbis astrinxerit PP. Innocentius Octauus. *In concernentibus Archiepiscopalia, Primatiæ & huiusmodi legationis officia, iura, & eorum liberum exercitium honores, onera, & emolumenta obseruent, teneant firmiter, & inuiolabiliter studeant perimplere laudabiles consuetudines inclytæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cantuariensis cuius Præsul regni Angliæ Legatus natus existit. &c.* Antea tamen Laurentius *Lundoris* & Richardus *Cornellus* Legum Doctores bonas literas hîc publicè professi Academiæ fundamenta iecerunt quæ fœlici literatorum prouentu, tribus Collegijs, & in illis Regijs Professoribus iam celeberrima. In cuius laudem I. Ionstonus Regius ibidem sacrarum literarum Professor cecinit.

Dunfermling. Comes Kinghorn. Disert Leuinus fl. Wemmis. S. Andrewes. S. Regulus. Ex Camera Apostolica lib. 24. fol. 24.

FANVM REGVLI, siue ANDREAPOLIS.

Imminet Oceano, paribus descripta viarum
Limitibus, pingui quàm benè septa solo?
Magnificis opibus staret dum gloria prisca
Pontificum. hic fulsit Pontificalis apex.
Musarum ostentat surrecta palatia cælo,
Delicias hominum, deliciásque Deûm.
Hic nemus vmbriferum Phœbi, Nymphaque sorores
Candida quas inter præmtet Vraniæ.
Quæ me longinquis redeuntem Teutonis oris
Suscipit, excelso collocat inque gradu.
Vrbs nimium fœlix Musarum si bona nosset
Munera, & ætherij regna beata Dei.
Pelle malas pestes vrbe, & quæ noxia Musis
Alme, Deus coeant Pax, Pietasque simul.

Eden siue *Ethan* fluuiolus iuxtà mari se immiscet qui exortus prope *Falkland* olim Comitum Fifensium, nunc regium secessum ad venandi voluptates percommodè situm, sub perpetuo collium dorso qui hanc regionem mediam intersecant per *Struthers* ab arundineto ita dictum, castrum Baronum *Lindsey*, & *Cuprum* Burgum insignem, vbi Vicecomes ius dicit, profluit. De quo ille idem I. Ionstonus

Falkland. Struder. Cupre.

C V-

CVPRVM FIFÆ.

Arva inter nemorísque vmbras & pascua lata
Lenè fluens vitreis labitur Eden *aquis.*
Huc veniat si quis Gallorum à finibus hospes,
Gallica se hic iterum fortè videre putet.
Anne etiam ingenium hinc & feruida pectora traxit?
An potius patrijs hauserit illa focis?

Balmerinoch. Lundoris. Banbrich. Inuersa iam littorum fronte ad Septentriones, ad Taum æstuarium floruerunt olim duo egregia monasteria, *Balmerinoch* ab Ermengerda Regina vxore Regis Guilielmi, filia Vicecomitis de *Bellomonte* in Gallia extructum, quod nunc suo Barone Iacobo *Elphinston* gaudet, & *Lundoris* à Dauide Huntingdoniæ Comite inter syluas constructum, & hodie Patricij *Lesley* Baronia, quibus intersidet *Banbrich* Comitis *Rothusij* siue *Rothes* instar castri firmata habitatio. Sed de *Fifa* opidis littoralibus habe iam hæc si placeat I. Ionstoni carmina.

Oppida sic toto sunt sparsa in littore vt vnum
Dixeris, inque vno plurima iuncta eadem
Littore quot curuo Forthæ *voluuntur arenæ,*
Quotque vndis refluo tunditur ora salo;
Pene tot hîc cernas instratum puppibus æquor,
Vrbibus & crebris pene tot ora hominum.
Cuncta operis intenta domus, fœda otia nescit;
Sedula cura domi, sedula cura foris.
Quæ maria & quas non terras animosa iuuentus
Ah! fragili fidens audet adire trabe?
Auxit opes virtus, virtuti dura pericla
Iuncta etiam lucro damna fuere suo.
Quæ fecere viris animos, cultumque dedere;
Magnanimis prosunt damna, pericla, labor.

Thanus. Comites Fifæ. Crosse Mac-Duff. *Colpindach. Præfuit huic prouinciæ vt reliquis huius regni olim Thanus, id est, antiqua Anglorum lingua *Regis minister*, vt etiam hodie Danica, sed Malcolmus *Canmore* Macduffum qui anteà erat Thanus *Fifæ*, primum hæreditarium Comitem *Fifæ* constituit, & de se optimè merito concessit vt eius posteri regem coronandum in cathedra locarent, in exercitu regio primam aciem ductarent, & cædem fortuitam nobilis vel plebeij ab ipsis patratam data pecunia redimerent. Extatque haud procul à *Lundoris* Crux lapidea quæ pro limite inter *Fifam* & *Strathern* barbaris versiculis inscripta, quę asyli quoddã ius habuit vt homicida qui intra nonum cognationis gradum Mac-Duffo *Fifæ* Comiti coniunctus, si ad hanc Crucem accederet, vaccasque nouem, cum * iuuenca daret, homicidij absolueretur. Quando eius posteri hoc titulo exciderunt mihi minimè compertum. Regem autem Dauidem II. hunc Comitatum Guil. *Ramsay* cum singulis immunitatibus, & lege quæ vocatur *Clan-Mac-Duff* donasse ex Regni Archiuis constat: & gentem *Wemesianam*, *Douglassiam*, maximamque tribum *Clan-Hatan* cuius Princeps *Mac-Intoskech* ab his profluxisse pro certo habetur. Méque docuit in suis de verborum significationibus Cl. & eruditissimus I. *Skene* Clericus Registri Scotiæ quòd Isabella filia & hęres Duncani Comitis *Fifæ* Comitatum Fifensem certis quibusdam legibus Roberto Tertio Scotorum Regi in vsum Roberti *Stewart* Comitis *Menteith* concessit, qui posteà Dux Albaniæ regnandi cupiditate perditissimè flagrans Dauidem regis primogenitum fame malorum extrema miserrimè confecit. Sed eius filius Murdacus cùm patris, tùm filiorum suorum scelera luit, capitali supplicio à Iacobo Primo affectus, decretúmque vt Comitatus
1424. Fifensis in perpetuum Coronæ adunaretur. Verùm Vicecomitis *Fifensis* authoritas ad
Comes Rothes. *Rothusiæ* Comitem iure spectat hæreditario.

STRATH-

STRATH-ERN.

Strath-Ern Stewartry.



D *Taum* æstuarium quod *Fifam* à Septentrione terminat Iulius Agricola Proprætor Britanniæ optimus sub pessimo Imperatore Domitiano tertio expeditionum anno vastatis eousque nationibus, victricibus signis peruenit. In hoc æstuario *Ern* fluuius eximius aquas *Tao* confundit, qui è lacu eiusdem nominis ortus regioni per quam defertur nomen impendit suum, *Straith-Ern* enim dicitur quod antiqua Britannorum lingua *Conuallis ad Ern* significat. Huius *Erni* ripam exornat *Drimein* castrum familia Baronum de *Dromond* qui honores consequuti sunt amplissimos, ex quo Rex Robertus *Stewart* Tertius vxorem ex his sibi assumsit. Fœmininæ enim ex hac stirpe excellenti oris & vultus dignitate palmam cæteris præripuerunt, adeò vt Regibus fuerint in delicijs.

Ern fl. — *Drimein. Barones Dromond.*

Eademque ripa surgit *Tulibardin* castrum, lætiùs ex quo propitia Regis Iacobi Sexti gratiâ Ioannes *Morauius* siue *Murray* Baro de *Tulibardin* ad honorem & amplitudine m Comitis *Tulibardin* sit euectus. Altera ripa inferiùs *Duplin* castellum, habitatio Baronum *Olyphant* adhuc memorat qualis clades, & quanta nunquam anteà, ibi Scotis ab Anglis qui Regi Edwardo *Balliolo* in suppetias venerant, fuerit illata, vt virtute diuina non humana se hanc victoriam retulisse scribant eius temporis scriptores Anglici; Scoticique referunt ex *Lindesiorum* familia octoginta perijsse, & *Haiorum* nomen penitùs deletum fuisse, nisi familiæ Princeps vxorem grauidam domi reliquisset. Nec longè dissitum *Innermeth* Dominis suis *Stewartis* è familia de *Lorna* satis notum.

Comes Tullibardin. — *Duplin. Baro Olyphant.* — *Domini de Innermeth.*

Vbi verò *Ern Tao* confluas admiscuit aquas, & *Taus* iam spatiosior, in ripa *Aberneth* suspicit, Pictorum olim Regiam & ciuitatem frequentem, quam, vt antiquo legitur fragmento, *Nectanus Rex Pictorum Deo & Brigidæ dedit vsque ad diem iudicij cum suis finibus qui positi sunt à Lapide in* Abertrent, *ad lapidem iuxtà* Carful, *id est*, Loghfol; *& inde vsque ad Ethan.* Cessit longo post tempore in possessionem *Douglasiorum* Comitum *Angusiæ*, qui *Abernethi* Domini dicti, & ibidem eorum nonnulli sepulti.

Abernethy.

Primus quem legi Stratherniæ Comes fuit Robertus *Stewart* anno MCCCLXXX. inde Dauid filius Regis Roberti Secundi iunior, cuius vnica filia Patricio *Grahamo* data, Malisium siue Melissum *Grahamum* genuit, cui Rex Iacobus Primus Comitatum abstulit postquam in feudum masculinum auo eius materno datum fuisse ex Regni Archiuis comperisset. Huic agro vti etiam *Mentethiæ* adiacenti Seneschalli authoritate Barones *Dromondi* hæreditario præsunt.

Comites Strath-erniæ.

Menteith, vt ferunt, nomen habet a *Teith* flumine quem & *Taich* vocant & inde hanc prouinciolam *Taichium* Latinè dicunt: cuius ripæ adsidet *Dunblan* Episcopatus quem Rex Dauid eius nominis Primus instituit. Ad *Kirk-Bird*, i. *Fanum Brigidæ* ædes suas primarias habent, Comites *Mentethiæ*, vt etiam Comites *Montrosiæ* ex eadem stirpe haud procul ad *Kin-kardin*. Pertingit autem hæc *Menteith* vsque ad montes, vt accepi, qui Lacus *Lomundi* Orientale latus claudunt Comites *Mentethiæ*, antiqui fuerunt e familia *Cumenia*, quæ olim totius Scotiæ numerosissima & potentissima sua mole corruit, recentiores ex stirpe *Grahamorum*, ex quo Malisius *Graham* Comitis honorem consequutus erat.

Menteith Stewartry. — *Dunblan.* — *Kirk Brid.* — *Comites Menteith.*

ARGA-

ARGATHELIA, siue ARGILE.



VLtra lacum *Lomundum* & Lennox partem Occiduam se expandit iuxta *Cluidæ* æstuarium *Argathelia*, quæ & *Argadia* Latinè, vulgò *Argile*, rectiùs *Argathel*, & *Ar-Gwithil*, .i. *Iuxta Hibernicos*, vel vt veteres schidæ habent, *Margo Hiberniæ*. Hiberniæ enim adiacet cuius incolas *Gwithil* & *Gaothel* appellant Britanni. Regio longè lateque procurrit piscosis lacubus lancinata, & montibus ad armenta pascendis alibi percommoda, in quibus feræ vaccæ & cerui vagantur; ad littus autem scopulis & nigricantium montium sterilitate horrescit. Hac in parte, vt author est Beda, *Britannia post Britones & Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit. Qui duce Reuda de Hibernia egressi, vel amicitia vel ferro sibimet inter eos sedes, quas hactenus habent, vindicârunt. A quo videlicet duce vsque hodie* Dalreudini *vocantur: nam lingua eorum* Dal *partem significat.* Et paulò post. *Hibernia propria Scotorum patria, ab hac egressi tertiam in Britannia Britonibus, & Pictis gentem* addiderunt. *Est autem sinus maris per maximus qui antiquitùs gentem Britonum à Pictis secernebat. Qui ab Occidente in terras longo spatio irrumpit, vbi est ciuitas Britonum munitissima vsque hodie, quæ vocatur* Alcluith. *Ad cuius videlicet sinus partem Septentrionalem Scoti (quos diximus) aduenientes sibi locum patriæ fecerunt.* Nominis illius *Dalreudin* vestigia iam supersunt, quod scio, planè nulla, nec apud authores quidem nisi eadem sit cum *Dalrieta*. In vetusto enim libello de diuisione Albaniæ legimus de Kinnadio quem Scotorum Regem fuisse constat & Pictos debellâsse, hęc ipsissima verba *Kinnadius biennio antequam peruenit in Pictaniam* (sic Pictorum regionem vocat) *Dalrietæ regnum suscepit. Dalrea* etiam alicubi hoc tractu in recentiori memoratur historia, vbi infœliciter Rex Robertus *Brus* pugnauit.

Dalreudini. Dal. Dalrieta. Dalrea.

Vt huic prouinciæ ius per *Iusticiarios Itinerantes*, Perthi administraretur quando Regi visum fuerit, sanxit R. Iacobus IIII. Ordinum regni authoritate. Sed ipsi Comites sua in quibusdam iura habent Regalia, viri amplissima authoritate & numerosa clientela, qui ab antiquis *Argatheliæ* Regulis per innumeros proauos genus deducunt, & a *Cambello* ipsorum castro cognomen acceperunt; Comitisq; honorem & titulum Regi Iacobo Secundo acceptum ferunt, qui (vt proditum est) Colinum Dominum *Cambell* Argatheliæ Comitem propter virtutem & familiæ dignitatem inuestiuit. Cuius posteri propitia Regum gratia iam aliquandiu fuerunt Iustitiarij Regni Scotiæ generales (siue vt illi loquuntur) *Iustitiarij generaliter constituti*, & Aulæ Regij Præfecti.

Comites Argile.

CANTIRE.



LAcus *Fin* halecum suo tempore ad miraculum feracissimus *Argatheliam* a promontorio disiungit quod per triginta plùs minùs milliaria in conum se colligens ita auide Hiberniam versus se proijcit, quasi Hiberniam, quæ angusto freto vix XIIII. milliarium dirimitur, ad se aduocaret. Hoc EPIDIORVM promontorium nuncupat Ptolemæus, cui nomini cum EBVDIS insulis quæ obiacent aliqua intercedit, vt mihi videtur, affinitas. Hodie lingua Hibernica quæ toto hoc tractu in vsu est *Can-tyre*, .i. *Caput terræ* appellatur. Incolitur verò a familia *Mac-Conell* quæ hic dominatur ad nutum tamen Comitis Argathelię & subinde prædabunda in Hiberniam suis mioparonibus excurrit; prouinciolasque illas quas *Glines* & *Rowte* vocant, occupauit. Adeò tenui ceruice vix mill. pass. eoque arenoso hoc promontorium *Knapdaliæ* adhæret vt nautæ compendiò per eam nauiculas traducant. Quod faciliùs credas quàm Argonautas suam Argum humeris impositam per quingenta mill. passuum pertraxisse.

Logh Fin. Epidium.

LORNA.

LORNA.



D Boream superiùs *Lorna* iacet generosi hordei ferax vasto lacu *Leaue* diuisa, ad hunc est *Berogamum* castrum in quo olim iustitiæ forum, & haud procul *Dunstafag*, .i. *Mons Stephani*, quondam regum habitatio, supra quod *Lacus Aber*, in terram tam longè ex occiduo mari se insinuat vt lacui Nesso qui in Orientalem Oceanum se emittit, nisi angusto spatio montes interpositi dirimissent, confluxisset. In hac celeberrimum est *Tarbar* in *Logh-Kinkeran* vbi Parlamentaria authoritate Iacobus Quartus Iusticiarium & Vicecomitem constituit qui australium insularum incolis ius administraret. Has regiones & vlteriores anno incarnationis Dominicæ DCV. tenuerunt Picti quos Septentrionales Pictos vocat Beda, vbi prodit illo anno Columbanum ex Hibernia *Presbyterum & Abbatem habitu & vita Monachi insignem* in Britanniam ad hos qui *arduis atq; horrentibus montium iugis ab australibus Pictorum regionibus fuerunt sequestrati*, religione Christiana imbuendos aduenisse, eosque in præmium *Hy* insulam, nunc *I-Comkill* quæ obiacet, illi concessisse, de qua suo loco. Lornæ Domini superiori æuo fuerunt *Stewarti*, hodie autem per famellam eorum hæredem, *Argatheliæ* Comites, qui hoc in honorario suo titulo vbique præferunt.

Berogomum. Logh Aber. 1503. Lib.3. c.4.

BRAIDALBIN.



Ntrorsus inter elata & confragosa montis *Grampij* iuga vbi paulum subsident, est *Braid Albin*, .i. *altissima Scotiæ pars*, qui veri enim & gnesij Scoti Scotiam patria lingua *Albin* vocant, vt vbi maximè attollitur *Drum Albin* .i. *Scotiæ dorsum*. Brunalbin autem legitur in vetusto codice vbi hæc habentur. *Fergus filius Eric fuit primus qui de semine Chonare suscepit regnum Albaniæ a Brun-Albain ad mare Hiberniæ, & * Inch-Gall. Et inde Reges de semine Fergus regnauerunt in Brun-Albain siue Brunhere vsq; ad Alpinum filium Eochall.*

* i. Hebudas.

Verùm suis Ducibus quàm terræ dotibus notior hæc Albania. Primus quem legi Albaniæ Dux fuit Robertus Comes Fifensis quem frater Rex Robertus eius nominis Tertius eò honoris euexit, cuius tamen filium Dauidem regni hæredem ambitione percitus, malè gratus, fame sustulit. Sed huius sceleris pœnas quas ille lento Dei iudicio non luit, eius filius Mordacus secundus Dux Albaniæ grauissimè persoluit perduellionis damnatus & securi percussus, cùm duos filios idem supplicium pridiè pertulisse vidisset. Tertius Albaniæ Dux fuit Alexander filius secundo-genitus Regis Iacobi Secundi qui Regni Prorex Comes *Marchiæ, Marriæ, & Gariochæ*, Dominus *Annandiæ* & *Manniæ* a Iacobo Tertio fratre proscriptus & multis conflictatus difficultatibus tandem hastiludio Lutetiæ adstans particula hastæ fractæ vulneratus occubuit. Huius filius Ioannes, Quartus Dux Albaniæ Prorex itidem & tutor Iacobo V. datus delinitus aulæ Gallicæ delicijs ducta ibidem vxore filia & altera herede Ioannis Aruerni & Lauraguezani Comitis ibidem mortem sine sobole obijt. Quem ob reuerentiam regij sanguinis Scotorum Franciscus Primus Rex Galliarum eo honore dignatus est vt inter Archiepiscopum Lingonensem & Ducem Alenconiæ Franciæ Pares Galliæ locum concesserit. Ab eius morte nullus Dux fuit Albaniæ donec Maria Regina Henrico Domino *Darley* quem pauculis pòst diebus in maritum assumpsit hunc titulum detulerit, vt Rex Iacobus sextus eundem Carolo filio iuniori infantulo qui nunc Dux Eboraci, concessit.

Duces Albaniæ. Tilius.

Incolunt has regiones gens hominum incultum pugnax & inprimis maleficum, *Highlandmen*, vulgò vocantur, qui vera soboles priscorum Scotorum Hibernicè loquuntur, se *Albinnich* vocant corpore firmo & compacto, robore valido, pedibus pernices, animis elati, bellicis exercitijs, seu potius latrocinijs innati, & ad vindictam odio capitali proiectissimi; Hibernicorum more virgatis sagulis induti, capillitio denso & longiori, venatu, piscatione,

High-landmen.

piscatione, & prædatione viuunt. In bello casside ferrea, lorica ferreis annulis contexta, arcubus, & hamatis sagittis & machæris vtuntur latioribus: atq; per gentes quas *Clannes* vocant, diuisi ita immaniter grassantur prædando, cædendo, vt ipsorum effera crudelitas legem extorserit, quâ liceat si quis ex aliqua illorum gente damna intulerit, quicunq; ex illa gente captus fuerit, aut damna resarciat, aut capite luat.

Parl. 1581.

P E R T H I A.

Perth Shirifdome.



Taus fl.

E Gremio montium Albaniæ *Taus* fl. totius Scotiæ maximum se fundit primumque per agros proruit donec in lacum diffusus satis insulosum cursum cohibet. Inde ripis coarctatus *Perthiam* regionem amplam & fœcundè opimam irrigans, *Amund* riuulum ex *Atholia* prolabentem suscepit.

Athol.

Hæc *Atholia* (vt de via paulò deflectam) maleficis mulieribus infamis, regio satis fertilis saltuosas habet conualles, vbi SYLVA CALEDONIA varijs anfractibus vmbrarum horrore, vrsorum, nec non immanium taurorum iubatorum, quos modò memoraui, latibulis formidolosa olim longè latéque per regiones circumquaque se explicuit. Locorum hic gloria parua, sed Comitum sane memoria insignis. Thomas filius Rollandi de *Gallouidia* iunior iure vxorio fuit Comes Atholiæ, cuius filius Patricius à *Bissettis* æmulis Hadingtoniæ occisus in cubiculo, ædibus in quibus egit mox incensis, vt fortuito incendio perijsse videretur. Comitatu autem successit Dauid de *Hastings* qui Patricij duxerat materteram, cuius filius Dauid ille de *Strathbogy* dictus videatur, qui paulò pòst regnante apud Anglos Henrico Tertio Atholiæ Comes duxit alteram filiam & hæredem Richardi filij nothi Ioannis Regis Angliæ cum longè lautissima in Anglia hæreditate, quæ illi enixa duos filios Ioannem Comitem Atholiæ qui fluxa fide sublimi suspendio, patibulo scilicet quinquaginta pedum alto, perijt, & Dauidem Comitem Atholiæ cui ex nuptijs cum altera filia & hærede Ioannis *Cominij* de *Badzenoth* ex vna hæredum Audomari de *Valentia* Comitis Penbrochiæ magnæ obtigerunt possessiones. Illi natus Dauid qui inter Angliæ Comites ad Comitia Angliæ Parlamentaria sub Edwardo Secundo subinde euocatus, & factus *Locum tenens* Scotiæ sub R. Edw. *Balliolo* cecidit prælio in saltu de *Kelblen* CIↃCCCXXXV. virtute Andreæ de *Morauia* deuictus. Eius filius Dauid duas tantùm progenuit filiolas Elizabetham Thomæ *Percio*, à quo Barones de *Borrough* sunt prognati, & Philippam Thomæ *Halsham* equiti Anglo enuptam. Deinde Atholiæ titulus Waltero illi *Stewart* R. Roberti Secundi filio obuenit, qui Iacobum primùm Scotiæ Regem crudeli morte sustulit, pœnasque nefariæ crudelitatis soluit meritissimas, adeò vt Æneas Syluius tunc temporis P P. Eugenij IIII. in Scotia legatus dixisse feratur, *Se dubitare maiorine laude eos qui Regis mortem vindicarunt, afficere: an acriori sententia eos qui tam indigno parricidio se contaminarunt, configere deberet.* Paucis interiectis annis concessus est hic honor Ioanni *Stewart* è familia de *Lorne* filio Iacobi qui Eques Niger cognominatus ex Ioanna vidua Regis Iacobi primi, filia Ioannis Comitis *Somersetti*, & nepti Ioannis Gandauensis Ducis Lancastriæ, eiusque posteri hodie fruuntur.

Sylua Caledonia.

Comites Atholiæ.

Chronicon Mailross.

Dunkeldes.

Almundo recepto *Taus* iam plenior *Dunkelden* sede Episcopali à Rege Dauide ornatam petit. Hoc Caledoniorum opidum plerique ex vi verbi suspicantur, & corylorum tumulum interpretantur qui à corylis Caledoniæ syluæ nomen inditum volunt. Pergit hinc *Taus* per cadauer desolatæ vrbeculæ *Bertha* non immemor quanta clade olim affecerit cùm torrentior agros, sata læta, & boum labores prostrauerit, præcipitemque hanc vrbeculam cum regio infante, & incolis traxerit. Pro qua commodiore situ Rex Guilielmus *Perthum* extruxit, quæ statim adeò fuit opulenta vt qui eo seculo vixit Nechamus de ea cecinerit:

Bertha.

Perthum.

Transis ample Tai *per rura, per oppida, per* Perth,
Regnum sustentant istius vrbis opes.

Posteritas

Posteritas autem à templo in S. Ioannis honorem posito *Saint Iohns towne* vocauit, Anglique flagrante inter *Brusios* & *Balliolos* bello operibus magnis armarunt, quæ Scoti posteà magna ex parte subruerunt. Cæterùm vrbecula est elegans, situ amœno inter duo vireta, & licèt ædes sacræ nonnullæ excisæ, splendida; ita distincta vt singuli artifices singulos fere vicos seorsim incolant, marinasque commoditates *Taus* accedente æstu nauiculis subuehit. Vnde I. Ionstonus iam sæpe dictus. S. Iohns towne.

PERTHVM.

Propter aquas Tai liquidas, & amœna vireta,
Obtinet in medio regna superba solo.
Nobilium quondam Regum clarissima sedes,
Pulchra situ, & pinguis germine diues agri
Finitimis dat iura locis, moremque modumque
Huic dare, laus illis hac meruisse dari
Sola inter patrias incincta est mœnibus vrbes,
Hostibus assiduis ne vaga præda foret.
Quanta virum virtus, dextra quæ præmia, norunt
Cimber, Saxo ferox, & genus Hectoridum.
Felix laude noua, felix quoq; laude vetusta,
Perge recens, priscum perpetuare decus.

Nuper verò *Perthum* Rex Iacobus Sextus in Comitatum erexit, cùm Iacobum Baronem *Dromund* Comitem Perthiæ creauerit. Comes Perthiæ.

Huic circumuicina sunt *Methuen* quam Margareta Anglica vidua Iacobi Quarti tertio suo marito Henrico *Stewart* è stirpe regia & hęredibus numerata pecunia adquisiuit, simulq; Baronis dignitatem à filio Iacobo Quinto impetrauit. Inferiùs *Rethuen* castrum *Rethuenorũ* abominandi nominis & ex omni memoria eradendi, cùm ordinis amplissimi decreto sancitum sit, vt qui eiusdem essent nominis, illud deponerent & nouum sibi adsciscerent; postquam *Rethueni* fratres execrabili & nefanda conspiratione in cædem Iacobi Sexti Principis longè optimi coniurassent, qui ipsorum patrem Guilielmum *Gourea* Comitem dixit, & posteà cùm iura ipsi Regi insolentior præscriberet, iure regni perduellionis reum capite multauit. Sed de damnatæ memoriæ viris hæc nimio plùs videantur, licèt & posterorum ad cautionem intersit stirpes noxias memorare. Baro Methuen. Rethuen. vel Reunen.

Gourea illa frumentarijs campis & singulari soli vbertate nobilitata ad alteram *Tai* ripam planior procumbit. In hac è regione *Perthi* trans *Taum Scona* celebre olim monasterium, regibus Scotiæ inaugurandis venerandum visitur, ex quo Kenethus Pictis in proximo ad internecionem occisis, saxum ex Hibernia in *Argatheliam* translatum regibus Scotorum consecrandis lignea cathedra inclusum hîc collocauerit, quod Rex Edwardus Primus Anglię Westmonasterium deferendum curauit. De quo vaticinium vulgo iactitatum, quod cùm nunc fidem inuenerit, vt id genus paucula, subiungendum curaui. Goury. Scona.


Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Inueniunt lapidem, regnare tenentur ibidem.

Nunc autem *Scona* Dauidi de *Morauia* siue *Murray* Regis Iacobi speciali gratia Baronis titulum præstat. Baro Scone.

Vbi iam *Taus* grandior se dilatat *Arrol* impendet inclytorum Comitum *Arrolia* habitatio, qui à *Brusiorum* temporibus hæreditarij fuerunt Scotiæ Constabularij, & originem sane vetustam repetunt ab *Haio* quodam viro validissimo, qui cum filijs inclinatam Scotorum aciem in difficili contra Danos prælio ad *Longcarty* arrepto iugo adeò fortiter & fœliciter pugnando & adhortando restaurauit, vt victoriam reportauerint, Rex regnique ordines illius virtuti victoriam & salutem retulerint. Vnde hoc loco sibi & suis agri feracissimi assignari, qui in rei testimonium iugum pro Christâ insignibus superposuerunt. Arrol. Comites Arrolliæ.

Huntley castle. erunt. De *Huntley* castro adiuncto nihil est quod scribam, nisi quod amplissimæ & honoratissimæ familiæ nomen fecerit: De qua suo loco.

ANGVSIA, *ANGVIS.*



D *Tai* æstuarium & interiùs ad fl. *Escam Septentrionalem Angusia* vulgò *Anguis*, genuinis Scotis *Aaneia*, campos tritici & omne genus frumenti feraces, amplos colles, lacus, saltus, pascua & prata expandit, plurimis arcibus & castris condecorata. In primo à *Gourea* limine *Glamys* est castrum & Baronia familiæ cognomine *Lions*, quæ emicuit ex quo I. *Lion* gratia apud Regem Robertum Secundum florens hoc, nec non Baronis dignitatem in dotem cum Regis filia accepit, simulq; vt scribitur, cognomen *Leonis* cum leone in insignibus intra tractum liliatum vt ipsi Reges gerunt; sed coloribus variantibus: vt Patricius Baro *Glamys* qui nunc floret, honorem Comitis *Kinghorn* à Rege Iacobo eius nominis Sexto nuperrime consequutus est.

Baro *Glamys*. The Shield Arg. the Lion, and treat sure floury. B. Comes Kinghorn.

Forfar paruntabest vbi ius dicunt Barones *Greÿ* Vicecomites hereditarij, qui à *Greis* de *Chillingham* in Comitatu Northumbriæ oriundi venerunt in Scotiam cum Iacobo Primo ex Anglia reduce, quorum primo Andreæ cum vxore Helena *Mortimer* Dominium de *Foulis* Regia munificentia contulit.

Forfar Vicecomitatus. Baro *Grey*.

Proximè *Tai* ostium sedet *Dundee* quod olim *Alectum*, alij *Taodunum* appellant, oppidum sanè celebre, & cuius Constabularius peculiari iure Regum Scotorum est Vexillifer. Nomen verò *Dundee Donum Dei* alludendo interpretatur Hector Boetius hinc oriundus, qui bonis literis reflorentibus Scoticam historiam eleganter scripsit, eamque ex eam intima antiquitate, vt in eius scriptis Paulus Iouius admiratus sit extare de his remotis ab orbe partibus, *Hebridibus*, & *Orcadibus* mille ampliùs annorum memoriam, quum in Italia altrice ingeniorum tot sæculis post eiectos Gothos, scriptores defuerint. Sed de hoc loco sic Ionstonus haud procul hinc natus.

Dundee. I. Skene de verb. signific. Hector Boetius.

TAODVNVM,
siue
DEIDONVM.

Quà Notus argutis adspirat molliter auris,
Hàc placidè coeunt Taus *&* Oceanus.
Hic facili excipiens venientes littore puppes
Indigenis vasti dist ahit orbis opes.
Sæpe dolis tentata, & belli exercita damnis,
Inuictis animis integra præstat adhuc.
Fama vetus creuit cum Religione renatâ,
Lucis & hinc fulsit pura nitela alijs.
Alectum *dixere priùs; si maxima spectes*
Commoda, fors Donum *dixeris esse* Dei.
Tu decus æternum gentisque vrbisq; Boeti,
Cætera dic patriæ dona beata tuæ.

Hinc in conspectu est *Brochty-crag* arx quam plures menses Angli præsidarij defensarunt, cùm perpetuæ pacis studio matrimonium Mariæ Scotiæ cum Edwardo Sexto Angliæ votis expeterent, & promissum armis repeterent, demumque sponte deseruerunt. Oceano inde aperto obiacet *Aber-broth* contractè *Arbroth*, locus cum amplis reditibus à Rege Guilielmo in honorem Thomæ Cantuariensis religioni olim dicatus, iuxta quem *Rubrum promontorium* in altum longè conspiciendum porrigitur. Propè *Esca Australis* in mare se euoluit, qui è lacu profluens præterlabitur *Fynneum* castrum incolis suis *Lindesaÿs*

Brochty-crag. 1547. Arbroth. Red-head.

desays Craufordiæ Comitibus illustre, de quibus iam antea dixi, *Brechin* deinde eidem fl. apponitur quam Cathedra Episcopali Dauid Primus exornauit, & in ostio *Mont-rose*, id est, *Mons Rosarum* opidum, quondam *Celurca*, ex occasu alterius eiusdem nominis exortum, quod inter duas *Escas* intersidet, & Comitis titulum *Grahamorum* familiæ impertit. De quo hæc Ionstonus. Lindsay familia. Brechin. Montrose.

CELVRCA siue MONS ROSARVM.

Aureolis vrbs picta rosis : mons molliter vrbi
Imminet, hinc vrbi nomina facta canunt :
At veteres perhibent quondam dixisse Celurcam,
Nomine sic prisco & nobilitata noua est.
Et prisca atque noua insignis virtute, virûmque
Ingenijs, patriæ qui peperere decus.

Haud multùm hinc abest *Boschain* Baronum de *Ogiluy*, quibus ab Alexandro illo Angusiæ Vicecomite qui contra *Donaldines* insulanos in cruento ad Harlæum prœlio cæso, est origo & antiqua nobilitas. Boschain Barones Ogiluy

De Angusiæ Comitibus Gilchristus Angusianus sub Malcolmo IIII. rebus gestis clarus primus fuit quem legi Angusiæ Comes. Circa annum CIↃCCXLII. Ioannes *Comin* fuit Comes *Angusiæ* qui in Francia obijt, eiusque vidua (fortè Comitatus hæres) enupsit Gilberto *Vmfrauill* Anglo. Ipse enim posteriq; ad Comitia Angliæ Parlamentaria fuerunt euocati ad annum vsq; tertium Richardi Secundi titulo Comitum *Angusiæ*. Iurisperiti tamen Angliæ in iuris formulis illum Comitem agnoscere recusarunt, eò quòd *Angusia* infra regnum Angliæ non esset, donec rescriptum, quo Rex ipsum nomine Comitis Angusiæ ad Parlamentaria Comitia euocauerit, coràm pro Tribunali protulisset. Regnante Dauide *Brus*, Th. *Stewart* Comes fuit *Angusiæ* qui Berwicum ex improuiso aggressus cœpit, statimque amisit, & paulò pòst in squalore carceris apud *Dunbritton* obijt. *Douglasij* autem excelsi atq; inuicti animi magnitudine a Rob. III. temporibus *Angusiæ* Comitum titulo claruerunt, postquam Georgius *Douglas* regis filiam in vxorem duxerat, primi Scotiæ Comites habiti, & ad quos spectat coronam solemnibus regni conuentibus ante Reges gestare. Sextus autem ex hac stirpe *Angusiæ* Comes fuit Archebaldus qui Margaretam filiam Regis Henrici Septimi Angliæ, & Iacobi Quinti Regis Scotorum matrem in vxorem duxit, è qua Margaretam ille progenuit Matthæi *Stewart* Comitis Lennoxiæ vxorem, quæ post fratris sine prole obitum iure suo in hoc Comitatu Dauidi *Douglas* de *Peteindreich* patrui sui filio cum consensu mariti & filiorum lubens cessit, vt familiam illam sanguine coniunctissimam, beneficij etiam vinculo sibi arctiùs astringeret, cùm filius Henricus nuptias Reginæ Mariæ ambiret, è quibus Britanniæ bono R. IACOBVS Magnæ Britanniæ Monarcha auspicatò natus. Angusiæ Comites. Scotochronicon.

MERNIS.




Hisce regionibus Ptolemæi seculo sederunt VERNICONES, forsitan ijdem qui VECTVRIONES Marcellino. Nomen tamen penitus intercidit nisi tantillum eius in *Mernis* superesse opinemur, V enim in M in contextu orationis sæpiùs transit in lingua Britannica. Hæc *Mernis* regiuncula mari Germanico obuersa pingui gleba satis librata camporum iacet planitie. Maximè autem memorandum est *Dunnotyr*, Castellum arduæ & inaccessæ rupi e qua mare despectat superimpositum, mœnibus firmis, turribus intercurrentibus communitum, quod diu *Keithi* è familia veteri & splendidissima, qui virtute duce consecuti sunt vt sint Comites *Marescalli* Regni Scotiæ hæreditarij, huiusque prouinciæ *Vicecomites*. Hîc in porticu cernitur illa quam modò memoraui vexillationis Legionis Vice- Dunotyr. Keith. Comites Marescalli. Shiriffdom of Kinkerdin or Mernis.

stitiæ antiqua Inscriptio, cuius literas illustrissimus Comes qui nunc floret, antiquitatis admirator inaurandas curauit. A mari remotior *Fordon* locatur, cui a Ioanne de *Fordon* aliqua gloria, qui hinc oriundus *Scotichronicon* magno labore sedulò congessit. Cuius studio recentiores Scotorum historici plurimùm debent, sed vetustior gloria a S. Palladij reliquijs hoc in loco olim vt creditum repositis, qui a Cælestino P. P. Scotis anno CCCCXXXI. Apostolus destinatus.

Fordon.

S. Palladius.

MARRIA, *MAR.*



A Mari in Mediterraneis supra *Mernis*, *Marria* ad sexaginta plùs minùs mill. pass. se dilatando excurrit, quà latior Occasum versus montibus intumescit, nisi qua *Dee* fl. Ptolemæo DIVA, & *Donus* fl. sibi viam aperiunt & campos fœcundant. Ad *Doni* ripam *Kildrummy*, magno est ornamento, vetus sedes Comitum *Marriæ*; nec longè dissita est. Baronum *Forbois* habitatio qui vetusto generis splendore clari hoc cognomen (cùm priùs *Bois* vocarentur) acceperunt, postquam familiæ hæres immanem vrsum validè trucidasset. Sed ad ostium maiori sunt ornamento duo opida quæ ab ostio quod Britannicè *Aber* dicitur, vnum mutuata nomen, vnius agelli interiectu distincta: alterum citerius quod *Deua* flu. propius, Episcopali dignitate quam huc a *Murthlaco* viculo R. Dauid Primus transtulit, pulchris Canonicorum ædibus, pauperum Xenodochio, & scholis bonarum literarum publicis quas Guil. *Elphinston* loci Episcopus anno CIↃCCCCLXXX. ad erudiendam iuuentutem consecrauit, admodum est nobile, & *Noua Aberdon* dicitur. Alterum vlteriùs *Vetus Aberdon* Salmonum captura est celeberrimum. Verùm Aberdoniam hisce versibus depingit qui inde oriundus I. Ionstonus:

Kildrummy.

Barones Forbois.

New Aberden.

Ould Aberden.

Salmones.

ABERDONIA.

Ad Boream porrecta iugis obsessa superbis,
Inter cognatas eminet vna Deas.
Mitior algentes Phœbus sic temperat auras,
Non æstum vt rabidum, frigora nec metuas.
Fœcundo ditat Neptunus gurgite & amnes
Piscosi: gemmis alter adauget opes:
Candida mens, frons læta, hilaris, gratissima tellus
Hospitibus: morum cultus vbique decens.
Nobilitas antiqua, opibus subnixa vetustis,
Martiaque inuicto pectore corda gerens.
Iustitiæ domus, & studiorum mater honoris
Ingenio ars, certant artibus ingenia.
Omnia ei cedunt, meritos genetricis honores
Pingere non vlla Ars, ingeniumuè valet.

Omnem ferè fidem superat, quanta Salmonum copia & hæc & alia Scotiæ flumina ex vtraq; regni parte abundent, piscis Plinio nisi fuerit Rheni* *Esox* minimè notus, sed in hac Septentrionali Europæ parte notissimus *puniceo*, vt inquit ille, *rutilans viscere*. Autumno riuulis & plerumq; vadosis locis coeuntes oua enixi sabulo cooperiunt, quo tempore adeò sunt macilenti vt nihil ferè præter ossicula habeant. Ex ouis illis vere proximo tenelli pisciculi nascuntur, qui mare petentes breui tempori in iustam crescunt magnitudinem, & natalia sua flumina repetentes aduersus aquas luctantur, & si qua occurrunt obstacula verbere caudæ, saltu quodam (vnde Salmonum forsitan nomen) cum intuentium admiratione facilè superant, suisque se continent fluminibus donec pariant. Quo tempore lege cautum est ne capiantur, scilicet a sexto Idus Septembris ad Calendas Decembris. Interque maxima Scotiæ commoda habiti videantur cùm lege itidem prospectum fuerit ne Anglis diuenderentur nisi Anglicis aureis nu meratis. Verùm hæc alijs relinquo.

*Isicios Beda & nostri Latinè dixerunt.

Quod

Quod ad *Marriæ* Comites, Alexandro Tertio regnante, Guilielmus *Marriæ* Comes nominatur inter eos qui in Regem erant offensiores. Dauide *Brus* rerum potiente, Donaldus qui regni custos in lecto ante prælium ad *Dyplin* ab Edwardo *Balliolo* & auxiliaribus Anglis occisus, cuius filiam Isabellam Rex Robertus *Brus* in priorem accepit vxorem è qua genuit Marioriam matrem Roberti *Stewart* Regis Scotorum. Sub eodem Dauide memoratur Thomas Comes *Marriæ*, qui relegatus anno MCCCLXI. Et sub Roberto Tertio Alexander *Stewart* Comes *Marriæ* qui in prælio ad *Harlaum* contra Insulanos occubuit anno CIↃCCCCXI. Iacobi Primi temporibus legitur in Schotochronico, *Alexander Comes Marriæ obijt* CIↃCCCCXXXV. *Bastardus filius Alexandri* Stewart *Comitis Buchaniæ filij Roberti Secundi Regis Scotorum, cui Rex successit in hæreditate, vtpote Bastardo.* Ioannes filius natu minor Iacobi Secundi postea hoc vsus est titulo, qui conuictus magicis artibus Regi fratri perniciem molitum fuisse, venâ incisâ perijt. Et post eum Robertus *Cockeran* e Latonio ad hanc dignitatem euectus a Iacobo Tertio, mox a proceribus suspensus. Iam inde in vsu non erat donec Maria Regina Iacobum fratrem nothum hoc honore exornauit, nec adeò multò pòst, cùm *Marriæ* Comitis titulum veteri iure ad Ioannem Dominum *Ereskin* spectare deprehensum esset, pro *Marriæ*, *Morauiam* illi in honorarium titulum contulit, & Ioannem *Ereskin* virum antiquæ nobilitatis *Marriæ* Comitem creauit, cuius filius eodem prænomine eodem iam honore lætatur, in vtroque regno Regi a consilijs. Comites Marriæ. Scotochronicon li.12.c.33.

BVCHANIA siue BVQVHAN.



VBI nunc *Buquhan*, Latinè *Boghania* & *Buchania* supra *Donum* flu. in mare prominet, TAIZALI olim sedes habuerunt. Hoc recentius nomen à bobus sunt qui deducunt, cùm tamen ouibus pascendis terra sit aptior, quarum lana inprimis laudata. Quamuis fluuij hac in ora passim Salmonibus sint fœcundi, *Ratram* tamen fl nunquam ingrediuntur vt prodidit Buchananus; nec mihi fraudi sit eum in testem vocare licèt eius libri Parlamentaria authoritate anno CIↃDLXXXIIII. sunt interdicti, *quia multa in ijs sunt delenda.* Qui etiam prodidit in *Ratræ* ripa esse speluncam prope *Stanys* castrum, *cuius natura prætereunda non videtur. Aqua è naturali fornice guttatim destillans statim in lapidum pyramidas vertitur, ac nisi operâ hominum antrum subinde purgaretur, spatium vsque ad fornicem breui compleretur. Lapis autem qui ita gignitur, velut mediam naturam inter glaciem & saxum obtinet : est enim friabilis, neque ad marmoris duritiem vnquam consolidescit.* De anseribus *Claiks* quos ex arboribus enasci & hoc in littore & alibi, maturosque in mare decidere quidam cum admiratione crediderunt, cùm illorum nidi, & oua nusquam reperiantur; vix operæpretium est meminisse. Auiculas autem ex vetustis & putrefactis nauium carinis procreatas testari possunt qui nauem qua Franciscus *Drake* orbem circumnauigauit, in Thamisis ripam subductam viderunt, cuius carinæ exterius eiusmodi auiculæ magno numero inanimes & implumes adhæserunt. Quarum tamen semina non fuisse è truncis sed ab Oceano quem rerum parentem dixere Poëtæ, opinari libet. Ratra fl. Aqua admiranda. Claykes anseres

Ingens etiam massa Electri quæ vel equi corpus magnitudine æquauit, haud multis abhinc annis in hoc littus eiecta. Succinum, Glessum, & Chrysoelectrum hoc docti vocant, & Sotacus succum esse qui ex arboribus in mare apud Britannos defluit, & durescit, existimauit; Tacitusque iuxtà sensit dum scripsit, *Fœcundiora nemora lucosque sicut Orientis secretis vbi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis Insulis terrisque inesse crediderim : quæ vicini Solis radijs expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, & vi tempestatum in aduersa littora exundant.* Serapio autem & recentioris æui Philosophi volunt exoriri è terra bituminosa sub mari, & iuxta mare, ipsumque fluctus & tempestatem eijcere, partim pisces deuorare. Sed quò ego aberraui? in viam redibo, & aberranti veniam impetret confessio. Ambra siue Electrum. De moribus Germanorum

Comites Boghaniæ.

Regnante Alexandro Secundo Alexander *Cominius* honore Comitis Boghaniæ effloruit qui Rogeri de *Quincy* Comitis Wintoniæ in Anglia filiam & vnam hæredum duxit, eiusque è filio neptis eundem titulum Henrico de *Bellomonte* marito attulit. Ille enim regnante Edwardo Tertio in Parlamentarijs Angliæ Comitijs locum habuit nomine Comitis *Boghaniæ*. Posteà Alexander *Stewart* filius Regis Roberti Secundi fuit huius loci Comes, cui successit Ioannes filius Roberti Ducis Albaniæ natu minor, qui à Carolo Septimo Galliarum Rege cum septem millibus auxiliarium Scotorum in Galliam euocatus egregiam operam contra Anglos præstitit, tantaque cum laude meruit, cæso Thoma Duce Clarentiæ fratre Henrici Quinti Regis Angliæ apud *Baugium*, & magna si vnquam aliàs de Anglis reportata victoria, vt Galliæ Constabilis fuerit constitutus. Sed tertio pòst anno ille cum fortissimis viris Archebaldo *Douglas* Comite Wigtoniæ & Duce Turonum, &c. alternante belli aleâ ad *Vernolium* ab Anglis deuictus occubuit. Quos tamen vt inquit ille,

Scotorum fortitudo in bellis Gallicis

——æternum memorabit Gallia ciues
Grata suos, titulos quæ dedit & tumulos.

Certè quòd sub Carolo Sexto & Septimo Gallia fuit conseruata, & Aquitania recepta Anglis exturbatis, plurimum Scotorum fidei & fortitudini se debere Galli non possunt non agnoscere. Comitatum autem Buchaniæ deinde Iacobus Primus commiseratione permotus Georgio de *Dunbar*, quem *Marchiæ* Comitatu priùs ob crimen paternum authoritate Parlamentaria exuerat, donauit: nec multò pòst Iacobus filius Iacobi *Stewart de Lorna* qui cognomine *Eques Niger*, è Ioanna *Somersetta* hunc honorem consequutus reliquit posteris, & deficientibus iampridem masculis per filiam ad *Douglasium* iuniorem de *Lochleuin* deuenit.

Boena. Barones Salton. Strathbolgy. Marchio Huntley.

A *Buchania* littore reflexo, & ad Septentriones obuerso *Boena* est, & exigua præfectura *Bamff*, nec non *Aiuza* minoris notæ territoriolum castrumque *Rothamay* Baronum de *Salton* quibus cognomen *Abernethy*, habitatio. Sub his *Strathbogy*, id est, *Conuallis ad Bolgy*, Comitum Atholiæ olim habitatio, qui inde cognomen mutuati, nunc Marchionis *Huntley* præcipua sedes. Hunc enim titulum Rex Iacobus Sextus contulit Georgio *Gordon* Comiti *Huntley Domino Gordon & Badzenoth* antiqua nobilitate, & numerosa clientela admodum illustri, cuius maiores à *Setonis* orti Parlamentaria authoritate *Gordonis* nomen assumpserunt (cùm Ioannis *Gordoni* Militis filiam Alexander *Seton* cum hæreditate admodum opima in vxorem duxisset) Comitisque *Huntley* honorem à Iacobo Secundo anno CIↃCCCCXLIX. acceperunt.

MORAVIA, *MVRRAY.*

Vacomagi. Vararis sinus. Spey fl. Histor. I. *Lesle* Ep. Rossensis. Comites Rothusij.



TRans Grampium montem qui velut serie per cohærentia iuga multis flexibus dorsum huc vsque agit, VACOMAGI olim sedes habuerunt ad sinum VARARIM, vbi nunc *Murray*, Latinè *Morauia* sua feracitate, amœnitate, & fructiferarum arborum commoditate insignis. *Spey* flu. inclytus per hanc sibi iter in mare aperit, in quo hospitatur cùm *Rothes* castellum irrigauerit, vnde familia *Lesleiorum* Comitis titulum accepit, ex quo Rex Iacobus Secundus Georgium *Lesley* ad *Rothusij* Comitis honorem euexit. De hoc *Spey* Poeta noster Nechamus.

Spey *loca mutantis præceps agitator arenæ*
Inconstans certas nescit habere vias.
Officium lintris corbis subit, hunc regit audax
Cursus labentis nauta fluenta sequens.

Loxa fl.

LOXA fl. à Ptolemæo memoratus, qui nunc *Loss*, iuxta in mare se condit, prope quem cernitur *Elgina* in qua & *Forres* vicina Vicecomes hæreditarius *I. Dunbar de Cumnock* è stirpe Comitum *Marchiæ* ius administrat. Vbi verò mare iam subiturus solum planius & mollius

mollius reperit & in lacum oloriferum in qua Olorina herba abundat, diffusus, castrum habet impositum *Spiny* quod nunc primum suum habet Baronem Alexandrum è stirpe *Lindseiorum*, vti vicinum *Kinloß* celebre olim monasterium (alijs *Kill-flos* à floribus non sine miraculo ibidem subito enatis cùm cadauer regis Duffi trucidati & occultati eodem loco reperiretur) suum etiam habet Dominum Edwardum *Brus* Angliæ Chartophylacem, & Regię Maiestati à sacris consilijs quem Rex Iacobus VI. Baronem *Brus* de *Kinloß* creauit. Hæc ad littus. Interiùs vbi iam *Bean* castrum (BANATIA creditur quam memorat Ptolemęus) vas marmoreum artificiosè insculptum & Romanis numismatibus repletum Anno CIƆCCCCLX. fuit repertum. Iuxtà *Nardin* siue *Narne* est Vicecomitatus hæreditarius *Cambellorum* de *Lorna*, vbi arx erat in peninsula ingenti altitudine mirificis operibus extructa & Danicis armis olim occupata. Parùm hinc abest *Nessus* lacus peramplus XXIII. scilicet mille passuum in longitudine protensus, aqua adeò tepida, vt in hoc rigenti cœli climate nunquam congelet, à quo tenui quasi montium isthmo *Lutea* siue *Lothea* lacus qui in Occiduum mare se per *Aber* emittit, dirimitur. Ad hos lacus duo olim extiterunt insignia propugnacula, quorum alterum *Innernes*, alterum *Innerlothea* è lacuum nominibus dictum. *Innernes* suum habet Vicecomitem hæreditario iure Marchionem *Huntley* qui latè authoritatem exercet. Sed habe quæ de his coniunctìm cecinit I. Ionstonus.

Baro Spiny. Baro Kinloss. Anno 971. Banatia. Narne Shiriffe-dom. Lough-Ness. Innernes.

INNERNESSVS, & INNERLOTHEA.

Imperij veteris duo propugnacula quondam,
Primaque regali mœnia structa manu.
Turribus appositis aduerso in limine spectat
Hæc Zephyrum, Solis illa orientis equos:
Amnibus hinc atque hinc cincta, vtrique piscibus amnes
Fœcundi, hac portu perpete tuta patet.
Hæc fuit, at iacet heu, iam nunc sine nomine tellus
Hospita quæ Regum, est hospita facta feris.
Altera spirat adhuc tenuis sufflamina vitæ,
Quæ dabit & fati turbine victa manus.
Dic vbi nunc Carthago potens? vbi Martia Roma?
Troiaque & immensa diuis opes Asiæ?
Quid mireris enim mortalia cedere fatis
Corpora? cum videas oppida posse mori.

Sub Rege Roberto *Brus* Thomas *Randolphus* eius è sorore nepos, qui pro patria summos labores grauissimásque contentiones suscepit, *Morauiæ* Comitis titulo fuit celeberrimus. Sub Roberto Secundo Ioannes de *Dunbar*, qui Regis filiam in pretium violatæ pudicitiæ cum hoc *Morauiæ* Comitatu accepit. Sub Iacobo Secundo Guilielmus *Creichton* regni Cancellarius & Archebaldus *Douglas* acerrimè de hoc Comitatu sunt digladiati, cùm in *Morauiæ* Comitatu contra leges & instituta maiorum *Douglasius* qui filiam Iacobi de *Dunbar* Comitis *Morauiæ* minorem duxerat, prælatus erat *Creichtono* cui natu maior fuerat collocata, potentia & authoritate Guilielmi Comitis *Douglasij* apud Regem, quæ tanta fuit vt non modò hunc & *Morauiæ*, verumetiam alterum fratrem *Ormondiæ*, cognatosq; duos *Angusiæ* & *Mortoniæ* Comitatibus auxerit. Sed hæc potentia, quę non fida quia nimia, mox fuit ipsi exitio. Sub Iacobo Quinto frater eius quem regni vicarium constituit hoc honore vsus est; & nostra memoria Iacobus Regis Iacobi Quinti filius nothus hunc honorem a Maria Regina sorore accepit, cui ille malam gratiam rependit, cum ipsam paucis procerum adsciitis, pessimo in Reges exemplo regno abdicauerit; quod tamen ipse paulò pòst globulo traiectus luit. Eius filia vnica Iacobo *Stewart* de *Down* marito cui genus e regio sanguine scilicet ab Albanię Ducibus hunc titulum attulit, qui ab æmulis occisus filium Iacobum reliquit in hoc honore successorem.

Morauiæ Comites.

LO-

LOQHVABRIA.



Vicquid vltra *Nessum* ad Occiduam deuergit plagam & *Aber* lacui adiacet *Loqhuabria* inde appellatur, id est, antiqua Britannorum lingua *Ostium lacuum*; Quod ad Arctoam plagam, *Rossia*.

Loqhuabria pascuis & syluis læta, nec sine ferri venis, frumenti non adeò ferax; sed piscosissimis lacubus, & amnibus vix alteri cedit. Ad *Lotheam* lacum *Innerlothea* propugnaculo firmata, & mercatorum frequentia olim magnam claritatem obtinuit, sed piraticis Danorum & Norwegorum bellis excisa, multis iam seculis ita iacuit neglecta, vt vix vlla illius facies relinquatur integra. Quod innuunt quos modò protuli, versiculi.

Innerlothe.

Comites, quos legi, habuit *Loquhabria* nullos, sed circa an. Salut. c I ɔ L. *Thanum* nominatissimum Banqhuonem, quem Macbethus nothus cùm cæde & sanguine regnum occupasset, timidus & suspiciosus e medio tollendum curauit, quod è quarundam Magarum vaticinio comperisset fore vt eius posteritas extincta Macbethi sobole aliquando regno potiretur, & longa serie regnaret. Quod sanè fide non caruit: Fleanchus enim Banqhuonis filius qui per tenebras ignotus insidias euasit, in Walliam profugit vbi aliquandiu latuit, acceptaque in vxorem Nesta filia Griffith *Ap Lewellin* Principis *Northwalliæ* Walterum progenuit qui in Scotiam reuersus insulanorum rebellionem tanta fortitudinis laude compressit, & tanta prudentia regios in hoc tractu reditus administrauit, vt Rex totius Regni Scotiæ Seneschallum, siue Quæstorem (*Stewart* vulgò vocant) constituerit. Vnde hoc muneris nomen cognomen *Stewart* eius posteris indidit, qui passim per Scotiam numerosa nobilitatis sobole proseminati, magnis honoribus cumulati diu floruerunt: & ex illis ante annos tercentos supra triginta Robertus *Stewart* per Marioriam matrem filiam R. Roberti *Brus* ad regnum Scotiæ, & modò Iacobus *Stewart* eius nominis Sextus Rex Scotorum per Margaretam proauiam filiam Henrici Septimi (diuino summi rectoris numine ita destinante) ad amplissimum Britannicæ Monarchiæ fastigium vniuerso terrarum orbe applaudente ascendit.

Loquhabriæ Thanus. Banqhuo.

Origo familiæ Stewartorum.

ROSSIA.



Ossia, ita dicta antiquo Scotorum vocabulo quod alij *Promontorium* alij Peninsulam interpretantur, CANTAE populi, non absimili verbi notatione Ptolæmei æuo incoluerunt. Hæc sua amplitudine diffusa vtrumque prospectat Oceanum; quà Vergiuum, attollentibus se conuexis iugis & crebris nemoribus, ceruis, capreis, damis, & syluestribus auibus abundat, què Germanicum, aruis & pascuis est lætior, multoq; cultior. In ipso primo huius limine *Ardmanoch* regio non exigua quę in titulum filijs secundo-genitis Regum Scotiæ cessit, excelsis montibus & niui fidissimis assurgit. De quorum altitudine mihi mira nonnulli retulerunt, cùm tamen veteres Gometræ nec maris profunditatem, nec montium altitudinem ad perpendiculum decem stadia .i. mille ducentos quinquaginta passus superare prodiderint. Quod tamen qui *Tenarif* inter insulas *Canarias* ad x v. leucas consurgentem, aspexerunt, & vicinum illis Oceanum nauigarunt, verum esse nullo modo admittunt. *Louet* hac in parte est castrum & Baronia celebris familiæ *Fraseriorum* quam de regno Scotico optimè meritam Iacobus Secundus, vt perhibetur, in Baronum ordinem adsciuit; & *Clan-Ranaldi* gens cruentissima inito certamine totam extinxisset, nisi diuinitùs octoginta è primarijs huius familiæ viris vxores grauidas domi reliquissent, quæ totidem maribus editis familiam redintegrarunt.

Cantæ pop.

Ardmanoch Baronia.

Montium & maris altitudo Plutarch. in P. Æmilio de Olympo. Fraserij. Barones Louett.

Ad *Nessi* verò ostium *Chanonry* a Canonicorum Collegio opulento dum res stetit ecclesiastica, floruit, in qua Episcopo Rossensi Cathedra est constituta. Iuxtà locatur *Cromerty*, vbi *Vrqhuart* vir nobilis iure auito huius Præfecturæ Vicecomes ius dicit; statioque

que est cuilibet classi quantumuis magnæ adeo commoda & secura vt nautis & Geographis PORTVS SALVTIS nominetur.

Portus Salutis.

Supra LITVS est ALTVM cuius meminit Ptolemæus, nunc vt videtur *Tarbarth*, ibi enim littus altè eminet, hinc *Cromero* portu illo tutissimo, inde CELNIO, nunc *Kilian* fl. inclusum. Hæc ad Oceanum Orientalem. In Occiduum mare, LONGVS flu. à Ptolemæo memoratus, qui hodie *Lough Lungus*, influit, Deinde CARONES, vbi nunc *Assen-shire*, regio plurimis æstuarijs intercissa, consederunt.

Littus altum. Celnio flu. Cerones.

Rossiæ Comitum seriem è scriptoribus contexere plusquam difficile est. Ante annos plùs minùs quadringentos Ferqhuardum hoc titulo floruisse legitur, deficientibus autem masculis ad Walterum *Lesley*, qui rebus animosè sub Ludouico Imperatore gestis nomen *Generosi Equitis* promeruit, per filiam deuenit, e qua Alexandrum Comitem Rossensem, & filiam Donaldo *Insularum Hebridum* Domino enuptam genuit. Alexandro nata erat vnica filia quæ in Robertum Albaniæ Ducem ius suum omne transcripsit: quo irritatus Donaldus ille Insulanus, regnante Iacobo III. se *Regem Insularum*, & Rossiæ Comitem dixit, longè latèque ferro & flamma in patriam grassatus. Demum Rex Iacobus Tertius Parlamentariâ authoritate Anno CIƆCCCCLXXVI. Rossiæ Comitatum Coronæ ita adnexuit, vt successoribus nec ipsum Comitatum, nec aliquam eiusdem particulam vllo modo à *Corona* abalienare, vel cuicunque nisi Regum secundo-genitis e legitimo connubio concedere vllo modo liceat. Vnde hodie Carolus Regis filius secundo-genitus Dux Eboraci eodem vtitur, & fruitur.

Rossiæ Comites.

SVTHERLANDIA.

VLtra *Rossiam Sutherlandia* Germanicum prospectat Oceanum, pecori alendo magis quàm frugibus ferendis commoda. In qua ex candido marmore surgunt montes, miraculum sane in frigida hac plaga, sed nullo ferè vsui, cùm luxuria in ædificando & otiosa illa opum ostentatio in has remotas regiones nondum penetrauerit. *Dunrobin* castrum in hac celeberrimum, Comitum *Sutherlandiæ* veterum sedes primaria, è stirpe ni fallor *Morauia*. Inter quos celebratur Guilielmus sub Rege Roberto *Brus*, qui sororem Regis Dauidis germanam duxit, filiumque ex ea genuit, quem regni successorem Rex Dauid declarauit & in eius nomen proceres iureiurando adegit, sed ille paulò pòst morte sine liberis præreptus, & Comitatus tandem per filiam & hæredem ad A. *Gordonum* ex Comitum *Huntley* familia hæreditariò deuenit.

Marmoris candidi montes.

Dun Robin. Comites Sutherlandiæ.

CATHANESIA.

SVperiùs Cathanesia vulgò *Catnes* iacet mari Germanico obiecta & numeroso littorum ambitu inflexa, in qua Ptolemæi ætate CATINI, sed perperam in exemplaribus CARINI, apud quos ille idem Ptolemæus ILAM flu. statuit, qui hodie *Wisle* videatur. Huius incolis ex pecore pascendo & piscando maximus est prouentus. Præcipuum castrum *Girnego* dicitur, in quo *Cathanesiæ* Comites plerumque agunt. Episcopalis sedes est in *Dornok* obscuro alioquin viculo, vbi etiam sedem Vicecomiti Cathanesiæ constituit Rex Iacobus Quartus, vel ad *Wik*, prout res postularent.


Catini pop. Ila fl.

Cathanesiæ Comites ijdem olim erant qui etiam Orcadum Comites, sed tandem diuisi, perque Malisij cuiusdam filiam primogenitam datam in vxorem Guilielmo de *S. Claro* vulgò *Seincler* Regio Panitario, eius posteri hunc honorem Comitum Cathanesiæ sunt adepti, & eodem etiamnum lætantur.

Cathanesiæ Comites.

STRATH-

STRATH-NAVERN.




Xtremam totius Britanniæ plagam, quæ obuersa littorum fronte Arctum prospectat, & maioris Vrsæ mediam caudam, quam imperia transferre credidit Cardanus, sibi habet verticalem, tenuerunt, vt apud Ptolemæum videre est, CORNABII. Inter quos NABÆVM flumen collocat, quæ nomina inter se adeò sunt cognata vt gens à flumine quod accoluit inde nomen traxisse videatur; nec ab his omninò alienum est hodiernum nomen *Strath-Nauern*, id est, *Vallis ad Nauern*. Regio à glebæ fertilitate minùs fœlix, iniuriaque cœli rigentis minùs culta, & inde a lupis sæuissimis grauissimè infestata, qui non solùm in armenta maximo damno, sed etiam in homines magno periculo adeò immanitèr grassantur, non modò in hoc sed a pluribus etiam alijs Scotiæ partibus, vt ex Parlamentaria sanctione Vicecomites & incolæ in singulis Comitatibus ter singulis annis ad lupos & eorum catulos tollendos venatum prodire iubeantur. Sin in Arctoa hac regione hoc quid habeat consolationi, totius Britanniæ minima nocte dieque maxima fruitur. Diem enim maximum ex distantia LIX. graduum & XL. scrupulorum ab Æquatore habet XVIII. horarum, & XXV. scrupulorum & minimam noctem V. horarum & scrupulorum XLV. Adeò vt verus non sit Panegyristes qui olim dixit Solem hîc tantùm non occidere sed præterire & Horizontem stringere, ex Taciti authoritate scilicet, *quòd extrema & plana terrarum humili vmbra non erigunt tenebras.* Sed verior Plinius ex vera ratione, vbi agit de longissimis diebus pro inclinatione circuli Solaris ad Horizontem. Longissimi, inquit, *dies sunt in Italia horarum quindecim, in Britannia septemdecim; vbi æstate lucidæ noctes, haud dubiè re promunt id quod ratio cogit credi; Solstitij diebus accedente Sole propiùs verticem mundi, angusto lucis ambitu, subiecta terra continuos dies habere senis mensibus, noctesque e diuerso ad brumam remoto.*

Corn[a]bij. Nabeus flu. Lupi. Dies longissimi.

Cæterùm in hoc tractu extremo, quem in Ortum Ptolemæus longiùs proijcit, cùm in Septentriones feratur, (quo nomine Rogerus *Baconus* in suo Geographia eum olim notauit) Tacitus dixit *immensum & enorme spatium procurrentium terrarum velut in cuneum tenuari*, tria procurrunt a priscis scriptoribus memorata Promontoria BERVBIVM nunc *Vrdehead*, iuxta *Bernswale* viculum, & VIRVEDRVM, nunc *Dunsby*, aliàs *Duncans-bay* quod remotissimum Britanniæ promontorium existimatur. ORCAS tamen è regione insularum Orcadum insularum omnium vltimum constituit Ptolemæus, quod vulgò nunc *Howburne* dicitur, Ptolemæo etiam TARVEDRVM, & TARVISIVM, quod nomen si me mea non fallit coniectura, inuenit eò quòd Britanniam finit. *Taruus* enim Britannicè finiendi significationem habet, cum quo & nos huic libro finem imponamus. De *Orcadibus* & *Hebudibus* siue *Hebidibus* & *Shetlandia* suo loco dicturi.

Beruvium. Virvedrum. Taruisium *Taruedanum* Marciano. *Taruus* quid. Shetlandia.

Hæc de SCOTIA paucioribus quàm pro tanti regni dignitate perstrinxi, nec dubito quin alius quispiam pluribus, & floridiore penicillo certiùs & exploratiùs depingat, cùm hæc à nobis remotiora & hactenùs clausa, Principum (vt dixi) maximus iam aperiat. Interim si quis somnus me habuit, (dormitat enim nonnunquam vigilantissimus) aut error in ignota regione à via & veritate abduxit (errores certè vbique obuij) agnoscenti pro humanitate lector ignoscat, & errantem in viam benignè reducat.



HIBERNIA

ET

INSVLÆ MINORES

IN OCEANO

BRITANNICO.

OCEA-



OCEANVS BRITANNICVS.



BRITANNIAM vniuersam, florentißima scilicet illa duo regna ANGLIAM & SCOTIAM iam percurri, potiùs quàm perlustraui. Cùm verò vt HIBERNIAM & reliquas insulas adeam, necessariò mare sit trajiciendum, si de Mari Britannico paucula præponam, cursum vt spero, non multum obliquabo.

Mare Britannicum.

Vastißimo, & apertißimo Oceano BRITANNIA *ferè vndiq; nisi a Meridie circumfunditur, qui tantis æstibus concitus accedit, & recedit, vt octogenis cubitis supra Britanniam intumescere Pytheas Maßiliensis prodiderit, B. Basilius* mare Magnum, & nauigantibus horrendum *dixerit, & B. Ambrosius scripserit*: Illud magnum & inausum nauigantibus, atque intentatum nautis est mare, quod Britannias frementi includit æquore, atque in vlteriora & ipsis fabulis inaccessa secreta se porrigit. *Certè hoc Mare modò campos vicinos inundat, modò refugit, & nudat, &, vt cum Plinio loquar, in magnitudine hac aperta, Lunæ vim laxè grassantis efficaciùs sentit, tantaque vi semper immittitur, vt non solum flumina retroagat, sed aut terrestria deprehendat animalia, aut marina destituat. Tot enim & tanta marina monstra in littore nostro derelicta singula quæque ætas vidit, & obstupuit, vt non temerè cecinerit Horatius,*

Ambrosius li. Hexam. c. 3. Britannicum mare olim ignotum.

Belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis.

Et Iuuenalis:

Quanto Delphino Balæna Britannica maior.

Tantumq; erat vel hoc nostrum mare nauigare, vt Libanius Græcus Sophista in Panegyrico ad Constant. Chlorum exclamarit Οὐ χεῖρον τροπαίου τοῦ μεγίστου φαίνεσθαι τὸν πλοῦν : .i. nauigationem in Britanniam triumphi maximi instar videri. *Et Iul. Firm. non ille Astrologus, sed alter Christianus, in libello de Errore profanarum religionum ad Constantem & Constantium Impp. exclamârit.* Hyeme (quod nec factum est aliquando, nec fiet) tumentes, & sæuientes vndas calcastis Oceani Britannici,

Iul. Firmicus.

tannici, sub remis vestris. Incogniti iam nobis pene maris vnda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expauit. Quid amplius vultis? virtutibus vestris victa elementa cesserunt.

Caurum ventum è Britannico hoc mari spirare vult in Poeticis magnus ille in literis Iul. Scaliger contra Lucanum, qui scripsit, Caurus ventus.

Primus ab Oceano caput exeris Atlantæo
Caure, mouens æstus.

Certè in Hibernia tyrannidem grauissimam exercet, & magnam anni partem in hoc tractu spirare scribit Cæsar.

Quod verò in hoc nostro mari naues primùm repertas scribunt nonnulli, mihi non credere libet. Vitiles autem naues corijs intectas, quas Corraghs *hodie appellant, Britannis in vsu fuisse cum Plinio etiam testatur Lucanus, qui canit:* Britannorum veteres naues vitiles.

Primùm cana salix madefacto vimine paruam
Texitur in puppim, cæsóque induta iuuenco,
Vectoris patiens tumidum super emicat amnem:
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
Nauigat Oceano.

Polyhistor item, In mari inter Britanniam & Hiberniam nauigant vimineis alueis quos circundant ambitione tergorum bubalorum. Quantocunque tempore cursus tenebit, nauigantes escis abstinent.

De commoditatibus quas hoc Mare præstat, de tepore quo terras recreat, de vaporibus quibus aerem nutrit, & agros irrorat, de piscibus varij generis, Salmonibus, (quos Isicios *Beda vocat vt Plinius* Esox*) Passeribus, Paguris, Asellis, Halecibus, Congris, Mugilibus, Rhombis, Phocis, Cuculis, Soleis, Sardis, Rajis, Ostreis, Locustis, Cancris, & cæteris innumeris: quorum infinita examina nobis alit, nihil attinet dicere. Margaritæ tamen non sunt silentio prætereundæ, quas rotunda specie mari Britannico gregatim natare ducem sectantes, more apum, Iubas memorat. Et Marcellinus cùm de Persicis & Indicis egisset:* Quod genus gemmæ etiam in Britannici secessibus maris gigni legíque, licèt dignitate dispari, non ignoramus. *Quas quanquam paruas & decolores vocat Plinius, harum tamen spe Cæsarem Britanniam petijsse author est Suetonius; easque tanta magnitudine fuisse, vt in nonnullis manu pondus exegerit, thoracemque ex illis Veneri Genetrici dicauerit, quod & subscriptione testatus est. Origenes etiam de his Margaritis:* Maritimæ autem siquę sunt insignes, apud eosdem Indos inueniri, quæ etiam optimæ in mari Rubro nascuntur. Proximum autem in Margaritis locum habent, quæ ex Oceano Britannico capiuntur. Tertij autem ordinis inferiores sunt, non solùm primis illis, verùm etiam secundis, quæ in Bosphoro iuxta Scythiam inueniuntur. *Et statim.* Cæterùm quod apud Britanniam aiunt inueniri, summo quidem colore accedit ad auri speciem, cæterùm nebulosum ac turbidum, luceque obtusior. *Præterea noster Venerabilis Beda de* Maris Britannici commoda. Margaritæ.

huius Maris conchilibus: In quibus (*inquit*) sunt & musculæ, quibus inclusam sæpe Margaritam omnis quidem coloris optimam inueniunt, id est, & purpurei & hyacinthini & prasini, sed maxumè candidi. Sunt & cochleæ satis superque abundantes, quibus tinctura coccinei coloris conficitur. Cuius rubor pulcherrimus nullo vnquam solis ardore, nulla valet pluuiarum iniuria pallescere: sed quo vetustior, eò solet esse venustior. *Tertullianus autem diffluentem sui temporis luxuriam sigillans*: Si quid, *ait*, de Mari Britannico, aut Indico ambitio pascatur; Conchæ genus est, non dico Conchylio aut ostreo, sed nec peloride gratius sapore.

Hoc mare quod in vniuersum BRITANNICVM *&* OCEANVS CALEDONIVS *nominatur varias pro locorum varietate sortitur appellationes.*

Ad Ortum quà Germaniam oppositam habet GERMANICVM *vocatur, ad Septentriones* HYPERBOREVM, *quod prisci minùs verè perhibuerunt esse* pigrum & graue remigantibus nec ventis quidem proinde attolli, *& credidit Tacitus*, eò quod rariores terræ montesque caussa ac materia tempestatum, & profunda moles continui maris, tardiùs impellitur. *Ad Occasum* OCEANVS DEVCALEDONIVS, *&* VERIGIVIVS, *quaque Britanniam & Hiberniam interfluit* HIBERNICVM, *nautis hodie* Canalis S. Georgij *appellatur: quod* vndosum & irrequietum esse toto anno nec nisi æstiuis pauculis diebus nauigabile *veteres prodiderunt. Quà verò ad Austrum Galliam pulsat* BRITANNICVM *propriè dicitur, hodie nautis Belgis* Canale, *Anglis*, The Sleeue, *& eodem sensu Gallis* Le Manche, *quia instar manicæ paulatim contrahitur.* BRITANNICI *autem* MARIS *nomen ad Hispanias vsque pertigisse author est Pomponius Mela & ipse Hispanus vbi prodit Pyrenæum montem in* BRITANNICVM *procurrere* OCEANVM.

Iulius Solinus

Vide de Freto Britannico pag. 242.

Insulæ autem nonnullæ quasi quodam naturæ spectaculo per hæc maria sparguntur, ad Ortum, & Austrum rariùs: ad Occasum, & Septentriones confertiùs. Mare enim ibi suo interuentu quodammodo distinguunt, & quasi suis coloribus amœnissimè depingunt. Sed cùm inter omnes longè præcellat Hibernia, vt de illa primùm agam, & amplitudine & celebritate suo quasi iure postulat.

Lib. 2. c. 4.

IRELAND.

Fffff 2


OCEANUS
NOTIVM Prom
DESMOND
COR K
COM.
ITAT VS
OCEA
NUS
VERGI.
VI US
SAVRANI flu ostium
KER RY
CLARE
TWIONDON
LIMERIC
ORMOND
TIPERARI
KILKEN
WATERFORD
COM ITA TVS
BIRGI flu ostium
WEYSH FORD
COM ITATVS
CATERLOGH COMITA
KILDARE
DVBLIN
SACRVM Promontorium
MARE
HIB
Occidens
Meridies
Septentrio
Oriens
PARS
ANG LIÆ
Miliaria Ibernica Communia


OCCIDENTALIS
BORÆVM Promontorium
RAVII flu
TIR CONEL
COMITATUS
LETRIM COMI TATVS
LONG FORD COM
WEST MEATH
CAVON COMI TATVS
MONAGHAN COMITA
TIR OEN COMITATVS
EAST MEATH COM
LOVTH COMI
ARMAGH COMI
DOVN COMITA
ANTRIM COMITATVS
COLRAN COM
ARDES
HIBERNI CUM
SLEGO COMITA
MAIO COM
COMOND COM
Mull of Galloway
PARS SCOTIÆ
HIBERNIÆ
IRELAND Anglis. YVERDON
BRITANNIS ERIN incolis. IERNA
Orpheo & Arist. IRIS Diodoro Siculo
IVVERNA Iuuenali IOVERNIA Ptol.

IRELAND.



Oceanus Vergiuus.

IN Vergiuio mari, quod non à vergendo, vt aliqui opinantur, deducitur, sed à *Mor Weridh*, hoc enim nomine Britannis dicitur, vel à *Farigi* quo pro mari illo vtuntur Hibernici, Britanniæ latus Occiduum claudit celeberrima insula HIBERNIA. Quæ inter omnes orbis terrarum insulas tertium sibi locum olim vendicauit. Sic enim de insulis scribit antiquus Geographus. Τῶν νήσων πρωτεύει ἡ Ἰνδικὴ ΤΑΠΡΟΒΑΝΗ μεγέθει καὶ δόξῃ, μεθ' ἣν ἡ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΗ, τρίτη ἡ ἑτέρα Βρεττανῶν ἡ ΟΥΗΡΝΙΑ. id est, *Inter Insulas magnitudine & celebritate primas fert* TAPROBANE *Indica, post eam* BRITANNIA, *tertia est altera Britannorum insula* HIBERNIA, inde Ptolemæo BRITANNIA PARVA dicta.

Libro Magnæ Constructionis.

Hæc Orphæo, Aristoteli, & Claudiano IERNA, Iuuenali & Melæ IVVERNA, Diodoro Siculo IRIS, Martiano Heracleotæ ΙΟΥΕΡΝΙΑ, Eustathio ΟΥΕΡΝΙΑ, & ΒΕΡΝΙΑ, incolis *Erin*, Britannis *Yuerdon*, & Anglis *Ireland*.

Vnde hæc profluxerunt nomina, variæ vt in re obscura subinde enatæ sunt opiniones. Hiberniam alij ab hiberno tempore, alij ab *Hibero* homine Hispano, ab *Ibero* flu. alij, Eulogij author ab *Irnalpho* Duce, Postellus dum Pomponium Melam Lutetiæ prælegeret, vt altum sapere videretur, ab Hebræis repetit, vt sit *Irin*, quasi *Iurin*, id est, *Hebræorum terra*, *Hebræi* (inquit si dijs placet) *cùm essent Magi peritissimi, scirentque imperium vniuersi futurum in angulo fortissimo, qui est ad Caurum, illas partes, & Hiberniam quàm primùm occuparunt, Syrique & Tyrij illas regiones, vt basim futuri imperij ponerent, incolere sategerunt.* Ignosce quæso si his suffragari non ausim, ne receptissimæ quidem isti de hiberno tempore opinioni, quamuis legerim in hac Insula ex omni vento aërem brumescere. *Hibernia*, *Iuuerna*, & ΟΥΕΡΝΙΑ proculdubio ab Orphæi & Aristotelis *Jerna* dimanârunt; *Ierna* autem illa, *Iris*, *Iuerdhon*, & *Ireland*, ab incolarum *Erin*. Ab *Erin* ergo gentis vocabulo originatio petenda. Hîc ego cum magnis illis Philosophis ΕΠΕΧΩ, nec quid opinione augurari possim, habeo: nisi forsan sit ab *Hiere* Hibernica dictione quæ illis Occasum, siue plagam Occidentalem sonat, vnde *Erin* quasi Occidentalis regio deducta videatur. Hoc ego coniectura blandiente iampridem putaui, tùm quòd totius Europæ regio sit ad Occasum remotissima, (vtpote quæ XII. tantùm partibus ab vltimo Occidente absit: tùm quòd Occidentalissimum huius insulæ flumen Ptolemæo IERNVS, & Occidentalissimum Hispaniæ promontorium, vnde nostri Hibernici deuenerunt) IERNE Straboni, proximusque huic fluuius, qui etiam Hispaniæ maximè Occiduus, IERNA Melæ nominetur. Ab Occiduo etiam hoc situ Hispania dicta est *Hesperia*, Occidentale illud Africæ promontorium *Hesperium Cornu*, & in ipsa Germania *Westrich*, *Westphalen*, *&c.* regiones ab eo situ denominatæ sunt, vt non mirum sit ab Occiduo situ nomen factum fuisse. Præter hæc Hiberniæ nomina, quæ dixi, Hibernici Bardi *Tiruolac*, *Totidanan*, & *Banno*, vt longè vetustissima huius insulæ nomina in suis cantilenis celebrant. Vnde verò me latet, ni *Banno Bannomanna* illa sit quam ex Timæo memorat Plinius, dum extrema Europæ, & littus Oceani Septentrionalis in læua à Scythia ad Gades vsque legit. Quæ enim illa *Bannomanna* fuerit, Geographis nondum constat. Cæterùm *Biaun* sacrum Hibernicè sonat, & certè hanc SACRAM INSVLAM Festus Auienus vocat in libello cui titulus est ORAE *Maritimæ*, quem ex vetustissimis Geographis Hecateo Milesio, Hellanico Lesbio, Philæa Atheniensi, Caryandæo, Pausymacho Samio, Damasto, Euctemone, & alijs consarcinauit. Sed ascribam carmina, cùm de Ostrymidibus insulis loquutus sit, sic canit.

Banno-manna.

Sacra Insula.

Oræ maritimæ.

Ast hinc duobus in SACRAM, *sic insulam*
Dixêre prisci, solibus cursus rati est.
Hæc inter vndas multum cespitem iacit,
Eamque latè gens Hibernorum colit.
Propinqua rursus insula Albionum patet.

sed

Si OGYGIA illa quam ad Britanniæ nostræ Occasum statuit Plutarchus, non ὑπὲρ sed ὑπὸ fuerit. Hiberniam illo nomine designare videatur; licèt quæ de illa fabulatur, figmenta planè sunt poetica, & nugæ Milesiæ. Nec quis facilè dixerit cur Ogygiam nominarint, nisi forsitan ab antiquitate, nihil enim nisi quod perantiquum *Ogygium* dixerunt Græci. Toto autem cœlo errasse videtur Robertus Constantinus, cùm CERNEM apud Lycophronem nostram fuisse Hiberniam asserat. Lycophron enim ipse, & Commentator eius Tzetzes *Cernem* ad Auroram statuunt, & doctissimi quique *Madagascar* esse existimant, quæ alio quasi orbe sub Tropico Capricorni, Æthiopiæ obtenditur. Hæc de Hiberniæ nominibus, vt tamen intereà meminerimus posteriori tempore SCOTIAM etiam dictam fuisse Isidoro, & Bedæ à Scotis incolis, & inde Scotiæ nomen cum Scotis in Britanniam nostram commigrâsse. Sed hoc iam anteà à nobis dictum, nec hîc repetendum.

Ogygia.
In lib. de macula in Luna.
Cerne Insula
Hibernia Scotia dicta.

Protenditur hæc insula ab Austro in Aquilonem, non latior quàm longior vt Strabo prodidit, sed forma lenticulari, siue ouali, nec viginti dierum nauigatione, vt Philæmon apud Ptolemæum tradidit: sed secundùm recentiores longitudine CCC. tantùm mille passuum, latitudine vix CXX. implet. Ab Ortu Angliam turbidò mari disiunctam habet, quod *Hibernicum* vocant: ab Occasu immenso Oceano Occidentali, à Septentrione *Deucaledonio*, ab Austro *Verginio* alluitur.

Hiberniæ situs.

Regio (vt Giraldum audias) *inæqualis est, montuosa, mollis, aquosa, syluestris, ventis exposita, & adeò paludosa, vt supra montes aquas stagnare videas. Cœlum* (vt inquit Mela) *ad maturanda semina iniquum, verùm adeò luxuriosa herbis non lætis modò, sed etiam dulcibus, vt si exigua diei parte pecora se impleant, & nisi pabulo prohibeantur, diutiùs pasta dissiliant.* Vnde pecorum infinita multitudo, vtique quæ primæ, & præcipuæ incolarum opes, ouium etiam greges plurimi, quas quotannis bis tondent, & è rudi lana lænas, siue villosa saga, & stragula conficiunt, quæ ad exteras gentes deferuntur. Equi item optimi (*Hobies* vocamus) quibus non idem qui cæteris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Accipitres etiam sunt non illaudati, sed hæc vt reliqua animantia omnia (præter homines & canes illos venaticos, quos *Greyhounds* vocamus) minora hîc sunt, quàm in Anglia. Cœli autem & soli humor est nimius, vnde ventris profluuio, & catarrhis plurimi, præcipuè verò aduenæ vexantur: ad quæ tamen sistenda *Aquam vitæ* optimam habent, quæ multò minùs quàm nostra inflammat, & magis exsiccat. Quòd Giraldus ille scribit hic natos *non vlla trium generum specie febricitare*, falsum quotidie deprehenditur. *Terra autem* (vt Giraldum illum in partem mihi aduocem) *terrarum temperatissima, nec Cancri calor exæstuans compellit ad vmbras. Non ad focos Capricorni rigor inuitat. Aeris amœnitate, temperieque tempora ferè cuncta tepescunt.* Apum tanta multitudo vt non solùm in aluearijs, sed etiam arborum truncis, & terræ cauernis reperiantur. Vites etiam habet, sed vmbræ magis quàm fructus gratiâ. Solem namque è Leone egressum frigidiusculæ auræ in hoc nostro Climate excipiunt, & pomeridiani in Autumno calores dilutiores sunt, & breuiores hîc, & in Britannia nostra, quàm vt perfectam vuis maturitatem afferre possint. Prætereà nullus hîc anguis, nec venenatum quicquam; lupis tamen vbique infestatur: vtque vno verbo dicam, siue terræ fœcunditatem, siue maris, & portuum opportunitatem, siue incolas respicias, qui bellicosi sunt, ingeniosi, corporum lineamentis conspicui, mirifica carnis mollitie, & propter musculorum teneritudinem agilitate incredibili; à multis dotibus ita fœlix est insula, vt non malè dixerit Giraldus, *Naturam hoc Zephyri regnum benigniori oculo respexisse.* Quod verò malè nonnunquam audit, ab incolis est, qui alicubi sunt incultiores, qui mira naturæ diuersitate, & inertiam amant, & quietem oderunt, quique in præproperam Venerem sunt effusiores. Virgines enim inter agrestiores illos, cùm decimum, vel duodecimum ætatis annum attigerint, viris quasi maturas tradunt, nec vllo modo annorum maturitatem, quæ alijs regionibus obseruatur, præstolari volunt. Sed de Hibernicorum moribus in calce huius libri pleniùs dicemus. Nunc si placet Hiberniam literatissimi Hadr. Iunij versibus de se & suis commodis loquentem audi.

Giraldus Cambrensis in Topographia Hiberniæ.
Pecora.
Irish Mantles and rugs.
Equi.
Accipitres.
Morbi.
Vske-bah.
Vuæ in Britannia cur non maturescunt.

Illa ego sum Graijs olim glacialis Ierne
Dicta, & Iasoniæ puppis bene cognita nautis:
Quæ Tartheßiaco propior se tingere soles

Flumine

Flumine conspicio, Cauro subiecta procaci:
Cui Deus, & melior rerum nascentium origo
Ius commune dedit cum Creta altrice tonantis,
Noxia ne nostris diffundant sibila in oris
Terrifica creti tabo Phorcynidos angues:
Et fortè illati compressis faucibus atris
Viroso pariter vitam cum sanguine ponant.
En ego cum regni sceptro, Mauortia bello
Pectora, & horriferas hominum, nil fingo, figuras,
Qui cursu alipedes norint prauertere ceruos,
Dedico, piscososque lacus, volucrumque paludes
Omnigenûm lustris fœtas, stannique fodinas,
Et puri argenti venas, quas terra refossis
Visceribus manes imos visura recludit.

Hibernia cur Ogygia dicta.

Si verum sit quod Hibernici tradunt historici, non immeritò hæc Insula *Ogygia*, id est, *perantiqua* Plutarcho dicta fuit. A profundissima enim antiquitatis memoria historias suas auspicantur, adeò vt præ illis omnis omnium gentium antiquitas sit nouitas, & quodammodo infantia. *Cæsaream* quandam Noachi neptim ante Diluuium hanc incoluisse scribunt, inde *Bartholanum* Scytham trecentesimo à Diluuij anno aduenisse, & maxima cum Gigantibus bella gessisse. Longo pòst tempore *Nemetham* Scytham appulisse, illumque statim a Gigantibus eiectum; posteà *Delam* cum Græcis quibusdam insulam occupâsse, mox *Gaothelum* cum *Scota* vxore, Pharaonis Ægyptij filia huc delatum, & ex vxore insulam *Scotiam*, & ex suo nomine linguam *Gaothelam* denominâsse, idque eo tempore quo Israelitæ ex Ægypto demigrarunt. Paucis verò pòst seculis *Hiberum*, & *Hermionem*, (*Euer* & *Erimon* Hibernici vocant) *Milesij* Hispaniæ Regis filios, Gurguntij Regis Britannorum permissu in hanc regionem pestilentia exhaustam colonias deduxisse prodit historia Britannica. Hæc nec affirmare, nec refellere in animo est, in his detur sua antiquitati venia.

Britanni primi Hiberniæ incolæ. Britannia parua.

Certè vt hanc Insulam antiquitùs habitatam fuisse, cùm per vniuersum orbem genus humanum proseminaretur, non dubitauerim; ita ex Britannia nostra primos incolas commigrasse in aperto est. Nam vt taceam infinitam vim Britannicarum dictionum in lingua Hibernica, antiqua nomina quæ Britannicam sapiunt originem, *Ingenia, cultusq; hominum*, (vt inquit Tacitus) non multum à Britannia differentia; ab antiquis omnibus *Insula Britannica* dicitur, Diodorus Siculus *Irin Britanniæ partem* dixit: atq; Ptolemæus BRITANNIAM PARVAM, vt videre est si eius Geographica cum libro Magnæ Constructionis conferre lubet; Strabonisque Epitome incolas disertè *Britannos* & vetus Geographus *Britannorum insulam* vocat. Festus etiam Auienus ex Dionysio hoc docet cùm de Britannicis insulis agit,

Eminùs hic aliæ gelidi prope flabra Aquilonis
Exuperant vndas, & vasta cacumina tollunt,
Hæ numero geminæ, pingues sola, cespitis ampli,
Conditur occidui quà Rheni gurgitis vnda,
Dira Britannorum sustentant agmina terris.

Nec alia est regio è qua ratione vicinitatis commodius in Hiberniam demigrari potuit, quàm è nostra Britannia è qua pari spatio transmissus est, atque e Gallia in Britanniam. Posteà verò cùm suum Romani imperium vndiq; propagassent, multi proculdubio ex Hispania, Gallia, & Britannica huc se receperunt, vt iniquissimo Romanorum iugo colla subducerent, nec aliter illa Taciti verba capio: *Hibernia, medio inter Hispaniam & Britanniam sita, & Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperij partem magnis inuicem vsibus miscuerit, aditus, portusque melius quàm Britannia per commercia & negotiatores cogniti.* Quamuis etiam Iulius Agricola Regulum Hibernicum seditione expulsum in occasionem inuadendæ Insulę retinuerit, quam Legione vna & modicis auxilijs debellari, obtinerique posse existimabat: idque etiam aduersus Britanniam profuturum, si Romana

mana vbique arma & velut è conspectu libertas tolleretur. Nihil tamen Romanos in hac tentasse legimus. Tentasse nihilominus credunt nonnulli, & ægrè colligunt ex illo Iuuenalis:

Arma quid vltra
Littora Iuuernæ promouimus, & modò captas
Orcadas, & minima contentos nocte Britannos?

Panegyricus tamen Constantino Augusto dictus sub eius nutu Hiberniam fuisse innuit. *Britannia*, inquit, *ita recuperata est, vt illæ quoque nationes terminis eiusdem insulæ cohærentes vestris nutibus obsequantur.* In recentiorum etiam Chronicis Hiberniam cum Britannia & Thule Constantino Constantini Maximi filio in imperij diuisione obuenisse scribitur. Ea quoque de *Cæsarea* Noachi nepte fabella Cæsarum nomen ita præ se fert, vt alicuius Cæsaris in Hiberniam aduentus in ea latitare videatur. Veruntamen animum vix inducere possum, vt hanc regionem in Romanorum potestatem vllo tempore concessisse credam. Faustum sane fœlixque Hiberniæ fuisset, si concessisset, certe barbariem exuisset. Vbicunque enim Romani victores, victos humanitate excoluerunt, nec sane alibi per Europam humanitatis, literarum, & elegantiæ cultus nisi vbi illi imperarunt. Inconsultò etiam hanc insulam illi neglexisse videantur. Hinc etenim ad Britanniæ pestem direptionemque hostes grauissimi eruperunt, quod Augustus præuidisse videtur, cùm Britanniam neglexerit ob periculum quòd a circumiacentibus nationibus impendere præsagijt. Cæterùm inclinante iam Romano imperio, Scotorum siue Scytharum natio (*Celto-Scythæ*, vt habet Strabo, *omnes olim ad Occasum populi dicti*) in Hibernia inualuit, & celebrari cœpit. Sub Honorio autem & Arcadio Augg. à Scotorum gentibus habitatam fuisse scripsit Orosius. Vnde eiusdem æui Claudianus. Cæsarea.

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne

Et alibi:

Totam cùm Scotus Hibernem Mouit.

Hinc etenim suas in Britanniam irruptiones fecerunt Scoti, & in hanc magnis subinde cladibus repulsi. Vnde venerint in Hiberniam docebit suis verbis author satis vetustus Ninnius Eluodugi discipulus, qui vixit, vt ipse testatur, anno DCCCXXX. sub *Anaraugh* Moniæ & Venodotiæ Rege. Sic enim ille cùm Britannos in Britanniam tertia ætate mundi, & in quarta Scythas, siue Scotos in Hiberniam peruenisse dixerat. *Nouissimè venerunt Scoti a partibus Hispaniæ ad Hiberniam. Primus autem venit* Partholanus cum mille hominibus de viris & mulieribus, & creuerunt vsque ad quatuor millia hominum, & venit mortalitas super eos, & in vna septimana omnes perierunt, & non remansit ex eis etiam vnus. Secundus venit ad Hiberniam* Nemeth *filius quidam Aguominis qui fertur nauigasse super mare annum & dimidium, & postea tenuit portum in Hibernia fractis nauibus suis: & ad Hispaniam reuersus est, & postea venerunt tres filij* militis Hispani, cum triginta Ciulis apud illos & XXX. coniugibus in vnaquaque Ciula & manserunt ibi per spatium vnius anni. Nouissimè venit** Elamhoctor, *& ibi habitauit cum omni genere suo vsq; hodie.* Huic astipulatur Henricus Huntingdonensis. *Britones*, inquit, *in tertia mundi ætate in Britanniam: Scoti in quarta venerunt in Hiberniam. Hæc cùm non certissima sint, hoc tamen certum est, quòd ab Hispania in Hiberniam venerunt, & inde pars eorum egressa tertiā in Britannia Britonibus & Pictis gentem addiderunt.* Vtriq; suffragatur recepta Hibernicorum opinio qui se Hispanorum sobolem libentissimè agnoscunt. Nec mirum sanè sit plures in Hiberniam è Septentrionali Hispaniæ parte demigrasse, quæ vt habet Strabo, infœlicissima, & in qua pessimè degitur. Ex illis Ninnij verbis videas illas *Bartholani* & *Nimethi* immigrationes ex profunda illa antiquitate quam fabulantur, in recentiora tempora retrahendas. Nec opus est vt denuò adnotem regionem hanc a Scotis SCOTIAM dictam fuisse.

Hibernici ex Hispania. Vide pag. 86. 87. &c.

* Bartholanus alibi.

* Fortè Milesij

* Alias Clanhoctor.

Haud multis pòst annis hi Scoti in Hibernia Christo nomen dederunt (quamuis illam de conuersione Hiberorum in Asia historiam ex Rufino ad se rapiant.) Palladiumq; Episcopum ad eos misit Cœlestinus Pontifex Romanus. Vnde contra Collatorem Pro-

Religio Christiana in Hibernia. ſper Aquitanus. *Cœleſtinus Pelagiano morbo Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis occupantes etiam ab illo ſecreto ſecluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Palladium tamen morte in Britannia præreptum nihil præſtitiſſe author eſt Ninnius, qui ex Hibernicis ſcriptoribus Chriſtianam religionem à Patricio per Hiberniam diſſeminatam ſcribit. Hic enim natione Britannus, in *Cluydsdalia* natus & Martino Turonenſi affinitate coniunctus & S. Germani diſcipulus, Palladio defuncto à Cœleſtino ſubrogatus, tanto ſucceſſu Chriſtianam religionem per Hiberniam propagauit, vt longè maximam inſulæ partem ad Chriſtum conuerterit & Hibernorum Apoſtoli nomen meruerit. De quo vetus author Henricus Antiſioderenſis in libro de S. Germani miraculis. *Quoniam gloria Patris in ſuorum clareſcit moderamine filiorum: è multis quos in Chriſto filios, in religione creditur habuiſſe diſcipulos; vnius tantùm eiuſdemque famoſiſſimi caſtigata breuitate ſufficiet inſeri mentionem. Patricius, vt geſtorum illius ſeries prodit, Hibernicæ peculiaris Apoſtolus regionis, ſanctiſſima eius diſciplinatui XVIII. addictus annis, non mediocrem è tanti venæ fontis in ſcripturis cœleſtibus hauſit eruditionem. Quemque in religione magnanimum, in virtutibus excellentem, in doctrina ſtrenuum, diuiniſſimus conſiderans Pontifex; ineptumque ducens robuſtiſſimum agricolam in Dominicæ ſegetis torpere cultura; ad ſanctum Celeſtinum Vrbis Romæ Papam per Segetium presbyterum ſuum eum direxit; qui viro praſtantiſſimo probitatis eccleſiaſticæ teſtimonium apud ſedem ferret Apoſtolicam. Cuius iudicio approbatus, authoritate fultus, benedictione denique roboratus Hiberniæ partes expetijt: gentique illius datus propriè Apoſtolus, tum quidem ex doctrina & miraculis, nunc quoque & in perpetuum mirificis Apoſtolatus ſui illuſtrat priuilegijs.* Patricij diſcipuli tantos progreſſus in re Chriſtiana fecerunt, vt ſubſequenti ætate Hibernia *Sanctorum Patria* diceretur, & Scoticis in Hibernia & Britannia monachis nihil ſanctius, nihil eruditius fuerit, & in vniuerſam Europā ſanctiſſimorum virorum examina emiſerint quibus *Luxonium* Burgundiæ, *Bobienſe* Italiæ, *Herbipolis* Franconiæ, S. *Gallus* Heluetiæ, *Malmesburia Lindisfarna*, & quamplura alia in Britannia, monaſteria originem debent ſuā. Ex Hibernia enim fuerunt Cęlius Sedulius Presbyter, Columba, Columbanus, Colmannus, Aidanus, Gallus, Kilianus, Maidulphus, Brendanus & alij plures vitæ ſanctitate & doctrina inclyti. De his monachis intelligendus Henricus ille Antiſiodorenſis cùm ad Carolum Caluum ſcribit. *Quid Hiberniam memorem contempto pelagi diſcrimine penè totam cum grege Philoſophorum ad littora noſtra migrantem? quorum quiſquis peritior eſt, vltrò ſibi indicit exilium, vt Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad votum.*

Anno Christi 431. Palladius. Vincent. lib. 9. cap. 7. S. Patricius.

Monachi Hibernici ſancti & eruditi.

Monachi. Longè tum alia Monachiſmi quanquam recentis & nuper inſtituti facies erat. Re ipſa cupiebant eſſe quod dicebantur, nihil fucatum illis, nihil perſonatum placebat, ſimplicitatis erat, non malitiæ, longè minùs obſtinaciæ ſiqua in re errabant. Opum autem & rerum ſæculi tantus illis contemptus, vt eas non ſolùm non ambirent, ſed oblatas etiam & hæreditarias reſpuerent. Præclarè enim Columbanus & ipſe ex Hiberniæ monachus, qui, vt Abbas Walafridus ſcribit, à Sigeberto Francorum rege magnifica pollicitatione, ne Regno ſuo decederet, inuitatus, hoc ipſum reſpondit, quod & de Thaddeo Euſebius retulit, *Non decere videlicet, vt alienas diuitias amplecterentur, qui Chriſti nomine ſuas dereliquiſſent.* Epiſcopique Britanni non minus diuitias ſpreuiſſe videntur, cùm tam pauperes eſſent vt nihil proprium haberent. *Tres enim* (vt habet Sulpitius Seuerus) *Britanni Epiſcopi in Ariminenſi Concilio inopia proprij publico vſi ſunt.* Anglo-Saxones etiam noſtri illa ætate, in Hiberniam tanquam ad bonarum literarum mercaturam vndique confluxerunt, vnde de viris ſanctis ſæpiſſimè in noſtris ſcriptoribus legitur, *Amandatus eſt ad diſciplinam in Hiberniam*, & in Sulgeni vita, qui ante ſexcentos annos floruit,

Walafridus.

Diuitiarum contemptus.

Epiſcopi Britanni.

Exemplo patrum commotus amore legendi,
Iuit ad Hibernos, Sophiâ mirabile, claros.

Angli Saxones literas ab Hibernicis accepiſſe videntur. Indeque priſci Angli maiores noſtri rationem formandi literas accepiſſe videantur, quum eodem planè charactere vſi fuerint, qui hodie Hibernicis eſt in vſu.

Hiberniam autem, quę iam maximam partem rudis, ſemibarbara & politioris literaturæ ignara, tam ſanctis, pijs, & ſplendidis ingenijs abundaſſe eo ſeculo quo bonarum literarum

rarum

rarum cultura per orbem Christianum neglecta & semisepulta iacuit, non est cur miremur: cùm Optimi Maximi Rectoris prouidentia sanctitatis & bonarum artium semina nunc per has gentes, nunc per illas, quasi per areolas & puluillos alia atque alia ætate spargit, floresque producit, qui hinc inde translati nouo auctu ad ipsius gloriam & humani generis bonum fœliciter succrescant, & conseruentur.

Artes & pietas per gentes & ætates sparsæ.

Hæc autem sanctitatis & humaniorum literarum studia paulatim restinxit bellorum rabies. Anno enim sexcentesimo quadragesimo quarto à Christo nato, Egfridus Nordanhumbrorum Rex cædibus & incendijs Hiberniam Anglis amicissimam confudit, quo nomine à Beda grauissimis verbis subaccusatur. Inde *Norwegi* Turgesio duce regionem per triginta annos indignissimis populationibus deuastauerunt, sed illo demum ex insidijs sublato, in Norwegos cæde adeò atroci grassati sunt incolæ, vt vix nuntius tantæ cladis superfuerit. Norwegi hi proculdubio *Normanni* illi fuerunt, qui (vt inquit Rhegino) Caroli magni temporibus, *Hiberniam Scotorum insulam aggressi, à Scotis in fugam conuersi erant.* Posteà *Oustmanni*, id est *Viri Orientales*, è maritima Germannia in Hiberniam venerunt, qui cùm magnæ & copiosæ mercaturæ specie quasdam vrbes occupâssent, difficilimum bellum breui concitarunt. Eodem fere tempore Eadgarus Rex Anglorum potentissimus magnam Hiberniæ partem deuicit. Sic enim in eius quodam diplomate legitur. *Cui concessit cum Anglorum imperio propitia diuinitas omnia regna insularum Oceani cum suis feracissimis regibus vsque Norwegiam, maximamque partem Hiberniæ cum sua nobilissima ciuitate Dublina Anglorum imperio subiugare.*

Norwegi Hiberniam vastant.

Oustmanni. qui fortè Tacito *Aestiones*, Eginardo *Aisti.*

Has externorum bellorum procellas grauior intestinæ seditionis tempestas excepit, quæ Anglo ad debellandam Hiberniam viam patefecit. Ex Regulorum Hiberniæ simultatibus, & prauis æmulationibus Henricus Secundus Rex Angliæ occasione arrepta, seriò agitauit anno Salutis CIↃCLV. cum proceribus Angliæ de Hibernia expugnanda in vsum fratris sui Guilielmi *Andegauensis*, sed ex consilio matris eius Matildis *Imperatricis* res in aliud tempus dilata. Nec multis interiectis annis *Dermicius Murchardi* filius (*Dermot Mac Morrog* illi vocant) qui Orientali Hiberniæ parti (quam Latinè *Lageniam* vulgò *Leinster* dicunt) cum imperio præfuit, ob tyrannidem, & libidinem regno exturbatus, (O-Roricij enim *Midiæ* reguli vxorem rapuerat) ab Anglorum Rege Henrico Secundo, vt auxiliaribus armis in regnum restitueretur, impetrauit. Pactusque est cum Richardo Comite Penbrochiæ, cognomento *Strongbowe* ex Clarensium familia oriundo, vt ad eum restituendum auxilium ferret, & ille Comiti cum Eua filia regni successionem confirmaret. Comes verò statim conscripta ex Wallis & Anglis lectissima militum manu, & adscitis in belli societatem Giraldidis, siue *Fitz-Giralds*, Stephanide siue *Fitz-Stephans*, & alijs ex Anglia nobilibus, Dermicium socerum in auitum regnum restituit, & paucis annis tantam Hiberniæ partem victoria complexus est, vt eius potentia Anglorum Regi iam suspecta fuerit, qui promulgato edicto cum graui comminatione, Comitem & commilitones ex Hibernia reuocauit, & nisi nulla interposita mora parerent, publicatis bonis proscripsit. Vnde Comes quicquid vel vxorio iure creuit, vel bello acquisiuit, regi pacto, & tabulis concessit, & ab eo Comitatus *Weisfordiæ*, *Osseriæ*, *Carterloghiæ*, & *Kildariæ* cum quibusdam castris, tanquam beneficiarius cliens recepit.

Rob. de Monte ad annum 1185.

1167.

Dermicius Murchardi filius.

Richardus Strongbow.

Coactis ergo copijs, transmisit in Hiberniam Henricus Secundus anno Christi MCLXXII. & insulæ principatum obtinuit. Omne enim imperium suum, & potestatem in illum transtulerunt Hiberniæ Ordines, Rothericus o *Conor Dun*, id est, Fuscus Hiberniæ monarcha, *Dermot Mac Carty* Rex Corcagij, *Donald O Bren* Rex Limirici, *O Carel* Rex Vrielæ, *Mac Shaglin* Rex Ophaliæ, *O Rork* Rex Midiæ, *O Neal* Rex Vltoniæ, proceresque reliqui & populus ipsorum, Chartis subsignatis, traditis, & Romam transmissis. Accessit etiam Hadriani PP. Diploma, & in inuestituræ signum annulus, nec non Synodorum quarundam Prouincialium authoritas. Ille posteà Ioan. filio *Hiberniæ Dominium* in manus tradidit. Quod Vrbanus Papa *Bullâ* confirmauit, & in *confirmationis argumentum coronam de pauonis pennis auro contextam misit.* Quem cùm iam Rex esset, scriptitant Hiberniam vnà cum Anglia Romanæ Ecclesiæ tanquam *feudalem* Diplomate concessisse, & ab ea tanquam *secundarium* & *feudatarium* recepisse, successoresque obligasse, vt trecentas Marcas Pontifici Romani soluerent: sed hoc in veritate falsum esse asserit, qui Pontificias partes ad mortem propugnauit clarissimus vir Thomas Morus. Romanos enim

Henricus 2. Hiberniam ingreditur.

Giraldus Cambr. & M. S. penes Baronem Honsh.

Synodus 1. & 2. Cassiliensis & Armachensis.

1186.

Rog. Houedenus.

nim eiuſmodi conceſſionem non poſſe exhibere, illam pecuniam nunquam exegiſſe, & Reges Angliæ nunquam hoc agnouiſſe ſcribit. Verùm pace tanti viri res aliter ſe habuit, vt ex Parlamentarijs Rotulis omni exceptione maioribus liquidò conſtat. In Conuentu enim Ordinum regni, Edwardo Tertio regnante, Cancellarius Angliæ retulit P P. Romanum Regem Angliæ Romam in ius vocaturum tam de *homagio* quàm de tributo pro Anglia & Hibernia præſtando, quibus Ioannes Rex olim ſe & ſucceſſores obſtrinxerat; & hac de re ſententiam rogauit. Epiſcopi ſeorſim diem ad deliberandum poſtularunt, itidem Proceres & Plebs ſiue *Communitas*.* Poſtride conuenerunt & vno omnium conſenſu ſciuerunt & ſanxerunt: Quandoquidem nec Rex Ioannes, nec Rex alius quiſpiam poſſit eiuſmodi ſeruitutem regno imponere niſi communi Parlamenti conſenſu & aſſenſu, quod minimè factum; & quicquid illi fecerat fuiſſe contra iuſiurandum in ſua auguratione conceptis verbis coram Deo religiosè ab eo firmatum; Ideoque ſi Papa hoc vrgeret ipſi ſeſe viribus quantum poterant maximis, animis præſentibus, oppoſitis corporibus & facultatibus ad reſiſtendum eſſe paratiſſimos. Clamitantque qui legum apices excutiunt Diploma illud R. Ioannis caſſum cadere ex illa quæ in fine adijcitur reſeruatione! *Saluis nobis & hæredibus noſtris inſtitijs, libertatibus, & Regalibus noſtris.* Sed hæc extra callem.

Iam inde à Ioanne Anglorum Reges *Hiberniæ Domini* dicti fuerunt, donec Henricus Octauus patrum memoria in Hibernicis Comitijs Hiberniæ Rex ab inſulæ ordinibus declaratus fuit, quòd quibuſdam ſeditioſis Domini nomen non perinde ac Regis ſanctum & verendum videretur. Hoc autem *Regni Hiberniæ* nomen & titulus Pontificia authoritate confirmata fuerunt (cum Maria Regina CIↃDLV. regni Angliæ nomine obedientiam per legatos Romano Pontifici Paulo Quarto detuliſſet) hiſce verbis: *Ad Dei omnipotentis laudem & gloriam ac glorioſiſsimæ eius genetricis Virginis Mariæ, totiuſque curiæ cæleſtis honorem & fidei Catholicæ exaltationem, Philippo Rege & Maria Regina nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantibus, de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Apoſtolica authoritate Regnum Hiberniæ perpetuò erigimus, ac titulo, dignitate, honore, facultatibus, iuribus, inſignijs, prærogatiuis, antelationibus, præeminentijs regijs, ac quibus alia Chriſti fidelium Regna vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, in futurum inſignimus & decoramus.*

Cùm autem in illorum nobilium nomina inciderimus, qui primi Anglorum Hiberniam aggreſſi ſunt, & fortiſſimè ſub imperium Anglicum ſubiunxerunt: ne illis, & eorum poſteris hanc gloriam inuidiſſe videamur, ex Hiberniæ (vt præ ſe fert titulus) *Cancellaria* apponam.

Qui venerunt cum Dermicio Murchardi filio in Hiberniam.

Richardus Strongbow Comes Penbrochiæ, qui ex Eua Murchardi Reguli Hibernici filia vnicam progenuit filiam, quæ Guilielmo *Mareſcallo* Penbrochiæ Comitatus titulum cum latifundijs in Hibernia attulit, & numeroſam prolem, quinque ſcilicet filios qui ſibi ſerie quadam ſucceſſerunt ſine prole omnes, totidemque filias quæ Hugonem *Bigod* Comitem Norfolciæ, Guarinum de *Montecaniſio*, Gilbertum de *Clare* Comitem Glocestriæ, Guilielmum de *Ferrarijs* Comitem Derbiæ, Guilielmum *Breoſe* maritos liberis honoribus & poſſeſſionibus locupletarunt.

Robertus Stephanides.
Herueus de Monte-Mariſco.
Mauritius Prendergeſt.
Robertus Barrenſis.
Meilerius Meilerinus.
Mauritius filius Giraldi.
Redmundus nepos Stephani.
Guilielmus Ferrandus.
Milo de Cogan.
Richardus de Cogan.

Gualterus

Gualterus de Ridensferd.
Gualterus } *filij Mauritij Giraldi.*
Alexander }
Guil. Notte.
Robertus Bernardi filius.
Hugo de Lacio.
Gulielmus filius Aldelmi.
Guilielmus Macarellus.
Humfredus Bohun.
Hugo de Gundenilla.
Philippus de Hasting.
Hugo Tirellus.
Dauid Gualensis.
Robertus Poërius.
Osbertus de Herlotera.
Guilielmus de Bendenges.
Adam de Gernez.
Philippus de Breos.
Griffinus Stephani nepos.
Radulphus Stephani filius.
Gualterus Barrensis.
Philippus Guallensis.
Adam Herefordensis.

Quibus ex Giraldo Cambrensi adiungi possint,
Ioannes de Curcy.
Hugo Contilonensis.
Redmundus Cantimorensis.
Redmundus Hugonides.
Milo Meneuensis, & alij.

Regni Hiberniæ administratio.



EX quo Hibernia Anglici iuris facta fuerit Reges Angliæ eò Proreges ad rempublicam gerendam transmiserunt, quos primum *Custodes* Hiberniæ, deinde pro arbitrio *Hiberniæ Iustitiarios, Locum tenentes, & Deputatos* vocarunt in Codicillis, siue *Literis* illis *Patentibus*; quibus eis authoritas & iurisdictio mandatur. Quæ sane ampla & regia, videlicet bella gerendi, pacem componendi, magistratus & munia omnia præter paucula conferendi, crimina præter quædam læsæ Maiestatis remittendi; Equites auratos creandi, &c. Hæ *Literæ Patentes* cùm Magistratum quis init publicè præleguntur, & iuramento coram regni Cancellario, concepta verborum formulâ pręstito, gladius qui præferatur, in manus traditur, in solio locatur, adstantibus regni Cancellario, qui sunt a sacro consilio regniq; Proceribus, cum *Rege Armorum, Seruiente ad Arma*, & alijs honorarijs administris. Nec alius sane est in orbe Christiano Prorex qui propiùs ad regiam maiestatem siue iurisdictionem, siue authoritatem, comitatum, & apparatum spectes, accedat. Illi in consilio adsunt Regni Cancellarius, Regni Thesaurarius, & alij ex Comitibus, Episcopis, Baronibus & Iudicibus qui sunt a sanctiori consilio. Nam eosdem planè Ordines habet Hibernia quos Anglia, scilicet Comites, Barones, Equites auratos, Armigeros &c.

Hiberniæ Proreges.

Ordines Hiberniæ.

FORA, siue TRIBVNALIA HIBERNIÆ.

Summum Regni Hiberniæ forum est *Parlamentum* quod pro Regis Angliæ arbitrio a Prorege indicitur, & dissoluitur; etsi regnante Edwardo Secundo sancitum erat vt singulis annis *Parlamenta in terra Hiberniæ tenerentur*; Iuridici etiam conuentus quatuor

Parlamentum Claus. ann. 12

Tribunalia Hiberniæ.

vt in Anglia quotannis habentur, & quinque sunt Tribunalia, videlicet *Camera Stellata, Cancellaria, Bancus Regius, Bancus Communium Placitorum, Scaccarium* siue *Fiscus Regius.* Sunt etiam *Iustitiarij Assisarum, Nisi priùs, ad audiendum & determinandum*, prout in Anglia, & Irenarchæ in singulis Comitatibus ad pacem conseruandam. Rex etiam habet suum ad *Legem Seruientem*, Procuratorem siue *Atturnatum Generalem*, & *Sollicitatorem.*

Sunt etiam in Prouincijs remotioribus ad ius dicendum Gubernatores, vt qui in Connachtia *primarius Commissionarius*, in Momonia *Præses* dicitur, qui suos habent adsessores è nobilibus & iurisperitis, qui tamen singuli Proregis nutum respiciunt.

Legibus verò ijsdem *Communibus* siue Municipalibus quibus vtitur Anglia administratur Hibernia. Legimus enim in Sacris Regni Scrinijs. *Rex Henricus Tertius Anno regni* XII. *mandauit Iustitiario suo Hiberniæ vt conuocatis Archiepiscopis, Episcopis, Baronibus, & Militibus ibidem coram eis legi faciat Chartam Regis Ioannis, quam legi fecit & iurari à Magnatibus Hiberniæ de legibus & consuetudinibus Angliæ obseruandis, & quòd leges illas teneant & obseruent.* Parlamentariæ etiam siue *Statutorum*, vt vocant, Angliæ Leges vsque ad Henrici VIII. tempora in vsu erant. Anno enim regni eius X. illæ stabilitæ & confirmatæ erant authoritate Parlamentaria in Hibernia. Sed iam inde sua habuerunt *Statuta Parlamentaria.*

Præter ciuiles hos magistratus militarem etiam habet vnum, scilicet *Marescallum*, qui admodum hic vsui est tam ad militum, quam ad rebellium qui subinde negotium facessunt insolentiam coercendam. Hoc munus Barones *Morley* ex Angliæ olim vt ex Actis publicis constat hæreditario gesserunt. Rex enim Ioannes hoc munus hæreditario iure tenendum his ipsissimis verbis dedit, *Ioanni Marescallo dedimus & concessimus pro homagio & seruitio suo* Mareschalsiam *nostram totius Hiberniæ cum omnibus pertinentijs. Dedimus & ei pro homagio & seruitio suo Cantredum in quo sita est villa de* Kilbunny *habenda sibi & hæredibus suis de nobis & hæredibus nostris.* A quo ad Barones de *Morley* recta serie descendit. *Marescallus* autem suum sub se habet *Submarescallum*, (*Prouost Marescall* vocant) & aliquando plures pro rerum & temporum difficultate qui suam circumscriptam sub Magno Hiberniæ Sigillo cum instructionibus exercent authoritatem. Sed hæc & huiusmodi curiosæ aliorum diligentiæ relinquam. De ratione ius administrandi inter agrestiores & syluestres illos suo loco, cùm de illorum moribus egero, paucula subtexam

Marescallus Hiberniæ. Anno 9. R. Ioannis.

HIBERNIÆ DIVISIO.

Hiberniæ diuisio.



Hibernia ex incolarum moribus in duas dispertitur partes, qui enim legibus teneri recusant, & incultiùs viuunt, *Irishrie*, & vulgò *Wilde Irish*, id est, *Syluestres Hibernici*, vocantur: qui verò cultiores legum potestatem sanctam habent, & iudicijs se sistunt, *Anglo-Hibernici* dicuntur, & eorum regio *The English Pale*, quoniam primi qui aduenerunt Angli quosdam sibi limites in Orientali & fœcundissima insulę parte circumscripserunt, intra quos & hodie sunt qui incultiùs viuunt, minusque legibus parent, vt extra alij, in quibus nihil ad humanitatis cultum desideres. Sed vt antiquiora spectemus, ex situ, seu potius Rectorum quondam numero, quinque continet portiones (Pentarchia enim olim erat) *Momoniam* videlicet ad Austrum, *Lageniam* ad Ortum, *Connactiam* ad Occasum, *Vltoniam* ad Septentriones, & *Mediam* in ipso ferè medio. Quæ ad ciuilem administrationem ita in Comitatus diuiduntur.

In

In Momonia sunt Comitatus
- *Kerry.*
- *Desmond.*
- *Cork.*
- *Waterford.*
- *Limirick.*
- *Tiperary,* cum Comitatu S. *Crucis. Tiperary.*

In Lagenia Comitatus sunt.
- *Kilkenny.*
- *Caterlough.*
- *Queenes County.*
- *Kings County.*
- *Kildare.*
- *Weisford.*
- *Dublin.*

In Midia Comitatus.
- *East Meath.*
- *West Meath.*
- *Longford.*

In Connactia Comitatus.
- *Twomund.*
- *Galloway.*
- *Maio.*
- *Slego.*
- *Letrim.*
- *Roscoman.*

In Vltonia Comitatus.
- *Louth.*
- *Cauon.*
- *Fermanagh.*
- *Monaghan.*
- *Armagh.*
- *Doun.*
- *Antrim.*
- *Colran.*
- *Tir-Oen.*
- *Tir-Conell* siue *Donegall.*

Res Ecclesiastica Hiberniæ ab Episcopis olim administrata fuit, quos vel Archiepiscopus Cantuariensis, vel ipsi se inuicem consecrarunt. Anno autem CIↃ C L I I. vt apud Philippum *Flatesbury* legitur, *Christianus Episcopus Lismoriensis, totius Hiberniæ Legatus Concilium celeberrimum apud Mell celebrauit; cui interfuerunt, Episcopi, Abbates, Reges, Duces, & maiores natu Hiberniæ. In quo auctoritate Apostolica, & concilio Cardinalium, consensu Episcoporum, Abbatum, & aliorum ibidem consistentium, quatuor Archiepiscopatus in Hibernia constituit: videlicet,* Armachanum, Dubliniensem, Cassiliensem, & Tuomensem. Ecclesiastica Iurisdictio.

Episcopatus qui his suberant, cùm iam alij auara temporum iniquitate sint deleti, alij confusi & coniuncti, alij aliò translati; lubet è vetusto Romano Prouinciali vt se olim habuerunt, ex exemplaris fide subiungere.

Archiepiscopo Armachano totius Hiberniæ Primati subsunt
- *Midensis,* vel *-Elnamirand.*
- *Dunensis,* aliàs *-Dundalethglas.*
- *Clochorensis,* aliàs *-Lugundunensis.*
- *Connerensis.*
- *Ardachadensis.*
- *Rathbotensis.*
- *Rathlucensis.*
- *Daln-liguirensis.*
- *Dearrihensis.*

Archiepiscopo Dublinensi parent
- *Glendelacensis.*
- *Fernensis.*
- *Osseriensis,* aliàs *-De Canic.*
- *Lechlinensis.*
- *Kil-darensis,* aliàs *-Darensis.*

Archie-

Archiepiscopo Cassiliensi subsunt	*Laonienfis* de	Archiepiscopo Tuamensi subijciuntur	*Duacenfis* aliàs
	-Kendalnan.		*-Killmacduac.*
	Limricenfis.		*De Mageo.*
	De Infula Gathay.		*Enachdunenfis.*
	De Cellumabrath.		*De Cellaiaro.*
	Melicenfis, vel de *Emileth.*		*De Rofconmon.*
	Roffienfis aliàs *Rofcreenfis.*		*Clonfertenfis.*
	Waterfordienfis, aliàs		*Achadenfis.*
	-De Baltifordian.		*Ladenfis*, aliàs
	Lifmorenfis.		*Killaleth.*
	Clonenfis, aliàs		*De Conany.*
	-De Cluanania.		*De Killmunduach.*
	Corcagienfis.		*Elphinenfis.*
	De Rofalither.		
	Ardefertenfis.		

MOMONIA,
fiue
MOVNSTER.



OMONIA, *Hibernicè* Mown, *& in orationis contextu* Wown, *Anglicè* Mounfter *Vergiuio mari ad Auftrum expofita iacet, à Connachtia nunc* Sineo *fiue* Shanon *à* Lagenia Neoro *flumine vz. alicubi difcreta : olim multifariam diuifa, fcilicet in* Towoun, *id eft, Borealis Momonia*, Def-woun *i. Auftralis Momonia*, Hierwoun *i. Occidua Momonia*, Meanwoun *i. Media Momonia, &* Vrwoun *i. Frons Momonia; hodie autem bifariam in* Momoniam Occidentalem *&* Auftralem. *Occidentalem antiquitùs habitarunt* LVCENI, VELABRI, *&* VTERINI : *Auftralem* OVDIAE *fiue* VODIAE, *&* CORIONDI. *Nunc autem in feptem Comitatus defcribitur*, Kerry, Defmoniam, Corcagienfem, Limiricenfem, Tiperrarienfem, S. Crucis, *&* Waterfordienfem.

Quà Hibernia maximè in Occafum proiecta & Cantabrico Oceano intenta Gallitiam Hifpaniæ ad Africum fpatiofo interuallo procul fpectat, VELABRI *&* LVCENI, *vt author eft Orofius, prifcis feculis incoluerunt.* LVCENI *(qui à* LVCENSII *Gallitiæ in oppofita Hifpaniæ ora, & nomen & originem traxiffe videantur, & quorum nominis reliquiæ quadam fuperfunt in Baronia de* Lyxnaw *) in Comitatu* Kerry, *& in* Conoglogh *vicina ad Sinei fluminis fuiffe fedem vt opinor, habuerunt.* Luceni.

COMITATVS
KERRY.



Erry Comitatus iuxta *Sinei* oftium in mare vt lingula procurrit, fluctibus vtrinque allatrantibus, regio auijs & fylueftribus montibus ædita, quibus crebræ interfunt valles cauæ alibi aruis diftinctæ, alibi etiam nemoribus condenfæ. Comitatus hic habetur Palatinus, Comitifque Palatini dignitatem & iura *Defmoniæ* Comites in hoc habuere munificentiâ Regis Edwardi Tertij, qui omnes *Regales libertates, exceptis quatuor Placitis, vz. de incendio, raptu*, Forftall, *& Thefauro inuento cum proficuo de croccis* (Regibus Angliæ referuatis) illis conceffit. Sed hominum iniquitate, qui libertate vti & noluerunt, & nefcierunt,

runt, in malorum sentinam, & seditiosorum perfugium iampridem erat conuersus. In limine huius regionis territorium est *Clan-Morys*, à Mauritio quodam è stirpe Raimundi *Crassi*, cuius posteri Barones de *Lixnaw* appellati. Medium fluuiolus nunc anonymus *Trailey* opidulum quodammodo desolatum (vbi *Desmonia* Comites ædes habuerunt) præterfluens intersecat, quem Dvr esse Ptolemæi situs quodammodo dicit. Iuxtà *Ardart* est, vbi sedet Episcopus, dictus Ardefartensis, & ille quidem indigus: in extremo ferè promontorio hinc *Dingle* portus commodus, inde *Smerwic* statio (sic contractè pro *S. Mary-wic*) cernitur, ad quam nuper cùm Giraldus Desmoniæ Comes vir profunda in principem & patriam perfidia, sceleratè assiduis agrorum vastationibus *Momoniam* atterreret, appulsa est tumultuaria Italorum & Hispanorũ manus, à Gregorio Duodecimo Pontifice Romano & Hispano in eius auxilium submissa, qui loco hîc statiuis munito, quem *Fort del Ore* vocârunt, minis cœlum terrebant. Sed illustrissimi & bellicosi Baronis Domini Arthuri *Grey* Proregis aduentus, & primus impetus rem decreuit. Protinùs enim se dediderunt, & maximam partem è medio sublati: quod rebus huius regni sic ferentibus, & seditiosis vndique imminentibus, consultissimum & tutissimum videbatur. Ipseque Desmonius tandem trepida fuga in vicinas syluas coniectus, mox in tuguriolo ab vno & altero milite irruente primùm sauciatus, posteà agnitus, capiteque truncatus perfidiæ, & vastatæ patriæ pœnas dependit. 1583

Clan-Morys. *Dur fl.* *Ardart Episcopatus.* *Dingle.* *Smerwick.* *Arth. Baro Grey.*

Grauitatem in me forsan quis desideret, si vel commemorarem, quòd plurium Syluestrium Hibernicorum animos ridicula opinio peruasit, & etiam persuasit, illum qui in militari illo barritu, siue clamore quo in congressu magna vocis contentione vtuntur, reliquorum clamori non respondeat, subitò à terra arripi, & quasi volantem in has desertas valles deferri, ex quacunque Hiberniæ regione; ibi gramine vesci, aquam lambere, nec malè, nec benè esse sibi sentire, rationis, non orationis vsum tenere, à venantibus demum ministerio canum capi, & domos suas deduci.

Persuasio ridicula.

DESMONIA,
DESMOND.



Lvcenis illis antiquis subiecta est longè latèque ad Austrum *Desmonia*, Hibernis *Deswown*, Anglis *Desmond*, a duobus illis populis olim insessa, *Vellabris* & *Ibernis*, qui *Vterini* in nonnullis exemplaribus concipiuntur. Velabri ab *Aber*, id est, æstuarijs, ita videantur nominati, eò quòd ad æstuaria sederunt, intercursantibus crebris & insignibus æstuarijs diuisi: vnde etiam Artabris & Cantabris Hispania facta appellatio. Inter hæc æstuaria præter *Kerry* iam dictam tria in Africum euagantur anfractuosis littoribus Promontoria quæ *Hierwoun* incolis, .i. *Occidua Momonia* olim nuncupata. Primum inter sinum *Dingle* & *Mair* fl. *Clan-car* dicitur, habetque castrum a *Carewis* Anglis ad *Dunkeran* conditum. In hoc habitauit *Donell Mac Carty More* ex Hibernica origine Regulus qui anno CIƆDLXVI. possessiones & latifundia sua Reginæ Elizabethæ in manus tradidit, & ab ea recepit, vt Anglico more, clienteleri iure, fiduciæ nomine teneret. Eodemque tempore Baro *Valentiæ* (ea insula est quæ adiacet) Comesque *de Clan-Car* creatus est: Vir in hoc tractu magni nominis & potentiæ, Giraldidis olim infensissimus, qui maiores suos, vt ille contendit, *Desmonia* Reges his auitis sedibus exuerunt. Sed hoc honore ille non diu vsus, filiam quam habuit vnicam legitimè natam Florentio *Mac Carty* matrimonio iunxit, & senex è vita migrauit. 1565

Velabri. *Baro Valentiæ.* *Comes Glen-Car.*

Secundum Promontorium inter *Maire* & *Bantre* sinus continetur *Beare* nomine, ieiuna plerumque glarea & lapidosa macie, in quo agit *O Swilliuant Beare*, & *O Swilliuant Bantre* ex eadem stirpe, & apud suos inprimis nobiles.

Beare.

Tertium *Erangh* dicitur inter *Bantre* & *Balatimore* vel *Baltimore* qui copiosa halecum captura sinus notissimus, quò numerosa Hispanorum & Lusitanorum classis ad piscandos asellos ipso brumali solstitio quotannis confluit: in hoc *O Mahoni* ampla prædia beneficentia

O Swiliuant. *O Mahon.*

Nouum Promontorium. Iernus flu.

beneficentia M. *Carew* acceperunt. Hoc NOTIVM, .i. *Australe Promontorium* vocat Ptolemæus, hodie *Missen-head*, ad quod vt apud illum videre est, IERNVS fl. ab Oceano ebibitur. Verùm quo ille iam gaudet nomine in tanta obscuritate vix ariolari ausim, nisi sit qui iam *Maire*, & *Drunk-eran* quod dixi subluit. Nec habeo quid coniectem de populo quos ad hæc promontoria idem collocat Ptolemæus, cùm pro exemplarium varietate IBERNI, OVTERNI, IBERI, IVERNI nominantur, nisi fortè perinde ac vicini LVCENI, & CONCANI ex Hispaniæ Iberis commigrarint. Cæterùm *Desmoniæ* nomen longè superioribus seculis hoc in tractu patuit, a mari vsque ad *Shanon* flu. quæ etiam *Australis Momonia* vocata. *Giraldidæ* siue *Fitz-Giraldes* ex Kildariensi familia oriundi, deuictis Hibernicis, amplissima hic sibi latifundia acquisiuerunt, & ex illis Mauritius *Fitz-Thomas* (in quem Thomas *Carew* qui hæres erat *Dominij Desmoniæ* priùs *Desmoniam* transcripserat) primus *Desmoniæ* Comes anno tertio Edw. III. creatus erat. Inter cuius posteros multi erant quorum virtutes & opes magnæ, gratiaque latè patuit; sed malè audiuit, & adhuc audit Iacobus qui nepote excluso hæreditatem vi occupauit, & tributa illa grauissima *Coyne*, *Liuery*, *Cocherings*, *Bonaghty*, &c. ad alendos triarios, & prædabundos milites subditis imperauit. Quæ cum Thomas filius a misello popello exigeret, & sui & paterni sceleris pœnas iussu I. *Tiptoft* Proregis anno CIↃCCCCLXVII. capite dependit. Eius tamen liberis restitutis, in ipsorum sobole ad Giraldum illum rebellem quem modò memoraui, honor hæreditario iure descendit. Quo Parlamentaria authoritate proscripto, adiudicata erat Regio patrimonio *Desmonia* & in ordinem Comitatuum redacta, Vicecomesque qui annuo magistratu præsit, institutus. Qui plurimum hîc authoritate & opibus valent è stirpe sunt *Fitz-Giraldorum*, licèt varia illi cognomina varijs de caussis sibi assumpserint.

Comites Desmoniæ.

VODIÆ, & CORIONDI.

Vodiæ pop.

Coriondi pop.



Ost Iberos ΟΥΔΙΑΙ, *qui &* VODIAE, *&* VDIAE *longè habitarunt, cuius nominis vestigium expressiori indicio se patefacit in* Idou, *&* Idouth *regiunculis, vti* CORIONDORVM *in Comitatu* Corke, *illis vicino. Incoluerunt hi Comitatum* Corcagiensem, Tiperariensem, Limericensem, *&* Waterfordensem.

COMITATVS CORCAGIENSIS vulgo County of Corck.

Missen head forte. Muskeray. Carbray.



Omitatus Corcagiensis, qui olim Regnum & omnem tractum maritimum a *Lismoria* vsq; ad * *S. Brend* comprehendit, quà Desmoniam ad Occasum spectat, habet in Mediterraneis *Muskeray* syluestrem regionem in qua Cormaci *Mac-Teg* nomen celebre, & ad oram maritimam *Carbray* in qua *Macarti*, plurimum valuerunt. Ad mare primùm occurrit *Ros* statio, & portus olim frequens, iam obiecto puluino arenario, infrequens. Inde angusta ceruice procurrit peninsula dicta, *The old head of Kinsale*, iuxta quod familia *Curciorum* olim opulentia clara floruit, a fratre Ioannis *Curcy* Angli qui Vltoniam debellauit, propagata; & e qua etiamnum hic superest *Curcy* Baro *Ringromiæ*, sed vt res ferunt humanæ, hodiè fortunæ imbecillioris. Posteà ad *Bany* fluminis ostium in solo fertili, & satis nemoroso est *Kinsale*, portus percommodus, & vetustis mœnibus munitum opidum, sub quo anno

Curcy Baro Ringrom.

Kinsale.

CIƆDCI. regni Hiberniæ iacta erat quasi alea, & in medium discrimen, & certamen deuentum an iuris esset Anglici, an Hispanici, cùm & externis, & domesticis hostibus laboraret insula, & VIII. millia veteranorum Hispanorum ductore Ioanne *D'Aquila* ex improuiso hoc occupâssent, Censuris Pontificum Romanorum Pij V. Gregorij XIII. & Clementis VIII. in Elizabetham effulminatis freti, & rebellium auxilijs qui eos euocauerant præfidentes, specioso religionis restaurandæ velo quod hoc æuo & religionis discidio nefarijs consilijs vbique ostenditur. Sed Carolus *Blunt* Baro *Montioy* Prorex lassato licèt milite & brumali die obsidione statim terra marique incinxit, simulque contra rebellium colluuiem quam *Tiroenius Comes*, *O Donell*, *Mac-Gwyre*, *Mac Mahound* eò contraxerant, se obiecit, eorumque ferocitatem ita virtute & fortitudine fœlicissimè contudit, vt vna victoria & opidum cum Hispanis deditione receperit, & de vniuersæ Hiberniæ iam desciscentis (qui enim deliberant, desciuerunt) manibus ferrum & flammam victor extorserit. Ad alteram a *Kinsalia* ripam iacet *Kerry-wherry*, territoriolum nuper Comitum *Desmoniæ*, iuxta quod fluuius qui DAVRONA Ptolemæo, præfluit, Giraldo Cambrensi vna immutata literula *Sauranus*, & Sauerenus, qui è *Muskereia* montibus profusus primariam Comitatus vrbem illam Episcopali dignitate (cui Clonensis Cathedra adiuncta, insignem præfluit, quæ *Corcagia* Giraldo, *Corcke* Anglis, & *Korcach* indigenis, mœnium ambitu quasi ouali conclusa, flumine circumfusa atq; interdiuisa, nec nisi per pontes peruia, & vna quasi directa platea quæ ponte iuncta protensa; Emporiolum tamen frequens, & celebre, sed ita seditiosis vicinis circumsessa, vt perpetuas excubias agitent, quasi perpetua obsidione essent incincti, & in agrum filias elocare non audeant, vnde contractis inter se nuptijs ciues omnes aliquo affinitatis gradu se inuicem contingunt. Briocum illum virum sanctissimum qui fœcundo illo Sanctorum seculo apud Gallos floruit, & à quo *Sanbriochiana* in Britannia Armorica, diœcesis vulgò S. *Brieu* nomen assumpsit, hinc oriundum esse perhibent.

Hispani in Hibernia appulsi, & expulsi.

Kerry-wherry.

Daurona fl.

Corke.

S. Briocus.

Sub *Corcagia* flumen dispertitum amplam & perquam amœnam amplectitur insulam è regione habitationis præcipuè familiæ vetustissimæ & admodum inclytæ *Barrorum*, siue *Barrensium*, quæ hinc *Barry Court* dicta. Illa enim a Roberto Barrensi Anglo deducta, viro sane spectabili, qui tamen *inter primos præcipuus esse magis volebat, quàm videri primus qui in Hibernia expugnanda ictum suscepit & læsionem, primusque qui in Hibernia nisum mansuefecit*. Eius autem posteri fide & bellica virtute, primùm titulum Baronis *Barry*, posteà Vicecomitis *Butiphant* ab Angliæ Regibus accipere meruerunt, & ob latifundia & opes cognomen *Barry more*, id est, *Magni*, apud populum reportârunt. Pauloque inferiùs *Sauerenus* iuxta *Imokelly* amplam possessionem iampridem Comitis *Desmoniæ* Oceano se ostio portuoso committit.

Barones Barry.

G. Cambr.

Vicecomites Butiphant.

Vtque *Sauerenus* inferiorem huius regionis partem irrigat, sic *Broodwater* olim *Auen-more* .i. *Fl. magnum* superiorem perfundit, cuius accola est nobilis familia de *Rupe*, siue *Roche* ex Anglia translata quæ fœliciter hic succreuit, & titulo Vice-comitis *Fermoy* gaudet. Baronis Parlamentarij honore Edwardo II. regnante gauisos esse certum, cùm Georgius de *Rupe* ducentis Marcis mulctatus fuerit, quòd ad Parlamentum Dubliniæ habitum euocatus, non accesserit. Quà *Broodwater*, qui aliquandiu limes hunc Comitatum & *Waterfordensem* interfluit, in mare conditur, portumque efficit, *Yoghall* sedet, non magna illa quidem sed vndique cincta muris, forma oblonga, bifariamque diuisa, pars superior & maior in Septentriones porrecta habet Ecclesiam, & extra mœnia monasteriolum quod Septentrionale. i. *North-Abbay* vocant, inferior ad Austrum *The base-towne* dicta, suum etiam habuit adiunctum Monasterium *Australe* dictum, Portusque commoditas quæ suum habet * cothonem munitum, & regionis vicinæ fœcunditas mercatores ita inuitat, vt satis sit frequens, & *Maiorem*, pro summo magistratu habeat. Huc vsque hodie pertingit Comitatus Corcagiensis, qui olim. vt modò dixi, Regnum censebatur latiusq; pertigit, scilicet Desmoniam etiam complexum. Quod Henricus Secundus donauit & concessit Roberto filio Stephani, & Miloni de *Cogan* his verbis. *Sciatis me concessisse totum regnum de* Corck, *excepta ciuitate & Oustmanorum Cantredo, tenendum ipsis & hæredibus de me, & Ioanne filio meo per seruitium sexaginta Militum*. Et ab illius *Filij-Stephani* hærede genus rectâ serie ducit Georgius *Carew* nunc Baro *Carew* de

Baro Roche Vicecomes Fermoy.

Pr. 9. Pat. an. 8 E. 3.

Yoghall.

* The Kay.

Regnum de Corck.

Clopton,

Clopton, qui non ita pridem *Momoniæ* Præses, & mihi, quod agnosco, in nonnullis Hibernicis lubens præluxit.

COMITATVS *WATERFORD.*



D plagam Orientalem inter flumina *Broodwater* ab Occasu, *Suirum* ab Ortu, Oceanum ab Austro, & *Comitatum Tiperariensem* ad Septentrionem panditur *Comitatus Waterfordiensis*, sua amœnitate & fœcunditate regio sanè læta. Ad *Broodwater* vbi primùm Corcagienses reliquerit, *Lismor* cernitur Episcopali sede nota, cui olim præfuit Christianus Episcopus, & Hiberniæ Legatus circa annum CIϽCXLVIII. de Ecclesia Hibernica optimè meritus, in iisdem claustris cum S. Bernardo & Eugenio Papa Clareualli iuuenis educatus. Nunc verò ex quo possessiones pleræque omnes abalienatæ, Waterfordensi Episcopatui adunatur. Propè verò ostium *Ardmor* est viculus, de quo & hoc flumine olim Nechamus.

Lismor. Christianus Episcopus.

Ardmor.

Vrbem Lissimor *pertransit flumen* Auenmor,
Ardmor *cernit vbi concitus æquor adit.*

Dessee territoriolum adiunctum dicitur, cuius Dominus è familia *Desmonia* Vicecomitis *Desse* titulum honorarium nostra memoria accepit, sed cùm prolem non progenuerit masculam, vnà cum illo breui intercidit. Haud procul *Dungaruan* castro satis munitum & statione satis commodum mari apponitur, quod cum eiusdem Baronia Ioanni *Talbot* Comiti Salopiæ Rex Henricus Sextus munificè concessit, sed postea cùm opportunè situm ad illam *Momoniæ* partem in ordinem redigendam videretur, imperiali *Corona* Regum Angliæ in perpetuum Parlamentaria authoritate fuit adnexum. *Poerij* antiquæ nobilitatis ab ipsa Hibernia per Anglos debellata iuxtà floruerunt titulo Baronis de *Curraghmore* honorati. Verùm ad *Suiri* ripam *Waterfordia* prima & præcipua huius Comitatus ciuitas conspicitur. De qua Nechamus.

Dessee.

Dungaruan.

Poerij Barones de Curraghmore.

Waterford.

Suirius *insignem gaudet ditare* Waterford,
Æquoreis vndis associatur ibi.

Hæc vrbs *Porthlargy* Hibernis & Britannis, *Waterford* Anglis appellata, a Norwegis Piratis constructa, quamuis cœlo sit crassiusculo, solo minùs læto, & angustioribus coarctata vicis; ea tamen portus est opportunitas, vt opulentiâ & frequentiâ secundas in Hibernia ferat, fide & obsequio in imperium Anglicum semper singulari. Ex quo enim Richardus Comes Penbrochiæ expugnauit, Anglis Hiberniam subigentibus tutam fide sua, & quiete, securamque a tergo pacem semper præstitit. Vnde Reges Angliæ plurimas, & maximas immunitates concesserunt, quas Henricus Septimus auxit & confirmauit, eò quòd contra ementitum illum principem *Perkinum Warbeck* qui vltimæ sortis iuuenis plenis impudentiæ velis ad summum regiæ dignitatis gradum enitebatur, dum personam Richardi Ducis Eboracensis filij Edwardi Quarti natu minoris indueret, ciues fortissimè prudentissiméque se gessissent.

Comes Waterfordiæ.

Hunc Comitatum *Waterfordiæ* vnà cum ciuitate dedit Rex Henricus Sextus Ioanni *Talbott* Comiti Salopiæ, quem modò dixi, his verbis, quæ cùm viri illius bellicosissimi virtutem testentur, vt virtuti suus constet honos, ex Regijs Archiuis apponere operæpretium mihi videtur (fortasse etiam & cuipiam alteri videatur) *Nos igitur* (inquit Rex post alia, scribarum eius æui eloquentia cùm Latinitas laboraret) *strenuam probitatem charissimi & fidelis consanguinei nostri Ioannis Comitis* Salopiæ *&* de Weysford, *ac Domini de* Talbot *de* Furniuall *& Le* Strange *vsque ad sui senium in guerris prædictis in corpore non minus sudoroso, quàm etiam multotiens sanguinis effusione rubricato satis expertam debita consideratione*

consideratione pensantes, intendentesque qualiter Comitatus & Ciuitas nostri Waterford *in terra nostra Hiberniæ, Castrum, Dominium, Honor, terra & Baronia de* Dungaruan *ac omnia Dominia, terræ, Honores & Baroniæ, cum pertinentijs infra eundem Comitatum quæ per rebellium forisfacturam, reuersionem, seu decessum alicuius personæ siue aliquarum personarum, Escaetam, aut aliquem alium iuris titulum ad manus nostras, seu progenitorum nostrorum deuenire, seu in eisdem esse debent: per hostiles inimicorum & rebellium nostrorum inuasiones in partibus illis adeò sunt desolata & guerrarum spolijs in tantum subiacent, quasi totaliter deuastata, quod nobis non ad proficuum sed ad perditum redundârunt sæpiùs & redundant; pro eo quoque quod per eundem consanguineum nostrum prædicta terra nostra Hiberniæ in partibus illis contra huiusmodi inimicorum & rebellium nostrorum insultus potentiùs defendatur, ipsum in Comitem* Waterford *vnà cum stilo, & titulo, & nomine, & honore eidem debitis ordinamus, præfecimus, & creamus. Et quia crescente status celsitudine necessariò crescunt & omnia, de gratia nostra speciali & certa scientia & mero motu nostris, & pro statu ipsius Comitis consanguinei nostri modo decentius manutenendo dedimus, concessimus, & his literis nostris confirmauimus eidem Comiti Comitatum prædictum vnà cum prædictis stilo, titulo, nomine, & honore Comitis* Waterford, *ac prædictam ciuitatem cum feodi firma eiusdem Castra, dominia, Honores, terras & Baronias cum pertinentijs infra Comitatum illum, nec non omnia & omnimoda maneria, hundreda, wapentagia, & c. per totam maris Costeram à villa* Yoghall *vsque prædictam Ciuitatem* Waterford. *Habenda & tenenda, prædictum Comitatum* Waterford, *stilum, titulum, nomen & honorem Comitis* Waterford, *ac prædictam ciuitatem* Waterford *Castrum, dominium, Honorem, terram, & Baroniam de* Dungaruan: *ac omnia alia dominia, honores, terras & Baronias infra eundem Comitatum, nec non omnia & singula prædicta maneria, hundreda, &c. præfato Comiti & hæredibus masculis de corpore suo exeuntibus de nobis, & hæredibus nostris, per homagium, fidelitatem & seruitium essendi, & quod sit Senescallus noster, & hæredes sui sunt Senescalli nostri, & hæredum nostrorum Hiberniæ, in tota terra nostra Hiberniæ, ad faciendum & faciat, in eodem officio suo facere debet ipse, quod & prædecessores sui Angliæ Senescalli in officio illo hactenus facere consueuerunt in perpetuum. In cuius rei testimonium* &c. Senescallus Hiberniæ.

Cùm tamen Angliæ Regibus & proceribus quibus amplæ in Hibernia possessiones primùm bellis Gallicis, postea internis diu distentis, Hibernia esset quasi posthabita, res Anglorum ibidem dilapsa ferè iam defluxisset, & Hibernicorum ex ipsorum absentia, supra modum inualuisset, à regni Ordinibus ad damna resarcienda, & Hibernicorum vires infirmandas scitum & sancitum erat vt Comes *Salopiæ* hoc Comitatu, Dux Norfolciæ, Baro *Barkley*, hæredes femellæ Comitis *Ormondiæ*, & omnes Angliæ Abbates, Priores, &c. quibus prædia erant in Hibernia, ob absentiam & incuriam in suis tutandis, Regi & suis successoribus, omnibus cederent in perpetuum possessionibus. An. 28. H. 8.

COMITATVS
LIMERICK.



MAritimos *Momoniæ* Comitatus hactenus obiuimus, duo supersunt mediterranei *Limiricensis* & *Tipperariensis*, quos iam adeamus. *Limericensis Comitatus* ab tergo *Corcagiensis* ad Septentrionem inter *Kerry*, *Shanon* flumen & *Tipperariensem* agrum obiacet; fertilis & frequens regio, sed quæ paucula ostendit melioris notæ loca. Pars Occidentalior *Conilagh* dicitur, in quo inter colles *Knoc-Patric*, .i. *Patricij collis* surgit celsissimus, & amœno in mare prospectu *Sineum* siue *Shanon* flu. Oceano Vergiuio vasto ostio illabentem è longinquo prospectat, sub quo colle diu honore vixerunt *Fitz-Giraldi*, donec Tho. dictus *Eques de Vallibus* siue *de Glin*, cùm filius impius incendiarius fuisset extremo supplicio affectus, (villas enim & ædes incendere crimen est læsæ Maiestatis iuxta Hiberniæ Conilagh. Knoc-Patric. Knight of the Valley. R. Eliz. Anno xi.

berniæ leges) quòd ipse filio scelerum author fuerit, amplis possessionibus authoritate Parlamentaria fuit mulctatus. *Limiricum* huius Comitatus vrbs est primaria, quam diuiso alueo *Sineus* siue *Shanon* fluuius nobilissimus circumfundit, Hibernicis *Loumeagh*, Anglis *Limirick*. Sedes hæc est Episcopalis, & Emporium *Momoniæ* admodum celebre, à Reimundo *Crasso* Anglo Guilielmi Giraldi filio primùm expugnatum, posteà à Duuenaldo Hibernico *Thuetmoniæ* regulo incensum, deinceps Philippo *Breoso* Anglo in *feodum* datum, & à Ioanne Rege castello munitum. Hodie duplex est, Superius quod vocant, in quo Cathedralis Ecclesia & castrum, duabus patet portis quę suos habet è saxo pulchros pontes cum propugnaculis & ponticulis versatilibus, quorum alter in Occasum ducit, alter in Ortum, cui inferiùs annectitur opidum mœnibus obuallatum cum suo etiam castro & propylæo. Magis ad Ortum est *Clan-william* hoc nomen tribus Willielmi è familia de *Burgo* (*Bourk* Hibernici vocant) quæ incolit nomen fecit, & è qua Guilielmum, qui Iacobum *Fitz-Moris* patriæ turbinem occidit, honore Baronis de *Castell-Conell* (vbi Richardus Rufus Vltoniæ Comes castrum firmauerat) cum annua pensione in virtutis præmium & solatium pro liberis in eo prælio cæsis Regina Elizabetha donauit. In Australi huius Comitatus parte est *Kill-Mallo* secundum à *Limirico* & copia & frequentia, mœniumque ambitu inclusum, & *Adare* munitum olim opidulum ad eundem fluuium qui statim in *Sineum* exoneratur, cui adiacet *Glan-Gibbon*, cuius Dominus Ioannes *Fitz-Girald* dictus Ioan. *Oge Fitz-Iohn Fitz-Gibbon*, & ob canescentes capillos *The white Knight*, Parlamentario decreto ob scelera fuit proscriptus, sed filius Reginæ Elizabethæ clementia in integrum restitutus. Clarioris notæ & nominis in hoc tractu sunt, præter *Bourkos* illos, & *Giraldidas* siue *Fitz-Giralds*, *Lacei*, *Browni*, *Hurleai*, *Chacai*, *Sapelli*, *Pourcelli*, qui omnes generis Anglici, & *Mac-Shees*, *Mac-Brian*, & *O Brian* &c. Hibernici.

Limirick.

Clan-William.

Baro de Castell-Conell.

Clan-Gibbon.

13. Eliz. Fitz-Geralds.

COMITATVS TIPPERARY.



Ipperariensis Comitatus quà Sol occidit agro Limiricensi & *Shanon* flumine, quà oritur *Kilkenensi*, ad Meridiem *Corcagiensi* & *Waterfordensi*, ad Boream territorio familiæ *O Caroll* circumscribitur. Pars Australis agri fertilitate eximia & annonæ copia luxuriat, satis consita ædificijs. Occiduam partem longo cursu *Glason* flumen perfundit, a cuius ripa parùm abest *Emely* siue *Awn* sedes Episcopalis quam olim frequentissimam fuisse vrbem perhibent. Mediam intersecat *Sewerus*, qui etiam *Swirus*, flu. nobile qui è *Bladina monte* profusus per *Osseriam* inferiorem quæ *Butleris* Comitis *Osseriæ* titulum beneficio Regis Henrici Octaui, & *Thurles* qui illis Vicecomitis honorem præbet, primùm *Sanctæ Crucis* celeberrimum olim monasterium adit (vnde & regio adiacens *Comitatus Sanctæ Crucis* Tipperariensis vulgo dicitur) suisque gaudet immunitatibus in honorem particulæ Crucis Dominicæ ibi asseruatæ olim concessis. *Ligno* (inquit S. Cyrillus) *Crucis vniuersus terrarum orbis per partes repletus: & tamen iugi miraculo*, vt habet S. Paulinus, *detrimenta non sensit.* Hoc enim credidit Christiana antiquitas. Et incredibile quot perpetuò religionis ergô huc tanquam ad locum sanctum etiamnum confluunt; ea est huius gentis in auita religione perseuerantia, quam supina præsulum oscitantia, & ignorantia supra modum adauxit, cùm non sint qui doceant.

Emeley.

Osseria inferior.

Comitatus S. Crucis de Tipperary.

Lignum Crucis.

Cassiliam inde *Swirus* prętermeat Archiepiscopali dignitate ab Eugenio Tertio Pontifice Romano exornatam, cui plures quondam subfuerunt Episcopi. Defluit inde flu. insulas subinde spargens, & circumfluit *Cahir* castrum, quod habet è *Butlerorum* familia Baronem ab Elizabetha Regina euectum, sed eius filius violatę fidei labe se aspersit, & luit, castro ab Essexiæ Comite anno CIↃIↃXCIX capto, & ipso in carcerem coniecto. Hinc per *Clomell* mercatum satis frequentem, munitione tutũ, & *Carick Mac-Griffin* rupi affixam vnde & nomen inditum, Comitum *Ormendiæ* habitationem prolabens (quam cum

Cassilia.

Baro de Cahir

Clomell.

cum honore Comitis *Caricki* Edmundo *Boteler* siue *Butler* Rex Edwardus Secundus concessit) *Tipperarienses* relinquit, & inter *Waterfordiensem*, & *Kilkeniensem* Comitatum limitis vice fungitur. Comes Carick. Anno 9. Ed. 2.

Hæc in Australi huius Comitatus parte, quæ verò ad Boream macra & sterilior excelsis montium cacuminibus assurgit, & duodecim præ cæteris quasi quadam congerie *Phelem-ge-Modona* vocitant. Hæc Latinè *Ormondia* dicitur, Hibernicis *Orwown*, id est, *Frons Momoniæ*, Anglis *Ormond*, & plurimis corruptissimè *Wormewood*, cuius tota celebritas est è Comitibus quos plures nominat a Iacobo *Butler* cui & hęredibus Edwardus Tertius hunc honoris titulum ad vitam, & *Regalitatem aliasque libertates cum feodis Militum in Comitatu Tiperariensi*, contulit, quibus illius posteri gratia Regum Angliæ adhuc gaudent, vnde hic Comitatus Palatinus censetur, & ille a nonnullis Comes *Tiperariæ* fuit appellatus. Ormondia. Butleri Comites. Ormondiæ. Anno 2. E. 3. Comes Tiperary.

Iacobi huius maiores iam olim honorarij erant Hiberniæ Pincernæ, & inde illis hoc cognomen *Le Boteler* siue *Butler* impositum, arctissimaque affinitate S. Thomam *Beckettum* Archiepiscopum Cantuariensem attigisse certum est, ex eius vtrique sorore genus trahunt, & post eius cædem, in Hiberniam à Rege Henrico Secundo fuisse translatam, qui existimauit se facti inuidiâ deoneraturum, si Thomæ affines prouentibus, & honoribus adaugeret.

Primus huius familiæ *Ormondiæ* Comes Iacobus filius Edmundi Comitis *Caricki* duxit filiam Humfredi *Bohun* Comitis Herefordię è filia Regis Edwardi I. vnde primus ipsi ad hunc honorem gradus; filius eius Iacobus ex hoc matrimonio natus hinc *Comitis Nobilis* agnomen apud populum reportauit. Iacobus Quintus ex his Comes (ne singulos persequar) accepit ab Henrico Sexto titulum & honorem Comitis *Wiltoniæ sibi & hæredibus de corpore*, qui Hiberniæ Prorex, vt alij nonnulli ex hac stirpe, & Angliæ Thesaurarius, ab Edwardo Quarto proscriptus statim captus & obtruncatus, fratresque eius proscripti latuerunt, Ioannes Hierosolymis obijt sine prole; Thomas gratia Henrici VII. natalibus taudē erat restitutus qui obijt CIↃDXV. duabus relictis filiabus Anna, quæ enupta Iacobo de *S. Leodegario* siue S. *Leger* & Margareta Guiliel. *Bollein*, cui hæc peperit Tho. *Bollein* quem Henr. VIII. primùm Vicecomitē *Rochfort*, postea *Wiltoniæ* & *Ormondiæ* Comitē creauit, cùm filiam eius Annam *Bollein* duxisset, quæ Angliæ peperit Elizabetham Reginam grata memoria ab Anglis æternùm prosequendam. Thoma *Bollein* demortuo, Petrus siue *Pierce Butler* vir magnę in Hibernia potentiæ è Comitum stirpe, quem Henricus Octauus priùs *Osseriæ* Comitem creauerat, *Ormondiæ* etiam titulum consequutus est, filioque Iacobo reliquit, cui è filia & hærede Iacobi Comitis *Desmoniæ* natus Thomas Comes *Ormondiæ* iam superstes in multis rebus dubijs fide spectatissima, qui vnicam filiam Theobaldo *Butler* fratris filio, quem Rex Iacobus Vicecomitem *Tullo* nuper creauit, matrimonio coniunxit.

Quòd verò nonnulli Hibernici, & qui fide digni videri volunt, homines quosdam in hoc tractu quotannis in lupos conuerti affirmant, fabulosum sanè existimo, nisi fortè illâ exuberantis atrę bilis malitiâ, λυκανθρωπία medicis dicta, corripiantur, quæ eiusmodi phantasmata ciet, vt sese in lupos transformatos imaginentur. Nec ego aliud de Lycaonibus illis in Liuonia transmutatis, de quibus multi multa produnt, affirmare ausim. Homines in lupos conuersi. Lycanthropia morbus.

Hactenus de Prouincia *Momonia*, ad quam gubernandam Elizabetha Regina cùm de bonis commodisque Hiberniæ prudentissimè rationem iniret, Præsidem qui esset vindex temeritatis, & moderator officij cum Adsessore, duobus Iurisconsultis, & Scriba constituit, primumq; Præsidem Warhamum *S. Leger* virum Equestri dignitate, & plurimo in rebus Hibernicis vsu anno CIↃ D. LXV. præfecit. Præses Momoniæ.

LAGENIA,
siue
LEINSTER.



Ltera Hiberniæ pars incolis Leighnigh, *Britannis* Lein, *Anglis* Leinster, *scriptoribus Latinis* Lagenia, *& in antiquis Sanctorum Vitis* Lagen, *tota maritima ad Ortum iacet*, *à* Momonia Neoro *fluuio, quem multis tamen in locis transcendit*, *à* Connacthia *aliquandiu* Sineo, *à* Midia *suis limitibus terminata. Fertilis & frugifer aest terra, mitissimo cœlo, & incolæ ad humanitatem, & cultum vicinæ Angliæ e qua magna ex parte orti, quàm proximè accedunt. Ptolemæi ætate sedes erat* BRIGANTIBVS, MENAPIIS, CAVCIS, & BLANIS, *& ab his* Blanis *fortassè deducta, & contracta illa recentiora nomina* Lein, Leinigh, *&* Leinster. *Nunc autem distinguitur in Comitatus* Kilkenny, Caterlogh, Queens County, Kings County, Kildar, Weisford, *&* Dublin : *vt* Wicklo, *&* Fernes *qui iam sunt additi, aut addendi, taceam.*

BRIGANTES
siue
BIRGANTES.



Birgus nunc Barrow.

RIGANTES *sedisse videntur inter Suiri ostium, confluentesque* Neori *&* Barrowi *qui* BRIGVS *Ptolemæo dicitur. Quia verò Brigantium vrbs fuerit antiqua in Hispania* BRIGANTIA *dicta, omnem mouet lapidem Florianus* del Campo, *vt hos* BRIGANTES *ex sua deducat Hispania. Si verò huiusmodi coniecturæ sit locus, alij æquè probabiliter à nostris Brigantibus, quæ gens vicina, & numerosissima, deduxerint. Sin autem verum sit, quod quædam exemplaria habent, hos* BIRGANTES *dictos fuisse, cornicis oculos & ille & alij confixerunt* : A BIRGO *enim flumine quod circumcolunt, nominatos fuisse, ipsum nomen fere persuadeat. Hi autem siue* BRIGANTES *siue mauis* BIRGANTES *incoluerunt* Comitatum Kilkeniensem, Osseriam, *&* Caterlogh *qui omnes* BIRGO *fl. irrigantur.*

Birgantes.

COMITATVS
KILKENNY.



County of Kilkeny.

Ilkeniensis Comitatus ab Occasu *Tiperariensi*, ab Ortu *Weisfordensi*, & *Caterlogensi*, ab Austro *Waterfordensi*, à Septentrionale *Reginæ Comitatu*, & a Circio *Osseria* superiori definitur. Ager opidis & castris vndique spectatissimus, omniumque rerum copia præcellens. Iuxta *Osseriam* vasti montes *Sleiew Bloemy*, *Bladinæ montes* vocat Giraldus, conuexis iugis immensùm se attollunt, è quorum visceribus quasi maternis *Suirus* quem dixi, *Neorus*, & *Birgus* æduntur, & diuisi alueis decurrentes, priusquam Oceanum adeunt, concordibus se consociant aquis, vnde *Tres sorores* ab antiquis dictæ.

Bladinæ montes.

Neorus vulgò *Neure* Comitatum *Kilkenny* quasi medium perstringit, cùmque prono cursu per *Superiorem Osseriam*, quæ suum primum habuit Baronem Barnabam *Fitz-Patric* ab Edwardo Sexto eò honoris euectum, delatus, multis vtrinque propugnaculis fuerit affusus, *Kilkenny* præterfluit, id est, *Cella*, siue *Fanum Canici*, qui antiquitus ob vitæ solitariæ

Vpper Ossery. Baro Osseriæ Superioris. Kilkenny.

solitariæ sanctitatem hac regione maximè inclaruit. Municipium est nitidum, elegans, copiosum, & inter mediterranea huius insulæ facilè primum. Diuiditur opidum in Hibernicum, & Anglicum; Hibernicum quasi suburbium est, & templum illud Canici habet, quod & nomen dedit, & Episcopo Osseriensi sedem præbet. Anglicum verò opidum multò est recentiùs, à Ranulpho tertio Cestriæ Comite, vt legi, constructum, mœnibusque ab Occasu à Roberto *Talbotto* viro nobili, & castro à *Butleris* firmatum. Certum autem est in diuisione terrarum inter filias Guilielmi *Marescalli* Comitis Penbrochiæ, filiæ tertiæ obtigisse, quam duxit Gilbertus de *Clare* Comes Glocestriæ. Inferiùs ad eundem *Neorum* sedet opidulum munitum, Anglicè *Thomas towne*, Hibernicè *Bala-mac-Andan*, id est, *Opidum filij Anthonij*, vtrumque nomen ab extructore Thoma *Fitz-Anthonie* Anglo qui floruit sub Henrico Tertio, inditum est, cuius hæredes etiamnum huius Domini agnoscuntur. Sub hoc *Callan* fluuius in *Neorum* suas vndas euoluit, ad quem eiusdem nominis est tertium huius Comitatus Municipium, sic quæ vulgus *incorporata opida* dicunt, appellare lubet, vt *Inis-Teog* quartum. Thomas Towne. Callan. Inis-Teog.

Butlerorum familia per hunc Comitatum longè latéque ramos diffudit, qui summo honore effloruerunt, & ob virtutes illustrati fuerunt titulis Comitum *Ormondiæ*, *Wiltoniæ* in Anglia, & *Osseriæ*, vt iam dictum, hodieque supersunt præter *Ormondiæ* Comitem Vicecom. *Thurles*, & Ordinis Georgiani socium, ex hac stirpe Vicecomes *Mont-Garret*, Vicecomes *Tullo*, Barones de *Dunboyn*, & *Cahyr* & numerosa nobilium progenies. Reliqui huius tractus nobiliores sunt etiam Anglicæ originis, vtique *Graces*, *Walshes*, *Louels*, *Foresters*, *Shortels*, *Blanch-felds*, siue *Blancheuelstons*, *Drilands*, *Comerfords*, &c.

COMITATVS CATERLOGH.



CAterlogh Comitatus contractè *Carlogh* ad Orientem solem *Kilkenniæ Comitatui* adnectitur, totus ferè inter *Birgum* siue *Barrow*, & *Slane* flumina intersitus, gleba fertilis, & syluis satis opacus, duo habet clarioris notæ opida vtrumque ad Occiduam *Birgi* fluminis ripam, *Caterlogh*, quod mœnibus armare cœpit Leonellus Dux Clarentię, & Bellinghamus ille laudatissimus Prorex castello communiuit: & *Leighlin*, Latinè *Lechlinia*, vbi cathedra fuit Episcopalis *Fernensi* sedi iam adunata. Vtrumque suum habet præsidium, & suos qui præsunt Constabularios. Cùmque huius Comitatus pars maxima iure hæreditario ad *Howardos* Norfolciæ Duces spectauerit (qui à filia Guilielmi *Marescalli* Comitis Penbrochiæ natu maxima per *Warrenniæ* Comites genus traxerunt) Henricus Octauus & ipsis & alijs Angliæ nobilibus & monasterijs Angliæ ex Ordinum regni consensu omnia eorum prædia & possessiones in Hibernia sibi arripuit, eò quòd Domini eorum absentes priuata per incuriã negligendo, etiam publica in periculum deuocauerint. The Statute of Absentie.


Hinc *Barrow* Baroniam *Ydron* intermeat, quæ ad *Carewos* Deuonios iure spectauit, ex quo N. de *Carew* Miles Anglicus Digonis Hibernici Baronis filiam in vxorem duxerat, quamque diu à malæ fidei possessoribus occupatam Petrus *Carew* postliminij iure nostra memoria recuperauit. Baronia Ydron.

Ad *Slanam* flumen *Tullo* cernitur, memorandum hoc nomine quòd Theobaldum *Butler* Comitis Ormondiæ è fratre nepotem titulo Vicecomitis *Tullo* honore nuper adornauit Rex Iacobus. *Cauanaghi* hic circumquaque agunt, qui à Duuenaldo Dermicij vltimi Lageniæ Regis iuniore, siue notho (vt aliqui tradunt) filio oriundi, in numerosam familiam propagati, viri bellicosi, reique equestris gloria insignes, & qui antiquam adhuc in summa paupertate spirant nobilitatem. Sed ob nescio quæ inuicem homicidia ante multos annos admissa capitali odio dissidentes, per mutuas iniurias & clades se quotidie conficiunt. Ex his autem cùm Angli quosdam suis in Hibernia possessionibus præfecissent, circa Edwardi Secundi tempora regionem sibi vsurparunt, & *O More* nomen Cauanaghis. O More. Ex libello Patricij Finglas.

 assump-

assumpserũt, consociatisq; sibi *Tolis* & *Brenis* Anglos paulatim è regione inter *Carterlogh* & mare Hibernicum submouerunt. Inter hos *Neorus* & *Birgus* aquas commiscent, & pauca hinc milliaria vno alueo emensi *Suiro* sorori maximę, & nomen & aquas offerunt suas, qui statim in Oceanum scopuloso ostio immergitur, vbi a sinistra angusta ceruice excurrit promontoriolum quod æditam turriculam nauigantibus prætendit, à *Rossensibus* mercatoribus cum floruerunt, positam, quò tutius ostia subirent. Hooke towre

REGINÆ COMITATVS siue *Queenes Countie.*



Lease. Mary-burg.

SVper *Caterlogh* ad Circium expanditur regiuncula syluestris & vliginosa *Lease* Hibernicè; *Queenes County* Anglicè, id est, *Reginæ Comitatus*, a Maria Regina in Comitatum institutus curante Thoma *Ratcliff* Sussexiæ Comite tunc Prorege qui in ordinem redegit. Vnde primarium opidum *Mary-Burgh* dictus, vbi cum suo Seneschallo præsidiarij agunt qui se ægrè defendunt contra *O Moores*, qui se vt antiquos huius Dominos gerunt, *Mac-Gilpatric*, *O Dempsios* & alios, malefica & tumultuosa hominum genera, qui ad Anglos disturbandos, & legum iugum excutiendum nihil non quotidie moliuntur. Ad asperam hanc & hostilem partem domandam Meilerius cùm Angli primùm aduenerint missus erat, cui Hugo Lacy qui Hibernię prefuit castrum apud *Tahmelio*, vt alterum apud *Obowy*, tertium ad *Barrow* flu. & quartum apud *Norrach* erexit. Inter cætera autem præminuit *Donemaws* castrũ antiquum in agro vberrimo positum quod ad *Breosos* Dom. de *Brecknocke* per Euam filiam Guilielmi Marescalli Comitis Penbrochiæ natu minimam hæreditariò accessit, & quà *Barrow* qui ex *Slew Blomey* montibus ad Occasum exortus, solitarius inter syluas pererrat, antiquam illam vrbem RHEBAM videt, quæ nomine etiamnum sarto tecto *Rheban* dicitur, sed pro vrbe planè est, vt inquit ille, πόλις ἄπολις, pauculæ scilicet casulæ cum propugnaculo, nobilem tamen virum N. de S. *Michaele* Baroneti titulo ornat, qui vulgò *The Baronet of Rheban* nuncupatur.

Donemaws. Rheba. Baronet de Rheban.

REGIS COMITATVS, *Kings Countie.*



Offalia. Philips-town

VT quem dixi *Comitatus Reginæ* in Mariæ Reginæ honorem fuit dictus, ita regiuncula quæ proximè contermina ad Boream *Birgo* interlabente diuisa & quondam *Offalia* dicta, in honorem Philippi Regis Hispaniarum eius mariti *Regis Comitatus* appellatur & primarium opidum *Philips towne*, vbi Seneschallus cum præsidio locatus, & Anglici generis nobiles *Warrenni*, *Herberti*, *Colbeij*, *Mori*, *Leicestrij* inter Hibernicos *O Conor*, ad quos olim magna pars huius spectauit *Mac Coghlã*, *O Maily*, *Fox*, & alios agros a maioribus partos strenuè conseruant. Conqueruntur autem hi Hibernici indigenæ patrimonia sibi adempta, nec alios alibi agros sibi assignatos vbi viuerent; vnde qualibet tumultuandi occasione arrepta, plurimum negotij Anglis incolis subinde facessunt & in rebelliones vindicibus animis hostili odio imbutis sæpenumero furenter prorumpunt.

COMITATVS KILDAR.



HIS ad Solem orientem longo tractu prætenditur *Kildariensis Comitatus*, ager lætissimus, de cuius pascuis Giraldus Cambrensis illos Virgilij versus vsurpat:

Et quantum longis carpunt armenta diebus,
Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponit.

Kildaria primum & præcipuum est opidum, cui honori erat inprimis Ecclesiæ Hibernicæ incunabulis Brigida virgo sanctitate, & virginitate venerabilis (non illa quę Brigidiensium sororum ordinem ante annos plus minus CCXL. instituit, vt vno monasterio & monachi & virgines parietibus & aspectu separati agerent) sed multò antiquior, ante annos scilicet mille S. Patricij discipula per Hiberniam, Angliam & Scotiam nominatissima. Cuius miracula & ignem inextinctum tanquam in Vestæ adytis penetralibus a virginibus sacris asseruatum cinere nunquam excrescente scriptores commemorârunt. Hæc *Kildaria* cathedra ornata est Episcopali qua Papalibus literis olim *Darensis* dicta. Hæc Richardi Comitis Penbrochiæ fuit habitatio, postea Guilielmi *Marescalli* Comitis itidem Penbrochiæ eius generi, per cuius filiam quartam Sibillam ad Guilielmum de *Ferrarijs* Comitem Derbiæ, & per eius itidem ex ea filiam ad Guil. *Vescy*, cuius filius Guilielmus *Vescy* Iustitiarius Hiberniæ cùm Regis Edwardi Primi gratia excidisset ob simultates inter ipsum & Ioannem filium Thomæ *Giraldi*, filioq; legitimo orbatus esset, concessit *Kildariam* & alias in Hibernia terras Regi, vt filium nothum de *Kildare* cognominatum de alijs in Anglia terris suis *feofaret*. Paulòq; pòst Ioannes ille filius Thomæ Giraldi, cuius maiores (quibus genus à Giraldo de *Windesora* Castellano Penbrochię) in expugnanda hac Insula summa cum virtute desudauerant, ab Edwardo Secundo Rege Angliæ *Castro & villa Kildariæ* donatus erat *cum honore & nomine Comitis* Kildariæ. Familia hæc *Fitz-Giraldorum*, vel vt nunc vocant *Geraldinorum*, sane splendida, & rebus gestis est clarissima, per quam, vt inquit ille, *& maritima Walliæ Anglis retenta, & Hiberniæ mænia sunt expugnata*. Et diu sanè illæso honore & fama integra, hæc Kildariensis (vtique quæ nunquam in Principem arma tulit) effloruit, donec Thomas *Fitz-Girald* filius Giraldi *Fitz-Girald* Comitis *Kildariæ* & Hiberniæ Proregis sub Henrico Octauo, audito patrem qui in Angliam vocatus, & Hiberniæ malè administratæ postulatus, supplicio affectum; ex leui & falso rumore, inconsultæ temeritatis iuuenili feruore abreptus arma in patriam & Principem sumpserit, Carolum Quintum Imperatorem ad Hiberniam capessendam aduocauerit, regionem ferro, flamma latè vastauerit, Dubliniam obsederit, eiusque Archiepiscopum è medio sustulerit: ob quæ paulò pòst cum quinque eius patruis suspendio perijt, patre mœrore iam anteà confecto. Familiæ tamen splendorem Maria Regina in integrum restituit, cùm Giraldum fratrem Thomæ illius in *Kildaria* Comitem, & Baronem *Offaliæ* denuò erigeret, cui cùm duo filij Henricus & Guilielmus sine prole mascula defuncti successissent, titulus Comitis ad Giraldum *Fitz-Girald* eorum patruelem deuenit.

Kildar. S. Brigida. Archiuа Regia. Comites Kildariæ. Ch. 9. Ed. 1. N. 12.


Sunt etiam in hoc Comitatu melioris notæ *Naas* opidum mercatorium, *Athie* ad *Birgum* fl. *Mainoth* castrum Comitum Kildariæ, opidumque cui mercatum, & nundinas in gratiam Giraldi filij Mauritij Rex Edwardus Primus concessit. *Castle-Martin* primaria sedes familiæ *Fitz-Eustace* quæ à *Poerijs* in Comitatu *Waterfordiæ* exorta, ob virtutem honorem Baronis Parlamentarij Roulando *Fitz-Eustace* ab Edwardo Quarto cum *Manerio de Portlester* collatum, titulumque Vicecomitis *Baltinglas* ab Henrico Octauo accepit, quæ Roulandus *Fitz-Eustace* ob perfidiam patria extorris sub Regina Elizabetha amisit. Clariores quæ hîc supersunt familiæ præter *Fitz-Giraldos* siue *Giraldinos*, ex Anglia etiam stemma deducunt, scilicet *Ougani*, *De-la-Hide*, *Ailmeri*, *Walshi*, *Boiseles*,

Barones Fitz-Eustace. Pat. 2. Ed. 4. Vicecomes Baltinglas.

Gigantum chorea.

Whiti, *Suttoni*, &c. Gigantum verò choream quam ex hoc agro Merlinum arte Magica in planitiem Sarisburiensem transtulisse fabulantur, vt prælium quod futurum inter Anglos, & Hibernicos cruentissimum ad *Molleaghmast*, credulis fabulosę antiquitatis, & vanis vaticiniorum admiratoribus libenter relinquo. Non enim ego fabellis indulgere decreui. Hi Mediterranei sunt *Lageniæ* Comitatus, nunc maritimi sunt adeundi.

COMITATVS *WEISFORD.*



Menapij pop.

Carausius.

* Ab Andr. Schotto æditus.

Vb eo ostio quo *Birgus*, *Neorus*, & *Suirus*, sororij amnes se amplexi in Oceanum consociatis aquis conduntur, se exhibet ad Ortum in promontorio quo littus circumagitur *Weisford* siue *Wexford Comitatus* Hibernicè *County Reogh*, vbi olim MENAPII a Ptolemæo collocati. A Menapijs maritima inter Belgas gente hos Menapios aduenisse nomen quodammodo innuit. Verùm an ex his, vel illis Carausius ille fuerit, qui assumpta purpura Britanniam contra Dioclesianum occupauit, dixerint alij. Illum enim *Menapiæ ciuem* vocat * Aurelius Victor, & *Menapia* vrbs non in Belgica, sed in Hibernia à Geographis statuitur. In hoc ad *Birgum* fl. *Ross* vrbs ampla olim floruit, mercimonijs & habitatoribus frequens, ab Isabella Comitis Richardi *Strongbow* filia mœnibus magno ambitu armata, quæ solummodò nunc ostendit. Discordia enim inter ciues & religiosos flagrante iam pridem in nihilum ferè recidit.

Duncanon.

Magis ad Ortum *Duncanon* præsidiarium castrum flumini ita impendet, vt naues ne ad *Waterford*, vel *Roß* adeant, omninò imperat: vnde hunc locum cùm Hispani Hiberniæ anno CIↃIↃLXXXVIII. imminerent communire visum erat. Inde ad ipsum fluminis ostium ceruix excurrit angusta quæ æditam turriculam nauigantibus prætendit, a *Rossensibus* cùm floruerunt positam, quò tutiùs ostia subirent. Parum hinc abest sinuoso in littore *Tintern*, vbi celebre monasterium posuit Guilielmus *Marescallus* Comes Penbrochiæ & *De Voto* nuncupauit, quòd grauissima tempestate conflictatus se positurum voti sponsione Deo obstrinxit; & hunc in locum naufragio eiectus ex voto præstitit.

Tintern Monast. de Voto.

Hieron. prom. Byaun Hybernice Sacrum significat.

Hoc ipsum Promontorium HIERON .i. *Sacrum*, vocat Ptolemæus, & eadem significatione ab incolis etiam vocatum fuisse non dubitârim. Huius enim extremum opidum ad quod Angli primam excensionem in hanc insulam fecerunt, *Banna*, quod *Sacrum* sonat, lingua patria vocarunt.

The Groúds. Modona fl.

Slane fl. Weisford.

Ab hoc Sacro Promontorio littus in Ortum obuersum ad Septentrionem longo tractu procurrit, cui vadosa obiacent in mari loca nauigantibus insidiosa, quæ nautæ *The Grounds* vocant, Hic MODONAM fl. & ad eius ostium MENAPIAM vrbem statuit Ptolemæus, quæ ita suis nominibus exciderunt, vt aliquid lucis in tantis tenebris elicere planè diffidam. Verumenimuerò cùm vnum solummodo flumen hoc loco se effundit, quod Comitatum quasi medium interfecat, & nunc *Slane* dicitur, & ad eius ostium vbi stagnat, Vrbs sit Germanico nomine *Weisford*, totius Comitatus caput; & *Slane* MODONAM & *Weisford* MENAPIAM fuisse, confidentiùs coniectarim, eoque magis quòd hoc nomen sit recentius, nimirum Germanicum, & ab illis Germanis impositum, qui *Oustmanni* Hibernis appellantur. Cæterùm non primæ magnitudinis vrbs est, sed cum primis memoranda, quòd primùm totius Hibernię in Anglorum fidem, Stephanide Duce fortissimo oppugnante, se contulerit, Anglorumque facta fuerit colonia, vnde totus ager Anglis est refertissimus, qui Anglorum antiquo vestitu, & idiomate etiamnum vtuntur, ita tamen vt Anglo-Hibernicè planè loquantur. Dermicius qui Anglos in Hiberniam vocauit, hanc vrbem, & viciniam Stephanidi in perpetuum concessit, qui municipium, iuxtà incepit ad *Carricke* locumq; natura munitum arte iuuit. Sed cùm ille ius suum Regi Henrico Secundo in manus tradidisset, in R. Penbrochiæ Comitem ille transtulit, vt clientelari iure à se & Regibus Angliæ teneret, vnde per Comites Marescallos, *Valentios* è stirpè Gallica Lusigniana, & *Hastingos* ad *Greios* Dominos de *Ruthin* descendit, qui

passim

passim in antiquis chartis *Weisfordiæ Domini* nominantur, licèt regnante Henrico Sexto I. *Talbot* Salopiæ & Weisfordiæ Comes semel in actis publicis nominetur. De hoc flumine habe hunc qualemcunque Nechami versiculum.

Ditat Eniscortum *flumen quod* Slana *vocatur*,
Hunc cernis Weisford *se sociare sibi.*

Eniscort enim municipium huic imponitur, & interiùs ad eundem *Fernes* dignitate Episcopali solummodo clara, quam *Giraldidæ* castro olim communierunt. Iuxtà vltra *Slanam* agitant *Cauenaghi*, *Donelli*, *Montaghi*, *O Moori* Hibernici, ingenio turbulenti, & inter eos *Sinotti*, *Roches*, *Peppardi* Angli, cis *Slanam* nominatissimi sunt Vicecomites *Mont-Garret*, quorum primus fuit Edmundus *Butler* è iunioribus filijs Petri Comitis Ormondiæ, ab Edwardo Sexto eo titulo exornatus, eiusdemque cognominis alij plures, *Deuereux*, *Staffordi*, *Cheuers*, *Whites*, *Forlongi*, *Fitz-Harris*, *Browni*, *Hores*, *Hues*, *Coddes*, *Mayleri* Anglici seminis & sanguinis, vt ex plebe plerique.

CAVCI.



CAVCI, quæ item gens erat maritima Germaniæ proximè Menapios habitarunt, non eo interuallo quo in Germania dissiti. Horum fuit maritima illa regio, quam *O Toli* & *Birni* Hibernicæ familiæ incolunt, homines scelere & sanguine pasti, quietis impatientes, & qui locorum præsidio freti, animo erga leges peruicaci, erga Anglos implacabili. Ad quorum audaciam comprimendam & legum authoritatem constabiliendam, vt hæ regiunculæ in Comitatus formam redigerentur, seriò per viros prudentissimos agitatum fuit Anno MDLXXVIII. & in sex *Baronias* limitibus constitutis descriptæ, quæ Comitatum de *Wicklo* vel *Arcklo* constituerent. Præcipui enim nominis hic locus est, castrúmque Comitis Ormondiæ, qui se *Dominos de Arcklo* inter titulos honorarios scribunt: sub quo fl. ille qui OVOCA Ptolemæo mare illabitur, & vt habet Giraldus Cambrensis, *non minùs influentibus, sinumque replentibus, quam elapsis omninò marinis aquis, innatæ dulcedinis saporem retinens illibatum vsque in ipsum mare impermixtas salsedine vndas conseruat.*

Cauci. O Tooles. Birni. Arcklo.

COMITATVS DVBLINENSIS.
The Countie of Diuelin.



VLtra CAVCOS egerunt EBLANI, vbi nunc *Comitatus Dublinensis*, qui ab Ortu mari Hibernico totus alluitur, ab Occasu Comitatu *Kildariæ* definitur, ab Austro regiunculis *O Toolorum* & *Birnorum*, & quas *Glinnes* dicunt coniungitur, à Septentrione Comitatu Midiæ & *Nanny* riuulo terminatur, gleba ad fruges fertili, & quæ lætissima profundit pabula, omnium animantium genere quæ venatu & aucupio ad cibum capiuntur, abundans; syluis plerunque ita nuda vt cespite bituminoso vel fossili ex Anglia carbone plerumque vtatur. In Australi parte quæ incultior, & dorso satis nemoroso hinc inde exsurgit, cui valles *Glynnes* appellatæ subsident cauæ & arboribus opacæ, omnia infestant perniciosæ duæ tribus *O Tooles* & *O Birnes*. *Glandilaagh* Episcopatus inter has valles cernitur, sed desolatus, ex quo Archiepiscopatui Dublinensi fuerit adiunctus. Cætera huius Comitatus incolis & opidis sunt refertissima, prouincijsq; Hiberniæ reliquis diuiti cultu ac quodam peculiari nitore præcellit, & in quinque distincta Baronias, scilicet *Rathdown*, *Newcastle*,

Glynnes.

castle, *Castle-Knoc*, *Cowloc* & *Bal-rodry*, quas tamen, quod velim, sigillatim percurrere non possim, cùm earum metæ sint mihi minimè notæ. Oram igitur tantùm maritimã primùm legam & deinde vt fluminum decursus me ducunt, interiora inuisam, nec enim vlla huius pars x x. mill. pass. littore abest. Primò se exhibet hac in orã vt a Meridie incipiam, *Wicklo*, vbi portui angusto impendet rupes firmis mœnibus inclusa pro castro cui vt nonnullis alijs huius regni castris authoritate Parlamentaria nemo nisi natione Anglus præfici possit Constabularius, quia Reipub. malo Hibernici qui præfuerunt & malè defenderant & incarceratos euadere quadam conniuentia permiserant. De hoc portu audi Giraldum qui *Winchiligillo* vocat. *Est portus apud Winchiligillo eo latere Hiberniæ quo proximiùs Wallias respicit, qui in generali maris refluxu vndas recipit influentes, in reuersione verò fluctuum, quas recæpit, emittit; quumq; iam sinum elapsis vndis refluum mare deserit, per omnem tamen anfractum continua salsidine fluuius influens amaricatur.*

Wicklo, modo Comitatus institutus. 1606.

New castle, .i. *Nouum Castrum*, inde è colle mare prospicit; viditque puluinos arenarios, *The Grounds* vocant, longo tractu prætentos, inter quos tamen & littus aqua septem orgijs alta perhibetur. Qua *Bray* fluuiolus paulò superiùs mare subit, *Old Court* cernitur possessio *Wallensium* siue *Walshes* de *Caryckmain*, quorum vt nobilitas antiqua, ita familia hoc tractu numerosa. Proximum huic est *Powers Court*, olim, vt ex nomine videre est, *Poeriorum*, amplum sane castellum donec Tederlachus siue *Tirlaugh O Toole* cùm defecisset, subrueret. A *Braij* ostio littus vt sinum admittit, se inflectit, & ad ipsum cubiti flexum insulula *S. Benedicti* quæ ad Archiepiscopum Dubliniensem spectat obiacet. Hic sinus *Dublin hauen* dicitur, in quem *Liffius* aquas suas inuehit nobilissimus huius Comitatus fluuius, qui licèt x v. ab ostio mill. pass. fonte suo effusus anfractuosis tamen ita se flexibus circunducit vt primùm in Meridiem per S. Patricij terram, inde in Occasum, postea in Septentriones *Comitatum Kildariensem* perfundens, demumque in Ortum conuersus per *Castle-Knoc* Baroniam olim *Terillorum*, quorum hæreditas per fœmellas ad alios circa annum MCCCLXX. deuoluta, & per *Kilmainam* quod olim fuit Militum S. Ioannis Hierosolymis, nunc in secessum Proregum conuersum. *Liffius* hic proculdubio à Ptolemæo memoratur, verùm Librariorum incuria suo loco exular. LIBNIVS enim fl. eadem planè Latitudine ad alteram insulæ partem, vbi nullus eiusmodi fluuius, in Ptolemæi exemplaribus statuitur, sed de exilio, si placeat, ad suam EBLANAM, iam postlimiuò redeat, & habeas, si placeat, hosce Nechami de isto flumine versiculos:

Grounds. Old Court. Poeers Court. Liffy fl. Giraldo Auen-Liff.

Viscera Castle-Knoc *non dedignatur* Auen-Liff,
Istum Dublini suscipit vnda maris.

Ad septimum enim ab ostio milliare sedet quam pro cunctis Hiberniæ vrbibus fama loquatur, vrbs illa quam Ptolemæus EBLANAM dixit, nos *Deuelin*, Latini *Dublinium*, & *Dubliniam*, Cambro-Britanni *Dinas Dulin*, Saxones olim Duplin, & Hibernici *Balacleigh*, id est, *Opidum super crates*, subiectis enim in palustri loco cratibus, conditum affirmant, vti Hispalis Hispaniæ, quam sic nominatam tradit Isidorus, quòd in palustri solo suffixis profundo palis locaretur. De vetustate verò *Dubliniæ* quod dicam, nihil certi occurrit, vetustissimam tamen esse Ptolemæi authoritas persuadet. Saxo Grammaticus Danicis bellis miserè conuulsam fuisse tradit: posteà in Eadgari Anglorum Regis potestatem deuenit, quod Diploma iam dictum confirmat. Deinde occupârunt Norwegi, vnde in vita *Gryffithi ap Cynan*, Principis Walliæ legitur, Haraldum Norwegum, cùm maximam Hiberniæ partem subiugasset, Dubliniam condidisse. Hic Haraldus ille *Harfager*, id est, *Pulchricomus* primus Norwegiæ Rex videatur, cuius stemma sic deducitur in vita *Gryffithi*, Haraldo natus erat Auloedus, Auloedo alter * Auloedus, illi Sitricus, Rex Dubliniæ, Sitrico Auloedus, cuius filia Raewella mater erat *Gryffith* filij Conani qui Dubliniæ in lucem æditus regnante in Hibernia Therdelaco. Verùm hæc obiter. Dublinia demum in primo Anglorum aduentu eorum virtuti concessit, & ab illis fortiter defensa est, cum Ausculphus Dubliniensium Princeps, & postea Gottredus Rex Insularum iam acriter vndique adorirentur. Paulò pòst deducta huc ex Bristoliensibus Colonia quibus hanc vrbem (fortè tunc incolis exhaustam) incolendam *cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus quas homines de Bristolia habẽt* Rex Henricus Secũdus his ipsis

Eblana. Dublin. Qui etiam Abloicus, Anlafus, & Olaus.

quæ

quæ protuli verbis, concessit. Iam inde magis magisque efflóruit, multisque trepidis rebus & angustijs, præclara suæ fidei in Anglorum Reges documenta dedit.

Regia hæc Hiberniæ vrbs est, emporium nobilissimum, & primæ iustitiæ forum, mœnibus validum, ædificijs splendidum, ciuibus frequens. Vrbem vocat antiquus scriptor, *nobilem populo, situ amœnissimam, concurrentibus mari & flumine piscibus opulentam, commercijs famosam, planitie viridante affectuosam, glandiferis nemoribus consitam, ferarum lustris circumuallatam.* Et de ea Guilielmus Neubrigensis, *Diuelina vrbs maritima totius Hiberniæ Metropolis, portuque celeberrimo, commercijs & commeatibus nostrarum æmula Londoniarum.* Situm habet amœnum inprimis & salubrem: ad Austrum enim surgunt montes, ab Occidente patent campi, ad Ortum mare propinquum cernitur, *Liffius* fluuius ad Boream defluens nauibus stationem præbet securam. Ad flu. positi sunt *Kaij* (quos nostri vocant) hoc est, Cancelli siue Crepidines, quarum obiectu aquarum impetus cohiberi possit. *Caiare* enim apud veteres erat cohibere, coercere, compescere: quemadmodum à doctissimo Scaligero notatum est. Mœnia hinc firmissima è lapide structili protenduntur (aggeribus etiam ad austrum munita) quæ sex portis patent, longioribus inde procurrentibus suburbijs.

Iofcelinus de Furnesio in vita S. Patricij

Lib. 2. rerum Anglicarum cap. 26.

Kaij.

Ad Ausonium li. 2. c. 12.

Ad Ortum porta est *Dammensis*, & iuxtà Castrum eminet Regium, fossis, turribus, armamentario munitissimum, ab Henrico *Loundres* Archiepiscopo circa annum MCCXX. extructum. In Orientali suburbio, iuxta Ecclesiam S. Andreæ Apostoli, Henricus II. Anglorum Rex (vt refert Houedenus) *palatium sibi regium curauit erigendum miro artificio de virgis leuigatis ad modum patriæ huius constructum, in quo ipse cum Regibus & Principibus Hiberniæ festum solemne die natalis Domini tenuit.*

Collegium hinc pulcherrimum è regione spectatur (quo loco olim *Omnium Sanctorum* monasterium visebatur) Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis nomini consecratum: quod ad ingenia melioribus literis excolenda à fœlicissimæ memoriæ Elizabetha Regina Academicis donatum priuilegijs, insignique nuper instructum Bibliotheca, spem ostendit non exiguam, ad Hiberniam (quo veluti ad mercaturam bonarum artium confluxerunt aliquando exteri) & religionem & politiores omnes disciplinas tanquam ad auitum hospitium postliminiò reuersuras. Quas Edwardo Secundo regnante, Alexander *Bicknor* Archiepiscopus Dublinensis impetratis à Pontifice Romano *Vniuersitatis*, vt vocant, priuilegijs, & institutis publicis prælectionibus reuocare cœpit, sed turbulenta quæ subsequuta sunt tempora tam laudabile boni viri inceptum interruperunt.

Alhallowes.

Academia incepta. 1591. 13. Maij iacta fundamenta, 1593. Studiosi primùm admissi.

1320. L. MS. Baronis Howth.

Borealis porta ad pontem aperitur, opere arcuato è viuo saxo à Rege Ioanne constructum, qui *Oustmantowne*, id est, *Oustmannorum opidum*, cum vrbe coniungit. Hic enim *Oustmannos*, quos de Norwegia & insularum Borealium partibus aduenisse author est Giraldus, circa annum Salutis CIↃL. sedes posuisse produnt Annales. In hoc suburbio celebris fuit olim Ecclesia S. Mariæ de *Oustmanby* (sic enim in charta Regis Ioannis appellatur) Domus etiam fratribus Prædicatoribus fundata (*Blackfriers* ab illis dicta) ad quam fora Regni iudicaria nuper translata sunt. Ad Occidentalem vrbis plagam sitæ sunt duæ portæ, *Ormondsgate* & *Newgate*, seu *Noua porta* (quod publicum est ergastulum) quæ ad longissimum suburbium ducunt, quod *S. Thomæ* dicitur, eiusdemque nominis magnificum Cœnobium (*Thomascourt* dictum) amplissimis olim reditibus à Rege Henrico Secundo (vt cædem Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi expiaret) fundatum & locupletatum. Ad austrum porta patet Paulina, & quæ à S. Nicolao nomen habet, ad Patricianum suburbium præbens aditum, in quo situm Dubliniensis Archiepiscopi palatium Sancti Sepulchri nomine notum, Templumque amplissimum S. Patricio sacrum, opere intestino, pauimentis lithostrotis, testudine è saxo concamerata, turriq; præcelsa conspicuum. Quo primùm tempore condita fuerit hæc Ecclesia, incertum planè est. Gregorium Scotorum Regem, circa annum DCCCXC. ad eam accessisse, Scotica refert historia. Eandem posteà à Ioanne Anglorum Rege plurimùm amplificatam, *Prabendariam* primùm instituit Ioannes *Comynus* Dubliniensis Archiepiscopus (anno CIↃCXCI. confirmante illud Cælestino Tertio Romano Pontifice) Henricus deinde *Loundres* eiusdem in Dubliniensi episcopatu successor *personatuum dignitatibus* (liceat enim hîc fundatoris verba vsurpare) auxit, & ad Sarisburiensis Ecclesiæ immunitates, instituta & consuetudines approbatas conformauit. Nostris verò temporibus Decanum,

Thomas Court.

num,

num, Præcentorem, Cancellarium, Thesaurarium, Archidiaconos duos, & Præbendarios XXII. sustentat: *Vnica quodammodo* (vt amplissimum testimonium, quod publica regni Comitia illi perhibent, non dissimulem) *pia omnis & Ecclesiasticæ disciplinæ atque ordinis in Hibernia lucerna ac lampas.* Est & altera Cathedralis Ecclesia in vrbis meditullio posita, quæ S. Trinitati consecrata Templum Christi communiter dicitur. De eius constructione in Ecclesiæ archiuis ita legimus; *Sitric Rex Dublin filius Ableb Comitis Dublin, dedit S. Trinitati & Donato primo Episcopo Dublin locum ad ædificandam Ecclesiam Sancti Trinitati; nec non aurum & argentum sufficienter ad ædificandam Ecclesiam cum totâ curiâ contulit.* Factum hoc circa annum salutis CIↃXII. quo Sitricum Abloici filium (sic enim appellat) claruisse confirmat Lancaruanensis. Opus a Donato inceptum Laurentius Dubliniensis Archiepiscopus, Richardus *Strongbow* Comes Penbrochiæ, vulgò Striguliæ Comes dictus (cuius monumentum ab Henrico *Sidney* Prorege restauratum hic cernitur) Robertus *Stephanides* & Reimundus *Giraldus* perfecerunt. Ad Australem Ecclesiæ partem Prætorium è saxo quadrato consurgit, *Tolestale* dictum: vbi causæ à Prætore vrbano cognoscuntur, frequentesque ciuium aguntur conuentus. Immunitatibus etiam gaudet multis. Olim pro summo magistratu *Præpositum* habuit, sed anno reparatæ Salutis MCCCCIX. vt *Maior* & duo *Balliui* quotannis eligerentur, concessit Henricus Quartus, vtque gladius deauratus *Maiori* in perpetuum præferatur. *Balliuos* autem posteà in Vicecomites Edwardus Sextus commutauit. Nec quicquam deest, quod in florentissima vrbe desideres, nisi quòd portui ita officit arenosus cumulus reciproco maris meatu in *Liffy* ostium aggestus vt nauigijs maioribus nisi æstu accedente impar sit subuehendis. Hæc de *Dublinia*, quorum plurima diligentiæ & doctrinæ Iacobi *Vsheri* Cancellarij Ecclesiæ S. Patricij qui annos varia doctrina, & iudicio longè superat, me debere agnosco.

Stat. Parl. 28. H. 8. c. 15.

Tolestale.

Marchio Dubliniæ.

De Roberto *Vere* Oxoniæ Comite quem Rex Richardus Secundus in titulis honorarijs elargiendis profusus Marchionem Dubliniæ, & posteà Hiberniæ Ducem constituit, iam antea dixi, nec est cur hîc reperam.

S. Laurence. Barones Houth.

Vbi *Liffius* flu. in mare se condit *Houth* mari fere circumfunditur, a qua nobiles de *S. Laurence* cognominati qui ibi habitant, Barones de *Houth* nominantur; rara felicitate quòd tam longa serie (ab Henrici enim Secundi tẽpore genus repetunt) nullus, vt ferunt, fuerit læsæ Maiestatis reus, nullus in pupillari ætate relictus. Parúmque hinc abest *Malehid* Dominis suis *Talbottis* ex Anglia oriundis nobilitata.

Malehid.

Fingall.

Interiùs Dubliniensibus adiacet ad Aquilonem *Fingall*, id est, si ex Hibernica lingua interpreteris, *Gens exterorum*, (Anglos enim *Gall* quasi exteros, & *Saissones* quasi Saxones appellitant) cultissima regiuncula, & quasi huius regni horreum; tantam frumenti vim quotannis suppeditat. Certatque quodammodo tellus cum agricolarum laboribus, quæ alibi per hanc insulam neglecta & inculta de ignaua incolarum desidia grauissimè conqueri videtur. Disseminatæ sunt passim per hunc Comitatum clarissimæ ex Anglica stirpe deductæ familiæ, scilicet præter eas quas memini, *Plunketti*, *Barnwelli*, *Russelli*, *Talbotti*, *Dilloni*, *Netteruilli*, *Holywoodi*, *Lutterelli*, *Burnelli*, *FitzWilliams*, *Gouldingi*, *Vsheri*, *Cadlei*, *Finglasi*, *Sarfeldi*, *Blacknei*, *Crucei*, *Bathi*, *&c.*

Thomas Stukeley, Marchio Lageniæ

Hæc summatim de *Lagenis*, quæ non vlteriùs olim pertigit. Nescio an risu vel memoratu dignum sit quòd Thomas *Stukeley* cùm famæ, fidei, & fortunarum naufragium in Anglia & Hibernia fecisset, e laqueis legum elapsus eam gratiam apud Gregorium XIII. Pontificem Romanum multa pollicendo, & magno venditando inierit, vt ab ipso titulum Marchionis *Lageniæ*, Comitis *Weisfordiæ* & *Caterlogh*, Vicecomitis *Murrough*, Baronis *Rossiæ* & *Ydronæ* acceperit. Quibus titulis tumidus dum Hiberniam cogitaret, in Africam digressus cum tribus regibus qui vno prælio occubuerunt vitæ fabulam honesta catastrophe peregit.

METH.



AGer reliquus *Eblanorum*, olim regnum fuit, & quinta Hiberniæ portio, quam patrio vocabulo *Myh* dicunt, Angli *Methe*, Giraldus *Midiam* & *Mediam*, forsitan quòd sit in ipso Insulæ medio. Vmbilicum enim Hiberniæ *Kil-lair*, in hac parte castrum, quod videtur esse Ptolemæi LABERVS, perhibent, ipsumque nomen non aliud Laberus. innuit. *Lair* enim lingua Hibernica medium significat. Hæc ab Hibernico mari ad Sineum vsque flumen portensa iacet, *quoad glebam* (vt inquit Barthol. Anglicus) *fertilis in frumento, pascuis, & armentis, abundans in piscibus, carnibus, & alijs victualibus butyri, & casei, atque lactis; fluminibus est irrigua. Aspectum habet delectabilem, aërem salubrem. Quoad syluas, & paludes in eius extremitatibus habet aditum valdè fortem, & ideo propter populi multitudinem, castrorum, & opidorum fortitudinem,* CAMERA *vocatur* HIBERNIAE *vulgariter propter pacem.* Patrum memoria cùm regio amplior esset quàm vt ab vno Vicecomite administrari posset, & vt iustitia faciliùs exerceretur, in duas partes, scilicet Comitatum *Midiæ* & Comitatum Occidentalis *Midiæ*, publico Ordinum Regni conuentu anno XXXVIII. Henrici Octaui fuit dispertita.

COMITATVS
METH.



COmitatum *Meth* a Meridie *Kildariensis* ager, ab Ortu *Dublinensis*, & mare a Septentrione *Louthensis*, & ab Occasu *Comitatus West Meth* circumcingunt. Totusq; est in XVIII. Baronias diuisus, scilicet *Duleeke, Scrine, Slane, Margallen, Nauan, Kenles*, medietatem Baroniæ de *Fower* iuxta *Kenles, Killalou, Demore, Cloue, Moylagh, Logherne, Oldcastle, Luyn, Moyfeuraraghe, Deese, Rathtouth*, & *Dunboyn*.

Boyn flu. Ptolemæo BVVINDA, Giraldo BOANDVS, fluuius Boyn flu. nobilis e Septentrionali latere *Comitatus Regij* fontes aperiens hunc interfluit. In citeriori parte cis *Boyn* memoratu digna sunt *Galtrim*, vbi familia *Huseiorum* iam diu habitauit, Castrum *Killin*, quod Hugo *Lacy* Custos Hiberniæ sub Henrico Secundo construxit: & *Dunsany*, quæ suos habent Barones Parlamentarios antiqua nobilitate claros, è familia *Plonkettorum* quam alij è Dania deducunt; sed eadem planè insignia variatis coloribus gestant quę Alanus *Plonket* de *Kilpeck* in Anglia, qui Baronis etiam dignitate sub Edwardo Primo floruit. Hæc autem *Plonkettorum* familia in Hibernia maximè eluxit, ex quo Christopherus *Plunket* vir fortis & prudens qui *Deputatus* erat (vt vocant) Richardo Duci Eboracensi Proregi tempore Henrici Sexti, euectus fuerat ad dignitatem Baronis *Killin*, quod per vxorem è stirpe *Cusakia* hæredem ipsi obuenerat, eiusque filius secundo-genitus titulum Baronis *Dunsany* sua virtute consequutus erat.

Galtrim. Dunsany. Killin. Baro Killin. Plonkett. Baro Dunsany.

Trans *Boyn*, sunt *Trimletstoun*, quę suum habet Baronem e familia de *Barnwell*: Ioannem enim *Barnwell* Rex Edwardus Quartus ad honorem Baronis Parlamentarij extulit: *Gormanston*, quæ suos habet Vicecomites honorarios bene de Republica meritos è prosapia *Prestonorum*, vt creditur, in Comitatu Lancastrensi: & *Slane* quæ itidem suos ostendit Barones è familia *Flemingorum*, siue Flandrensium & inter illos est *Aboy* frequens mercatus. Ad *Boyne* flu. cùm præterlapsus fuerit *Glan-Iores*, id est, *Terra filiorum Georgij* (è Birminghamorum fuit ille stemmate, cuius hęres amplum patrimonium cum castro *Carbray* in *Prestoniorum* familiam coniugio intulit) *Trim* subluit melioris notæ emporiolum, vbi Guilielmus *Pepard* castrum posuit: antiqua hæc fuit *Laciorum* Baronia, quæ titulis Ducum Eboraci accreuit, qui Dominos de *Trim* se scripserunt. *Nauan* inde præterfluit quæ habet Baronem siue Baronetum sed non Parlamentarium, & Episcopo Dio-

Barnwell. Baro Trimletstoun. Vicecomes Gormanston. Baro Slane. Carbray. Trim. Nauan. Nangle.

Episcopus Midensis.

cesios plerumque præbet domum, qui nullam habet iam Cathedralem Ecclesiam, sed omnia agit assensu *Clari Midensis*. Ad *Cluanarard*, quod & *Clunart*, vbi Hugo *Lacy* olim castrum posuit, sedisse videtur: nam in Apostolicis literis legitur Episcopus *Midensis* siue *Cluanarardensis*, & corruptè vt videtur in Prouinciali Rom. *Eluamirand*. *Boyn* iam pleniore alueo properantibus quasi vndis celer aliquot permensus milliaria in mare prope *Droghedam* effunditur. A celeri cursu hunc *Boyn* sic nominatum quid si existimem? *Boan* enim tam Hibernicè, quàm Britannicè *Velocem* denotat, Nechamusque noster de hoc cecinit:

Ecce Boan qui Trim celer influit, istius vndas
Subdere se salsis Drogheda cernit aquis.

Maximo honore & nomine in hoc Comitatu, præter eos quorum iam memini *Plonkettos*, *Flemings*, *Barnwellos*, *Hussaeos*, habentur *Darcij*, *Cusaki*, *Dilloni*, *Birminghami*, *De-la-Hide*, *Neteruilli*, *Garuij*, *Cadelli*, & alij quos mihi non sit fraudi reticere, vel hos vel alios alibi non suo, pro dignitate, ordine recensere.

COMITATVS *West-Meth.*



Omitatus *West-Meth*, .i. *Occidentalis Midia*, ratione alterius quam dixi, cui ad Occasum coniungitur nomen sortitus; ad *Shanon* flumen pertingit inter *Regium Comitatum* ab Austro, & *Longford Comitatum* ab Arcto interpositus. Quibus nec soli fertilitate, nec incolarũ multitudine, nec alia re quauis, nisi forsan vitæ cultu, lubens concedit. Authoritate Parlamentaria *Molingar*, quod quasi in medio iacet, caput & primarium Comitatus Opidum constitutum fuit, & tota regio in XII. Centurias siue Baronias distincta, sc. *Fertulogh*, vbi Tirelli, *Ferbille*; vbi Darcij incolunt; *Deluin*, quæ clarissimam *Nogentorum* ex Anglia familiam Baronis Parlamentarij titulo exornat, qui à Gilberto *Nogent* enati quem Hugo *Lacy* Midiæ expugnator, hisce & *Fourria* latefundijs ob operam Hibernico bello animosè nauatam munerauit (vt prodidit eruditissimus ille nobilis Richardus *Stanihurstius*) *Fourria* illa vti etiam *Corkery* vbi *Nogenti* agunt; *Moyassell*, vbi *Tuti* & *Nogenti*; *Maghertiernan*, vbi *Petiti* & *Tuti* plurimi, *Moygoisy*, vbi *Tuti* & *Nangli*; *Ratcheomire*, vbi *Daltoni*; *Magirquirke*, vbi *Dilloni*; omnes Anglica stirpe, *Clonlolan*, vbi *O-Malaghlini*, è regum *Midiæ* stirpe; *Moicassell*, vbi *Mago higans* meri Hibernici rerum potiuntur, alijque quorum nomina barbarum quiddam strepunt, quæ tamen vt Martialis cùm barbara quædam Hispanica locorum nomina recensuisset ipse Hispanus dixit, se illa tamen malle quàm Britannica, ita hæc malunt Hibernici quam Anglica, adeo vt e magnatibus quidam dixerit, se nullo modo Anglicam linguam velle ediscere, ne Anglicè loquendo os sibi distorqueretur. Ita sua cuique etiam cum aliorum contemptu perpulchra videntur, & nimio plus perplacent.

Molingar. Nogent.

Barones Deluin.

Midia suos quondam habuit Reges siue potius Regulos, Slaniusque Hiberniæ Monarcha, vt proditum est, ad mensam Regiam instruendam eius prouentus assignari iussit. Cùm autem Angli pedem in Hibernia fixissent, Hugo *Lacy* maximam eius partem subiugauit, illique in *feodum* concessit Rex Henricus Secundus, *Dominumque de Midia* dixit, qui dum *Derwartha* castrum conderet, & inclinato capite Hibernico fabro quid agendum præscriberet, ab eo securi in collum impacta obtruncatus erat. Ille duos filios suscepit Hugonem Comitem *Vltoniæ*, de quo posteà, & Walterum Dominum de *Trim*, qui Gilbertum superstite patre defunctum genuit. Per Gilberti autem filias Margaretam & Matildem altera pars per *Geneuillos*, quos ex familia Lotharingica fuisse produnt, & *Mortuomarios* ad Duces Eboracenses, & inde in *Domanium* regium deuenit. Petrus enim de *Geneuill* ex illa Matilde natus Ioannam Rogero de *Mortuomari* Comiti *Marchiæ* enuptam genuit. Altera verò pars per Margaretam vxorem Ioannis *Verdon*, & eius posteros qui Hiberniæ erant Constabularij, ad varias in Anglia familias tandem est deuoluta.

Domini Midiæ.

Geneuilli.

Constabularij Hiberniæ.

COMITATVS

COMITATVS LONGFORD.



Idiæ Occidentali ad Septentriones iungitur Comitatus *Longford*, in hunc numerum prouidentia Henrici *Sidney* Proregis paucos antè annos redactus, *Anale* priùs dictus, & a numerosa gente *O-Pharoll* colitur, è qua duo sunt Dynastæ, alter ad Austrum, dictus *O-Pharoll Boy*, id est, *Flauus*, alter ad Septentriones *O-Pharoll Ban*, id est, Candidus, imperitat: Angli autem inter eos admodum pauci, & illi iampridem ingressi. Analè. O-Pharoll.

Hunc Comitatum præterlabitur *Sineus* flumen totius Hiberniæ nobilissimum, quod inter *Mediam* & *Conacthiam* interlabi diximus, Ptolemæo SENVS, Orosio SENA, & nonnullis exemplaribus SACANA, Giraldo *Flumen Senense*, accolis verò *Shennon* dicitur, id est, vt aliqui interpretantur, *flumen antiquum*. E *Therne* montibus in Comitatu *Letrim* effunditur, continuoque secans in meridiem agros, modò se in stagna refundit, modoque in angustias se resorbet, cùmque vnum & alterum lacum diffuderit, intra margines se colligens, MACOLICVM, nunc (vt eruditissimus Geographus G. Mercator obseruauit) *Malc*, cuius meminit Ptolemæus, inuisit, statimque ab altero spatioso lacu excipitur, (*Lough Regith* appellant) cuius nomen & situs RIGIAM vrbem quam Ptolemæus eò loci statuit, non procul abfuisse quodammodo subinnuit. Vbi verò lacum hunc præteruectus angustiori alueo intra ripas se colligit, *Athlon* opidum illi insidet, de quo suo loco. Inde verò *Sineus* superata ad *Killoloe* cataracta, de qua mox dicendum, maximarum nauium capax diducto alueo *Limiricum* vrbem amplectitur, de quo iam diximus. Hinc per sexaginta plùs minus milliaria *Senus* rectus, grandis, & insulosus in Occasum properat, & vbicunque reciprocante æstu sit vadosus, præsidiaria castellula ad cohibendos prædonum transitus maiorum curâ dispo-sita fuere. Demumq; in * Oceanum Occidentalem vasto ostio vltra *Knoc Patric*, .i. *Patricij collis* euoluitur. Sic enim Nechamus locum illum vocat in his de *Sineo* versiculis:

Senus fl. Shannin & Shanon. Macolicum. Malc. Rigia. Alijs mare Bredanicum.

Fluminibus magnis lætatur Hibernia, Sineus
Inter Connatiam, Momoniámq; fluit.
Transit per muros Limirici, Knoc Patric *illum*
Oceani clausum sub ditione videt.

CONNACHTIA.



Ars quarta Hiberniæ quæ Occasum respicit Sineo *flu. emissario ex* Erne *lacu, qui alijs* Trouis, *alijs* Bana, *& Oceano Occidentali inclusa, Giraldo Cambr.* Conachtia *&* Conacia, *Anglis* Conaght, *Hibernicis* Conaghty *dicitur. Hanc antiquitùs, vt apud Ptolemæum videre est*, GANGANI, *qui ijdem* CONCANI, AVTERI, & NAGNATAE *insederunt.* CONCANI *illi siue* GANGANI, *vt* LVCENI *ipsis proximi à* Lucensijs *Hispaniæ, ex nominis affinitate, & locorum vicinitate à* CONCANIS *Hispaniæ deducti videantur, qui etiam Straboni variante lectione* CONIACI, *&* CONISCI, *quos origine Scythas, sanguinemq; equinum potâsse, (quod non insolens iampridem syluestribus Hibernicis) testatur Silius.*

Gangani. Concani. Auteri. Nagnatæ.

Et qui Massagetem monstrans feritate parentem,
Cornipedis fusa satiaris Concane vena.

Et præter eum Horatius.

Et latum equino sanguine Concanum.

Nisi quis hoc Hibernicum nomen Conaghty *a* CONCANIS *&* NAGNATIS *conflatum suspicetur. Cæterùm regio vt alicubi læta & ferax, ita subuuidis quibusdam locis, herbidis tamen, quos a mollitie* Boghes *appellitant, vt reliqua passim insula periculosa, & syluis spacioribus, & crebrioribus condensa. Ora autem maritima multis sinubus, & nauigabilibus alueis peruia accolas ad nauigationes quodammodo inuitat, & prouocat, sed innatæ desidiæ dulcedo ita detinet, vt ostiatim malint victum quærere, quàm honestis laboribus paupertatem repellere. Hodie distribuitur in hos Comitatus,* Twomond, *siue* Clare, Gallway, Maio, *&* Slego, Letrim, *&* Roscoman.

CONCANI, *quos dixi, Australiorem huius* Connacthiæ *partem olim occuparunt, vbi nunc sunt* Twomondia *siue* Claria, Comitatus Gallway, Clan-Richardi *regio, &* Baronia de Atterith.

TWOMOND, siue Comitatus *Clare.*



Womon, siue *Twomond*, Giraldo *Thuetmonia*, Hibernicis *Towoun*, id est, *Septentrionalis Momonia*, (quæ quamuis vltra *Sineum* fl. iaceat, Momoniæ tamen olim pars habita, donec Henricus Sidneius Prorex *Conacthiæ* adiunxisset) grandiori promontorio & sensim tenuato in mare proijcitur. Ab Ortu vti ab Austro flexuoso *Sinei* fluminis quod magis magisque grandescit meatu, ab Occasu Oceano aperto ita conclusa, & a Septentrione *Galloxidiæ Comitatus* attingens confinia, vt nullus terrestri itinere nisi per regionem *Clan-Ricard* pateat accessus. Regio in qua nec à salo nec à solo quicquam desideres, si modò incolarum accederet industria quam olim excitauit Robertus de *Muscegros* nobilis Anglus, Rich. *Clare*, & Thomas *Clare* iuniores filij è Comitum Glocestriæ stirpe, quibus Rex Edwardus Primus hunc agrum concesserat, opida & arces extruendo & in ciuilis vitæ societatē aduocando, à quorum nomine opidum primarium *Clare*, quod nunc habitatio Comitis Twomondiæ, & inde totus tractus *Clariæ Comitatus* denominatus. Celebrioris notę
Killa-loe. & nominis loca sunt *Kilfennerag* & *Killa-loe* siue *Laonensis* sedes Episcopalis. Hæc in Prouinciali Romano *Ladensis* dicta, vbi rupes in medio *Sinei* fluminis alueo, de qua aquę magno cum strepitu deiectæ ruunt, suoque obiectu impedit quo minus vlterius nauigia
Catarracta. deferat, quæ si exscinderetur, vel canalis circumduceretur, multò longiùs nauigijs in magnum accolarum vsum subuehendis par esset. Haud procul à *Sinei* ripa sedet *Bunraty*
Bunraty. cui Robertus *Muscegros* ius mercatus & nundinarum ab Henrico Tertio impetrauit, cumque castro muniuisset, tandem Regi Edwardo donauit, qui hoc & totam regionem
Clare. Richardo *Clare*, quem dixi, concessit: & ad septimum inde mill. *Clare* primarium conspicitur opidum ad recessum è *Sineo* insulis frequentem, quę duo sola sunt hîc emporiola. Anglorum plurimi qui huc olim in colonias deducti, vel excisi sunt, vel degenerarunt: rerum verò hodie potiuntur ex Hibernica origine *Mac-Nemors*, *Mac-Mahon*, *O Loghton*,
Comites. Twomundiæ & longè potentissimi *O Brieni*, qui à veteribus *Conachtiæ* Regulis, vel, vt ipsi ferunt, ab Hiberniæ Monarchis prognati. Ex his Murchardus siue *Morogh O Brien* primus erat Twomondiæ Comes ab Henrico Octauo ad vitam creatus sibi & nepoti Donato siue *Donogh*, vt illi vocant, qui eodem tempore factus Baro *Ibarcan*, in Comitatu successit, & à fratre Donello erat occisus. Connogherus *O Brien* Donati filius, tertius erat Comes & pater Donati iam Comitis quarti, qui fidem & fortitudinem Principi, & patriæ egregiè probauit.

COMI-

COMITATVS GALLWAY.



Alloway Comitatus ab Austro *Clariæ* est confinis, ab Occasu Oceano, à Septentrione *Maio Comitatui*, & ab Ortu *Sineo* siue *Shanon* flumini. Terra colono gnauo admodum grata, nec minùs pastori. Occiduum littus æstuariolis lancinatum insulis virentibus, & aspersis rupibus serie quadam dispositis prætexitur, inter quas insulę quatuor *Arran* dictæ Baroniam constituunt & fabellis quasi insulæ viuentium famigerantur, *Inis-ceath* Colmanni viri sancti monasterio Scotis & Anglis posito olim nota, & *Inis-Bouind* quod è lingua Scotica Albæ vitulæ insulam interpretatur Beda, cùm purum sit Britannicum. Sed monasterium citò ab Anglis derelictum cùm illi & Scoti malè inter se conuenirent. Interiùs lacus *Corbes*, vbi AVSOBA ſt à Ptolemæo statuitur xx. plus minus mill. pass. longitudine, III. vel IIII. latitudine fusus, nauigabilis, & tercentum insulis graminosis & piniferis distinctus, qui proximè mare in angustias arctatus *Gallway* subluit, Hibernicè *Galliue*, nescio an Gallæcis Hispaniæ nominatā. Hæc vrbs est huius prouinciæ facilè prima, & quæ tertijs in Hibernia vix acquiescit: Elegans sane & solido saxo forma ferè orbiculari constructa, & quasi turrita, sedeque Episcopali clara, quæque portus & stationis subiectæ, quam dixi, beneficio, mercatoribus frequens diuersas opes terræ marisque facili, & quæstuoso permiscet commercio. Vix quatuor hinc milliaribus abest *Knoc-toe*, id est, *Collis securium*, sub quo maximam quam ante Hibernia viderat rebellium colluuiem a Guilielmo de *Burgo*, *O Bren*, *Mac Nemare*, & *O Carrall* contractam magna ædita strage fudit & dissipauit Giraldus ille *Kildariæ* Comes, qui annos XXXIII. per interualla Hiberniæ pręfuit. Ad Ortum haud multum hinc abest *Aterith* (in quo AVTERORVM nominis supersunt vestigia) vulgò *Athenry* magno mœnium ambitu circumdata, sed raris habitatoribus: bellicosum Baronem suum Ioannem de *Berminghom* Anglum in suam laudem rapit, e qua familia Comes de *Louth* erat prognatus; sed *Berminghami* hi *Aterithienses* quasi degeneres in Hibernicam iam barbariem prolapsi se Anglos vix agnoscunt. Insigniores Hibernicorum tribus sunt *O-Kelleis*, *O-Maidin*, *O-Flairtes*, *Mac-Deruis* &c.

Insulæ Arran

Beda lib 4 c. 4. Eccl. histor.

Logh Corbes

Gallway.

Prælium ad Knoctoe. 1516.

Aterith.

Birmingham.

Clan-Ricard, id est, *Filij* vel *Tribus Richardi*, siue *Terra filiorum Richardi*, his est conterminа & huic Comitatui accensetur, nomen Hibernico more à Richardo quodam sumpsit ex Anglica familia, *de Burgo* dicta, quæ postea maximi nominis, & potentiæ in hoc tractu fuit, & e qua *Vlickum de Burgo* Henricus Octauus Comitem *Clan-Ricard* creauit, cuius filius primogenitus titulo Baronis *Inis Kellin* lætatur. Illi natus Richardus Comes Secundus, cuius liberi quos ex varijs genuit vxoribus, funestas turbas & patri & patriæ, & sibi ipsis concitarunt: Richardo qui grandæuus obijt, successit filius Vlickus Comes tertius, pater Richardi Comitis Quarti, cuius fides firma & singularis fortitudo rebus Anglorum in Hibernia maximè inclinatis magna cum laude eluxit. In hac regione est Archiepiscopalis sedes *Toamensis*, vulgò *Toam*, cui plures olim paruerunt Episcopi: sed * *Enacl duensis*, *Duaensis*, & *Maiensis* huic hodie colligantur: Episcopatus etiam *Kilmacough* qui in antiquo Prouinciali, nisi nomen sit corruptum, non memoratur, necnon *Clonfertensis* hac in parte collocantur, &, vt accepi, *Toamensi* Cathedræ coniunguntur.

Clan-Ricard.

Comites Clan-Ricard.

Toamensis Archiepisc.

* *Anagchony*

COMITATVS MAIO.



Maio.

Maio Comitatus occiduo Oceano pulsatus, Comitatibus *Gallway* a meridie, *Roscoman* ab Ortu, & *Slego* ab Aquilone circumscriptus iacet. Regio fertilis & amœna, pecore, damis, accipitribus, & copia mellis abundè diues, nomine a *Maio* vrbecula Episcopali quæ *Mageo* in Prouinciali Romano dicta, facto; sed sedes illa Episcopalis Metropoli Toamensi iam adnectitur, & vicini respiciunt Episcopum de *Killaley* in Baronia *Tir-auley*.

Killaley Episcopatus.

In *Maio*, nisi me fallo, Colmanus Hiberniæ Episcopus, qui vt habet Beda, viris circiter triginta de gente Anglorum Monachicæ conuersationis studijs imbutis, quos in Hiberniam abduxit, monasterium construxit. Sed audi Bedam. Colmanus *inuenit locum in Hibernia insula aptum Monasterio construendo, qui lingua Scotorum* Magio *nominatur. Emitque partem eius non grandem ad construendum ibi monasterium à Comite, ad cuius possessionem pertinebat, ea conditione addita, vt pro ipso etiam, qui eis locum commodaret, consistentes ibi monachi, Domino preces offerrent. Et constructo statim monasterio, iuuante etiam Comite & vicinis omnibus, Anglos ibidem collocauit, relictis in insula* Bouind *Scotis. Quod videlicet Monasterium vsque hodie ab Anglis tenetur incolis: ipsum namque est quod nunc grande de modico effectum In Mago consuete vocatur. Et conuersis iamdudum ad meliora instituta omnibus, egregium examen continet Monachorum, qui de prouincia Anglorum ibidem collecti, ad exemplum venerabilium patrum sub regula & abbate canonico in magna continentia & synceritate proprio labore manuum viuunt.* Circa annum MCXV. hoc denuò restauratum erat monasterium, Regisque Ioannis temporibus floruit, qui Diplomate suo prædia plura illi confirmauit. Nec alius sanè qui memoria dignus occurrit locus, nisi *Logh-Mesk* lacus satis amplus & piscosus, in cuius insululis duabus sunt propugnacula tuta, quæ ad familiam de *Burgo* siue *Burk* spectarunt. Incolis autem quàm opidis est celebrior, qui aut Hibernicæ sunt originis, vt *O Mailies*, *Ioies*, *Mac-vadus*, aut Scoticæ ex Hebridibus insulis, & è tribu Donelli, vnde *Clan-Donelles* vocitantur omnes Galloglasij, & quasi triarij mercenarij qui securibus vtrinque acutis depugnant, loricis anulatis armati; olim a seditiosis huc euocati, & agris donati, aut Anglicæ vt *Burki* illi siue de *Burgo*, *Iordani* a Iordano de *Excestria* orti, *Nangli* de *Castlough*, *Prendergest* de *Clan-Moris*. Sed longè potentissimi sunt illi de *Burgo*, qui Guil. fratre iuniore Walteri de *Burgo* Comitis *Vltonia* quodammodo originem & gloriam debent. Ille gloria militari affluens, in Scotiam captiuus abductus, & vxore obside relicta, suis restitutus *Conachtiam*, è qua (ipso absente) Angli omnes a *Phelim O Conor* erant expulsi, fortitudine sua recuperauit, Plelimo *O Conor*, *Mac Dermond*, *Tego O Kelly* in prælio cæsis, & ipse tandem à Cormaco *Mac-Dermond* in vindictam occisus. Eius è filio Edmundo cognomine *Albanach* (quia in Scotia natus) nepos Thomas, cùm locupletissimam familiæ suæ hæreditatem per fœmellam ad Leonellum Clarentiæ Ducem translatam videret, ægerrimè tulit, contractisque perditorum copijs (qui nunquam in Hibernia vt etiam alibi defuturi) patrimonium Comitum Vltoniæ in hoc Comitatu vi & iniuria occupauit, & ex aui illius nomine, cuius gloria & gratia tunc recens, se *Mac-William*, id est, *Filium Guilielmi* dixit. Posteri verò sub eo nomine tyrannidem hac in parte inuaserunt, in se mutuis subindè cladibus, & misellum populum rapinis & expilationibus longo tempore sæuientes: adeò vt vix vllam villam non euersam atque extersam reliquerint. Hanc violentam potentiam Richardus *Bingham* Conachtiæ Præfectus vir acer & feroci prouincia dignus minimè perferendam censuit. Viderat enim ille pro prudentia inter primarias esse rebellionum, barbariæ, & fœdæ paupertatis in Hibernia caussas, & populum a Principis obsequio ita abstrahere, vt non alium Principem quàm suos Dynastas agnoscant. Itaque vt Regiam potestatem quantum poterat confirmaret, & grassantem hanc tyrannidem istius *Mac-William* & aliorum labefactaret, omnes animi & ingenij neruos sedulò intendit, & quanquam multis subinde criminationibus

Lib. 4. cap. 4.

Logh-Mesk.

Galloglasses.

Mac-William, qui etiam *Mac-William Eughter*.

Cuttings, Coyne Liueres &c. Rebellionum in Hibernia caussa.

Richardus *Bingham*.

&

& apud Reginam, & Proregem impetitus, propositum vrgebat. Contrà qui è familia de *Burgo* & eorum clientela sistere se iuri recusarunt, arma sumpserunt, allectis in eorum societatem tribubus *Clan donellorum, Ioiorum*, & alijs qui sibi & suæ potentiæ timuerunt quos *Bingham* Præfectus facilè dissipauit & castellis expugnatis, in syluas & latibula coniecit, donec Prorex supplicantes miseratus missis literis vt in pacem reciperentur iusserit. At illi qui pacem bello turbàrant, bellum pacis dulcedine deponere nescij, quamprimùm releuari & a morte quasi reuocati, arma resumpserunt, prædas passim egerunt, & omnia tumultibus permiscuerunt, clamitantes se velle suum *Mac-William* sibi erigere, vel ex Hispania accersere, se nolle Vicecomitem admittere, aut legibus subijci, Insulanosq; Scotos ex Hebridibus, latefundijs promissis in subsidium clàm euocarunt. Quam exultantem eorum insolentiã vt Præfectus coerceret, Prorex imperauit. Illeq; statim cùm omnes æquas cõditiones oblatas respuerẽt, contractis copijs per saltus & syluas adeo acriter exagitauit, vt post *6.* vel *7.* septimanas fame grauissimè afflicti se demississimè submiserint. Quo ipso tempore auxiliares illi Scoti aduenerunt, & per auia & inuia aditum in Comitatum *Maio* latenter indagãtes, sed continuis itineribus Prefectus noctu & interdiu insistens ita obseruauit, vt demum ad *Ardnary* interceperit; eosq; aggressus fortitèr profligauit cæsis & flu. *Moin* haustis tribus plùs minùs millibus. Clara hæc victoria in presens & in futurum vsui, rebellione cum titulo *Mac-William*, extincta, Donello *Coran*, & Alexandro *Carrogh* filijs Iacobi *Mac-Conell*, & insulanis illis qui Hiberniam maximè infestauerant, interfectis. Hæc ego aliena licèt ab instituto, summatim, quæ pro rei magnitudine ab historico fusiùs sunt explicanda.

COMITATVS *SLEGO*



SVperiùs *Comitatus Slego* adiacet benigna pascendis pecoribus fœcunditate, totus etiam mari obuersus, quem ad Boream *Trobis* fluuius Ptolemæo RAVIVS ex *Erno* lacu emissus ab Vltonia: a vicinis Comitatibus *Letrim* & *Roscoman Curlew* montes difficiles separant *Succusque* amnis interdiuidit. NAGNATAM vrbem hîc alicubi statuit Ptolemeus, sed quænam illa fuerit eruere ingenij non est nostri. LIBNIVM etiam fluuium in hoc tractu locauit ille, quem librariorum incuria exulantem ad suam Dubliniam modò reduximus, sed locus quem designat Ptolemæus nunc *The Bay of Slego* vocatur, portuosa statio sub *Slego* precipuo huius Comitatus loco, vbi castrum quod nunc sedes familię *O Conor* qui hinc de *Slego* denominati, & genus, vt ipsi ferunt, a Rotherico illo *O Conor Dun* trahunt, qui cùm viribus maximè valeret, se vt Hiberniæ Monarcham gessit quo tempore Angli primùm Hiberniam sunt ingressi, & ægrè se Henrico Secundo Angliæ submisit, verbis licèt submissionem professus, sæpiusq; tumultus excitans (vt author eius æui anonymus prodit) hæc Adriani Papæ verba in Diplomate Angliæ Regi facto sibi fraudi fuisse clamitauit: *Insulam illam ingrediaris, & quæ ad honorem Dei & salutem illius terræ spectauerint exequaris, atque illius terræ populus te recipiat, & sicut Dominum veneretur.* Donec Alexander Tertius PP. nouo suo Diplomate ius itidem Regibus Angliæ in Hiberniam confirmasset: tunc enim ille mitior ad æquiores descendit conditiones, vt mox dicemus. Post *O-Coneros*, *O Don*, *O Haris*, *O Ghar*, Mac *Donagh* in hoc agro sunt nominatissimi.

Nagnata.
Libnius fl.

Vide Diploma lib. 2. ca. 6. Girald. Camb de Expugn. Hiberniæ. pag. 787.

COMITATVS

COMITATVS *LETRIM.*


Breany.



COmitatum *Slego* ad Orientem Solem claudit *Breany*, possessio antiquæ familiæ *O Rorck*, quæ genus retulit ad Rothericum Hiberniæ Monarcham (*Rorck* illi, sua qua gaudent contractione vocant) donec Brienus *O Rorck* Dominus *Breany*, & *Minterolise* a Sixto Quinto PP. & Hispano spe lactatus inani fidem in Elizabetham Reginam perfidè abiecisset, armaque induisset, statimque in Scotiam fugatus, & in Angliam remissus inconsideratæ temeritatis pœnas suspendio dedit: eiusque latifundijs Coronæ adiudicatis, hæc a Ioanne *Perrott* Prorege Comitatus fuit constitutus, & *Letrim* a primario opido nuncupatus qui totus montibus assurgit, luxuriosè graminosis, non adeò tamen vt illud Solini de Hibernia omnino sit verum: *Hiberniam ita pabulosam esse vt pecuaria nisi interdum à pastibus arceantur, in periculum agat satietas.* Totque pascit pecora vt angusto illo quo circumscribitur spatio, vno tempore supra centum viginti millia pecorum capita numerarit. In hoc *Achonry* est Episcopatus qui sedi Elphensi iam adunatus, & *Sineus* siue *Shanon* princeps fluuiorum Hiberniæ hinc originem ducit, qui nunc angustior, nunc diffusior varijs flexibus multas regiones (vt diximus) interluit. Primariæ familiæ sunt *O Rorck*, *O Murreies*, *Mac Lochleims*, *Mac Glanchies*, & *Mac Granelles*, omnes puri puti Hibernici. Ioannem de *Burgo* filium Richardi Comitis *Clan-Ricard*, quem Elizabetha Regina Baronem *Letrim* creauit, & mox æmuli occiderunt, non ex hoc *Letrim*, sed alio quopiam loco titulum accepisse sunt qui affirmant, nec mihi certò compertum.

Baro Letrim.

COMITATVS *ROSCOMAN.*



SUb Comitatu *Letrim* ad Meridiem subiacet *Roscomon* Comitatus ab Henr. *Sidney* Prorege institutus, angustiori sed longiori spatio inter *Succum* fl. ab Occasu, & *Sineum* fl. ab Ortu interclusus, & à Septentrione *Curlew* montibus conclusus. Terra est in planitiem plerumque porrecta, fertilis, & quæ numerosa pascit armenta, adhibitaque mediocri cultura fruges benignè profundit. Quà Septentriones spectat *Curlew* montes prærupti eminent & imperuij, donec via Georgij *Binghami* curâ difficili labore fuit excisa: Quiq; non ita pridem Conieri *Clifford* Conachtiæ præfecti, & eius incuria fortissimorum veteranorum infœlici cæde signati. In hoc Comitatu quatuor censentur Baroniæ, sub *Curlew* montibus ad *Sineum* fluuium *Baronia Boile* primùm occurrit, vbi olim celebre monasterium fundatum anno MCLII. vnà cum Monasterio de Beatitudine: & *Mac Dermot* quasi rerum potitur. Deinde ad *Succum Baronia Balin-Tober*, vbi *O Conor Dun* plurimum potest, cui adiacet *Elphen* sedes episcopalis. Inferiùs *Roscoman O Conori Roo*, id est, *Rufi* Baronia, in quo est opidum totius Comitatus primarium Castro à Roberto *Vfford* Hiberniæ Iustitiario olim munitum, sed ædificijs culmeis tectis; & magis ad Austrum *O Kelliorum Baronia Athlone* à præcipuo opido denominata, quod suum habet castrum & præsidium, & pontem è viuo saxo pulcherrimum, quem magno seditiosorum terrori ELIZABETHA Regina Henrico *Sydneio* Hiberniæ Prorege curante nostra memoria construxit cùm cogitaret eo loco vtiq; totius Hiberniæ ad seditiones cohibendas opportunissimo Proregis sedem constituere.

Curlew montes.

Baronia Boile.
Balin-Tober.
Roscoman.
1268.
Athlone.

CONAC-

CONACHTIÆ DOMINI.



IN Hibernicis proditum est historijs *Turloghum O Mor O Conor* huic regioni cum imperio olim præfuisse, totamq; inter duos filios Cahelum & Briennum diuisisse. Aduenientibus verò in Hiberniam Anglis, Rothericus præfuit, qui Hiberniæ Monarcham se dixit, sed ille mole Anglici belli imminentis territus, se in Henrici Secundi fidem non tentata Martis alea, contulit. Cùm autem statim à fide deficeret, Milo *Cogan* primus Anglorum *Conachtiam*, sed irrito incepto, aggressus est. Eo tamen Rex ille *Conachtiæ* adactus erat, vt se *ligium hominem* Regis Angliæ agnosceret, *vt ei fideliter seruiret, sicut homo suus, & redderet singulis annis de singulis decem animalibus vnum corium placabile mercatoribus*, &c. Rex autem Ioannes concessit vt illi tertia *Conachtiæ* pars remaneret *tenenda hæreditariò per c. Marcas*. Verùm Guilielmus filius Adelmi, cuius posteri de *Burgo* Latinè, & *Burk* vel *Bourk* Hibernicè vocantur, Robertus *Muscegros*, Gilbertus de *Clare* Comes Glocestrensis, & Guilielmus de *Bermingham* primi Anglorum hanc regionem perdomuerunt, & ad humanitatem imbuerunt. *W. Bourkus* verò siue de *Burgo*, & eius posteri totius *Conachtiæ* Domini appellati, hanc prouinciam cum Vltonia diu summa tranquillitate administrarunt, & opimos reditus collegerunt, donec vnica Guilielmi de *Burgo* filia Conachtiæ & Vltoniæ ex asse hæres elocata fuerat Leonello Clarentiæ Duci Regis Edwardi Tertij filio. Cùm autem ille in Anglia vt plurimùm hæreret, & qui illi successerunt *Mortuomarij*, patrimonium in Hibernia negligentiùs haberent, *Bourki* affines, quos illi suis terris præfecerunt, Dominorum absentia, & turbulentis in Anglia temporibus freti, contempta legum authoritate, inita cum Hibernicis societate, & contractis nuptijs, vniuersam ferè *Conachtiam* sibi occuparunt, & paulatìm degenerantes, Anglico cultu deposito, Hibernicos mores induerunt. Quorum alij qui à Richardo de *Burgo* genus repetierunt, dicti sunt *Clan-Ricard*, alij *Mac William Oughter*, .i. *superior*, alij *Mac William Eughter*, i. *inferior*; vt illi qui in Comitatu *Maio* rerum maximè potiti sunt, simpliciter *Mac William* dici gestierunt, vt nomine pleno honoris, gloriæ, & authoritatis, eò quòd à Guilielmo de *Burgo*, de quo modò memini, descenderunt.

(·.·)

Rog. Houedenus Anno 1175. pag. 312.

Claus. 7. Ioannis.

The Bourks.

VLTONIA

VLTONIA, siue *VLSTER.*



Vicquid terrarum vltra Boyni fluminis ostium, Midiam, *Comitatum* Longford, *& Rauij flu. ostium ad Septentriones protenditur, pars quinta Hiberniæ censetur, & Latinè* Vltonia *atque* Vlidia, *Anglis* Vlster, *Hibernicis* Cui Guilly, *id est*, Prouincia Guilly, *& Cambro-Britannis* Vltw. *Quam vniuersam Ptolemæi ætate incoluerunt* VOLVNTII, DARNI, ROBOGDII, *&* ERDINI. *Regio ampla, multis & immensis stagnis interfusa, immanibus sylvis vmbrosa, alicubi ferax, alicubi macra; viriditate tamen ad aspectum vbiq; iucunda, & pecoribus passim oppleta. Sed vt regio sine subactione inhorrescit, ita incolarum ingenia sine humaniori cultura maximè efferantur. Vt tamen in officio continerentur, qui omnia iuris, pudoris, & officij repagula perfringere solebant, pars eius citerior in tres Comitatus,* Louth *scilicet,* Down, *&* Antrimme *olim diuisa erat; & nunc reliqua in septem Comitatus nouos diuiditur, videlicet* Cauon, Fermanagh, Monaghan, Armagh, Colran, Tir-Oen, *&* Donegall, *siue* Tir-Conell *prouida cura Ioannis* Perotti *Proregis, qui vir sanè magnus, clarus, & animorum prouinciæ gnarus, cùm nihil consultiùs ad Hiberniæ tumultus sedandos prospiceret quàm has Vltoniæ partes in ordinem redigere, eò profectus dubio & difficili tempore cùm Hispanus Hiberniæ & Angliæ immineret, grauitate & authoritate, dum prohibendo iniurias bellorum caussas exscinderet, omnes Vltoniæ Dynastas eò perduxit, vt libenter ditiones suas in Comitatus diuidi, & Vicecomites qui praeessent admitti perpessi fuerint. Sed illum paulò post reuocatum & ad honores altiùs ascendentem quorundam inuidia cui impar erat, & suæ linguæ procacitas (Maiestatem quam vel dicto, vel cogitatione violare nefas, imprudentior impetierat) ad exitium necopinatum præcipitarunt.*

Ioannes Perott Prorex. 1585

COMITATVS *LOVTH.*



Comitatus *Louth* in antiquis libris *Luua*, & *Luda*, Hibernicè *Iriel* siue *Vriel*, (si illa non sit potiùs pars huius agri) vltra *Midiam* & *Boine* flu. ostium mari Hibernico obuersus satis flexuoso littore in Septentriones procurrit, solo pabuloso, & adeo feraci vt agricolarum impendijs facilè respondeat. Iuxta *Boini* ostium sedet *Drogheda*, *Droghda* & Anglis *Tredah*, elegans frequẽsq; oppidum à ponte appellatum & *Boino* interfluo diuisum. Cui ius mercatus, & nundinas in gratiam Theobaldi *Verdon* concessit Rex Edwardus Secundus, multas magnasq; libertates Reges confirmârunt, & inter alia Officinam Monetariam. Huic vicinum *Melli-fons* Monasterium a Donaldo Rege *Vriel* fundatum, & a S. Bernard. celebratũ, quod Edwardo *Moro* Equiti aurato ex Cantio oriundo bene domi belliq; merito R. Eliz. cùm religiosi iam ãtea essent exturbati, donauit. *Ardeth* ad 7. hinc mil. satis notum est oppidum mediterraneum, & suprà *Dundalk* portu cõmodo & mœnibus olim validum, quod ab Edw. *Brus* Regis Scotorum fratre, qui se Regem Hiberniæ declarauerat, incensum; sed in proximo ille mox cum 8200. è suis cæsus. Nostra verò memoria Shanus *O Neale* obsedit, sed cum ignominia obsidionem soluere statim coactus. Octauo hinc milliari abest *Carlingford* portus etiam satis celebris: nec alij, quod sciam, loci hoc in Comitatu sunt memorandi.

Yriel, quæ & Vrgalia Latinè. — Tredah. — Mellifons Monasterium. — Dundalk. — Carlingford.

Comitem

Comitem suum *Loutha* habuit Ioannem *Birmingham* Anglum, quem in bellicæ fortitudinis præmium, cùm Edwardum illum *Brus* momentaneum Hiberniæ Regem qui per Hiberniam cæde & sanguine grassatus aliquandiu erat, profligâsset, & signis collatis occidisset, ad honorem Comitis *Louth* euexit Rex Edwardus Secundus *tenendum sibi & hæredibus masculis*, & ad dignitatem Baronis de *Athenry sibi & hæredibus*. Sed hic honor vt in ipso incepit, ita desijt; qui enim hostium in bello victor a suis mox populari tumultu hoc in agro victus & occisus, sobole nulla superstite cùm sui cognominis pluribus alijs. Patrum verò memoria Henricus Octauus Oliuerum *Plonket* titulo Baronis de *Louth* honorauit. Supersunt in hoc agro *Verdoni*, *Tati*, *Clintoni*, *Bellew*, siue *de Bella-Aqua*, *Dowdalli*, *Gernoni*, *Hadsori*, *Wottoni*, *Brandoni*, *Mori*, *Warreni*, *Chamberlani*, & alij ex Anglico genere quamplurimi, ex Hibernico *Mac-Mahoni*, &c.

Birmingham qui & Bremicham. Comes Louth. Baro Louth.

COMITATVS CAVON.

IN Occasum proximè adiacet *Cauon* Comitatus, olim dictus *Breny Orientalis*, habitatio gentis *O-Reiley* quæ se ex Anglica *Ridleiorum* venditat origine, cùm vitæ instituto merè sit Hibernica. Hæc gens inprimis non ita pridem equitatu valuit, sed quo minus valeat prudentia Henrici *Sidney* eorum ager in septem diuisus est Baronias, quorum Domini ex illa familia immediatè iure clientelari à *Corona Angliæ* tenerent. Castellulis non oppidis sparsim habitant, Episcopatumque suum habent & illum quidem tenuem, cuius sedes ad *Kilmore*, sed tamen non perinde ille tenuis, ac Episcopi illi Hibernici, qui non alios habuerunt reditus præter tres vaccas lactantes, quas in defectu lactis Parochiani per alias innouabant, vt ipsorum relatione cùm ex Italia per Germaniam redirent, accepit, & literis prodidit Adam Bremensis.

East Breany. O-Reiley. Kilmore Episcopatus. Episcopi Pauperes.

COMITATVS FERMANAGH.

POst *Cauon* ad Occasum & Septentriones *Fermanagh* se offert regio, vbi olim ERDINI habitarunt, nemerosa & admodum palustris. In cuius medio celeberrimus & maximus ille Hiberniæ lacus *Erne* XL. mil. pas. extentus, syluis opacis coronatus, & insulis habitatis confertissimus, quarum nonnullæ centum, ducenta, & trecenta iugera continent; Lucijs, Trutis, Salmonibus, & alijs piscibus tam copiosus, vt piscatores nimiam frequentius piscium copiam, retiumque rupturas potiùs quàm defectus conquerantur. Diffunditur hic lacus non ab Ortu in Occasum quemadmodum in tabulis describitur; sed vt ab illis qui diu multumque perlustrarunt accepi, Primùm ad *Bal-tarbet* qui maxime borealis Comitatus *Cauan* viculus ab Austro Septentriones versus expanditur longitudine XIIII. latitudine IIII. mill. pass. Mox in arctum coit instar iusti amnis per VI. milliaria, in cuius alueo *Inis-Killin* præcipuum hoc tractu propugnaculum, quod anno CIↃDXCIII. a rebellibus propugnatum, & a *Dowdallo* fortissimo militum ductore expugnatum. Inde in Occasum conuersus maximè expatiatur, longus XX. & latus X. ad *Belek* vsque, iuxta quod cataracta, & nobilissimus quem vocant Salmonum saltus. Fama est inter accolas hunc olim agrum fuisse cultissimum, & incolis frequentissimum; sed subitò propter eorum infandam cum bestijs venerem, superfusis aquis in lacum redactum. *Terram*, inquit Giraldus, *tam turpium contra naturam facinorum consciam, non tantùm primis, sed cunctis*

Logh-Ern. Bal-tarbet. Belek.

in

in posterum habitatoribus indignam author natura iudicauit. Quod tamen scelus Hibernicorum annales in Hebridianos quosdam qui patria profugi ibi latitârunt, transferunt. *Mac-Gwir* inter Dynastas hoc in tractu nobilis & potens, quiq; sunt ex illa tribu vtrinque accolunt, ita vt qui sunt trans Lacum *Vltoniæ*, qui citra *Conachtiæ* accenseantur.

COMITATVS MONAGHAN.



ERno Lacui ad Orientalem plagam prætenditur *Comitatus Monaghan* collibus æditus, syluis vestitus, sed nullo notus opido (nisi *Monaghan* quod nomen vniuerso agro impertijt) in Baronias quinque diuiditur, continétque *Iriel*, *Dartre*, *Ferney*, *Loghty*, quæ Parlamentaria authoritate ob rebellionem abiudicatæ fuerunt à *Mac-Mahonis*, cum regiuncula *Donemain*, quam Elizabetha Regina Waltero *D'euereux* Essexiæ Comiti donauit. Mac-Mahon. *Mac-Mahoni* illi, id est, (si ex Hibernica lingua interpretemur) *Filij Vrsi*, diu hîc dominatum tenuerunt, genusque à Waltero *Fitz-Vrse*, qui S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi cæde se cruentauit, repetunt. Fitz-Vrse. Ex his qui plurimum viribus valuit, dominatum pro gentis more sibi arripuit, & ob excellentiam *Mac-Mahon* dictus. De quo cùm inter cognatos nuper verbis, armis, fraudibus, imò & corruptelis acerrima ambitione concertaretur, Guilielmus *Fitz-Williams* Prorex huc accessit, & Hugonem *Roe Mac-Mahon* quem in hoc dominatu sua authoritate constituerat, in iudicium vocauit, & perduellionis damnatum suspendio affecit; vtque nomen & dominatum *Mac-Mahon* in perpetuum supprimeret, regionem inter gentiles Hugonis illius & Anglos nonnullos diuisit, quam Anglico successionis iure sibi & suis tenerent. 1590

COMITATVS ARMAGH.



RUrsus ad latus orientale *Comitatus Armagh* prætenditur, ita vt ab Oriente *Neury* flumine, ab Austro *Louth* Comitatu, ab Arcto *Aqua Nigra* quasi circundetur. Regio totius Hiberniæ, vt a Prorege Deuoniæ Com. subinde audiui, solo lætissimo & maximè luxurianti, adeò vt si quid ad fœcundandum inijciatur, quasi dedignatum sterilescat. Fewes. *Fewes* regiuncula Turloghi *Mac-Henry*, è familia *O Neal* prima occurrit, syluis obsita & paludibus inuia. Inde *Orry* syluis indiga, vbi habitat *O Hanlon*, & propugnaculum *Mont-Norris* à Carolo Barone *Montioy* Prorege positum, atq; in honorem Ioannis *Norris*, sub quo tyro militauerat, nominatum. Orry. Mont-Norris

Armach. Ad octauum hinc milliare prope *Kalin* fl. *Armacha* cernitur sedes Archiepiscopalis & totius insulæ Metropolis. Ab Armacha Regina hanc dictam fabulantur Hibernici, sed mihi eadem esse videtur, quam *Dearmach* vocat Beda; & *Roborum campum*, ex lingua Scotica siue Hibernica interpretatur. Loco, *Drumsailich* nomen erat priusquam S. Patricius ibidem *ciuitatem egregiam situ, forma, quantitate, ambitu, Angelicis*, (vt ait ille) *designatam indicijs extruxisset*. S. Patricius. Patricius, inquam, ille qui natione Britannus, S. Martini è sorore nepos in Baptismo dictus *Suçat*, venundatus in Hiberniam, vbi pastor Regi *Milue*, posteà a S. Germano sui discipulus erat *Magonius*, a Cœlestino Papa *Patricius* .i. Pater ciuium vocatus, & ab eo transmissus ad Hiberniam fide Christiana imbuendam. Marianus Scotus. Quam tamen antea a nonnullis ibidem fuisse receptam è vetusto Synodali colligitur, in quo ipsius Patricij vrgetur testimonium contra abrasionem siue tonsuram sacerdotalem quæ tunc temporis in Hibernia in vsu erat; scilicet qua anteriore tantùm capitis parte tondebantur, Tonsura Hibernica.

bantur, & non in coronam. Cuius tonsuræ subulcum quendam Regis Lagerij filij Nelli authorem fuisse contemptim innuit, & eius æui authores Simonis Magi, non B. Petri tonsuram fuisse clamitarunt. Hoc loco circa annum Salutis DCX. monasterium extruxit celeberrimum Columbanus: *Ex quo plurima postea monasteria per discipulos eius & in Britannia, & in Hibernia propagata sunt.* De hac S. Bernardus. *In honorem S. Patricij Hiberniæ Apostoli qui hic viuens præfuit, & mortuus requieuit, totius insulæ sedes est Archiepiscopalis & Metropolis, & in tanto olim veneratione vt non modò Episcopi & sacerdotes, sed etiam Regum & Principum vniuersitas subiecta fuit Metropolitano in omni obedientia, & vnus ipse omnibus præfuit. Verùm mos inoleuerat pessimus quorundam diabolica ambitione potentum sedem hanc sanctam hæreditaria successione obtentum iri, nec patiebantur Episcopari nisi qui essent de tribu & familia sua. Nec parum processerat execranda hæc successio decursis in hac malitia quasi generationibus quindecim.*

Tonsura Hibernicorum: Vide Bedam l. 5. c. 22.

Beda.

S. Bernardus in vita Malachiæ.

Laxatâ ita temporum decursu Ecclesiastica in hac insula disciplinâ, cùm in villis & ciuitatibus plures pro Metropolitani arbitrio mutarentur & multiplicarentur Episcopi, ad rem restituendam Ioannes Papirio Cardinalis huc ab Eugenio Quarto Pontifice Romano transmissus erat, vt qui tum vixit Anonymus scripsit hisce verbis: *Anno Dom. MCXLII. Ioannes Papyrio Cardinalis ab Eugenio IIII. P. R. missus cum Christiano Episcopo Lismoriense totius Hiberniæ Legato in Hiberniam venit. Idem Christianus in* Mell *Consilium celebrauit, cui interfuerunt Episcopi, Abbates, Reges, Duces, & maiores natu omnes Hiberniæ, quorum consensu Archiepiscopatus constituti sunt quatuor, Armachanus, Dublinensis, Cassiliensis, Toamensis. Quibus præfuerunt eo tempore Gelasius, Gregorius, Donatus & Edanus, Ioannes Cardinalis benedicens Clero Romam reuersus est.* Antea enim Hiberniæ Episcopi à Cantuariensibus Archiepiscopis consecrati soliti ratione Primatus quem in Hibernia habuerunt. Hoc agnouerunt ciues Dublinenses cùm Gregorium Episcopum Dublinensem electum ad Radulphum Archiepiscopum Cantuariensem consecrandum mitterent, his verbis: *Antecessorum vestrorum magisterio semper nostros libenter subdimus, a quo recordamur nostros accepisse dignitatem ecclesiasticam,* &c. Quòd certò constat ex antiquioribus etiam literis Murchertachi Regis Hiberniæ ad Anselmum Cantuariensē, pro Episcopis *Dublinia* & *Waterfordia* ordinandis, & Regis Gothrici ad Lanfrancum eius decessorem pro Patricio quodam Episcopo, Lanfrancique ad Therdeluacum Hiberniæ itidem Regem, apud quem conqueritur *Hibernicos pro arbitrio suo sibi copulatas vxores nulla canonica caussa interueniente relinquere, & alias quaslibet, vel sibi vel relictæ vxori consanguinitate propinquam, siue quam alius simili improbitate deseruit, maritali, seu fornicaria lege punienda sibi temeritate coniungere.* Quibus vitijs si hæc gens etiam ad hæc nostra vsque tempora non laborasset, & certius apud eos ius fuisset successionis, & tam proceres quàm plebeij non tanto scelere ob patrimonia cognato sanguine effuso se contaminassent, nec tanta infamia apud exteras gentes ob hæc flagrassent. Sed hæc extra curriculum.

Flatesburius eadem ferè habuit.

Archiepiscopalis illa dignitas non diu constituta fuit, cùm Viuianus Legatus Pontificis eandem denuò confirmauit; vt minuenda eorum videatur opinio qui Armachanum Archiepiscopum priorem & potiorem quàm Cantuariensem habere in Oecumenicis Concilijs locum antiquitatis ratione asserunt, cùm institutione sit multis seculis posterior. Nec pro locorum antiquitate sedes in Concilijs assignantur, *Sed Prælati omnes cuiuscunque sint gradus sedent inter collegas suos secundùm ordinationem siue promotionem suam.*

Lib. Primus Ceremoniarum Sacrarum Sect. 14.

Quo tempore Viuianus ille erat in Hibernia, *Armacha* a Ioanne *Curey* in Anglorum potestatem fuit subacta. Qui tamen nihil damni intulit, sed viris Ecclesiasticis qui ibi Deo vacarunt, perbenignum fuisse, Ecclesiamque restaurasse perhibetur, quæ nostro tempore a Ioanne *O-Neal* vnà cum vrbe incendio deformata pristinam dignitatē amisit, & pauculę tantùm, casulæ viminibus intextę, hodie supersunt cum laceris parietibus Monast. Prioratus & Palatij Primatis. Inter huius loci Archiepiscopos maximè celebrantur, Sanctus Malachias, qui primus sacerdotibus in Hibernia vxores interdixit, vir suo seculo doctus & pius, & qui *de natali barbarie nihil minus traxit quàm de sale marino pisces maris*, vt inquit, qui eius vitam fusè descripsit S. Bernardus; & Richardus *Fitz-Raulf*, vulgò *Armachanus* dictus, qui contra Fratres mendicantes spontaneam in Christianis mendicita-

Armachanus.

tem exosus acriter calamo circa annum MCCCLV. digladiatus. Iuxta *Armacham* in colle intumescenti supersunt reliquiæ antiqui castri (*Owen-Maugh* vocant) quod antiquam Regum Vltoniæ habitationem fuisse ferunt. Magis in Occasum *Aqua nigra*, vulgò *Black-water*, Hibernicè *More*, .i. *Magna*, serpit, quæ limes inter hunc Comitatum & *Tir-Oen*, de quo suo loco dicendum. Hac regione & in vicinia *Mac-Genis*, *O Hanlon*, *O Hagan*, & ex stirpe *O-Neal* quamplures agnominibus varijs assumptis, rerum quodammodo potiuntur.

COMITATVS *DOWN.*



SEquitur ad Ortum Comitatus *Down*, amplus ille quidem & solo fœcundo ad Hibernicum vsq; mare protensus, a plaga Boreali Lacum *Eaugh*, nouo nomine *Logh-Sidney*, & ab Australi *Louth* Comitatum attingens. A quo *Newry* flumine diuiditur. Ad hoc in ipso primo huius Comitatus limine nostrâ memoriâ opidum eiusdem cognominis posuit & communiuit Nicholaus *Bagnall* Hiberniæ Marescallus, qui suo ductu res præclaras hic gessit, & regionem industriâ cultiorem reddidit. Iuxta fl. *Ban minor* dictus e solitudine montium de *Mourne* effusus per *Eaugh* fertur regionem, quæ ad familiam *Mac-Gynnis* spectat, cui cum *O-Nealis* Vltoniæ tyrannis olim controuersia, an ipsorum militibus cibaria &c. (*Bonoghty* hoc seruitutis genus vocant) exhiberet, suamque habet Episcopalem sedem ad *Dromore*, supra quam ad *Lacus Eaugh* marginem *Kilwlto* & *Kilwarny* syluis & paludibus tractus sunt impeditiores. Hæc interiùs. Sed ad oram maritimam mare se ita insinuat, & varijs recessibus terram excauat, lacusque se dilatat iuxta *Dyffrin* vallem nemerosam, olim *Mandeuillorum*, postea *Whiterum* hæredium, vt duos faciat Chersonesos: *Lecal* ad Meridiem & *Ardes* ad Aquilonem. *Lecal* ager opimus, totius Hiberniæ longissimè in Ortum prominet, extremumque eius Promontorium, quod nunc nautis *S. Iohns Foreland*, Ptolemæo ISANIVM vocatur, forsitan a Britannico *Isa*, quod infimum sonat. In ipsius isthmo DVNVM floruit, cuius meminit etiam, sed non suo loco Ptolemæus, nunc *Down*, vetustæ sanè memoriæ opidum, sedes Episcopalis, & Patricij, Brigidæ, Columbæque tumulo insigne, cui hoc Distichon Rhythmicum fuit inscriptum,

Mac-Gynnis.

Lecal.

Isanium Promontorium.

Dunum.

Down.

Hi tres in Duno tumulo tumulantur in vno,
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Quorum monumentum Leonardum *Grey* Proregem sub Henrico Octauo demolitum fuisse fama obtinet, certumque est cùm ille prouinciæ malè habitæ ageretur, & capitis damnaretur, inter alia, obiectum fuisse hoc Patricij templum profanâsse. De S. Patricij autem sepultura, vt olim Græciæ vrbes de Homeri patria, religiosi concertarunt. Hi Dunenses sibi vendicant, idque authoritate versiculi quem dixi; Armachani repetunt ex verbis illis S. Bernardi quæ modò protuli; Glasconienses in Anglia e vetustis cœnobij sui monumentis sibi asseruerunt; & Scoti nonnulli; vt apud ipsos ortum prope *Glascow*, ita & sepultum affirmarunt.

S. Patricij sepultura.

In hoc DVNO Ioannes *Curcy* bellicosus ille Anglus & supra militem in Deum deuotus cùm sui iuris hanc regionem fecisset, Benedictinos Monachos primus induxit. Monasteriumque de *Carick*, quod in *Ermaich* prope fontem S. Finini *Mac-Nell*, *Mac-Enlef*, Rex Vltoniæ extruxerat, in insulam ab ipso *Inis-Curcy* dictam transtulit, prædijsq; assignatis locupletauit. Antea enim Monachi Hibernici vt veteres illi in Ægypto, quorum institutum vir pius Congellus .i. vt interpretantur *Pulchrum pignus*, in Hiberniam traduxit, orationibus assidui manuum labore victum sibi & egenis pararunt. Sed monastica hæc instituta vt humana non diu perstiterunt, cùm mores in peiora deuergerent, & opes pietatem quæ illos vt mater peperit sensim contaminarent. Priscam autem illam disciplinam

Monachi locupletati.

sciplinam Robertus Abbas Molismi in Burgundia obnixè olim reuocare studuit, *discipulisq; persuasit vt labore manuum viuerent, Decimas & oblationes Clericis qui Diœcesi deseruirent, relinquerent, femoralibus, staminijs, pellicijsque abstinerent. At illi contrà nitentes a consuetudinibus quæ in Occiduis orbis monasterijs obseruabantur, quas constat institutas esse a Beato Mauro discipulo S. Benedicti, & a Beato Columbano, recedere abnuerunt.* Sed nimis diuerti, iam redibo. Ad mare sunt *Arglas*, vbi S. Patricium Ecclesiam fundasse ferunt, & *Strangford*, quod olim *Strandford*, portus tutus, vbi flu. *Coyn* magno aquarum insultu in mare prorumpit: iuxta quod in hac Chersoneso latifundia Comiti Kildariæ Maria Regina pro sua in nobiles munificentia est elargita. *Russelli, Audlei, Whiti,* & qui postremò aduenerunt *Bagnalli* ex genere Anglico inter feros & feroces Hibernicos a maioribus hac in parte quæsita non sine periculo strenuè propugnant. Rob. de Monte de immutatione Ordinis Monachorum.

Ardes altera Chersonesus è regione iacet tenui alueo è lacu *Coin* qui ab occidua parte claudit, vt ab Ortu mari, & a Septentrione sinu *Knoc-Fergus* diuisa: brachio inflexo assimiles, quæ satis angusta isthmo vt brachium armo cæteræ insulæ adiungitur. Solum est vbique perbenignum, nisi vbi in medio per duodecim plùs minùs passus longitudine protenditur subuuida, & voraginosa planities. Littus viculis satis consitum, olimque habuit monasterium ad sinum de *Knoc-Fergus* longè celeberrimum eodem vitæ instituto & nomine quo fuit antiquissimum & nominatissimum Angliæ monasterium, prope *Cestriam*, scilicet *Banchor*. Ex vtro horum Pelagius Hæresiarcha ille prodijt, incertum, dum alij hinc, alij ex illo Britanniæ prodijsse, nulla subnixi authoritate contendunt. Certum verò est è Britannia prodijsse, tùm ex alijs, tùm ex hoc in Prosperi Aquitani in eius impietatem Disticho: Ardes. Banchor Monasterium Pelagius Hæresiarcha.

Iprocul insana impietas, artesque malignas
Aufer, & authorem comitare exclusa Britannum.

Sed de hoc loco audi S. Bernardum. *Vir diues & potens locum Banchor Malachiæ tradidit, vt ædificaret ibi Monasterium, vel potius reædificaret. Nempe nobilissimum extiterat ante sub primo patre Congello multa millia monachorum generans, multorum Monasteriorum caput. Locus verè sanctus, fœcundusque sanctorum, copiosissimè fructificans Deo, ita vt vnus ex filijs sanctæ illius congregationis nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcirco dixerim, vt ex hoc vno conijciat lector, quàm ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hiberniam Scotiamque repleuerunt germina eius. E quibus ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens, Luxoniense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnum fuisse, vt succedentibus sibi vicissim choris continuarentur solennia diuinorum, ita vt ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiqua dicta sint Banchorensis monasterij gloria. Hoc olim destructum à piratis, ob insigne dignitatis antiquæ Malachias veluti quandam replantaturus paradisum amplexus est, & quia multa corpora Sanctorum ibi dormirent. Nam, vt taceam illa quæ in pace sepulta sunt, ferunt nongentos simul vna die à piratis occisos. Erat quidem ingens loci illius possessio, sed Malachias solo contentus loco sancto, totas possessiones & terras alteri cessit, siquidem à tempore quo destructum est monasterium, non defuit qui illud teneret cum possessionibus suis. Nam & constituebantur per electionem etiam, & abbates appellabantur, seruantes nomine (etsi non re) quod olim extiterat. Cùmq; suaderent multi non alienare possessiones, sed totũ simul retinere sibi, non acquieuit paupertatis amator, sed fecit eligi iuxta morem, qui eas tenerent, loco, vt prædiximus, retento sibi & suis. Porrò, Oratorium intra paucos dies consummatum est de lignis quidem leuigatis, sed aptè firmiterq; contextum, opus Scoticum, pulchrum satis. Posteà visum est Malachiæ debere construi in* Banchor *Oratorium lapideum, instar illorum quæ alijs regionibus extructa conspexerat. Et cùm cœpisset iacere fundamenta, indigenæ quidem mirati sunt, quòd in terra illa necdum eiusmodi ædificia inuenirentur.* Vnde quidam exclamauit, *O bone vir, quid tibi visum est nostris hanc inducere regionibus nouitatem? Scoti sumus, non Galli. Quænam leuitas hæc? Quid opus erat opere tam superfluo, tam superbo?* In vita Malachiæ.

Interiùs ad lacum est Episcopalis sedes *Conerensis*, cui præfuit ille S. Malachias Episcopus, sed qualis tam sancto pastori ibi grex fuerit audi Bernardum. *Tricesimo fermè ætatis suæ anno Malachias consecratus Episcopus introducitur Conereth, hoc enim nomen ciuitatis.* Coner Episcopatus.

uitatis. Cùm autem cœpisset pro officio suo agere, tunc intellexit homo Dei non ad homines se, sed ad bestias destinatum. Nusquam adhuc tales expertus fuerat in quantacunque barbarie. Nusquam repererat sic proteruos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem impios, ad leges barbaros, ceruicosos ad disciplinam, spurcos ad vitam. Christiani erant nomine, re Pagani. Non decimas, non primitias dare, non legitima inire coniugia, non facere Confessiones: pœnitentias nec qui peteret, nec qui daret penitùs inueniri. Ministri altaris pauci admodum erant. Sed enim quid opus pluribus, vbi ipsa paucitas inter Laicos propemodum otiosa vacaret? Non erat quod de suis fructificarent officiys in populo nequam. Nec enim in ecclesiys aut prædicantis vox aut cantantis audiebatur. Quid faceret athleta Domini? Aut cedendum turpiter, aut periculosè certandum: sed qui se pastorem & non mercenarium agnoscebat, elegit stare potiùs quàm fugere, paratus animam suam dare pro ouibus, si oportuerit. Et quanquam omnes lupi, & oues nullæ, stetit in medio luporum pastor intrepidus, omnimodis argumentosus quomodo faceret oues de lupis. Hæc S. Bernardus, & paulo mitiora qui hodie præest Episcopus de suis (vt audio) est prolaturus.

Sauage. Hanc *Ardes Sauagij* Anglica familia olim occupauit, è quibus ille celebratur qui non minùs fortitèr quam facetè se dixit nolle castro saxeo, sed potiùs osseo (scilicet suo ipsius corpori) confidere. Posteà *O Neali* illis extorserunt, quibus maiestatis læsæ damnatis permissu Elizabethæ Reginæ Thomas *Smith* Eques auratus, & Reginæ à secretis præclaro ausu, sed infesto fato Coloniam non ita pridem duxit. Nam post magnas expensas filium naturalem, quem præfecerat, ex insidijs interceptum canibus obiecerunt Hibernici; cuius immanitatis pœnas perditissimi illi posteà grauissimas persoluerunt, interfecti, & lupis in prædam dati. Supra *Ardes* ad Occasum Australior *Clane-boy*, i. *Gens Flaua*, vel *Tribus Hugonis Flaui*, vt ipsi interpretantur, satis syluestris expanditur vsque ad sinum *Knock-Fergus* a tribu *Nigellorum* siue *Neale* occupata, & extrema habetur Comitatus *Down* regiuncula.

Claneboy superior.

COMITATVS ANTRIM.



PRoximus Comitatus *Louth* Septentriones versus *Antrim Comitatus* succedit, denominatus ab *Antrim* opidulo omninò ignobili nisi nomen regioni impertijsset vniuersę, quæ inter sinum *Knoc-Fergus*, *Lacum Eaugh*, & *Ban* flu. intersidet. Sinus ille *Knoc-Fergus*, qui

Knoc-Fergus Ptolemæo VINDERIVS, nomen ab imposito opido tulit, opidumque quod Angli *Knoc-Fergus*, Hibernici *Carig-Fergus*, id est, *Scopulus Fergusij*, vocant, a Fergusio illo nominatissimo qui Scotos ex Hibernia in Britanniam primus duxit, ibi submerso. Celebre verò præ cæteris in hac ora est ex portus opportunitate, suis munimentis licèt imperfectis, castello rupi æditæ infixo, præsidiaria cohorte quæ regionem in officio continet, & Palatio antiquo quod in armamentarium iam conuersum.

Claneboy inferior. Iuxtà iacet *Clane-boy inferior*, quæ *O-Nealorum* etiam habitatio, nequissimi rebellis Shani siue Ioannis *O-Neal* fato insignis, qui post varias direptiones vna & altera pugna Henrici *Sidnei* Proregis auspiciis fractus, eò adactus, vt cum capistro collo iniecto crimen deprecaturus Proregem adire cogitauerit, sed persuasus a Scriba vt priùs a Scotis quibusdam insulanis qui hic prædabundi castra posuerant sub Alexandro *Oge*, opem peteret, ad eos accessit, a quibus amicè acceptus & statim cum suis cæsus in vindictam cognatorum quos ille interfecerat. Cuius morte sopito bello, & ipso cum omnibus qui eius signa sequuti proscripto, hanc *Claneboy* R. Elizabetha donauit Gualtero *D'euereux* Comiti Essexiæ qui huc transmisit, nescio an aulicis artibus specie honoris (Gubernator enim Vltoniæ, & Marescallus Hiberniæ designatus erat) in regionem semper rebellem & indomitam ablegatus. Dum autem magna vi pecuniarum profusa, hanc in ordinem redigere conatus, multis domiq; bellique conflictatus difficultatibus immaturo fato præreptus incredibile sui desiderium bonis, & hanc regionem *O-Nealis* & Briano *Carragh*, è *Mac-Conellorum* stirpe reliquit qui,

qui de principatu mutuis cædibus inter se iam inde desæuierunt. Iuxta *Knoc-Fergus* peninsula tenui ceruice continenti adnectitur, quæ tamen Insula *Magie* dicitur & quatuor mill. pass. longitudine, latitudine vnum colligit, crediturque a nonnullis in hac floruisse monasterium illud *Magio* a Beda laudatum, de quo superiùs in Comitatu *Maio* meminimus. Isle of Magie.

Glinnes deinde, id est, *Conualles* ad malefidam stationem *Olderfleet* incipiunt, & longo tractu mari obiectæ procurrunt. Spectauit hæc regio quondam ad *Bissettos* è Scotia nobiles qui cùm Patricium Atholiæ Comitem ob priuatas simultates sustulissent, huc exulatum venerunt, & terras beneficio Henrici Tertij Regis Angliæ hîc acceperunt. Ioannes enim *Bisset* qui diem obijt primis Edwardi Primi annis amplas hîc habuit possessiones, & sub Edwardo Secundo Hugo *Bisset* ab rebellionem nonnullis excidit. Patrum verò temporibus Scoto-Hiberni abactores è *Cantira* & Hebridibus inuaserunt duce Iacobo *Mac-Conell* Domino *Cantira* in Scotia, qui repetito à *Bissettis* iure vendicauit. Verùm illos duce occiso, facilè profligauit Shanus *O-Neelus*. Reuersi tamen denuò sunt, & hoc in tractu latrocinia immaniter exercuerunt, seditionesque fouerunt, donec nuperrimè Hiberniæ Prorex Ioannes *Perrot* primùm Donel *Goran* qui occisus a Richardo Binghamo cum fratre Alexandro in *Conachtia*, & postea Agnum *Mac-Conell* filios Iacobi *Mac-Conell* eò adegit, vt se in Reginæ Angliæ fidem permiserint, & beneficiario iure agrum hunc ab illa tenendum precariò sub quibusdam conditionibus acceperint, scilicet ne cui alteri quàm Regibus Angliæ in Hibernia militarent, certum boum, & accipitrum numerum quotannis redderent, &c. Glinnes. Bisset. Iacobus Mac-Conell.

Supra hæc vsque ad *Bannam* fl. *Rowte* tractus dicitur sedes *Mac-Guilliorum*, non obscuræ apud suos familiæ, quam tamen Insulanorum Scotorum violentia & continua deprædatio in angustum angulum protrusit. *Surley* enim *Boy*, id est, *Carolus Flauus*, frater Iacobi *Mac-Connell* qui *Glinnes* occupauit, hanc etiam sui quodammodo iuris fecit, donec Ioannes *Perrot* Prorex quem dixi, expugnato castro *Donluse*, firmissimo munimento rupi infixo quæ mari imminet, & a terra fossa profunda abiuncto, eum cum suis expulerit. Quod tamen ille anno insequẽti proditione, *Cario* Præfecto qui se strenuè defendit, occiso recuperauit. Prorex autem misso in illum *Merimano* ductore militum spectato qui duos Iacobi *Mac-Conell* filios, & Alexandrum huius filium occidit, ita exagitauit & armenta quæ illi solæ diuitiæ, (quinquaginta enim vaccarum millia in peculio numerauit) abegit, vt *Surley Boy Donluse* redderet, Dubliniã adiret, & in Cathedrali Ecclesia se publicè submitteret, libellum supplicem misericordiam implorans exhiberet, deinde in Proregis Cameram admissus vbi primùm Elizabethæ Reginæ effigiem in tabula depictam vidit, semel atque iterum gladio abiecto ad pedes se aduoluit, eiusque Maiestati se deuouit. Vnde in gratiam & inter Hiberniæ subditos receptus omne obsequium erga Reges quoscunque exteros pro Tribunalibus in *Cancellaria*, & *Banco Regio* abiurauit, accepitque R. Elizabethæ munificentia quatuor territoria (*Toughes* vocant) scilicet à *Boys* flumine, ad *Ban*, *Donseuerig*, *Loghill*, & *Balla-monyn*, cum Præfectura Castri *Donluse sibi & hæredibus masculis de corpore*, de regibus Angliæ his legibus *tenenda*, vt nec ipse, nec sui, nec posteri extemo alicui principi sine licentia militarent, vt suos a deprædationibus continerent, vt XII. Equites, & XL. pedites ad quadraginta dies tempore belli suis expensis instruerent, certum numerum boum & accipitrum singulis annis Angliæ Regibus exhiberent, &c. The Rowte. Mac Guilly. Surley Boy qui & Charly Boy. Donluse.

COMITATVS COLRAN.



Banna fl.

Vltra *Glinnes* ad Occasum sita est *Krine*, quam nunc *Comitatum Colran* a præcipuo opido vocant, inter *Bann* flu. & *Lough-foile* interposita, & ab Austro *Comitatui Tir-Oen* contermina. *Bann* ille eximiæ (vt inquit Giraldus) pulchritudinis flu. quod & nomen testatur, e montibus de *Mourne* in Comitatu *Downe* exortus in *Eaugh* siue *Lough Sidney* lacum amplum, se nomenq; suum effundit, quod tamen post XXX. plus minus milliaria, tantæ enim longitudinis lacus ille censetur, exiens tandem ad *Tome* castrum recipit, & syluis coronatus superbo alueo per *Glancolkein* vbi syluis densis, & imperuijs paludibus tutissimum est Scotis insulanis & rebellibus perfugium (quod senserunt Angli qui *Surleium Boy* hic latitantem persequuti fuerunt) Oceanum petit Salmonibus totius Europæ longe fœcundissimus, eò quòd (vt aliqui existimant) sit omnium fluuiorum limpidissimus, cuiusmodi aquis Salmones vnicè delectantur. In hac parte, maxima authoritate valet familia *Cahanorum*, cuius Princeps *O-Cahan*, & inter beneficiarios Magnates *O-Neali* qui Vltoniæ tyrannus, *V-Raights* illi vocant, primus censetur; vtique qui in barbara *O-Neali* electione quæ barbaris ceremonijs in ædito colle sub dio celebratur, honorario fungitur munere, calceamentum scilicet supra caput electi *O-Neali* proijciendi. Minori tamen ille est potentia, quàm vt Insulanos Scotos cohibere possit, qui vt rei suæ domi parcant quotannis æstiuo tempore è ieiunis illis & infœcundis insulis vbi nil nisi fœda paupertas, huc confluunt vt victum parent, intenti in omnes occasiones rebelliones fouendi, adeò vt sub pœna læsæ Maiestatis lege cautum fuerit ne quis eos in Hiberniam aduocet, aut hospitio excipiat.


Glan-Colkein.

Salmones.

O-Cahan. Vraights. O Neali electio.

Insulani Scoti.

COMITATVS TIR-OEN.



Sub *Colran* subiacet ad Meridiem Comitatus *Tir-Oen*, id est, vt interpreteris, *Terra Eugenij*, totus mediterraneus. In Solis Occasum *Liffer* flumine à *Tir-Conell*, in Ortum *Eaugh* lacu à Comitatu *Antrim*, in Meridiem *Aqua nigra* siue *Black-water* qui Hibernicè *More*, id est, *Aqua magna*, à Comitatu *Armagh* disterminata. Regio licèt salebrosa, ferax tamen & sanè ampla, quæ sexaginta milliaria longitudine, & triginta latitudine colligit, diuisa montibus quos *Sliew Gallen* vocant, in Superiorem ad Septentriones, & Inferiorem ad Austrum. In hac sunt *Cloghar* Episcopatus satis exilis, *Dunganon* præcipua Comitum habitatio, quæ Henrici Octaui gratia titulum Baronis Matthæo filio primi Comitis *Tir-Oen* fecit. Ædes sanè elegantiores quàm pro regionis more, sed quæ sæpius ab ipso Domino ne ab hoste succenderentur incendio deformatæ: *Vblogahell*, vbi *O-Neal* qui Vltoniam superbissimo premit dominatu inaugurari, patrio & barbaro illo quidem ritu inaugurari solet, & Munimentum ad *Blackwater* siue *More* flumen quod varias Martis vices subijt, cùm non aliàs in hunc agrum rebellium perfugium, aditus pateret; nunc autem neglectum ex quo aliud inferiùs repertum sit vadum ad quod vtraque in ripa munimenta noua posuit Carolus *Montioy* Prorex cùm rebelles hac in plaga bello acriter persequeretur. Qui itidem eodem tempore aliud propugnaculum præsidiarium suo nomine *Montioy* excitauit ad Lacum *Eaugh* (*Logh Sidney* in honorem Henrici *Sidney* milites hodie vocant) quem Occiduum huius agri latus claudit, & à *Bann* flumine effici,

Tir-Oen inferior. Clochorensis Episcopatus. Dunganon. Baro de Dunganon. Fort of Blackewater.

Charle-mont

Logh Sydney siue Logh Eaugh.

effici, aut multùm adaugeri dixi. Lacus sanè ille pulcher, egregiè piscosus, & peramplus, XXX. scilicet mill. pass. plùs minùs extentus, vt inquit ille,

Dulci mentitur Nerea fluctu.

Variaque riparum facie, nemoribus opacis, pratis perpetuò virentibus, aruis si colantur, frugiferis, collibus deuexis, riuulis influentibus ad amœnitatem & vtilitatem ab ipsa natura efformatus, quæ accolis quasi indignari videtur, quòd per inertiam omnia barbarie inhorrescere patiantur. In *Tir-Oen* superiori est *Straban* castrum notum quod nostro tempore incoluit Turloghus *Leinigh* è familia *O-Neall* qui dignitatem *O-Neali* post Shani mortem (vt mox dicam) populari electione consequutus est, & nonnulla alia minoris notæ castella, quæ vt alibi in hac insula sunt tantùm turres æditæ, angustis foraminibus potiùs quàm fenestris, quibus aulæ cespititiæ adiunguntur culmeis tectis, suasq; habent areas amplas fossis & dumetis ad armenta a prædonibus defendenda circumseptas. Sed si qua fama sit aut gloria huic Comitatui, tota a Dominis est qui regnum seu potius tyrannidem occuparunt, e quibus duo fuerunt Comites *Tir-Oen*. videlicet Conus *O-Neale* & Hugo eius è filio nepos. Sed his cùm de Vltoniæ Comitibus & Dominis agendum, pleniùs statim meminero. Tir-Oen superiori. Castra Hiberniæ.

Comitatus *Donegall*, siue *Tir-Conell*.



QVicquid iam superest in *Vltonia* ad Septentriones & Occasum ROBOGDII & VENNICNII olim tenuerunt; hodie verò Comitatus *Donegall* siue *Tir-Conell* appellatur, id est, vt alij interpretantur, *Terra Cornelij*, vt alij *Terra Conalli*, Mariano sane planè *Conallea* nominatur. Regio ferè tota campestris, & portuosa, mari scilicet a Borea & Occasu pulsata, ab Ortu *Liffer* flumine, & a Conachtia *Erno Lacu* disclusa. *Liffer* prope fontes dilatatis aquis in lacum expatiatur, in quo insula eminet, & in ea ad monasteriolum crypta angustior obuersantium nescio quorum spectrorum terrore, & horrendis visis, aut potius religioso horrore decantatus, quem aliqui Vlyssem effodisse ridiculè somniant, cùm inferos affaretur. Incolis hodie *Ellan n' frugadory*, id est, *Insula Purgatorij* & Patricij Purgatorium nominatur. Patricium enim Hibernorum Apostolum, vel alium eiusdem nominis Abbatem a Deo ardentissimis precibus impetrasse qui piè creduli affirmant, vt pœnæ, & cruciatus qui impios post hunc vitam manent, ob oculos hic proponerentur, & insita suis Hibernicis peccata, & gentilium errores faciliùs extirparet. Cæterùm cùm *Reglis* hic locus in Patricij vita nominatur, REGIAM alteram fuisse quam Ptolemæus memorat, iudicarim, & suffragatur ipse apud Geographum situs. Præter hoc Patricij, etiam aliud in hac insula Brendani Purgatorium fuit, sed cùm locum non inuenerim, accipe quod solum inueni, Nechami de illo tetrastichon. Patricij Purgatorium. Regia. Reglis.

Asserit esse locum solennis fama dicatum
Brendano, quo lux lucida sæpe micat.
Purgandas animas datur hic transire per ignes,
Vt digna facie iudicis esse queant.

Vbi hic fluuius *Liffer* alijs aduenis aquis adauctum mare propiùs accedit, iterum in lacum diffunditur, quem Ptolemæus LOGIAM, nunc *Logh Foyle* & *Logh Der* vocitant. Vnde Nechamus.

Longh

Lough Der *aquis diues lacus est, Vltonia nouit:*
Commodus indigenis vtilitate placet.

Dery. Ad hunc olim *Derry* Monasterium & sedes Episcopalis floruit, vbi anno MDLXVI. Edwardus Randolphus veteranæ militiæ nomine clarus vitam patriæ summa cum gloria profudit, vt iam inde vires nunquam recollegerit. Nuper autem præsidium ad Comitis *Tir-Oen* insolentiam frænandam huc deduxit, & postea Coloniam Henricus *Docwra* ex ordine equestri qui in bellis Hibernicis singularem fortitudinem, & scientiam militarem magna cum laude approbauit; adeoque bonis institutis stabiliuit, vt sit & subsidio aduersus rebelles, & barbaros ad officia imbuat. ROBOGDII supra LOGIAM locati omne Septentrionale illud Hiberniæ littus tenuerunt, vbi *O-Dogberty* obscurioris notę regulus multùm valet. Inter hos *Robogh* viculus Episcopalis antiqui Robogdiorum nominis expressa retinet vestigia, sed quodnam sit ROBOGDINVM promontorium, nisi sit *Faire Foreland*, planè nescio. Ab hoc scopuloso tractu extrema reflectuntur littora per *Swilly* lacus ostium, qui Ptolemæo ARGITA dici videtur.

Robogdij. Robogdium Promontorium.

Vennicnij. Vidua fl. Boræum promontorium. Vlteriùs magis ad Occasum VENNICNII egerunt, vbi *Mac Rwyny Faid*, *Mac Swyny Netoeth*; & *Mac Swyny Bannigh* plurima possident. VIDVAM fluuius, quod nunc *Crodagh*, & VENNICNIVM promontorium quod nunc *Rames head*, & BORAEVM promontorium, quod nunc *S. Helens head*, inter hos statuit Ptolemæus.

Sligah. Reducto hinc littore *Calebeg* portum & stationem commodam nauigantibus præbet, inde rudera castelli *Sligah* apparēt quod Mauritius *Fitz-Girald* Iustitiarius Hiberniæ circa annum CIↃCCXLII. construxit, cùm hanc regionem sui iuris fecisset. Sed hoc castro & magno in hoc tractu patrimonio, nec non grandi pecunia mulctatus erat Ioannes *Fitz-Gerald* primus Kildariæ Comes, quòd bellum intestinum & exitiabile contra Vltoniæ Comitem suscitauerat.

Donegall. O Donell. Inferiùs haud procul ab ostio Lacus *Earne* conspicitur *Donegall* monasterium & oppidum, vnde cùm Comitatus hæc regio institueretur, nomen assumpsit. Præfuerunt huic territorio multis iam seculis qui e familia *O-Donell*, & illi ex eadem qua *O-Neali* stirpe; nec alio vsi sunt titulo quàm *O-Donell* & Domini de *Tir-Conell*. Ad quem consequendum, vtque suis ceremonijs electione quadam populari ad saxum iuxta *Kilmacrenan* inaugurarentur, feralibus dissidijs, & mutuis cladibus grassati sunt, donec Rex Iacobus *honorem*, *titulum*, & *stilum* Comitis *Tir Conell* non ita pridem Roderico *O-Donell*, fratri Hugonis illius rebellis qui patria profugus in Hispania obijt, honorarijs tabulis contulisset.

Scoti. Antiqui huius Vltoniæ incolæ, vt & reliqui totius Hiberniæ, vno nomine SCOTI olim appellati erant, & hinc Scotorum nomen in Borealem Britanniæ plagam transuexerunt. Sex enim (vt author est Giraldus) *Muredi Regis Vltoniæ filij Boreales Britanniæ partes circa annum salutis* CCCC. *occuparunt, vnde* SCOTIA *specificato vocabulo appellata.* Quod tamen longo antè tempore factum è Scoticorum Annalium fide constat, Fergusius etiam Secundus qui Scotorum in Britannia regnum restaurauit hinc aduenit, cui Patricius hac diuinatione vaticinatus erat. *Licet hodiè videaris humilis & despectus in conspectu fratrum tuorum, eris in breui Princeps, & Dominus omnium illorum.* Vtque fidem & authoritatem huic asserat scriptor ille subiungit. *Elapso non magno temporis spatio Fergusius iuxta vaticinium sancti viri principatum in tota terra illa obtinuit, semenq; illius per multas generationes regnauit. Ex eius stirpe processit strenuissimus Rex Edanus filius Gabrain qui Scotiam quæ dicitur Albania subegit, cuius in ea regnat adhuc successiua posteritas.*

Vita S. Patricij.

Vltoniæ Comites. Ioannes *Curcy* primus Anglorum hanc regionem regnante Henrico Secundo aggressus est, & Duno, Armachaque expugnatis, vniuersam aut bello, aut deditione complexus est, primusque Vltoniæ Comes est dictus, cui cùm res prosperè gestæ ita inuidiam conflassent, vt ex suis virtutibus, aliorumque vitijs in exilium ageretur; Hugo de *Lacy* filius Hugonis *Lacy* Domini Midiæ iunior qui illum bello prosequi iussus, datus erat à Rege Ioanne successor, factus Comes Vltoniæ *per gladium*: quo tamen honore ob tumultuantem insolentiam ab eodem Rege erat posteà exutus, & demum in gratiam receptus.

An. 7. Ioannis

ceptus. Sed iuuet ad fidem solidiorem hæc verbatim è Regijs Hiberniæ tabularijs exscribere. *Hugo de* Lacy *quondam Comes Vltoniæ tenuit totam Vltoniam exemptam & separatam à quolibet Comitatu de Regibus Angliæ in Capite per seruitium trium Militum quoties regale seruitium fuisset proclamatum, & placitauit in Curia sua omnia Placita quæ ad Iustitiarium & Vicecomitem pertinent, & tenuit propriam Cancellariam, &c. Et postea tota Vltonia deuenit ad manus Domini Ioannis Regis per forisfacturam prædicti Hugonis, cui postea Rex Henricus Tertius eam dimisit ad terminum vitæ ipsius Hugonis. Et defuncto ipso Hugone, Walterus de* Burgo *fecit tantum erga Dominum Edwardum filium Regis Henrici tunc Dominum Hiberniæ antequam fuit Rex. Idemque Dominus Edwardus Rex feofauit prædictum Walterum de prædicta terra Vltoniæ habenda & tenenda eidem Waltero & hæredibus suis per seruitium prædictum adeò liberè & integrè sicut prædictus Hugo de* Lacy *eam tenuit, exceptis aduocationibus Ecclesiarum Cathedralium & dominio earundem, & Placitis de Corona, scilicet, Raptu, Foristallo, Incendio & thesauro inuento, quæ Dominus Edwardus Rex sibi & hæredibus suis retinuit.* Walterus ille de *Burgo*, qui Connacthiæ Dominus & Comes Vltoniæ, ex vnica filia Hugonis de *Lacy* genuit Richardum Comitē Vltonię, qui multis exagitatus difficultatibus obijt anno MCCCXXVI. Richardo natus erat Ioannes de *Burgo*, qui patre superstite fatis concessit cùm ex Elizabetha *Clare* vna hæredum Gilberti *Clare* Com. Glocestrię fratris sui Guilielmum, qui auo successit, genuisset. Hic Guilielmus a suis iuuenis interfectus Elizabetham vnicam filiolam reliquit, quę Leonello Clarentiæ Duci enupta peperit vnam itidem filiam vxorem Edmundi de *Mortuomari* Comitis *Marchiæ*, per quam Comitatus *Vltoniæ* cum *Conachtia* ad *Mortuomarios* deuenit, & ab illis vnà cum regno Angliæ ad familiam Eboracensem, quo tempore Edwardus Quartus Rex Angliæ sacro patrimonio, siue *Domanio*, vt vocant, regio adiunxit. Cùmque eadem tempestate Anglia in partes discederet, intestino exardescente bello, & Angli qui hic egerunt ex Vltonia reuersi partes in Anglia sequerentur, *O-Neal* & alij Hibernicæ originis has regiones occuparunt, & ita barbarie efferarunt, vt nihil supra. Adeoque vt hæc Prouincia quæ suis Comitibus olim magnum vim pecuniæ dependit, vix pauxillulum nummorum iam inde Angliæ Regibus reddiderit.

Vide pag. 479. & 590.

Hibernia neglecta.

Nec sane in re quauis alia magis desideratur (modò loqui liceat) Regum Angliæ pietas & prudentia, quàm quòd hanc Prouinciam, imò totam Hiberniam in religione propaganda, Republica constituenda, & incolarum vita ad humanitatem excolenda tot iam seculis negligentiùs habuerint; an per supinam socordiam, parsimoniam, aut prouidentiam damnosam non dixero. Ne diutiùs autem negligatur ipsa suo iure efflagitare videtur, quæ Insula est tanta, tam vicina, tam vbere gleba, tam pascuis supra fidem læta, tot syluis obsita, tot metallorum venis, modò quis scrutaretur, diues, tot fluminibus irrigua, tot portubus circumcincta ad nauigationes in opulentissimas regiones tam opportuna, & inde vectigalibus quæstuosa futura, hominumq; altrix tam fœcunda, qui siue animos siue corpora spectemus, ad omnia pacis bellique munia vsui esse poterunt singulari.

* *
*

De

DE O-Nealis qui se Vltoniæ Dominos venditant, me dicturum modò innui, & de rebellionibus ab ipsis nostro seculo concitatis summo amico me scripturum iampridem promisi; & promissi sanè constantiam tuebor Dijs Manibus illius quem viuum colui, & iam cælo receptum æternùm meminero. Hoc solùm præfatus, quæcunque scripsero non ex incertis per circulos rumoribus, aut è triuio relationibus, sed ex ipsis eorum autographis qui rebus præfuerunt & interfuerunt summatìm esse deprompta: idque tam syncero veritatis studio, & fide adeò integra, vt non dubitem quin à veritatis cultoribus, & qui Hibernica plerisque ignota scire auent, gratiam ineam; & in reprehensiones non incurram nisi apud illos qui cùm malè fecerint, malè audire submolestè ferunt & indignantur.

O-NEALI, & eorum nostro tempore *rebelliones.*



DE *Nealo* Magno qui in Vltonia, & magna Hiberniæ parte ante aduentum S. Patricij vi & armis rerum potitus erat, deque intermedijs quorum subobscura est memoria, vt taceam. Hæc familia ab Anglorum in Hiberniam ingressu obscurior latuit, nisi cùm Edwardus *Brus* Scotus se Regem Hiberniæ dixerit. Tunc enim tempore turbulento Douenaldus *O-Neale* è latebris emersit, & in literis ad Pontificem Romanum datis hoc vsus est titulo; *Douenaldus O-Neal Rex Vltoniæ ac totius Hiberniæ hæreditario iure verus hæres*: sed tumultu sedato Rex iste nouus mox disparuit, posterique delituerunt donec Angliâ feralibus bellorum facibus inter Lancastrenses & Eboracenses de imperio decertantes inflammatâ, Angli qui hîc militarunt Vltoniâ relictâ & *O-Nealis* in custodiam commissâ, domum ad partium duces reuerterentur. Tunc enim Henricus *O-Neal* filius *Oeni* siue *Eugenij O-Neal* filiam Thomæ Comitis Kildariæ, & eius filius *Con-More*, .i. *Conus Magnus*, Geraldi Comitis Kildariæ filiam matris neptem duxit, Kildariensiumq; Comitum potentia & authoritate subnixi? (qui plures sanè annos rerum summæ in Hibernia præfuerunt) caput altiùs exeruerunt, acerba in populum tyrannide grassantes, & insolenti fastidio elati Principum, Ducum, Marchionum, Comitum titulos præ nomine *O-Neal* dedignati. Conus Coni filius cognomento *Bacco*, id est *Claudus* patri dignitate *O-Neal* successit, qui suis posteris malè imprecatus si vel Anglicè loqui discerent, vel triticum sererent, vel ædes extruerent, sollicito timore ne Angli his inuitamentis in suos agros pellicerentur. Huius potentia cùm Regi Henrico Octauo esset suspectior, & Rex iam conculcatâ Kildariensi familiâ, cuius rebellioni se immiscuerat, ipsi etiam esset formidabilis, in Angliam venit, nominéque *O-Neal* renunciato, Regi omnia sua in manus tradidit, quæ mox Diplomate sub magno Angliæ sigillo vt beneficiarius recepit cum titulo Comitis *Tir-Oen*, sibi & Matthæo filio falsò credito, eorumque de corpore hæredibus legitimè procreatis; Matthæusque eodem tempore Baro de *Dunganon* fuit creatus. Hic vsque ad decimum quintum ætatis annum filius fabri ferrarij Dundalkiensis habitus, à fabri vxore quondam Coni amasia, Cono pro filio oblatus, & ab eodem filij loco

Scoto-Chronicon lib. 12. cap. 26.

Primus Comes Tir-Oen.

loco acceptus erat, posthabito Ioanne (*Shan* illi vocant) cum alijs quos ex legitima vxore progenuerat, Shani animus hinc subitò cùm nothum sibi prælatum, & eo honoris euectum videret, à patre omninò erat auersus, odioque maximo cum acerbissimo dissidio in Matthæum ita flagrauit, vt è medio sustulerit, patremque indignis iniurijs adeò afflixerit, dominatu, sedibus & fortunis eijcere conatus, vt senex mœrore grauissimo confectus vita excesserit. Statimque Shanus electus & acclamatus *O-Neal* paternam adijt hęreditatem, filiosq; Matthæi vt ab illis esset securus sedulò perquisiuit, sed illi fuga elapsi. Brianus tamen filius natu maximus haud multò pòst à *Mac-Donell Toan* ex *O-Nealorum* stirpe, authore (vt ferunt) Shano, occisus. Hugo, & Cormacus Anglorum beneficio euaserunt, & adhuc supersunt. Rerum sic Shanus potitus, homo crudelitate barbarus, importunam in Vltoniæ proceres tyrannidem exercere incepit, & *Mac Gennys*, *Mac Guir*, *Mac Mahon*, *O Realy*, *O Hanlon*, *O Cahan*, *Mac Brien*, *O Hagan*, *O Quin*, *Mac Canna*, *Mac Cartan*, *Mac Donell Galloglassium* suos esse subditos gloriatus. Shanus siue Ioannes O Neal.

Cùm Henricus Sidneius tunc Iusticiarius, Sussexio Prorege absente, hæc cum illo expostularet, respondit, se certum & legitimum Coni filium & hæredem, vtique ex vxore legitima natum, paternam adijsse hæreditatem, Matthæum fabri ferrarij Dundalkiensis fuisse filium à fabro genitum, natum post nuptias eiusdem cum Alisona vxore, à matre tamen pro filio Cono subdolè obtrusum vt hæreditatem & dignitatem *O-Neali* interuerteret, quod licèt ille pateretur, alium tamen neminem ex *O-Nealorum* familia vnquam perpessurum. Quod ad Diploma Henrici VIII. attinet, instar nihili esse, cùm Conus nihil haberet iuris in ijs quæ Regi in manus tradidit, nisi ad vitam suam; nec sine consensu procerum & populi à quibus electus erat *O-Neal* de ijs potuisse cedere, Diplomataq; eiusmodi nihil valere nisi certus familiæ hæres iureiurando XII. virorum autenticè priùs significetur; quod hac in re minimè factum. Ipsum etiam iure diuino & humano certum esse hæredem, primogenitum scilicet patris legitimè patrimonio progenitum, vnanimi procerum populiq; consensu *O-Neal* designatum fuisse patria *Tanistria* lege, qua vir matura ætate puero, & patruus illi nepoti, cuius auus patri superuixerit, præferendus, nec quicquam authoritatis in Vltoniæ proceres sibi arrogâsse, quam maiores retroactis temporibus, vt prolatis tabulis probare poterat, iure suo exercuerant.

Mox tamen *O-Raylium* debellauit, *Calloghum O-Donell* captum in carcerem condidit cum liberis, vxorem rapuit, ex qua adulterando prolem suscepit, castella eius, agros & fortunas occupauit, & vt Rex Vltoniæ se gessit.

Quàm primùm ad hanc insolentiam retundendam Thomas Sussexiæ Comes Prorex signa extulerit, ille perterritus, & à cognato Giraldo Comite Kildariæ quem R. Maria in integrum restituerat, persuasus, in Angliam ad R. Elizabetham venit, supplicem se abiecit, & omni humanitate exceptus, fidem pollicitus domum redijt, ad omnem humanitatem victu & cultu paulisper se conformauit, Scotos ex Vltonia Iacobo *Mac-Conell* eorum duce occiso exterminauit, se & suos ordine continuit, tenuiores iniuria prohibuit, in proceres tamen omni insolentia acerbissimè grassatus, qui cùm ad intolerandam eius violentiam cohibendam opem à Prorege petijssent, ille furore effrenatior *Mac-Guir* Dominum in *Fermanagh* qui illum subaccusauerat, ferro flammaque sedibus deturbauit, Metropoliticam Armachę ecclesiam igne iniecto accendit, Dundalkiam obsidione incinxit, sed irrito incepto virtute præsidiarij militis, & Guilielmi *Sarfeild* Pręteris Dublinensis qui eò cum electo ciuium flore in eum profectus. Circumuicinas tamen regiones omni bellorũ iniuria vndique lacerauit. Sidneius Prorex vt grassantem hominis audaciam reprimeret exercitum in eum ipse ducit, prouideque Edwardum Randolphum veteranæ militiæ nomine clarum cum septem peditum signis, & alâ equitum nauigio in Septentrionale latus Hiberniæ præmisit, qui apud *Dirry* ad *Loghfoil* castra metatus, vt rebellem à tergo vrgeret. Quod ille veritus eò accessit, cum omnibus connixus copijs vt eum submoueret; verùm collatis signis Randolphus in eum irruit, vitâque patriæ cum gloria profusâ, ita profligauit, vt nunquam postea resistendo par fuerit, & alibi leuibus velitationibus fractus, a suisque sensim derelictus, animum induxerit Proregis fidem & misericordiam capistro, ad collum alligato obtestari. Verùm a scriba persuasus priùs Scotorum amicitiam sub Alexandro *Oge*, id est, iuniore, qui tum æstiua in *Claneboy* habuerunt, experiri, præmisso Surleio *Boy* Alexandri fratre, quem diu captiuum detinuerat, ad eos cum rapta

Thomas Comes Sussexiæ Prorex.

Henricus Sidney Prorex 1565.

O-Donelli

O-Donelli coniuge accessit, comiter excipitur, cum paucis in tentorium admittitur, vbi post pocula in iurgia proruperunt de Iacobo *Mac-Conell* Alexandri fratre, quem Shanus occiderat, & de pudicitia sororis Iacobi quam Shanus duxerat & abiecerat: cùm Alexander *Oge*, & *Mac-Gillaspic* frater eius ad vindictam exardentes dato signo machæris strictis Shanum aggressi iteratis ictibus cæciderunt, vnde anno Salutis MDLXVII. pax reddita prouinciæ.

Conuentus Ordinum regni paulò pòst Dubliniæ habitus, quorum authoritate Shanus proscriptus, & plerisque omnibus Vltoniæ prouincijs, & Præfecturis, Regina & successores inuestiuntur. Legeque sancitum vt nemo iam inde *O-Neali* nomen & titulum sibi adsumeret. Adsumpsit tamen paulo post *Turlogh-Leinigh* natus ex fratre *Coni More O-Neal*, quem dixi, vir affecta ætate & ideò sedatior eoque magis quòd à Shani *O-Neali* filijs, & Hugone Barone *Dunganon* filio sibi timeret, licèt Hugoni filiam in vxorem dederat, quam ille tamen mox aliâ superinductâ repudiauit. *Turlogh* hic Reginæ Anglorum obseruantissimus Anglis nihil negotij facessit, sed plurimum vicino *O-Donello* & Scotis Insulanis, è quibus Alexandrum *Oge*, illum qui Shanum *O-Nealo* occiderat, velitatione peremit. Hugo Matthæi filius qui Baro *Dunganon* dictus & modò apud suos, modò in Anglia, in clientela nobilium diu vixerat, iam ex humili vitæ conditione emergere cœpit, equitum alæ in bello contra Desmoniæ Comitem rebellantem ab Elizabetha Regina præfectus, annua mille Marcarum pensione assignata, fortiter se contra rebelles vbiq; gessit; demumque libellum supplicem in Parlamento exhibuit vt ex vi Diplomatis auo concessi in titulum & locum Comitis *Tir-Oen*, & in auitam hæreditatem admitteretur; Titulus & locus Comitis *Tir-Oen* statim concessus: de hæreditate verò cùm proscripto Shano *O-Neal*, Reges Angliæ in eadem inuestirentur, relatum fuit ad Elizabetham Reginam, quæ benignissimè concessit ob fidele eius *obsequium præstitum & præstandum*. Ita tamen vt regio priùs describeretur, vnus & alter locus præsidijs idoneus reseruaretur, nominatim munimentum ad *Black-water*, & filijs Shani & Turloghi prospiceretur: nec aliquid authoritatis in Dynastas vicinos extra Comitatum *Tir-Oen*, illi permitteretur. Has conditiones ille lubentissimè amplexus, gratias cumulatissimè egit, quicquid diligentia, authoritate, studio pro tantis beneficijs præstare poterat, præstiturum promisit, & certè promisso non defuit, nec quicquam officij quod a fidelissimo subdito expectes, reliquum fecit. Corpus illi laborum, & vigiliæ, & inediæ patiens, industria in eo magna, animus belli ingens maximisque par negotijs, militiæ multa scientia, ad simulanda negotia altitudo ingenij profunda, adeo ut nonnulli tunc eum vel maximo Hiberniæ bono, vel maximo malo natum prædixerint. Eaque virtutis & fidei specimina præbuit, vt Regina intercedente, dominatu suo Turloghus *Leinigh* illi certis quibusdam conditionibus cesserit. Quo mortuo *O-Neali* titulum (quod lege capitale fuit) sibi vsurpauit, factumque excusauit, ne alij eundem inuaderet, promisitque se renuntiaturum, iureiurando tamen ad hoc astringi ne vrgeretur, summopere efflagitauit.

Hugo O-Neal. Comes Tir-Oen.

1588 Sub hoc tempus cùm Hispanica classis illa instructissima quæ Angliam frustrà inuaserat, profligata esset, in reditu plures naues in Vergiuio mari perierunt, multique ex Hispanis in littora Hiberniæ naufragio eiecti, è quibus nonnullos Comitē *Tir-Oen* hospitio excepisse, & cum illis de ineundo cum Hispaniæ Rege fœdere clandestino agitâsse consilia perhibetur. Eoque nomine cum detulit nec leuibus sane indicijs Hugo *Ne-Gaueloc* (.i. *in compedibus*, sic cognominatus quia in compedibus diu detentus) Shani *O-Neal* filius naturalis, quem postea comprehensum ipse Comes strangulari iussit, & ęgrè inuenit qui manus illi ob reuerentiam sanguinis *O-Nealici* inijceret. Cuius barbari, & inhumani fratricidij pro regia clementia, & spe quam de Comite culpam cum pœnitentia deprecante conceperat Elizabetha, bonis nonnullis reclamantibus, gratiam fecit. Verùm hominem quasi stimulis fodit, quòd nomen *Mac-Mahon* in regione sibi proximè vicina Prorex suppresserat, & ad infirmandam validæ familiæ potentiam inter plures regionem subdiuiserat, veritus ne idem sibi & reliquis Vltoniæ Dynastis fieret. Gliscere eo tempore simultates inter Com. & Henr. Bagnallum Hiberniæ Marescallum, cæperunt, cuius sororem in vxorem Comes rapuerat. Comes conquerebatur quicquid Vltoniæ ille suo sanguine & laboribus in Principis obsequium reduxerat, Marescallo, non sibi in fructum cedere, Marescallum falsò ipsum in læsæ maiestatis crimen, vilissimis hominibus

bus

bus in testes subornatis, vocasse Guilielmum *Fitz-Williams*, tunc Proregem in ipsius perniciem ardentem corruptelis incitasse, eiusq; vitæ insidiatum fuisse: & inuenit sane fidem Prorex in Aula Regia Angliæ, donec scriptis in Angliam literis Comes se iudicio vel in Anglia, vel in Hibernia se stiturum obtulerit. Pro certo habetur sub hoc tempus illum & Vltoniæ Dynastas occultis conspirationibus in fœdus coijsse Religionem Romanam se defensuros: (Religio enim iam vtique rebellioni prætenditur) Vicecomites vel Præsidiarios in suis territorijs nullo modo admissuros, se sua iura mutuò propugnaturos, & iniurias Anglorum propulsaturos. Qui primùm classicum caneret *Mac-Gwire* protrusus est, vir turbidi ingenij. Ille populabundus in vicinos irruit, Conachtiam ingreditur concomitatus Gaurano sacrifico qui à Papa Primas Hiberniæ constitutus iussit vt Deo fretus fortunam experiretur, cuncta prosperè euentura; secùs tamen accidit, *Mac-Gwiro* fortitudine Richardi Binghami fugato, & Primate cum alijs pluribus occiso: Mox *Mac-Gwir* in rebellionem prorumpit, quem cum Marescallo simulatione officij ipse Comes persequutus vulnus in fœnore magna fortitudinis laude accepit. In securitatem tamen suam intentus Shani *O-Neali* filios intercipit, ne nocerent; nec in libertatem vllo modo restituere voluit rogatus, sed aliud agens conqueritur grauissimè de Proregis, Marescalli, & Præsidiariorum iniuriis, quas tamen ita obscurè mox tulit, vt quasi omnium oblitus, fide data Proregem adierit, seque submiserit, omnemque professus obedientiam domum redierit.

Reuocato iam ex Hibernia Guilielmo *Fitz-Williams* in eius locum Guilielmus Russellus Prorex suffectus. Hunc adiit Comes sponte, prolixè promisit se quæcunque imperata fuerint libentissimè præstiturum, literisque ad Consiliarios Angliæ datis idem pollicitus, obnixèque orat vt a Regina in pristinam gratiam reciperetur, quâ ementitis inimicorum delationibus, nullo suo merito exciderat. Aderat tunc Bagnallus Marescallus qui exhibitis articulis accusauit Comitem submisisse *Mac-Guirum* cum Primate, quem dixi, in Conachtiam, clandestina cum *Mac-Gwiro* & *O-Donello* & aliis coniuratis sociâsse, consilia illis per Cormac *Mac-Baron* Comitis fratrem, Conum filium Comitis nothum in deuastando *Monaghan*, & obsidendo *Inis-Kellin* opem tulisse: Capitaneos de *Kilulto*, & *Kilwarny* a fide in Principem minis abduxisse. Hinc inter Regni Consiliarios seriò agitatum an Comes ad respondendum detineretur, detinendum Prorex censebat, plures vel vano timore vel prono in Comitem studio dimittendum & rem in aliud tempus prolatandam vrgebant: Quibus vt pluribus & maiori rerum Hibernicarum vsu Prorex inuitus acquieuit. Dimittitur itaq; accusatoribus qui aderant, non auditis. Quod Reginam inprimis anxiam habuit, cùm eius scelerata & consilia & facta singulis iam dilucescerent, & ipsa Regina vt detineretur, donec obiecta crimina diluisset, præmonuisset. 1594

Comes domum iam reuersus cùm audiisset nouum supplementum militum ex Anglia, & veteranos mille tercentos è Belgio qui in Britannia Armorica sub Ioanne Norisio militauerant, aduentare, & Anglos iam *Ballishanon* & *Belyk* castra ad exitũ Lacus *Earn* cogitare, ipse male sibi conscius propugnaculum ad *Blackwater* per quod in *Tir-Oen* eius prouinciam erat ingressus, ex improuiso adoritur, & deditione capit. Eodemque ferè momento sibi varius, & animo æstuans per literas opem suam Comiti Kildariæ contra iniurias Proregis offert, Comiti Ormondiæ & Henrico Wallopo regni Proquæstori se in fide permansurum promittit, Ioannemq; Norrisium *Generalẽ* constitutum per literas obsecrat, vt mitiùs secum agatur, nec in fidei pręcipitium inuitus protrudatur. Verùm has ad Norrisium literas Bagnallus Marescallus intercepit, &, vt Comes posteà conquestus est, in eius maximum damnum suppressit. Statim enim hostis patriæ, & proditor publica pręconis voce declaratus erat. Qua tempestate numerabantur in Vltonia apud rebelles plus minus mille Equites, Pedites, 6280. & in Conachtia 2300. qui omnes erant etiam ad Comitis nutum, & ex his quamplurimi rei militaris non ignari: vtpote qui armis exercitati, ex quo singulis Dynastis Vltoniæ I. Perottus Prorex numerum præscripserat, qui armis exercerentur vt Scotis Hebridianis resisterent, vel Belgico versati bello, quos ille consilio in posterum improuido eò transmittendos curauerat. Nec minor sane in Anglorum copijs numerus, quibus summa cum authoritate præfuit I. Norisius Belgico bello clarus, nihil tamen memoria dignum gessit, cùm simultatibus inter ipsum & Proregem 1595. die 12. Iunij.

laboratum esset, tantùm tempus deprædationibus, inducijs, & colloquijs transactum. Nec dubium quin viris militaribus vtrinq; bellum trahi placuerit, & Comes quotidiè subsidium ex Hispania expectauerit.

Inter colloquia verò maximè memorabile erat illud quod duo delegati Henricus *Wallopus* regni Proquæstor, & Robertus *Gardenerus* Iustitiarius primarius, viri grauissimi & perspectæ prudentiæ cum Comite *Tir-Oen* & *O-Donello* habuerunt, in quo & sua grauamina, & petitiones illi, & ex coniuratis alij exhibuerunt. Comes scilicet questus erat Henricum *Bagnall* Marescallum fructum laborum suorum interuertisse, mendacijs & malis artibus de Reginæ gratia & quodammodo de gradu deiecisse, literas suas ad Proregem, Norisium, & alios in graue ipsius præiudicium intercepisse, & dotem vxori suæ assignatam detinere: protestatusque se cum exteris Principibus priusquam proditor esset declaratus nunquam egisse. Humilimè autem petijt, vt crimina sibi & suis condonarentur, vt in integrum restituerentur, vt religionem suam liberè exercerent, (quod tamen semper fuit permissum) vt Marescallus mille libras monetæ Anglicæ in dotem vxoris iam defunctæ persolueret, vt nulli præsidiarij, Vicecomes, aut officiarius alius in Comitatu suo constitueretur, vt ala quinquaginta Equitum quam Reginæ stipendio duxerat, redderetur, & qui suos deprædati fuerint plecterentur. O-Donellus quum patris & maiorum in Reges Angliæ fidem commemorâsset, querebatur nihilominùs *Boinum* militum ductorem in eius prouinciam specie populum ad humanitatem imbuendi, à Perotto Prorege cum cohorte missum, comiter à patre quibusdam opidis illi assignatis, exceptum (in patrem nullo non iniuriæ genere sæuijsse) spurium quendam ad dignitatem *O-Donelli* extulisse, Proregemque illum submissa nauicula hunc ipsum intercepisse, innocentem in carcerem detrusisse, & donec Deo duce liberaretur, iniustè detinuisse; Proregem etiam *Fitz-Williams* Owenum *O-Toole* virum ab *O-Donello* huius tractus secundum publica fide euocatum in carcerem totos septem annos insontem condidisse, & vicinos sibi in *Fermanaugh* intolerandis iniurijs onerâsse, nec aliam se suæ salutis expediendam rationem posse inire, quàm proximis deuexatis opem ferendo. Petijt verò eadem quæ Comes, & etiam castella quædam & prædia in Comitatu *Slego* quæ suo iure sibi vendicauit. *Shan Mac Brian Mac Phelim O-Neal:* conquestus erat Comitem Essexiæ insulam *Magie*, Henricum Bagnallum Baroniam de *Maughery-Mourn*, vtramque auitam hæreditatem sibi per iniuriam abstulisse, se in vinculis habitum donec iure suo Bagnallo coactus cesserit, præter iniurias à præsidiarijs ad *Knoc-Fergus* infinitas. Hugo *Mac Guir* proximorum præsidiariorum militarem insolentiam in armentis abigendis exaggerauit, & Vicecomitem in suas regiones immissum proximi cognati caput amputasse & proculcasse. Brianus *Mac Hugh Oge*, *Mac-Mahon*, & Euer *Mac Conley* conquerebantur, præter alia *Fitz-Williams* Proregem, cui bonum & honestum pecuniâ posteriora, largitionibus adductum Hugonem *Roe* in dignitate *Mac-Mahon* confirmasse, & mox quòd mulctam impositam more patrio explicatis signis petijsset, suspendisse, eiusq; hæreditatem vt nomen *Mac Mahon* deleretur, alienis concessisse. Vt semel dicam, petierunt singuli eadem quæ supra memoraui. Quorum cùm quædam æqua, alia ad Reginam referenda censerent delegati, & articulos contrà rebellibus proponerent: tam iniqui illis iam insolescentibus visi sunt, vt inducijs ad breue tempus pactis discessum fuerit. Cùm Regina & tunc temporis & posteà vt humano sanguini & etiam pecuniæ parcitum esset ad quascunque pacis conditiones maiestate non indignas haud inuita descendisset.

Induciarum tempore elapso Norrisius in Comitem mouit, cui summa & sola rei militaris authoritas in Proregis absentia à Prorege ex Reginæ mandato fuerat translata. Prorex tamen ei se adiungit, tantoque rebellium timore ad Armacham vsque processerunt vt Comes munimento ad *Blackwater* derelicto, villas circumuicinas opidumque *Dunganon* igne iniecto incenderit, ædes suas ibidem magna ex parte subruerit, & iam de se conclamatum ingemiscens latebras cogitarit: cùm illi non vlterius progressi quòd à commeatu non satis instructi substiterint, & Comite proditore in suo ipsius territorio declarato, atq; in Armachana Ecclesia præsidio relicto, reuersi sint. Reuertentes sedulò Comes obseruat, præsidium tamen ad *Monaghan* firmârunt, cùmque iam propè *Dundalkiam* ventum esset, Prorex bellum Norisio prosequendum pro ea quam acceperat à Regina authoritate commisit, multisque vtrinque verbis habitis officio plenissimis

Lord General of the Army.

1595. 18. Iulij.

mis Dubliniam se recipit, & rebus Lageniæ, Conachtiæ, & Momoniæ prouidè prospicit.

Norrisius in Vltonia mansit, nihil tamen tanto viro dignum præstitit, siue ex æmulatione in Proregem, siue inclinatione quadam fortunæ quæ magnos duces tandem destituit, siue ex fauore quo in Comitem tantùm propendebat quantùm Prorex in odium. Subaccusauit enim Proregem Norisius quòd in Comitem iniquior nullam cum eo pacem ineundam censeret, cùm induci nollet Comitem nihil nisi moras nectere, dum ex Hispania subsidia expectaret: cùm ille interim æquior & credulus spem optimam Comitem ad pacis conditiones perducendi concepisset: quam versutus ille in Norrisio ita aluit, vt submissionem etiam simulatam suo chirographo obsignatam offerret, & in genua prouolutus culpam supplex deprecaretur. Intereà tamen sedulò & secretò literis & precibus cum Hispano per emissarios suos egit de ope subministranda, vsque adeò vt vnus & alter ab Hispano internuntius clandestinò ad rebelles venerit, cum quibus pactum erat, vt si iustum exercitum qui par esset Anglis profligandis præfinito tempore Hispanus submitteret, se suas copias coniuncturos, interim si apparatum bellicum suppeditaret, se quascunque pacis conditiones reiecturos. Hisce pactis *O Rorck*, *Mac William*, & alij subscripserunt, at non ipse Comes prouidè cautus, quem tamen consensisse minimè ambigitur. Quas verò rescripsit Hispanus literas promissis plenas subdolâ officij simulatione ad Proregem transmisit Comes, simulque Hispanici subsidij spe certâ nixus à scripta illa submissione, & fide Norisio promissa resilit, quod Norisius sua credulitate in fraudem illectus acriter & iracundè cum eo quasi os ipsi subleuisset, expostulat. Ille autem gnarus tempori seruiendi iterum cum Norisio, & Fentono Secretario in colloquium descendit, & qualiscunque datis obsidibus pax seu potius pacta initur, quæ mox dirupit pari leuitate, caussatus se non posse non suspicari dolo malo secum agi, quòd tam malè inter Proregem, & Norisium conueniret, quòd indignè à Prorege habiti sint qui cum eo de pace eius nomine egerint, quòd Prorex nihil nisi bellum spirârit, turmis Equitum ex Anglia adauctis, Hispani literis quas dixi detentis, & Marescallo eius aduersario acerrimo iam tum ex Anglia cum nouis mandatis reuerso.

Hinc igitur vicinos agros vastat, viculos incendit, prædasque agit, mox scelerum conscientia exagitatus, & audito pacem inter Angliam & Hispaniam coalituram, colloquia & pacis conditiones denuò expetit. Tædet integumenta eius dissimulationis sigillatim percurrere, vt semel dicam, cùm aliquid discriminis ab Anglis impenderet, fronte, vultu, & verbis ita submissionis simulationem sustinuit, eamque scelerum pœnitentiam præ se tulit, vt eluderet, donec opportunitas ipsum persequendi esset omissa, & necessariò copiæ distrahendæ. Vtque illi semper crederetur, & spes veniæ subinde esset oblata ne pertinacia accenderetur, & socordia ductorum in Hibernia, & parsimonia Consiliariorum in Anglia, & Reginæ innata lenitas quæ rebellium latrocinia (nec bellum enim appellandum) sine sanguine extingui optauit, facilè impetrarunt.

Anno CIↃIↃXCVII. cùm iam vniuersa Vltonia vltra *Dundalkiam* præter septem præsidiaria castra (vz. *Newry*, *Knoc-Fergus*, *Carlingford*, *Greenecastle*, *Armagh*, *Dondrom*, & *Olderfleete*) & tota ferè Conachtia defecisset, Thomas Baro *Burough* in Hiberniam Prorex est missus, vir animi & consilij plenus. Quo tempore Comes cessationem armorum per literas petijt, & interesse quidem videbatur, ad mensem concedere. Mense expleto Prorex contractis copijs quod in rem & famam primis imperij auspicijs videbatur, in Comitem aciem erexit, dubioque Marte inter angustias à Comite acceptus, viam virtute patefecit, & munimentum ad *Blackwater* refirmatum, per quod in Comitatum *Tir-Oen* aditus, & præter syluas & paludes vnicum erat rebellibus firmamentum fortissimè expugnauit, docuitque si quis insisteret, eos facilè profligari posse. Eodem ipso die quo hoc munimentum captum, dum Prorex cum exercitu gratias diuino numini de victoria ageret, ad arma ex improuiso conclamatum est, hoste se è propinquo colle ostendente, in quem Comes Kildariæ Henricus cum ala equestri & quibusdam è nobilioribus volonibus statim mouit, & aggressus in fugam coniecit. Desiderati tamen ex Anglis Franciscus *Vaghan* qui frater Proregis vxori. R. *Turner* Tribunus Maior, vir spectatæ militię, duo collectanei fratres Comitis Kildariæ, quorum mortem adeò ægrè tulit vt ipse paucos post dies præ mœrore expirauerit (omnes enim omnium charitates collacta-

Baro *Burough* Prorex. 1597.

neorum in Hibernia amor longè superat) Plures autem vulnerati, inter quos bellica fortitudine nominatissimus erat Thomas Wallerus. Hoc munimento nouis operibus restaurato, quamprimum Prorex exercitum reduxisset, rebellibus inter spem metum & pudorem fluctuantibus consultissimum munimentum illud obsidione premere visum est: opportunissimum enim ad illos infestandum, & actum de fama & fortuna Comes existimauit, nisi recuperaret. Valida itaq; manu circumdedit. In quem statim Prorex continuis itineribus aduolat, sed illum plenis passibus ad victorias progredientem vis morbi intempestiua extinxit, magno desiderio bonis, & seditiosis securitate relicta. Vtique si superuixisset, prudentum iudicio, spem hostium imminuisset, & in tanta pericula summa rerum non deuenisset.

Proregis morte audita rebelles præferoces magno subinde clamore & impetu munimentum inuaserunt, sed maiore semper clade repulsi, qui scalis admotis scandebant, præcipitati, a proruente præsidiario milite, plurimi obtriti, adeò vt viribus iam diffidentes ad moras consilium verterint, persuasi paucorum dierum superesse alimenta, & fluxa præsidiariorum ex inopia fides & proditio sperabatur. Verùm egregia virtute Thomæ *Williams* Præfecti, & cohortis, locus animosè propugnatus, qui famem, ferrum, & extrema passi, absumptis equis, herbas saxis innatas vellentes nihil non miseriæ pertulerunt.

Iam summum in Hibernia imperium regia ex Anglia authoritate Comiti Ormondiæ titulo *Locum-tenentis Exercitus Generalis*, Cancellario, & Roberto Gardenero demandatum erat, *Locum-tenenti* prolixis literis omnia quæ priùs dixi grauamina Comes significat, nec minima vel militum vel Vicecomitum insolentia omissa, pacta cum Norisio violata frigidè excusat, inprimis quòd *Feogh Mac Hugh* e necessarijs suis exagitatus & e medio sublatus erat; deniq; literas suas ad Reginam in Anglia interceptas & suppressas, nec non *Impositiones* & *Compositiones* proceribus & plebi intolerandas conqueritur. Addit se peruidere omnia procerum Hiberniæ territoria iamiam inter consiliarios, caussidicos, milites & scribas distrahenda esse. Simulq; opem filijs *Feogh Mac Hugh* subministrat vt noui belli incendia in Lagenia excitarent. Vt bellum iam susceptum fuisse singuli viderent, non alio consilio (quicquid obtendebatur) quàm ad Anglos ex Hibernia omninò deturbandos.

Comes interea obsidionem munimenti ad *Black-water* in obsidione habet, ad quam soluendam *Locum tenens Exercitus generalis*, nam nullus adhuc Prorex substitutus, selectissimas submisit turmas XIIII. vexillationes sub Henrico *Bagnallo* Marescallo acerbissimo Comitis aduersario, in quem acrioribus ille inuidiæ stimulis excitatus prope *Ar-*
1598 *macham*, acerrimè inuolauit, statimque Marescallo, in quem omnes vires conuerterat, inter confertissimos hostes occiso periucundum de aduersario triumphum, & de Anglis victoriam insignem reportauit. Nec sane ex quo in Hibernia pedem firmarunt, maior fuit accepta clades, XIII. strenuis ordinum ductoribus desideratis, & mille quingentis è gregarijs, qui fœda fuga dissipati totis campis palantes cæsi; victique superstites non suam ignauiam, sed ducis imperitiam, quod iam in morem cessit, probrosè culparunt. Statim munimenti ad *Black-water* subsequuta est deditio, cum præsidarij fide & armis ad extremam famem retentis afflictissimi spem omnem subsidij euanuisse viderent. Clara hæc victoria & rebellibus inprimis vsui qui hinc arma & cõmeatum nacti, & Comes per Hiberniam magna fama tanquam libertatis auctor vbiq; celebratus, ferociâ & superbiâ supra modum intumuit, misitque in Momoniam *Ouny-Mac-Rory-Og-O-More*, & Tirellum ex Anglica licèt origine Anglico nomini infestissimum cum IIII CIↄ. prædonibus, contra quos ad *Kilmalock* vsque Præses Prouinciæ Thomas Norisius cum satis valida manu accessit, sed hoste ne quidam conspecto dispersis copijs Corcagium se recepit. Quo comperto rebelles confluenti magna perditissimorum colluuie agros vastant, prædas agunt, vndiquaq; Anglorum arces, ædes, & prædia diripiunt, & incendunt, eosque passim crudelissimè trucidant, Iacobum *Fitz-Thomas* è Desmoniæ Comitum familia in Desmoniæ Comitem, ita tamen vt *O-Neali* siue Comitis esset beneficiarius, erexerunt, & post mensem accensa in Momonia flamma prædis onusti recesserunt. Datis iam ad Hispanum literis victorias suas pleno ore laudat Comes, simulque obsecrat ne credat si forte ab Anglis audiat se pacem expetere; contra omnes pacis conditiones licèt æquissimas animum se obfirmasse, & fidem Hispano datam constantissimè obseruaturum. Literis tamẽ missisque

que subinde nuntijs interea de submissione cum Comite Ormondiæ simulatè intercessit, & iniquissima postulauit.

Hic erat Hiberniæ status ferè deploratus, cùm Regina Elizabetha Robertum Essexiæ Comitem tunc Gadibus Hispaniæ captis celeberrimum pro spectata prudentia, fortitudine, & fide Hiberniæ Proregem ad detrimenta sarcienda designat, amplissima addita potestate belli componendi, ac etiam quod importunitate quasi extorsit, remittendi & condonandi in ipsam maiestatem crimina, quæ semper in singulorum Proregum Diplomatibus hisce verbis sic fuit ante restricta *(proditionibus personam nostram, hæredes, & successores tangentibus exceptis)* Et prouidè sane hanc condonandi huius generis crimina authoritatem obtinuit, cùm quascunque rebelliones Principis *personam tangere* Iurisconsulti statuant. Exercitus illi decretus quantum postulauit, nec Hibernia priùs viderat, scilicet XVI M. pedites, & equites mille trecentos, qui postea etiam ad viginti millia suppletus, & in mandatis datum, vt cæteris quibuscunque posthabitis, in Comitem *Tir-Oen* Archi-rebellem tanquam in caput, omnem belli tempestatem conuerteret, & ipsum præsidijs ad *Lacum Foile*, & *Bala-Shanon* quamprimùm premeret; quod faciendum ille semper inculcauerat, & neglectum fuisse superioribus Proregibus criminosè obiectauerat. Ita insignis nobilitatis flore comitatus Londino plebe faustis acclamationibus prosequente, sed Ioue serenò tonante, sub finem mensis Martij profectus aduersa tempestate conflictatus in Hibernia appulit, gladioque pro more accepto, statim contrà ac in mandatis habuit, suasu quorundam è Regio consilio qui in sua priuata nimis intenti, aduersus minutos quosdam in Momonia rebelles rebelle Comite neglecto cum omnibus copijs signa extulit, captoque *Cahir* Ed. Butleri Baronis de *Cahir* castro, in quod *Swiro* flumine circumfusum quidam seditiosi se receperant, & abacto magno pecorum numero latè sui terrorem sparsit, & rebelles circumquaque in syluas & saltus dispersit. Interim tamen clades non minima accepta quorundam ignauiâ qui sub H. Harringtonio meruerunt, in quos acriore disciplina animaduertit. Nec ante mensem Iulium iam diuergentem redijt, militibus lassatis, affectis, & numero supra fidem accisis. Robertus Comes Essexiæ Prorex, 1599.

Cùm reuersus accepisset Reginam hanc damnosam expeditionem acerbè ferre, & illam in Vltoniam contra Comitem omnino vrgere, datis literis culpam in Hiberniæ consiliarios quibus ob multiplicem in rebus Hibernicis vsum non poterat non acquiescere, transtulit, sanctè pollicitus se quàm primùm in Vltoniam progressurum. Hisque literis vix traditis alias submittit quibus significat sibi necessariò iter in *Offaliam* Dubliniæ vicinam contra *O-Conoros*, & *O-Moilos* ibi tumultuantes deflectendum, quos sanè facilè & fœliciter leuibus prælijs contudit. Reuersus lustrato exercitu ita extenuatum inuenit vt nouum mille militum supplementum per literas chirographis Consiliariorum Hiberniæ subscriptas ad expeditionem quam iam suscepturus in Vltoniam, petierit.

Iam certus in Vltoniam bellum conuertendi Coigniero Cliffordo Conachtiæ Præfecto imperat, expeditis cohortibus versus *Belike* proficisci, vt Comitis copiæ distraherentur, dum ipse alia ex parte aggrederetur. Cliffordus statim cum mille quingentis profectus, milites longo itinere delassatos, & a puluere bombardario minùs instructos *Curlew* montes superare iubet, quos cùm maximam partem superassent, rebelles duce *O-Rorcke* ex improuiso irruunt: Angli facilè principio repellunt, susceptum ita pergunt, sed cùm hostes iam bombardarium pulueremm deesse senserint, eos denuò adoriuntur & de via languentes resistendo impares in fugam coniecerunt, Cliffordo vnà cum Henrico Ratcliffio de *Ordsallo* ex equestri Ordine cæso. Interim in Anglia supplementum quod Prorex petijt, conscribitur, & mittitur, verùm pauculis interiectis diebus, alijs literis significauit se nihil aliud hoc anno ampliùs præstare posse quàm cum MCCC. peditibus & CCC. equitibus Vltoniæ limites adire. Quò circa Eidus Septembris peruenit, cui se è collibus è longinquo vno & altero die Comes cum suis se ostendit, demumque Hagano præmisso Proregem petijt, vt vnà colloquerentur, quod ille abnuit, respondens si Comes illum conuenire vellet, die crastino ante principia in acie inuenturum. Quo die leui facta velitatione, Eques è Comitis turmis alta voce Comitem pugnare nolle denuntiat, sed cum Prorege colloqui, at nullo modo inter acies in procinctu. Die insequenti vt Prorex pergit, obuius illi occurrit Haganus qui declarat Comitem misericordiam Reginæ & pacem exposcere, & vt tantisper exaudiatur obsecrare; quod si concederet, illum cum omni

ni obseruantia ad vicini fluminis vadum, *Balla-Clinch* vocant, expectaturum, vadum illud haud procul abest à *Louth* primario Comitatus opido, & vicinum est castro Gerardi *Fleming*. Eò Prorex præmisit qui locum explorarent, illi Comitem ad vadum offendunt, qui docet quamuis flumen intumuisset, facilè vtrinque exaudiri posse. Hinc comes turma equitum in proximo colle dispositâ, solus descendit, Comes equo ventre tenus in aquas immisso, Proregem in ripa magna obseruantia salutat multis vltrò citròque verbis sine arbitris habitis, ferè hora est consumpta. Tunc vterque ad suos se recipit, & Conus filius Comitis nothus Proregem subsequutus patris nomine obsecrat vt primarij aliquot è suis viri ad colloquium admitterentur. Assensit Prorex modò non sint plures quàm sex. Protinùs Comes adscitis sibi Cormoc fratre, *Mac Gennys*, *Mac Guir*, *Euer Mac Cowley*, Henrico *Ouington*, & *O-Quin* ad vadum se ostendit. Ad eos Prorex Comite Southamptoniæ, Georgio *Bourgchier*, Warhamo *S. Leger*, Henrico *Danuers*, Edwardo *Wingfeld*, & Guilielmo *Constable* Equitibus auratis concomitantibus descendit.

Die 8. Septembris, 1599. Quos singulos magna comitate salutat Comes, & verbis non multis collatis placuit, vt quidam delegati die insequenti de pace agerent, inter quos conuenit vt induciæ essent ab ipso die in sex septimanas, & deinceps in sex singulas septimanas vsque ad Calendas Maij, ita tamen vt vtrinque liberum esset post præmonitionem quatuordecim ante dies factam, bellum renouare. Quod si quis Comiti confœderatus huic assensum non præbuerit, illum Proregi persequendum relinqueret.

Dum hæc aguntur, literæ quas modò dixi, ab Henrico *Cuff* pereruditо illo sed infœlici ad Reginam sunt perlatæ, quibus perlectis illa cùm intelligeret Proregem tanto cum exercitu, tanto tempore, tanta expensa pecunia nihil effecisse, nec eo anno effecturum esse, commotior ad ipsum & Hiberniæ Consiliarios rescribit. Se non posse satis demirari cur Prorex dies prolatando, & alias deinde moræ caussas nectendo pulcherrimas rei bene gerendæ contra rebellem Comitem opportunitates corrupisset, cùm ipse nihil aliud dum in Anglia esset, quàm ipsum vnum Comitem persequendum suaderet, idemque literis subinde prolixè promitteret. Expostulauit cur damnosas illas in *Momoniam* & *Offaliam* contra suam ipsius sanam sententiam suscepisset, de quibus ipsam ne innuendo quidem certiorem fecerat, priusquam essent susceptæ, quas alioquin prohibuisset. Si iam afflictus & accisus erat exercitus, cur hostem non fuerit persequutus, dum integer, valens, & completus? si vernum tempus non idoneum erat ad bellum in *Vltonia* gerendum, cur æstiuum, cur Autumnale neglectum? An nullum anni tempus illi bello opportunum? Se iam præuidere regnum Angliæ supra modum sumptibus exhauriendum, & infamię quandam notam apud exteros ex aduerso belli successu subeundam, imo & qui huius temporis historiam sunt scripturi, posteris prodituros ipsam ad Hiberniæ regnum conseruandum nihil non fecisse, & illum ad idem amittendum nihil omisisse, si iam tandem non aliam belli gerendi iniret rationem. Asperiùs itaque & ipsum & regni Consiliarios admonet, vt consideratiùs bono Reipublicę consulerent, nec male-sanis cõsilijs iam inde agantur transuersi; simulque perscribant, in quem statum rem Hibernicam perduxerint, sollicitique prospiciant ne quid vlteriùs detrimenti capiatur, &c.

Die 28. Septembr. 1599. His literis irritatus imò exulceratus Prorex omnium opinione citiùs in Angliam aduolat, & Reginæ bene mane ne opinanti quidem in penetrali sacratiori in genua prouolutus, se sistit, à qua breui colloquio (nec ea qua solet fronte) exceptus, iussus est in suum se cubiculum vt subduceret, & ibidem se contineret. Regina enim illi erat infensior tùm quòd contrà ac ipsa iusserat, Hiberniam nullâ impetratâ veniâ reliquerat, & eiusmodi inducias, quæ singulis quatuordecim diebus violabiles, pactus erat; cùm penes illum esset pro authoritate rem cum Rebelle transegisse, & proditionis gratiam fecisse. Quid de illo in Anglia posteà actum & quomodo clarioribus indicijs diluxerit illum alia, & altiora, quàm bellum in rebelles animo agitâsse, dum priuatas Reip. inimicitias donare nesciret, & vulgi amori semper breui, nunquam fausto plus nimio confideret, illis qui historiam horum temporum molisuntur, prodenda relinquo; mihi enim nec meminisse lubet.

Induciæ illæ vix semel atque iterum exierant cùm Comes *Tir Oen* hostili animo copijs collectis iterum se ad bellum parat. Ad eum mittitur à regni Consiliarijs Guilielmus *Warren* ex equestri ordine sciscitaturus cur factas inducias violaret, cui ille tumidior respondit se inducias minimè violâsse, cùm iam quatuordecim ante dies se bel-

lum

lum renouaturum præmonuisset. Renouandi autem belli caussam subesse iustam, nimirum se intellexisse Proregem in quo ille omnia vitæ & salutis præsidia collocarat, in Anglia custodia detineri, nec sibi iam inde quicquam futurum cum regni Consiliarijs qui dolo malo secum iam priùs egerant. Inducias autem si maximè vellet, minimè reuocare posse, quòd O Donellum in Conachtiam, & alios ex fœderatis in alias partes destinasset.

Interea passim apud rebelles rumores non sine capite, sed Comite *Tir Oen* certè authore calebant, Angliam breui nouis motibus exagitandam. Augescebantque indies & numeris & animis praui, qui enim Hibernicæ erat originis iam antiquam spirabant libertatem & nobilitatem; probis autem ex Anglica stirpe animus erat tractior, cùm tantas Principis expensas in nihilum recidisse viderent; qui etiam inuicem conquerebantur se à publicis Reipublicæ munijs tanquam peregrinos iampridem exclusos. Comes autem alacer vbique se & Religionis & patriæ libertatem asserturum perstrepit, tumultuantes vbique in fidem recipit, auxilia subministrat, diffidentes confirmat, & ad Anglorum in Hibernia imperium labefactandum strenue incumbit, spe lactatus quam Hispanus apparatu bellico cum nonnulla pecunia subinde submisso ostentabat, & Pontifex Romanus promissis & indulgentijs alebat, Phœnicis pluma præmissa, fortitan quia PP. Vrbanus Tertius Ioanni Regis Henrici Secundi filio Hiberniæ Domino designato Coronulam ex pauonis plumis contextam olim miserat.

Iam victorijs exultans vt magnitudinem vbique ostentaret suam, & incendium quod absens in *Momonia* conflauerat, præsens magis excitaret, sub specioso religiosoque obtentu inuisendi frustulum ligni Crucis Dominicæ quod asseruari in Tipperariensi S. Crucis monasterio creditur, media hyeme eò profectus est, prædonesque in fidelium subditorum agros immisit duce *Mac-Guiro*, qui forte fortuna incidit in Warhamum de S. *Leodegario* siue *Sentleger* Equitem auratum, qui illum adacta hasta transfixit, ab illo simul transfixus. Cui cùm Comes iusta fecisset, domum omnium opinione citiùs accelerat, audito Ormondiæ Comitem *Generalem exercitus* designatum copias vndiq; contrahere, & Carolum *Blunt* Baronem *Mont-ioy* Proregem aduentare. Huic antea Regina hanc prouinciam animo decreuerat, sed Robertus Essexiæ Comes (qui vt de militaribus viris quibus sollicitè se insinuauit meliùs mereretur, eandem licèt minùs apertè ambiuit) omninò obstitit, quasi nullis fuisset ille castrorum experimentis nisi in Belgio, nullis clientelis, non ita à re instructus, & libris plus nimio immersus. *Carolus Blunt Prorex 1600.*

In Hibernia appulit ille mense Februario sine strepitu, paucis comitatus, imperiumq; suscepit. Rem autem Hibernicam admodum ægrotam imo desperatam, & quasi funere iam efferendam inuenit, optimus enim quisque ex aduersis sine spe remedij vel alleuamenti elanguebat, pessimi rebus ad voluntatem continua serie affluentibus exultabant, & ipse Comes nemine obsistente ab extrema Vltonia in Momoniam triumphantis instar insulæ longitudinem permensus erat. Vt Proregem iam recentem rebelles exterrerent, in ipsis Dubliniæ suburbijs classicum cecinerunt, verùm ille animo inflammato ipsum Comitem aggredi exardebat, quem Momoniâ rediturum audiuerat. Conuocatâ itaque tumultuaria manu (delectæ enim cohortes iam erant in Momonia cum Ormondiæ Comite) in *Fereal* vt Comiti viam præcluderet, & prælio exciperet festinauit: sed sua celeritate præuertit eum Comes de consilio Proregis certior factus, nonnullos enim habuit ille è Consilio Regio semper sui perquàm studiosos. Prorex Dubliniam reuersus totus erat in delectu veteranorum habendo qui ad *Logh-Foil* & *Bala-shanon* prope ostium *Erni* lacus nauigio mitterentur, vt Comitem præsidijs ibi positis à tergo & latere premerent, nec non de subsidio ad præsidiarios in *Lease* & *Ophaly* submittendo, quod tot hostibus circumfusis plenum erat periculi & difficultatis. Mense Maio ineunte signa Vltoniam versus promouit Prorex, eo consilio vt Comitem diuerteret dum Henricus *Docwra* ad *Logh-Foil*, & Morganus ad *Bala-shanon* præsidia firmarent, quod illi facili negotio præstiterunt, dum Comes à Prorege quotidie leuibus prælijs distineretur, semper sibi adeò aduersis, vt iam Martis aleam esse conuersam & se ad sua repulsum sentiret. Iunio medio Prorex reuersus cùm iam præsidia quæ dixi erant disposita, petijt ex Anglia aliquot vexillationes & commeatum ad præsidium etiam ad *Armach* ex hac parte locandum, vt rebelles in angustiora spatia redigeret. Interim in *Lease* quod omnium Lageniæ rebellium

tum

um erat perfugium profectus, *Ony-Mac-Rory-Og* principem familiæ *O-More* iuuenem sanguinarium & proiectissimæ audaciæ qui tantas nuper in Momonia turbas dederat, cum alijs scelestissimis occidit, agrisque vastatis rebelles in syluas & saltus ita fugauit vt in illis partibus vix postea conspicerentur. Cùm iam ex Anglia noua subsidia aduenissent licèt inopia erat & frumenti, & pecuniæ,& Æquinoctium prætererat brumescente in illa plaga iam cœlo,ad ingressũ *Moghertia* tertio vltra Dondalkiã milliari in progressus est. *Meyery* vulgo. Transitus ille est totius fere Hiberniæ natura impeditissimus quẽ ita sepimentis,palis defixis, cratibus iunctis ac saxis medio iniectis,& cespitibus inter montes,syluas & paludosas voragines vtrinque magna arte, sed maiori industria transuersè rebelles communietant. & numeroso milite complerant. Accessit etiam magna cœli inclementia, pluuia per aliquot dies continua qua fluuij aucti alueis egressi, erant omninò imperuij. Vbi subsiderunt aquæ, Angli sepimenta illa animosè perruperunt, & hostibus depulsis superatisque difficultatibus, ad octauum ob Armachia lapidem (ad Armachiam enim rebelles omnia depasti erant) Pręsidium posuit quod in memoriã I. *Norrisij* sub quo prima militię rudimenta Prorex fecerat, *Mont-Norris* appellari iussit, cui virum strenuum & gnauum E. *Blany* præfecit qui rebelles postea hac in parte, vt Henricus *Docwra* in altera grauiter exercuit, & simul coercuit. In reditu, vt velitationes quotidie tacitus prætermittam, rebelles in angustias prope Carlingfordiam, vbi viam obseperant; memorabili clade obtriti & fugati fuerunt.

Pauculis diebus intermissis ne quid temporis periret, Prorex media iam hyeme *Glinnes*, id est, *Conualles* in Lagenia ingressus hactenus intactas, regione populata Donellum *Spaniah*, Phelimum *Mac Feogh*, & tumultuosam & pernitiosem *O-Toolorum* gentem in ordinem obsidibus acceptis redegit, in *Fereal* postea penetrauit, & Tirellum inter rebelles rei militaris peritissimum è firmamẽto suo, cuiusmodi *Fastneß* illi vocant, paludoso & vepribus condenso in Vltoniam expulit. In Vltoniam iam per ambages vbique victor peruenerat, vbi primùm regiunculam *Ferney*, occisis duobus Euari *Mac-Cowly* filijs, & emisso Richardo *Morisono Fues* deuastauit, Præsidium curante Oliuero *Lambardo* in *Brenny* collocauit, & Droghedam deflexus in fidem recepit qui se submiserunt è primarijs rebellium Turloghum *Mac Henry* Dynastam in *Fues*, Euerum *Mac-Cowly*, *O-Hanlon*, qui hęreditarium se regũ vexilliferũ in Vltonia gloriatur, & plures ex *Mac-Mahonis*, & *O-Realijs*, qui quos habuerunt charissimos in obsides tradiderunt. Appetente vere priusquam copię omnes conuenerant, ad *Moghery* Prorex tendit, vbi succisis syluis viam peruiam fecit, & munimentum posuit, è *Lecalia Mac Genissos* qui vsurpàrunt, expulit & omnia rebellium castra ad Armachiam in potestatem redegit, quam & præsidio firmauit. Vt eò vsque processit vt ab *Aqua Nigra*, siue *Blackwater* Comitem qui ibi multa arte castrametatus erat, submouerit, & paulò inferiùs munimentum erigere cogitauerit, cùm quod antea communi rumore increbescente audierat, multi scripserunt, & fama certa pertulit Hispanos in Momonia appulisse. Vt iam necessariò ab incœpto desistendum, & Hibernia non tam ab interna rebellione, quàm ab externo hoste erat defendenda. Nec tamen parta amitterentur, præsidijs firmatis, in Momoniam cum vna & altera Equitum ala, Peditum ductoribus subsequi iussis, continuis itineribus aduolat.

Dum enim ille bello in Vltonia incumberet, Comes rebellesq; Momonienses per emissarios suos Hispanum scilicet quendam designatum a Papa Dubliniæ Archiepiscopum, Episcopum Clonfortensem, Episcopum Killaloensem, & Archerum è Iesuitica Societate orando, obsecrando, obtestando ab Hispano tandem impetrârunt vt subsidium rebellibus in Momoniam mitteretur sub Ioanne *D'Agulia*, spe certa concepta vniuersam Momoniam mox defecturam, & titularem Desmoniæ Comitem, Florentiumque *Mac Carty* auxilium magnum adiuncturos: sed hos Momoniæ Præses Georgius *Carew* antea prouidè interceperat & in Angliam transmiserat. Appulit ad *Kinsaliam* in Momonia *D'Aguila* cum bis mille veteranis Hispanis & quibusdam transfugis Hibernicis pridie Calendas Nouembris, statimque scripto adito quo se titulo *Magistri Generalis, & Ducis Regis Catholica in Dei bello pro fide tenenda in Hibernia* ostentat, persuadere conatur Elizabetham Reginam Pontificum Romanorum sententijs regno esse abdicatam, subditosque a fidelitatis iuramento absolutos, seque & suos aduenisse vt Hiberniam *à faucibus Diaboli*,

aboli, & Anglorum tyrannide liberaret; & quamplurimos sane prauos specióso hoc obtentu in suas partes pellexit.

Prorex contractis vndiq; quos poterat numeris, ad obsidionem se accingit & Richardus *Leueson* Subthalassiarcha ex Anglia cum vna & altera naui regia ad aditum prohibendum missus, portum intercludit. Iam castris positis, terra marique in opidum Angli effulminare & arctiùs obsidione incingere cœperunt, quæ tamen statim remissior, quod hinc *Leueson* cum classiarijs contra II M. Hispanorum qui ad *Berehauen*, *Baltimor*, & *Castlehauen* expositi præmissus erat, quorum quinq; naues ille depressit: inde Momoniæ Pręses eodem tempore missus cum aliquot turmis ad pręuertendum *O-Donellum* qui iam aduentauit, ne cum nouo illo Hispanorum supplemento se coniungeret. Verùm cum iam omnia gelu essent constricta, ille per auia ne conspectus quidem noctu expedito itinere ad Hispanos recens aduectos euasit. Paucisque diebus interpositis ipse Comes *Tir-Oen* cum *O-Rork*, Reimundo *Burk*, *Mac-Mahon*, Randallo *Mac Surley*, *Tirello*, Barone de *Lixnaw*, & rebellium lectissimis accessit, quibus cùm recentes Hispanos Alphonsus *O Campo* eorum ductor adiunxerat, VI CI Ↄ. peditum & quingentos equites numerabant; in spem victoriæ adducti, quam certissimam confidebant quòd numero erant superiores, recentes, ab omni apparatu instructiores: contrà Angli hibernæ obsidionis incommodis lassati, commeatu exclusi, & equi laboribus inediaq; confecti. In his difficultatibus ad ordinum ductores refert Prorex quid agendum, nonnullis consultissimum visum obsidionem soluere, in Corcagium se recipere, nec vnius prælij fortunæ regnum vniuersum committere. Prorex contrà, persistendum; à perenni contestataque maiorum virtute non degenerandum suadet: nec optatiorem opportunitatem viris fortibus obuenire potuisse, quàm tunc in sinum ipsis delatam, vt vel cum gloria mortem oppeterent, vel cum honore hostes deuincerent. Obsidionem igitur quantis poterat viribus vrget, continuata pulsatione mœnia quassat, simulque nouis operibus castra communit.

Die XXI. Decembris in colle mille plus minùs pass. à castris Comes *Tir-Oen* cum copijs se ostendit, & ibi castra-metatus, postero itidem die se eodem in loco ostendit, nocte subsequente, & Hispani ex opido eruperunt, & Hibernici in opidum se emittere conati sunt, verùm vtrique reijciuntur. Die XXIII. maiora tormenta in opidum displodunt Angli quasi de Comite iam proximo minimè solliciti, eodemque die literæ *D'Aguila* ad Comitem intercipiuntur, quibus obsecrat, vt Hispani nuper aduecti in opidum immittantur, & vtrinque castra aggrederentur. Nocte cùm iam Luna horizontem subitura, Henrico *Poerto* mandauit Prorex vt octo signa veteranorum in aciem educeret, & ad occiduam castrorum partem aciem instrueret. Henricus *Greamus*, qui ea nocte equitibus excubitoribus præfuit, summo mane significauit Proregi hostes certò moturos, quòd eorum igniarij fomites accensi magno numero collucebant. Hinc ad arma conclamatum per castra, & quacunque aditus in opidum patuit, cohortes dispositæ. Prorex ipse cum Momoniæ Præside, & Richardo *Wingfeild* Marescallo versus procubitores tendit, simulque consilio Oliuari *Lambardi* locum deligit, vbi hostes prælio exciperet; quò perductæ fuerunt vexillationes Henrici *Folliot*, & Oliuari *S. Iohn* cum sexcentis classiarijs sub ductu Richardi *Leueson*. At Comes *Tir-Oen*, cui animo destinatum erat Hispanos recentes & DCCC. Hibernicos (vt postea innotuit) per tenebras in Kinsaliam intulisse, cùm iam diluxisse videret, & Marescallum & Henricum *Dauuers* cum copijs equestribus & *Poerium* cum suis veteranorum vexillationibus ad collis radicem conspiceret, spe sua excussus substitit, & mox receptui per vtricularios cecinit. Quamprimùm de hoc receptu satis confuso Prorex certior factus, iussit suos vt hostes insequerentur & ipse ante principia se contulit, vt eorum recessum obseruaret, & pro re nata consilia caperet, sed tam spissa caligo cum violento nimbo terris incubuit, vt conspectum aliquantisper eriperet. Serenato mox cælo cùm obseruaret, eos tribus agminibus magnis, & equitibus à tergo positis trepidè recedere, omninò statuit eos aggredi, remisso Momoniæ Præside cum tribus equitum alis in castra ad Hispanorum ex opido irruptionem, si quam facerent, cohibendam. Ipse verò Prorex tanta festinatione recedentes subsequitur, vt gradum sistere cogeret in margine vliginosi & voraginosi loci, & ad quem nisi vado nullus accessus, sed equitibus qui vadum seruabant virtute, Marescalli, & Comitis *Clan-Ricard* profligatis in equestres hostium turmas illi impetum animosè fecerunt, quem, cum Guil. *Godolphin* qui Proregis alam

alam duxit Henricus *Danuers*, *Minshaw*, *Taff*, *Fleming*, & I. *Barkley* castrorum præfectus se coniunxissent, tanta alacritate iterarunt, vt rebelles fugam capesserent. Nec fugientes insequi visum, sed collectis viribus in mediam aciem iam trepidantem inuolarunt, & perruperunt. Tirellus cum suis & Hispanis interim firmo pede suo loco perstiterunt, contra quos postremam suam aciem Prorex promouet, vtque non solùm ducis munera imperando, sed etiam militis dimicando expleret, cum tribus Oliuarij *S. Iohn* vexillationibus quos *Roe* duxit, in illos irruit, ordinesque ita perfregit vt confusim se ad Hibernicos receperint, à quibus statim sunt cædi derelicti, & ab equestri Proregis turma Guilielmo Godolphin ductore, magna cum clade protriti. Tunc Comes, *O-Donellus* & reliqui vndique in fugam effusi proiectis armis sibi consuluerunt, Alphonsus *O-Campo* captus cum tribus Hispanorum ductoribus, & sex signiferis, cæsi CIↃ CC. signa IX. capta, quorum sex Hispanica. Ex Anglorum parte vix vnus & alter desiderati, multi vulnerati, & inter eos Henricus *Danuers*, Guilielmus *Godolphin*, & *Croft*, tantulo impendio tanta stetit victoria. Prorex cùm receptui cecinisset, Diuino numini inter conferta cadauera gratijs ob victoriam relatis, Comitem *Clan-Ricard* equestri dignitate ob operam hoc prælio fortissimè nauatam exornat, victórque faustis acclamationibus in castra rediit, quæ ab omni periculo sarta tecta inuenit. Hispani enim in opido cùm omnia vndique præsidijs munita conspicerent, irruptiones omnes sibi damnosas anteà experti, anxia expectatione solliciti se domi continuerunt.

Victoria hæc magna & multiplex qua Hibernia nutans & iamiam defectura retenta, Hispani ex Hibernia submoti, Archi-rebellis *Tir-Oen* in Vltoniæ latibula reiectus, *O-Donellus* in Hispaniam fugatus, cæteri seditiosi in varias partes profligati, regia authoritas perditorum insolentiâ imminutâ recuperata, proborum animi qui modò fracti & afflicti, confirmati atque renouati, paulòque pòst alta pax vbique per insulam solidè fundata.

Die postero Prorex *Bodleio* vallorum præfecto qui in operibus & etiam in prelio strenuè se gesserat, vt moles inchoata perficeretur, & aggeres propiùs hostes admouerentur imperat, in quibus cùm sex dies insumpti, *D'Aquila* literis per Tympanistam ad Proregem missis, petijt vt nobilis aliquis fide dignus in opidum mitteretur quocum colloquium institueret. Ad hoc eligitur Guilielmus *Godolphin* vir dignitate equestri, cui *D'Aquila* significat se Proregem etsi acerrimum hostem, tamen honorandum comperisse, Hibernicos inualidos, incultos, & quod malè metuit, perfidos, se submissum fuisse ab Hispaniarum rege in duorum Comitum subsidium, iam verò dubitare an eiusmodi aliqui essent *in rerum natura*, cùm vna belli tempestas alterum in Hispaniam, alterum in Septentriones ita difflauerit, vt planè disparuerint. Velle itaque de pace agere quæ Anglis sit vsui, & Hispanis non fraudi, licèt ad obsidionem perferendam nihil sibi deesset, & auxilia ad negotium Anglis facessendum indies expectaret. Vt rem paucis complectar, difficultatibus vtrique conflictati, & obsidionis pertæsi conuenerunt die secundo Ianuarij, vt Hispani Kinsaliam, castra & munimenta ad *Baltimore*, *Berehauen*, & *Castlehauen* Proregi dederent, cum vita, bonis, & signis explicatis discederent, Angli naues quibus vno & altero commeatu in Hispaniam nauigarent, iusto pretio dato præberent, si quo Angliæ portu in reditu appellerent, comiter exciperentur, & interim dum in Hibernia ventos expectarent, numeratâ pecuniâ ad victum necessaria suppeditarentur.

His peractis, post aliquot dies Hispani idoneam nacti tempestatem, numeris plurimùm accisis ex Hibernia inglorij soluunt. Comes *Tir-Oen* interea fuga meticulosa in *Vltoniæ* latebras quantis poterat itineribus per auia se proripuit, plurimis suorum desideratis quos fluuij hibernis aquis incitati hauserant. Posteaque non modò sine cura quiescere, sed ne sperare quidem sine metu poterat dum ex mala & oppressa conscientia digna timeret, singulisque diffideret, adeò vt indies nouas latebras eligeret, statimque relinqueret. Prorex vt lassatum militem reficeret, in hibernis locat, compositis in *Momoniæ* rebus, *Dubliniam* reuertitur; grauioreq; anni tempore circumacto, lento itinere quo terrorem latiùs spargeret, intento infestoque exercitu in *Vltoniam* regreditur, vt quod priùs statuerat, munimentis & præsidijs circumpositis quasi indagine rebelles vndiquaque incingeret. Cùm ad *Aquam nigram* peruenisset, per trabes connexas *Floates* vocant, exercitum traduxit, & vado priùs ignoto infra vetus munimentum reperto, pro-

pugnaculum

pugnaculum ad ripam ponit, quod è suo prænomine *Charlemont* nominauit. Quo tempore Comes *Tir-Oen* territus ædibus suis ad *Dungannon* ignem subiecit, Prorex inde vltra *Dungannon* mouet, & castris positis, quamprimùm Henricus *Dockwra* à *Logh-Foil* cum suis accessisset, in omnes partes milites dimisit, segetes excinduntur, omnes vndiq; vici & domicilia quæ quisque conspexerat, incenduntur, prædæ ex omnibus locis aguntur, munimenta in *Logh-Crew*, *Logh-Reogh*, & *Mogherlecow*, vbi tamen Ioannes *Barkley* ex Equestri ordine vir fortissimus glande traijcitur, deditione accipit, Præsidium ad *Logh-Eaugh*, siue *Logh-Sidney* statuit, quod ab honorario ipsius titulo *Montioy* dixit, Arthurumque *Chichester* virum Ordinis Equestris (qui virtute meruit, vt iam Prorex sit Hiberniæ) præfecit, alterumque ad *Monaghan*, quod Christophero *S. Laurence* commisit; qui ductores magno vsu & maioribus animis rebelles crebris irruptionibus, & transuersis hinc inde expeditionibus ita exagitarunt, vt cùm dispositis vndique præsidijs se circumsideri, omnia sibi indies arctiora, & ipsis inter saltuum & syluarum angustias ritu ignobilium ferarum delitescendum viderent: quamplures fidem cum fortuna mutarunt, quiq; se secretò Proregi certatim submittere cœperunt, mussitantes Comitē priuatis malis excidium gentis opposuisse, bellum hoc fuisse illi vni necessarium, ipsis funestissimum. Nec latuit Comitem concussam esse suorum & fidem & vires, statuitq; præuenire, malorum pertæsus, nec non spe vitæ quæ plerumque validissimos animos labefactat. Demississimis itaque literis ad Reginam subinde datis quibus culpam precibus & lachrimis deprecatus supplicem se abiecit, eaq; veræ pœnitentiæ signa in eo illa obseruauit, vt quâ fuit summâ misericordiâ, Proregi authoritatem concesserit eum in misericordiam & gratiam recipiendi, simodò imploraret. Implorauit autem ille cùm hæc à sui studiosis accepisset, assiduè per *Arth Mac-Baron* fratrem suum & alios, sæpiusque reiectus, tandem Mense Februario cùm pollicitus esset se absolutè vitam ac fortunas Principi sine vlla conditione submissurum, Prorex, qui ex Aula Anglica de dubia Reginæ iam grandeuæ valetudine ab intimis clam inaudierat, permisit vt *Mellifontem* Comes accederet, quò illicò vno & altero comitatus aduolauit. Admissus in conclaue vbi Prorex magna militarium virorum multitudine circumfusus in solio sedit, in ipso limine squalore sordidus & deiecto vultu in genua procubuit, cùmque aliquantisper procubuisset, innuit Prorex vt propiùs accederet, surrexit, & pauculis progressus passibus iterum in genua prouolutus, supplicem se prosternit. Peccatum in Deum, culpam in benignissimam « Principem Dominam suam Elizabetham agnoscit, in cuius regia clementia & miseri- « cordia sibi vnicum superfuerat perfugium, vt de ipsius vita & fortunis pro arbitrio statu- « eret permittit. Cuius quondam benignitatem, modò potentiam senserat, nunc vt leni- « tatem experiatur, & æternùm esset regiæ clementiæ exemplar, demississimè contendit. « Nec enim sibi vel ætatem adeò esse affœtam, vel corpus effectum, vel animum infra- « ctum, quin forti & fideli opera rebellionem hanc posset expiare. Quod tamen crimen ex- « tenuet, iniquiùs secum actum esse inuidiâ quorundā dicere incepit. Hic plura locuturum « Prorex interrumpit, excusationem nullam tanto crimini prætexendam, & paucula alia, sed multa cum authoritate locutus, quæ viro militari pro facundia, secedere iussit, postridiéque secum Dubliniam versus abduxit, inde in Angliam ad Reginam Elizabetham adducturus, vt pro arbitrio de illo statueret. Interea autē optima illa Princeps paulò postquam per nuntios acceperat (ne quid gloriæ suæ deesset) hanc rebellionem esse extinctam, quæ illam anxiam habuerat, in cœlestem patriam piè placidèque emigrauit.

Ita bellum Hibernicum, imò potiùs rebellio Comitis *Tir-Oen* ex priuatis simultatibus ambitione intermixtis cœpta, contemptu principiò & parsimonia ex Anglia fota, prætextu libertatis & religionis Romanæ restaurandæ per vniuersam Hiberniam diffusa, prauis Anglorum æmulationibus, veteranorum auaritia, subdolis Comitis artibus, & simulatis submissionibus, impeditissimâ locorum difficultate, desperato hominum genere magis pedibus quàm armis tuto protracta; leui nonnullorum credulitate, & aliorum qui authoritate valebant occulto fauore, vno & altero euentu prospero, Hispano stipendio, Hispanoq; milite confirmata octauo postquàm eruperat anno, auspicijs Elizabethæ Diuæ Memoriæ, ductu Proregis Caroli *Blunt* Baronis *Montioy* (quem postea hoc nomine Rex Iacobus Comitis Deuoniæ titulo honorauit) fœlicissimè confecta est, & pax, vt speramus, immota constabilita.

HIBER-

HIBERNICORVM MORES,

VETERES ET RECENTES.

Hibernicorum mores.



Ocus nunc postulat vt de gentis huius moribus aliquid attexam, & attexam sane quod ad veteres spectat ex veteribus, quod ad recentes ex quodam recentiori scriptore cùm docto tum sedulo, qui hæc accuratissimè adnotauit.

De veteribus Hibernicis cùm illi vt reliquæ in hoc tractu omnes gentes barbaræ essent & immanes, hæc veteres prodiderunt.

Strabo in libro quarto: *De Hibernia nihil certi habeo quod dicam, nisi quod incolæ eius Britannis sunt magis aggrestes, qui & humanis vescuntur carnibus, & * plurimum cibi vorant : & pro honesto ducunt parentum mortuorum corpora comedere, ac palam concumbere non cum alijs modò mulieribus, sed etiam cum matribus & sororibus. Quæ quidem ita referimus, vt fide dignis harum rerum testibus destituti. Sanè carnibus humanis vesci Scythicum esse fertur; idque vsurpasse etiam obsidionum necessitatibus vrgentibus Galli, Hispani, alijq́; plures feruntur.*

* ποηφάγοι in Epitome .i. Herbis vescentes

Pomponius Mela in libro tertio: *Cultores inconditi sunt, & omnium virtutum ignari, pietatis admodum expertes.*

Solinus cap. XXIIII. *Sanguine interemptorum hausto priùs victores vultus oblinunt, fas & nefas eodem animo ducunt. Puerpera si quando marem edidit primos cibos gladio imponit mariti, inque os paruuli summo mucrone auspicium alimentorum leuiter infert, & gentilibus votis optat, non aliter quàm in bello, & inter arma mortem oppetat. Qui student cultui, dentibus mari nantium belluarum insigniunt ensium capulos, candicant enim ad eburneam canditatem. Nam præcipua viris gloria est in armorum tutela.*

Sed hæc vetustiora. Medij temporis mores sparsim Giraldus Cambrensis & ex eo alij: nunc autem recentiores ex recentiori illo viro studioso habe & suis ipsius verbis, qui nomine vt colligo I. *Good*, educatione Oxoniensis, professione Sacerdos, & qui iuuentutem Limirici erudijt circa annum MDLXVI. Primùm tamen paucis proponam quod modò promisi, de ratione iuris administrandi inter merè Hibernicos.

Magnates, quorum nominibus quarta vocalis ob eminentiam & excellentiam præponitur, vt *O-Neal*, *O-Rork*, *O-Donell*, &c. & cæteri qui *Mac* præfixum gerunt ius suum habent peculiare, quo superbissimo viuunt dominatu & in subditorum fortunas tributis, exactionibus, pensitationibus militesque *Gallogassios*. scilicet, *Kearnos* & Equites quos alant illis imponendo ita pro libito grassantur, vt longè miserrima sit subditorum conditio, & quoties bella intestina inter illos ingruunt, succo & sanguine exhauriuntur.

O nobilissimorum nominibus in Hibernia ob excellentiam præfixum.

Breahans.

Habent hi Magnates suos Iuridicos, quos vt Gothi suos *Bellagines* dixerunt, *Breahans* vocant, qui indoctissimum hominum genus statis quibusdam diebus edito aliquo & præcelso colle inter litigantes ius dicunt vicinis. Coram quibus actores queribunda voce iniurias illatas conqueruntur, rei inficiatione negant; si manifestò in furto teneantur aut reddendum, aut mulctâ pensandum pronuntiant. Habent etiam hi magnates suos Historicos qui res gestas describunt, Medicos, Poetas, quos Bardos vocant, & Citharœdos, quibus singulis sua prædia assignata sunt, & singuli sunt in vnoquoque territorio è certis & singulis familijs, scilicet *Breahani*, vnius stirpis & nominis, Historici alterius, & sic de cæteris, qui suos liberos, siue cognatos in sua quilibet arte erudiunt, & semper successores habent. Ius vero hæreditarium successionis apud hos magnates non obseruatur, sed qui ex præcipua aliqua familia viribus, clientelis, & audacia potentior, dominatum quadam prouincialium factione aut electione sibi arripit, demortui filijs, nepotibus, & sanguine proximis omninò exclusis: & barbaris ceremonijs in solio saxeo sub dio, certo aliquo monticulo collocatur; Quo etiam tempore lege quadam (*Tanistry* dicunt) successor etiam aliquando designatur, qui *Tanist* nuncupatur, nescio an a Danis vocabulo mutuato,

Professiones hæreditariæ.

Tanistry.

tuato, apud quos vt apud Septentrionales Britanniæ incolas *Thane* pro viro nobili, & Regis ministro diu fuit in vsu.

Iam inde *Goods* obseruationes habe, pro quo præfabor, illum nihil ad calumniam, sed omnia ad veritatem collimare, & tantùm de inconditis illis, & merè Hibernicis loqui, qui in extremis delitescunt, & humaniores mores nondum induerunt.

In vniuersum gens hæc corpore valida, & inprimis agilis, animo forti & elato, ingenio acri, bellicoso, vitæ prodiga, laboris, frigoris & inediæ patiens, Veneri indulgens, hospitibus perbenigna, amore constans, inimicitijs implacabilis, credulitate leuis, gloriæ auida, contumeliæ & iniuriæ impatiens, & vt inquit ille olim, *in omnes affectus vehementissima, qui mali, nusquam peiores, & bonis meliores vix reperiantur.* Girald. Cambrens.

In commune liberis, cum ad sacrum Baptismum accedunt, profana nomina imponunt, annectentes semper aliquid nomini, vel ab euentu acceptum, vel à vetula, vel ex colore, vt Rufus, Albus, Niger, vel ex morbo, scabie, caluitio, vel ex scelere, vt latro, superbus; & licèt contumeliarum sint impatientissimi; hæc tamen nomina non dedignantur optimates illi, qui O literam nominibus præfixam habent. Parentis nomen, vel alicuius ex ea familia tum viuentis liberis imponere fas non est, mortem sibi inde accelerari persuasum habent. Mortuo verò patre, eius nomen assumit filius, ne nomen intercidat, & si quis ex maioribus eo nomine præliando insignis fuerit, similis ab hoc virtus expectatur. Augent hanc opinionem Poetæ, qui antiquorum illorum res gestas literis consignatas habent, & multa commentitia adnectunt, vnde Poetis his diuitiæ accrescunt. Nouæ enim enuptæ, & puerperæ se infames existimant, si vestes suas, quas habent optimas, non huic laudatori donent. Matres post sextum à partu diem ex integro se maritali operi dedunt, paruulos ad nutrices exponunt. Nobilioribus multæ nutrices ex longinquis statim aderunt, qui infantis nutritionem ambiunt, suosque hisce alumnis postponunt. Et quamuis intemperatissimi sunt propter cœli intemperiem, soli ciborumque humiditatem, & iuris exilium, cùmq; suis liberis lac præbere pro probro habeant; alumni tamen gratiâ & vir & vxor à commistione abstinent. Si secus fiat, suis sumptibus nutricem aliam substituunt. Tot ferè sunt nutrices, quot adolescentulæ famulæ, & stupri pretium lactendi infantulum facultatem putant. Si infantulus ægrotet, lotio veterrimo aspergunt, & contra infortunia non solùm principium Euangelij Ioannis, sed clauum etiam obliquum ex equi vngula acceptum, aut lupinæ pellis particulam pueris ex collo appendent. Gestantque in eam rem tam nutrices, quàm infantes, zonas ex mulierum crinibus contextas, Amasijs etiam armillas ex illis crinibus concinnatas donari compertum est, an Veneris Ceston cogitant nescio. Nutritij multò plus operæ, opum, & amoris alumnis, quàm natis impendunt, ab ijs vestes, sumptus ad studia, ad arma, ad quæuis flagitia, ab ijs dotes & pecora non tam suo iure acipiunt, quàm extorquent, etiam prædis abactis. Omnes ab ijsdem enutriti, chariores se habent inuicem, plùs amant mutuò, plùs credunt, quàm si germani essent; adeò etiam vt præ his, & propter hos etiam germanos odio habeant. A parentibus reprehensi, ad hos altores suos confugiunt, & ab his animati in apertum sæpe bellum contra parentes prorumpunt, ab his ad omnem flagitiorum immanitatem instructi, perditissimi euadunt: vti nutrices virgines quas nutriunt ad omnem obscœnitatem erudiunt. Si alumnus aliquis è morbo laboret, incredibile quàm citò audiant nutrices, etiam magno locorum interuallo seiunctæ, quàm sollicitæ die nocteq; ægrotanti adsideant. Nec aliunde quàm ex his nutritijs maximæ Hiberniæ corruptelæ profluxisse creduntur.

Conijcere licet hanc quàm reliquas gentes, & calidioris, & humidioris esse naturæ, quod ex mirifica illorum carnis mollitie colligitur, quam sibi tam terræ ingenium, quàm lotionum quarundam artificium, exercitiumque conferre non est ambiguum. Pollent etiam propter eandem musculorum teneritudinem incredibili agilitate, & omnium corporis partium flexibilitate. Otio inprimis sunt dediti, summas reputant diuitias labore carere, & summas ducunt delicias libertate gaudere. Musica inprimis delectantur, citharáque maximè chordis æneis quas aduncis vnguibus numerosè pulsant. Si qui religioni se consecrant, religiosa quadam austeritate ad miraculum vsque se continent, vigilando, orando, & ieiunijs se macerando, vt neutiquam sit mirum quod de illorum monachis superiori sæculo scribitur. Ipsæ etiam adeò mulieres, & puellæ ie-

" iunium per totum annum die Mercurij, & Sabbathi obseruant. Quædam etiam eo die
" quo festum Catharinæ contingat ; nec hoc Natiuitatis festo, nec grauissimis morbis
" deserunt. Caussam aliqui assignant, in puellis, vt bene de marito sit prouisum; in mulie-
" ribus, vt in melius mutent coniugium, vel mortuis viris, vel relictis, vel etiam mutatis
" illorum moribus. Qui verò nequitiæ se semel emanciparint, ipsa nequitia sunt ne-
" quiores.

" Ex corticibus arborum, quas *Alders* vocant Angli, nigras vestes inficiunt, vtuntur
" etiam sambucinis baccis ad lanas flauas inficiendas. Ramis, cortice, & folijs Populi ar-
" boris contusis laxa indusia ista crocea quæ iam nullo ferè sunt in vsu, efficiunt, cumque
" cortice arbuti syluestris & sale crocum adhibent. Quæ verò tingunt non tam igne lon-
" go coquunt, quàm inter alia frigidæ humanæ vrinæ aliquot dies immergunt, vt co-
" lor flauus sit pertinacio.

" Latrocinia apud eos nullam habent infamiam, quæ passim summa cum immanitate
" exercentur. Latrocinaturi preces ad Deum fundunt, vt præda offeratur, & præ-
" dam pro munere à Deo oblatam arbitrantur, neque vim, neque rapinam, neque ho-
" micidium Deo displicere persuadentur. Nequaquam illum velle sibi hanc occasio-
" nem præbere, si peccaretur, imò peccatum esse si occasionem non arriperent. Au-
" dies à sicarijs, & incendiarijs : *Misericors est Dominus, & non sinet pretium sui san-
" guinis in me irritum*. Patrum porrò vestigijs se insistere dicunt, & eam sibi viuen-
" di rationem reliquam esse: nobilitatis suæ autem infamiam esse, si velint ex labore
" manuum victitare, & à facinoribus abstinere. Progredientes ad prædam, vel aliquod
" aliud opus, obseruant manè quem primum obuium habent, si bene res cedat, vt idem
" quotidie sibi occurrat, curant ; sin secùs, studiosè euitant. Nocte tempestuosissima
" stertere, & non pedibus viam longissimam noctu conficere, & spoliando omnibus pe-
" riculis se obijcere, abiecti animi esse dicunt. Nuper nec templis, nec sacris locis par-
" cunt, quin inde etiam deprædantur, ignem quoque nonnunquam inijciunt, homines
" ibi latitantes interficiunt ; & in caussa est turpissima sacrificulorum vita, qui e templis
" domos prophanas constituunt, & meretricibus indulgent, quæ illos quocunque con-
" cedunt, subsequuntur ; abdicatæ verò per veneficia nocendi artes quærunt. Concubinę
" sacerdotis, & spurij intra templi ambitum mansitāt, inebriantur, concumbunt, sanguinē
" effundunt, animalia claudunt, sacra inter illos syluestres non sunt, sacelli forma nisi ex-
" trinsecus nulla, altaria nulla, vel conspurcata, crucis imago deformata, si adsit omninò.
" Vestes sacræ putidæ vt nauseam prouocent, altare portatile crucibus non impressum,
" & aliqua contumelia læsum, Missalis liber lacer, & Canone spoliatus, idem omnibus
" iuramentis, & periurijs propositus, calix plumbeus sine patina, vascula ad vinum cor-
" nea. Sacerdotes tantùm rei familiari & liberis procreandis student. Rectores verò
" sunt vicarij idque plurium simul parochiarum Canonici iuris ostentatores, sed qui ne
" tantillum eruditionis habent, liberos in Ecclesijs successores habent, de quorum illegi-
" timatione dispensatur. Nolunt hi sacerdotum ordinem inire, sed presbyteris parochia-
" rum curam demandant, sine vllo stipendio, vt ex libro viuat .i. ex munusculo aliquo ad
" Baptismum, iniunctionem, & sepulturam sibi oblato, ex qua tenuissimè & miserrimè
" viuitur.

" Sacrificulorumque horum filij, qui studia non consectantur, plerumque latrocinio
" sunt insignes. Qui enim *Mac Decan, Mac Pherson, Mac Ospac*, id est, *filij Decani, Ecclesiæ
" rectoris, & Episcopi*, maximi existunt prædones, & ex parentum liberalitate ad seditio-
" so rum manum conscribendam potentiores, eoq; magis quòd ad paternum exemplum
" hospitalitati vacant. Filiæ autem horum sacrificorum, patribus superstitibus, magnis
" dotibus elocantur, si nubunt ; Patribus verò defunctis, aut mēdicant, aut se prostituunt.

" Ad tertium quodlibet verbulum iusiurandum interponere solemne habent, nimirum
" per *Trinitatem, Deum, Sanctos, Patricium, Brigidam, Baptismum, Fidem, Templum,
" Compatris manum, tuam manum*. Licèt autem per hæc sanctissimè biblijs sacris, vel Mis-
" sali aperto capiti impositis, & peierent, si quis ipsos damnationis pericula ex periurio
" subire dicat, statim audies illos clarè clamitare. Misericors est Dominus & non sinet
" pretium sanguinis sui effusi pro me, in me esse irritum. In infernum nunquam demer-
" gar, siue pœniteat, siue non pœniteat. Sed vt fidē pręstent hęc tria maximi sunt ponde-
" ris

ris. Primùm, vt iuret ad altare, libro tacto, aperto, superque caput posito. Secundò, vt adhibeat sibi testem Sanctum aliquem, cuius baculum recuruum, vel campanam tangat, & osculetur. Tertiò, vt iuret per manum Comitis, vel Domini sui, vel potentis alicuius, nam si periurus conuincatur, per priora duo infamiam subeat, si hoc tertiò peierabit, grandem summam pecuniarum, & vaccarum extorquebit potens ille, quasi suo nomini maxima ex periurio illata fuerit iniuria. Vaccæ enim solæ & gratissimæ sunt opes. De quibus non videtur indignum hoc annotare. Res certa (vt ille scribit) quòd lac non præbent vaccæ in Hibernia, nisi adiungatur sibi ad latus vitulus suus viuus, aut corium mortui stramine suffertum, vt viui imaginem referat; quasi odorem enim sui veteri in corio agnoscunt. Si inutilis fiat vacca, aduocatur Maga, quæ herbis alieni vituli amore capi faciat vt lactescat.

Extra opida rarò matrimonia contrahunt, non de præsenti, sed de futuro promittunt, vel sine deliberatione assentiunt: inde enata leuissima lite diuertunt, vir ad aliam fœminam, illa ad alterum maritum, nec an contractus veri falsiue fuerint, ante extremum spiritum vnquam exploratè cognitum est. Hinc bella circa agrorum possessiones, prædationes, homicidia, odia capitalia. Magæ consuluntur ab eiectis mulieribus, quæ viro priori, aut nouæ nuptæ vel sterilitatem, vel genitalium impotentiam, vel morbos periculosissimos inferre creduntur. Omnes enim mirum in modum in incestum propensi, & conscientiæ prætextu diuortia creberrima. Mulieres verò perinde ac viri comas suas plurimi faciunt, præsertim si aurei sint coloris, & prolixæ; ostentant enim ad longum complicatas, & ornatè contortas dependere sinunt, cùm capiti interim multas vlnas tenuissimæ sindonis circumuoluunt. Hoc genere coronæ vtuntur omnes quæ possunt comparere post puerperium, siue ex matrimonio, siue ex stupro.

Huc accedunt superstitiones non paucæ. Nescio an Lunæ diuinum honorem deferunt, cùm enim primùm ab interlunio vident, vulgò genu flectunt agrestiores illi, & orationem Dominicam recitant, & sub finem, Lunam alta voce alloquuntur: *Tam sanos nos relinque, quàm inuenisti.* Lupos sibi adsciscunt in patrimos quos *Chari Christ* appellant, pro eis orantes, & bene precantes, & sic se ab illis lædi non verentur. Spatulare os ouis carne nudatum transpiciunt, & inde aliquem ex illis ædibus efferendum prædicunt, si aliqua macula in ipso obscurior videatur. Maleficam eam arbitrantur quæcunque ignem Calendis Maij petit, nec dabunt nisi ægro, & cum imprecatione, ea de caussa arbitrantur eandem sequenti æstate butyrum omne suffuraturam. Leporem per armenta Calendis Maij occidunt, vetulam enim arbitrantur quæ butyrum sit surreptura. Butyrum surreptum mox restitui opinantur, si è stramentis super limen pendentibus auferant, & in ignem inijciant. Calendis verò illis Maij, ramum arboris virentem ad ædes statuere lactis abundantiam per æstatem tribuere credunt. In opidis quum quis magistratum primùm init, per plateas mulieres, ex fenestris virgines eos & sequaces tritico & sale aspergunt. Et priusquam semen in agro spargatur, materfamilias salem ad agrum mittit. Vt miluus non abripiat pullos Gallinaceos, putamina ouorum ex quibus pulli sunt exclusi, alicubi in tecto suspendunt. Non fas est equi pedes tergere, aut corpus strigili curare, aut gramen in eius pastum colligere die Sabbati, cùm hæc celeberrimis alijs festiuitatibus fiant.

Si nunquam dent ignem è domo proximis, credunt equis longiorem vitam & sanitatem dari. Si equorum possessores oua comedant, prouidere debent, vt paria sint, alioquin periculum equis. Equisonibus prohibentur oua. Equitibus etiam lex est post oua manus lauare. Mortuo equo pedes cum tibijs in domo suspendunt, imò vngulæ pro sacris habentur. Laudare equum, aut aliud animal, nullo modo oportet, nisi dicas, *Seruet eum Deus*, vel nisi in illum expuas. Si aliquid mali ad triduum equo accidat, laudatorem quærunt, vt orationem Dominicam in dextram aurem insusurret. Credunt quorundam oculos sibi equos fascinare, & tum adhibentur vetulæ quædam quæ preculis tacitè recitatis, valetudini restituunt. Laborant equorum pedes vermiculo, qui sensim serpendo plurimos sui generis procreat, & corpus corrumpit; contra hunc vermem aduocatur Maga, quæ ad equum deducatur diebus Lunæ duobus, & vnò

Iouis, illa locum quo vermis insidet, anhelitu fouet, & carmine recitato equus co nua-
“lescit. Hoc carmen pretio dato multos edocent, adiurantes vt nemini aperiant.
“ Ad omnia mala incantationes efficaces habent (vt credunt) inter se fœminæ diuisas
“ & distributas, ad quas quisque pro mali ratione properat, præponunt incantationi-
“ bus semper, item subiungunt *Pater noster*, & *Aue Maria*. Vbi aliquis cecidit in ter-
“ ram, statim exilit, & ter se in gyrum ad dextram vertit, gladio vel cultro terram fodit,
“ & cespitem eruit, quod illi terram vmbram reddere dicunt; & si inter biduum vel
“ triduum æger fiat, mittitur ad eum locum mulier quæ in illo genere pollet, & ibi di-
“ cit, Voco te P. ab Oriente, Occidente, ab Austro, & Aquilone, à nemoribus, syluis
“ fluminibus, paludibus, à nymphis syluestribus, albis, rufis, nigris, &c. & certas pre-
“ culas eiaculatur, deinde domum ad ægrum rediens, vt probet an sit morbus ille qui
“ dicitur *Esane*, quem à nymphis immissum arbitrantur, & aliam preculam cum *Pater*
“ *noster*, in aurem immurmurat, carbones quosdam in poculum mittit aquâ mundâ
“ plenum, & certiùs iudicat de morbo quàm multi medici.

Galloglasses. “ Militia eorum constat ex equitibus, triarijs, quos *Galoglassios* appellant, qui securi-
Kernes. “ bus vtuntur acutissimis: & leuiores armaturæ peditibus, qui *Karni* dicuntur, & iaculis
“ amentatis & machæris dimicant. Cuiuis pediti, aut equiti exeunti è porta acclamare,
“ auspicatum habetur; cui non acclamatur, aliquid mali portendi credunt. In bello
“ pro tuba tibia vtricularis in vsu est, ligaturas portant, preculas recitant, & in congressu
Barritus. “ *Pharroh* quàm acerrimè clamant (Barritum illum militarem existimo, de quo Ammi-
“ anus) cum hac persuasione, vt qui reliquorum clamori non respondeat, ei hoc accide-
“ re, vt accipiatur subitò a terra, feraturque quasi volans, semper postea hominum
Pag. 737. “ conspectum fugiens, in vallem quandam in *Kerry*, vt iam dixi.

“ Decumbenti assistentes nunquam de Deo, nec animæ salute, aut testamento con-
“ dendo verba faciunt, sed omnia in spem conualescendi: pro deplorato habent, si
“ quis Eucharistiam postulet. De testamento non laborant vxores, quòd mos inole-
“ uit, trientem bonorum eis dari, reliqua in liberos distribui æquis portionibus, nisi quòd
“ in hæreditate adeunda plus potest, qui plus valet. Qui enim potentissimus, siue pa-
“ truus, siue nepos, in hæreditatem, exclusis filijs, sæpissimè inuolat. Moribundum ali-
“ quem antequam fatis concedat, præficæ in quadriuio stantes passis manibus vocant
“ quibusdam clamoribus ad hoc aptatis, & animam eluctantem remorari conantur,
“ commemoratis bonorum, coniugum, formæ, famæ, agnatorum, amicorum, equo-
“ rum commoditatibus; interrogantque cur velit, & quò, & ad quos recedere, cumque
“ anima expostulant, quòd ingrata sit. Denique animam euolantem ad muliercularum
“ illarum de nocte & nigredine apparentium speciem transire conqueruntur, & affir-
“ mant: egressam verò de corpore, vlulatibus, & palmarum complosionibus lamentan-
“ tur. Funus autem tantis vociferationibus prosequuntur, vt viuos & defunctos concla-
“ matos esse existimes. In his planctibus vehementissimæ sunt nutrices, filię, & concubi-
“ næ. Nec minori planctu in prælio interemptos, quàm morbo sublatos lugent, etsi
“ hos leuiùs perijsse dicunt, qui præliando, vel latrocinando occumbunt; aduersarios
“ tamen omnibus conuicijs proscindunt, & odium capitale in omnes eius cognationis
“ diutissimè fouent.

“ Defunctorum animas in consortium abire existimant quorundam in illis locis illu-
“ strium, de quibus fabulas & cantilenas retinent, vt Gigantum, *Fin Mac Huyle*, *Osker*
“ *Mac Osshin*, & tales sæpe per illusionem se videre dicunt.

Water cresses Quod ad cibos, herbis libenter vescuntur, præcipue nasturtijs & fungis, radicibus,
Shamrootes. vt non immeritò Straboni dicti fuerint ποηφάγοι, id est, *herbis vescentes* (pro quo perpe-
ram in nonnullis exemplaribus legitur πολυφάγοι, id est, *Manducones magni*) Butyro eti-
am cum farina auenaria commixto, lacte, sero, iure bubalino, carnibus sæpe sine pane
inprimis gaudent: fruges quas habent in equorum pabulum, quos vnicè curant, repo-
nunt. Fame premente crudam carnem sanguine expresso deuorare non dedignantur, ad
quam concoquendam *Aquâ vitæ* plenis haustibus se ingurgitant; vaccis etiam sangui-
nem mittunt, quem coagulatum & butyro aspersum auidè comedunt.

Capite plerumque nudi incedunt, nisi cùm galeam induunt, capillitio longo, &
quasi

quasi crinium * flagellis crispatis quibus nihil charius habent, carpi autem indignissimè ferunt. Indusijs vtuntur lineis, & illis quidem amplissimis, manicis largioribus & ad genua vsque fluentibus, quæ croco inficere solebant. Tunicellas habent laneas admodum breues, femoralia simplicissima & arctissima; superinducunt autem * lacernas siue saga villosa (Heteromallas Isidorus vocare videtur) limbo iubato, & eleganter variegato, quibus noctu inuoluti suauiter humi dormiunt. Cuiusmodi etiam mulieres talari quam gerunt vesti superinijciunt, & multis (vt dixi) sindonis vlnis per spiras caput, monilibus colla, armillisque brachia onerant magis quàm exornant.

* Gleebes.

* Mantelles. Heteromallæ.

Hi sunt syluestrium Hibernicorum mores, ex authore nostro, in reliquis plerisq; omnibus qui Anglicam, quam dicunt, Prouinciam incolunt, nihil abest quod in cultu & humanitate requiratur, Anglorumq; victoriæ hoc debent: pluraque vniuersa Insula deberet, si modò insano quodam & peruicaci patrij ritus amore & aures & animos meliori culturæ non occlusisset. In patrijs enim ritibus Hibernici adeò sunt pertinaces, vt non solùm dimoueri non possint; sed Anglos etiam facilè ad suos mores pertrahant (ita ad peiora propendet natura humana) vt vix credibile sit quàm breui tempore degenerent.

The English Pale.



HVc iam prælo currente peruentum erat, cum vir honoratiſsimus D. Guiliel. Howard de Naworth pro eo quo Antiquitatis ſtudia proſequitur amore, mihi lubens impertijt Manuſcriptos Annales Rerum Hibernicarum, ab Anno Salutis MCLII. ad Annum vſq; MCCCLXX. Quos viſum eſt publici iuris facere, cùm poſt Giraldum Cambrenſem nihil melius in hoc genere quod ſciam, extet, & vir ille optimus, cuius priuati antea erant iuris, hoc permiſerit. Cui eædem planè gratiæ meritò debentur quòd è tenebris vindicauerit, quæ ipſi authori qui literarum monimẽtis conſignauerit, ſunt habendæ. Etſi verò ſtilus ſit incultior & ieiunus, vt illa tempora tulerunt; inſunt tamen quæ ad Hibernicam hiſtoriam illuſtrandam faciant quàm plura, & mihi lucem prætuliſſent ſi non ſerius ad manus veniſſent. Habe igitur fide antiqua etiam cum ſuis næuis, & erratis deſcriptos, & ſi qua meliora habes eodẽ candore impertias; ſi non, his vtere nobiſcum, donec prodeat aliquis qui auctiores dabit, & ad noſtra vſq; tẽpora maiori cum elegãtiâ, quod ſane operoſum non fuerit, fœliciter perducat.

ANNALES
HIBERNIÆ.



ANno Domini MCLXII. Gregorius primus Archiepiſcopus Dublinenſis vir per cuncta laudabilis obdormiuit in Domino, cui ſucceſsit Beatus Laurentius O-thothill, qui fuit Abbas Sancti Kemni de Glyndelagh. Thomas fit Archiepiſcopus Cantuarienſis.

MCLXVI. Rothericus O-Conghir Princeps Connactiæ Rex & Monarcha Hiberniæ factus eſt.

MCLXVII. obijt Matilda Imperatrix. Eodem anno Almaricus Rex Ieruſalem accepit Babyloniam. Eodem anno Dermicius filius Murcardi Princeps Lagenienſium O-Roricio Rege Midiæ in remotis in quadam expeditione exiſtente, vxorem rapuit, quæ rapi voluit: nam vt præda fieret ipſa procurauit, prout habetur in Cambrenſi.

MCLXVIII.

MDLXVIII. Donatus Rex Vrgaliæ fundator Monasterij Mellifontis in Christo quieuit. Eodem anno Robertus filius Stephani nec promissionis immemor, nec fidei temerator cum triginta militibus venit in Hiberniam.

MCLXIX. Comes Richardus Strogulensis iuuenem quendam de familia sua, Remundum nomine, cum decem Militibus circa Calendas Maij in Hiberniam præmisit. Eodem Anno idem Richardus Comes cum quasi ducentis Militibus & alijs circiter Mille in vigilia Sancti Bartholomei Apostoli applicuit. Qui quidem Richardus fuit filius Gilberti Comitis Strogulensis, id est, Chippestow, olim Strogull. Qui Richardus filius fuit Isabellæ matereræ Regis Malcolmi & Willielmi Regis Scotiæ, & bonæ spei Dauid Comitis, & in crastino verò eiusdem Apostoli dictam vrbem ceperunt, ibique Comiti Richardo Eua filia Dermicij patre tradente legitimè fuit copulata.

MCLXXI. Passus est Beatus Thomas Beket Archiepiscopus Cantuariensis. Eodem anno Ciuitas Dublin per Comitem Richardum & suos capta est. Eodem anno fundata est Abbatia de Castro Dei.

MCLXXI. Dermicius Murcardi filius plenus dierum apud Fernys circa kalendas Maij rebus humanis exemptus est.

MCLXXII. Rex animosus Henricus cum Militibus quingentis applicuit apud Waterford, & inter alia donauit Midiam domino Hugoni de Lacy. Eodem anno fundatur Abbathia de Fonte viuo.

MCLXXIIII. Gelasius Armachanus Archiepiscopus Primus primas Hiberniæ, vir sacer, senex plenus dierum in Christo quieuit. Hic primus Archiepiscopus dicitur qui primo pallio vsus est. Alij verò ante ipsum solo nomine Archiepiscopi & Primates vocabantur ob reuerentiam & honorem Sancti Patricij tanquam Apostoli illius gentis, cuius sedes in tanta ab initio cunctis veneratione habebatur, vt non modò Episcopi & Sacerdotes & qui de clero sunt sed etiam Regum ac Principum vniuersitas subiecta est illius Episcopo in omni obedientia. Cui successit in Archiepiscopatu bonæ memoriæ Gilbertus.

MCLXXV. captus est Guilielmus Rex Scotiæ apud Alnewike.

MCLXXVI. Bertram de Verdon fundauit Abbathiam de Crokisdenne.

MCLXXVII. Comes Richardus circa Kalendas Maij apud Dublin obijt in Ecclesia Sanctæ Trinitatis Dublin sepultus. Eodem anno Viuianus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Stephani in monte Callio Apostolicæ sedis Legatus venit in Hiberniam, missus ab Alexandro Papa.

MCLXXVIII. Nono Calendarum Decembris fundata est Abbathia de Samaria. Eodem anno fundatur Rosea vallis, id est, Rossglas.

MCLXXIX. Interfectus est Milo Coganensis & Radulphus filius Stephanidis gener ipsius inter Waterfordiam & Lismore &c. vt in Cambrensi. Eodem anno Heruaus de Monte-Marisco intrauit monasterium Sanctæ Trinitatis Cantuariæ, qui fundauit monasterium Sanctæ Mariæ de Portu, id est, Donbrothi.

MCLXXX. Fundata est Abbathia de choro Benedicti. Eodem anno fundata est Abbathia de Geripount. Eodem anno Laurentius Archiepiscopus Dublinensis decimo octauo Calendarum Decembris apud Normaniam in Ecclesia Sanctæ Mariæ Augensis fœliciter obdormiuit in Domino: cui successit Iohannes de Cumino vir Anglicus natione & in Anglia apud Euesham à Clero Dublinensi, regia procurante industria, consonè satis & concorditer electus; & à Papa confirmatus, qui Iohannes postmodum fundauit Ecclesiam Sancti Patricij Dubliniæ.

MCLXXXIII. Ordo Templariorum & Hospitalariorum confirmatur. Eodem anno fundata est Abbathia de Lege Dei.

MCLXXXV. Iohannes filius Regis Dominus Hiberniæ de dono patris venit in Hiberniam anno ætatis suæ duodecimo, ab aduentu patris sui in insulam decimo tertio, ab aduentu Stephanidis decimo quinto, ab aduentu Comitis Richardi decimo quarto, & eodem anno decimo quinto reuertitur.

MCLXXXVI. Ordo Cartusiensis & Grandiensis confirmatur. Eodem anno Hugo de Lacy apud Deruath fuit occisus dolosè ab Hibernico, quia ibidem prædictus Hugo voluit ædificare castrum, & sicut docuit Hibernicum laborare cum instrumento ferreo, scilicet Pykax; & quando Hugo inclinauit se percutiendum in terram cum ambabus manibus capite demisso, Hibernicus cum securi amputauit caput Hugonis de Lacy, & ibi cessauit Conquestus. Eodem anno

anno Christianus Lismoriensis Episcopus quondam Legatus Hiberniæ æmulator virtutum quas viderat, & audierat à sancto patre suo Bernardo, summoque Pontifice viro venerabili Eugenio cum quo fuit in probatorio apud Clarevallem, qui & eum legatum in Hibernia constituit post peractam obedientiam in monasterio de Kyrieleyson fœliciter migrauit ad Christum. Ierusalem capta est cum cruce Domini à Soldano & à Saracenis, interfectis multis Christianis.

MCLXXXVII. Calendis Iulij fundata est Abbathia de Ynes in Vltonia.

MCLXXXIX. obijt rex Henricus filius Imperatricis, cui successit Richardus filius eius, & apud fontem Ebrardi sepelitur. Eodem anno fundata est Abbathia de Colle victoria, i. Cnokmoy.

MC. Nonagesimo Richardus & Philippus reges vadunt in terram sanctam.

MC. Nonagesimo primo in Monasterio Clare-vallis Translatio S. Malachiæ Episcopi Armachani honorificè celebrata.

MC. Nonagesimo secundo Ciuitas Dublinensis combusta est.

MC. Nonagesimo tertio Richardus Rex Angliæ rediens à terra sancta per Ducem Austriæ capitur, fecitque finem cum Imperatore pro redemptione sua pro C. millibus Marcis, cum Imperatrice pro XXX. millibus, & cum prædicto Duce pro XX. millibus marcarum pro obligatione quam fecerunt eis pro Henrico Duce Saxone. Fuit autem in carcere Imperatoris anno vno mensibus sex & tribus diebus, pro cuius redemptione calices totius Angliæ ferè fuerunt venditi. Anno eodem fundata est Abbathia de Iugo Dei.

MC. Nonagesimo quarto Reliquiæ Sancti Malachiæ Episcopi de Clareualle in Hiberniam sunt adductæ & in monasterio Mellifontis & cæteris monasterijs ordinis Cistertiensis cum maximo honore sunt receptæ.

MC. Nonagesimo quinto Matthæus Archiepiscopus Casiellensis Hiberniæ Legatus, & Ioannes Archiepiscopus Dublinensis corpus Hugonis de Lacy Conquestoris Midiæ ab Hibernicis reportauerunt, & in monasterio de Beatitudine .i. Becty solemniter sepelierunt. Caput verò eiusdem Hugonis positum est in monasterio Sancti Thomæ Dubliniæ.

MC. Nonagesimo octauo Ordo fratrum prædicatorum incepit in partibus Tolosanis per secundum Dominicum.

MC. Nonagesimo nono obijt Richardus Rex Angliæ, cui successit Ioannes frater eius qui fuit Dominus Hiberniæ & Comes Moritoniæ, qui Ioannes interfecit Arthurum legitimum hæredem filium Galfridi germani sui. Sic autem Richardus obijt: Cùm Richardus Rex obsideret castellum de Gallicis in Britannia minori à quodam existente in Castello Bertramus de Gourdon nomine, sagitta lætaliter vulneratus est. Cùm verò de vita desperaret, diuisit fratri suo regnum Angliæ, & omnes alias terras suas custodiendum; & omnia iocalia sua & quartam partem Thesauri sui dedit Othoni nepoti suo, aliam verò quartam partem Thesauri sui dedit & præcepit seruientibus eius & pauperibus erogari. Comprehenso autem dicto Bertramo & coram Rege adducto interrogauit eum Rex: Quid tibi malè feci quòd me occidisti? Cui ille intrepidus respondit; tu interemisti patrem meum, & duos fratres meos manu propria, & etiam nunc me interimere voluisti: sume ergo de me vindictam qualemcunque volueris, quia non est mihi cura dummodo tu interficiaris, qui tot mala mundo intulisti. Tunc Rex condonauit eidem mortem suam, præcipiens eum dimitti liberum & dare ei centum solidos sterlingorum. Sed mortuo Rege, quidam de ministris dictum Bertramum excoriatum suspendunt. Obijt autem Rex decimo octauo Idus Aprilis quarta feria ante Dominicam in Ramis palmarum vndecimo die postquam vulneratus est, & sepultus apud Fontem Ebrardi ad pedes patris sui. De cuius morte quidam versificator ait:

Istius in morte perimit formica leonem.
Proh dolor & in tanto funere mundus obit.

Cuius Richardi Regis corpus in tres partes diuiditur. Vnde versus,

Viscera Carceolum, corpus fons seruat Ebrardi,
Et cor Rothomagum magne Richarde tuum.

Defuncto

Defuncto Richardo Rege Iohannes frater eius per Archiepiscopum Rothomagensem septimo calendarum Maij post mortem prædicti regis accinctus est gladio Ducatus Normanniæ, qui Archiepiscopus posuit in capite eius ducis circulum rosas aureas habentem in summitate per circuitum. Sed & sexto Calendas Iunij præsentibus omnibus Magnatibus Angliæ in Ecclesia Sancti Petri Westmonasterij die ascensionis Domini vnctus est in Regem Angliæ & coronatus; & postmodum vocatus est Ioannes Rex Angliæ ad Parliamentum Franciæ per Regem Franciæ ad respondendum de morte Arthuri nepotis sui, & quia non venit priuauit eum de Normania. Eodem anno fundata est Abbathia de Commerer.

MCC. *Catholus Cronerg Rex Connaciæ fundator Monasterij de Colle Victoriæ eijcitur de Connacia. Eodem anno fundatur Monasterium de voto, id est*, Tynterne, *per Guilielmum Marescall Comitem Marescall & Pembroch, qui fuit Dominus Lageniæ, scilicet quatuor Comitatuum, Weysford, Osseriæ, Caterlachiæ, & Kyldariæ, ratione & iure vxoris suæ, qui desponsauit filiam Comitis Richardi Strogulensis & Euæ filiæ Dermicij Murcardi; sed quia prædictus Guilielmus Comes Marescall fuit in maximo periculo in mari die noctuque votum vouebat Domino Iesu Christo, quòd si liberaretur à tempestate, & veniret ad terram, faceret monasterium Christo & Martaque matri eius, & sic factum est cùm peruenisset securè ad Weysford, fecit monasterium de Tynterne ex voto, & vocatur Monasterium de Voto. Eodem anno fundatum est monasterium de Flumine Dei.*

MCCII. *Restitutio Catholi Cronerg vel Crorobdyr regis Connaciæ in regno suo. Eodem anno domus sanctæ Mariæ Canonicorum de Connall fundatur per Dominum Meilerum filium Henrici.*

MCCIII. *Fundata Abbathia de sancto Saluatore i.* Dowisky, *isto anno & sequenti ædificatur.*

MCCIIII. *Commissum est bellum inter Iohannem Courcy primum Comitem Vltoniæ, & Hugonem de Lacy apud Doune, in quo bello corruerunt ex vtraque parte, sed Iohannes Courcy præualuit in bello. Postmodum feria sexta & Parasceue cùm fuit inermis Iohannes antedictus, & nudis pedibus & in lineis in peregrinatione visitando limina ecclesiarum, vt mos est, iret, capitur à suis perditiosè pro mercede data ac maiori danda in futuro, & remunerandis, traditur Hugoni de Lacy. At ille ducit illum ad regem Angliæ, qui rex dedit Hugoni de Lacy Comitatum Vltoniæ & Dominium Connaciæ, quæ fuerunt Iohannis Courcy. Tunc Hugo de Lacy Comes remunerauit & dedit aurum & argentum omnibus proditoribus Iohannis Courcy multò minus, sed statim suspendit omnes prædictos proditores & accepit omnia bona illorum, & sic Hugo de Lacy dominatur in tota Vltonia, & Iohannes Courcy iudicatur carceri perpetuo, quia fuit antè rebellis Iohanni regi Angliæ & noluit sibi facere homagium, & vituperauit eum de morte Arthuri legitimi hæredis; sed dummodo fuit in carcere in maxima egestate, & modicum huic & vile ad manducandum & bibendum, dixit: O tu Deus quare sic facis mecum qui tot monasteria ædificaui & reædificaui tibi & sanctis tuis? qui cùm multis vicibus sic eiularet & obdormiret affuit ei sancta Trinitas dicens: Quare me eiecisti de sede mea & de ecclesia Dunensi, & posuisti ibi Sanctum meum Patricium patronum Hiberniæ? Quia Iohannes Courcy expulit seculares Canonicos de Ecclesia Cathedrali Dunensi, & adduxit Monachos Nigros de Cestria & posuit in eadem ecclesia, & sancta Trinitas fuit ibidem in sede magnitudinis, & ipse Iohannes deposuit eum de ecclesia, & ordinauit Capellam pro ea Imagine, & in magna ecclesia posuit imaginem sancti Patricij, quod non placuit deo altissimo, ideò Deus sic dixit: Scies quòd nunquam intrabis in Dominium tuum nunc in Hibernia, sed propter alia bona quæ fecisti, cum honore liberaberis de carcere, quod & factum est. Et iam contentio facta est inter Iohannem regem Angliæ, & regem Franciæ propter Dominium quoddam & quædam castella, lite pendente rex Franciæ obtulit gigantem seu pugilem ad pugnandum pro iure suo. Tunc rex Angliæ memor viri sui fortissimi Iohannis Courcy, quem misit antè in carcerem ad informationem aliorum; rex misit pro Iohanne Courcy, & quæsiuit ab eo si posset iuuare in duello, & tunc Iohannes respondit & dixit, non propter te pugnabo, sed propter iustitiam regni, cui & postmodum accepit pugnam in duello, & tunc recreatus est in esculentis & poculentis & balneis, & accepit virtutem fortitudinis suæ & dies assignata est inter istos gigantes seu pugiles, scilicet inter Iohannem Courcy & alium; sed quando pugil Franciæ audiuit de nimia commestione & maxima fortitudine noluit pugnare, & tunc datum est Dominium regi Angliæ. Tunc rex Franciæ*

petiuit

petiuit videre ictum à manu Iohannis Courcy, & posuit galeam fortissimam plenam loricis super truncum magnum seu lignum, & prædictus Iohannes accipiens pugionem siue gladium & respiciens toruo vultu circumquaq́; percussit galeam a summo vsq́; deorsum in truncum, & stetit gladius in ligno fixus, ita quòd nullus alius præter eum posset extrahere gladium: tunc rogatus Iohannes à Regibus leniter extraxit, & Reges quæsierunt à Iohanne prædicto quare ita toruo vultu respexit ante percussionem; tunc respondit, quòd si defecisset in ictu omnes interfecisset tam Reges quàm alios. Et Reges dederunt sibi munera magna, sed & Rex Angliæ dedit sibi Dominium, suum sc. Vltoniam: sed Iohannes Courcy temptauit XV. vicibus venire per mare in Hiberniam, sed semper fuit in periculis & continuè ventus fuit contrarius sibi, quapropter expectauit paulisper inter monachos Cestriæ. Tandem reuersus in Gallias & ibi quieuit in Domino.

MCCV. *Fundata est Abbathia de Wetheneia in Comitatu Lymerici per Theobaldum filium Walteri de Pincerna Dominum de Karryk.*

MCCVI. *Ordo fratrum minorum incepit prope ciuitatem Assisam per Sanctum Franciscum.*

MCCVIII. *Guilielmus de Brewes expellitur de Anglia & venit in Hiberniam. Anglia interdicta est propter tyrannidem Regis Iohannis Angliæ. Item strages magna apud Thurles in Momonia super homines Iustitiarij Hiberniæ per Dominum Galfridum Mareys.*

MCCX. *Iohannes Rex Angliæ venit in Hiberniam cum magna classe & ingenti exercitu, filiosque Hugonis Lacy, scilicet Dominum Walterum Dominum Midiæ, & Hugonem fratrem eius propter tyrannidem quam exercuerunt in plebem, & maximè quòd interfecerunt Dominum Iohannem de Courson, Dominum de Rathenny & Kilbarrok, quia ipsi audierunt quòd eos prædictus Iohannes accusauit ad Regem; ideo Rex prædictos eiecit de terra, ac illi in Franciam fugerunt & seruierunt in Monasterio Sancti Taurini ignoti in operibus luti & lateris, & aliquando in horto sicut hortulani; sed tandem cogniti ab Abbate eiusdem Monasterij rogauit idem Abbas pro eis ad Regem, quia leuauit filios suos de sancto Lauacro & fuit compater illius multociens, & Walterus Lacy soluit duo millia marcarum & dimidium mille, & Hugo Lacy soluit magnam summam pecuniæ Regi & pro redemptione, & rogatu dicti Abbatis restituti sunt ad gradum & Dominium pristinum, & Walterus Lacy secum adduxit Iohannem filium Aluredi, id est, Fitz-Acory filium germani prædicti Abbatis, & fecit eum Militem & dedit sibi Dominium de Dengle & alia multa dominia. Item adduxit Monachos de eodem Monasterio, dedit eis prædia multa & Cellam quæ vocatur Foury intuitu caritatis & gratitudinis & consilij, & Hugo de Lacy Comes Vltoniæ fecit Cellam pro Monachis, & ditauit eos in Vltonia in loco qui vocatur Sed Iohannes Rex Angliæ captis obsidibus plurimis tam Anglicorum quàm Hibernicorum, maleficijsque multis in patibulis suspensis, stabilitaq́; terra in Angliam est reuersus eodem anno quo venerat.*

MCCXI. *Dominus Richardus Tuyt apud Alone turre cadente compressus & comminutus occubuit. Iste Richardus fuit fundator Monasterij de Grenardo.*

MCCXII. *Fundata est Abbathia de Grenard. Eodem anno obijt Iohannes Comyn Archiepiscopus Dublinensis & in choro ecclesiæ sanctæ Trinitatis sepelitur, qui fuit fundator ecclesiæ S. Patricij Dublinensis, cui successit Henricus Londres, qui vocatur Schorchevilleyn a quodam facto suo, quia quadam die vocauit suos tenentes ad respondendum sibi quomodo tenerent de eo. At illi tenentes ostenderunt literas ad chartas suas: at ille iussit incendi chartas rusticorum & tunc liberi tenentes continuè vocabant eum Henricum Scorchevilleyn, qui Henricus Archiepiscopus Dublinensis fuit Iustitiarius Hiberniæ & construxit castrum Dublinense.*

MCCXIII. *Obierunt Guilielmus Petit & Petrus Messet, iste Petrus Messet fuit Baro de Luyn iuxta Trym; sed quia obijt sine masculo hærede transijt hæreditas ad tres filias, quarum primam maritauit Dominus de Vernail, secundam Talbot, aliam Loundres, & diuidebant inter se hæreditatem.*

MCCXIX. *Ciuitas Damietæ nonas Septembris intempestæ noctis silentio miraculosè capta est, ita quòd in captione ipsius nec vnus de Christianis occubuit.*

Genealogia Comites Marescalli.

Anno eodem obijt Guilielmus Marescall senior, Comes Marescall & Pembrochiæ, qui generauit ex filia Richardi Strangbow Comitis Strogulensis quinque filios, nomen primi filij Guilielmus, nomen secundi Walterus, nomen tertij Gilbertus, nomen quarti Anselmus, nomen

men quinti Richardus qui cecidit in bello Kildariæ, & quilibet istorum quinque filiorum fuit Comes post Patrem per successionem hæreditate paterna, & nullus istorum generauit prolem, quapropter hæreditas transiuit ad sorores, scilicet filias patris eorundem, nomen primæ Matildis le Mareschall, secunda Isabella de Clare, tertia Eua de Breous, quarta Ioh. de Mountchensey, quinta Sibilla Comitissa de Ferrers. Hugo Bigod Comes Norfolciæ desponsauit Matil. Mareschall qui fuit Comes Mareschall Angliæ iure vxoris suæ, qui Hugo generauit Radul. Bigod patrem Ioan. Bigod, qui fuit filius Dom. Berthæ de Furnyuall, & Isabellam de Lacy vxorem Domini Iohannis Fitz-Geffery, & quando Hugo Bigod Comes de Northfolk fuit mortuus peperit illa Iohannem de Guarenna Comitem de Surrey & sororem Isabellam de Albeney Comitissam de Arondell. Gilbertus de Clare Comes de Glouernia desponsauit Isabellam secundam sororem, qui genuerunt Richardum de Clare Comitem de Glouernia, quæ fuit mater Dominæ Anisæ Comitissæ de** Auernia, quæ fuit mater Isabellæ * matris Domini Roberti de Brus Comitis de Carryk in Scotia, & fuit Rex eiusdem Scotiæ. De Eua de Breous tertia sorore generata est Matildis quæ fuit mater Domini Edmundi de Mortuomari & mater dominæ Euæ de Cauntelow mater Dominæ Milsoud de Mohune, quæ mater Dominæ Alianoræ matris Comitis Hereford. Dominus Guarinus de Mountchensey desponsauit Ioannem de Mareschall quartam sororem, de qua venit Iohannis de Valens. De Sibilla Comitissa de Ferrers, scilicet quinta sorore fuerunt septem filiæ, prima Agnes de Vescy mater Domini Ioannis & Domini Guilielmi de Vescy. Secunda Isabella Basset. Tertia Iohanna Bohun vxor Domini Iohannis de Mohun filij Domini Reginaldi. Quarta Sibilla de Mohun vxor Domini Francisci de Bohun Domini de Midhurst. Quinta Elianora de Vaus, quæ fuit vxor Comitis Wintoniæ. Sexta* Agas de Mortuomari vxor Domini Hugonis de Mortuomari. Septima Matildis de Kyme Domina de Carbry. Omnes prædicti tam masculi quàm fœminæ sunt de genealogia dicti Guilielmi Comitis Mareschall.*

Vidua sc. Gilberti Lacy.

* forte Deuoniæ.

Locus corruptus.

* Ione vxoris.

* Agatha.

MCCXX. *Translatio Sancti Thomæ Cantuariensis. Anno eodem obijt Dominus Meilerus filius Henrici fundator domus de Connall, qui sepelitur in domo Capitulari eiusdem domus.*

MCCXXIIII. *Castrum de Bedford obsessum est & Castrum de Trim in Hibernia.*

MCCV. *Obijt Rogerus Pippard, &* MCCVIII. *obijt Guilielmus Pippard quondam Dominus de Saltu Salmonum, item obijt Henricus Londres vel Scorcheuilleyn Archiepiscopus Dublinensis, & sepelitur in Ecclesia Sanctæ Trinitatis Dublinensi.*

MCCXXX. *Henricus Rex Angliæ dedit Huberto de Burgo Iustitiariam, & tertium denarium Canciæ, & fecit eum Comitem Cantiæ. Et postea idem Hubertus incarceratus est, & facta est perturbatio inter Regem & suos, qui amagis adhæsit extraneis quàm suis.*

MCCXXXI. *Obijt Guilielmus Mareschall Iunior Comes Mareschall & Pembroch qui sepelitur in choro fratrum prædicatorum Kilkenny.*

MCCXXXIIII. *Richardus Comes Mareschall & Pembrochiæ & Strogulensis primo Idus Aprilis in planitie de Kildare in bello vulneratus, post paucos dies apud Kilkenni obijt, & ibidem iuxta germanum, scilicet Guilielmum, sepelitur in choro fratrum prædicatorum de quo scribitur:* Cuius, sub fossa Kilkenia continet ossa.

MCCXXX. *Walterus de Lacy Dominus Midiæ decessit in Anglia relinquens post se duas filias suas hæredes, quarum primam maritauit Dominus Theobaldus de Verdon, Secundam desponsauit Galfridus de Geneuile.*

MCCXLIII. *Obijt Hugo de Lacy Comes Vltoniæ & sepelitur apud Cragfergous in Conuentu fratrum Minorum, relinquens filiam hæredem quam desponsauit Walterus de Burgo qui fuit Comes Vltoniæ. Eodem anno obierunt Dominus Geraldus filius Mauricij, & Dominus Richardus de Burgo.*

MCCXLVI. *Terræmotus per totum Occidentem circa horam nonam.*

MCCXLVIII. *Dominus Iohannes filius Galfridi Miles venit Iustitiarius in Hiberniam.*

MCCL. *Lodouicus Rex Franciæ à Saracenis & Guilielmus de Longa Spata & multi alij capiuntur. In Hibernia interficitur Maccanewey filius Belial, sicut bene meruit in Leys.*

MCCLI. *Nascitur Dominus Henricus Lacy. Natali die item apud Eboracum Alexander Rex Scotiæ puer vndecim annorum desponsauit Margaretam filiam Regis Angliæ.*

MCCLV. *Alanus de la Zouch fit & venit Iusticiarius Hiberniæ.*

MCCLVII. *Obijt dominus Mauricius filius Geraldi.*

MCCLIX. *Stephanus de Longa Spata venit Iusticiarius Hiberniæ. Castrum Viride in Vltonia prosternitur. Item Gulielmus Dene fit Iusticiarius Hiberniæ.*

MCCLXI. *Dominus Iohannes filius Thomæ, & dominus Mauricius filius eius interficiuntur in Dessemonia à Mackarthy. Item obijt Gulielmus Dene Iusticiarius Hiberniæ, cui successit dominus Richardus de Capella eodem anno.*

MCCLXII. *Obijt Richardus de Clare Comes Glouerniæ. Item obijt Martinus de Maundeuile in crastino Benedicti.*

MCCLXIIII. *Mauricius filius Geraldi & Mauricius filius Mauricij cepit Richardum de Capella, dominum Theobaldum Botiller, & dominum Iohannem Cogan apud Tristel-dermot.*

MCCLXVII. *Dauid de Barry fit Iusticiarius Hiberniæ.*

MCCLXVIII. *Comitus Mauricius filius Mauricij submergitur. Item dominus Robertus Vfford fit Iusticiarius Hiberniæ.*

MCCLXIX. *Castrum de Roscoman fundatur. Richardus de Exonijs fit Iusticiarius.*

MCCLXX. *Dominus Iacobus de Audeley venit Iusticiarius in Hiberniam.*

MCCLXXI. *Henricus filius Regis de Almania interficitur in Curia Romana. Eodem anno pestis, fames & gladius, & maximè in Midia. Item interficitur Nicholaus de Verdon, & Iohannes frater eius. Obijt Walterus de Burgo Comes Vltoniæ.*

MCCLXXII *Interficitur Dominus Iacobus de Audeley Iusticiarius Hiberniæ cadendo de equo suo in Tothomonia. Cui successit dominus Mauricius filius Mauricij in officio capitalis Iusticiarij.*

MCCLXXIII. *Dominus Galfridus de Geneuile redijt de terra sancta, & fit Iusticiarius Hiberniæ.*

Rex Edward. Primus. MCCLXXIIII. *Edwardus filius Henrici per fratrem Robertum Kilwarby Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopum Cantuariensem die Sancti Magni martyris in Ecclesia Westmonasteriensi vnctus est in regem Angliæ, & coronatus est præsentibus magnatibus totius Angliæ, cuius professio siue iuramentum tale fuit. Ego E. filius & heres Henrici regis profiteor, confiteor & promitto coram Deo & Angelis eius amodò & deinceps legem & iustitiam, pacemque sanctæ Dei Ecclesiæ, populóque mihi subiecto sine respectu seruare, sicut cum consilio fidelium nostrorum inuenire poterimus: pontificibus quoque Ecclesiæ Dei condignum & canonicum honorem exhibere, quæ ab imperatoribus & regibus ecclesiæ sibi commissis collata sunt inuiolabiliter conseruare, Abbatibus & vasis dominicis congruum honorem secundum fidelium nostrorum &c. sicut Deus me adiuuet, & sancta domini Euangelia. Eodem anno obijt dominus Iohannes de Verdona, item dominus Thomas de Clara venit in Hiberniam. Item Gulielmus filius Rogeri Prior Hospitaliorum, & multi alij capiuntur apud Glyndelory, & plures interficiuntur ibidem.*

MCCLXXV. *Castrum de Roscoman iterum erigitur. Eodem anno Moydagh captus erat apud Norragh per dominum Walterum le Faunte.*

MCCLXXVI. *Robertus de Vfford fit Iusticiarius Hiberniæ, iteratò cessit Galfridus de Geneuile.*

MCCLXXVII. *O-Brene interficitur.*

MCCLXXVIII. *Obijt dominus Dauid de Barry. Item obijt dominus Iohannes de Cogan.*

MCCLXXIX. *Dominus Robertus d'Vfford intrauit Angliam, & constituit loco suo fratrem Robertum de Fulborne Episcopum Waterford, cuius tempore mutata est moneta. Item tabula rotunda tenetur apud Kenylworth per dominum Rogerum de Mortuomari.*

MCCLXXX. *Robertus d'Vfford redijt de Anglia Iusticiarius vt priùs. Item obijt vxor domini Roberti Vfford.*

MCCLXXXI. *Adam Cusak minor interfecit Guilielmum Barret, & plures alios in Connacia. Item frater Stephanus Fulborn fit Iusticiarius Hiberniæ. Item dominus Robertus d'Vfford redijt in Angliam.*

MCCLXXXII. *Interfectus est Moritagh & Arte Mac-Murgh frater eius apud Arclowe in vigilia Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Item obijt Dominus Rogerus de Mortuo-mari.*

MCCLXXXIII.

MCCLXXXIII. *Combusta est ciuitas Dublinensis pro parte, & Campanile Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis Dublinensis III. Nonas Ianuarij.*

MCCLXXXIIII. *Captum est castrum de Ley à regulis Offaliensium, & combustum est in crastino sancti Barnabæ Apostoli. Obijt Alfonsus filius regis ætate duodecim annorum.*

MCCLXXXV. *Obijt dominus Theobaldus le Botiller sexto Kalendarum Octobris in castello de Arclowe, & sepultus ibidem in Prædicatorum conuentu. Item captus est Geraldus filius Mauricij à suis Hibernicis in Ofalia, & Richardus Petyt, & S. Doget cum multis alijs, & strages magna apud Rathode.*

MCCLXXXVI. *Combusta est Le Norragh & Arstoll, cæteraque villæ continuè per Philippum Stanton decimo sexto Kalendarum Decembris. In his diebus Alianora regina Angliæ, mater regis Edwardi religionem suscepit apud Ambresbury die Translationis sancti Thomæ, dote sua in regno Angliæ à perpetuo possidendum per summum Pontificem confirmata. Item Calwagh capitur apud Kildare. Obijt dominus Thomas de Clara.*

MCCLXXXVII. *Stephanus Fulborne Archiepiscopus Tuamensis obijt, cui successit in officio Iusticiarij ad tempus Iohannes Sampford Archiepiscopus Dublinensis. Anno eodem rex Hungariæ fide Christianorum relicta apostauit, & conuocatis quasi ad Parlamentum fraudulenter potentioribus suæ terræ, superuenit Miramomelius Saracenus potens cum viginti millibus bellatorum, regem cum omnibus Christianis ibidem congregatis in vigilia sancti Iohannis Baptistæ secum adducens: itinerantibus itaque Christianis tempus clarum in nubulum est conuersum, subitòque grandinosa tempestas multa millia incredulorum continuè occidit; Christiani ad sua sunt conuersi, solo rege apostata cum Saracenis gradiente. Hungari igitur eius filium coronantes in fide catholica permanserunt.*

MCCLXXXIX. *Tripolis Ciuitas famosa solo tenus non sine magna sanguinis effusione Christiani complanatur per Soldanum Babyloniæ, qui iussit imagines Sanctorum ad caudas trahi equorum in contemptum nominis Iesu Christi per ciuitatem destructam.*

MCCLXXXX. *Inclyta stirps regis sponsis datur ordine legis.*

Dominus Gilbertus de Clare duxit in vxorem Dominam Iohannam de Acon filiam Domini Regis Edwardi in Conuentuali Ecclesia Westmonasteriensi nuptijs solemniter celebratis mense Maio, & Iohannes filius Ducis Brabantiæ Margaretam dicti Regis filiam duxit in vxorem, in prædicta Ecclesia mense Iulio. Eodem anno Dominus Guilielmus Vescy fit Iusticiarius Hiberniæ eam ineundo die Sancti Martini. Item O Molaghelyn Rex Midiæ interficitur.

MCC. *Nonagesimo primo, Gilbertus de Clare filius Gilberti & Domina Iohanna de Acon vndecimo die Maij intrante natus est. Item exercitus ductus est in Vltoniam contra O Hanlan & cæteros Regulos pacem impedientes per Richardum Comitem Vltoniæ, & Guilielmum de Vescy Iusticiarium Hiberniæ. Item obijt Domina Elianora Regina quondam Angliæ & mater Edwardi regis in festo Sancti Iohannis Baptistæ, quæ in habitu religionis desiderato per annos quatuor, menses vndecim, & sex dies laudabilem vitam duxit in Cœnobio Ambresby, vbi fuit monialis. Item insonuerunt rumores in auribus Domini Papæ Martini in vigilia Beatæ Mariæ Magdalenæ de Ciuitate Acon in terra sancta, quæ sola fuit refugium Christianorum, quòd illa a Milkadar Soldano Babyloniæ & suis infinitis fuit obsessa, & quasi quadriginta quatuor diebus fortissimè impugnata, scilicet ab octauo Idus Aprilis, vsq; ad XV. Calendas Iulij. Tandem ab impugnantibus Saracenis dirutus est murus, & intrauerunt Saraceni in numero infinito, pluribusque Christianis interfectis, quibusdam in mari præ timore submersis: perijt in mari Patriarcha cum suis. Rex Cypri & Oto de Grandisone cum suis miserabiliter per nauigium euaserunt. Item concessum Domino E. Regi Angliæ per Dominum Papam Martinum decima pars omnium prouentuum beneficiorum Ecclesiasticorum per septennium in Hibernia in subsidium terræ Sanctæ. Item senior filius Comitis de Clare nascitur.*

MCC. *Nonagesimo secundo, Rex Edwardus Angliæ iterum intrauit Scotiam, & electus in Regem Scotiæ, Dominus Iohannes de Bailoll de Galweya totum regnum Scotiæ iure hæreditario acquisiuit, & Domino E. Regi Anglorum apud Nouum Castrum super Tyne die Sancti Stephani homagium fecit. Florentio Comite de Holand, Roberto de Brus Comite de*

Carrick, Iohanne Hastings, Iohanne Comyn, Patricio de Dunbarre, Iohanne de Vescy, Nicholao de Soules, & Gulielmo de Roos, qui omnes calumniati sunt in dicto regno, submiserunt se iudicio Domini Regis Edwardi.

Item decima quinta pars bonorum secularium concessa Domino Regi Angliæ in Hibernia, ea colligenda in festo Sancti Michaelis. Item obijt Dominus Petrus de Geneuile Miles. Item Rice ap Meredyke ductus est Eboracum, & ibidem ad caudas equorum distractus.

MCCLXXXXIII. *Bellum nauale fuit Normannis generale. Item interfecti sunt Normanni non modico numero per bellum nauale à Baronibus de Portubus Angliæ, & alijs coadiutoribus inter Pascha & Pentecosten, qua de caussa mota est guerra inter Angliam & Francos, vnde Rex Francorum Philippus direxit Regi Anglorum literas creditorias vt personaliter ad Parlamentum suum accederet responsurus quæstionibus quas idem Rex erat propositurus versus eum, cuius mandato minime completo, mox ipsum Regem Angliæ exlegem per consilium Francorum Rex Franciæ iudicans, condemnauit. Item Gilbertus de Clare Comes* Glouerniæ *cum vxore sua intrauit Hiberniam circa festum S. Lucæ.*

MCC. *Nonagesimo quarto, W. de Monteforti in consilio Regis Westmonasterij coram Rege subitò expirauit, qui Gulielmus fuit Decanus Sancti Pauli London, in cuius ore Pontifices & Clerus verba sua ponentes & hæsitantes quantum Rex à quolibet ipsorum affectaret, inde volentes certificari, in quo & Rex maximè confidebit, ad Regem reuersus & approperans ante Regem vt conceptum sermonem exprimeret, repentè obmutescens labitur ad terram, extractus à Regis ministris in vlnis eorum miserabiliter. Quapropter visum quod accidit, dixerunt viri timorati, verè iste homo procurator fuerat vt decimæ Ecclesiasticorum Beneficiorum Regi persoluerentur. Scrutinij facti in Ouile Christi alter instigator vt Guilielmus clamabat, necnon contributionis postmodum Regi concessæ. Item Ciuitas Burdegaliæ cum terra Vasconiæ adiacente occupata à ministris Regis Franciæ est conditionaliter, sed iniustè proditiosè q; detenta est per Regem Franciæ. Cuius caussa Iohannes Archiepiscopus Dublinensis, & quidam alij magnates in Almaniam sunt missi ad Regem eiusdem, & habito responso in Tordran, reuersus est Dominus Archiepiscopus in Angliam diem claudens extremum die Sancti Leodegarij, cuius Iohannis Sampford ossa traduntur sepulturæ in Ecclesia Sancti Patricij Dublinensi decimo Calendarum Martij.*

Eodem anno oriebatur contentio inter Dominum Guilielmum de Vescy tunc Iustitiarium Hiberniæ, & Dominum Iohannem filium Thomæ, & Dominus Guilielmus de Vescy transfretauit in Angliam & dimisit Dominum Guilielmum de la Hay loco suo Iustitiarium Hiberniæ, sed cùm venissent ambo coram Rege vt pugnarent sub appellatione pro proditione, fugit in Franciam prædictus Guilielmus Vescy, & noluit pugnare. Tunc Rex Angliæ dedit Dominia quæ fuerunt Domini Guilielmi de Vescy Domino Iohanni filio Thomæ, scilicet, Kildare & Rathemgan, & multa alia. Eodem anno Gilbertus de Clare Comes Glocestriæ redijt de Hibernia in Angliam. Item Richardus Comes Vltoniæ citò post festum sancti Nicolai captus est per Dominum Iohannem filium Thomæ, & in Castro de Lega, id est, Ley detentus est vsque ad festum Sancti Gregorij Papæ, cuius liberatio facta fuit tunc per consilium Domini Regis in Parliamento de Kilkenny. Pro cuius captione prædictus Dominus Iohannes filius Thomæ dedit omnes terras suas, scilicet Slygo cum pertinentibus quas habuit in Connacia. Item Castrum Kyldariæ capitur. Kildaria & patria circumstans ab Anglis & Hibernicis spoliatur. Caluagh combussit Rotulos & Tallias Comitis. Magna caristia & pestilentia per Hiberniam isto anno & duobus annis sequentibus. Item Dominus Guilielmus D'ooddyngzele fit Iusticiarius Hiberniæ.

MCC. *Nonogesimo quinto, Edwardus Rex Angliæ ædificauit castrum de bello Marisco, id est,* Beaumaris *in Venedocia, quæ mater Cambriæ vocatur, & a vulgo Anglesia, eam intrando citò post Pascha & Venedotes, id est, homines valentes Anglesiæ suo imperio subiugando, & cito post istam tempestatem videlicet circa festum Beatæ Margaretæ, Madocus tunc temporis Walliæ electus gratiæ Regis se supponens per dominum Iohannem de Hauerynges Londinum est adductus, & ibidem in turri inclusus gratiam & beneuolentiam Regis expectando. Isto anno obijt dominus Guilielmus D'ooddyngzele Iustitiarius Hiberniæ in Crastino Sanctæ Mariæ Aegyptiacæ. Cui successit Dominus Thomas filius Mauritij in Iustitiaria. Item circa eandem tempestatem Hibernici Lagenienses Lageniam vastauerunt, nouum Castrum cum alijs villis comburendo. Item Thomas de Torbeuile seductor Regis & regni conuictus trahitur*

per

per medium London super pellem prostratus vallatusque quatuor tortoribus laruatis improperantibus ei conuicia, & sic vltimò patibulo affigitur vt sepulturæ non daretur corpus eius, miluis & coruis exequias celebrantibus. Fuit iste Thomas vnus eorum qui in obsidione castri de Rions capti Parisius ducebantur. Qui locutus est ad Principes Francorum quòd illis Regem Angliæ traderet, relinquens ibi duos filios obsides, rediyt de partibus transmarinis, & Regi Angliæ & suo consilio adiunxit, enarrans omnibus quàm cautè euasit de carcere, & cùm de consilio Regis & ordinatione regni certificaretur, omnia in scriptis redigens Præposito Parisiensi direxit. Super quo demum conuictus prædictam subyt sententiam.

Item circa eandem tempestatem Scoti rupto pacis vinculo quod cum Domino Rege Angliæ pepigerant cum Rege Franciæ nouum fœdus inierunt, & conspiratione facta in Regem proprium earum Dominum Iohannem Balliol insurrexerunt, & eum in quodam castro altis montibus circumsepto in interiora loca Scotiæ incluserunt. Elegerunt sibi more Franciæ duodecim Pares, videlicet, quatuor Episcopos, quatuor Comites, & quatuor Proceres. Quorum nutu cuncta regni negotia censerentur. Et hoc factum est in ignominiam Regis Angliæ quod reclamantibus Scotis dictus Iohannes per Regem Angliæ eis præficiebatur. Item Rex Angliæ iterum versus Scotiam in Quadragesima sequente ducit exercitum ad temerariam arrogantiam & præsumptionem Scotorum in Patrem & Regem proprium compescendam. Item Dominus Iohannes Wogan factus est Iustitiarius Hiberniæ, Domino Thoma filio Mauricy cedente eidem. Item idem Iohannes Wogan Iustitiarius Hiberniæ fecit pacem inter Comitem Vltoniæ & Iohannem filium Thomæ & Geraldinos per biennium duraturam ac inducias. Item his diebus circa Natiuitatem domini Dominus Gilbertus de Clare Comes Glouerniæ diem clausit extremum. Item Rex Angliæ mittit Edwardum fratrem suum cum exercitu in Vasconiam.

MCCXCVI. *Dominus Rex Angliæ tertio Calendas Aprilis, sz. Die Veneris, tunc temporis in septimana Paschæ cepit Berwicum, in quo interfecti fuerunt de Scotis circa septem millia, de Anglicis vnus quidam Militum sc. Dominus Richardus de Cornubia & septem homines pedestres tantùm. Item citò pòst, scilicet quarto die Maij intrauit Castrum de Dounbar & cæpit de inimicis suis circa quadringinta viuos homines qui omnes se gratiæ Regis supposuerunt, confecto priùs toto exercitu Scotorum, scilicet septingentis hominibus equestribus interfectis: nec tam de equestribus quàm de pedestribus fuerunt occisi de Anglicis in eadem confectione nisi homines pedites tantum.*

Item die S. Iohannis ante portam Latinam Walenses in numero non modico circa quindecim millia hominum ad mandatum Regis Scotiam adierunt eandem impugnaturi. Et eodem tempore Magnates Hiberniæ, scilicet Iohannes Wogan Iustitiarius Hiberniæ, Richardus de Burgo Comes Vltoniæ, Theobaldus Pincerna, & Iohannes filius Thomæ cum alijs venerunt sz. in adiutorium transfretando in Scotiam. Rex etiam Angliæ eos recipiens tertio Idus Maij sz. die Pentecostes in Castro de Rokesburgh eis & alijs Militibus Angliæ magnum fecit conuiuium & solemne. Item die Mercurij proximo ante festum beati Barnabæ Apostoli intrauit villam de Edenburgh & cepit castrum ante festum Sancti Iohannis Baptistæ & citò pòst in eadem æstate omnia Castra infra ambitum Scotiæ ad eius nutum fuerunt reddita.

Item idem dominus Iohannes Balliol Rex Scotiæ venit licèt inuitus die Dominica proxima post festum Translationis Sancti Thomæ Archiepiscopi ad Regem Angliæ cum Comitibus, Episcopis & alijs militibus plurimis & supposuerunt gratiæ Regis & voluntati saluis sibi vita & membris, & Dominus Iohannes de Balliol resignauit totum ius suum Scotiæ in manu Regis Angliæ, quem dominus Rex misit versus partes London in saluo conductu.

Item Edmundus Frater Regis Angliæ obijt in Vasconia.

MCCXCV. *Dominus Edwardus Rex Angliæ transfretauit in Flandriam manu armata contra Regem Franciæ propter guerram inter eos motam, vbi post graues expensas & altercationes quadam forma pacis inita inter eos in hac conditione quod se supponerent ordinationi Domini Papæ. Hinc inde missi fuerunt certi nuncij ad Curiam Romanam. Sed Rege Edwardo existente in Flandria. Guilielmus de Walleis cum magno exercitu per commune consilium Scotorum venit ad Pontem de Striuelin & dedit bellum contra Dominum Iohannem Warren in quo bello ex vtraq; parte multi corruerunt, multique erant submersi. Sed disfitura erat super Anglicos. Quo facto commoti sunt omnes simul Scoti tam Comites*

 quam

quàm Barones contra Regem Angliæ. Et mota fuit discordia inter Regem Angliæ & Rogerum Bigod Comitem Marescallum, & citò post concordauerunt. Et Sanctus Lodouicus filius Regis Siciliæ Archiepiscopus Coloniæ Frater minor obijt. Et filius & hæres Regis de Maliagro, .i. Maioricarum instituit Ordinem Fratrum Minorum ad informationem S. Lodouici, qui dixit, vade & fac sic. Item in Hibernia combusta fuit Lechilnia cum alijs villis per Hibernicos de Slemergi. Item Calwagh O Hanlan & Ynegus Mac Maghon interficiuntur in Vrgalia.

MCC. *Nonagesimo octauo Papa Bonifacius quartus in Crastino Apostolorum Petri & Pauli ordinauit & confirmauit omni sedato tumultu guerræ pacem inter Regem Angliæ & Regem Franciæ, cum certis conditionibus subsecutis. Item Rex Edwardus Angliæ duxit exercitum iterum in Scotiam ad subiugandum Scotos suæ ditioni. Item interfecti sunt in eodem exercitu circa festum sanctæ Mariæ Magdalenæ de Scotis multa millia apud Fawkirk. Sol in illo die erat rubens instar sanguinis per totam Hiberniam dum bellum fuerit apud Fawkirk prædictum. Item circa idem tempus feoffauit Dominus Rex Angliæ suos milites de Comitatibus & Baronijs Scotorum peremptorum. Item in Hibernia pax & concordia initæ sunt inter Comitem Vltoniæ & Dominum Iohannem filium Thomæ circa festum Apostolorum Simonis & Iudæ. Item in Crastino sanctorum septem dormientium radius solaris mutatur in colorem fere sanguineum ab hora matutina, ita quòd hoc videntes admirarentur vniuersi. Item obierunt Dominus Thomas filius Mauricij Miles, & Dominus Robertus Bagod quondam Iusticiarius in Banco. Item in Artha Ciuitate & etiam Reathe in partibus Italiæ Papa Bonifacio tunc temporis ibidem existente, tantus erat factus terræ motus, quòd turres & Palatia solo tenus corruerunt. Papa autem cum Cardinalibus à Ciuitate fugit, territus præ timore. Item in die Epiphaniæ terræ motus licet non tam violentus factus est in Anglia, à Cantuaria vsque Hamptoniam.*

MCC. *Nonagesimo nono obijt Dominus Theobaldus le Botiller minor in Manerio de Turby secundo Idus Maij, cuius corpus delatum versus Weydeneyam .i.* Weney *in Comitatu Limerici decimo Calendarum Iunij.*

Item Edwardus Rex Angliæ duxit in vxorem Dominam Margaretam sororem illustris Regis Franciæ, in Ecclesia sanctæ Trinitatis Cantuariæ, circa festum Sanctæ Trinitatis. Item confectus est Soldanus Babyloniæ, cum exercitu Saracenorum per Cassanum Regem Tartarorum.

MCC. *Nonagesimo nono in die post Festum Purificationis Beatæ Mariæ virginis interfecti fuerunt innumeri Saracenorum equestrium, exceptis hominibus pedestribus, quorum numerus fuit infinitus. Item eodem anno fuit bellum canum in Burgundia apud Castrum Cenelon, & fuit numerus canum tria millia, & quilibet interfecit alium, & nullus canis euasit nisi solummodo vnus. Item eodem anno plures Hibernici venerunt ad grauandum Dominum Theobaldum de Verdon ad Castrum de Roche ante Festum Annuntiationis.*

MCCC. *Numisma Pollardorum prohibetur in Anglia & in Hibernia. Item in Autumno Edwardus Rex Angliæ intrauit iterum in Scotiam in manu armata, sed ad mandatum Bonifacij Papæ impeditus est, & direxit nuncios solennes ad curiam se ab iniuria excusando. Item Thomas filius Regis Angliæ nascitur apud Brotherton vltimo die Maij de Margareta sorore Regis Franciæ. Item Edwardus Comes Cornubiæ obijt sine hærede de corpore suo relicto, & in Abbatia de Hailes traditus est sepulturæ.*

MCCCI. *Edwardus Rex Angliæ intrauit Scotiam cum exercitu, ad quem transfretauit Dominus Iohannes Wogan Iusticiarius Hiberniæ, & Dominus Iohannes filius Thomæ, Petrus Bermingham, & multi alij in auxilium Regis Angliæ. Item comburitur magna pars Ciuitatis Dublinensis cum Ecclesia sanctæ Warburgæ nocte Beatæ Columbæ. Item Dominus de Geneuile desponsauit filiam Domini Iohannis de Montforte, & Dominus Iohannes de Mortuo-mari desponsauit filiam & hæredem Domini Petri de Geneuile. Et Dominus Theobaldus de Verdon desponsauit filiam Domini Rogeri de Mortuo-mari. Eodem tempore Lagenienses mouerunt guerram in hyeme, villam de Wykynlo, & Rathdon, & cætera comburendo, sed non impunes euaserunt quia maior pars sustentationis fuerat combusta & armenta eorum per deprædationem amissa; & ijdem Hibernici ferè in exilium consumpti fuissent, nisi seditio quorundam Anglicorum impediuisset. Item confectio facta in Autumno per Tolanos*

lanos super conuentulum Breniorum, in qua occisi sunt fere CCC. latrones. Item Walterus Pouer magnam partem Momoniæ deuastauit, plurima prædia incendendo.

MCCCII. *Obierunt Domina Margareta uxor Domini Iohannis Wogan Iusticiarij Hiberniæ tertio Idus Aprilis, & in Ebdomada sequenti Matildis de Lacy, uxor Domini Galfridi de Geneuile. Item Edwardus le Botiller recuperauit Manerium de Sancto Bosco cum pertinentibus de Domino R. de Feringes Archiepiscopo Dublinensi per concordiam factam inter eos in Banco Regis post Festum Sancti Hilarij.* Holywood forte.

Item confectio facta apud Courtenay in Flandria per Flandrenses super exercitum Gallicorum die Mercurij proximo post Festum Translationis sancti Thomæ, in qua occisi fuerunt Comes Arthosiæ, Comes Albemarliæ, Comes de Hue, Radulphus de Neel Constabularius Franciæ, Guido de Neuill, Marescallus Franciæ filius Comitis Hennaund, Godfridus de Brabant cum filio, Guilielmus de Fenlys cum filio, Iacobus de sancto Paulo amisit manum, & quadriginta Baroneti eodem die fuere interfecti, cum Militibus & Armigeris, & cæteris sine numero. Item decima omnium beneficiorum ecclesiasticorum in Anglia & Hibernia exacta sunt à Bonifacio Papa per triennium in subsidium Ecclesiæ Romanæ contra Regem Arragonum. Item in die Circumcisionis Dominus Hugo de Lacy deprædauit Hugonem Vernaill. Anno eodem Robertus le Brus tunc Comes de Carrick desponsauit Elizabetham filiam Domini Richardi de Burgo Comitis Vltoniæ. Item Edwardus Botiller desponsauit filiam Domini Iohannis filij Thomæ. Item Ciuitas Burdigaliæ cum cæteris Ciuitatibus circumiacentibus, quæ per seditionem Francorum aliquo tempore ab Edwardo Rege Angliæ fuerant alienata, eidem sunt reddita in vigilia Sancti Andreæ per industriam D. Iohannis de Hastings.

MCCCIII. *Comes Vltoniæ, scilicet Richardus de Burgo, & Dominus Eustacius de Pouer cum magna potentia intrauerunt Scotiam, sed factis primo ab ipso Comite in Castro Dublinensi* XXXIII. *Militibus, in adiutorium Regis Angliæ transiuit in Scotiam. Item obijt Geraldus filius & hæres Domini Iohannis filij Thomæ. Eodem anno Papa Bonifacius regem Franciæ & reginam, & liberos eorundem excommunicauit, & renouauit omnia priuilegia vniuersitati Parisius concessa quocunque tempore; & statim pòst Papa fuit captus & tentus quasi in carcere tribus diebus integris. Et citò pòst Papa obijt. Item obijt Comitissa Vltoniæ. Item Walranus de Wellesley & Dominus Robertus de Percinall interfecti sunt vndecimo Calendarum Nouembris.*

MCCC. *Quarto magna pars Dubliniæ comburitur, scilicet Vicus Pontis, cum magna parte Keyæ, & Ecclesia fratrum Prædicatorum, & ecclesia Monachorum cum magna parte Monasterij, scilicet Idus Iunij in festo Beati Medardi. Item primarius lapis chori fratrum Prædicatorum Dublinensis ponitur per Dominum Eustacium le Pouer in festo Sanctæ Agathæ virginis.*

Item post Festum Purificationis Beatæ Mariæ virginis Dominus Rex Franciæ iterum inuasit Flandrenses in propria persona cum magna multitudine exercitus, tum bene se habuit in bello, & viriliter pugnauit donec duo dextrarij vel tres sub illo interfecti fuerunt, sed ad vltimum capitium amisit quod sub galea capiti eius imponebatur, quod Flandrenses capientes in lancea tanquam vexillum derisoriè portauerunt, & in omnibus nundinis Flandriæ famosis ad altam fenestram alicuius palatij tanquam signum tabernale in signum victoriæ ostenderunt.

MCCCV. *Iordanus Comyn cum complicibus interfecit Moritagh O Conghir Regem de Offaly, & Calwagh germanum eius, & quosdam alios in Curia Domini Petri Brymgeham apud Carrik in Carberia. Item interfectus est D. Gilbertus de Sutton Senescallus Weysfordiæ ab Hibernicis prope Villam Haymundi de Grace, qui quidem Haymundus in dicto bello viriliter se habuit, sed strenuè euasit. Item in Scotia Dominus Robertus de Brus Comes de Carrik immemor iuramenti Domino Regi Angliæ interfecit Dominum Iohannem Rede Comyn infra septa Fratrum Minorum de Dunfres, & citò pòst se fecit coronari in regem Scotiæ per manus duorum Episcoporum, scilicet sancti Andreæ & Glasco in villa de Scone ad suam confusionem & multorum aliorum.*

MCCCVI. *Confectio facta fuit in Offalia iuxta Castrum de Geshill Idibus Aprilis super O-Conghor per O-dympcies, in qua occisus est O-dympcy Dux Reganorum cum magna comitiua. Item obijt O-Brene Rex Tothomoniæ. Item Donaldus Oge Mac-Carthie interfecit Donaldum Ruffum Regem Desmoniæ. Item confectio dolenda cecidit super partem Domini*

Petri Brymegham quarto Calendarum Maij in confinio Midiæ. Item Balymore in Lagenia comburitur ab Hibernicis interfecto tunc ibidem Henrico Calfe, & commota est guerra inter Angliceos & Hibernicos in Lagenia, ob quod conuocatus est magnus exercitus de diuersis partibus Hiberniæ ad refrænandum malitiam Hibernicorum Lageniæ, in qua expeditione Dominus Thomas Mandeuile Miles egregius iniȷt grauem conflictum cum Hibernicis iuxta Glenfell, in quo conflictu se viriliter gessit donec dextrarius eius occisus est ad laudem & honorem acquirendo & plures saluauit & seipsum. Item Magister Thomas Cantok Cancellarius Hiberniæ consecratus est in Episcopum Tmelasen in Ecclesia Sanctæ Trinitatis Dublinensis cum magno honore, cuius consecrationi interfuerunt maiores natu totius Hiberniæ tali tantoq; conuiuio primò diuitibus postea de pauperibus quale in Hibernia temporibus retroactis fuerat inauditum. Item Richardus de Feringes Archiepiscopus Dublinensis obijt in vigilia S. Lucæ, cui successit Magister Richardus de Haueringes qui occupauit Archiepiscopatum fere per quinquennium ex dispensatione Apostolica. Qui & cessit Archiepiscopatui cui successit Iohannes de Lech caussa cessionis eius. Vt bonæ memoriæ Archidiaconus Dublinensis nepos eiusdem retulit quòd quadam nocte videbat in somnis quoddam monstrum vniuerso mundo ponderosius super pectus eius eminenter stare, de cuius ponderositate liberari maluit quàm totius orbis bona solus habere, sed euigilans cogitabat hoc nihil aliud esse quàm Dublinensis Ecclesia cuius fructus recipiebat nihil pro eisdem laborando. Et quam citò potuit accedens ad Dominum Papam à quo multum fuit dilectus Archiepiscopatu renuntiauit. Habuit enim vt idem Archidiaconus asseruit vberiora beneficia Archiepiscopatu.

Item Edwardus Rex Angliæ fecit Edwardum filium suum Militem in festo Pentecostes London, in quo festo Neoptolizati fuerunt Milites circa CCCC. *& Edwardus de Caernaruan nouus miles fecit sexaginta milites de prædictis, & tenuit festum London apud nouum templum & pater suus dedit illi Ducatum Aquitaniæ.*

Item eodem Anno in festo S. Potentianæ, Episcopus Wintoniensis & Episcopus Wigorniensis de mandato domini Papæ excommunicauerunt Robertum Brus prætensum Regem Scotiæ & suos socios pro morte Iohannis Rede Comyn. Eodem anno die Sancti Bonifacij Andomarus de Valentia Comes Pembrochiæ & Dominus Guido Comes interfecerunt plures Scotos, & confectus fuit Dominus Robertus Brus extra villam S. Iohannis. Eodem anno ad festum Natiuitatis S. Iohannis Baptistæ Rex Edwardus iuit versus Scotiam per aquam de Newerk vsque Lincolniam.

Item eodem anno Comes de Asceles & Dominus Simon Freysell & Comitissa de Carrik prætensa Regina Scotiæ filia Comitis Vltoniæ fuerunt capti. Et Comes de Asceles & Dominus Simon Freysell priùs dilaceratus, & Comitissa remansit cum Rege in magno honore, cæteri vero in Scotia miserabiliter diem clauserunt extremum.

Item circa festum Purificationis B. Mariæ Virginis duo fratres Roberti Brus vitam piriticam agentes exierunt de Galeis suis super terram ad prædandum, qui capti fuerunt cum alijs sexdecim Scotis, & ipsi duo dilacerati fuerunt apud Carlele, cæteris in patibulis suspensis.

Item in Hibernia Die Sancti Patricij captus est Maenochi cum duobus filijs iuxta nouum Castrum per Thomam de Sueterby decollato ibidem Lorrano O boni fure fortissimo.

MCCCVII. *Tertio Calendarum Aprilis decollatus est Murcord Ballagh iuxta Marton per Dominum David Caunton Militem strenuum & citò post interfectus est Adam Dan.*

Item confectio & interfectio sanguinis cecidit super Anglicos in Connacia facta per Oscheles die Apostolorum Philippi & Iacobi.

Item prædones de Offaly diruerunt Castrum de Cashill & in vigilia Translationis S. Thomæ combusserunt villam de Lega, .i. Ly, Castrum obsidendo; sed citò post amoti sunt per Iohannem filium Thomæ & Edwardum Botiller.

Rex Edw. Secundus. *Item obijt Edwardus Rex Angliæ, cui successit in regno Edwardus filius eius, qui solemnissime sepeliuit patrem suum apud Westmonasterium cum magna reuerentia & honore.*

Item Dominus Edwardus iunior duxit in vxorem Dominam Isabellam filiam Regis Franciæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ Bononiæ, & citò post coronati ambo in Ecclesia Westmonasteriensi.

Item

Item Templarij in partibus transmarinis de quadam hæresi damnati vt dicebatur, capti sunt & incarcerati per Papale mandatum. In Anglia similiter omnes capti fuerunt in Crastino Epiphaniæ. Et in Hibernia capti fuerunt in Crastino Purificationis, & incarcerati.

MCCCVIII. *Secundo Idus Aprilis obijt Dominus Petrus de Bermingham nobilis debellator Hibernicorum.*

Item quarto Idus Maij comburitur Castrum Kenini, quibusdam custodibus in eo interfectis per Gulielmum Mac-balthor, & Cnygnismio Othothiles & suos fautores.

Item sexto Idus Iunij confectus fuit Dominus Iohannes Wogan Iusticiarius Hiberniæ cum suo exercitu prope Glyndelory, interfectis ibidem Iohanne dicto Hogelyn, Iohanne de Northon, Iohanne de Breton, cum multis alijs.

Item decimo sexto Calendarum Iulij combusta est Donlouan, Tobyr, & aliæ villæ contermina per præfatos malefactores.

Item in Anglia citò post tentum est magnum Parlamentum London, in quo oriebatur dissensio, & fere mortalis conflictus inter Regem & Barones occasione Petri de Gaueston qui proscriptus est à regno Angliæ in Crastino Natalis Beati Iohannis Baptistæ, & transfretauit in Hiberniam circa festum sanctorum Quiritæ & Iulitæ cum vxore & sorore Comitissa Glouerniæ ad Dublinum cum pompa vehementi & ibidem traxit moram.

Item Gulielmus Mac-baltor fortis latro & incendiarius in Curia Domini Regis Dubliniæ coram capitali Iusticiario domino Iohanne Wogan condemnatus & iudicatus, duodecimo Calendarum Septembris, distractus est ad caudas equorum ad Colofurcium, & ibi suspensus prout merita sua exegerunt.

Item in eodem anno erecta est quædam cisterna marmorea ad recipiendum aquam de aqua ductili in Ciuitate Dublinensi, qualis ante nunquam fuit, ibidem per dispositionem & prouidentiam Domini Iohannis Le Decer tunc Maioris Ciuitatis Dublin, qui de propria pecunia ad eandem structuram inuenit, & idem Iohannes parum ante idem tempus, construi fecit quendam pontem vltra A-Liffium iuxta Prioratum sancti Wolstani, Capellam sanctæ Mariæ fratrum Minorum, & ibidem sepelitur, Capellam sanctæ Mariæ Hospitalis sancti Iohannis Dublin, &c.

Item idem Iohannes Decer multa bona fecit in Conuentu fratrum Prædicatorum Dubliniæ, videlicet vnam columnam lapideam in Ecclesia, & lapidem vnum latum super altare magnum cum ornamentis eius.

Item sexta feria recepit fratres ad mensam suam, ista dicunt seniores iunioribus intuitu charitatis.

Item in Autumno transfretauit Dominus Iohannes Wogan ad Parlamentum Angliæ, in loco cuius Dominus Gulielmus de Burgo factus est Custos Hiberniæ.

Item eodem anno in vigilia Apostolorum Simonis & Iudæ Dominus Rogerus de Mortuo-Mari applicuit in Hiberniam cum sua consorte recta hærede Midiæ filia Domini Petri filij Domini Galfridi Geneuile; intrauerunt Hiberniam & seisinam ceperunt de Midia Domino Galfrido de Geneuile cedente eisdem, & intrante Ordinem fratrum Prædicatorum apud Trym in Crastino Sancti Edwardi Archiepiscopi.

Item Dermot Odympsy occisus est apud Tully per seruientes Domini Petri de Gaueston.

Item Richardus de Burgo Comes Vltoniæ tenuit magnum festum in Pentecoste apud Trym & fecit Walterum de Lacy & Hugonem de Lacy milites. Et in vigilia assumptionis Comes Vltoniæ venit contra Petrum Gaueston Comitem Cornubiæ apud Drogheda. Et eodem tempore remeauit passagium in Scotiam.

Item dicto anno Matildis filia Comitis Vltoniæ transfretauit versus Angliam ad maritagium contrahendum cum Comite Glouerniæ. Et citò post infra mensem Comes & ipsa fuerunt desponsati.

Item Mauricius de Caunton interfecit Richardum Talon, & Rupenses interfecerunt prædictum Mauricium.

Item Dominus Dauid de Caunton suspenditur Dublin.

Item Odo filius Catholi O-conghir interfecit Odonem O-conghir Regem Connaciæ.

Item Athi comburitur ab Hibernicis.

MCCC. *Nono Petrus de Gaueston subiugauit O-Brynnes Hibernicos, & readificauit nouum*

nouum Castrum Mackingham, & Castrum Kemny & amputauit & mundauit passum inter Castrum Kemny & Glyndelagh inuitis Hibernicis, & obijt & obtulit in Ecclesia Sancti Kimny.

Eodem anno Dominus Petrus de Gaueston transfretauit in Angliam in vigilia Natiuitatis S. Iohannis Baptistæ.

Item vxor filij Comitis Vltoniæ filia Comitis Glouerniæ decimo quinto die Octobris applicuit in Hiberniam.

Item in vigilia Natiuitatis Domini redit Comes Vltoniæ de Anglia & applicuit apud portum de Drogheda.

Item in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis interficitur Dominus Iohannes Boneuile prope villam de Arstoll per Dominum Arnoldum Pouer & suos fautores, & sepultus apud Athy in Ecclesia Prædicatorum.

Item Parliamentum tentum est apud Kilkenum in Octauis Purificationis Beatæ Mariæ per Comitem Vltoniæ & Iohannem Wogan Iustitiarium Hiberniæ & cæteros magnates, in quo fit sedata magna discordia orta inter quosdam Magnates Hiberniæ & multæ prouisiones tanquam statuta prouidebantur. Vtiles terræ Hiberniæ si fuissent obseruata. Item citò post illud tempus redijt Dominus Edwardus le Botiller de Anglia, qui ibi antea Londini factus est miles.

Item transfretauerunt in Angliam de Hibernia Comes Vltoniæ Rogerus de Mortuomari & Dominus Iohannes filius Thomæ.

Item obijt Dominus Theobaldus de Verdon.

MCCCX. *Rex Edwardus & Dominus Petrus de Gaueston iter suum versus Scotiam arripuerunt ad pugnandum in Robertum de Brus.*

Item dicto anno magna caristia bladi in Hibernia, eranca frumenti vendita pro viginti solidis & vltra.

Item pistores Dublinenses pro suo falso pondere panis subierunt nouum genus tormenti ibidem non prius visum, eò quòd die S. Sampsonis Episcopi tracti fuerunt super crates per vicos Ciuitatis ad caudas equorum.

Item in Abbatia S. Thomæ Martyris Dublin obijt Dominus Nigellus le Bruyn Miles Escaetor Domini Regis in Hibernia, cuius corpus sepultum apud fratres minores Dublin cum tanta reuerentia cereorum qualis antea in Hibernia non videbatur.

Eodem anno Parlamentum apud Kildare, vbi Dominus Arnaldus Pouer de morte domini Iohannis Boneuile acquietatur, quia hoc fecerat se defendendo.

Item in die S. Patricij vnanimi assensu Capitulorum Dominus Alexander de Bickenore electus est in Archiepiscopum Dublinensem.

Item Dominus Rogerus de Mortuomari redijt in Hiberniam infra Oct. Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis.

Item eodem anno Dominus Henricus de Lacy Comes Lincolniæ obijt.

MCCCXI. *In Thomond apud Bonnorathy mirabilis & miraculosa disconfectio facta per Dominum Richardum de Clare super partes Comitis Vltoniæ, qui prædictus Dominus Richardus cæpit in bello Dominum Willelmum de Burgo & Iohannem filium Domini Walteri de Lacy & multos alios: quo quidem bello multi corruerunt tam de Anglicis quam de Hibernicis decimo tertio Calendarum Iunij.*

Item Tassagard & Rathcante inuaserunt latrones, scilicet Obrinnes & Otothiles in Crastino Natiuitatis Sancti Iohannis Baptistæ. Vnde citò in Autumno collectus est magnus exercitus in Lagenia ad impugnandum dictos latrones in Glyndelory & alijs locis nemorosis latentes.

Item Parlamentum tentum Londini in Augusto inter regem & Barones ad tractandum de statu regni & de familia Regis per ordinationem sex Episcoporum, sex Comitum, & sex Baronum qualiter vtilius regno poterint prouidere.

Item Secundo Idus Nouembris Dominus Richardus de Clara interfecit de Galegolaghes sexcentum.

Item die omnium sanctorum præcedente proscriptus fuit Petrus de Gaueston de regno Angliæ per Comites & Barones & multa bona statuta reipublicæ necessaria per eosdem sunt confecta. Qui Petrus abiurauit regnum Angliæ circa festum omnium Sanctorum & intrauit

uit in Flandriam, quatuor mensibus pòst redijt dictus Petrus citò post Epiphaniam, furtiuè intrauit Angliam adhærens lateri Regis, quòd Barones non poterant faciliter ad eum appropinquare. Et adiuit Eboracum cum Rege ibidem moram faciendo in Quadragesima: vnde Episcopi, Comites, & Barones Angliæ Londinum peruenerunt ad tractandum de statu regni, ne per dicti Petri redditum respublica commoueretur.

Item obierunt Dominus Iohannes de Cogan, Dominus Walterus Le Faunt & Dominus Iohannes filius Rery Milites, & sepeliuntur in Ecclesia fratrum prædicatorum Dublin.

Item Iohanne Macgoghedan interficitur per Omolmoy.

Item obijt Guilielmus de Rupe, Dubliniæ de ictu sagittæ vnius Hibernici Montani.

Item obijt Dominus Eustathius le Pouer Miles.

Item in vigilia Cathedræ Sancti Petri incepit riota Vrgaliæ per Robertum de Verdon.

Item interficitur Donatus O-Brene per suos traditiosè in Tothomonia.

MCCCXII. *Dominus Petrus de Gaueston intrauit Castrum de Scardeburgh Baronibus resistendo. Sed citò post Calendas Iunij se reddit Domino Audomaro de Valentia per quem fuerat obsessus, certis tamen conditionibus prælocutis qui eum duxit versus Londinum, sed itinerando captus est apud Dedington per Comitem Warwici & ductus est ad Warwicke, vnde inito consilio Comitum & Baronum decollatur decimotertio Calendarum Iulij, cuius corpus sepelitur in Conuentu de Langley in Ecclesia fratrum Prædicatorum.*

Item exercitus ductus per Iohannem Wogan Iustitiarium Hiberniæ ad refrenandum malitiam Roberti de Verdon & suorum fautorum, miserabiliter confectus est sexto Idus Iulij, interfectis ibidem Nicholao Auenel, Patricio de Rupe, & multis alijs, ob quod dictus Robertus de Verdon & multi suorum fautorum se reddiderunt carceri Regis Dubliniæ gratiam expectando.

Item die Iouis in Crastino Sanctæ Luciæ Virginis Anno regni Regis Edwardi sexto, Luna videbatur mirabiliter de diuersis coloribus, in quo die difinitum est quòd ordo Templariorum de medio deleretur in æternum.

Item in Hibernia Dominus Edmundus Le Botiller factus est locum tenens Domini Iohannis Wogan Iustitiarij Hiberniæ, qui Edmundus in Quadragesimâ sequente obsedit O-brynnes in Glyndelory, & ipsos compulit ad deditionem & ferè ad confusionem, nisi citiùs ad pacem Domini Regis redissent.

Item eodem anno in Crastino Sancti Dominici Dominus Mauritius filius Thomæ desponsauit Katherinam filiam Comitis Vltoniæ ad viride Castrum. Et Thomas filius Iohannis desponsauit aliam filiam eiusdem Comitis in crastino Assumptionis, in eodem loco.

Item die Dominica post festum Exaltationis sanctæ Crucis filia Comitis Glouerniæ vxor Domini Iohannis de Burgo peperit filium.

MCCCXIII. *Frater Rolandus Ioce Primas Ardmachanus applicuit in insula de Houth in Crastino annunciationis Beatæ Mariæ de nocte surgens furtiuè leuando Crucem suam, illam portauit vsque Prioratum de gratia Dei. Cui occurrebant quidam de familiaribus Archiepiscopi Dublinensis illam Crucem deponendo, & ipsum Armachanum tanquam confusum à Lagenia effugarunt.*

Item tentum est Parlamentum Londini, in quo nihil vel modicum de pace est expeditum. de quo Parlamento discessit Rex tendens in Franciam ad Mandatum Regis Franciæ, & Rex Angliæ & multi nobiles sunt cruce signati.

Item dominus Iohannes filius Thomæ fecit Milites Nicholaum filium Mauritij & Robertum de Clonhull apud Adare in Momonia.

Item vltimo die Maij Robertus de Brus misit quasdam Galleas ad partes Vltoniæ cum suis Piratis ad deprædandum, quibus restiterunt Vltonienses viriliter eos effugando: dicitur tum quòd idem Robertus applicuit per licentiam Comitis ad treugas capiendo.

Item in eadem æstate Dominus Iohannes Le Decer Ciuis Dublinensis construi fecit pontem necessarium extra villam de Balyboght vsque calcidum stagni molendini de Clontarf, vbi priùs imminebat maximum periculum transeuntibus. Sed grauibus expensis positis, propter inundationem aquæ pons cum arcubus corruit.

Item

Item Dominus Iohannes de Leekes Archiepiscopus Dublinensis in festo sancti Laurentij diem suum clausit extremum. Tunc electi sunt in discordia in Archiepiscopum Dublinensem Dominus Walterus Thornbury Cancellarius Domini Regis in Hibernia, & Dominus Alexander Bicknore Thesaurarius Hiberniæ; sed Dominus Walterus Thornbury submersus est & plures alij circiter centum quinquaginta sex mare ingressi sunt, & nocte sequenti omnes fuerunt submersi, tempore cuius mortis, scilicet prædicti Walteri, Alexander Bicknore expectauit gratiam summi Pontificis. Archiepiscopus Dublinensis factus est idem Alexander.

Item Dominus Milo de Verdon desponsauit filiam Domini Richardi de Exenijs.

Item eodem anno Dominus Robertus de Brus prostrauit Castrum de Manne, & deuicit Dominum Donegan Odowill die sancti Barnabæ. Et Dominus Iohannes de Burgo hæres Comitis Vltoniæ Richardi obijt apud Galwey in festo Sanctorum Marcelli & Marcelliani.

Item Dominus Edmundus le Botiller fecit triginta Milites in Castro Dublinensi in die dominica & sancti Michaelis.

MCCCXIIII. *Hospitalarij receperunt terras Templariorum Hiberniæ.*

Item Dominus Iohannes Parice interficitur apud Pontem.

Item Dominus Theobaldus de Verdon venit Iusticiarius Hiberniæ in die sancti Siluestri.

Item Dominus ac frater Galfridus de Geneuile obijt decimo secundo Calendarum Nouembris, sepultus in suo ordine fratrum prædicatorum de Trym, qui fuit dominus libertatis Midiæ.

Item eodem anno & die sancti Matthæi Apostoli Loghseudy fuit succensa. Et die Veneris sequenti Dominus Edmundus le Botiller recepit suam Commissionem, vt esset Iusticiarius Hiberniæ.

MCCCXV. *In die sancti Iohannis Baptistæ, obijt interfectus Comes Glouerniæ cùm multi alij quasi sine numero interficiuntur in Scotia, & plures capiuntur per Scotos: qua de caussa Scoti in audacia erecti, terram bonam & tributa de Nothumberland ceperunt.*

Item citò post hæc venerunt Scoti & villam de Carlile obsederunt, vbi oppressus fuit Iacobus de Douglas per infortunium cuiusdam muri cadentis. Eodem anno Scoti terra propria non contenti, in Hibernia in parte Boreali apud Clondonne applicuerunt cum sex millibus pugnatorum, & in bellis peritorum; scilicet Edwardus le Brus germanus Roberti Regis Scotorum, & cum eo Comes de Morreth, Iohannes de Meneteth, Iohannes Steward, Dominus Iohannes Cambell, Thomas Randolfe, Fergus de Andressan, Iohannes de Bosco & Iohannes Bisset Vltoniam manciparunt, & Dominum Thomam de Maundeuile, cæterosque fideles à terra propria expulerunt.

Scoti primò Hiberniam intrauerunt die sancti Augustini Anglorum mense Maij iuxta Crag-fergus in Vltonia, inter quos & Anglicos primus conflictus habebatur iuxta le Banne, in quo fugatur Comes Vltoniæ, capiuntur Guilielmus de Burgo, Iohannes de Stantona, & multi alij, multisque Anglicis interfectis, præualuerunt Scoti.

Secundus conflictus apud Kenlys in Midia, in quo fugatur Rogerus de Mortuo-mari cum sequela sua.

Tertius conflictus est apud Sketheris iuxta Arstoll in Crastino Conuersionis S. Pauli, in quo fugantur Anglici, Scoti præualuerunt. Et prædictus Edwardus le Brus citò post festum Philippi & Iacobi fecit se coronari in Regem Hiberniæ, & Castrum viride ceperunt, & suos ibidem reliquerunt quos Dublinenses citò pòst expellebant, & dictum Castrum ad manum Domini Regis receperunt, & Dominum Robertum de Coulragh custodem castri ibidem inuenientes secum Dubliniam adduxerunt, qui incarceratus ad dietam positus expirauit. Item die Apostolorum Petri & Pauli venerunt Scoti apud Dondalk, & villam ceperunt, spoliauerunt, combusserunt, eisdem resistentes interfecerunt, & magna pars Vrgaliæ comburitur à Scotis. Ecclesia Beatæ Mariæ virginis de Atrio Dei plena viris, & mulieribus, & paruulis comburitur à Scotis & Hibernicis.

Eodem anno Dominus Edmundus le Botiller Iusticiarius Hiberniæ circa festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ magnum exercitum de Momonia & Lagenia, & alijs partibus collegit, & Comes Vltoniæ cum exercitu innumerabili quasi in aduerso de partibus Connaciæ veniens, ad partes de Dundalk simul venerunt, & mutuò consulebant vt Scotos interficerent, at quo

modo

modo ignoratur; fugerunt; aliter, vt sperabatur, capti essent, quo facto Dominus Comes Vltoniæ cum Iusticiario prædicto & alijs magnatibus ibidem manuceperunt, Scotis interfectis, Dominum Edmundum le Brus viuum vel mortuum Dublinum adducere, qui Comes eos sequebatur vsque ad aquam de Branne, & postea dictus Comes retraxit se versus Coyners; quod percipiens dictus Brus cautè dictam aquam transiuit sequens eum, quem cum quibusdam in parte Comitis in fugam conuertit, vulneratu Georgio de Rupe, & alijs interfectis, scilicet Domino Iohanne Staunton, Rogero de sancto Bosco, similiter ex parte Brus multi ceciderunt, & Dominus Guilielmus de Burgo captus fuit decimo die Mensis Septembris, & Comes confectus est iuxta Coyners, & tunc Hibernici de Connacia & de Midia insurrexerunt contra Regem & contra Comitem Vltoniæ, & combusserunt Castrum de Athlon, & de Raudon, & multa alia castra in dicto bello de Coyners. Baro de Donull ibi strenuè fecit, sed multa bona ibi amisit, & dicti Scoti viriliter eos fugabant vsque ad Cragfergus, ibique fugerunt ex parte Comitis, & quidam Castrum intrauerunt & viriliter tenuerunt, & posteà venerunt nautæ de portubus Anglicorum, & quadam nocte superuenerunt Scotos, & quadriginta ex ijs occiderunt & tentoria eorum & multa alia abstulerunt. Et in Crastino exaltationis sanctæ Crucis Comes de Morreff transfretauit in Scotiam, & duxit Dominum Guilielmum de Burgo secum quærendo plures bellicosos & armatos homines cum quatuor piratis plenis bonorum terræ Hiberniæ, quarum vna submersa est; quo tempore dictus Brus Castrum de Cragfergus obsidebat. Eodem tempore Cathill Roge tria Castra Comitis Vltoniæ in Connacia fregit & plures villas in eadem Connacia combussit & spoliauit. Et eodem tempore dicti nautæ dictum Castrum adierunt, & Domini ibidem prælibabantur, & interim plures Scotos interfecerunt, quo tempore Richardus de Lan de O-feriuill à quodam Hibernico occisus est.

Item posteà die Sancti Nicholai dictus Le Brus recessit de Cragfergus, ad quem Comes de Morreff cum quingentis venit, ad partes de Dundalk pariter venerunt, ad quos multi fugerunt & dextram aliqui dederunt, & inde apud Nobee transeunt, vbi multos de suis relinquunt circa festum sancti Andreæ Apostoli, & ipse Brus combussit Kenlys in Midia & Greuard & dictum Monasterium spoliauit de omnibus bonis, & Fynnagh & nouum Castrum combussit & totam patriam illam, & tenuerunt eorum natale apud Loghsudy & combusserunt. Et posteà transierunt per Totmoy vsque Rathymegan & Kildare & partes de Tristeldermet & de Athy & de Riban non sine damno hominum suorum. Et tunc venit le Brus ad Skethy iuxta Arscoll in Lagenia, ibi occurrerunt ei in pugna Dominus Edmundus Botiller Iusticiarius Hiberniæ, & Dominus Iohannes filius Thomæ, & Thomas Arnaldus Pouer & alij magnates Lageniæ & Momoniæ. Ita quòd vnus prædictorum dominorum cum exercitu suo sufficeret eundem Edw. & exercitum suum debellare; sed discordia orta est inter eos, confusi campum eidem Edwardo relinquunt iuxta illud quod scriptum est, Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Ibi interfectus est Armiger nobilis & fidelis Regi & regno Haymundus le Grace, & Dominus Guilielmus Prendregest miles. Occiduntur ex parte Scotorum Dominus Fergus Andressan, Dominus Walterus de Morrey, & multi alij interficiuntur, quorum corpora sepulta sunt apud Athy in Conuentu fratrum prædicatorum.

Posteà dictus Brus in reddittu suo versus Midiam Castrum de Loy cremauit & tunc transeunt dicti Scoti de Kenlis in Midia, ad quos Dominus Rogerus de Mortuo-mari cum magno exercitu venit ferè cum xv. millibus non fidelibus vt creditur inter se, nunc cum Domino Rogero confederatis, qui quasi hora tertia fugam ceperunt, & terga verterunt, & principaliter le Lacies, Domino Rogero solo cum paucis quem oportebat fugere versus Dubliniam & Dominum Walterum Cusake ad Castrum de Trym, relicta cum Scotis patria illa & villa de Kenlis.

Item eodem tempore Hibernici Australes O-tothiles & O-Brynnes cremauerunt totam patriam Australem, scilicet Arclo, nouum Castrum, Bree, & omnes villas adiacentes. Et O-morghes cremabant & deuastabant partem de Leys in Lagenia, quos Dominus Edmundus Botiller Iusticiarius Hiberniæ in magna parte occidit, quorum capita quasi octinginta ad Castrum Dublinense deportata sunt.

Item eodem anno circa festum Purificationis Beatæ Mariæ virginis quidam Magnates Hiberniæ & Dominus filius Thomæ, Dominus Richardus de Clara, Dominus Iohannes le Pouer & Dominus Arnaldus le Pouer ratione pacis & maioris securitatis cum Rege Angliæ firmandum

mandum venerunt ad Dominum Iohannem de Hothom per dictum Regem Angliæ ibi assignatum, qui dicti magnates simul pro morte & vita ad tenendum cum Rege Angliæ & pacem in terra pro posse eorum facere & Scotos interficere iurauerunt. Quo facto complendo mediante Deo obsides dederunt & sic redierunt. Quam formam si alij magnates terræ Hiberniæ tenere noluerunt tanquam inimici Regis publicè tenebantur.

Item obijt Dominus Iohannes Bysset. Et Ecclesia noua villa de Leys cum Campanile à Scotis comburitur. Castrum de Northburg in Vltonia capitur à Scotis.

Item Fidelmicus O-conghyr Rex Connaciæ interfecit Roricum filium Catholi O-conghyr.

Item obijt Dominus Guilielmus Maundeuile, & Episcopus Conerensis fugit ad Castrum de Cragfergus & supponitur Episcopatus eius interdicto. Et Dominus Hugo de Antonia interficitur in Connacia.

Item in die Sancti Valentini eodem anno Scoti moram fecerunt prope Geshil & Offaly & exercitus Anglicorum iuxta partes de Kildare & Scoti tantam famem patiebantur quòd plures eorum fame moriebantur, & eadem de caussa iter occultè arripuerunt versus Fowter in Midia. Die Dominica sequenti taliter debilitat. fuerunt, quid de fame, quid de labore, vt plures eorum morirentur.

Et postea venerunt Magnates ad Parlamentum & nihil ibi fecerunt, sed totam patriam redeundo spoliauerunt. Et Dominus Walterus de Lacy venit Dubliniam ad famam sibi impositam purgandam & obsides Domino Regi offerre sicut alij magnates fecerunt. Et eodem tempore Edwardus de Brus in Vltonia pacificè morabatur.

Item O-tothiles & O-Brynnes Archibauldes & Haroldes coniurati fuerunt & villam de Wikelowe cum tota patria diuastauerunt. Et prima Septimana Quadragesimâ Comes de Morreff transfretauit in Scotiam, & le Brus Placita tenuit in Vltonia & plures suspendi fecit.

Item in medio Quadragesimæ Brus tenuit Placita & occidit Les Logans & cepit Dominum Alanum filium Warini & duxit eum in Scotiam.

Item eodem anno Fennynger O-conghyr occidit Cale Rothe & cum eo Galloglaphes & alios circa trecentos. Eadem Quadragesimâ in medio frumentum vendebatur pro octodecim solidis & ad Pascha sequens pro vndecim soldis.

MCCCXVI. Dominus Thomas de Maundeuile cum pluribus de Drogheda venit apud Cragfergus die Iouis in Cœna Domini & bellum commiserunt cum Scotis, & eos in fugam conuerterunt, & circa triginta Scotorum occiderunt. Et postea in vigilia Paschæ dictus Dominus Thomas cum suis insultum fecit contra Scotos, & plures eorum occidit circa Calendas, & ibi occisus erat dictus Dominus Thomas de Maundeuile in propria patria pro iure suo.

Item in partibus Connaciæ multi Hibernici occisi fuerunt per Dominum Richardum de Clare, & Dominum Richardum Bermyngham.

Item die Sabbathi post Ascensionum Domini per Dominum Guilielmum Cowyn & suos sequaces custodes pacis occisus erat Donnyger O-Brynne fortis latro cum duodecim de suis socijs, quorum capita Dublinum portata fuerunt.

Item homines de Dundalke exierunt versus O-Hanlan & de Hibernicis occiderunt circa CC. & occisus erat Robertus de Verdon Armiger bellicosus.

Item ad festum Pentecostes eodem anno Richardus de Bermyngham occidit de Hibernicis in Momonia circa CCC. vel plures, & postea ad festum natiuitatis beati Iohannis Baptistæ venit Le Brus ad castrum de Cragfergus & præcepit custodibus castrum sibi reddi, sicut conuentio inter eos facta fuit, vt dixit. Qui responderunt quòd eos oportebat hoc facere & præceperunt eum mittere triginta de suis & concederet eis vitam & membrum, qui sic fecit. Et receptis triginta Scotis in Castrum, eos incluserunt & carcere detinuerunt.

Eo tempore Hibernici de O-mayll inierunt versus partes de Tullagh & bellum commiserunt, vnde de Hibernicis occisi fuerunt circa CCCC. quorum capita Dubliniam missa fuerunt & mirabilia postea ibi videbantur. Quasi mortui surrexerunt & inuicem pugnauerunt & Fennokabo signum eorum exclamauerunt. Et postea circa festum Translationis Sancti Thomæ paratæ erant octo naues de Drogheda versus Cragfergus cum victualibus. Quæ per Comitem Vltoniæ perturbatæ fuerunt propter liberationem Guilielmi de Burgo qui cum Scotis captus erat. Et die Sabbathi sequente coadunati fuerunt Dubliniæ Comes Vltoniæ, & Dominus

minus Iohannes filius Thomæ, & plures magnates coniurati & confœderati fuerunt pro vita & morte pro pace terræ Hiberniæ sustinenda.

Eodem anno venerunt noua de Connacia quòd O-Conghyr occidebat plures Anglicos, videlicet Dominum Stephanum de Exonijs, Milonem de Cogan & plures de Barries & de Lawles circa octoginta.

Item in septimana post festum Sancti Laurentij in Connacia surrexerunt quatuor Reges Hibernici in bellum contra Anglicos, contra quos venerunt Dominus Guilielmus de Burgo, Dominus Richardus de Bermingham, Dominus de Anry cum sequela sua de patria, & de eisdem Hibernicis circa XI. millia iuxta Anry casi; quæ villa muratur postmodum per arma & spolia quæ fuerunt Hibernicorum, quia quilibet Anglicus qui habuit duplicia arma de Hibernicis, medietatem dedit ad muros villæ Anry. Ibi interficiebatur Fedelmicus O-Conghyr Rex Connaciæ & O-Kelley & plures alij Reguli. Ibi dimicauit Iohannes Husee Carnifex de Anry, qui eadem nocte ad rogatum Domini sui de Anry stetit inter mortuos, vt exploraret O-Kelley, qui O-Kelley cum suo armigero de latibulis surrexit & clamauit ad prædictum virum, scilicet Husee, venias mecum & ego faciam te magnum Dominum in terra mea. Et Husee respondit, non ibo tecum, sed tu ibis ad Dominum meum Richardum Bermingham. Tunc dixit O-kelly, tu non habes nisi vnum famulum tecum, & ego habeo armigerum probum, ideo venias mecum vt serueris. Cui etiam famulus Iohannis dixit, consentias & transeas cum O-kelley vt saluemur & ditemur, quia fortiores nobis sunt. At ille Iohannes Husee primò interfecit proprium famulum & O-kelley & suum Armigerum, & amputauit eorum tria capita & portauit Domino suo Richardo Bermingham, & ille Bermingham dedit dicto Iohanni Husee amplas terras, & fecit illum Militem vt bene meruit.

Eodem anno circa festum Sancti Laurentij venit O-Hanlan apud Dundalk ad distringendum, & homines de Dundalke cum suis hominibus plures occiderunt.

Item die Lunæ proximo ante festum Natiuitatis Sanctæ Mariæ venit Dauid O-Totothil cum quatuor & occultè se abscondit tota nocte in bosco de Coleyn: quod percipientes Dublinenses, & Dominus Guilielmus Comin exierunt & ipsos viriliter fugauerunt vsque ad sex leucas, & de eisdem occiderunt circa septemdecim, & plures vsque ad mortem vulnerauerunt.

Item rumores venerunt Dubliniam quòd Dominus Robertus de Brus Rex Scotiæ intrauit Hiberniam ad adiuuandum Edwardum Brus fratrem suum, & Castrum de Cragfergus in Vltonia obsessum est à prædictis Scotis. Monasteria Sancti Patricij de Duno & de Seballo & diuersa alia tam Monachorum quam Canonicorum prædicatorum & minorum spoliantur in Vltonia à Scotis.

Item Dominus Guilielmus de Burgo relicto filio suo obside in Scotia liberatur. Ecclesia de Brught in Vltonia quasi plena vtriusque sexus hominibus comburitur à Scotis & Hibernicis Vltoniæ.

Eodem tempore venerunt noua de Cragfergus quòd custodes pro defectu victualium coria comederunt, & circa octo Scotos qui ante capti fuerunt, vnde dolendum fuit quòd nemo talibus succurreret.

Et die Veneris sequenti venerunt noua quòd Thomas filius Comitis Vltoniæ moriebatur.

Et die Dominica sequenti, scilicet post festum Natiuitatis Beatæ Virginis moriebatur Dominus Iohannes filius Thomæ apud Laraghbrine iuxta Maynoth & sepultus est apud Kildare inter fratres Minores. De quo Domino Iohanne filio Thomæ dicitur quòd modicum ante mortem suam factus est Comes Kildariæ, cui successit filius eius Dominus Thomas filius Iohannis & heres vir prudens.

Et postea venerunt noua quòd castrum de Cragfergus Scotis reddebatur, & concessa erant custodibus vita & membrum.

Et die Exaltationis Sanctæ Crucis occisus erat Conghor & Mac-keley cum quingentis Hibernicis per Dominum Guilielmum de Burgo & Richardum Bermingham in Connacia.

Item die Lunæ ante festum omnium Sanctorum facta fuit magna occisio Scotorum in Vltonia per Iohannem Logganum, Dominum Hugonem Bisset circa C. cum duplicibus armis & CC. cum solis armis. Summa occisorum CCC. præter pedites. Et posteà in vigilia S. Edmundi

Regis erat tempestas magna venti & pluuiæ, quæ prosternebat plures domos & Campanile sanctæ Trinitatis Dublinensis, & plura damna fecit in terra & in mari.

Item in vigilia Sancti Nicholai dominus Alanus Stewart, qui captus fuit in Vltonia per Iohannem Logganum & Dominum Iohannem Sandale, ductus fuit ad Castrum Dublinense.

Et eodem anno venerunt noua de Anglia quòd Dominus Rex Angliæ & Comes Lancastriæ fuerunt in discordia, quòd vnusquisque eorum voluit alium capere, qua de caussa tota terra diu in magna tribulatione fuit.

Item eodem anno circa festum Sancti Andreæ Apostoli, missi fuerunt ad Curiam Romanam Dominus Hugo Le Despencer, & Dominus Bartholomæus de Baldesmere, Episcopus Wigorniensis, & Episcopus Eliensis pro arduis negotijs Domini Regis Angliæ pro terra Scotiæ, qui reuersi sunt in Angliam circa Festum Purificationis Beatæ Mariæ.

Item post dictum festum venerunt Le Lacyes Dubliniam, & procurauerunt inquisitionem quod Scoti in Hiberniam per eos non venerunt, quæ inquisitio eos acquietauit; vnde habuerunt chartam domini Regis de pace, & præstito sacramento iurauerunt pacem domini Regis Angliæ tenere, & Scotos pro posse destruere.

Et post eodem anno post festum Carnispriuij venerunt Scoti occultè vsque Slane, cum viginti millibus armatis, & exercitus Vltoniæ coram illis, & deprædauerunt ante ipsos totam patriam.

Et posteà die Lunæ ante festum sancti Matthiæ Apostoli captus erat Comes Vltoniæ in Abbatia Beatæ Mariæ per Maiorem Ciuitatis Dublinensis, scilicet Robertum Notyngham, & ductus fuit ad Castrum Dublinense, & ibi diu detentus, & Camera in qua erat, combusta fuit, & septem de hominibus dicti Comitis ibidem occisi.

Eadem septimana in vigilia Sancti Matthiæ venit Le Brus cum exercitu suo versus Dubliniam, & quia citò audiuit de captione dicti Comitis, iter suum arripuit versus Castrum Cnok, & dictum Castrum intrauit, & cepit Dominum Baronem eiusdem, scilicet Dominum Hugonem Tirell & vxorem suam, qui pro pecunia liberati fuerunt.

Et eadem nocte per assensum communem per Dublinenses pro timore Scotorum fuit vicus Sancti Thomæ combustus, & per dictum ignem fuit Ecclesia Sancti Iohannis cum Capella beatæ Mariæ Magdalenæ cremata per infortunium, & omnia suburbana comburuntur Dubliniæ, vnà cum Monasterio Sanctæ Mariæ, & Ecclesia Sancti Patricij Dublini per dictos villanos spoliatur.

Item Ecclesiam Sancti Saluatoris, qui est locus fratrum Prædicatorum, dictus Maior cum Communitate destruxit, & lapides eiusdem loci asportauit ad faciendum muros Ciuitatis quos tunc ampliauit in parte Boreali super Keyam, quia muri primò transibant iuxta Ecclesiam Sancti Audoeni, vbi apparet turris vltra portam, & in vico Tabernariorum vini apparet alia porta, sed posteà Rex Angliæ iussit eisdem Maiori & Communitati vt facerent Conuentum vt priùs. Et post Festum Sancti Matthiæ intellexit Le Brus Ciuitatem esse præmunitam, iter suum arripuit versus Saltus Salmonum, & ibi fixerunt tentoria sua, videlicet Robertus Le Brus Rex Scotiæ, Edwardus Le Brus, Comes de Morrey, Iohannes de Meneteth, dominus Iohannes Steward, dominus Philippus Mountbray, & ibidem quatuor dies moram fecerunt, & partem villæ combusserunt, & Ecclesiam fregerunt & spoliauerunt, & posteà perrexerunt versus Le Naas. Et Les Lacyes contra sacramentum eorum, ipsos duxerunt, & consiliauerunt, & dominus Hugo Canon ordinauit Wadinum White fratrem vxoris suæ ipsos per patriam conducere, & venerunt vsque Le Naas, & villam deprædauerunt, & Ecclesias fregerunt, & sepulturas in cœmeterio aperuerunt ad quærendum thesaurum, & multa mala fecerunt per duos dies perhendinantes. Et posteà perrexerunt versus Trestildermote in secunda septimana Quadragesimæ, & fratres Minores destruxerunt, libros ac vestimenta & alia ornamenta asportauerunt, & inde recesserunt vsque Baligaueran; & de Balligaueran dimissa villa de Kilkenny venerunt vsque Callan circa Festum Sancti Gregorij Papæ.

Eodem tempore venerunt literæ per dominum Edmundum le Botiller tunc Iusticiarium Hiberniæ,

Hiberniæ, dominum Thomam filium Iohannis tunc Comitem Kyldariæ, dominum Richardum de Clara, dominum Arnaldum le Pouer, & dominum Mauricium filium Thomæ ad liberandum Comitem Vltoniæ per manucaptionem & per Breue domini Regis, de quo tunc nihil factum fuit.

Et postea venerunt Vltonienses cum exercitu circa II M. *& petierunt auxilium domini Regis ad destruendum Scotos vt dixerunt; qua de caussa liberatum fuit eis vexillum domini Regis: cùm hoc habuerint, magis damnum fecerunt quàm Scoti, & carnes per totam Quadragesimam comederunt, & totam patriam ferè vastauerunt, per quæ maledictionem Dei & hominum perceperunt.*

Item strages magna super Hibernicos iuxta desertum Dermicij, i. Trelhildermot, *per Edmundum Pincernam.*

Item strages magna super O-Morghe apud Balilethan per eundem Edmundum Pincernam tunc Iusticiarium Hiberniæ. Tunc Le Brus cum Scotis vsque Limericum penetrarunt. Congregatis autem exercitibus Anglicorum Hiberniæ pulcherrimis apud Ledyn, de Castro Conninger de nocte latenter reuersi sunt.

Et circa dominicam in Ramis palmarum venerunt noua Dublinum quòd Scoti fuerunt apud Kenlys in Ossoria, & magnates Hiberniæ fuerunt apud Kylkenny, & ibi congregauerunt exercitum ad pergendum versus Le Brus, & die Lunæ sequenti præceptum fuit Vltoniensibus per dominum Regem, quòd se festinarent versus Scotos, quorum ductor & caput ordinatus fuit Comes de Kildare, scilicet Thomas filius Iohannis, & sic perrexerunt, & tunc fuit le Brus apud le Cashell, & inde perrexit vsque Nanath, & ibidem moram fecit, & omnes terras domini Pincernæ integrè combussit & destruxit.

MCCCXVII. *Die Iouis in Cœna Domini congregati fuerant Dominus Edmundus le Botiller tunc Iusticiarius Hiberniæ, Dominus Thomas filius Iohannis Comes Kyldariæ, quia Rex dedit sibi iurisdictionem & libertatem Comitatus Kildariæ, Richardus de Clare cum exercitu Vltoniæ, dominus Arnaldus Pouer Baro de Donnoyll, Mauricius de Rupe-forti, Thomas filius Mauricij, & les Cauntons cum sequela sua, & omnes prædicti congregati fuerunt circa Scotos, per totam septimanam circa ipsos moram traxerunt, & nihil fecerunt, quorum exercitus numeratus fuit circa triginta millia hominum benè armatorum. Et posteà die Iouis in septimana Pasche applicuit Rogerus de Mortuo-mari apud Toghall cum potestate Regis, quia Iusticiarius fuit, & festinanter die Lunæ sequenti iter suum arripuit versus exercitum, & literas misit Edmundo Botiller, qui fuit Iusticiarius (vt dicebatur) quòd nihil faceret erga Scotos ante suum aduentum, & antequam Le Mortimer venit per quosdam Le Brus præmunitus fuit quod abinde discederet, qui nocte sequenti iter suum cepit versus Kildare, & posteà in sequenti septimana vnusquisque Anglicorum repatriauit, & exercitus Vltoniæ venit Le Naas.*

Et eodem tempore duo nuncij de Ciuitate Dublinensi transfretauerunt versus Regem Angliæ ad consulendum & ostendendum de statu Hiberniæ, & de liberatione Comitis Vltoniæ.

Et eodem tempore dominus R. de Mortuo-mari Iusticiarius Hiberniæ & magnates terræ Hiberniæ fuerunt apud Kilkenny ad disponendum pro le Brus, qui tunc ibi nihil fecerunt.

Et circa mensem post Pascha venit le Brus cum exercitu suo circa quatuor leucas prope Trym in quodam bosco, & ibidem moram fecit per septimanam, & amplius ad perhendinandum homines suos qui fame & labore fere perierunt, & quia plures ibidem moriebantur.

Et posteà die Apostolorum Philippi & Iacobi dictus Brus iter suum versus Vltoniam incepit, & post dictum festum venit dominus Rogerus de Mortuo-mari Iusticiarius Hiberniæ ad Dublinum cum domino Iohanne Wogano & domino Fulcone Warini cum triginta militibus, & eorum sequela, & tenuerunt Parlamentum cum omnibus magnatibus terræ apud Kylmaynan, nihil ibi fecerunt nisi tractando de liberatione Comitis Vltoniæ.

Et die dominica ante festum Ascensionis domini venerunt iterum magnates terræ ad Parlamentum Dublin, & ibi deliberauerunt Comitem Vltoniæ per manucaptionem & hostages *& per Sacramentum, & dictus Comes præstito Sacramento iurauit, quòd nunquam oc-*

casione sua captionis per se vel per suos vllam molestiam damnum seu grauamen ciuibus Dublinis de catero faceret seu procuraret, sed quod ipse de transgressoribus per legem impetraret, & inde habuit diem vsque festum Natiuitatis Beati Iohannis Baptistæ, ad quem diem non venit.

Item eodem anno fuerunt blada & alia victualia valde cara. Cranocus frumenti vendebatur pro viginti tribus solidis, & vinum pro octo denarijs, & tota patria ferè deuastata per Scotos & Vltonienses & plures patresfamilias & qui plures homines sustinuerunt, mendicantes fuerunt, & fame plures perierunt, & tanta erat pestilentia & fames quòd pauperes infamuerunt, & plures moriebantur.

Eo tempore nuncij venerunt Dubliniam de Anglia cum impetrationibus quas ad voluntatem habuerunt, sed ante ipsorum aduentum liberatus erat Comes prædictus, & ad festum Pentecostes Le Mortuo-mari Iustitiarius iter suum arripuit versus Drogheda, & ab inde vsque Trym, & literas misit pro Les Lacyes vt ad ipsum venirent, qui venire contempserunt.

Et postea Dominus Hugo de Croftes miles missus fuit ad Les Lacyes & bona sua & animalia & thesaurum cepit, & ipsos omnino destruxit, & plures de eorum hominibus occidit, & eos fugauit in partibus Connaciæ.

Et dicebatur quòd Dominus Walterus de Lacy perrexit vsque Vltoniam ad petendum le Brus.

Item in villa Sancti Cineri in Flandria circa festum Pentecostes captus fuit Dominus Ademarus de Valentia & filius eius, & ducti fuerunt in Almaniam.

Et eodem Anno Die Lunæ proximo post festum Natiuitatis Beati Iohannis Baptistæ congregati fuerunt magnates Hiberniæ ad Parlamentum Dubliniæ, & ibidem liberatus fuit Comes Vltoniæ, qui præstito Sacramento iurauit & manucaptores inuenit ad respondendum mandatis legis & quod fugaret inimicos Domini Regis & Hibernicos & Scotos.

Item in die sanctorum Processi & Martiniani, Dominus Iohannes de Athy in mari obuiauit Thomæ Douer fortissimo latroni & eum cepit, & circa quadraginta bene armatos de suis occidit, & caput suum secum tulit Dubliniam.

Item die Translationis Sancti Thomæ Dominus Nicholaus de Balscot venit de Anglia, & detulit noua, quòd duo Cardinales venerunt de Curia Romana in Angliam ad tractandum de pace, & tulerunt Bullam ad excommunicandum omnes perturbatores pacis Domini Regis Angliæ.

Item die Iouis proximo ante festum Sanctæ Margaretæ Hugo & Walterus de Lacy exclamati fuerunt seductores & felones Domini Regis, quia vexillum tulerunt contra pacem Domini Regis Angliæ.

Item Dominica sequenti Dominus Rogerus de Mortuo-mari Iustitiarius Hiberniæ iter suum arripuit versus Drogheda cum omnibus militibus suis.

Eodem tempore Vltonienses ceperunt vnam prædam iuxta Drogheda, & gentes de Drogheda exierunt & prædam reduxerunt & ibi occisus est Milo Logan cum fratre suo & sex alij magnates de Vltonia capti fuerunt & ducti ad Castrum Dublinense.

Et postea le Mortuo-mari Iustitiarius congregauit exercitum suum versus O-Feruill, & scindere iussit Passum malum, & destruxit omnes habitacula sua, & postea dictus O-Feruill se paci reddidit & dedit obsides.

Item Dominus Rogerus de Mortuo-mari Iustitiarius iter arripuit versus Clony, & cepit inquisitionem de Domino Iohanne Blound, scilicet White de Rathregan, quæ inquisitio dictum Iohannem accusauit, vnde opertebat ipsum finem facere pro ducentis Marcis, & post ea Dominica post festum Natiuitatis Beatæ Mariæ prædictus de Mortuo-mari cum magno exercitu iter suum arripuit versus Hibernicos de O-mayll & venerunt apud Glinsely, vbi occisi sunt plures tam de Hibernicis quàm de Anglicis, sed peior pars cum Hibernicis remansit & citò post venit O-Brynne & reddidit se paci Domini Regis. Rogerus de Mortuo-mari, cum suis venit ad Castrum Dublin.

Et die Apostolorum Simonis & Iudæ Les Archeboldes habuerunt pacem per manucaptionem Comitis Kildariæ.

Et

Et ad festum Sancti Hilarij sequens erat Parlamentum apud Lincolniam ad tractandum de pace inter Dominum Regem Angliæ & Comitem Lancastriæ, & inter Scotos, & Scoti in pace tenuerunt, & caussa illius Parlamenti Dominus Archiepiscopus Dublinensis, & Comes Vltoniæ moram in Anglia per præceptum Regis fecerunt. Et circa festum Epiphaniæ venerunt, noua Dubliniam quòd Dominus Hugo Canon Iustitiarius Domini Regis in Banco occisus erat per Andream Bermyngham inter Naas & Castle-Martin.

Item ad festum Purificationis Beatæ Mariæ venerunt Bullæ quòd dominus Alexander de Bickenor confirmatus fuit & consecratus Archiepiscopus Dublinensis, & Bullæ illæ lectæ fuerunt in Ecclesia S. Trinitatis. Et eodem tempore lecta fuit alia Bulla, quòd dominus Papa ordinauit pacem inter dominum Regem Angliæ, & dominum Robertum Brus Regem Scotiæ per duos annos, ad quem diem dictus Brus acquiescere recusauit. Ista facta fuerunt circa festum Sancti Valentini.

Item Dominica sequenti venit dominus Rogerus Mortimer Dubliniam, & fecit dominum Ioannem Mortimer Militem cum quatuor socijs, & eodem die Mortimer tenuit magnum conuiuium in castro Dubliniæ.

Item eodem tempore facta fuit magna occisio Hibernicorum in Connacia inter duos reges, & occisi erant ex vtraque parte circa quatuor mille homines, & postea venit mirabilis vindicta de Vltoniensibus, qui tempore quo Scoti deprædauerunt in Hibernia, magna damna fecerunt, & carnes in Quadragesima sine necessitate comederunt, idcirco venit super eos tribulatio magna, quòd vnusquisque eorum alium comedit, quòd de decem millibus eorum non remanserunt nisi circa CCC. qui fere pro vindicta euaserunt, & hic patet vindicta Dei. Item dicebatur verè quòd quidam prædictorum malefactorum ita fame destructi erant quòd corpora sepultorum a cœmeterijs extraxerunt & in capitibus eorum carnes coxerunt & comederunt, & mulieres pueros suos pro fame comederunt.

MCCCVIII. *in* XV. *Pascha venerunt noua de Anglia in Hiberniam, quòd villa de Berwick capta fuit per Scotos per seditionem, & postea eodem anno applicuit Magister Walterus de Islep Thesaurarius Domini Regis in Hibernia, & detulit literas Domino Rogero de Mortuo-Mari quòd Domino Regi se pararet, qui sic fecit & posuit Dominum Willielmum Archiepiscopum Casiliensem Custodem Hiberniæ, qui simul & semel fuit Iustitiarius Hiberniæ, Cancellarius, & Archiepiscopus.*

Et postea in tres septimanas post Pascha venerunt noua Dubliniam, quòd Dominus Richardus de Clare occisus, & cum eo quatuor Milites, scilicet Dominus Henricus de Capella, Dominus Thomas de Naas, Dominus Iacobus de Caunton, Dom. Ioh. de Caunton & Adamus Apilgard cum alijs LXXX. *hominibus per O-Brene & Mac-Carthi in festo Sancti Gordiani & Epimachi. Et dicebatur quòd dictus Dominus Richardus in minutas partes pro odio scindebatur. Sed reliquiæ eius sepultæ in Lymerico inter fratres Minores.*

Item die Dominica in Mense Paschæ ductus fuit Ioannes Lacy de Castro Dubliniæ vsque Trym ad audiendum, & ibi iudicium suum recipiendum, qui adiudicatus fuit ad Dietam & in carcere moriebatur.

Item die Dominica ante Ascensionem Domini, Dominus Rogerus de Mortymer transfretauit versus Angliam, & nihil soluit pro victualibus quæ cepit in ciuitate Dubliniæ nec alibi, ad valentiam mille librarum.

Item eodem anno circa festum Sancti Iohannis Baptistæ gratia Dei ostendebatur, quòd frumentum quod ante vendebatur pro XVI. *solidis non valebat nisi* VII. *solidos, & auena pro* V. *solidis, vini & salis abundantia & piscium, scilicet ita quod circa festum Sancti Iacobi nouus panis de nouo blado habebatur, quod nunquam vel raro antè videbatur in Hibernia, & hoc erat signum indulgentiæ Dei, & hoc per orationes pauperum & aliorum fidelium.*

Item die Dominica post festum Sancti Michaelis venerunt noua Dubliniam, quòd Dominus Alexander de Bykenore tunc Iustitiarius Domini Regis in Hibernia & Archiepiscopus Dubliniæ applicuit apud Yoghill. Die Sancti Dionysij venit Dubliniam cum processione & magno honore religiosorum & aliorum tam Clericorum quàm Laicorum receptus erat.

Item die Sabbathi in festo Kalixti Papæ commotum erat bellum inter Scotos & Anglicos de Hibernia duas leucas a villa de Dundalk, ad quod bellum venit de Scotis dominus Edwardus de Brus qui se Regem Hiberniæ dixit. Dominus Philippus de Mountbray, Dominus Walterus de Sules, Dominus Alanus Steward cum tribus fratribus suis, Dominus Walterus de La-

cy, Dominus Robertus & Almericus de Lacy, Iohannes Kermerdyne, & Walterus Albus & circa tria millia aliorum. Contra quos venerunt de Anglicis Dominus Iohannes de Bermingham, dominus Richardus Tuit, dominus Milo Verdon, dominus Hugo de Tripeton, Dominus Herbertus de Sutton, dominus Iohannes de Cusak, dominus Edwardus, & Guilielmus Bermingham, & Primas Armachanus qui omnes absoluit, Dominus Walterus de Larpulk, & quidam de Drogheda venerunt circa viginti bene armati & electi, cum quibus venit Iohannes Maupas, & dictum bellum immiscuerunt, & Anglici cum magno vigore primam scalam penetrauerunt, & dictus Iohannes Maupas dictum Dominum Edwardum le Brus in eodem bello viriliter cum magno honore occidit, qui Iohannes super corpus dicti Edwardi occisus inuentus erat, & omnes Scoti ferè occisi erant circa duo millia, vnde pauci Scotorum euaserunt præter Dominum Philippum de Moumbray, qui vulneratus erat vsque ad mortem, & Dominus Hugo de Lacy, Dominus Walterus de Lacy, & pauci alij qui secum erant vix euaserunt. Hoc accidit inter Dundalk & Faghird. Caput verò prædicti Edwardi dictus Dominus Iohannes Bermingham attulit dicto Domino Regi Angliæ, cui Rex tunc [*] Aterith. *contulit Comitatum de Louth sibi & hæredibus suis masculis, Baroniam de* Atrio Domini, & quarterium manus & cor prædicti Edwardi portata fuerunt Dubliniam, & cætera quarteria diuisa ad alia loca.*

MCCCXIX. *Dominus Rogerus de Mortuo-mari de Anglia rediit, & fit Iusticiarius Hiberniæ. Eodem anno ad festum omnium Sanctorum venit Bulla de Papa ad excommunicandum Robertum de Brus Regem Scotiæ ad quamlibet Missam. Item villa Athisell & magna pars patriæ per Dominum Iohannem filium Thomæ germanum domini Mauricij filij Thomæ comburitur. Isto anno prædictus Iohannes Bermingham factus est Comes Louth. Item pons lapideus de Kilcolyn construitur per Magistrum Mauritium Iak Canonicum Ecclesiæ Cathedralis Kildariæ.*

MCCCXX. *Temporibus Iohannis Papæ* XXII. *& domini Edwardi filij Regis Edwardi, qui Edwardus post aduentum Sancti Augustini in Angliam vicesimus quintus Rex fuerat, nec non sub Alexandro Bickenor tunc Archiepiscopo Dubliniæ, dictæ ciuitatis Dubliniæ, Vniuersitas incepit. Primus magister in eadem Vniuersitate fit frater Willielmus de Hardite ordinis prædicatorum, qui Willielmus sub dicto Archiepiscopo in sacra theologia solemniter incepit. Secundus magister in eadem facultate fit frater Henricus Cogry ordinis Minorum.* Vniuersitas Dublinensis. *Tertius magister fit Willielmus de Rodyard Decanus Dublinensis ecclesiæ Cathedralis Sancti Patricij, qui in iure Canonico solemniter incepit. Iste fit primus Cancellarius dictæ Vniuersitatis. Quartus magister in sacra theologia fit frater Edmundus de Kermerdyn. Item Rogerus de Mortuo-mari Iusticiarius Hiberniæ ad Angliam est reuersus Domino Thoma filio Iohannis tunc Comite Kildariæ in loco suo dimisso.*

Item Dominus Edmundus Pincerna Angliam intrauit, & inde ad Sanctum Iacobum accessit. Item pons villæ de Leghelyn construitur per magistrum Mauricium Iak Canonicum ecclesiæ Cathedralis Kildariæ.

MCCCXXI. *Maxima strages O-Conghors apud Balibogan facta est nono die Maij per Lagimenses & Midienses. Item obijt Dominus Edmundus Botiller apud London & sepelitur apud Balyganeran in Hibernia. Item Iohannes Bermingham Comes Louth fit Iusticiarius Hiberniæ. Item obijt Iohannes Wogan.*

MCCCXXII. *Andreas Bermingham & Nicholaus de la-Lond Miles, & multi alij interficiuntur per Onalan die Sancti Michaëlis.*

MCCCXXIII. *Trenga capitur inter Regem Angliæ & Robertum Brus Regem Scotiæ* XIIII. *annis. Item Iohannes Darcy venit capitalis Iusticiarius Hiberniæ. Item obijt Iohannes primogenitus Domini Thomæ filij Iohannis Comitis Kildariæ, nonum ætatis suæ agens annum.*

MCCCXXIIII. *Obijt Nicholaus de Geneuile filius & hæres Domini Simonis de Geneuile, & sepultus apud Prædicatores de Trym. Item magnus ventus fuit in nocte Epiphaniæ Domini. Item Communis morina boum & vaccarum in Hibernia.*

MCCCXXV. *Richardus Lederede Episcopus Ossoriensis citauit Dominam Aliciam Ketyll, de hæretica prauitate, & ipsam coram se comparere fecit, & de sortilegijs examinata per inquisitionem inuenit, quòd sortilegia commiserat; inter quæ vnum fuit maleficium quod quidam*

dam dæmon incubus nomine Robyn Artysson concubuit cum ea, & ipsa offerebat nouem gallos rubeos apud quendam pontem lapideum in quodam quadriuio.

Item ipsam mundare vicos Kylkenniæ scopis inter completorium & ignitegium, & scopando sordes vsque ad domum Willielmi Vtlaw filij sui coniurando dixisse, Tota fœlicitas Kylkenniæ veniat ad domum hanc. Complices verò dictæ Aliciæ & consentientes huic miseriæ fuerunt Petronilla de Midia & Basilia filia eiusdem Petronillæ. Præfatâ Aliciâ super prædictis per inquisitionem fedatâ, Episcopus eam per pœnam pecuniariam puniuit, & fecit eam penitus sortilegium abiurare. Sed cùm postea super eodem crimine fuisset conuicta, ipsa cum præfata Basilia fugit, sed nunquam posteà fuit inuenta: dicta verò Petronilla Kilkenniæ fuit combusta, sed cùm morti esset proxima, dixit quòd dictus Williel. tantùm meruit mortem sicut & ipsa, asserendo quòd ipse per vnum annum & diem vtebatur zona diaboli super nudum corpus suum, vnde Episcopus capi fecit prædictum Willielmum & carceri mancipari per octo septimanas & nouem in castro Kilkenny: & decreto Episcopi habuit duos homines ad ministrandum, quibus præceptum fuit ne loquerentur ei, nisi semel in die, nec comederent nec biberent cum eo. Tandem dictus Willielmus per iuuamentum Domini Arnaldi Poër Senescalli Comitatus Kilkenny fuit à carcere liberatus, & præfatus Willielmus prædicto Arnaldo magnam summam pecuniæ dedit, vt prædictum Episcopum incarceraret. Prædictus Dominus Arnaldus fecit incarcerari præfatum Episcopum circa tres menses. Inter res dictæ Aliciæ inuenta fuit quædam hostia in qua nomen Diaboli erat scriptum: inuenta fuit etiam quædam pixis in qua fuit vnguentum quo perungi consueuit quadam trabes vocata Cowltre, *quâ perunctâ posset dicta Alicia cum suis sequacibus super ipsam trabem ferri quocunque vellent per mundum sine aliqua læsione seu impedimento. Et quia prædicta fuerunt ita notoria, Alicia fuit iterum citata quòd compareret Dubliniæ coram Domino Decano Ecclesiæ sancti Patricij ad maiorem fauorem habendum. Quæ ibidem comparuit & petijt diem ad respondendum sub sufficienti manucaptione vt putabatur, ipsa vlteriùs non comparuit, sed de consilio filij sui & aliorum ignotorum absconsa fuit in villa quousque habuit ventum versus Angliam & sic transiuit, & sic nescitur quò deuenit. Et quia inuentum fuit per inquisitionem & recognitionem dictæ Petronillæ incendio damnatæ, quòd Willielmus Vtlaw consentiens fuerat sortilegio matris, Episcopus fecit eum capi per Breue Regis & carceri mancipari, qui tandem ad supplicationem Magnatum liberatus fuit, conditione tamen quòd cooperiri faceret Ecclesiam Beatæ Mariæ Kilkenniæ plumbo, & alias plures eleemosynas face. et infra certum tempus, quas eleemosynas infra dictum terminum si non compleret, quòd esset in eodem statu quo fuit quando captus fuit per Breue Regium.*

MCCCXXVI. *Tentum fuit Parlamentum apud Kilkenniam ad festum Pentecostes, ad quod Parlamentum venit Dominus Richardus de Burgo tunc Comes Vltoniæ, licèt aliquantulum infirmus, venerunt omnes magnates Hiberniæ, ibique dictus Comes fecit magnum & famosum conuiuium magnatibus & populo. Posteà Dominus Comes accipiens licentiam suam à magnatibus iuit apud Athisell vbi diem suum clausit extremum. Modicùm ante Festum Sancti Iohannis Baptistæ ibidem sepelitur. Dominus Willielmus de Burgo fit hæres eius.*

MCCCXXVII. *Orta fuit contentio inter Dominum Mauricium filium Thomæ, & Dominum Arnaldum le Pouer, & Dominus Mauricius habuit in comitiua Dominum le Botiller, & Dominum Willielmum Bremingham, & dominus Arnaldus habuit in comitiua sua lez Bourkeyns, quorum plures dictus dominus Mauricius filius Thomæ interfecit, & quosdam in Connaciam fugauit.*

Eodem anno post festum Sancti Michaelis dominus Arnaldus venit ad auxiliandum lez Bourkeyns, & propter enormia verba quæ dominus Arnaldus dixerat vocando eum Rymour, *iterum dictus Mauricius collegit exercitum, & cum le Botiller & dicto Willielmo Bermingham cum magno exercitu cremauit terras dicti domini Arnaldi in Ofath. Item dictus Willielmus Bermingham terras & maneria domini Arnaldi le Pouer in Momonia, & Kenlys in Osseria combussit, ita quòd oportuit dominum Arnaldum cum Barone de Donnoyl fugere Waterford, & ibi fuerunt per vnum mensem quousque Comes Kildariæ tunc Iusticiarius Hiberniæ & alij de consilio domini Regis diem ceperunt inter eos, quem diem dominus Arnaldus non tenuit, sed venit apud Dubliniam & transfretauit in Angliam circa festum Purificationis, & postquam Arnaldus transfretauerat, dictus Mauricius, & le Botiller & Dominus*

Dominus Willielmus Bermingham cum magno exercitu venerunt, depradauerunt, combusserunt terras dicti Arnaldi, & propter magnum exercitum quem duxerant & plura mala quæ fecerant, ministri Regis de eius consilio timuerunt quòd obsiderent ciuitates, vnde ciuitates fecerunt plures prouidentias & vigilias medio tempore. Et quando dictus Dominus Mauritius le Botiller & Willielmus audierunt quòd ciuitates fecerunt prouidentiam, mādauerunt consilio Domini Regis quòd venirent ad Kilkeniam, & quod ibi purgarent se quòd nullum malum cogitauerunt facere super terras Domini Regis, sed vindicare se de inimicis sui, ad quod Parlamentum Comes Kildariæ tunc Iustitiarius Hiberniæ, Prior de Kilmaynon, sz. Rogerus Outlaw Cancellarius Hiberniæ, Nicholaus Fastoll Iustitiarius in Banco & alij de consilio Domini Regis & prædicti petierunt chartam de pace Domini Regis, sed illi de consilio Domini Regis cautè respondentes ceperunt diem vsque mensem post Pascha vt possint cum socijs de consilio super hoc tractare.

Eodem anno ante Quadragesimam Hibernici de Lagenia collegerunt se, simul & fecerunt quemdam Regem, videlicet Donaldum filium Arte Mac-Murgh. Qui cùm Rex factus fuerat ordinauit ponere vexillum suum ad duo milliaria Dubliniæ, & postea transire per omnes terras Hiberniæ, cuius superbiam & malitiam videns Deus permisit eum cadere in manus domini Henrici Trabarn, qui duxit eum ad saltus salmonum & habuit pro eo centum libras de raunsoma, & duxit eum ad Dubliniam, & posuit eum in castro, vt ibi expectaret quousque consilium Domini Regis posset prouidere quid sit faciendum de eo, & post eius captionem plura infortunia contigerunt Hibernicis de Lagenia, videlicet quòd Dominus Ioannes de Wellesley cepit Dauid Othohil, & plures interfecti fuerunt de Hibernicis.

Eodem anno Adam Duff filius Walteri Duff de Lagenia de cognatione O-tothiles conuictus fuit quòd contra fidem Catholicam negauit incarnationem Iesu Christi, & dixit quòd non poterant esse tres personæ & vnus Deus, & asseruit beatissimam Mariam matrem Domini esse meretricem, & negauit mortuorum resurrectionem, & asseruit sacram Scripturam fabulas esse & nihil aliud; & sacro-Sanctæ Apostolicæ sedi falsitatem imputauit. Propter quæ & eorum quodlibet idem Adam Duff hæreticus & blasphemus fuit pronuntiatus, vnde idem Adam per Decretum Ecclesiæ die Lunæ post Octauas Paschæ anno Domini MCCCXXVIII. *combustus fuit apud le Hoggis iuxta Dubliniam.*

MCCCXXVIII. *die Martis in Ebdomada Paschæ Thomas filius Ioannis Comes de Kildariæ & Iustitiarius Hiberniæ obijt, cui successit in officio Iustitiarij frater Rogerus Outlaw prior de Kilmaynan. Eodem anno Dauid O Tothill fortis latro inimicus Regis, succensor ecclesiarum, & destructor populi ductus fuit de castro Dubliniæ ad Tholoneum ciuitatis coram Nicholao Fastoll, & Elia Ashebourne Iustitiarijs in Banco, qui Iustitiarij dederunt ei iudicium quod primò traheretur ad caudas equorum per medium ciuitatis vsque ad furcas, & postea suspenderetur in patibulo, quod & factum est. Item eodem anno Dominus Mauritius filius Thomæ collegit magnum exercitum ad destruendum Lez Bourkeyns & lez Poers. Eodem anno Dominus Willielmus de Burgo Comes Vltoniæ factus est Miles Londini in die Pentecostis & Rex ei dedit Dominium suum. Item eodem anno Iacobus Botiller desponsauit in Anglia filiam Comitis Herefordiæ & factus est Comes Ormondiæ qui priùs vocabatur Comes Tiperariæ.*

Eodem anno tentum est Parlamentum apud Northampton, vbi magna pars magnatum Angliæ congregata fuit, & pax reformata est inter Scotiam & Angliam & Hiberniam per maritagia inter eos, & ordinata fuit quòd Comes Vltoniæ cum pluribus magnatibus Angliæ irent apud Berwicum super Twedam ad sponsalia.

Eodem anno post prædicta sponsalia facta apud Berwick, Dominus Robertus le Brus Rex Scotiæ, & Dominus Willielmus de Burgo Comes Vltoniæ, Comes de Meneteth, & plures magnates Scotiæ applicuerunt apud Cragfergus pacificè & miserunt Iustitiarijs Hiberniæ & Consilio quòd venirent ad Viride Castrum ad tractandum de pace Scotiæ & Hiberniæ, & quia dicti Iustitiarij & Consilium non venerunt sicut voluit, accepit licentiam à Comite Vltoniæ & redijt in patriam suam post festum Assumptionis Beatæ Mariæ. Et Comes Vltoniæ venit Dubliniam ad Parlamentum & ibidem morabatur per sex dies, & tenuit magnum conuiuium, & postmodum iuit in Connaciam.

Eodem anno circa festum Sanctæ Katherinæ Virginis Episcopus Osseriensis mandauit consilio Domini Regis quòd Dominus Arnaldus Poher coram eo conuictus fuit su per diuersis articulis

culis hereticæ prauitatis. Vnde ad Sectam dicti Episcopi, dictus Dominus Arnaldus per Breue Regni captus fuit, & positus fuit in castro Dubliniæ, & dies datus fuit dicto Episcopo quod veniret Dubliniam ad persequendum causam prædictam versus prædictum Dominum Arnaldum, qui excusauit se tunc quòd non potuit venire quia inimici sui fuerunt insidiantes ei in via. Vnde Consilium Regis nesciuit ponere finem isti negotio, & sic Dominus Arnaldus mancipatus fuit custodiæ castri Dubliniæ vsque ad sequens Parlamentum quod fuit in medio Quadragesimæ, vbi omnes magnates Hiberniæ fuerunt. Item eodem anno frater Rogerus Vtlaw, hospitalis sancti Ioannis Ierusalem in Hibernia, Prior, dominus Iustitiarius, & Cancellarius Hiberniæ diffamatus fuit per dictum Episcopum quòd fautor fuit hereseos, & consiliarius & adiutor dicti Domini Arnaldi in hæretica prauitate. Et quia persona sua indigne fuit diffamata, dictus Prior iuit ad Consilium Domini Regis & petijt quòd posset purgare se, vnde illi de consilio Domini Regis acceperunt consilium & concesserunt ei quod posset habere purgationem suam & fecerunt clamare per tres dies, quòd si esset aliquis qui vellet persequi versus prædictum fratrem Rogerum, quòd persequeretur, sed nullus fuit inuentus. Vnde ad procurationem Domini fratris Rogeri exijt Breue Regium ad summonendum maiores Hiberniæ, videlicet, Episcopos, Abbates, Priores, & quatuor Maiores, quatuor Ciuitatum, videlicet Dublin, Cork, Lymerick, & Waterford, & Drogheda, ac etiam Vicecomites & Seneschallos, & Milites Comitatuum cum melioribus liberis hominibus Comitatus ad veniendum Dubliniam, & fuerunt electi sex examinatores in dicta caussa, videlicet Magister Willielmus Rodyard Decanus Ecclesiæ Cathedralis Sancti Patricij Dubliniæ, Abbas Sancti Thomæ, Abbas beatæ Mariæ, Prior Ecclesiæ sanctæ Trinitatis Dubliniæ, Magister Elias Lawles, & Magister Petrus Willebey, qui examinatores fecerunt venire eos qui fuerunt citati, & examinauerunt quemlibet per se, quibus iuratis omnes dixerunt eum esse probum, fidelem & zelatorem fidei & paratum mori pro fide, & pro magna purgationis suæ solemnitate dictus frater Rogerus tenuit magnum conuiuium omnibus qui voluerunt venire.

Item eodem anno in Quadragesima obijt dictus Dominus Arnaldus le Poher in Castro Dublin, & diu iacuit apud Prædicatores sine sepultura.

MCCCXXXIX. *post festum Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis venerunt Magnates Hiberniæ ad Parlamentum Dubliniæ, videlicet, Comes Vltoniæ, Dominus Mauritius filius Thomæ, Comes Louth, Willielmus Bermingham, & cæteri Domini, & ibi fuit pax reformata inter Dominum Comitem Vltoniæ & Dominum Mauritium filium Thomæ, & dicti Magnates cum consilio Regis ibidem statuerunt summam pacem Domini Regis teneri, ita quòd quilibet Magnatum castigaret parentelam suam & homines suos, & dictus Comes Vltoniæ tenuit magnum conuiuium in Castro Dubliniæ, & Dominus Mauritius filius Thomæ crastino tenuit magnum conuiuium in Ecclesia Sancti Patricij Dubliniæ, & frater Rogerus Outlaw Iustitiarius Hiberniæ tenuit magnum conuiuium apud Kylmaynan tertio die, & sic recesserunt.*

Eodem anno in vigilijs Sancti Barnabæ Apostoli Dominus Iohannes de Bermingham Comes Louth, apud Balybragan in Vrgalia ab illis de Vrgalia interfectus fuit, & cum eo Petrus de Bermingham frater dicti Comitis & germanus legitimus, Robertus de Bermingham frater eiusdem Comitis putatiuus, dominus Iohannes Bermingham filius fratris Richardi Domini de Anry, Williel. Finne Bermingham filius auunculi prædicti Domini de Anry, Simon de Bermingham filius eiusdem Willielmi, Thomas Bermingham filius Roberti de Connacia, Petrus Bermingham filius Iacobi de Connacia, Henricus Bermingham de Connacia, & Richardus Talbot de Malaghide validus in armis & CC. cum ipsis, quorum nomina ignorantur.

Item post prædictam stragem homines domini Simonis de Geneuile interuenerunt patriam de Carbry ad deprædandum eos propter furta & homicidia eorum multotiens super Midiam facta, & ante quam descentionem, insurrexerunt illi de Carbry, & interfecerunt de hominibus dicti Simonis LXXVI. *homines. Item eodem anno in crastino Sanctæ Trinitatis venerunt Dubliniam Iohannes Gernon, ac Rogerus Gernon frater eius ex parte eorum de Vrgalia & supplicauerunt quod possent stare ad Communem legem. Et die Martis in Crastino Sancti Ioannis, Ioannes & Rogerus audientes quod dominus Wil. de Bermigham veniret, recesserunt de Dublinia. Eodem anno in vigilia Sancti Laurentij dominus Thomas le Botiller iuit cum magno exercitu versus partes de Ardnorwith, & ibi obuiauit dicto Domino Thomæ Williams Mac-Geoghgan cum exercitu suo, & ibi interfectus fuit dictus Dominus Thomas ad damnum magnum terræ Hiberniæ & cum eo interfecti fuerunt dominus Iohannes de Ledewich,*

Rogerus Ledewiche, Thomas Ledewiche, Iohannes Nangle, Meilerus Petitt, Simon Petitt, Dauid Nangle, dominus Iohannes Waringer, Iacobus Terell, Nicholaus Albus, Willielmus Freynes, Petrus Kent, Iohannes Albus, & cum illis CXXXX *viri quorum nomina ignorantur. Et die Martis proxima ante festum S. Bartholomæi corpus dicti D. Tho. le Botiller delatum fuit Dubliniam; & positum apud fratres Prædicatores adhuc non sepultum: & die Dominica proximâ post festum decollationis beati Iohannis Baptistæ corpus dicti domini Thomæ portatum fuit per Ciuitatem cum magno honore, & sepultum apud fratres Prædicatores. Et vxor dicti domini Thomæ illo die tenuit conuiuium.*

Eodem anno Dominus Iohannes Darcy venit Iusticiarius Hiberniæ secundò, & idem Dominus Iohannes desponsauit dominam Ioannam de Burgo Comitissam Kildariæ tertio die Iulij apud Maynoth.

Item Philippus Staunton interficitur. Item dominus Henricus Traharn capitur proditiosè in domo sua apud Kilbego per Richardum filium Philippi Onolan. Item Dominus Iacobus le Botiller Comes Ormondiæ combussit Foghird super Onolan propter prædictum Henricum fratrem Pincernæ.

Eodem anno die Mercurij proximâ post festum Ascensionis beatæ Mariæ, dominus Iohannes Darcy Iusticiarius Hiberniæ iuit versus partes de nouo Castro de Mac-Kingham, & de Wikelow super lez O-Brynnes, & die Lunæ sequenti fuerunt quidam de Lawles interfecti, & plures vulnerati, & Robertus Locam fuit vulneratus, & de Hibernicis meliores fuerunt interfecti, & plures vulnerati, & cæteri fugerunt. Sed Murkad O brynne reddidit se obsidem cum filio suo & auunculo, & filio auunculi sui, & ducti fuerunt ad castrum Dubliniæ. Sed posteà liberati fuerunt pro alijs obsidibus, scilicet melioribus de eorum parentela.

Eodem anno Iusticiarius, scilicet dominus Iohannes Darcy & illi qui fuerunt de consilio Regis in Hibernia circa festum Circumcisionis Domini mandauit Dominum Mauricium filium Thomæ de Dessemond, quòd ipse veniret cum exercitu suo ad debellandum inimicos Regis. Et dominus Rex prouideret sibi & exercitui suo de sumptibus, & dictus dominus Mauritius venit cum exercitu suo, & Briene O brene fuit cum eo, & fuit exercitus decem milia virorum, & dictus dominus Mauricius cum exercitu suo primò iuit super Onolanes & debellauit eos, & accepit prædam magnam, & cremauit terras eorum, & lez O-Nolanes fugerunt, & posteà liberauerunt obsides qui missi fuerunt ad Castrum Dubliniæ. Et posteà dictus dominus Mauricius iuit super lez O-Morches, qui dederunt obsides ad firmam pacem Regis tenendam.

Eodem tempore Castrum de Ley quod O-Dympcy ceperat & tenuerat, redditum fuit dicto Mauricio. Eodem anno post Epiphaniam Domini Donaldus Arte Mac-Murgh euasit de castro Dubliniæ per cordam quam quidam Adam Nangle emerat ei, qui Adam posteà distractus fuit & suspensus.

MCCCXXX. *Venti validi diuersi in festis Sanctæ Katherinæ, Sancti Nicholai, & Natiuitatis Domini, per quem ventum pars muri cuiusdam domus corruens oppressit vxorem domini Milonis de Verdona, cum filia in vigilia Sancti Nicholai; quales & venti nunquam fuerant visi in terra Hiberniæ.*

Item inundatio aquæ de Beyn, qualis nunquam fuerat visa anteà, per quam inundationem omnes pontes tàm lapidei quàm lignei super dictam aquam funditus diruti sunt, præterquam pontem Babe. Aqua etiam asportauit diuersa molendina, & multa mala intulit fratribus Minoribus de Trym & de Drogheda, quæ fregit domos eorum.

Eodem anno circa festum Iohannis Baptistæ magna caristia bladi incepit esse in Hibernia, & durauit vsque ad festum Sancti Michaelis. Item cranocus frumenti vendebatur pro XX. *solidis. Item cranocus auenarum pro* VIII. *solidis, pisa, faba, & hordei vnus cranocus pro* VIII. *solidis: & ista caristia accidit propter magnam habundantiam pluuiæ, ita vt magna pars bladi non posset meti ante festum Sancti Michaelis.*

Eodem anno Anglici de Midia interfecerunt de Hibernicis, scilicet de Mac-Goghiganes circa Quadragesimam iuxta Loghynerthy, vnde dictus Mac-Goghigan iratus combussit in partibus illis XV. *paruas villatas, & deprædauit eas, quod videntes Anglici, collegerunt contra ipsum, & de hominibus suis centum &* X. *interfecerunt, inter quos fuerunt interfecti tres filij Regulorum Hibernicorum.*

Item

Item Dominus Willielmus de Burgo Comes Vltoniæ duxit exercitum de Vltonia ad Momoniam super Briene O-Brene.

Item domina Iohanna Comitissa Kildariæ peperit apud Maynoth Willielmum filium Domini Iohannis Darcy per ipsam primum, ipso domino Iohanne in Anglia existente.

Item Reymundus Lawles interficitur apud Wickelowe proditiosè.

Item Parlamentum tentum apud Kilkeniam per fratrem Rogerum Vtlaw Priorem de Kylmainan, tunc locum tenentem Iusticiarij, vbi fuerunt Alexander Dubliniæ Archiepiscopus, dominus Willielmus Comes Vltoniæ, dominus Iacobus Comes Ormondiæ, & dominus Willielmus Bermingham, & Walterus de Burgo de Connacia, quilibet eorum cum magno exercitu ierunt ad expellendum Briene O-Brene de Vrkyff iuxta Casbill.

Item Walterus de Burgo cum exercitu suo de Connacia tunc depradauit terras Domini Mauricij filij Thomæ, reducens secum prædam ad Vrkyff.

Item Dominus Comes Vltoniæ, & Comes Desmoniæ, scilicet Dominus Mauricius filius Thomæ (nunc primò voco eum Comitem) custodiæ Marescalli apud Lymeryk deputantur per fratrem Rogerum Vtlaw Iusticiarium Hiberniæ. Comes vero Desmoniæ de custodia dicti Marescalli callidè fugit & recessit.

MCCCXXXI. *Dominus Hugo Lacy cum pace Regis Hiberniam intrauit.*

Item Comes Vltoniæ Angliam intrauit.

Item strages Hibernicorum in Okenseley per Anglicos XIX. *die Aprilis.*

Item Castrum de Arclo capitur proditiosè per Hibernicos XXI. *die mensis Aprilis.*

Item eodem die in vigilijs Sancti Marci Euangelistæ O-Totheles venerunt apud Tanelagh & depradauerunt Alexandrum Archiepiscopum Dubliniæ de CCC. *ouibus, & occiderunt Richardum White, & alios probos in sua comitiuà. Tunc venerunt rumores Dubliniam de illa prædatione & occisione, & dominus Philippus Bryt Miles, & frater Mauricius filius Geraldi Miles de militia Hospitaliorum, Hamundus dominus Archedekyn, Iohannes Camerarius, Robertus Tyrell, & duo filij Reginaldi Bernewall, & multi alij, & maximè de familia Domini Archiepiscopi Dubliniæ interficiuntur per Dauid O-Tothill per insidias in Culiagh.*

Item dominus Willielmus Bermingham duxit magnum exercitum super prædictos Hibernicos, & multa mala fecit, & maiora fecisset nisi impeditus fuisset per falsa promissa Hibernicorum.

Item dominus Antonius Lucy Miles venit Capitalis Iusticiarius Hiberniæ tertio die Iunij.

Item strages magna Hibernicorum super Brene O-Brene per Anglicos terræ apud Thurles in mense Maij.

Item apud Finnagh in Midia strages Hibernicorum per Anglicos eiusdem terræ XI. *die mensis Iunij.*

Item fame nimia inualescente in Hibernia disponente diuina miseratione XXVII. *die mensis Iunij ingens multitudo marinarum applicuit belluarum, scilicet* Thurlhedis, *qualis nunquam à pluribus retroactis seculis videbatur, qui secundùm æstimationem plurium, quingentenum numerum excedebant, & hoc accidebat iuxta le Connyng, & aquam quæ vocatur Dodyz in portu Dubliniæ, circa horam vesperarum, & Dominus Antonius Lucy tunc Iusticiarius Hiberniæ cum suis & quibusdam ciuibus Dubliniæ, inter quos fuit Philippus Cradok, occiderunt de prædictis piscibus plusquam* CC. *& nullus prohibitus facere & asportare, eodem Iusticiario præcipiente.*

Item dominus Antonius Lucy Iusticiarius Hiberniæ statuit Commune Parlamentum Dubliniæ in Octauis Sancti Iohannis Baptistæ, ad quod non venerunt quidam terræ maiores. Deinde transtulit se dictus Iusticiarius vsque Kilkeniam, continuando dictum Parlamentum à prædictis Octauis vsque ad festum Sancti Petri, quod dicitur ad vincula: ad quem locum venit dominus Mauricius filius Thomæ & multi alij Nobiles terræ, qui prius non venerunt, subijcientes se gratiæ Regis. Rex verò mala per prædictos in terra commissa, quantum sibi incumbebat, sub certa forma ijs gratiosè remisit.

Item castrum de Fernis per Hibernicos capitur proditiosè, & comburitur mense Augusti.

Item dictus dominus Mauricius filius Thomæ Desmondiæ de consilio capitur apud Lymericum per dictum Iustitiarium in Crastino assumptionis Beatæ Mariæ, & ducitur cum Iusticiario ad Castrum Dubliniæ VII. *die mensis Octobris.*

Item

Item Henricus Maundeuile capitur mense Septembris, & ad Castrum Dubliniæ ducitur, de mandato Simonis filij Richardi Iustitiarij in Banco.

Item Walterus de Burgo cum duobus germanis suis capiuntur in Connacia per Comitem Vltoniæ mense Nouembris, & ducuntur per eundem ad Castrum de Northburg, mense scilicet Februarij.

Item Dom. Williel. de Bermingham cum filio suo Dom. de Bermingham apud Clonell capiuntur per dictum Iustitiarium mense Februario, non obstante Charta Domini Regis ijs priùs data per Iustitiarium annotatum, & ducuntur ad Castrum Dubliniæ XIX. *die mensis Aprilis.*

Item Hibernici de Lagenia deprædauerunt Anglicos & combusserunt Ecclesias, & in Ecclesia de Freineston combusserunt circa LXXX. *homines & mulieres & quendam capellanum dictæ Ecclesiæ indutum sacris vestibus cum corpore Dominico volentē exire repulerunt cum lanceis & ipsum cum cæteris in ecclesia combusserunt. Isti rumores venerunt ad Dominum Papam, qui misit Bullam suam Archiepiscopo Dubliniæ, percipiens quòd dictos Hibernicos & omnes eis adhærentes cum eorum sequela excommunicaret, & terras eorum interdiceret. Archiepiscopus verò mandatum Domini Papæ compleuit, sed dicti Hibernici dictam Bullam, excommunicationem, & interdictionem, & coertionem Ecclesiæ contemnentes, & in malitia sua perseuerantes iterum se inuicem collegerunt & irruerunt per Comitatum Weisford vsque Carcarne, & totam Patriam deprædauerunt. Quibus obuiantes Anglici, videlicet, Richardus White, & Richardus filius Henrici cum Burgensibus de Weisford & alijs Anglicis, de Hibernicis circa* CCCC. *interfecerunt, & multi alij ex eis fugientes submersi fuerunt in aqua quæ vocatur Slane.*

MCCCXXXII. *Willielmus Bermingham morti traditur, & suspenditur Dubliniæ per eundem Iustitiarium* XI. *die mensis Iulij, & Walterus filius eius est liberatus. Prædictus Dominus, Willielmus nobilis Miles inter millia militum in opere militari nobilissimus & optimus heu, heu, pro dolor, quis eius necem commemorans lacrymas continere potest? Sed tandem sepultus est Dubliniæ inter fratres Prædicatores. Item castrum de Bonraty capitur & ad terram prosternitur per Hibernicos Totomoniæ mense Iulio. Item castrum de Arclo per dictum Iustitiarium cum ciuibus Dubliniæ & cum adiutorio Anglicorum de terra capitur ab Hibernicis & in manu Regis,* VIII. *die mensis Augusti, & pro parte erigitur. Item Dominus Antonius Lucy Iustitiarius Hiberniæ ab officio deponitur, & ad Angliam redit vnà cum sua consorte & liberis mense Nouembris. Loco etiam cuius Dominus Iohannes Darcy Iustitiarius Hiberniæ instituitur, & Hiberniam intrauit* XIII. *die mensis Februarij. Item strages magna Hibernicorum in partibus Momoniæ super Briene O-Brene & Mac-Karthy per Anglicos de terra.*

Item obijt Iohannes Decer ciuis Dubliniæ & sepelitur apud fratres Minores qui multa bona fecit. Item infirmitas quæ dicitur Mauses *per totam Hiberniam tam in senibus, viris, & mulieribus, quàm in iuuenibus paruulisque. Item obsides existentes in Castro de Lymeryk occiderunt Constabularium eiusdem Castri, & ceperunt Castrum, sed recuperato Castro per Ciues in manu fortis ijdem obsides interfecti sunt in ore gladij. Item obsides ceperunt Castrum scilicet de Nenagh & eiusdem parte combusta recuperatum est, obsidibus reseruatis. Item vnum P.... frumenti circa Natale Domini pro* XXII. *solidis, & citò post Pascha, & deinceps pro* XII. *denarijs communitèr vendebatur. Item villa Noui Castri de Lions per O-Tothiles comburitur & deprædatur.*

MCCCXXXIII. *Dominus Ioannes Darcy applicuit Dubliniam Iustitiarius Hiberniæ. Item O-Congbirs perdiderunt magnam prædam, duo millia vaccarum & vltra per Bermynghames de Carberia.*

Item Dominus Ioannes Darcy Iustitiarius Hiberniæ fecit scindi passum apud Ethergonill in Offalia super O-Conghir.

Item Dominus Mauritius filius Thomæ Comes Dessemoniæ educitur de carcere Dubliniæ, postquàm incarceratus per vnum annum cum dimidio multis manucaptoribus, maioribus, & nobilioribus terræ inuentis priùs pro eodem sub forisfactura vitæ omniumque bonorum suorum admissis, si tunc dictus Dominus Mauritius contra Regem aliquid attentaret, & suam personam Regi non præsentarent pro suis demeritis nobiles antedicti.

Item Willielmus de Burgo Comes Vltoniæ inter Nouam villam & Crag fergus in Vltoniam à suis, proh dolor, prodiciosè interficitur. Anno ætatis suæ XX. VI. *die mensis Iunij. Robertum*

berto filio Mauritoni Maundeuile ipsum primo percutiente, quibus auditis rumoribus, vxor Comitis tunc in dictis partibus Vltoniæ existens cum filia sua & hærede nauem statim ascendit, & ad partes se transtulit Anglicanas, post cuius interfectionem Dominus Ioannes Darcy Capitalis Iustitiarius Hiberniæ vindicaturus mortem Comitis de consilio omnium Maiorum terræ existentium tunc in dicto Parlamento statim cum exercitu suo iter suum arripuit, & nauigio applicuit apud Cragfergus primo die mensis Iulij. Patriotæ verò de aduentu Iustitiarij gaudentes & audaciam ex hoc assumentes contra interfectores dicti Comitis Vltoniæ, & in eius interfectionem assentientes insurrexerunt & in bello campestri victoriam obtinentes quosdam ceperunt, alios gladio occiderunt. Hijs peractis dictus Iustitiarius cum dicto exercitu ad Scotiam se transtulit Magistro Thoma Burgh tunc Thesaurario Hiberniæ in suo loco dimisso.

Item multi terræ Nobiles & Comes Ormondiæ cum eorum sequela ad domum Carmelitarum Dubliniæ congregati xi. die mensis Iunij, & tempore dicti Parlamenti in eorum exitu de area dictorum Fratrum subitò infra populi pressuram Murcardus siue Mauritius filius Nicholai O-Tothill inibi interficitur, super cuius subitanea interfectione omnes terræ Maiores proditionem timentes & esse putantes, insolito timore concutiuntur, & conturbantur: necnon eiusdem Murcardi interfector eorum omnium manus strenuè euasit, cuius nomen & notitia ab eisdem penitus ignorabatur.

Item Dominus Ioannes Darcy redit Iustitiarius Hiberniæ.

Item Dominus Walterus de Bermingham filius Domini Willielmi de Bermingham de castro Dubliniæ liberatur, mense Februarij.

Item Dominus Mauritius filius Thomæ Comitis Desmoniæ casu palfridi sui fregit tibiam suam.

Item æstas verò pulchra & sicca, ita quod in festo Ad Vincula Sancti Petri comedebatur panis noui frumenti, & vendebatur pec frumenti pro VI. denarijs in Dublinia.

Item Dominus Reimundus Archedekin Miles, & multi alij de eadem cognatione interficiuntur in Lagenia.

MCCCXXXVII. In vigilijs Sancti Kalixti Papæ VII. perdices, & nescitur quo spiritu agitante campum deserentes recta linea ad ciuitatem Dubliniæ conuolarunt, & fori loca citissimè transuolantes in summitate pandoxatorij Canonicorum sanctæ Trinitatis Dubliniæ consederunt: ad quod spectaculum nonnulli ciues concurrunt prodigium illud plurimum admirantes. Pueri autem de ciuitate duas ex illis apprehenderunt viuas, tertiam peremerunt. Cæteræ ex hoc territæ altiora petentes ad campos oppositos volatu pernici effugerunt. Quod autem portendit casus retrò seculis inauditus peritorum arbitrio relinquatur.

Item Dominus Iohannes Charleton Miles & Baro cum vxore sua & filijs & filiabus suis cum tota familia sua venit in festo Kalixti Papæ Capitalis Iustitiarius Hiberniæ, & de filijs & familia sua quidam mortui sunt.

Item Dominus Thomas Charleton Episcopus Herefordensis & germanus dicti Iustitiarij venit eodem die cum suo germano, Cancellarius Hiberniæ vnà cum Magistro Ioanne Rees Thesaurario Hiberniæ & Magistro in Decretis, ducentes secum multos Wallicos numero CC. in portu Dubliniæ applicuerunt.

Item Domino Iohanne Charleton existente Iustitiario & tenente Parlamentum Dubliniæ, Magister David O-hirraghy Archiepiscopus Ardmachanus vocatus ad Parlamentum fecit prouidentiam in monasterio Beatæ Mariæ iuxta Dubliniam, sed impeditus fuit per Archiepiscopum & Clericos quia voluit portari crucem ante eum, & noluerunt permittere eum.

Item eodem anno obijt idem David Archiepiscopus Ardmachanus, cui successit Magister Richardus filius Radulphi Decanus Lichefeldensis clericus luculentus, qui natus fuit in villa de Dundalk. Item obijt Iacobus * Pincerna primus Comes Ormondiæ VI. die mensis Ianuarij, * Boteler.
& sepelitur apud Balygaueran.

MCCCXXXVIII. Dom. Iohannes Charleton ad instigationem germani sui, videlicet, Thomæ Episcopi Herefordensis per Regem ab officio deponitur, & cum tota familia in Angliam reuertitur. & Thomas Episcopus Herefordensis in custodem & Iustitiarium Hiberniæ per Regem instituitur.

Item Dominus Eustachius Pouer, & Dominus Iohannes Pouer eius auunculus per dictum

Iustitiarium de Momonia ducuntur ad Dubliniam, & in castro detinentur tertio die Mensis Februarij.

Item in partibus Hiberniæ gelu tam intensum fuit, quòd fluuius Dubliniæ Auen-Liffius in tantum, quòd plurimi super glaciem eiusdem fluuij tripudiabant, ludebant ad pilam, & currebant; focum inde super eandem glaciem de lignis & glebis terreis succendunt, & super focum hallecia assarunt. Hæc glacies per dies plurimos durauit; de niue quoque in partibus Hiberniæ idem gelu comitante non oportet amplius os aperire, cùm fuisset profunditate mirabili insignita, à secundo die mensis Decembris, vsque ad decimum diem mensis Februarij illa tempestas durauit, retro seculis in Hibernia maximè inaudita.

MCCCXXXIX. *Guerra generalis per totam Hiberniam. Item maxima strages & submersio Hibernicorum, ad minus* MCC. *corpora, per D. Mauritium filium Tho. Comitem Desmondiæ & cæteros Geraldinos in partibus Kernigiæ.*

Item Dominus Mauritius filius Nicholai Dominus Kernigiæ per dominum Mauritium filium Thomæ Comitem Desmondiæ capitur & incarceratur, & in carcere moritur, positus ad dietam, pro eo quòd contra Dominum Regem Angliæ & contra dominum Comitem cum dictis Hibernicis palam se exposuit & surrexit.

Item strages & submersio magna de O-dympcies & aliorum Hibernicorum in aqua de Barrow per Anglicos, Comite Kildariæ eos validè persequente.

Item magna præda animalium diuersorum generum qualis non fuerat visa in partibus Lageniæ per dictum dominum Thomam Episcopum Herefordensem Iustitiarium Hiberniæ cum adiutorio Anglicorum eiusdem terræ capitur ab Hibernicis in partibus de Odrone in fine mensis Februarij.

MCCCXL. *Dictus Episcopus Herefordensis & Iustitiarius Hiberniæ per Regem vocatus redit in Angliam decimo die Mensis Aprilis, Fratre Rogero Outlawe priore de Kilmaynan in loco suo dimisso. Iem obijt dominus Rogerus Outlawe Prior de Kylmainan, ac Iustitiarius & Cancellarius dictæ terræ* XIII. *die mensis Februarij. Item Rex Angliæ concessit Iohanni Darcy officium Iustitiarij Hiberniæ ad totam vitam suam.*

MCCCXLI. *Dominus Iohannes Moris Miles venit Iustitiarius Hiberniæ mense Maij, tenens locum Iohannis Darcy in terra prædicta.*

Item prodigium subsequens admirandum, & nostris retrò seculis inauditum contigit in Comitatu Leicestriæ, vbi quidam vir iter faciens in publica strata vnum par chirothecarũ reperit aptum suis vsibus vt credebat, quas suis manibus imponens illicò loco loquelæ humanæ more canino latratus mirabiles proferebat, & ex tunc per eundem Comitatum senes & adulti ac mulieres tanquam canes magni, paruuli verò tanquam catuli elatrarunt: peste igitur illa perdurante apud aliquos per XVIII. *dies, apud alios per mensem, apud quosdam per duos menses. Pestis etiam prædictæ Comitatus alios vicinos intrauit, & populum pari modo latrare coegit. Item Rex Angliæ omnia per eum & patrem suum collata modo quocunque quibuscunq; personis Hiberniæ tam libertates, quàm terras & alia bona reuocauit, ob quorum reuocationem magna briga orta fuit in terra, & à manibus Regis Angliæ terra Hiberniæ in puncto perditionis extitit.*

Item Commune Parlamentum Hiberniæ de consilio Regis mense Octobris extitit ordinatum. Ad idem Parlamentum Mauritius filius Thomæ Comes Desmondiæ non peruenit, ante quod tempus nunquam inter Anglicos in Anglia ortundos, & Anglicos in terra Hiberniæ oriundos, ita nobilis & manifesta diuisio habebatur. Maiores insuper Ciuitatum regalium eiusdem terræ vnà cum nobilioribus dictæ terræ vniuersis vnanimes existentes habito consilio deliberato in cæteris conclusionibus decreuerunt, & statuerunt Parlamentum Commune Kilkenniæ mense Nouembri ad vtilitatem & profectum regis & præfatæ terræ, consilio Iustitiarij & regalium prædictorum irrequisito penitùs in hac parte. Iustitiarius autem & cæteri ministri regis ad idem Parlamentum Kilkenniæ accedere nullatenus persumpserunt. Maiores igitur terræ pernotati vnà cum Maioribus ciuitatum ordinauerunt de solempnibus nuncijs regi Angliæ quantotius destinandis pro statu terræ releuando & conquerendo de eius ministris in Hibernia, de iniquo & iniusto regimine eorundem, & non de cætero tolerarent quòd terra Hiberniæ per suos ministros more solito regeretur conqueruntur pro parte de prædictis ministris per quæstiones.

Quomodo terra plena guerris, regi possit ab illo qui bellorum ignarus.

Quomodò

Quomodò Minister Regis breui tempore ad magnas opes venire posset.

Quomodò Rex ex Hibernia non factus ditior.

MCCCXLII. XI. *die Octobris Luna vndecima existente, visæ sunt Dubliniæ duæ Lunæ benè ante diem in firmamento à multis viris: quarum vna fuit iuxta cursum naturæ in Occidente & clara: alia verò ad quantitatem vnius rotundi panis tenui modicum luce splendens in Oriente existebat.*

MCCCXLIII. *Vicus Sancti Thomæ Dubliniæ comburitur cum igne proprio in festo sancti Valentini Martyris.*

Item XIII. *die mensis Iulij dominus Radulphus Vfford cum sua conserte Comitissa Vltoniæ venit Capitalis Iusticiarius Hiberniæ, in quorum ingressu aura pulchra in aeris intemperiem subitò mutatur, ac exinde imbrium abundantia, & tempestatum effluentia vsque ad vitæ suæ exitum copiosè sequebatur. Nullus suorum prædecessorum temporibus retroactis sibi, proh dolor, extitit comparabilis. Hic enim Iustitiarius Iustitiariæ officium gerens, populi terræ Hiberniæ extitit inuasor, Clericorum, Laicorum, diuitum & pauperum bonorum deprædator, sub colore boni multorum defraudator. Iura ecclesiæ non obseruans, legem regni non custodiens, Indigenis iniurias irrogans, paucis ac nullis iustitiam tribuens, indigenis, paucis duntaxat exceptis, totaliter diffidens. Hæc & alia faciens, & attemptans suæ consortis consilio ductus.*

Item dictus Iustitiarius ingrediendo Vltoniam mense Martij per passum qui vocatur Emerdullan, insultum grauem passus est à Maccartan ibidem, qui quidem Maccartan cum dicto Iusticiario congressus eundem Iustitiarium pannis, pecunia, vtensilibus, argenteis, & equis inibi spoliauit, & quosdam de suis interfecit. Demum autem Iustitiarius antedictus cum adiutorio Ergalensium victoriæ potitus, Vltoniæ partes intrauit.

MCCCXLV. *Septimo die Iunij Commune Parlamentum Dubliniæ, ad quod non venit dominus Mauritius filius Thomæ Comes Desmoniæ.*

Item dominus Radulphus de Vfford Iustitiarius Hiberniæ post festum beati Iohannis Baptistæ cum vexillo Regis, sine tamen assensu Maiorum terræ leuato contra dominum Mauritium filium Thomæ Comitem Desmondiæ ad Momoniam progreditur, & ibidem terras Comitis in manu regis cepit, & terras captas pro vno certo annuali D. Regi portando alijs contulit. Item dictus Iustitiarius in partibus Momoniæ existens, D. Will. Burton Militi duo Breuia contulit, quorum vnum dictus Williel. traderet D. Maurtio filio Thomæ Comiti Kildariæ, in quo continebatur, quod sub forisfactura omnium terrarum suarum manu forti in Regis, & sui auxilium celeriter ad eum veniret, in alio autem Breui continebatur quod dictus D. Wil. dictum Comitem Kildariæ caperet, & captum incarceraret. Dominus autem Williel. videns quòd hoc effectui debito per se non poterat mancipari, verbis subornatis suasit dicto Comiti cùm fuerat parando se cum suo exercitu & exercitum colligendo ad Iustitiarium antedictum, quòd ante suum recessum de terra ad consilium Regis Dubliniæ veniret, & de vnanimi eorundem consilio sic ageret, quoad terrarum suarum custodiam in sua absentia, quòd si ex tunc mali aliquid terris suis ipso absente contigeret, consilio Regis imputaretur & non sibi. Comes igitur fidem adhibens verbis Militis, & nullam proditionem existimans in hac parte, disposuit se Dubliniam venire. Quo igitur veniente, & proditionem penitùs ignorante, ac ipso in Scaccario vnà cum alijs de consilio Regis in consilio sedente, subitò proditiosè per dictum Willielmum attachiatur, seu arrestatur, & capitur, & ad castrum eiusdem Ciuitatis ducitur & incarceratur.

Item dictus Iustitiarius partes O comill in Momonia, & partes Keringiæ cum suo exercitu intrauit, & duo Castra Comitis Desmondiæ, scilicet Castrum de Tnyskysty, & Castrum de Insula *proditiosè cepit, in quo Castro de* Insula *capto, milites in eodem Castro existentes, videlicet Dominus Eustatius le Poer, Dominus Willielmus Graunt, Dominus Iohannes Cotterell, primò tracti, deinde suspensi mense Octobris morti exponuntur.*

Item dictus Comes Desmondiæ cum quibusdam alijs de suis militibus per dictum Iustitiarium exulauit. Hijs igitur factis Iustitiarius antedictus de Momonia cum suis ad suam consortem tunc prægnantem apud Kylmainan quæ est iuxta Dubliniam commorantem, redsens mense Nouembris, propter illa quæ contra Laicos extiterant facta, quosdam illorum indictando & incarcerando, & eos bonis suis spoliando; verùm viros Ecclesiasticos tam sacerdotes quàm Clericos nonnullos indictari fecit, & indictatos cepit & incarcerauit, ac pecuni-

as non modicum ab ijsdem extorsit. Item concessiones terrarum illarum, videlicet quos prius eis de terris priuauerat, & diuersis contulit, vt dictum est, necnon & literas super concessis; sic per eum & sigillo Regio sigillatas reuocauit, & illas ab eis accepit, & fregit, & penitus adnullauit.

Item omnes manucaptores dicti Comitis Desmoniæ numero viginti sex, tam Comitum quam Baronum & Militum & aliorum de terra quorum nomina sunt, videlicet, Dominus Willielmus de Burgo Comes Vltoniæ, Dominus Iacobus le Botiller Comes Ormondiæ, Richardus le Tuyt Miles, Eustatius le Pouer Miles, Geraldus de Rupe forti Miles, Ioannes filius Roberti le Pouer Miles, Robertus de Barry Miles, Mauritius filius Geraldi Miles, Ioannes de Wellesley Miles, Walterus Lenfaunt Miles, Rogerus de la Rokell Miles, Henricus Trabarn Miles, Rogerus le Pouer Miles, Ioannes Lenfaunt Miles, Rogerus le Pouer Miles, Matheus filius Henrici Miles, Richardus le Wallis Miles, Edwardus de Burgo Miles, filius Comitis Vltoniæ, David de Barry, Willielmus filius Geraldi, Fulco de Fraxinis, Robertus filius Mauritij, Henricus de Barkley, Ioannes filius Georgij de Rupe, Thomas de Lees de Burgo: non obstantibus laboribus & proprijs expensis quas illorum aliqui cum dicto Iustitiario in sua guerra fecerant, dictum Comitem Desmoniæ persequendo, eorum terris sententialiter priuauit & exhæredauit, & Regis voluntati eorum corpora applicauit, quatuor personis de prædictis duntaxat exceptis, quarum nomina personarum sunt, viz. Willielmus de Burgo Comes Vltoniæ, Iacobus Le Botiller Comes Ormondiæ, &c.

MCCCXLVI. *Dominica in Ramis quæ fuerat* IX. *die mensis Aprilis Dominus Radulphus Vfford Iustitiarius Hiberniæ prænominatus viam vniuersæ carnis ingressus est. In cuius morte in mæstitiam non modicam sui vertuntur, vna cum vxore de cuius etiam morte turba fidelium lætatur Hiberniæ, ac clerus & populus terræ præ gaudio ex vita migrationis suæ cum cordis tripudio solempne festum celebrat Pascale. In cuius morte cessauerunt flumina, aeris intemperies, vnumque filium Domini laudat plebs fideliter. Mortuo igitur Iustitiario in capsa plumbea fortiter incluso, Comitissa antedicta cum Thesauro inter tam sanctas reliquias minimè collocando cum diro dolore cordis viscera in Anglia humanda transtulit. Et denuo mense Maio Mensis etiam eiusdem dieque secundo heu prodigium non dubium à superis miraculosè monstratum, illa enim quæ prius in suo ingressu cum signis regijs magnaque constipata milicia per plateas Dubliniæ in Ciuitatem eandem gloriosè est ingressa ex indeq; cum suis licet breui tempore vitam ducens regiam in Hiberniæ Insula in eiusdem vero egressu è Ciuitate clàm per posticum castri vulgi clamorem vitans super debitis contractis cum signis mortis, meroris, & tristitiæ ad propria remeando cum suis ingloriè mæstéque est regressa.*

Item post mortem prædicti Iustitiarij Hiberniæ Dominus Rogerus Darcy de assensu & ordinatione regalium & aliorum eiusdem terræ in iustitiarij officio ad tempus ponitur. Item Castrum de Ley & Kylmehede per Hibernicos capiuntur & comburuntur mense Aprilis.

Item Dominus Ioannes Mauritius venit capitalis Iustitiarius Hiberniæ XV. *die Maij. Item magna strages Anglicorum Vrgalensium numero* CCC. *ad minus facta est per Hibernicos Vltonienses mense Iunij. Item dictus Dominus Ioannes Mauritius Iustitiarius Hiberniæ ab officio Iustitiariæ per Regem Angliæ deponitur, & Dominus Walterus de Bermingham in eodem officio per Regem antedictum instituitur, & Hiberniam mense Iunij modicum post prædictam stragem commissam cum officio ingreditur. Item Domino Mauritio filio Thomæ Comiti Desmoniæ tuitio pacis ad certum tempus per Regem Angliæ conceditur. Qua concessa in vigilia Exaltationis sanctæ Crucis de portu de Yoghill vna cum sua vxore & duobus filijs ad partes transfert Anglicanas, vbi suam iustitiam super iniurijs sibi illatis per Dominum Radulphum de Vfford quondam Iustitiarum Hiberniæ superiùs annotatum corditer prosequitur.*

Item dicto Comiti de mandata & ordinatione Domini Regis Angliæ à suo ingressu in Angliam XX. *solidi indies conceduntur & pro suis expensis indies etiam conferuntur.*

Item dominus Walterus de Bermingham Iustitiarius Hiberniæ, & dominus Mauritius filius Thomæ Comes Kildariæ insurgunt mense Nouemb. contra O-Morda & suos complices qui castra de Ley & Kilmehede combusserunt, & eum & suos complices sic strenuè cum suis exercitibus, persequuntur, aggrediuntur & inuadunt spoliando, necando, & comburendo, quod dictus O Morda & sui complices licet ibidem in principio cum multis millibus Hibernicorum forter eijsdem & pertinaciter restitissent, post multa vulnera, & magnam stragem factam in

fine

fine compulsi se Regis gratiæ subiecerunt, & dicti Comitis voluntati se totali terreddiderunt.

MCCCXLVII. *Comes Kildariæ cum Baronibus & Militibus transfert se mense Maij ad Regem Angliæ in sui adiutorium tunc apud Caleys in obsidione existentem.*

Item villa de Caleys per inhabitantes eodem quarto die Mensis Iunij Regi Angliæ redditur.

Item Walterus Boneuile, Willielmus Calfe, & Wilhelmus Welesley, & multi alij nobiles & validi tam de Anglia quam de Hibernia & Wallia in infirmitate apud Caleys obierunt.

Item Mac-Murgh, videlicet, Donaldus Mac-Murgh *filius Donaldi Arte* Mac-Murgh. *Rex Lageniæ quinto die mensis Iunij per suos proditiosè interficitur.*

Item Mauritius filius Thomæ Comes Kildariæ a Rege Angliæ Miles instituitur.

Item dictus Comes filiam Domini Bartholomæi de Burwashe in vxorem duxit.

Item villa de Monaghan quæ vocatur Monaghan, cum tota patria adiacente in festo beati Stephani Martyris ab Hibernicis comburitur.

Item obijt Domina Ioanna Fitz Leones quondam vxor Domini Simonis Geneuile sepulta in Conuentu fratrum Prædicatorum apud Trym secundo Aprilis.

MCCCXLVIII. *Et anno* XXII. *Regis Edwardi* III. *prima pestilentia & maxime in Hibernia quæ inceperat antea in alijs terris.*

Item isto Anno Dominus Walterus Bermingham Iustitiarius Hiberniæ intrauit Angliam & dimisit Ioannem Archer Priorem de Kilmaynan loco suo suum locum tenentem. Et iterum reuertitur eodem anno Iustitiarius vt priùs, & Rex contulit Baroniam de Kenlys eidem Waltero quæ est in in Osseria, quia duxit grandem exercitum contra Comitem Dessemoniæ cum Radulpho Vfford vt priùs scribitur, quæ Baronia quondam fuit Domini Eustathy le Pouer qui fuit tinctus & suspensus apud Castrum de Iland. Baronia de Kenlys.

MCCCXLIX. *Cessit Dominus Walterus de Bermingham optimus Iustitiarius Hiberniæ, ab officio Iustitiariæ, cui successit Dominus de Carew Miles ac Baro.*

MCCCL. *Et Anno Regis prædicti Edw.* XXV. *Dominus Thomas Rokesby Miles factus est Iustitiarius Hiberniæ.*

Item obijt Dominus Walterus Bermingham Miles, quondam optimus Iustitiarius Hiberniæ in vigilia S. Margaretæ virginis in Anglia.

MCCCLI. *Obijt Kenwricus Sherman quondam Maior Ciuitatis Dubliniæ sepultus sub Campanili fratrum Prædicatorum eiusdem Ciuitatis quod Campanile ipse erexit, & vitreauit fenestram in capite chori, & fieri fecit tectum Ecclesiæ & multa bona. In eodem Conuentu die* VI. *Martij obijt, in fine vitæ suæ condidit testamentum suum ad valorem trium mille Marcarum, & legauit multa bona Ecclesiæ sacerdotibus, religiosis, & secularibus per* XX *milliaris circa Ciuitatem.*

MCCCLII. *Dominus Robertus Sauage miles in Vltonia incepit ædificare noua castella in diuersis locis ac in Manerijs suis, qui dum construeret dixit filio suo & hæredi Domino Henrico Sauage, Faciamus muros fortes circa nos ne forte veniant Hibernici & tollent nostrum locum & gentem nostram destruant & erimus in opprobrium cunctis gentibus. Tunc respondit filius vbicunq; fuerunt homines fortes ibi est castrum & castellum, iuxta illud: filij castrametati sunt, id est, fortes ordinati sunt ad bellum, ideo semper ero inter fortes homines sic ero in Castro, & dixit in vulgari melius est Castrum de* Bones *quàm de* Stones, *scilicet, de ossibus quàm de lapidibus, Et tunc pater cessauit ab operibus ira commotus, & iurauit quod nunquam construeret ex lapidibus & cemento, sed teneret bonam domum & familiam multam nimis, & prophetauit de futuro quod filij dolerent & lugerent: quod & factum est, nam Hibernici destruxerunt totam illam patriam propter defectum Castellorum.*

MCCCLV. *Et eiusdem Regis* XXX. *Dominus Thomas Rokesby Miles cessit ab officio Iustitiarij* XXVI. *die Iulij, cui successit Mauritius filius Thomæ Comes Desmoniæ & durauit in officio vsque ad mortem.*

Item in die conuersionis Sancti Pauli obijt idem Dominus Mauritius filius Thomæ in Castro Dubliniæ Iustitiarius Hiberniæ non sine magno suorum mærore, & aliorum omnium pacem diligentium Hibernicorum timore & tremore, primò sepultus in choro Prædicatorum Dubliniæ, vltimò humatus in Conuentu Prædicatorum de Traly. Hic iustus erat in officio in

in tantum quòd suspendebat suos consanguineos pro furto & rapina, & malefactis eorum sicut alienos, & benè castigans Hibernicos.

MCCCLVI. *Et prædicti Regis* XXXI. *iterum dominus Thomas Rokesby factus est Iusticiarius Hiberniæ, qui bene expugnauit Hibernicos, & bene soluebat pro victualibus suis, & dixit, Ego volo comedere & bibere de vasis ligneis, tamen & soluere aurum & argentum pro victu & vestitu & stipendiarijs.*

Eodem anno obijt idem dominus Thomas Iustitiarius Hiberniæ in Castro de Kylka.

MCCCLVII. *Et eiusdem Regis* XXXII. *dominus Almaricus de Sancto Amando factus est Capitalis Iustitiarius Hiberniæ, & eam intrauit.*

Isto tempore incepit magna controuersia inter magistrum Richardum Fitz-Ralfe Archiepiscopum Ardmachanum, & quatuor Ordines Mendicantium, sed tandem prævaluerunt fratres imposito silentio Ardmachano per Papam.

MCCCLVIII. *Et anno eiusdem Regis* XXXIII. *dominus Almaricus de Sancto Amando Iustitiarius Hiberniæ transiuit in Angliam.*

MCCCLIX. *Et anno eiusdem Regis* XXXIIII. *Iacobus le Botiller Comes Ormondiæ factus est Capitalis Iustitiarius Hiberniæ.*

Item obijt domina Ioanna de Burgo Comitissa de Kildaria in die Sancti Georgij, sepulta in Ecclesia fratrum Minorum de Kildare, iuxta dominum Thomam filium Iohannis Comitem Kildariæ consortem suum.

MCCCLX. *Et prædicti Regis anno* XXXV. *obijt Magister Richardus filius Radulphi Archiepiscopus Armachanus in Hannonia* XVI. *Decembris, cuius ossa per venerabilem patrem Stephanum Episcopum Midiæ in Hibernia dilata sunt ad recondendum in Ecclesia S. Nicholai de Dundalk, vnde fuit oriundus, sed in dubium est aliquibus si sunt ossa illius vel alterius.*

Item obijt dominus Robertus Sauage Miles strenuus in Vltonia, qui cum paucis Anglicis vno die interfecit de Hibernicis tria millia iuxta Antrim, sed antequam transiuit ad illud bellum ordinauit dari vnicuique Anglico vnum bonum haustum seu potum de vino, seu ceruitia, quibus dolijs plenis habundabat, & residuum seruauit vsque ad aduentum suorum, & occidi fecit oues & boues, volatilia, altilia, volucres cœli & ceruos de venatione, vt essent parata victoribus redeuntibus de prælio quicunque essent. Qui dixit: Opprobrium esset sibi, si hospites venirent, & non haberent quod manducarent & biberent, sed Deo dante victoriam Anglicis, omnes inuitauit ad cœnam, & lætati sunt cum gratiarum actione, & dixit, Deo gratias ago quia sic meliùs seruare est quàm effundere in terram, vt quidam consuluerunt. Sepultus est in Conuentu Fratrum Prædicatorum de Conlrath iuxta aquam de Banne.

Item Comes Ormondiæ Iustitiarius Hiberniæ intrauit Angliam, in cuius loco Mauritius filius Thomæ Comes Kildariæ factus est Iustitiarius Hiberniæ per Cartam & Commissionem vt patet omnibus ad quos literæ peruenirent, salutem: Sciatis quòd commisimus dilecto & fideli nostro Mauritio Comiti de Kildare, officium Iustitiarij nostri terræ nostræ Hiberniæ, & terram nostram Hiberniam cum castris & omnibus pertinentijs suis custodiendam quàmdiu nobis placuerit, recipiendo ad Scaccarium nostrum Dubliniæ per annum quamdiu in officio illo sic steterit, quingentas libras, pro quibus officium illud & terram custodiet, & erit vicesimus de hominibus ad arma cum tot equis coopertis continuè durante commissione nostra supradictâ. In cuius rei testimonium &c. Datus per manus dilecti nostri in Christo Fratris Tho. de Burgey Prioris hospitalis Sancti Iohannis Ierusalem in Hibernia, Cancellarij nostri Hiberniæ, apud Dubliniam XXX. *die Martij anno anno regni nostri* XXXV. *Item iterum venit Iacobus le Botiller Comes Ormondiæ de Anglia in Hiberniam Iustitiarius Hiberniæ vt priùs, cui cessit Comes Kildariæ ab officio Iustitiariæ.*

MCCCLXI. *Leonellus Comes Vltoniæ iure hæreditario vxoris suæ, & filius domini Regis Angliæ venit in Hiberniam Tenens locum Domini Regis, & applicuit apud Dubliniam in octaua die beatæ virginis natiuitatis, ducens secundùm vxorem suam Elizabetham filiam & hæredem domini Willielmi de Burgo Comitis Vltoniæ.*

Eodem anno pestilentia erat secunda. Obierunt in Anglia Henricus Dux Lancastriæ, Comes Marchiæ, Comes Northamptoniæ.

Item VI. *Ianuarij Mauricius Doneref Ciuis Dubliniæ sepultus cœmeterio Prædicatorum eiusdem Ciuitatis, cui Conuentui dedit* XL. *libras ad vitriandam Ecclesiam.*

Item

Item obierunt Domina Iohanna Flemyng uxor domini Galfridi Treuers, & domina Margareta Bermingham vxor domini Roberti Preston in Vigilia Sanctæ Margaretæ, sepultæ in Conuentu Prædicatorum de Drogheda.

Item dominus Walterus Bermingham iunior obijt in die sancti Laurentij, qui diuisit hæreditatem suam sororibus, quarum vnam partem accepit prædictus Preston.

Item prædictus dominus Leonellus postquam intrauerat Hiberniam & requieuit paucis diebus, fecit guerram cum O-Brynne, & clamauit in exercitu suo quòd nullus natiuus de Hibernia appropinquaret exercitui suo, & centum de Stipendiarijs suis interfecti sunt. Statim hoc videns Leonellus, redegit totum populum tam de Anglia, quàm de de Hibernia, in vnum, & benè prosperatur, & fecit plura bella circumquaque cum Hibernicis cum adiutorio Dei & populi Hiberniæ, & fecit plures Milites de Anglia & de Hibernia, inter quos Robertum Preston, Robertum Holywood, Thomam Talbot, Walterum Cusak, Iacobum de la Hyde, Ioannem de Fraxinis, Patricium & Robertum de Fraxinis, & plures alios.

Item transtulit Scaccarium de Dublinia ad Carlagh, & dedit quingentas libras ad murandam eandem villam.

Item in festo sancti Mauri Abbatis fuit ventus vehemens, pinnacula, camina, & cætera eminentiora, arbores vltra numerum, & campanilia diuersa, & campanile fratrum Prædicatorum quassauit & ad terram proiecit.

MCCCLXII. *Et anno eiusdem Regis Edw.* XXXVI. *Ecclesia Sancti Patricij Dubliniæ igne negligentia crematur* VIII. *Aprilis.*

MCCCLXIIII. *Et anno prædicti Regis* XXXVIII. *Dominus Leonellus Comes Vltoniæ* XXII. *Aprilis intrauit Angliam & dimisit suum Iusticiarium Hiberniæ Comitem Ormondiæ, & redijt idem Leonellus Dux Clarentiæ* VIII. *die Decembris.*

MCCCLXV. *Et anno prædicti Regis* XXXIX. *idem Leonellus Dux Clarentiæ transiuit in Angliam, relinquens post se Dominum Thomam Dale Militem suum custodem ac Iustitiarium Hiberniæ.*

MCCCLXVII. *Incepit magna guerra inter lez Berminghams de Carbry & homines de Midia, quia magna latrocinia fiunt in Midia per prædictos. Tunc dominus Robertus de Preston Miles, principalis Baro Scaccarij posuit magnam custodiam in castro de Carbry, & multum expendebat contra inimicos Regis defendendum ius suum ratione vxoris suæ.*

Item Geraldus Fitz-Morice Comes Desmoniæ factus est Iusticiarius Hiberniæ.

MCCCLXVIII. *Et anno eiusdem Regis* XLII. *in Carbrya post quoddam Parlamentum finitum inter Hibernicos & Anglicos, capti sunt Frater Thomas Burley Prior de Kylmainan Cancellarius Regis in Hibernia, Iohannes Fitz-Reicher Vicecomes Midiæ, dominus Robertus Tirell Baro de Castle-Knok, cum multis alijs per lez Berminghams & alios de Carbry, tunc Iacobus de Bermyngham, qui tentus erat in castro de Trym in manicis ferreis, ac compedibus tanquam proditor pro prædicto Cancellario in castro liberatur, cæteri fecerunt redemptionem.*

Item Ecclesia Sanctæ Mariæ de Trym igne comburitur eiusdem monasterij.

Item in vigilia Sancti Lucæ Euangelistæ Dominus Leonellus Dux Clarentiæ obijt apud Albe in Pyemont, primò sepultus in Ciuitate Papiæ iuxta sanctum Augustinum Doctorem, deinde sepelitur apud Clare in Conuentu Augustinensium in Anglia.

MCCCLXIX. *Et anno prædicti Regis* XLIII. *dominus Willielmus de Windesore Miles strenuus in armis & animosus* XI. *die Iulij venit in Hiberniam tenens locum domini Regis, cui cessit Geraldus filius Mauricij Comes Dessmoniæ ab officio Iustitiariæ.*

MCCCLXX. *Et anno eiusdem Regis* XLIIII. *incepit tertia pestilentia & maxima in Hibernia, in qua multi Nobiles, Ciues, & pueri quasi infiniti obierunt.*

Eodem anno Geraldus filius Mauricij Comes Dessmoniæ, dominus Iohannes Nicholaus, & dominus Thomas filius Iohannis, & alij multi Nobiles iuxta monasterium de Magio, scilicet Maij *in Comitatu Limerici per O-Breen, & Mac-Comar de Thomond,* VI. *Iulij capti sunt, & plures interfecti, propter quod dictus locum tenens transiuit ad Limericum vt defenderet Momoniam dimittendo guerras super O-Tothiles & cæteros Hibernicos in Lagenia.*

Isto anno obierunt dominus Robertus Terell Baro de Castle-Knok, domina Scolastica Houth vxor eius, & filius & hæres eorum; propter quod Ioanna Terell & Matildis Terell sorores dicti Roberti diuiserunt hæreditatem inter se.

Item

Item obierunt Dominus Simon Fleming Baro de Slane, & Dominus Ioannes Cusak Baro de Colmolyn, & Iohannes Tailour quondam Maior Dublinia vir diues, & potens in pecuniis.

Quæ sequuntur descripta sunt è Chronicis Manuscriptis Henrici de Marleburgh.

MCCCLXXII. *Dominus Robertus de Assheton venit Iustitiarius Hiberniæ*

MCCCLXXIII. *Magna guerra erat inter Anglicos Midiæ & O-fferolle, in qua guerra multi de vtraque parte fuerunt occisi.*

Item in Maio Dominus Iohannes Husse Baro de Galtrim, Ioannes Fitz-Richard Vicecomes Midiæ, & Willielmus Dalton in Kynaleagh per Hibernicos fuerunt occisi.

MCCCLXXV. *Obiit Thomas Archiepiscopus Dubliniæ, & anno eodem consecratio Roberti de Wikford Archiepiscopi Dubliniæ.*

MCCCLXXXI. *Obiit Edmundus de Mortuo-Mari locum tenens Dominini Regis in Hibernia Comes Marchiæ & Vltoniæ apud Cork.*

MCCCLXXXIII. *Pestilentia magna fuit in Hibernia.*

MCCCLXXXV. *Ruina pontis ciuitatis Dubliniæ.*

MCCCXC. *Obiit Robertus de Wikford Archiepiscopus Dubliniæ.*

Eodem anno translatio Roberti de Waldeby Archiepiscopi Dubliniæ ordinis fratrum Augustini.

MCCCXCVII. *Translatio & obitus fratris Richardi de Northalis Archiepiscopi Dubliniæ Ordinis Carmelitarum.*

Eodem etiam anno consecratio Thomæ de Cranley Archiepiscopi Dubliniæ.

Eodem anno Dominus Th. de Burgo & Dominus Walterus de Bermingham interfecerunt DC. *de Hibernicis & Capitaneum eorum Mac-Conn.*

Lege Rogerus. *Item Comes Marchiæ * Edmundus locum tenens Hiberniæ deuastauit patriam O-Bryn, cum adiutorio Comitis Ormondiæ, & fecit ibidem* VII. *milites viz. Christopherum Preston Ioannem Bedeleu, Edmundum Loundris, Ioannis Loundris, Willielmum Nugent, Walterum de la Hyde, & Robertum Cadell, ad expugnationem fortissimi Manerii dicti O-Bryn.*

MCCCXCVIII. *In diem Ascensionis Domini lez Tothillis interfecerunt* XL. *Anglicos inter quos Iohannes filius Willielmi Thomas Talbot & Thomas Comyn occisi fuerunt, quod dolendum est.*

Anno eodem in die Sanctæ Margaretæ, Rogerus Comes Marchiæ locum tenens Regis per O-Bryn & alios Hibernicos Lagenienses, cum aliis pluribus occisus est apud Kenlis in Lagenia, in cuius loco & officio eligitur Rogerus de Grey in Iustitiarium.

Anno eodem in festo Sancti Marci Papæ & Confessoris aduenit Dubliniam nobilis Dux de Sutherey locum tenens Regis in Hibernia, cum quo tunc venit magister Thomas Cranley Archiepiscopus Dubliniæ.

MCCCXCIX. *Regis Richardi* XXIII. *Die Dominica in crastino S. Petronillæ virginis applicuit, idem Richardus illustris Watirfordiæ cum* CC. *nauibus.*

Item feria sexta post apud Ford in Kenlys in Comitatu Kildariæ fuerunt occisi de Hibernicis ducenti pro Ienicho & alios Anglicos, & in crastino Dublinenses irruerunt in patriam O-Brin & interfecerunt de Hibernicis XXXIII. & LXXX. *viros, & mulieres cum paruulis ceperunt.*

Anno eodem idem Rex venit Dubliniam quarto Calendarum Iulii, vbi audiuit rumores de aduentu Henrici Ducis Lancastriæ in Angliam & citò transiuit ipse in Angliam.

MCCCC. *Regis Henrici Quarti primò in Pentecostem apud Stranford in Vltonia Constabularius Castri Dubliniæ & diuersi alii cum Scotis obuiauerunt mutuò in mare, vnde dolendum est, quia plures Anglici interfecti & submersi ibidem fuerunt.*

MCCCCI. *Regis Henrici Quarti* II. *Dominus Iohannes Stanley locum tenens Domini Regis mense Maii transiuit in Angliam relinquens in loco suo Dominum Willielmum Stanley.*

Anno

Anno eodem in vigilia Sancti Bartholomæi intrauit Hiberniam Stephanus Scrope, locum tenens Domini Thomæ Lancastriæ locum tenentis Domini Regis Hiberniæ.

Anno eodem in die S. Breuij Episcopi & Confessoris, applicuit Dominus Thomas Lancastriæ filius Regis Dubliniæ locum tenens Hiberniæ.

MCCCCII. *Quinto Iulij dedicatio Ecclesiæ fratrum Prædicatorum Dubliniæ per Archiepiscopum Dubliniæ, & eodem die Maior Dubliniæ, videlicet, Ioannes Drak cum ciuibus & patriotis in bello interfecerunt de Hibernicis iuxta Bree* CCCCXCIII. *Hibernensium debellatores.*

Anno eodem mense Septembris Parlamentum fuit Dubliniæ quo tempore in Vrgalia Dominus Bartholomæus Verdon Miles, Iacobus White, Stephanus Gernon & sui complices occiderunt Iohannem Dowdal Vicecomitem Louith.

MCCCCIII. *Regis Henrici* IIII. *mense Maij in Vltonia occisi sunt Dominus Walterus Beterley Miles strenuus, tunc Seneschallus ibidem & cum eo* XXX. *homines.*

Anno eodem circa festum S. Martini transiuit in Angliam Tho. filius Regis relinquens Stephanum Seroop suum Deputatum, qui & ipse in primo Quadragesimæ recessit in Angliam & tunc Magnates terræ eligerunt Comitem de Ormondia in Iustitiarium Hiberniæ.

MCCCCIIII. *Regis Henrici* V. *obijt Ioannes Cowlton Archiepiscopus Ardmachanensis* V. *Maij; cui successit Nicholaus Fleming.*

Anno eodem in die Sancti Vitalis nostris incepit Parlamentum Dubliniæ coram Comite Ormondiæ tunc Iustitiario Hiberniæ, vbi confirmata fuerunt statuta de Kilkenni, Dubliniæ, & carta pro Hibernia.

Anno eodem Patricius Sauage in Vltonia per Mac-Kilmori dolosè occisus est, & Richardus frater eius datus fuit in obsidem, qui in carcere interfectus fuit post solutionem CC. *Marcarum.*

MCCCCV. *Regis Henrici* VI. *in mense Maij captæ sunt tres Galliæ Scoticæ, duæ apud Greene-Castle, & vna apud Dalkay cum capitaneo Thoma Mac-Colagh.*

Anno eodē mercatores de Drogheda intrauerunt Scotiam, & acceperunt obsides & spolia.

Anno eodem Stephanus Scrope transfretauit in Angliam, relinquens Comitem Ormondiæ Iustitiarium Hiberniæ.

Anno eodem in mense Iunij Dublinenses intrauerunt Scotiam apud Sanctum Ninianum, & strenuè fecerunt. Deinde intrauerunt Walliam, & ibidem multa damna fecerunt Wallis, & asportauerunt feretrum Sancti Cubij vsque ad Ecclesiam Sanctæ Trinitatis Dubliniæ.

Anno eodem in vigilia Beatæ Virginis obijt Iacobus Boteler Comes Ormondiæ multis dolentibus apud Baliganran in officio Iustitiarij, cui successit Geraldus Comes Kildariæ.

MCCCCVI. *Regis Richardi* VII. *in die corporis Christi Dublinenses cum patriotis viriliter vicerunt Hibernicos alios occidendo, & ceperunt vexilla duo, & capita diuersa portauerunt Dubliniam.*

Anno eodem Prior de Conal in planitie de Kildare pugnauit fortiter & vicit CC. *Hibernicos bene armatos, aliquos occidendo, aliquos fugando & in societate Prioris non fuerunt nisi* XX. *Anglici, & sic Deus respicit sperantes in se.*

Anno eodem post festum Michaelis intrauit Hiberniam Seroop, deputatus Iustitiarius Domini Thomæ filij Regis Locum tenentis Hiberniæ.

Anno eodem obijt Innocentius VII. *cui successit Gregorius Papa.*

Anno eodem Parlamentum fuit Dubliniæ in festo Sancti Hilarij, quod finitur apud Trym in Quadragesima, & Meilerus Brimingham interfecit Catholum O-Conghir in fine Februarij, & obijt Dominus Galfridus Vaulx miles nobilis in Comitatu Carlagh.

MCCCCVII. *Quidam falsissimus Hibernicus vocatus Mac-Adam Mac-Gilmori qui causa fuit destructiones* XL. *Ecclesiarum, qui non fuit baptizatus, & ideo vocatus fuit Corbi, cepit Patricium Sauage, & recepit duo millia marcarum, & postea eum interfecit cum fratre suo Richardo.*

Eodem anno in festo exaltationis Sanctæ Crucis, Stephanus Scroope deputatus Thomæ filij locum tenentis Hiberniæ cum Comitibus Ormondiæ & Desmondiæ, ac Priore de Kylmaynan cum pluribus Midensibus a Dublinia hostiliter inuasit terram Mac-Murgh, vbi Hibernici habuerunt meliorem partem campi prima parte diei: sed postea viriliter per dictos capitaneos repercussi fuerunt, vbi O-Nolam cum filio, & alij capti fuerunt. Sed tunc ibidem audientes quod

quod lez Burkeins *&* O-Kerol *in Com. de* Kilkenny *multa mala per duos dies fecerunt, subitò ex tunc laxatis frenis cum omni festinatione vsque villam de* Callan *equitauerunt, & ibidem dictis inimicis occurrentes, eos viriliter in fugam conuerterunt.* O-Kerol, *& ad numerum* 800. *occiderunt.*

Eodem anno Stephanus Scroope *transfretauit in Angliam, & Iacobus le* Botler *Comes* Ormondiæ *electus est per terram Iustitiarius Hibernia.*

MCCCCVIII. *Dictus Iustitiarius tenuit Parlamentum Dublinia, in quo Parlamento confirmata fuerunt statuta* Kilkenny *&* Dubliniæ, *& Charta concessa sub magno sigillo Angliæ contra* Purueyouris.

Eodem anno in crastino ad vincula Sancti Petri apud Carlingford, *applicuit Dominus Thomas Lancastriæ filius Regis locum tenens Hiberniæ, & in sequenti hebdomada venit Dubliniam, & arrestauit Comitem Kildariæ venientem ad ipsum cum tribus de familia, ac omnia bona sua perdidit per famulos dicti locum tenentis, & eum in Castro Dublinia incarcerauit quousque soluit* CCC. *Marcas.*

Eodem anno in die Sancti Marcelli obijt D. Stephanus Scroope apud Tristeldermot.

Anno eodem dictus dominus Thomas Lancaster apud Kylmainan *vulneratur, & vix euasit mortem; & posteà seruitium regale proclamare fecit apud Rosse. Et post Festum Sancti Hillarij tenuit Parlamentum apud Kilkenny caussa talagij habendi. Et posteà* III. *Idus Marcij transiuit in Angliam dimisso Priore de Kylmainan suo Deputato in Hibernia.*

Isto anno occiditur Hugo Mac-Gilmory *in Cragfergowes in sacrario fratrum Minorum, quam Ecclesiam antea destruxit, & fenestras vitreas propter ferramenta fregit, per quas eius inimici intrauerunt, sz.* Les Sauages.

MCCCCIX. *Regis Henrici* X. *mense Iunij, Ianico de Artoys cum Anglicis interfecerunt de Hibernicis* LXXX. *in Vltonia.*

MCCCCX. XIII. *Iunij incepit Parlamentum Dublinia, & durauit per tres hebdomadas, Priore de Kilmaynan existente Iustitiario.*

Eodem anno X. *Iulij idem Iustitiarius cepit castrum de* Mibracly *de* O-Ferol, *& condidit De* Lamare, *& fuit magna caristia frumenti.*

Anno eodem idem Iustitiarius intrauit terram O-Bryn cum mille & quingentis deturbiculis, id est, Kernis, *de quibus* 800. *recesserunt ad Hibernicos, & nisi fuissent ibidem Dublinenses, fuissent lamentationes & væ, tamen Iohannes Derpatrik ibidem occiditur.*

MCCCCXII. *Circa festum Tiburcij & Valeriani O-Conghir multum malum fecit in Midia Anglicis, capiendo* CLX. *homines.*

Eodem anno O-Doles Miles, & Thomas filius Mauritij Vicecomitis Limrici *occisi sunt alter ab altero.*

Anno eodem IX. *Iunij obijt Robertus Monteyn Episcopus Midensis, cui successit Edwardus Dandisey quondam Archidiaconus Cornubiæ.*

MCCCCXIII. VII. *Octobris applicuit in Hibernia apud* Cloucarfe *Iohannes Stanley locum tenens D. Regis in Hibernia, qui obijt* VI. *Ianuarij apud Atrium Dei.*

Anno eodem post mortem Domini Iohannis Stanley locum tenentis, eligitur in Iustitiarium Hiberniæ Thomas Cranley Archiepiscopus Dubliniæ XI. *Februarij. Parlamentum iterum inceptum Dublinia in crastino Sancti Matthiæ Apostli, & durauit per* XV. *dies, quo tempore Hibernici cremauerunt in diuersis locis, sicut pluries fecerunt temporibus aliorum Parlamentorum, quapropter talagium petitur & non conceditur.*

MCCCCXIIII. *Anglici nostri interfecerunt de Hibernicis, de O-Mordris & O-Dempsijs iuxta* Kilka, *Iustitiario Hiberniæ Thoma Cranley Archiepiscopo Dublinensi existente in Tristeldermot in processione orante cum clericis suis: & famuli sui cum compatriotis prosternebant de Hibernicis centum homines.*

In festo Sanctorum Gordiani & Epimachi confectio seu discumfitura super Anglicos Midenses, *& ibi interficitur Thomas* Maureuard, *Baro de Scrin, & capiuntur Christopherus Flemming, Iohannes Dardys, & plures alij interficiuntur per O-Conghir & Hibernicos.*

In vigilia Sancti Martini applicuit D. Iohannes Talbot Dominus de Furniual locum tenens Hiberniæ apud Dalkay.

MCCCCXV.

MCCCCXV. *Mense Nouembri obijt Robertus Talbot vir nobilis, qui murauit suburbia Kilkenniæ.*

Item post festum omnium Sanctorum obijt frater Patricius Baret Episcopus Fernensis, Canonicus de Kenlis, sepultus ibidem.

MCCCCXVI. *In festo Sanctorum Geruasij & Prothasij nascitur filius Domini* Furniual *apud* Finglasser. *Circa hoc tempus obijt venerabilis Dominus Stephanus* Fleming *Archiepiscopus Ardmachanus, cui successit Iohannes* Suanig.

Et eodem tempore obijt Dominus ac frater Adam Lyns *Ordinis fratrum Prædicatorum Episcopus Ardachadensis.*

Item in die Sancti Laurentij obijt Thomas Talbot filius Domini de Furniuall, *nuper natus apud Finglasse, & sepelitur in choro fratrum Prædicatorum Dubliniæ, in Conuentu Prædicatorum; tempore cuius irruerunt Hibernici super Anglicos & interfecerunt plures, inter quos interfectus est Thomas* Balimore de Baliquelan. *Quod Parlamentum durauit in eodem loco per* VI. *hebdomadas, & tunc translatum est vsque in Trim* XI. *die mensis Maij, & ibi durauit per* XI. *dies, & concessæ sunt Locum-tenenti* CCCC. *Marcæ.*

MCCCCXVII. *Vigilia Apostolorum Philippi & Iacobi Thomas Cranley Archiepiscopus Dubliniæ transiuit in Angliam, & apud Farindon obijt, & sepultus in* Nouo *Collegio Oxonijs, vir largus & eleemosynarius, magnus clericus, Doctor sacræ Theologiæ, egregius prædicator, suorum locorum ædificator, pulcher, dapsilis, sanguineus, proceræ staturæ, ita vt tempore suo sibi diceretur; Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis præ facundia. Octoginta erat annorum ætate, & ferè* XX. *annis rexit Ecclesiam Dublinensem pacificè.*

MCCCCXVIII. *Annuntiatio dominica in parasceue, & citò post paschâ deputatus spoliauit tenentes Henrici* Crus, *& Henrici* Bethat.

Item apud Slane *in die Sanctorum Iohannis & Pauli arrestati sunt Comes* Kildariæ, *Dominus Christopherus* Preston, *& Dominus Iohannes* Bedleu, *& positi in Castro de Trim, qui voluerunt loqui cum Priore de Kylmainan. Quarto Augusti obijt Dominus Matthæus* Husee *Baro de Galtrim, qui sepelitur in Conuentu fratrum Prædicatorum de Trim.*

MCCCCXIX. XI. *Maij obijt Edmundus* Brel *quandoque Maior Dubliniæ, sepultus apud fratres Prædicatores eiusdem Ciuitatis. Consilium regale apud* Naas, *& ibi conceduntur* CCC. *Marcæ Locum-tenenti.*

Eo tempore obijt Dominus Iohannes Loundres Miles, Feria quinta in cœna Domini O-Thoill accepit CCCC. *vaccas de Balimore, contra iuramentum frangendo pacem.*

Quarto Maij capitur Mac-Morthe Capitaneus suæ nationis, & omnium Hibernicorum Lageniæ.

Eodem die Dominus Hugo Cokesey factus fuit Miles.

Vltimo die Maij locum tenens, & Archiepiscopus Dubliniæ, & Maior prosternebant Castrum Kenini.

In crastino Processi & Martinani Dominus Willielmus de Burgo, & cæteri Anglici interfecerunt de Hibernicis 500. *& ceperunt O-Kelly.*

In festo Magdalenæ Locum tenens Iohannes Talbot transiuit in Angliam, relinquens suum Deputatum Archiepiscopum Dubliniæ, portans secum maledictiones diuersorum, eò quòd modicum vel nihil soluens pro victualibus, & in multis indebitatus.

Circa festum Sancti Laurentij diuersi obierunt in Normannia, vt frater Thomæ Boteler Prior de Kilmaynan, *& plures alij, cui successit in Prioratu frater Iohannes filius Henrici. Archiepiscopus Deputatus irruit super Scohies, & interfecit de Hibernicis* XXX. *iuxta Rodiston.*

Item Idus Februarij obijt frater Iohannes filius Henrici Prior de Kylmainan, cui successit frater Willielmus filius Thomæ, electus & confirmatus in Crastino Sancti Valentini.

Item in Crastino Cathedræ cessit Dominus Iohannes Talbot Dominus de Furniuall in manum Domini Richardi Talbot Archiepiscopi Dubliniæ, qui postea electus est in Iustitiarium Hiberniæ.

MCCCCXX. IIII. *Aprilis applicuit Waterfordiæ Dominus Iacobus Botiler Comes Locumtenens Hiberniæ, & citò fecit duellum inter duos cognatos suos, quorum vnus mortuus est in campo, & alius portatus est à loco ineptus & claudus in Kilkenniam. In festo Sancti Georgij*

ergÿ Idem Locum-tenens Dublinia fecit consilium & ibi ordinauit Parlamentum, & post medium fecit prædas magnas super O-Raly, Mac-Mahon, Mac-Guyer, & VIII. Iun incepit Parlamentum Dublinia, & ibi conceduntur Locum-tenenti septingentæ Marcæ. Et durauit Parlamentum illud per XVI. dies, & transfertur idem iterum Dubliniam vsq; ad feriam secundam post festum Sancti Andreæ, & in prædicto Parlamento recitabantur debita Domini Ioannis Talbot nuper Locum-tenentis quæ extenduntur ad magnam summam.

Item in Crastino Sancti Michaelis obijt Michael Bedley.

In vigilia S. Francisci obijt frater Nicholaus Talbot Abbas Monasterij Thomæ Martyris Dubliniæ. Cui successit frater Ioannes Whiting.

Item in crastino Apostolorum Simonis & Iudæ captum est Castrum de Colmolin per Thomam filium Galfridi.

Item in vigilia S. Katherinæ Virginis nascitur Boteler filius & hæres Comitis Ormondiæ.

Item II. Feria post festum S. Andreæ Apostoli incipitur Parlamentum Dubliniæ, & durauit per XIII. dies, & ibi conceduntur Locum-tenenti CCC. marcæ, & iterum transfertur Parlamentum vsque ad feriam secundam post festum Sancti Ambrosij. Tunc insonuerunt rumores quòd Dominus Thomas filius Ioannis Comes Desmoniæ mortuus est Parisijs in festo Sancti Laurentij, & sepultus est in conuentu fratrum Prædicatorum ibidem, præsente Rege Angliæ. Cui successit in dominio Iacobus filius Geraldi patruus suus qui ter expulit eum de dominio & imposuit ipsi quòd esset prodigus, & dissipârit dominium Hibernicum & Anglicum, & quod monasterio S. Iacobi de Keynisham terras dedit vel dederit.

MCCCCXXI. Dominica feria Parlamentum, tertia vice incepit Dubliniæ feria secunda post festum Sancti Ambrosij, & ibi ordinantur nuntij ad Regem pro remedio terræ, scilicet, Archiepiscopus Ardmachanus & Dominus Christopherus Preston Miles.

Eodem tempore accusatur Richar. O Hedian Cassell a Ioan. Gese Episc. Lismor. & Waterf. de XXX. articulis, post quod plurimi fecit Hibernicos, & nullum Angl. dilexit, quòd nulli Anglico dedit beneficium, & sic iubebat alijs Episcopis quod non darent minimum beneficium: quòd fecit sigillum Regis Angl. & literas patentes Regias, quod ordinauit se Regem Momoniæ: quòd accepit annulum de imagine B. Patricij quem obtulit Com. Desmoniæ & dedit meretrici suæ, & multa alia enormia dedit in scriptis: & vexati sunt Dom. & Communes per eos.

In eodem autem Parlamento facta est contentio inter Adam Pay Episcopum Clonensem, eo quòd prædictus Adam vellet vnire Ecclesiam alterius suæ Ecclesiæ, & alius noluit, & sic dimittuntur Curiæ Romanæ, & durauit Parlamentum per XVIII. dies; Nonis Maij facta est strages super familiam Comitis Ormondiæ Locum-tenentis per O-Mordris iuxta Monasterium de Leys, ibi interfecti sunt de Anglicis XXVII. Principales fuerunt Purcel, & Grant X. nobiles viri capti & CC fugerunt ad monasterium prædictum & saluati sunt.

Idus Maij obierunt Dominus Ioannes Bedley miles, & Galfridus Galon quondam Maior Dubliniæ sepultus in domo fratrum prædicatorum eiusdem Ciuitatis.

Circa hæc tempora Mac-Mahon Hibernicus multa mala fecit in Vrgalia deuastando, & comburendo.

VII. Iunij Locum-tenens intrauit terram, sc. in Leys super O-Moodris, & duxit maximũ exercitum interficiendo per IIII. dies, & quousq; Hibernici promiserunt ea quæ pacis.

In festo Michaelis Archangeli Thomas Stanley cum omnibus Militibus & armigeris Midiæ & Irel ceperunt Moyle O-Downyl, & alios interfecerunt Anno Regis Henr. VI. XIIII.

Hactenus Annales Hiberniæ quos nancisci potui, quibus has paginas in eorum gratiam, qui his delectentur, concessi. Nimis delicatis qui omnia ad Augusti seculum exigunt, scio non sapiant ob verborum scabritiem, & genus orationis exangue atq; aridum æuo quo scripti erant familiare. Sed meminerint illi, quòd Historia omnium ætatum auctores & ferat, & desideret, *Et* Ab alijs rerum, ab alijs verborum doctrina sit quærenda.

INSVLÆ

INSVLÆ MINORES IN OCEANO BRITANNICO.


RAM iam tandem ex Hibernia soluam, & in altum prouectus insulas per Britanniam sparsas perlustrabo. Si mihi confiderem, aut qua in me esset facultas, adirem singulas: verùm cùm antiquitatem eruere nostri sit instituti, quæ obscurioris sunt notæ perstringam, quę antiquioris sunt nominis inuisam, & tantisper illis immorabor: vt nunc demùm bonis auspicijs in suam asserantur antiquitatem.

Vt verò ordine, & recta quasi naue hæc instituatur nauigatio, primùm ex Hibernia in Sabrinianum fretum vela faciam, & per Hibernicum mare, extremam Scotiæ partem circumuectus in Oceanum Germanicum descendam, inde per mare Britannicum, quod ad Hispaniam vsq; pertinuit, cursum quàm possum secundissimè tenebo. Malè tamen metuo, ne hæc antiquitatis nauis, cùm me parùm perito vtatur nauiculatore, vel ad errorum scopulos allidatur, vel ignorantiæ fluctibus opprimatur: sed audendum est Τόλμα, inquit Antiphilus, νεῶν ἀρχηγὸς, & qui secundò nauiget, fortasse multò fœliciùs cursum conficiat.

Primùm autem cùm à re minimè alienum videatur, proponam quod Plutarchus ex fabulosa Demetrij relatione qui Hadriani temporibus vixisse videtur, refert generatim de insulis Britanniæ adiacentibus. *Demetrius narrauit earum Insularum, quæ sunt prope Britanniam, plerasque desertas esse & sparsas, quarum nonnullas Dæmonibus & heroibus esse dicatas: sese autem cognoscendi visendique causa, Imperatore mittente, nauigasse ad vnam desertis proximam, paucis habitatam cultoribus, quos Britannis sacrosanctos & inuiolatos omnes esse accepit. Non multò autem postquam eò venisset, fœdam cæli perturbationem, & prodigiosam tempestatem eò coortam, procellas in abruptum lapsas cecidisse, ardentium fulminum iactus fuisse, quibus sedatis, Insulanos dixisse, aliquem è præstantioribus interijsse.* Et paulò pòst. *Iam verò illic Insulam quandam esse dixit in qua Saturnus carcere clausus à Briareo custodiatur sopitus, somnum illi pro vinculo esse, multos autem ei Dæmonas esse circum pedes atque seruos adstare.* Sic libuit olim, vt etiam hodie, de locis remotissimis miranda & fabulosa quadam mentiendi securitate audacter confingere.

In Sabriniano freto primùm eminent duæ insulæ exiguæ, quarum nobis altera, quod plana sit, & proiecta, *Flatholme* ea significatione, qua *Planaria* Italiæ: altera *Stepholme*, quod accliuis, Britannicè *Reoric*: ambæ Britannico sæculo *Echni*, vti nostro *Holmes* appellatæ. Sic enim planities herbidas aqua circumfusas vocarunt Anglo-Saxones; nec alia re olim celebres fuerunt quam Danorum stationibus, & Gualchi eximiæ pietatis Britanni sepulturâ, cuius discipulus Barruchus, *Barry* insulæ in Wallia nomen reliquit (vt Landauensis ecclesiæ antiquum testatur monumentum) quæ itidem *Barrorum* familiæ nobili in Hibernia nomen fecit. Adiacentem habet *Silly* insulam exiguam in littore Silurum quorum nominis plusquam vmbram retinere videtur, vt opidulum è regione in agro *Glamorgan*, Siluram tamen vel Silurum insulam, cuius meminit Solinus, non ausim affirmare, cùm eiusdem nominis sint aliæ, sed a Siluribus longiùs dissitæ insulæ.

Flatholme.
Stepholme.
Holmes quid Anglis.
Barry.
Giraldus.
Vide p. 739.
Silly.

Inde *Caldey* est, Britannicè *Inis pir*, littori satis vicina, & huic è regione magis in alto *Londey* ad Deuoniensem agrum spectans, à cuius promontorio *Hert-neß* XIIII. abest milliaribus. Hæc amplior habetur, nec tamen multo plus duobus mille passuum longa, & mill. pass. lata perhibetur, cautibus ita pręcincta vt non sit nisi vnus & alter aditus. Munimentum habuit, cuius ruinæ, vt etiam Sacelli S. Helenæ sacri etiamnum conspiciuntur: Quod olim aratro proscissa fuerit sulci loquuntur, nunc totus fructus est e volatilibus marinis quibus abundat. Arbores habet nullas præter sambucos malè olentes quas sturni tanti multitudine frequentant, vt vix præ eorum fimo ad eas pateat accessus. Sed quid ego hæc? cum sic olim descripserit Thomas *De-la-Mere* ex ordine Equestri, dum enarrat quomodo misellus Rex Edwardus II. cùm importuna vxor, & tumultuantes Proceres minas iactarent, & terrores denuntiarent, huc se tanquam in perfugium subducere cogitârit: *Londay* (inquit ille) *est insula in Sabrinæ ostio duobus mill. vndique longa, abundans pascuis amœnis, cuniculos producit copiosè, columbas, & strucenas (quos vocat Alexander*

Caldey.
Londey.

Nechamus Ganimedis aues) in dies habet pregnantes, aquas insuper recentes de fontibus scaturientes incolis ministrat, ipsa licèt vndique mari sit circumcincta, vnum duntaxat aditum habet, quo vix duo viri poterint coniuncti pedites incedere: ex omni alia parte rupis horrenda alta proeminentia prohibens ingressum. Vix autem apud historicos nostros memoratur, nisi quòd Guilielmus de *Marisco* pirata perditissimus has oras regnante Henrico Tertio, hinc olim infestas reddiderit, & regnante Edwardo Tertio, pars erat hæreditatis *Luterellorum*.

Gresholme, Stockholme, & Scalmey. Silimnus. Limni. Ramsey.

Inde in Penbrochiensis agri flexu *Gresholme*, *Stockholme*, & *Scalmey* occurrunt satis graminosæ, & thymo agresti admodum lætæ. *Scalmey* Plinij fuisse SILIMNVM olim existimauimus, sed hanc nobis veritas iam immutauit sententiam. Silimnum enim illum Plinij, LIMNI Ptolemæi ex verbi cognatione verisimile est; hanc esse Britannorum *Lymen* ipsum pro me vocabulum edocet, cui Anglus hodie nouum nomen, *Ramsey* scilicet, inscripsit. Hæc S. Dauidis Episcopali sedi obiacet, ad quam spectat, & Iustiniani cuiusdam viri sanctissimo fato, superiori sæculo inprimis celebris erat, qui cùm ex Britannia Aremorica in feracissimo Sanctorum sæculo huc se recepisset, & totus Deo defixus diu solitarius vixisset, tandem à seruulo peremptus, in Martyrum catalogum fuit relatus. In cuius vita hæc *Lemeneia Insula* sæpiùs vocatur. Quæ quidem appellatio cum Britannico nomine *Limen*, quo hic locus ipsis Britannis innotescit, eius oscitantiam notat, qui proximè superiorem insulam *Limnom* Ptolemæi facit, quam Britanni nunc *Enbly*, Angli *Berdsey* nominant, id est, *Insula auium*. Hanc autem esse quæ Ptolemæo EDRI, & Plinio ANDROS & ADROS alibi legitur, audaciùs ex vi verbi coniectare possim. *Ader* enim auem Britannis significat, & eodem sensu Anglis *Berdsey* posteà appellata est. *Enbly* enim recentius est nomen, & à viro quodam sancto enatum, qui hic heremeticam vitam egit. Insulam enim hanc (quæ ad Orientem eminenti est promontorio ad Occasum plana, & fertili gleba) tot sancti viri olim coluerunt, vt præter Dubricium, & Merlinum Caledonium, 20000. sanctos hic conditos antiquæ referant historiæ. Proxima huic MONA, Britannis etiam *Mon*, *Tir-Mon*, & *Ynis Dowyll*, id est, *Insula opaca*, Saxonibus Monege; de qua iam ante egi.

Edri. Berdsey.

Mona. Anglesey. Vide p. 540.

Mona siue *Angleseia* tres insulæ minores adiacent, *Moyl Rhoniad*, id est, *Insula Phocarum* ad Circium, quam ab Episcopis Bangorensibus, ad quos spectauit, ab iniustis occupatoribus retentam Henricus Deneus Episcopus Bangorensis, vt in Cantuariensi historia legimus, classe & militibus Henrici VII. tempore recuperauit. Ad Ortum est *Ynis Ligod*, .i. *Insula Murium*, inferiùs *Prestholme*, .i. *Insula sacerdotum*, nihilque in ea vidimus nisi sacram turrim sacelli S. Cyriaci quæ longè se spectantibus exhibet: fidem superat quod vicini de infinita multitudine marinarum auium quæ hic pariunt, referunt; quodq; etiam perhibent de aggere qui per mare hinc duxit ad radicem vastæ illius montis *Pen-Maen-Maur*, in vsum eorum qui religionis ergô hunc locum olim prisca religione sacrum inuiserunt. *Lambey* exiguam insulam huic oppositam ad Hiberniæ littus omitto, licèt Metallici Alumen ibi nuper magnis impendijs quæsiuerint.

Lambey.

Magis ad Arctum Mona illa iacet, cuius meminit Cæsar, in medio, vt inquit ille, inter Britanniam & Hiberniam cursu. MONOEDA Ptolemæo, quasi *Mon-eitha*, .i. (si coniectare fas sit) *Mona remotior*, ad alterius Monæ differentiam. MONABIA Plinio, MENAVIA Orosio, & Bedæ *Menauia secunda*, vbi *Monam* siue *Anglesey*, *Menauiam priorem* vocat, & vtramq; *Britannorum insulas*; apud quos tamen *Meuania* perperàm legitur, *Eubonia* & *Manaw* Ninio, qui & Gildæ nomine circumfertur, *Menaw* Britannis, incolis *Maning*, nobis Anglis *The Yle of Man*. *Medio libramine* (vt inquit Giraldus Cambr.) *inter Boreales Hiberniæ & Britanniæ partes porrecta, de qua vtri terrarum applicari de iure debuerat, ab antiquis non mediocriter ambigebatur. Demum in hunc modum lis ista quieuit. Quoniam aduectos periculi caussa venenosos hac terra vermes admisit, eam Britannis applicandam censura communis dictauit.* Incolæ tamen, & lingua & moribus ad Hibernicos proximè accedunt, ita autem vt *Norwagicum* quiddam admisceatur.

The Ile of Man. Mona siue Menauia. Lib. 2. c. 9. *Manau Gueto-din* in quodam Ninnij exemplari dicitur.

A Septentrione in meridiem XXX plùs minùs Italica mill. proiecta, Latitudinem verò quà maximè patet, vix vltra XV. mill. quà minimè VIII. extendit. Bedæ ætate trecentas familias, vt *Mona* nongentas, & sexaginta habuit: nunc autem VII. Curias, siue parochiales Ecclesias numerat. Linum & Cannabim abundè profert, pascua & arua habet satis

læta.

læta. Hordei, tritici, sed præcipuè auena ferax est, vnde auenaceo pane maximè vescitur, pecorum vbique multitudo, & numerosi ouium greges, sed cùm oues, tum pecora minora, vti etiam in vicina Hibernia sunt, quàm in Anglia, nec eadem frontis dignitas. Cùm autem syluis sit indiga, bituminoso cespite ad ignem vtuntur, quem dum effodiunt, sæpenumerò in suffossas arbores incidunt. In medio montibus densiùs attollitur, è quibus æditissimus *Sceafell*, vnde sudo cœlo Scotia, Anglia, & Hibernia prospici possit. Inter opida præcipuum censetur *Russin*, ad Australe latus situm, quod à castro vbi præsidium habetur vulgò *Castletowne* appellatur, vbi in insulula sedes Episcopalis à Gregorio Quarto Pontifice Romano fuit instituta, cuius Episcopus *Sodorensis* dictus ab hac ipsa insula (vt creditur) iurisdictionem in omnes Hebridas insulas olim habuit, nunc tantùm in ipsam insulam exercet, & Archiepiscopo Eboracensi subest. Locum tamen & suffragium in Ordinum Angliæ conuentu Parlamentario non habet. Opidum autem frequentissimum est *Duglas*, quòd portus sit optimus, aditusque facilimus, ad quem Galli, & alij exteri cum sale suo marino commeant, coria, lanam rudem, & carnem bubulam salitam ab insulanis emercantes. In Occiduo autem insulæ latere sunt *Bala Curi*, vbi Episcopus plerumque agit, & *The Pyle* munimentum exiguâ in insulâ positum, vbi etiam non pauci sunt milites præsidiarij. Ipsi verò Australi promontorio modica etiam insula (*The Calfe of Man* vocant) prætenditur, marinis auibus, quas *Puffins*, & anatibus illis è ligno putrefacto vt ferunt, enatis, quas Angli *Bernacles*, Scoti *Clakes*, & *Soland Geese* vocant, abundantissima.

Episcopus Sodorensis. Duglas. Bernacles.

Quod reliquum est, subiungam ex epistola quam doctissimus, & in Christo reuerendus Iohannes *Meryk* huius insulæ Episcopus ad me scripsit. Pecore, piscibus, frumento etiam, sed magis industria hominum, quàm terræ bonitate hæc insula & sibi sufficit, & quotannis plurimum transmittit. Administratione tamen fœlicior erat illustrissimi Comitis Derbiensis sumptibus, in quos maximam annui prouentus partem impendit, præsente paratoque milite à vicinis hostibus defensa. Controuersias omnes Iudices, quos è suis eligunt, & *Deemsters* vocant, sine scriptis & impensis dirimunt. Lapidem enim tollit magistratus, signatumque quærenti tradit, illo aduersarium & testes citat. Si quid ambiguum, & maioris momenti, ad duodecim quos *Claues insulæ* appellant, refertur. Coronatores quos vocant *Annos* qui Vice Comitum officio funguntur, habet. Ita Iudex Ecclesiasticus citat, definit, infra octo dies parent, aut carceri intruduntur. Vt linguam propiam, ita & leges, & nummum etiam habuisse accepi, quæ peculiaris dominij signa sunt. Ecclesiasticæ ab hoc canonico ad ciuile plurimum accedunt. Iudici & Formularijs nunquam hic ne denarius à populo impenditur. Quod de Maleficijs referunt scriptores Anglici, falsum est. Qui ditiores sunt, & ampliora prædia possident, victu splendidiore, & morum probitate ad Lancastrenses sese accommodant. Mulieres quòcunque se ex ædibus conferunt mortalis conditionis memores, linteo quo mortuæ inuoluendæ sunt, se circumcingunt. Quæ verò mortis sententiam ex lege subierunt, culeo insutæ in mare è rupe proijciuntur. Omnes à furandi & mendicandi ostiatim consuetudine sunt alienissimi, mirè religiosi, & ad Ecclesiæ Anglicanæ formam ad vnum vsque paratissimi accedunt. Gentium vicinarum tam ciuilem quàm Ecclesiasticam Ataxiam detestantur, & cùm in duas Australem & Borealem partes insula sit diuisa, hæc sermone communi ad Scotos, illa ad Hibernos accedit.

Deemsters. Claues insulæ Annos.

Operæ pretium videtur, si huius insulæ historiolam, quam veritas suo iure quasi postulat, hîc intexam; vt res gestas, si non sepultas, tamen senescentes ab obliuione hominum, & silentio vindicem. Britannos verò hanc insulam vti Britanniam tenuisse in confesso est, sed cùm à Septentrione gentes tanquam infusi nimbi, has Australes plagas inundarint, in Scotorum potestatem deuenit. Sub Honorio enim, & Arcadio Augg. à Scotorum gentibus (vt est àpud Orosium) æquè ac Hibernia ipsa culta fuit, & * *Binle* Scotum quendam hanc tenuisse scripsit Ninnius. Sed Scotos, vt idem prodit, ex omnibus regionibus Britannicis & insulis expulit Cuneda auus Maglocuni, qui quòd in his insulis grassaretur, *Insularis Draco* Gildæ appellatur. Posteà Edwinus Nordanhumbrorum Rex, hanc insulam (vt prædictam Monam) Anglorum imperio subiugauit, si vtramque *Menauiarum* nomine (vt volunt scriptores) intelligamus, quo tempore Britannorum insula habita fuit. Verùm cùm secundò suos fœtus emisisset Aquilo, Normannos,

* *Baile* alijs.

mannos, Danos, & Norwegos dico: Norwegi, quorum latrocinijs frequentioribus mare Septentrionale infestissimum, fuit in hanc insulam & Hebridas inuolauerunt & Regulos constituerunt, quorum historiolam ex antiquo manuscripto libro ne omninò intercidat, ad verbum subiungam. *Chronicon* verò *Manniæ* inscribitur, & à Monachis monasterij de *Russin*, quod præcipuum in hac insula erat, conscriptum videtur.

CHRONICON REGVM MANNIÆ.



NNO Domini MLXV. *obijt piæ memoriæ Edwardus Rex Angliæ, cui successit in regnum Haraldus filius Godwini, contra quem Haraldus Harfager Rex Norwegiæ prælium commisit apud* Stainfordbridge, *& Angli victores existentes, omnes fugarunt, de qua fuga quidem Godredus, cognomento* Crouan, *filius Haraldi Nigri de* Islandia *fugiens, venit ad Godredum filium Syrric, qui tunc regnabat in Mannia, & honorifice susceptus est ab eo.*

Eodem anno Guilielmus Bastardus *debellauit Angliam, & Godredus filius Syrric, Rex Manniæ obijt, cui successit filius Fingal.*

MLXVI. *Godredus* Crouan *collegit multitudinem nauium, & venit ad Manniam, prælium cum populo terræ commisit, sed superatus & fugatus erat. Iterum exercitum, & naues coadunauit, venit ad Manniam, pugnauit cum Mannensibus, victus & fugatus est. Tertiò, congregauit multitudinem copiosam, & venit noctu ad portum qui vocatus est* Ramsa, *& trecentos viros occultauit in sylua, quæ erat in deuexo montis supercilio, qui vocatur* Scacafel. *Orto lucis sydere, Mannenses construxerunt aciem suam, & magno impetu facto, congressi sunt cum Godredo. Cùmque pugna vehemens esset, trecenti viri surgentes de insidiarum loco à tergo, Mannenses debilitare cœperunt, & in fugam compulêre. Cùm autem viderent se superatos, nec aliquem diffugij sibi locum patere, nam reuma maris* Ramsa *amnis alueum impleuerat, & hostes ex altera parte constantèr persequentes, qui tunc remanserant, clamore miserabili, postulabant a Godredo vitam sibi donari. Ille autem flexus misericordia, & miserans calamitatem eorum, qui apud ipsos per aliquod tempus nutritus fuerat, reuocauit exercitum, & prohibuit ne eos diutùs persequerentur; Godredus sequente die optionem exercitui suo dedit, vt si mallent Manniam inter se diuidere, & in ea habitare, vel tantum substantiam terræ accipere, & ad propria remeare. Illis autem magis placuit totam insulam vastare, & de bonis illius ditari, & sic ad propria reuerti. Godredus autem cum paucis qui secum remanserunt de insulanis, Australem partem insulæ, & reliquijs Mannensium Aquilonarem tali pacto concessit, vt nemo eorum aliquando auderent iure hæreditario sibi aliquam partem terræ vsurpare. Vnde accidit vt vsq; in hodiernum diem tota insula solius Regis sit, & omnis reditus eius ad ipsum pertineat. Igitur Godredus subiugauit sibi Dubliniam, & magnam partem de* Laynestir. *Scotos verò ita perdomuit, vt nullus qui fabricaret nauem vel scapham, ausus esset plusquam tres clauos inserere. Regnauit autem sexdecim annis, & mortuus est in insula quæ vocatur* Yle. *Reliquit sanè tres filios, Lagmannum, Haraldum, & Olauum; Lagmannus maior natu, regnum arripiens, septem annos regnauit. Rebellauit autem contra eum Haraldus frater eius multo tempore. Sed tandem captus a Lagmanno, genitalibus, & oculis priuatus est. Post hæc, Lagmannus pœnitens quòd fratris sui oculos eruisset, sponte regnum suum dimisit, & signo Crucis Dominicæ insignitus, iter Ierosolymitanum arripuit, in quo & mortuus est.*

MLXXXIX. *Omnes proceres insularum audientes mortem Lagmanni, miserunt legatos ad Murecardum* O-Brien *Regem Hiberniæ, postulantes vt aliquem virum industrium de regali stirpe in regem eis mitteret, donec Olauus filius Godredi cresceret. Annuit eis Rex libentissimè, & quendam Dopnaldum filium Tade ad eos misit, monens & præcipiens ei, vt cum omni benignitate & modestia regnum quod sibi non debebatur, gubernaret. Sed ille postquam ad regnũ peruenit, paruipendens præcepta sui Domini, cum magna tyrannide abusus est regno, & multis sceleribus perpetratis, III. an. enormiter regnauit. Tunc omnes principes insularum*

insularum vna conspiratione commoti, aduersus eum congregati sunt, & expulerunt à finibus suis. Ille autem fugiens ad Hiberniam, non est vltra reuersus ad eos.

MLXXVII. *Quidam Ingemundus missus est à Rege Norwegiæ, vt regnum Insularum arriperet. Cumque ad Insulam* Leodus *peruenisset, misit nuntios ad omnes principes Insularum præcipiens in vnum conuenirent, & constituerent eum regem. Interim verò ipse cum socijs suis rapinis, & comessationibus vacabat, mulierum & puellarum pudicitiam violabat, & fœdis voluptatibus, & carnis illecebris operam dabat. Cumq; hæc nuntiata fuissent principibus insularum, iam in vnum ad constituendum eum regem congregatis nimio succensi furore, properauerunt ad eum, & superuenientes nocte, domum in qua erat, combusserunt, & eum cum omnibus suis partim ferro, partim flammis extinxerunt.*

MXCVIII. *Fundata est Abbatia S. Mariæ Cistertij. Antiochia à Christianis capta est, & Cometa apparuit.*

Eodem anno commissum est prælium inter Mannenses apud Santwat, *& Aquilonares victoriam obtinuerunt. In quo bello occisi sunt* Othor *Comes, &* Macmaras *Principes ambarum partium.*

Eodem anno Magnus Rex Norwegi filius Olaui filij Haraldi Harfagre, *volens explorare incorruptionem S. Olaui Regis & Martyris, præcepit vt eius Mausæolum aperiretur. Episcopo autem & Clero resistente, ipse Rex audaciter accessit, & vi regia aperiri scrinium fecit. Cumque & oculis vidisset, & manibus attrectasset incorruptum corpus, subitò timor magnus irruit in eum, & cum magna festinatione discessit. Sequente nocte, Olauus Rex & Martyr ei per visum apparuit, dicens: Elige tu, inquam, vnum è duobus, vel vitam cum regno infra triginta dies amittere, vel à Norwegia discedere, & eam ampliùs nunquam videre. Expergefactus Rex à somno vocauit ad se principes, & maiores natu, & exposuit eis visionem. Illi autem conterriti, hoc consilium dederunt ei, vt cum omni festinatione de Norwegia exiret. Ille sine mora coadunari fecit classem centum sexaginta nauium, & ad Orcadas insulas transfretat, quas sibi statim subiugauit, & transitum faciens per vniuersas insulas, easque sibi subijciens, peruenit vsque ad Manniam, cúmq; applicuisset, ad insulam S. Patricij venit, videre locum pugnæ quam Mannenses paulo antè inter se commiserant: quia multa adhuc corpora occisorum inhumata erant. Videns autem insulam pulcherrimam, placuit in oculis eius, eamque sibi inhabitationem elegit, munitiones in ea construxit, quæ vsque hodie ex eius nomine nuncupantur. Galwedienses ita constrinxit, vt cogeret eos materias lignorum cædere, & ad littus portare, ad munitiones construendas. Ad Moniam insulam Walliæ nauigauit, & duos Hugones Comites inuenit in ea, vnum occidit, alterum fugauit, & insulam subiugauit. Wallenses vero multa munera ei præbuerunt, & valedicens eis ad Manniam remeauit. Murecardo Regi Hiberniæ misit calceamenta sua, præcipiens ei vt ea super humeros suos in die natalis Domini per medium domus suæ portaret, in conspectu nunciorum eius, vt inde intelligeret se subiectum esse Magno Regi. Quod audientes Hibernienses, ægrè ferebant, & indignati sunt nimis. Sed Rex saniori consilio vsus, non solum, inquit, calceamenta eius portare, verùmque manducare mallem, quàm Magnus Rex vnam Prouinciam in Hibernia destrueret. Itaque compleuit præceptum, & nuncios honorauit. Multa quoque munera per eos Magno Regi transmisit, & fœdus composuit. Nuntij verò redeuntes ad dominum suum, narrauerunt ei de situ Hiberniæ, & amœnitate, de frugum fertilitate, & aeris salubritate. Magnus verò hæc audiens, nihil cogitabat quàm totam Hiberniam sibi subiugare. Itáque præcepit classem congregare. Ipse verò cum sedecim nauibus procedens, explorare volens terram, cùm incautè à nauibus discessisset, subitò ab Hibernensibus circumuallatus, interijt cum omnibus fere qui secum erant. Sepultus est autem iuxta Ecclesiam S. Patricij in Duno. Regnauit* VI. *annis. Quo mortuo, Principes insularum accerserunt Olauum filium Godredi* Crouan, *qui degebat in Curia Henrici Regis Angliæ, filij Gulielmi.*

Monia pro *Anglesey*, vide Giraldum Cambrensem in Itinerario Cambriæ.

MCII. *Olauus filius Godredi* Crouan *regnare cœpit, &* XL. *annos regnauit, vir pacificus, habuit omnes reges Hiberniæ & Scotiæ sibi confœderatos. Accepit in vxorem Affricam filiam Fergusij de* Galewedia, *de qua genuit Godredum. Ex concubinis suscepit Regnaldum, Lagmanum, Haraldum, & filias multas, quarum vna nupsit Sumerledo regulo* * Herergaidel, *quæ fuit causa ruina totius regni insularum. Genuit ex ea filios* IIII. *Dulgallum, Raignaldum, Engus, & Olauum.*

* Argile.

MCXXXIII. *Eclipsis solis tanta* IIII. *Nonas Augusti, vt dies in noctem verteretur.*

MCXXXIIII. *Olauus dedit Yuoni Abbati de* Furnes *partem terræ suæ in Mannia ad Abbatiam construendam in loco qui dicitur* Russin. *Et rem ecclesiasticam in insulis & reditibus ditauit, & libertatibus dotauit.*

MCXLII. *Godredus filius Olaui transfretat ad Regem Norwegiæ, cui nomen erat Hinge, & hominium suum ei fecit, & moratus est apud eum, honorificè susceptus ab eo. Eodem anno tres filij Haraldi fratris Olaui, qui nutriti fuerant apud Dubliniam congregantes magnam turbam hominum, & omnes profugos Regis, venerunt ad Manniam, postulantes ab eodem Rege medietatem totius regni Insularum sibi dari. Rex autem cùm audisset, placare eos volens, respondet super hoc consilium se habiturum. Cùmque diem & locum constituissent, vbi consilium haberi debuisset, interim illi nequissimi de morte Regis inter se tractabant. Constituta autem die conuenerunt vtræque partes in portu, qui vocatur* Ramsa, *sederuntque seriatim, Rex cum suis ex vna parte, illi vnà cum cum suis ex altera. Regnaldus autem medius fuerat, qui eum percussurus erat, stabat seorsim loquens cum quodam viro de Principibus terræ. Cùmque vocatus venisset ad Regem, vertens se ad eum, quasi salutans eum, securim fulgentem in altum leuauit, & caput Regis vno ictu amputauit. Perpetrato autem*
1143 *tanto scelere, statim insulam diuiserant inter se paucis diebus transactis, congregata classe transfretauerunt ad Galwediam volentes sibi subiugare; Galwedienses autem conglobati, & magno impetu facto, congressi sunt cum eis. Illi statim terga vertentes, fugerunt cum magna confusione ad Manniam, omnesque Galwedienses qui in ea habitabant, quosdam iugulauerunt, alios expulerunt.*

MCXLIII. *Godredus filius Olaui ex Norwegia rediens fit Rex Manniæ, & in vltionem patris duobus Haraldi filijs oculos eruit, & tertium occidit.*

MCXLIIII. *Godredus cœpit regnare, & XXX. annis regnauit. Tertio regni anno Dublinenses eum accerserunt, & Regem Dubliniæ illum constituerunt, in quem Murecardus Rex Hiberniæ bellum mouit, & fixis tentorijs apud Ciuitatem quæ dicitur* Coridelis, *fratrem vterinum* Osibelem *cum 3000. equitum ad Dubliniam misit, qui à Godredo & Dublinensibus interfectus erat, cæteris omnibus fugatis. His actis Godredus ad Manniam reuertitur, & tyrannidem exercere cœpit, & nobiles exhæreditauit, quorum vnus Thorfinus filius* Oter, *cæteris potentior accessit ad Sumerledum, & Dubgallum Sumerledi filium Regem insularum dixit, subiugans illi multas insulas; cùm hæc à Paulo quodam Godredus intellexisset, parata classe procedit obuiam Sumerledo venienti cum 80. nauibus.*

Et anno MCLVI. *Commissum est bellum nauale in nocte Epiphaniæ, & multis vtrinque cæsis, proximo die pacificati sunt, & diuiserunt inter se regnum insularum, factumque est regnum bipartitum à die illa vsque in præsens tempus, & hæc fuit caussa ruinæ regni insularum, ex quo filij Sumerledi occupauerunt illud.*

MCLVIII. *Sumerledus venit ad Manniam cum LIII. nauibus, & Godredum fugauit, insulam vastauit: Godredus verò transfretauit ad Norwegiam quæsitum auxilium aduersus Sumerledum.*

MCLXIIII. *Sumerledus collegit classem centum sexaginta nauium, & applicuit apud* Rhinfrin, *volens totam Scotiam sibi subiugare: sed vltione diuina à paucis superatus, cum filio suo & innumerabili populo ibidem occisus est.*

Eodem anno bellum fuit apud Ramsa *inter Reginaldum fratrem Godredi & Mannenses, & per dolum cuiusdam Comitis Mannenses in fugam conuersi sunt.*

Et Reginaldus cœpit regnare. Quarto autem die superuenit Godredus de Norwegia cum magna multitudine armatorum, & fratrem suum Reginaldum comprehendit, & oculis & genitalibus priuauit. Eodem anno obijt Malcolmus Rex Scotiæ, & frater eius Willielmus ei successit in regno.

MCLXVI. *Duo Cometæ apparuerunt ante solis ortum mense Augusti, vnus ad Austrum, alter ad Aquilonem.*

MCLXXI. *Richardus Comes Penbrochiæ transfretauit in Hiberniam, & Dubliniam cum magna parte Hiberniæ subiugauit.*

MCLXXVI. *Iohannes de* Curcy *sibi subiugauit Vltoniam, & Viuianus Apostolicæ sedis Legatus venit in Manniam, Godredúmque Regem legitimè desponsari fecit cum vxore sua Phingola filia* Maclotlen, *filij* Murkartac *Regis Hiberniæ, matre videlicet Olaui qui tunc triennis erat. Desponsauit eos Siluanus Abbas, cui ipsa die Godredus dedit partem terræ apud*

pud Mirescoge *vbi monasterium construxit, sed tandem concessa est terra cum monachis Abbatia de Russin.*

MCLXXII. *Reginaldus filius Eacmarcat, vir de regali genere in Manniam veniens cum magna turba hominum, absente Rege, primo congressu quosdam qui littora custodiebant, fugauit, & circiter* 30. *occidit. Posteà eadem die congregati Mannenses ipsum cum omnibus pene suis occiderunt.*

MCLXXXIII. O Fogolt *Vicecomes de Mannia.*

MCLXXXV. *Ecclipsis solis die Philippi & Iacobi.*

MCLXXXVII. *Obijt Godredus Rex Insularum quarto Idus Nouembris, proxima verò æstate translatum est corpus ad Insulam* Hy. *Reliquit tres filios, Reginaldum, Olauum, & Tuarum; dum vixit, Olauum filium hæredem constituit, quòd solus ille legitimè natus esset, sed Mannenses quum Olauus esset iam vix decennis, Reginaldum ex Insulis accersunt, & Regem constituunt.*

MCLXXXVIII. *Reginaldus filius Godredi incepit regnare super Insulas, & occisus est Murchardus vir potens in omni regno insularum.*

MCXCII. *Commissum est bellum inter filios Sumerledi Reginaldum & Engus, sed Engus victoriam obtinuit.*

Eodem anno Abbatia de Ruffin *translata est ad* Dufglas, *at post quatuor annos monachi ad* Ruffin *reuersi sunt.*

MCCIII. *Michael Episcopus Insularum obijt ad* Fontanas, *cui successit Nicholaus.*

MCCIIII. *Hugo de* Lacy *venit cum exercitu in Vltoniam, & commisit bellum cum Iohanne de* Curcy, *eumque comprehendit, & Vltoniam sibi subiugauit. Posteà Iohannem liberum ire permisit, qui venit ad Regem Reginaldum, à quo honorificè susceptus est, quia eius gener erat, Iohannes siquidem de* Curcy *habuit in vxorem Affricam filiam Godredi, quæ fundauit Abbatiam* S. Mariæ de Iugo Domini, *& ibidem sepulta est.*

MCCV. *Iohannes de* Curcy, *& Reginaldus Rex Insularum cum* c. *nauibus Vltoniam ingressi in portu qui vocatur* Stranfoord, *segniter obsederunt castellum de* Rath, *sed Walterus de* Lacy *superueniens cum exercitu, eos fugauit; dehinc* Curcy *terram suam nunquam recuperauit.*

MCCX. *Engus filius Sumerledi cum tribus filijs suis occisus est.*

Iohannes Rex Angliæ tùm classem 500. *nauium ad Hiberniam adduxit, eamq; sibi subiugauit, & mittens Comitem quendam, qui nomine Fulco, ad Manniam, eam in vna quindena ferè omninò deuastauerunt, & suscipientes obsides ex ea in patriam reuersi sunt. Reginaldus Rex, & optimates non erant in Mannia.*

MCCXVII. *Obijt Nicholaus Episcopus Insularum, & sepultus est in Vltonia in domo de* Benchor, *cui successit Reginaldus.*

Libet aliqua de Olauo & Reginaldo fratribus retexere.

R*Eginaldus dedit fratri suo Olauo insulam quæ vocatur* Lodhus, *quæ cæteris insulis latior esse dicitur, sed raris colitur incolis, quòd montuosa & saxosa sit, & ferè tota inarabilis. Incolæ verò illius plerunque venatione, & piscatura viuunt; ad hanc ergo insulam possidendam Olauus profectus est, & habitauit in ea pauperem ducens vitam: cùmque vidisset eam ad sustentationem suam, & sui exercitus minimè sufficere, accessit fiducialiter ad Reginaldum fratrem suum qui tunc morabatur in Insulis, & sic alloquutus est eum. Frater (inquit) & Domine mi, Rex, nosti tu quòd regnum Insularum ad me iure hæreditario pertinuit: sed quia dominus ad hoc gubernandum te elegerat, non inuideo tibi, nec molestè fero te esse in regali culmine sublimatum. Nunc ego te deprecor vt prouideas mihi aliquam portionem terræ in Insulis, in qua honestè viuam. Nam insula* Lodhus *quam mihi dedisti, me sustentare non valet. Quo audito, Reginaldus frater habiturum se consilium dixit, & die crastina, quum Olauus vocatus venisset ad colloquium, comprehendi eum iubet Reginaldus, & duci ad Guilielmum Scotiæ Regem, vt penes eum in carcere seruaretur, fuitque Olauus cathenatus in carcere septem ferè annos. Anno verò septimo obijt Guilielmus Rex Scotiæ,*

Scotia, cui successit Alexander filius. Qui antequam moreretur, iussit vt incarcerati omnes liberarentur. Olauus igitur liberatus venit ad Manniam, moxque cum non modico comitatu nobilium profectus est ad Sanctum Iacobum, & iam reuersum Reginaldus frater fecit Olauum in vxorem ducere filiam nobilis de Kentyre, *germanam vxoris suæ* Lauon *nomine, deditque illi in possessionem* Lodhus. *Post paucos dies Reginandus Episcopus Insularum Olauum, & Godredum filium &* Lauon *vxorem congregata Synodo canonicè separauit, vtpote consobrinam prioris vxoris. Post hac Olauus duxit Scristinam filiam Ferkari Comitis de* Rosse.

Hac de re vxor Reginaldi, Regina insularum concitata misit literas nomine Reginaldi regis in Insulam Sky *ad Godredum filium suum, vt Olauum occideret: Godredo hoc machinante, &* Lodhus *intrante, Olauus scapha modica fugit ad socerum suum comitem de* Rosse, *Godredus* Lodhus *depopulatur. Eo tempore Vicecomes de* Sky *Pol filius* Boke, *vir potens in omnibus insulis, quod Godredo consentire noluit, fugit, & cum Olauo apud Comitem de* Rosse *vna habitauit, & inito fœdere cum Olauo, venerunt ambo in vna naui ad* Sky. *Deniq; missis exploratoribus, didicerunt quòd Godredus in quadam Insula quæ vocabatur insula Sancti Columbæ securè cum paucis hominibus moraretur. Et coadunantes sibi omnes amicos, & notos suos, & eos qui se sponte sibi iungere voluerunt, intempestæ noctis silentio, tractis quinque nauibus de proximo maris littore, quod ad duorum stadiorum spatium distabat à prædicta insula, & insulam circumdederunt. Godredus autem & qui cum ipso fuerant surgentes primo diluculo, & videntes se vndique circumseptos ab hostibus, obstupuerunt. Sed armis indutis bellicis, viriliter resistere conati sunt, sed frustrà. Nam circa horam diei nonam Olauus, & Pol prædictus Vicecomes cum omni suo exercitu insulam ingressi sunt, & occisis omnibus quos extra septa Ecclesiæ repererunt, Godredum comprehensum oculis, & genitalibus priuauerunt. Quo tamen facto Olauus non concessit, nec resistere potuit, propter filium* Boke *prædictum Vicecomitem. Factum enim hoc anno Christi* MCCXXII. *In proxima æstate acceptis obsidibus ab vniuersis magnatibus insularum Olauus cum classe triginta duarum nauium venit ad Manniam, applicuitque apud* Rognolfwaht. *Ipso tempore Reginaldus & Olauus diuiserunt inter se regnum Insularum, data Mannia Reginaldo super portione sua cum reguli nomine. Olauus* II. *acceptis cibarijs à populo Manniæ cum comitatu suo ad portionem suam Insularum rediit. Sequenti anno Reginaldus assumpto secum Alano Domino Galwediæ cum Mannensibus ad insulanas partes profectus est. Vt partem terræ, quam dederat Olauo fratri suo auferret ab eo, & eam suo dominio subiugaret. Sed quia Mannensibus contra Olauum vel insulanos pugnare non libuit eò quòd diligerent eos, Reginaldus & Alanus Dominus Galwediæ, nihil proficientes ad propria reuersi sunt. Post modicum temporis Reginaldus sub occasione eundi ad Curiam domini Regis Angliæ accepit à populo Manniæ centum Marcas, & profectus est ad Curiam Alani Domini Galwediæ. Eodem tempore dedit filiam suam filio Alani in matrimonium. Quod audientes Mannenses indignati sunt valdè, & mittentes propter Olauum constituerunt eum sibi regem.*

MCCXXVI. *Recuperauit Olauus hæreditatem suam, regnum videlicet Manniæ, & insularum quod Reginaldus frater eius gubernauerat* XXXVIII. *annos, & regnauit securè duobus annis.*

MCCXXVIII. *Olauus cum omnibus optimatibus Manniæ & fortiori parte populi transfretauit ad insulas. Paulò post Alanus Dominus Galwediæ, & Thomas Comes Atholiæ, & Reginaldus Rex venerunt ad Manniam cum magno exercitu, totam australem partem Manniæ vastauerunt, & ecclesias spoliauerunt, & viros quotquot capere poterant occiderunt, & redacta est australis pars Manniæ ferè in solitudinem. Et post hæc reuersus est Alanus cum exercitu suo in terram suam, & reliquit Balliuos suos in Mannia qui redderent ei tributa patriæ. Superuenit autem Olauus Rex & fugauit eos & recepit regnum suum. Et cœperunt Mannenses qui antea circumquaque dispersi fuerant, congregari, & confidenter habitare.*

Eodem anno inopinatò intempesta nocte, hyemali tempore venit Reginaldus Rex è Galwedia cum quinque nauibus, & combussit omnes naues Olaui fratris, & optimatum Manniæ apud Insulam S. Patricij, pacemque petens à fratre suo, mansit apud portum Ragnollwath *quadraginta diebus; interim attraxit sibi omnes Insulanos in Australi parte Manniæ, qui iurauerunt se animas in mortem posituros donec dimidium regni sortiretur: contrà Olauus*

lauus Aquilonares sibi adiunxit, & XIIII. Februarij apud locum qui dicitur Tingualla, *commissum est inter fratres prælium, in quo Olauus vicit, & Reginaldus Rex à quibusdam interfectus est ibidem, nesciente fratre. Et venientes prædones ad Australem partem Manniæ, vastauerunt eam. Monachi de* Ruffin *transtulerunt corpus Reginaldi Regis ad Abbatiam S. Mariæ de* Fournes, *ibique sepultum est in loco quem ipse sibi elegerat. Post hæc Olauus adijt Regem Norwegiæ, sed antequam illuc perueniret, Haco Rex Norwegiæ quendam nobilem nomine Husbac filium Owmundi Regem insularum Soderensium constituit, vocauitque nomen eius Haconem. Venit autem idem Haco cum Olauo, & Godredo Don filio Reginaldi, & multis Norwegiensibus ad insulas, & dum expugnarent castellum in insula* Both, *Haco lapide percussus interijt, & in Iona sepelitur.*

MCCXXX. *Venit Olauus cum Godredo* Don, *& Norwegiensibus ad Manniam, diuiseruntque inter se regnum, Olauus Manniam obtinuit, Godredus ad insulas profectus in* Lodhus *insula occisus est, & Olauus regnum insularum obtinuit.*

MCCXXXVII. *XII. Calend. Iunij obijt Olauus Godredi filius Rex Manniæ in insula S. Patricij, & sepultus est in Abbatia de* Ruffin: *regnauit* XI. *annos, duos viuente fratre, & nouem post mortem eius.*

Haraldus filius successit, ætatis XIIII. *annorum, & regnauit* XII. *annis. Anno regni primo profectus ad insulas, & Loglennum consanguineum custodem Manniæ constituit, sequenti Autumno misit Haraldus tres filios* Nel, *nimirum Dufgaldum, Thorquellum, Molmore, & amicum suum Ioseph ad Manniam, vt consilium inirent. Igitur vicesima quinta die conueniunt apud* Tingualla, *& oborta inuidia inter filios* Nel, *& Loglennum pugnatum est vtrinque acriter, interfectis ibidem Dufgaldo, Mormore, & prædicto Iosepho. Vere sequenti Haraldus Rex venit ad insulam Manniam, & Loglennus in Walliam fugiens, cum Godredo Olaui filio alumno suo, & XL. alijs naufragio perierunt.*

MCCXXXVIII. *Gospatricius, & Gillescrist filius* Mac-Kerthac *venerunt à rege Norwegiæ in Manniam, qui Haraldum ex Mannia excluserunt, & tributa ad opus regis Norwegiæ capientes, quòd Curiam Regis Norwegiæ adire recusauit.*

MCCXL. *Gospatricius obijt, & in Abbatia de* Ruffin *sepelitur.*

MCCXXXIX. *Haraldus Regem Norwegiæ adiuit, qui post biennium confirmauit illi, & successoribus suis hæredibus sub sigillo omnes insulas quas antecessores possederant.*

MCCXLII. *Haraldus redijt ex Norwegia ad Manniam, & ab incolis honorificè susceptus, pacem habuit cum Regibus Angliæ & Scotiæ.*

MCCXLVII. *Haraldus, vti etiam & pater, factus est Miles a Rege Angliæ, & multis muneribus donatus venit ad propria. Eodem anno accersitus fuit à Rege Norwegiæ, & duxit eius filiam. Et anno* MCCXLIX. *dum reuerteretur cum vxore, Laurentio Manniæ electo, & multis nobilibus prope fines Radlandiæ orta tempestate submersus est.*

MCCXLIX. *Reginaldus Olaui filius, frater Haraldi cepit regnare pridie Nonas Maij, & tricesima die eiusdem occisus est ab Iuaro milite, & a suis in prato prope ecclesiam S. Trinitatis ad Australem partem; sepultusq; est in ecclesia S. Mariæ de* Ruffin.

Eo tempore Alexander Rex Scotorum coadunauit multas naues, vt sibi subijceret insulas, & in insula Kerwaray *febre correptus moritur.*

Haraldus filius Godredi Don Regis nomen in insulis vsurpauit, omnes principes Haraldi Regis Olaui filij exules fecit, & profugos eius principes, & optimates pro eis constituit.

MCCL. *Haraldus filius Godredi Don vocatus per literas adijt Regem Norwegiæ, qui detinuit illum in carcere, quòd regnum iniustè occupasset.*

Eodem anno applicuerunt apud Roghalwaht *Magnus Olaui filius, & Ioannes filius Dugaldi, qui regem se nominabat, sed Mannenses ægrè ferentes quòd Magnus non nominaretur, repulerunt eos à littore suo, quorum multi naufragio perierunt.*

MCCLII. *Venit Magnus Olaui filius ad Manniam, & constitutus est Rex, sequenti anno profectus est ad regem Norwegiæ & mansit ibi per annum.*

MCCLIIII. *Haco rex Norwegiæ constituit Magnum filium Olaui regem insularum, & confirmauit eas sibi, hæredibus suis, & nominatim Haraldo fratri eius.*

MCCLVI. *Magnus rex Manniæ profectus in Angliam, fit Miles a rege Angliæ.*

MCCLVII. *Ecclesia S. Mariæ de* Ruffin *dedicata est a Richardo Sodorensi.*

MCCLX. *Haco Rex Norwegiæ venit ad partes Scotiæ, & nihil expediens, versus ad Orcades ibi apud* Kirwas *moritur, & sepultus est* Bergæ.

MCCLXV. *Obijt magnus filius Olaui rex Manniæ & insularum apud castellum de* Russin, *& sepultus in ecclesia S. Mariæ de* Russin.

MCCLXVI. *Translatum est regnum insularum propter Alexandrum Regem Scotorum.*

Quæ sequuntur alio charactere, & recentiore descripta sunt.

MCCLXX. *Die septimo Octobris classis Alexandri Regis Scotorum applicuit apud* Roghalwath, *& sequenti die ante solis ortum commissum est prælium inter Mannenses & Scotos, & ceciderunt* 535. *Mannensium, Vnde quidam versificator,*

L. dies X. ter, & penta duo cecidêre,
Mannica gens de te, damna futura caue?

MCCCXIII. *Robertus Rex Scotorum obsedit Castrum de Russin, quod Dingawy Dowyl tenuit contra eum, sed tandem Rex Castrum cepit.*

MCCCXVI. *Die Ascensionis, Richardus* le Mandeuile, *& fratres eius cum magnatibus alijs Hiberniæ applicuerunt apud* Ramaldwath, *petentes sibi victualia, & argentum ministrari, quòd deprædati erant per hostes super eos continuè debellantes. Cùm Communitas respondisset se nihil velle dare, processerunt contra Mannenses cum duabus turmis, quousq; venerunt sub latere montis* Watthfell, *in campo vbi manebat Iohannes* Mandeuile, *& ibi commisso prælio deuicerunt Hibernici Mannenses, spoliauerunt insulam, & Abbatiam de* Russin, *& cùm per mensem insula perendinassent, impletis nauibus ad propria sunt reuersi.*

Hactenus è libro illo antiquo.

Finis Chronici Regum Manniæ.

Sequentis historiæ seriem nunc ex alijs attexam.

CUm Alexander Tertius Rex Scotorum occiduis insulis partìm victoria, partìm pecunia Norwegorum Regi numeratâ potitus esset, *Manniam* etiam quasi ex earum numero aggressus est, virtutéque Alexandri *Steward* sub suam redegit ditionem; Regulumque imposuit ea lege vt sibi nauali bello cum decem nauibus, quandocunque iuberet præstò adesset. Maria tamen filia Reginaldi Regis Manniæ (qui deuenerat *ligius homo* Iohannis Regis Angliæ) litem de Insula intendit coram Rege Angliæ, sed responsum tulit vt à Scoto peteret, quòd ille tunc temporis Insulam tenuerit. Eius autem ex filio nepos Ioannes *Waldebeof* (nupta enim fuit Maria in familiam de *Waldebeof*) ius auitum persequutus est in Parlamento anno Edw. Primi tricesimo tertio, coram Angliæ Rege tanquam Superiore Domino regni Scotiæ. Nihil aliud tamen responsi tulit, quàm (vt ex ipsis sacris scrinijs loquar) *Sequatur coram Iustitiarijs de Banco Regis, audiatur, & fiat iustitia.* Sed quod ille iure non potuit, Guilielmus de *Monteacuto* affinis eius (erat enim è *Mannensium* Regum familia oriundus) armis obtinuit. Tumultuaria enim Anglorum manu Scotos omnes Insulâ exturbauit, sed cùm ille ad hoc bellum magnum æs alienum conflasset, nec vnde nomina dissolueret, haberet; Anthonio *Bec* Episcopo Dunelmensi, & Patriarchæ Hierosolymitano in septem annos oppignorauit & vsumfructum legauit, eidemq; Antonio mox Rex ad vitam concessit. Posteà delicijs suis Petro de *Gaueston* concessit Rex Edwardus Secundus, quo tempore illum Cornubiæ Comitem

Domini Manniæ.

tem creauit, illoque extincto dedit Henrico de *Bellomonte cum omni dominio & iustitia regali*. Scoti autem mox sub Roberto *Brus* recuperârunt, & Thomas *Randolphus* bellicosus ille Scotus, vt longo post tempore Alexander Dux Albaniæ se *Manniæ Dominos* scriptitarunt, & recentioribus Regum Insularum insignibus vsi sunt, videlicet tribus humanis tibijs armatis, coniunctis, & poplitibus inflexis, cuiusmodi Sicilia nudis ad tria designanda promontoria olim numismatibus exhibuit. Antea tamen (vt è sigillis ipsorum Regum vidimus) nauis velo complicato illis in vsu erat, cum titulo *Rex Manniæ & Insularum*. Scotis circa annum MCCCXL. Guilielmus de *Monte-acuto* iunior Comes Sarisburiæ armata manu extorsit, qui *Manniam cum corona Anno Domini* MCCCXCIII. (vt habet Walsinghamus) Guilielmo *Scrop* grandi pecunia vendidit. Quo ob lesam maiestatem capite mulctato & bonis publicatis, in Henrici Quarti Regis Anglię ius deuenit, qui hanc insulam Henrico *Percio* Northumbrię Comiti concessit (quasi victor triumphato Guilielmo *Scrop*, quem ipse priuatus interceperat & securi percusserat cùm regnum affectaret) ea lege vt ipse posterique cùm Reges Angliæ inaugurarentur, præferrent ensem quo Henricus ille cinctus esset, cùm Angliam redux adiret, vulgò *Lancaster Sword*. Sed ipsius Regis verbis è Regijs Archiuis hoc proponere lubet. *De nostra gratia speciali dedimus & concessimus Henrico Comiti Northumbriæ Insulam, Castrum, Pelam, & Dominium de* Man, *ac omnia, insulas, & dominia eidem insulæ pertinentia, quæ fuerunt Guilielmi Le* Scrop *Cheualier defuncti quem in vita sua conquestati fuimus, & ipsum sic conquestatum decreuimus, & quæ ratione Conquestus illius tanquam conquæstata cepimus in manum nostram. Qua quidem Conquæstum & decretum in præsenti Parlamento nostro de assensu Dominorum Temporalium in eodem Parlamento existentium, quoad personam præfati Guilielmi, ac omnia, terras, tenementa, bona & catalla sua tam infra regnum nostrum, quàm extra ad supplicationem Communitatis regni nostri affirmata existunt, &c. Habenda & tenenda eidem Comiti & hæredibus suis, &c. per seruitium portandi diebus Coronationis nostræ & hæredum nostrorum ad sinistrum humerum nostrum, & sinistros humeros hæredum nostrorum per seipsum aut sufficientem & honorificum Deputatum suum, illum gladium nudum quo cincti eramus quando in parte de Holderness applicuimus, vocatum* Lancaster-Sword,&c. Quarto autem pòst anno Henr. ille *Percy* proscriptus, & mox licèt natalibus restitutus, *Mannia* tamen mulctatus erat, quæ collata fuit primò Guilielmo *Stanley*, posteà Ioanni *Stanley* vnà cum *patronatu Episcopatus*; &c. cuius posteri Comitatus Derbiæ titulo insigniti, & *Manniæ* Reguli vulgò appellati fuerunt.

Insignia Regum Manniæ.
Insignia antiqua Siciliæ.
An. 1. Henr. 4. Rot. 2. bundello 2.
Annales Th. Otterbon. Anno 7. Henr. 4.

Hinc ad *The Mulle of Gallway* siue Nouantum Promontorium nisi exiguæ planè nullæ occurrunt insulæ; sed hoc superato, in GLOTTA æstuario, siue *Dunbritton Frith*, GLOTTA insula eminet, cuius meminit Antoninus, nunc Scotis *Arran*, vnde Comites *Arraniæ* in Scotia; & huic vicina est quæ olim *Rothesia*, nunc *Buthe*, à sacra cellula quam Brendanus posuit, (sic enim cellula Scoticè dicitur). Inde *Hellan*, olim *Hellan Leneow*, id est, vt interpretatur I. Fordonus, *Sanctorum insula*, & *Hellan Tinoc*, id est, *Insula porcorum*, in eodem sinu conspiciuntur. Sed de his iam priùs dictum.

Glotta insula. Arran. Buthe.
Pag. 695.

Extra sinum confertissimæ iacent insulæ, quas ipsi Scoti qui incolunt, *Inch Gall*, id est, *Insulæ Gallecorum* fortasse, Angli & cæteri Scoti *The Westerne Iles*, id est, *Occiduæ Insulæ*, superioris æui scriptores HEBRIDES, sed Ethicus antiquus *Beteoricas*, & Giraldus alibi *Inchades* & *Leucades*, Plinius, Solinus, & Ptolemæus EBVDAS, *Hebudas*, & Ἐβούδας appellant. Nominis rationem elicere non possum, nisi ita dictas existimem, quòd fruges hîc non prouenerint; prodit enim Solinus harum incolas fruges nescire, & pisce tantùm, lactéque viuere, & *Eb eid* Britannicè *sine frugibus* sonat. *Incolæ* (vt inquit ille Solinus) *nesciunt fruges, piscibus tantùm & lacte viuunt. Rex vnus est vniuersis; nam quotquot sunt, omnes angusta interluuie diuiduntur: Rex nihil suum habet; omnia vniuersorum, ad æquitatem certis legibus stringitur: ac ne auaritia diuertat à vero; discit paupertate iustitiam, vtpote cui nihil sit rei familiaris: verùm alitur è publico. Nulla illi datur fœmina propria, sed per vicissitudines, in quamcunque commotus fuerit, vsurariam sumit, vnde ei nec votum, nec spes conceditur liberorum.*

Hebrides. Scotis ... or Westerne Iles
Vxor vsuraria

Harum XLIIII. vulgus esse affirmat, cùm multò sanè sunt plures, triginta esse Plinius scripsit, sed quinque percenset Ptolemæus. Prima RICINA est, Plinio RICNEA, Antonino RIDVNA, nunc *Racline*, & *Riclina* in Antonino legendum puto, *cl* in *d* coniuncto

Ricina. Racline.

iuncto temone facilè transit. Insula hæc parua est obiecta Hiberniæ, antiquis nota, quòd ipso freto inter Hiberniam & Scotiam interponatur, nullo nomine hodie celebris, quàm Scoto-hibernicorum strage, qui subinde occuparunt, & ab Anglis exturbati fuerunt. Proxima EPIDIVM est, quæ ex nomine, Epidiorum promontorio, & littori adiecisse

Ila. conijcerem cum optimo Geographo Ge. Mercatore. Cùmque in eo situ *Ila* Insula satis ampla, & campestri planitie ferax, conspicitur, hanc fuisse *Epidium*, aut *Epidiorum Insulam* dicam, nam Ἐπίδιον alicubi legitur. Longa hæc XXIIII. milliaria, XVI. lata, pecore, frumento, & ceruorum gregibus adeo læta, vt Regi Insularum altera post *Manniniam* sedes fuerit, vt hodie *Mac Connellorum* qui in hac ad *Dunyweg* suum habent castrum.

Iona. Inter *Ilam* & Scotiam *Iona* interiacet, Bedæ *Hy* & *Hu*, à Pictis Scotorum Monachis donata ob propagatum inter eos euangelium, vbi Monasterium Regum Scotiæ sepultura, & sanctorum virorum frequentia celebre, inter quos Columba Pictorum Apostolus primæ notæ fuit, à cuius cella insula etiam *Columb kill* appellatur, vti & vir ipse composito nomine *Columbkill* dictus fuit, testante Beda. Hic demùm, vt aliqui volunt, Episco-

Episcopus Sodorensis. palis sedes constituta erat in *Sodore* viculo, vnde insulæ omnes *Sodorenses* etiam appella-

Malcos. tæ fuerunt, quòd in eius diœcesi censetur. Inde MALEOS est Ptolemæi, nunc *Mula*, cu-

Mula. Vide de his G. Buchan. ius Plinius videtur meminisse, cum inquit *Reliquarum Mella* XXV. *mill. pass. amplior proditur*. Sic enim antiquissima Plinij æditio Venetijs concipit, vbi vulgatis legitur *Reliqua-*

Hebudæ. *rum nulla*. HEBVDA Orientalior nunc *Skie*, deinde Scotiæ littori longè obtenditur, &

Lewes. HEBVDA Occidentalior magis in Occasum diuergens, nunc *Lewes*, cui præest *Mac-Cloyd*, & in antiquo Manniæ libro, *Lodhus* dicitur, monticulis prærupta, saxosa, & raro

Eust. cultore, sed omnium amplissima, à qua exiguo Euripo *Eust* disiungitur. Cæteræ præter

Hirth. *Hyrtham* ignobiles sunt, aut saxis asperæ, aut cautibus inuiæ, & vix virenti cespite vestitæ: has tamen omnes velut imperij sui firmamentum numerata pecunia à Norwegis (vt diximus) coëmerunt Scoti, etsi minimum inde fructum percipiant, cùm incolæ, antiqui scilicet Scoti, siue Hibernici, homines erectis animis, & proiecta audacia, legum seueritate, & iudiciorum metu se illigari non patiantur. Quod verò ad mores, cultum, & linguam spectat, à syluestribus illis Hibernicis, de quibus egimus, ne tantillum discrepant, vt facilè vnam eademque esse gentem cognoscamus. Rerum in his potiuntur familiæ *Mac Conell*, *Mac Alen*, alijs *Maclen*, *Mac Cloyd de Lewis*, & *Mac Cloyd* de *Harich*. Longè autem potentissima est illa *Mac-Conellorum* quæ genus iactat a Donaldo qui regnante Iacobo tertio se *Regem Insularum* dixit, & in Scotiam nullo non crudelitatis genere efferè grassatus; quam tamen Iohannes filius proscriptus luit, coactus omnia sua regis voluntati subdere, a quo prædia in *Cantir* accepit. Superiori seculo ex his floruit Donel *Gormy Mac-Conell*, id est, *Cæruleus*, fortè a veste cognominatus, cui natus Agnus *Mac-Co-*

Vide pag. 769 *nell*, & Alexander qui relicta sterili & ieiuna *Cantira*, *Glinnes* in Hibernia inuasit, Agnus *Mac Conell* pater fuit Iacobi *Mac-Conell* a Shano *O Neal* occisi, & Surlei *Boy* qui terras in

1586. & 1598. *Rowt*, in Hibernia beneficentia R. Elizabethæ accepit: Iacobo *Mac Conell* natus erat Agnus *Mac Conell*, de quo iam anteà loquuti sumus, inter quem & *Mac Clen* odium immane tam penitus fuit insitum, vt nec vis communis sanguinis restinguere potuerit, quin cognato sanguine nefarie se contaminauerint.

Orkney. Ab Hæbudibus ad Ortum æstiuum, si littora legas, ORCADES demùm videas, nunc

Orcades. *Orkney* XXX. plùs minùs insulas interfuso Oceano discretas, quas ita appellat antiqua quædam membrana, quasi *Argat*, id est, vt ibi interpretatur, *supra Getas*: malim supra *Cat*, obiacet enim *Cath* regioni Scotiæ, quam ob promontorium *Cat-nesse* nunc appellitant, cuius incolas CARINI pro *Catini* perperam Ptolemæo nominari videntur. Solini ætate homine vacarunt, & iunceis herbeis inhorruerunt, nunc verò cultæ sunt, sed sine syluis, hordei satis feraces, tritici, & arborum omnino indigæ. Ex his Pomonia

Pomona. Episcopali cathedra celebris, primaria est; à Solino POMONA *diutina* ob diei prolixitatem vocata, hodie *Mainland* incolis, quasi continens esset, Sede Episcopali in *Kirkwale* oppidulo, & duobus castris ornata. Stannique, & plumbi ferax. OCETIS etiam inter

Ocetis. has à Ptolemæo recensetur, quam *Hethy* nunc dici coniectamus. An vero *Hey*, quæ in-

Dumna. ter has numeratur Plinij DVMNAM dicam, nondum statui. Certè si non sit, malim *Faire Ile*, id est, *Insula pulchra*, cuius opidum quod habet vnicum *Dumo* dicitur, *Dumnam* existimare,

ſtimare, quàm cum Becano *Wardhuys* in *Lappelandia* cenſere. Iulius Agricola claſſe primus Britanniam circumuectus, Orcadas ad id tempus incognitas inuenit, domuitque, tantum abeſt vt Claudius deuicerit, (quod Hieronymi Chronicis aſſeritur) vt Hadriani tempore Iuuenalis cecinerit:

Arma quid vltra
Littora Iuuernæ premouimus, & modò captas
Orcades, & minima contentos nocte Britannos?

Deinde verò cùm Romanorum concideret in Britannia imperium, Pictorum ſedes fuerunt, & Claudianus poeticè luſit:

Maduerunt Saxone fuſo Orcades.

Ninnius etiam prodit Octham & Ebiſſum Saxones, qui Britannis meruêrunt, cum VL. *Cyulis*, id eſt, Myoparonibus circa Pictos nauigâſſe, & Orcades deuaſtâſſe. Poſteà in Norwegorum poteſtatem deuenerunt, (vnde & Gothicè loquuntur incolæ) ceſſione Donaldi *Ban* qui poſt obitum fratris Malcolmi *Can-Mor* Regis Scotorum, excluſis nepotibus, regnum inuaſerat, vt eorum ope in concepto ſcelere ſubleuaretur; tenueruntque Norwegi ad annum Salutis MCCLXVI. tunc enim Magnus eius nominis quartus, Rex Norwegiæ bellis a Scoto attritus Alexandro III. Regi Scotorum ex pactis reddidit, eaſdemque Regi Roberto *Brus* anno MCCCXII. confirmauit Haquinus Rex Norwegorum. Demumque anno MCCCCLXVIII. omni iure ſuo pro ſe & ſucceſſoribus Chriſtianus Primus Rex Norwegiæ & Daniæ cùm filiam in vxorem daret Iacobo Tertio Regi Scotorum renunciauit iuſq; ſuum omne in generum atq; ſucceſſores tranſtulit; ad ſolidius etiam firmamentum Pontificis Romani acceſſit confirmatio.

Comites Orcadum antiquiores vt taceam, qui etiam iure hæreditàrio *Cathneſia*, & *Strathernia* Comitatus conſequuti ſunt, Tandem per hæredem fœmellam titulus Orcadum ad Guilielmum de *Sancto Claro*, ſiue *Sent-cler* deuenit, & Guilielmus Quartus ex hac ſtirpe Comes dictus *Prodigus* qui patrimonium effudit, ex hac ſtirpe fuit Comes poſtremus. Poſteri tamen honore Baronum *Sen-cler* ad hæc vſque tempora floruerunt. Cathneſiæ autem titulus in poſteris fratris eius etiamnum permanet. Noſtra autem memoria delatus erat honorarius hic titulus Comitis Orcadum & Domini *Shetlandiæ*, Roberto filio naturali Regis Iacobi Quinti, eodemq; filius eius Patricius *Steward* hodie lætatur. Orcadum Comites.

Vltra Orcades, & ſupra Britanniam, antiquus ille in Horatium Commentator Fortunatas inſulas locat, vbi nullos niſi pios & iuſtos habitare ſcripſerunt, ſuiſque carminibus loci amœnitatem & fertilitatem celebrant Græci, Eliſios campos appellantes. Sed de his Fortunatis inſulis aliud fabuloſi Græculi Iſacij Tzetzis ex ſuis ad Lycophronem notis (ſi placet) accipe. *In Oceano eſt Britannia Inſula inter Occidentalem Britanniam, & Thulem Ortum ſpectantem, Illuc aiunt mortuorum animas tranſportari, nam in littore Oceani, in quo eſt Britannia Inſula, piſcatores habitant ſubditi quidem Francis, tributum verò illis non pendentes, eò quòd tranſmittant mortuorum animas, vt aiunt, Illi enim diſcedentes, domi circa veſperum dormiunt, pulſantes verò paulò poſt, quoſdam in ianua ſentiunt, & vocem audiunt illos ad opus vocantem. Surgentes porro, ad littus accedunt, ignorantes quæ illos ducat neceſſitas, videntque naues præparatas, ſed non ſuas & vacuas hominibus, quas ingreſſi remos mouent, & pondus nauium ſentiunt, ac ſi hominibus oneratæ eſſent, ſed neminem vident. Impetu deinde vno in Britanniam inſulam perueniunt, quum vix aliàs ſuis nauibus vſi, vnius noctis & diei nauigatione illuc perueniant. Quum vero in inſulam peruenerint, rurſus neminem vident, ſed vocem audiunt recipientium illos qui in nauibus ſunt, illoſque numerantium ex genere patris ac matris, præterea ſecundùm dignitatem, artem, & nomen ſingulos vocantium. Cæterùm illi exonerata naue, rurſus vno impetu domum reuertuntur. Hinc multi exiſtimant ibi eſſe Beatorum inſulas.* Eiuſdem etiam farinæ videatur Poeticus ille Geographus, cuius Muretus in Varijs Lectionibus meminit, qui prodidit C. Iulium Cæſarem eò aliquando vna triremi cum centum hominibus delatum: cúmque incredi- Inſulæ Fortunatæ. E verſione B. Bertrandi.

 bili

bili loci amœnitate captus, sedes ibi capere vellet, ab illis ἀειδέσιν, id est, inuisibilibus incolis inuitum & reluctantem eiectum esse.

Thule. Quinque dierum & noctium nauigatione ab Orcadibus THVLE à Solino statuitur. Insula si qua alia Poetis celebratissima, cùm disiunctissimum aliquid innuerent, quasi totius orbis remotissima; hinc Virgilius, *Tibi seruiat vltima Thule*. Seneca, *Terrarum vltima Thule*. Iuuenalis, *De conducendo loquitur iam Rhetore Thule*. Claudianus, *Thulem procul axe remotam*, & alibi, *Ratibus imperuia Thule*. Statius, *Ignotam vincere Thulem*. Et Ammianus Marcellinus quasi Adagij loco vsurpat, *Etiam si apud Thulem moraretur*: vt cætera omittam. Hoc tamen adnotasse liceat Thulem pro Britannia à Statio illo istis in versibus vsurpari.

Thule pro Britannia.

Cærulus haud aliter cùm dimicat incola Thules,
Agmina falcifero circumuenit acta couino.

Et in illo Syluarum vt videtur,

——*refluo circumsona gurgite Thule.*

Nomen traxisse scribit Suidas, à Thule Rege Ægyptio, Isidorus à Sole, Reynerus Reneccius à Saxonica dictione *Tell*, .i. *limes*, quasi Septentrionis & Occidentis limes fuerit. Verumenimuerò an Thule aliqua fuerit, dubitat Sinesius, & nusquam comparere scribit Giraldus noster, ancipitique de ea sententia distrahuntur doctiores. Plerique *Islandiam* cœlo rigenti & perpetua hyeme damnatam Thulen olim vocatam asseruerunt: his tamen Saxo Grammaticus, Crantzius, Milius, Iouius, Peucerus refragantur. Nec me latet vastissimam illam regionem Scandiam sub Thules nomine à Procopio describi. At si verum sit quod doctissimus Gaspar Peucerus libro de Terræ dimensione retulit, *Schetlandiam* nautis *Thilensell* vocari, (nec eius fidem imminuere ausim) sanè Thule inuenta, & res iam tandem confecta. Hæc enim *Schetlandia* est insula alijs exiguis coronata sub imperio Scotorum, frigore obrigens, & vndiq; procellis exposita, cuius incolis, perinde vt *Islandiæ*, piscis exsiccatus & contusus pro farre est. Et quanquam huic Polus Arcticus non ita attollitur, vt diem perpetuum sex menses habeat, quod de Thule Pithæas Massiliensis à Strabone iustè notatus finxit, nec enim hoc *Islandiæ* ipsi contingit, vbi perpetua quasi hyems, & ferè rigor intolerabilis sedet. Vt *Schetlandiam* tamen Thulem fuisse quis existimet, facit primùm situs apud Ptolemæum: LXIII. enim grad. ab Æquinoctiali definita est, vt apud illum Thule, tum quòd inter Norwegiam & Scotiam interiacet, vbi Saxo Grammaticus Thulen ponit, inde quòd bidui nauigatione à Calidoniæ promontorio, siue *Cathnes* abest, qua distantia Thulen ponit Solinus, & Tacitus dicit *Thulen* dispectam fuisse Romanis Britanniam per Orcadas circumnauigantibus. Postremò quòd Bergarum Norwegiæ littori apposita sit, quo loci Thulem posuit Mela, apud quem *Belgarum littori*, corruptè legitur pro *Bergarum*. *Bergæ* enim vrbs Norwegiæ Schetlandiæ obiacet, & Plinius BERGOS hoc tractu nominat, quam non dubito esse regiunculam illam, in qua Bergæ florent, vt *Norway*, Plinij esse NERIGON nemo inficias ibit. Sed de hac Thule satis, quam nix & hyems antiquis (vt ait ille) abdidit, & sanè nobis: nec quis eorum certò dixerit quamnam Septentrionalium insularum innuerint, cùm Thulen ita celebrarint. De dierum longitudine in ignota illa insula cùm de Britannia egerit, hos è Dionysio versus transtulit Festus Auienus.

Islandia. Lib. 2. belli Gotthici. Schetlandia, quæ nonnullis Hethlandia. Bergos. Nerigon.

Longa dehinc celeri si quis rate marmora currat,
Inueniet vasto surgentem gurgite Thulen,
Hic cùm plaustra poli tangit Phœbeius ignis,
Nocte sub inlustri rota Solis fomite flagrat
Continuo, clarumq; diem nox æmula ducit.

Quod

Quod Pomponius Mela etiam annotauit. *Thule Belgarum littori opposita est Graijs & nostris celebrata carminibus, in ea quòd Sol longè occasurus exurgit, breues vtique noctes sunt, sed per hyemem vt alibi obscuræ, æstate lucidæ, quòd per id tempus iam se altiùs euehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per solstitium verò nulla, quòd tum manifestior, non fulgorem modò, sed sui quoq; partem maximam ostendat.*

Supra has insulas mare Pigrum, Concretum, & Glaciale dicitur, quòd asperum sit ob glaciei conglomerationes, & vix ratibus peruium. CRONIVM etiam antiquis appellatur à Saturno, quòd in insula hîc quapiam Britannica, vt refert Plutarchus, fabulantur Saturnum in profundo pumicis aurei antro dormientem teneri, illi etiam arctissimum esse somnum à Ioue pro vinculo immissum, aues ambrosiam afferre, cuius odore totus locus fragrat, dæmonas famulos ei multos additos esse, à quibus obseruatur, à quibus ei ministratur, & seruitur. Qua fabella, ni fallor, metallorum venas, quibus Saturnus præest, his insulis latere subindicatur, quæ tamen exercendis fornacibus lignorum inopia damnatæ sunt. Mare Glaciale siue Cronium. Saturnus captiuus.

Infra verò *Thulen* ad Austrum, Germanicum mare diffunditur, in quo septem ACMODAS, Mela HAEMODES vocat, spargi Plinius asserit; sed cùm has Daniæ constet esse insulas in sinu Codano, *Lelant, Fuynen, Laglant, Muen, Falstor, Leyland, & Femerem*, non est cur illis immorer, vti nec in GLESSARIA, siue ELECTRIDA, sic dicta, ob electrum ibi è mari eiectum, quod Sotacus credidit ex arboribus in Britannia effluere. Cùm autem Germani antiqui electra *Glesse* vocarint, *Lesse* insulam ad *Scagen* Daniæ promontorium, GLESSARIAM olim dictam fuisse cum eruditissimo viro Erasmo Michaele Læto lubens existimo. Acmodæ. Glessaria.

In ipso autem mari Germanico, quà Britanniam alluit, admodum raræ comparent insulæ, nisi quæ sunt in freto Edenburgensi, *May* scilicet, *Basse, Keth, & Inche Colme* .i. *Columba Insula*. In Northumbriæ littore, *Lindi* fluuio vna obiecta est *Lindis-farne*, Britannis *Inis Medicante*, quæ vt Bedam audias, *accedente, & recedente reumate, id est, æstu, bis quotidie instar insulæ maris circumluitur vndis, bis renudato littore contigua terræ redditur.* Vnde ille *Semi-insulam* appositè vocauit. Pars occidua angustior & cuniculis relicta, isthmo admodum tenui orientali connectitur, quæ multò latior, quà Meridiem spectat, opidulum habet cum Ecclesia, & in eo castrum, vbi olim sedes fuerat Episcopalis quam Aidanus Scotus euocatus ad fidem Christianam Nordandumbris annunciandam instituit, loci solitudine & recessu delectatus; sederuntque ibi vndecim Episcopi: Posteà autem irruentibus Danis sedes Dunelmum translata fuit. Sub opido portus subest non incommodus, quem propugnaculum in colle ad Euro-austrum positum tuetur. In vita S. Cuthberti.

Hæc ob sanctorum monachorum habitationem *Holy Iland* Anglis vocatur. De qua Alcuinus in epistola ad Egelredum Northumbriæ Regem. *Locus omnibus in Britannia venerabilior, Paganis gentibus datur ad depradandum, & vbi primùm post discessum S. Paulini ab Eboraco Christiana religio in nostra gente sumpsit exordium, ibi miseriæ & calamitatis sumpsit initium.* Ad septimum hinc milliare Euroaustrum versus *Farn* insula conspicitur, à *Banborrow* castro duobus ferè milliaribus dissita, altissimo inclusa Oceano, & cautium corona incincta, quæ suum habet ferè in medio munimentum. Eò loci (vt perhibent) vbi Episcopus Lindisfarnensis Cuthbertus ille Diuus tutelaris Borealium Anglorum, vt Deo vacaret, *Condidit* (vt inquit in eius vita Beda) *ciuitatem suo aptam imperio, & domos in hac ciuitate congruas erexit. Erat enim ædificium situ penè rotundum, à muro vsque ad murum mensura quatuor, vel quinque perticarum distentum. Murus ipse deforis altior longitudine stantis hominis: nam intrinsecùs immanem cædendo rupem multò illum fecit altiorem, quatenus ad cohibendam oculorum, siue cogitationum lasciuiam sufficeret, ad erigendam in superna desideria totam mentis intentionem pius incola nihil de sua mansione præter cœlum posset intueri. Quem videlicet murum non de secto lapide, vel latere, vel cemento; sed impolitis prorsus lapidibus, & cespite, quem de medio loci fodiendo tulerat, composuit. E quibus quidam tanta erant granditatis, vt vix à quatuor viris videantur potuisse leuari. Duas in* Holy Iland. Farne Ile. Beda in vita Cuthberti.

mansione habebat domos, Oratorium scilicet, & aliud ad communes vsus habitaculum. Quorum parietes de naturali terra multum intus forisque circumfodiendo, siue cadendo confecit. Culmina verò de lignis informibus & fœno superposuit. Porrò ad portum insulæ maior erat domus, in qua visitantes eum fratres suscipi & quiescere possent, nec longè ab ea fons eorundem vsibus accommodus. Huic adiunguntur minores aliæ ad Septentriones insulæ, *Widopens*, *Staple Iland* quæ duobus abest milliaribus, *Bronsman*, & his minores duæ quas *Wambes* nominant.

Saxonum insulæ.

Post has, *Coquedi* insula vulgò *Coquet*, Coquedi fluminis ostio præiacet carbone fossili satis fœcunda. Nec plures hoc tractu eminent insulæ, sed è regione, *Saxonum insulæ*, nunc *Heilichlant*, id est, *Insula sacra*, & multa perpetua quasi serie Frisiæ Orientali & Occidentali prætexuntur, inter quas Romanis armis notissima erat, quæ Straboni BVRCHANIS, Plinio BVRCHANA, & FABARIA Romanis, à frugis similitudine sponte prouenientis, quam (vt obiter restituam, quamuis ad institutum non spectet) *Borkun* esse Amisiæ ostio obiectam, nomen ipsum loquitur.

Burchanis. Lib. 7. Borkun.

Inferiùs ad Hollandiæ littus quà Rhenus se olim exonerauit, fluctibus obteguntur Armamentarij antiquissimi fundamenta, quæ rariùs Oceani inundatione nudata, admirandum venerandæ antiquitatis spectaculum, & nobilissimum substructionis formam exhibent, quam elegantissimis Typis Abrah. Ortelius veteris Geographiæ instaurator, & amicus mihi coniunctissimus ex ipso Oceano vindicauit. Huius libentiùs meminerim, quod Hollandi *Huis te Britten*, id est, *domum Britannicam* indigitant, vt saltem nomine sit Britannica. Vt enim in confesso est C. Caligulam cum Britanniam cogitaret in ludicra illa expeditione, pro pharo construxisse; ita Septimium Seuerum vetustate collapsam restituisse antiqua inscriptio ibi effossa testatur. Vnde tamen *Britten* dicta fuerit, in coniectura positum. A Britannis, vt nomen sortiatur, probabile est, *Brettam* enim Philip. Melancthonis patriam a Britannis denominari ipse credidit, & *Montes* in Hannonia *Breten* à Britannis dictos fuisse alibi legimus. Veruntamen, vt cum Plinio loquar, cùm ille *Britannica herba*, quæ Bataulæ peculiaris, nomen miretur, nisi fortè confines Oceano Britanniæ propinquæ dicauerint: sic ego, cur hæc arx, *Britannica* diceretur, demiror, nisi nostræ Britanniæ oppositæ Bataui consecrarint. Locum in Morinis *Portum Morinorum Britannicum* vocat Plinius, vel quòd inde in Britanniam traijcerent, vel quòd ex aduerso prospiceret. Quid igitur impedit, quò minùs hæc arx eadem ratione Britannica appellaretur? Huc enim Britannos sæpe appulisse, & hinc è Germania in Britanniã traiectum fuisse nemo diffiteri possit, cùm Zosimus Oceanum inter Britanniam, & hoc Rheni ostium interfusum, dcccc. stadijs tanquam vsitatum traiectum dimensus fuerit, scripseritq; annonam è Britannia ad hunc locum subuehi solere, & inde fluuialibus nauigijs aduerso Rheno ad Romanorum castra distrahi: cùm Iulianus Aug. *Horrea extrueret*, vt inquit Marcellinus, *vbi condi posit annona a Britannis sueta transferri.* Quo tempore hoc armamentarium in horreum conuersum, & ex Britannica annona, *Britannicum* appellatum videatur, eoque magis quòd in Hollandiæ monimentis *Britenburg* concipitur. Illa enim ætas castra opportuna, & annonæ copia referta, *Burgos*, vt est in Burgundionum historia vocauit. Quid (vt hac in re, quæ tam multos incertat, coniecturam ex coniectura contexam) si Britanni hoc occupauerint, & suo nomini adoptauerint, quum Magnum Maximum, quem alij Clementem Maximum nominant, purpura contra Gratianum induerint? Ille enim ad hoc Rheni ostium adpulit. Si nec dum hoc Britannicum nomen acceperit, quid si Saxones *Huis de Britten*, vocarint, quòd in Britanniam hinc soluerint, cum nostra littora suis *Ciulis*, (sic myoparones vocarunt) infestarent. Saxones enim Batauiam, Salijs Francis expulsis, insedisse docet Zosimus, & inde in Britanniam se infudisse satis clarè constat. Quod etiam, vt antea dixi, Dominus Ianus Dousa vir verè nobilis & doctissimè eruditus in sua Ode Lugdunensi innuit. Audi tamen, ne in Britannicam gloriam effusior videar, cùm doctiss. Batauiæ alumnus Hadr. Iunius Britannicam herbam ad *Britten* suæ gentis vocabulum reuocarit, quod copiosè proueniat in cespitibus quos illi *Britten* dicunt, & è quibus contra Oceanum aggeres extruunt: neutiquam absurdum erit, si quis hanc *Huis te Britten* ad eandẽ originem referat, sc. ita nuncupatã fuisse, quòd cõtra incursantes vndas oppositis aggeribus e cespite, siue *Brittẽ* munita fuerit, quas cùm

Armamentarium Britannicum in Hollandiæ littore. Britten huis.

Portus Morinorum Britannicus. Chamaui iuxta coluerunt ex Eunapij legationibus.

Burgus quid.

Zosimus li. 4.

Saxones in Hollandia.

Ianus Douza.

In nomenclatore.

Britten herba

Ocean

Oceani violentia interscidisset, etiam ædificium depressisse videatur. Sed hæc viderint illi qui vim verbi, & loci situm penitiùs perspiciunt, & mihi ignoscant si in alienam messem hic falcem immiserim.

In ea ora Zelandiæ etiam insulæ Scaldi, Mosa, & Oceano circumfusæ sunt, de quibus hoc solùm attexam, quòd *Valachriæ* nomen, (ea inter has prima est) à Wallis nostris enatum conijcit Lemnius Leuinus. E regione Zelandiæ Tamisis nobilissimus Britanniç flu. in Oceanum illabitur, quò loci duas insulas TOLIAPIN & CAVNAM, siue CONVENNON locat Ptolemæus. De altera Toliapi quam *Shepey* suspicor, vide in Cantio. Zeland. Toliapis. Caunus. Canuey. Vide in Essex. pag. 318. Shepey.

Magis ad Ortum extra Tamisis ostium *Tanato* insulæ locus vadosus, arenosus, & nauigantibus insidiosus longè præiacet, quem *Goodwine sands* vocant, vbi insulam anno MXCVII. absorptam, quæ Comitis Goodwini patrimonium erat, produnt Annales. De quo sic Ioannes Twinus. *Fuit hæc terra valdè fertilis, & pascuis abundans, paulo humilior quàm Tanatos, ex qua transitus per nauiculam, tria aut quatuor millia passuum longus erat. Hæc insula, insolita tempestate ventorum, imbrium furore turbulento, & inaudita maris rabie immergitur, & eructata arena incredibiliter obducitur, & irrecuperabiliter in dubiam terræ & maris naturam conuertitur: intelligo enim quid loquor, quia interdum tota fluitat, interdum verò patitur gradientes decedente mari.* Forsan hæc *Toliapis*, ni malis pro *Toliapis*, *Thanatis* legere, & nonnullis exemplaribus *Toliatis* legitur, de qua in Cantio egimus. Goodwine sands. Lomea insula.

Hoc in loco immensa aquarum vastitas ita coarctatur, vt Oceani fauces inter Europæ Continentem & Britanniam non ampliùs XXX. mill. pass. pateant, quæ angustiæ *Fretum* alijs *Britannicum*, alijs *Gallicum* dicitur, & maris est Britannici, limes quod sensim littora, quæ quasi coierant, semouet, & terris vasta æqua portione cedentibus, Britanniam & Gallias ab Ortu ad Occasum interluit. Ab hoc Britannicum Mare incipit, in quo primùm occurrit insula, seu potiùs peninsula *Selsy*, Saxonicè Seolj-ea, id est, iuxta Bedam, *Insula vitulorum marinorum*, siue *Phocarum*, quas nostra lingua *Seales* vocamus. Sed de hac iam antea dixi pagina 220. Fretum Britannicum. Vide pag. 247. Mare Britannicum. Seales.

Superiùs VECTA insula iacet, *Guith* Britannis, Wuit-land, & Wiht-ea Saxonibus (insulam enim Ea vocârunt) nobis *The Isle of Wight*, & *Whight*. De qua iam priùs dictum. Vecta. The Isle of Wight. Pag. 197.

De Portlandia, quæ nunc non insula, sed continenti annectitur, iam antea in Durotrigibus egimus. Portlandia. Vide in Comitatu *Dorset*.

Hinc ad oppositum Galliæ littus traijciam, vbi à *Beerfleet* Normanniæ, ad medium vsque canalem mare scopulis, & cautibus quasi constratum esse affirmant nautæ, inter quas Guilielmus Henrici Primi filius Angliæ, & Normanniæ hæres dum è Normannia in Angliam transmitteret, anno Salutis CIↃCXX. luctuoso naufragio cum sorore, fratre notho, & alijs è flore nobilitatis submersus erat. Vnde eius seculi Poeta:

Abstulit hunc terræ matri maris vnda nouerca,
Proh dolor; occubuit Sol Anglicus, Anglia plora:
Quæq́ue priùs fueras gemino radiata nitore,
Extincto nato viuas contenta parente.

Funus plangendum, priuat lapis æquoris vnus,
Et ratis vna suo principe regna duo.

Aliúsque eodem tempore hæc carmina de illo naufragio procudit.

Dum Normannigenæ Gallis claris superatis,
Anglica regna petunt, obstitit ipse Deus:
Aspera nam fragili dum sulcant æquora cymba,
Intulit excito nubila densa mari.
Dumq́ue vagi cæco rapiuntur tramite nautæ,
Ruperunt imas abdita saxa rates.

 Sic

Sic mare dum superans tabulata per vltima serpit
Mersit rege satos, occidit orbis honos.

Magis ad Occasum nonnullæ insulæ Galliæ prætentæ, Anglici tamen iuris in alto apparent: primùmque Normanniæ, siue Lexobiorum littori quos Britanni nostri *Lettaw* quasi *Littorales* vocant. *Alderney* adiacet quæ in Regijs Archiuis *Aurney* & *Aureney* & *Aurigney* dicta, vt ARICA illa videatur quæ apud Antoninum in Regis Hispaniarum exemplari inter Britannici maris insulas habetur. EBODIAM siue EVODIAM illam esse cuius solus meminit P. Diaconus huius plagæ parum gnarus, alij opinantur, quam ad trigesimum à Sequanico littore mill. statuit, & *aquarum garrulitatem in Charibdim vergentium* longè exaudiri narrat. Cæterùm hæc *Alderney* quæ vix septem à Promontorio Normanniæ *Le Hague* abest milliaribus, octo plus minus mille passus ambitu colligit, solo vberi, pascuis & aruis læta Ecclesiam habet, & ædes octoginta numerat. Nescio an memorem molarem gigantis dentem tantæ magnitudinis in hac insula fuisse inuentum, vt pugnum æquaret, cùm B. Augustinus se tam ingentem vidisse scribat, vt si in nostrorum dentium modulos minuatim conciderentur, centum videretur facere potuisse. Hinc in Occasum scopulosa cautium eminentia procurrit, nautis metuenda, quibus *Quasquettes* appellantur.

(Alderney. Arica. Ebodia. Dens Gigantis. De Ciuit. Dei Lib. 15. c 9.)

His subest ad Meridiem CAESAREA ab Antonino memorata, vix duodecim mille passus dissita, quam Galli nunc ita contraxerunt, vt *Cæsaris Burgum* in Normannia, & Hispani *Cæsaraugustam* in Hispania, *Gearzey* enim illi indigitant, vt *Cherburgh* pro *Cæsaris burgo*, *Saragosam* pro *Cæsaraugusta* dicunt. Gregorius Turonensis vocat *insulam Maris quod Constantiæ ciuitati* adiacet, vbi narrat quomodo Prætextatus Episcopus Rothomagensis huc relegatus erat, vt Papirius Massonius *Insulam litoris Constantini* vocat, quod Constantiæ antiquæ vrbi obiacet, quæ Ammiano CASTRA CONSTANTIA dici videantur, & superioribus sæculis *Moritonium*. Scribit enim Robertus Montensis, *Comes Moritonij*, id est, *Constantiarum*, si illud non sit à librario, *Moritonium* enim, quod nunc *Mortaigne*, longius à mare abest.

(Cæsarea. Gearsey. Castra Constantia. Moritonium.)

Insula hæc triginta plus minus mill. pass. ambitu colligit, cautibus & breuibus (quæ vadosa sunt loca nauigantibus insidiosa) defensa. Terra satis fertilis, varijs frugibus & gregibus abundat, oues habet multas, & ex ijs plurimas quatuor cornibus conspicuas. Cœlo admodum salubri, nec alijs morbis quàm febribus mense Septembri (quas quidem *Settembers* vocant) obnoxio, adeò vt medicis hìc nullus locus. Cùm autem exiguum ignis alimentum ferat, pro lignis alga marina (*Vraic* vocant) vtuntur. Quæ Fucus marinus Plinij esse iudicatur, atque scopulosis circumquaq; insulis & rupibus copiosissimè prouenit. Hęc sole siccata pro igne est, & cuius cinere tanquam marga, & terræ adipe agros veruactaque lætificant, vberrimaque faciunt. Nec licet hanc nisi tempore verno & æstiuo colligere, idque diebus à magistratu indictis. Quo tempore festiua quadam lætitia ad littora vndique cum suis carris confluunt, & ad rupes vicinas suis lembis certatim confluunt. Sed quod huius generis à mari eijcitur, pauperculis in suum vsum colligere licet. Interiora insulæ leuiter collibus intumescit, sub quibus amœnæ valles riuulis rigatæ substernuntur, fructiferis arboribus & Pyris è quibus potum conficiunt, consitæ. Villis frequens est, Parœcijs duodecim distincta, & commodis vndique stationibus sinuata, inter quas securissima est in Australi insulæ parte inter opidula S. Hilarij, & S. Albani, quæ suam habet insululam præsidio munitam omni aditu circumcisam, in qua S. Hilarium Pictauensem Episcopum huc relegatum sepulturę traditum ferunt. Opidum enim eius nomini sacrum è regione huius insulę primarium censetur opidum, tum ratione emporij, tum fori iudiciarij quod ibi statuitur. Ad Orientale latus quà Constantiam vrbem ex aduerso prospectat, pręruptę rupi castrum affigitur munitissimum elato nomine *Mont Orgueil*, quod plurimum Henr. v instauratori debet, cui cum presidio pręest qui vniuersę insulę pręficitur, qui olim *Custos Insulæ* dictus, & regnante Henrico III. cc. libras singulis annis accepit. Ab Austro sed longiori interuallo cernitur *S. Malo*, à Maclouio viro summę sanctitatis nouo nomine assumpto, cum prius Ciuitas *Diablintum* diceretur, & in Notitia antiqua ALETVM, in manuscripto enim Isidori Mercatoris

(Vraic. Fucus marinus. S. Hilarius. Mont Orgueil. Mons superbus.)

ris expresse legitur, *Ciuitas Diablintum quæ alio nomine Aletum*. Incolæ piscationi, sed inprimis agriculturę strenuè incumbunt, mulierculæ autem tibialibus texendis quæ *Iarsey Stockes* vocamus, magnum sanè quęstum faciunt. Aletum.

Quòd ad Politiam spectat, Gubernator à Rege Anglię missus summus est magistratus, ille *Ballinum* constituit, qui cum duodecim *Iuratis* assessoribus è singulis duodecim parœcijs, Parochianorum suffragijs selectis, in ciuilibus ius dicit: in criminalibus cum septem ex iuratis: in caussis ex æquo & bono cum tribus.

Viginti hinc milliaribus ad occasum æstiuum altera abest insula, quæ Antonino SARNIA, nobis hodie *Garnsey* appellata, cytharæ quasi forma ab Ortu in Occasum proiecta, *Cæsarea* quam dixi, nec magnitudine nec fœcunditate adæquanda, parœcias enim tantùm decem habet. In hoc tamen præferenda, quòd nihil venenosum, vt illa, alat. Naturæ munimentis tutior, vtique prærupta cautium corona redimita, inter quas Smyris lapis durissimus, & asperrimus reperitur (nos *Emeril* vocamus) quo gemmarij lapides expurgant, scinduntque, & vitriarij vitrum diffindunt. Portus etiam commoditate, mercatorumque commeatu multò est celebrior. In extrema enim ferè ad Ortum parte sed australi latere, lunato sinu portus admittitur magnarum nauium capax, cui adsidet opidulum *Sancti Petri* longa platea & angusta productum, bellico apparatu plenum & mercatoribus cùm bellum ingruit, frequentissimum. Veteri etenim Regum Angliæ priuilegio perpetuæ hîc sunt quasi induciæ & Gallis alijsque quamuis bellum exardescat, vltrò citroque huc sine periculo venire, & commercia securè exercere licet. Portus aditus qui satis scopulosus vtrinque castris munitur, ad sinistram vetus est castellum, ad dextram alterum (*Cornet* vocant) è regione eminet in rupe satis ædita, & accedente æstu mari circumflua. Quod regnante Maria, Leonardus *Chamberlen* Eques auratus, & insulæ Præfectus, nuperque Thomas *Leighton* successor nouis operibus firmari curarunt. In hoc enim plerumque agit insulæ Præfectus & milites præsidiarij qui Gallos & fœminas nullo modo ingredi patiuntur. Ad Aquilonem peninsula adnectitur *La-Val*, quæ suum habuit religiosorum conuentum, siue Prioratum. In Occidua parte iuxta mare lacus est qui ambitu mille quingentos passus colligit, piscium fœcundus, sed inprimis carporum, qui sua magnitudine, & delicato sapore admodum laudati. Incolæ non adeò gnaui vt illi *Iarseyæ* in solo colendo, verùm nauigando & mercaturam exercendo incertiori lucro desudant. Terram autem suam ita quilibet seorsim colere gaudet, vt tota insula in porticunculas septis diuidatur, quod illi non solùm emolumento; sed etiam firmamento contra hostes habent.

Sarnia. Garnsey. Granona fortè literis transpositis quam in tractu Armorico memorat Notitia. Smyris lapis. Portus S. Petri. Libertas tempore belli. Castle Cornet.

Vtraque insula multiplici hortorum viriditate, & pomarijs ridet, vnde vino è pyris factitio (*Siseram* aliqui vocant, nos *Sydre*) plerumque vtuntur. Incolę vtrobique sunt origine vel Normannici, vel Britones, Gallicèque loquuntur; Gallos tamen haberi aut nominari dedignantur, & se Anglos dici lubenter audiunt. Vtrobique *Vraic* illa pro ignis est fomento, vel fossiles ex Anglia carbones, piscium vtrobique maxima multitudo, & eadem vtrobique Politia.

Spectarunt olim hæ Insulæ cum alijs circumuicinis ad Normanniam, sed cùm Henricus Primus Rex Angliæ Robertum fratrem anno Christi CIↃ CVII. debellasset, Normanniam, & has insulas Anglię regno adiunxit, ex quo tempore Anglię firma fide adhæserunt, etiam cùm Iohannes Rex Anglię, reus peractus de nepotis cęde sententia lata omni Normanniæ iure excidisset, quam vt beneficiarius Regis Gallorum tenuit, vniuersaque prouincia ab illo defecisset; nec non cùm Henricus Tertius Rex Angliæ suo in Normannia iure pactâ pecuniæ summâ posteà cessisset. Iamque inde fidem Anglis datam summa constantiæ laude tenuerunt, solæque supersunt Regibus Angliæ ex auita hæreditate Guilielmi *Conquestoris* & Ducatus Normanniæ; licèt Galli subinde adorti sint qui è vicino Galliæ littore has non Gallici, sed Anglici iuris esse ægris oculis diu despectarunt. *Garnseiam* sanè vt ex Archiuis regni videre est, regnante Edwardo Quarto occuparunt, sed fortitudine Richardi *Harleston Valecti de Corona* (vt eo tempore vocarunt) breui exturbati fuerunt, & Rex ipsi in fortitudinis præmium Insulæ & castri Præfecturam detulit. Annoque CIↃ IↃ XLIX. cùm Anglia intestinis malis sub Rege puerulo laboraret, Leo Strozzi triremium Gallicarum præfectus inuasit, sed multis suorum desideratis, repulsus incepto destitit.

Normannia amissa. Francica 16. Edw. 4.

Quòd

Quod ad rem Ecclesiasticam pertinet, Episcopo Constantiensi in Normannia paruerunt, donec ille nostra memoria Pontificis Romani in Anglia authoritatem (quod Episcopi nostri faciunt) abiurare recusarit. Iam inde à Diœcesi Constantiensi à Regina Elizabetha fuerunt separatæ, & in perpetuum Diœcesi Wintoniensi adnexæ, vt Episcopus Wintoniensis & successores singula quæ ad Episcopalem iurisdictionem spectant, exequantur. Ad Geneuensis tamen Ecclesiæ disciplinam quam Galli ministri induxerunt, res Ecclesiastica administratur.

Quòd ad ciuiles harum insularum consuetudines, quasdam è Regijs Tabularijs adnotare iam possim, scilicet vt Iohannes Rex *instituit duodecim Coronatores iuratos ad Placita & iura ad Coronam spectantia custodienda, & concessit pro securitate insularium quòd Balliuus de cætero per visum Coronatorum poterat placitare absque Breui, de noua desseisina facta infra annum, de morte antecessorum infra annum, de dote similiter infra annum*, &c.

Cl. 15. Ed. 3. An. 9. Ed. 3. Quòd *Iuratores illi non protrahant iudicia sua vltra vnius anni spatium.* Quòd *in custumis & alijs rebus tanquam indigenæ, non alienigenæ tractentur.* Sed hæc alijs qui singularia curiosius indagent, relinquenda censeo. In vniuersum Consuetudines Normanniæ in plerisque hic locum habent.

Serk. Arne. Iethow.

De *Serke* insula modica, quę illis interiacet, rupium pręcipitijs circumuallata, in quam R. Elizabethæ auspicijs, & suo, vt ferunt, commodo Coloniam cùm priùs inculta iaceret, deduxit I. de S. *Owen* de *Iarsey*, cui generis antiquitatem vltra S. Oweni tempora quidam, nescio qua fide, asserunt. De *Iethow* quæ in vsum Præfecti *Garnseia* ad pascenda pecora, & damas, cuniculos, atque phasianos alendos est instar viuarij, necnon de *Arne* quæ illa amplior, Franciscanis fratribus sedes erat solitaria, cum scriptoribus antiquis non memorentur, non est cur ego pluribus loquar.

Liga. Siadæ. Set iles. Barsa. Basepole.

Eodem inde littore LIGA Antonini eminet, quæ superstite nomine etiamnum nunc *Ligon* dicitur. Tum septem insulæ sternuntur SIADAE Antonino, à numero, *Saith* enim septem Britannicâ linguâ sonat, Gallis hodie *Le set Isles*. Has *Saiades* enim existimo *Hiadatas* corruptè apud Strabonem appellari, ab his enim, vt inquit ille, minor est quàm diurnus in Britanniam insulam cursus. A Siadis ad BARSAM, cuius etiam meminit Antoninus, VII. intersunt stadia, Gallis *Isle de Bas*, Anglis *Basepole*. *Bas* enim quòd minùs profundum, Britanni vocant, & ex bolide demissa in minorem altitudinem mare hoc loci subsidere nautæ deprehendunt. Vix enim septem vel octo cubitis depressum est, cum per reliquum littus XII. XVIII. XX. cubitis mare altum sit, vt in chartis Hydrographicis videre est. Inter has tamen insulas & *Foy*, Cornwalliæ mare hoc nostrum Britannicum in maximam deprimi altitudinem obseruarunt nautæ, quam CXVI. plus minus vlnis in canali commensurant. Hinc ad Britanniæ nostræ oras iam transmittam, & oram legens, *Ideston*, *Mousbole*, *Long shippes* scopulos potius infames quàm insulas prætereuectus, ad extremum Cornwalliæ promontorium LISIAM Antonini conspicio, nunc *Lethowsow* vicinis, alijs verò *The gulfe*, id est, si interpreteris, vorago, quæ tantum recedente æstu nudata apparet. Hanc Lissiam antiquorum existimo, quòd *Lis* idem significat, vt accepi, apud nostros Britannos. *Liso* enim vasto cum murmure sonum edere, cuiusmodi in vorticosis locis audiuntur, & eò loci Oceani fluxus & in Boream, & Orientem magno cum fremitu eluctatur inter Cornwalliam & insulas coarctatus, quas SIODELES Antoninus, SILLINAS Sulpitius, SILVRAS Solinus, *Silly* Angli, *Sorlings* nautæ Belgici, HESPERIDAS & CASSITERIDES antiqui Græci vocarunt. *Hesperidas* enim dixit Dionysius Alexandrinus a situ Occidentali his versibus.

Speculum Oceani. Mare Britannicum vbi altissimum.

Lisia. The gulfe. *Lisia*, inuersis literis *Silia*.

Silly. Cassiterides, Sillinæ & Hesperidæ.

- - - - - - αὐτὰρ ὑπ' ἄκρην
Ἱρὴν ἣν ἐνέπουσι κάρη ἔμμεν Εὐρώπηος
Νήσους θ' Ἑσπερίδας, τόθι κασσιτέροιο γενέθλη,
Ἀφνειοὶ ναίουσιν ἀγαυῶν παῖδες Ἰβήρων.

Quos ita conuertit Priscianus:

*Sacrum promontorium.

*Sed * summam contra Sacram, cognomine dicunt*

Quam

Quam caput Europæ, sunt stanni pondere plenæ
Hesperides, *populus tenuit quas fortis Iberi.*

Has etiam *Ostrymnides*, dixit Festus Auienus in *Oris Maritimis*, de quibus hęc carmina intexit, vt in Parisiensi habentur æditione, & Notis ad eosdem.

In quo insulæ sese exerunt Oestrymides
Laxè iacentes, & metallo diuites
Stanni atque plumbi: multa vis hic gentis est,
Superbus animus, efficax solertia,
Negotiandi cura iugis omnibus
** Nolusque cumbis turbidum latè fretum*
Et belluosi gurgitem Oceani secant;
Non hi carinas quippe pinu texere
** Facere morem non abiete, vt vsus est,*
*Curuant * phasello: sed rei ad miraculum*
Nauigia iunctis semper aptant pellibus,
Corioque vastum sæpe percurrunt salum.

* *Non vsq; nauibus* in Notis Parisientibus. Lodouicus Nonnius legit *Nullisq; cymbis.* * *Facere remos.* Notę Paris. Nonnius. *Acerent mirant.* * Phaselos.

Cuiusmodi etiam in vsu erant hoc in pelago anno Salutis DCCCCXIIII. Legimus enim quosdam viros pios ex Hibernia in carabo (alibi Caruca) qui ex duobus tantum corijs & dimidio factus erat in Cornwalliam fuisse delatos. Postea etiam de ijsdem insulis idem Auienus: (Marianus Scotus.)

Tartesijsque in terminos Oestrymnidum
Negotiandi mos erat, Carthaginis
Etiam colonis

Has verò *Cassiteridas* cæteri Græci à stanno, dixerunt, vt & apud Drangos Asiæ, à Stanno locum quendam CASSITERON vocat Strabo, & insulam in mari Indico CASSITERAM etiam à stanno dictam fuisse è Dionysio memorat in Vrbibus Stephanus. MICTIN autem illam quam sex dierum nauigatione introrsum à Britannia abesse, & candidum plumbum proferre è Timæo scribit Plinius, inter has fuisse vix ausim affirmare. Non me tamen latet eruditissimum Hermolaum Barbarum pro *Mictim*, *Mitterim*, in manuscriptis codicibus legisse, & pro *Mitterim*, *Cartiterim* legere. Quòd autem has esse CASSITERIDAS toties quæsitas dixerim, facit antiquorum authoritas, ipsarumque situs, & Stanni venæ. *Artabris* (inquit Strabo) *quibus Britanniæ Occidentales partes è regione adiacent, ad Aquilonem opponuntur insulæ, quas Cassiteridas appellant, quodammodo in Britannico climate constitutæ.* Et alibi: *Amplius est mare inter Hispaniam, & Cassiteridas, quàm à Cassiteridis ad Britanniam interiectum. Aduersus Celtiberiæ latus spectant Cassiterides*, inquit Solinus. Diodorus Siculus: *In insulis Oceano Ibero proximis, quæ à Stanno Cassiterides nominantur.* Eustathius, *Cassiterides insulæ decem sunt contiguæ ad Arctum.* Cùm verò hæ *Sillinæ* Artabris, id est, *Gallitiæ* in Hispania oppositæ sint, cùm ab illis in Aquilonem ad amussim vergant, cùm in Britannico climate constituantur, cùm Celtiberiæ latus spectent, cùm longè ampliori mari ab Hispania, quàm à Britannia disiungantur, cùm sint Oceano Ibero proximæ, cùm contiguæ sint ad Arctum, & melioris notæ tantummodò decem numerentur, scilicet, *Sancta Maria*, *Annoth*, *Agnes*, *Sampson*, *Silly*, *Brefar*, *Rusco*, siue *Trescaw*, *S. Helenæ*, *S. Martini*, *Arthur*, & quod caput est, cùm Stanni venas habeant, vt nullæ aliæ hoc tractu insulæ: & à fodinis duæ minores *Minanwitham*, & *Minuisisand*, nomen duxisse videantur: malim ego has CASSITERIDAS existimare, quàm vel *Asores* quæ nimis in Occasum prouectæ sunt, aut *Cisargam* Hispaniæ proximè quasi contiguam cum Oliuario, aut ipsam nostram Britanniam cum Ortelio, cùm Cassiterides plures erant, & Dionysius Alexandrinus postquam de Cassiteridibus egerit, de Britannia seorsim agat.

Si

Si quis e numero has esse Cassiteridas inficiatur, cùm plures sint quàm decem, idem etiam *Hæbudas*, & *Orcadas* numeret, & si rationibus subductis, nec plures, nec pauciores, quàm quinque Hæbudas, & triginta Orcadas cum Ptolemæo inuenerit, alio loco quàm quo nunc extant, indaget, & indagando e numerorum ratione certò scio, haud facilè inuenerit. Verùm priscis scriptoribus de his eo æuo seiunctissimis orbis terrarum partibus, & insulis, vt hodie de Freti *Magellanici* insulis, & Nouæ Guineæ tractu, nihil nobis exploratè est cognitum.

Quòd verò Herodotus has non nouerit, neutiquam mirandum est; fatetur enim ipse se pro comperto nihil habere, quod de Europæ extremis referat. Primùm tamen plumbum in Græciam hinc delatum erat. Plumbum (inquit Plinius lib. VII. cap. de rerum inuentoribus) è Cassiteride insula primus apportauit Midacritus. Sed de his audi Strabonem libro Geographiæ III. sub finem. *Cassiterides insulæ decem sunt numero, vicinæ inuicem, ab Artabrorum portu versus Septentrionem in alto sitæ mari. Vna earum deserta est, reliquæ ab hominibus incoluntur atras vestes gerentibus, tunicas indutis ad talos vsq; demissas, cinctis circum pectus, cum baculis ambulantibus. Tragicis qui similes furijs. Viuunt y ex pecore, vagantes ferè incertis sedibus. Metalla habent stanni & plumbi, quorum, & pellium loco fictilia, salem & area opera à mercatoribus recipiunt. Primis temporibus soli Phœnices à Gadibus eò negotiatum iuerunt, celantes alios istam nauigationem. Cùm autem Romani quendam nauis magistrum sequerentur, vt & ipsi emporia ista addiscerent, is inuidia ductus dedita opera nauem suam in vadum compulit, in eandemque perniciem ijs qui insequebantur coniectis, ipse è naufragio seruatus ex ærario publico pretium amissarum mercium recepit. Tamen Romani re sæpius tentatâ, nauigationem addidicerunt. Deinde Publius Crassus cum eò nauigasset, videretque metalla non altè effodi, hominesque eos pacis studiosos otio abundante, mari quoque nauigando studere, id volentibus commonstrauit: quanquam amplius mare nauigandum esset eò quòd inde ad Britanniam pertinet.* Sed ad *Silly*. Insulæ verò hoc nomine insigniuntur, plùs minùs centum quadraginta quinque, gramine vestitæ, aut musco subuiridi tectæ, præter horrentes rupes, & saxa eminentia innumera, in orbem quasi sitæ octo leucis ab extremo Cornwalliæ Promontorio. Frumento nonullæ satis feraces, cæterùm omnes cuniculis, gruibus, cygnis, ardeis, & marinis auibus abundant. Omnium maxima est quæ à *S. Maria* nomen cœpit, castrum habet & præsidium militare. *Hæ sunt insulæ illæ quas Fretum turbidum duarum aut trium horarum nauigatione distinguit à Danmoniorum ora, & quarum incolæ custodiunt morem vetustum. Nundinas & nummum refutant, dant res & accipiunt, mutationibus potiùs quàm pretijs necessaria parant, Deos percolunt, scientiam futurorum pariter viri, ac fœminæ ostentant*, vt habet Solinus Polyhistor. *Melanchlænos* vocat incolas Eustathius ex Strabone, quòd nigris vestibus ad talos vsque demissis induerentur. Vitaque cedunt (vt credidit Sardus) plerumque vita satiati. E rupe enim se proijciunt in mare fœlicioris vitæ spe, quod proculdubiò Britannicorum Druidum fuit persuasio. Huc etiam damnatos ad metalla relegare solebant Romani Imperatores. Maximus enim Augustus cùm Priscillanum ob hæreticam prauitatem capitis damnasset, sectarios eius Instantium Hispanum Episcopum, & Tiberianum publicatis bonis in *Syllinas insulas* deportari iussit. Eumque qui in motu Cassiano vaticinatus erat, & multa quasi instinctu Deorum dixerat, in hanc insulam (vt credunt quidam) relegauit Marcus Imperator, qui pro *Syria insula* Siliam Insulam libenter legunt, cùm *Syria insula* nondum sit Geographis nota. Relegatio siue deportatio in insulas eo æuo exilij genus erat, Prouinciæque præsides ita relegare poterant, si sub se insulas haberent; sin minus, Imperatori scribebant, vt ipse insulam reo assignaret, nec eius corpus qui in insulam relegatus abierat, non licebat Principe inconsulto, alibi transferre, & sepelire.

Sulpitius Seuerus.

Vlpianus lib. 7 de Mathematicis.

Relegatio in insulas.

In medij temporis scriptoribus harum Sillinarum insularum ne nomen quidem vsquam occurrit, nisi quòd Rex Athelstanus subiugauerit, & reuersus Ecclesiam S. Berianæ, vel *Burienæ* extruxerit in vltimo Britanniæ ad Occidentem promontorio, vbi terram conscendit.

Vide pag. 136.

Contra has ad Gallicum littus Osismis, siue Britanniæ Armoricæ præiacet Axantos Plinij, quæ nomine integro etiamnum *Vshant* vocatur, Antonino Vxantissena, qua vna dictione, duæ coaluerunt, Vxantis scilicet, & Sena. Hæc enim insula inferiùs

Axantos. Vshant.

inferius est nunc *Sayn*, quæ *Brestæ* obiecta SIAMBIS nonnullis exemplaribus, & *Sonnos* corruptè Plinio dicitur, circa quam ab Ortu in Occasum plùs minùs septem milliaria procurrunt confertissimi scopuli, potiùs quàm insulæ. De hac accipe quod Pomponius Mela refert. *Sena in Britannico mari Osissimis aduersa littoribus Gallici numinis oraculo insignis est, cuius antistites perpetua virginitate sanctæ numero nouem esse traduntur, Galli Zenas, vel Lenas, vocant* (sic potius cum Turnebo lego, quàm Gallicenas) *putantque ingenijs singularibus præditas maria ac ventos concitare carminibus, seq; in quæ velint animalia vertere, sanare quæ apud alios insanabilia sunt, scire ventura, & prædicere, &c.* Huic aliæ subtenduntur insulæ, *Isles aux Mottons* iuxta *Pen-marc*, .i. *Caput Equi*, *Gleran* è regione antiquæ *Blaniæ* (quæ hodie *Blauet*) *Grois* & *Bellisle*, quas VENETICAS vocat Plinius. Venetis enim Britanniæ Minoris aduersæ sunt, qui nescio an ita nominati quasi piscatores. *Venna* enim prisca Gallorum lingua hoc significare videtur. Hos Venetis Italiæ authores fuisse existimat Strabo, qui etiam prodit nauali pugna eos cum Cæsare congressuros fuisse cùm Britanniam cogitaret. VENETICAS has insulas NESIDAS ex Dionysio Afro nonnulli vocant, cùm tamen Græco codice Νησιάδων στίχες, .i. *Insularum tractus* legitur. De quibus ex illo Priscianus.

Siambis. The Seams. nautis. Veneti. Insulæ Veneticæ. Nesidæ. Vannes. Venna Caroli, .i. piscatio Caroli Helgardo.

Nec spatio distant Nesidum littora longè,
*In quibus vxores * Amnitum Bacchica sacra*
Concelebrant hederæ folijs, tectaque corymbis.
Non sic Bistonides Absinthi ad flumina Thraces,
Exertis celebrant clamoribus εἰραφιώτην.

* Samnitum.

Quod etiam Festus Auienus sic expressit.

Hinc spumosus item ponti liquor explicat æstum,
Et breuis è pelago vertex subit: hîc chorus ingens
Fœminei cœtus pulchri colit Orgia Bacchi,
Producit noctem ludus sacer: æra pulsant
Vocibus & crebris latè sola calcibus vrgent.
Non sic Absynthi propè flumina Thraces, & alma
Bistonides, non quà celeri ruit agmine Ganges,
Indorum populi stata curant festa Lyæo.

Bellisle verò inter has prædictas *Nesidas* esse Strabonis ex aliorum fide authoritas conuincit. Ligeris enim ostio præiacet, & in opposita Galliæ regione SAMNITAS posuit Ptolemæus. Sic enim Strabo. *In Oceano autem Insulam esse aiunt paruam, non planè in alto sitam, obiectam ostio Ligeris: in ea habitare Samnitarum mulieres, Bacchico instinctu correptas, quæ Bacchum ceremonijs & sacrificijs demereantur: nullum eò virum venire, sed ipsas nauigijs auectas cum viris suis coire, atque inde in insulam reuerti: moris quoque esse, vt templi tectum quotannis auferatur, eademq; rursum die ante Solis occasum integatur, vna qualibet mulierum onus apportante: cui onus excidat, eam ab alijs discerpi: & eas frusta inter euandum ad templum congerentes non ante finem facere quam furore soluantur: semper autem vsu venire, vt vna de ijs onere elapso ita lanietur.* Sic priscos scriptores de Orbis terrarum extremis mendatiuncula, & fabellas contexere iuuit. *Quæ autem de Cerere & Proserpina magis sunt*, inquit ille, *probabilia. Perhibent enim insulam esse Britanniæ propinquam in qua Deabus his sacrificetur eodem ritu quo in Samothrace.*

Cùm autem Britannicum Mare vsque ad Hispaniæ littus, & excursum Pyrenæi protendi scribat Mela, qui ipse natione Hispanus, possem & hîc memorare *Normonstier*, *Lisle de Dieu*, *Lisle de Rey* salis marini prouentu insulas notissimas; verùm cùm antiquis Geographis ne nominentur quidem, mihi satis sit nominasse. Proxima autem insula quę hodie *Oleron* a Plinio VLIARI nomine celebratur, quæ in sinu, vt inquit ille, Aquitannico, ad ostium Charontonis fl. nunc *Charente*, multas habuit immunitates a Regibus Angliæ, tunc Ducibus Aquitanię concessas. Quo tempore nauali disciplinâ & gloriâ adeo

Lib. 2. Oleron. Vliarus.

floruit, vt hæc maria legibus in hac insula latis anno CIↃCCLXVI. non minus ac olim Mare Mediterraneum legibus Rhodijs, regerentur.

Nihil aliud nunc restat, cùm è tot cæcis Oceani vadis, & asperis Antiquitatis cautibus eluctata tandem enauigârit oratio, quàm vt nautę olim Neptuno vela lacera, aut tabulam votiuam; sic ego etiam aliquod, DEO OPT. MAX. & VENERANDAE ANTIQVITATI Anathema consecrarem, quod libens meritò nunc voueo, & suo tempore Deo volente vota soluam. Intereà meminerit lector, me cum inuido, & edaci illo hoste TEMPORE, hoc in opere colluctatum fuisse, de quo Græcus optimè cecinit:

Ἀργαλέος φέρεται πολὺς χρόνος, ἀλλὰ περίφρων,
Καὶ φωνὰς κλέπτει φθεγγομένων μερόπων·
Καὶ μὴ φαινόμενος τοὺς φαινομένους ἀφανίζει·
Καὶ μὴ φαινομένους, εἰς φανερὸν φέρει.

Ego verò illo Mimnermi disticho, quod verissimum essę noui, me identidem affari, & consolari soleo:

Τὴν σαυτοῦ φρένα τέρπε, δυσηλεγέων δὲ πολιτῶν
Ἄλλος τις σὲ κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ.

Oblectes animum, plebs est morosa legendo,
Ille benè de te dicet, at ille malè.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.





CORRIGENDA.

PAg. 1, lin. 24, Diluuij. 5,26, ne fando. 9,31, *νίμωνται*. 11,1, *Σαρωνίδας*, 15, obseruarunt. 13,32, in Græciam duxit. 14,2, quem. 15,1, affusa. 28, 17, fata. 31,14, Posidio Spadoni. 41,34, Dij. 53,28, frangendas. 54,52, *oculis*. 57, 11, alternæ. 12, quæ. 43, *Sesto*. 61,28, Præsidibus. 71,37, galeato. 72, 20,22, satiuis. 75,23, hanc. 24, signatam. 77,16, auiditate. 83,47, ne. 92,37, & anatum. 99,47, quidem. 102,1, suarum. 109,4, deuincire', veri. 118, 32, Eadgar Edeling. 121,50, *Manca*. 129,23, superponitur. 61,62, dele *quod & nomen cæpit*. 137,53, *carmen*. 145, 16, maxima. 153.12, quæ Britannica. 24, maritimi. 170.17, hi duo. 172,23, Ophiucum. 181, 22, ornata. 182, 32, *adde* quem Edw. IIII Comitem Sarisburiæ dixit. 186,15, ille. 189,11, Mariæ. 190, 52, *supra*. 193,22, Marchionis. 197, 1, dispositi quos. 199,22, *salmari*, 32, *salutari*. 201, 9, quodammodo obiacet. 203,3, naturali. 204,7, à, 54, castro. 207,54, Equites. 208,41, *Walterus Pauely* pro G. *Paganell*. 209,22, Tamæ. 213,16, transiri. 216,6, quam. 223,48, est. 239,16, ARRA. 244.41, *dele* non. 246,54, capio. 247,24, pistorum. 253,39, REGIAM. 259,43, *Hermenij* 265,31, quondam. 267,49, Theologia. 279,2, dictis. 34, sæuijt. 281,17, qui, 25, ipsum. 290,30, familiæ. 295,4, *superba*, 49, *Hospitale*. 305,14, latè. 307,1, vel quia. 310,10, Prorex, 12, Poesis, 47, habemus. 311,37, nouem, 47, Londini. 315,36, in quo. 321,16, prono. 336,2, alter, 7, flumen. 337, 11, Danus, 14, peruaserat, 28, suffossiones, 54, maximæ. 341,7, nitantur. 347,43, edita. 356.37, obliquior. 357,45, Christi, necnon S. Ioannis, 52, amœnius. 359,23, *Ingoldsthorp*, 24, hæredum vnam. 369,18, a *Bigramus*. 370,6, Comitatus aut. 376,38, *dele* ibi. 378,47, amœnissimis. 379, 3, *Locus est quasi vorago tam profundus & frigidus*. 380,24, quæ. 381,19, in quem. 387,53, vrbis. 388, 2, retinent. 398,19 *Foss-dyke*. 399,26, anatum. 400,7, sane. 402,14, siue *Gaunt*. 403,9, aggesto. 406,32, videt. 407,3, extructo. 408,24, Leofrici. 413,36, *Trenta*. 421,34, *Mira*. 424,20, nobilior Robertum. 427,13, *qui Herbertus*. 428,45, *Gosford* ingens os. 429,16, *Nunn-Eaton*. 433, 21, fornacibus. 434,27, *locaui*. 440,32, Guilielmus. 446,1, CORNAVII, 33, castro. 450,13, imperfecta. 453,24, Rogerum. 459, 40, aliquid. 462,4, extremum arborum trunci, 21, Equitis. 464,22, Membranis. 466, 8, nostræ. 467,3, Quod verò. 472,9, videt. 482,21, puter. 486,4, & 13, fluuio. 487,13, *Triones*, 25, scriptores. 489.9, Equitem. 490,1, murorum. 491, 1, hæc GETAE. 491,25, Iulio. 491,31, circumfertur. 500,11, flumen. 512,45, redactum, 52, Salmo. 513,39, plenè. 513, 14, trecentos. 547,51, continere. 553,35, suspiciebat. 557,1, percussores. 562,26, postquam. 567,41, næ, 50, Scholam nuper posuit. 580,39, *adde* seculis, Thomam de *Woodstock* patruum suum, & postea. 589.9, Lingonum, 12, opinor, 20, Fluminum. 570,49, opere. 576,16, molitetur. 574,22, Decimum, 51, ostendunt. 582,2, Ægira. 584.38, *dele* tempore. 602,44, flectit, 606,34, MAII. 625,38, pulchritudo consistit, 40, sirum. 626,28, grandiusculæ. 627,2, *dele* quæ. 636, 29, aleam. 640,25, Neruiorum. 650,5, muralis, 16, alius. 658,20, Lithanthraces. 661, Itinerarium. 675,1, & verum.

In Scotia & Hibernia.

PAg. 688, lin. 35, suos. 689,33 *dele* biceps, *& adde post*, mons lin 34. 690,43, erigit. 691,9, *Annan* in quam. 691,43, *Sanqhuar*. 694,11, VIDOGORA. 695,6, Gabriel, 9, hastæ. 696,36, insula. 700,34, Ex. 701, 2, puritatem, 16, trepidus. 702,16, propagarant. 704,18, refluo. 705,39, claudunt. Comites. 706,4, Lennoxiæ. 711,49, *Vicecomites*, insiderunt. 712, 13, est Baronum. 714,24, *Aonza*. 716,12, *Rossiam* quæ. 721,3, vultus, 40, obtusius. 722,7, sugillans. 726,8, *ἔτνεα*. 731,19, ferocissimis. 734.16, VII. 737,39, clientelari. 739,7, obtenditur. 747,14, quæ. 752, 2, *Cleri*. 757,6, asperis. 757,16, a Gallæcis, 22, *O Brien*. 758,33, fratri iuniori. 759,18, Donello *Gormy*. 766,41, DVNVM. 767,13, claudit. 771,15, de his. 772,5, profudit, & Shanum *O Neal* ita profligauit, 15, *Mac Swin*. 776,43, cum detulit, 47, paricidij. 777,1, vocasse, Guilielmum. 777,27. sociasse consilia. 780,30. interea munimentum. 789, 22, perniciosam, 34, Et eò vsque, 39, Ne tamen. 785,4, Subthalassiarcha, 28, immittere, 52, virtute Marescalli. 787,36, affectam, vel corpus effœtum. 790,12, pertinacior. 790, 51, impositus fuerit. 791, 23. comparare. 805, *Edmundus le Botiler*. 816,15, post *Lacyes, ad tractandum de pace* qui per *eosdem occisus fuit, vnde dolendum. Et post le Mortimer Iustitiarius exercitum suum congregauit versus les Lacyes*. 838,54, XVII. 847,5, nuda. 849,36, *Britannica*. 856,21, *Arma*. Cætera Lector facilè emendet.



ANGLIÆ COMITATVS.

WALLIÆ COMITATVS.

INSVLÆ PRÆCIPVÆ.

BRITAN-

BRITANNIÆ ANTIQVÆ Populi, Vrbes, Flumina, Promontoria, &c. quorum meminerunt *Cæsar*, *Tacitus*, *Ptolemæus*, *Antoninus*, *Notitia Prouinciarum*, & Authores alij, cum nominibus recentioribus.

A

B

Magni.

Sabrina,

S

T

V

Verlucio,

Populi & Loca antiquioris memoriæ in SCOTIA.

In HIBERNIA.

Insulæ Britannicæ adiacentes.

FAMILIÆ ANGLIÆ ILLVSTRIORES
quæ in hoc Libro memorantur.

E

F

G

H

I

K

L

Lancastriæ

FAMILIAE SCOTIAE ILLVSTRIORES
quæ in hoc Libro memorantur.

Grey.

FAMILIÆ HIBERNIÆ PRÆCLARIORES

quæ in hoc Libro memorantur.

Glencar.

RERVM

RERVM MEMORABILIVM
INDEX.

A



B

 Boghs

Decoma.

Murenę.

Rom.

S

T

V

Vitium.

F I N I S.

